

J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

III



GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA III

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

III

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM



B
765
D7
1639a
t. 3

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101853

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,

ORDINIS MINORVM,

TRACTATVS SEX,

QVORVM
- I. DE RERVM PRINCIPIO.
- II. DE PRIMO PRINCIPIO.
- III. THEOREMATA.
- IV. COLLATIONES.
- V. DE COGNITIONE DEI.
- VI. QVÆSTIONES MISCELLANEÆ.

Partim primùm editi, recogniti, & Scholijs illustrati.

Per R. P. Fr. LVCAM VVADDINGVM, S. Theologiæ Professorem emeritum, & Ordinis Minorum Chronologum.

TOMVS TERTIVS.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



CENSVRA R. P. F. LVCÆ WADDINGI HIBERNI

IN QVÆSTIONES DISPVTATAS de Rerum principio.



VM magno ſtudio Scoti opera colligerem, méque editionem hanc meditari monerem Reuerendiſſimum P. F. Ioannem Baptiſtam Campanium, noſtri ſodalitij ſupremum moderatorem, tunc in Hiſpania commorantem, vti eſt doctrinæ huic addictiſſimus, ſummopere conatum probauit, repertúmque opus hoc in Bibliotheca Franciſci Cardinalis Ximenij Minoritæ, vetuſtis codicibus instructâ, lætus ipſe in Vrbem duxit. Dono hoc me primo occurſu excepit, ſtimulóſque addidit, vt in ſuſcepto pergerem labore. Codex erat membraneus, vetuſto & penè imperceptibili exaratus charactere, dictionibus vbique non tam ad regulas ſcribendi, quàm ad Amanuenſis placitum contractis. Improbo ſtudio tandem euicimus vt terſum prodiret exemplar, quod vbi legerunt viri docti, opus ſuo authore & prælo dignum iudicârunt.

Illud ipſum eſt, quod Scotum ſcripſiſſe monent VVillotus, Poſſeuinus, & Pitſæus, *de Rerum principio*, titulum affigentes ex ipſo operis initio. At cùm multa hîc diſcutiantur ab illo argumento aliena, & nullo nexu cohærentibus quæſtionibus res variæ Philoſophicæ proponantur, viſum eſt aptiori titulo *Quæſtiones* dicere *diſputatas*, aut *generales in Philoſophiam*, præſertim cùm in libri fronte ita habeatur: *Quæſtiones vniuerſales in Philoſophiam Joannis Scoti*, & in fine ita ſubiiciatur: *Quæſtiones iſtæ fuerunt diſputatæ Oxonij per Magiſtrum Ioannem Scoti de*

Ordine Fratrum Minorum, & sunt quæstiones generales super Philosophiam.

Illas disputasse succisiuis horis, vel pro temporis opportunitate, vel pro Scholasticarum exercitationum, siue Academicorum graduum suscipiendorum varietate, coniicere licet ex prisco illo Scholasticorum more, in hunc diem retento, publicè disputandi, & diffusiùs quæstiones ad libitum propositas, prosequendi, vel dum ipsi laureas suscipiunt, vel dum suscipientibus applaudunt.

Quæstionem quartam, vbi infallibilitatem præscientiæ diuinæ cum rerum contingentia concordat, disputasse ante editum tractatum *de Primo principio*, constat ex eiusdem tractatus capite quarto, conclusione quinta, vbi eandem citat, & se disputasse commemorat.

Quæstionem decimamsextam *de numeris* instituisse post scriptum Oxoniense, præsertim post librum primum, suspicari fas est *ex distinctione* 24. *quæstione vnica in principio*, vbi propositum dubium de numeri qualitate, & essentia dicit se soluturum, *quando de numeris*, inquit, *tractabitur.* Et licèt marginaliter moneat id fieri in Reportatis sub illa distinctione, lectorem planè fallit; neque enim alibi, quàm hîc, exactè disputat de iis, quæ ibidem proponit.

Aliqua etiam in his ipsis quæstionibus promittit se aliàs discussurum, quæ vel desunt, vel non licuit perficere; etenim *quæstione* 21. 22. *&* 23. pollicetur se de æuo, eiúsque immutabilitate, & duratione, disputaturum, quod tamen in hoc opere desideratur: quibus adde, posteriores etiam quæstiones imperfectas reliquisse.

Doctrina in paucis discrepat ab ea, quam præfert in libris Sententiarum, ídque vel quando aliorum refert opiniones, vel ex illorum loquitur sententia; reliqua tamen simillima sunt, iisdémque verbis, & rationibus sæpissimè vtitur vtrobique. Diffusè satis, & clariùs, melioríque methodo, quàm alibi propositas difficultates perstringit & soluit; & plurima hîc grauiori librat trutina, quæ reliquæ doctrinæ maiorem afferent claritatem.

Ego prolixas quæstiones in articulos dispertiui, nihil tamen, neque verbum quidem, in opere immutans, sed titulos intermiscens in iis locis, quibus iuxta materiæ varietatem author in principio vniuscuiusque quæstionis pollicebatur, se tot articulos discussurum, quos tamen sine titulorum partitione iuxta veterum Scholasticorum morem, prosequebatur.

Scholia deinde adiunxi, notas marginales, & omnium authorum citationes in gratiam lectoris adhibui.

Codicis

Codicis autographi vetustatem vel illinc expiscari liceat, quòd in vltimo folio ita legatur: *Ista quæstiones sunt ad vsum Fr. Ferdinandi de Jlliescas.* Ille autem ipso Scoti sæculo ante annum 1390. erat à sacris confessionibus Ioanni I. Regi Castellæ, & sub eodem, eiusdémque filio Henrico III. præclarissimis functus est legationibus, de quibus in quarto, & quinto volumine nostrorum Annalium agimus opportuniùs.





INDEX QVÆSTIONVM
DE RERVM PRINCIPIO.

XXII.



INDEX CAPITVM
DE PRIMO PRINCIPIO.



INDEX THEOREMATVM.

XVI.



R. P. F.



R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI, DOCTORIS SVBTILIS; ORDINIS MINORVM,

Quæstiones diſputatæ de Rerum principio,

SIVE

QVÆSTIONES VNIVERSALES IN PHILOSOPHIAM cum Notis & Scholiis R. P. F. LVCÆ VVADDINGI.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ſit dare vnum primum principium rerum omnium ſimpliciter, & abſolutè?

Auguſtinus *epiſt.*146. *& hareſi* 46. *&* 75. *lib.de Trinit.c.*24. Alenſis 2. *part.quaſt.*1.*mem.*1.D.Thom.1.*pars.quaſt.*44. *art.*1. Expoſitores eius *ibid.* Richardus *in* 2.*diſt.*1. *art.*4. Gabriel *ibid. quaſt.* 2. Occam *quaſt.* 4. Vaſquez 1. *part. diſp.*171. *cap* 1. Molina *quaſt.* 44. *art.*1. Valentia *diſp. de Deo creatore,quaſt.*1. *puncto* 1.Doctor *de primo principio; cap.*2. *& in* 2.*diſt.*1. *ibid.* omnes eius ſequaces.

1. *Diuiſio quaſtionis.*



CIRCA iſtam quæſtionem ſic intẽdo procedere. Primò,intendo tollere æquiuocationem, vt oſtendatur de quo principio fiat quæſtio. Secundò, volo proponere diuerſorũ circa hoc opiniones.Tertiò, inquirere & confirmare Catholicam veritatem. Quartò, declarare ſingularem primi principij vnitatem.

ARTICVLVS I.

Quid eſt primum in genere, & primum ſimpliciter?

2. *Primum in genere quid?* CIrca primum, ſciendum quid eſt *primum in genere*, & *primum ſimpliciter.* Vocatur *primum in genere*, ſiue *ordine*, illud quod ab omnibus illius generis præſupponitur, & omnia alia ſe habent per quandam additionem ad illud. Sic in genere generabilium, & corruptibilium, ponimus tria prima principia, materiam, formam, & priuationem. Quæ quamuis ſint tria ſecundùm rationem, ſunt tamen duo ſecundùm rem; eo quòd realiter priuatio educitur cum materia, vt patet circa finem lib.1.Phyſicorum, text.c.59. & 66. Vnde priuatio eſt principium fiendi, non verò eſſendi: materia enim, & forma eſſe rei generabilis conſtituunt. *Principia entis naturalis.* *Priuatio eſt principium in fieri.*

Sic etiam dico, quòd in genere materiarum materia Metaphyſica eſt materia primò prima. Vocatur materia Metaphyſica, illud, quod præſtat fulcimentum cuicunque formæ, qualem ponimus in Angelis, & anima rationali, ſecundùm Auguſtinũ,& Boëtium *de Vnitate & Vno.c.*1.*&* 2. 3. *Materia Metaphyſica quid?*

SCHOLIVM.

*In Angelis, & anima rationali dari materiam, non vno hoc loco aſſerit Scotus: verùm etiam quaſt.*15. *de Anima, & quaſt.*7. *huius operis, vbi latiſſimè difficultatem hanc expendit, & ingenioſè per duodecim quaſtiones explicat quid nomine* materiæ *intelligendum ſit in ſubſtantiis ſpiritualibus. Ibidem nos plura adnotabimus.*

Vocatur autem materia *extenſa*, materia Mathematica ſecundò prima, quia, vt communiter tenetur, ſub quantitate, & ſub forma corporea, eſt ſubiectum generationis. Tamen quia natura non agit, niſi per inſtrumenta ſua, quæ ſunt quatuor qualitates, quæ contrarietatem non habent ad formam corpoream, ideò non corrumpunt eam: tum quia ſubiectum tale eſſe debet, quòd ab agente poſſit attingi. Materia autem incorporea 4.

porea ab agente corporali, agente per dispositiones singulares, & corporeas attingi non potest.

5. Sic igitur materia Metaphysica est primò prima in genere materiarum: materia Mathematica secundò prima in genere materiarum, quæ subsunt diuersis generationibus, & corruptionibus. Et secundùm hoc in quolibet genere, vel in qualibet specie, est dare suam materiam primò primam; vt semen in genere animalium; aqua in genere liquabilium; terra in genere aridorum; & sic in diuersis generibus est dare aliqua principia, tam in genere esse formalis principij, vt illa quæ dant primum esse formale materiæ, quàm in genere materialis, & sic de aliis. De tali primo in genere non quæritur, vtrùm sit vnum principium; quia patet quòd in diuersis generibus, sunt diuersa principia.

In quolibet genere, & in qualibet specie est dare suam materiam primò primam.

6. Est aliud principium, quod dicitur *simpliciter principium*; quod comparatur ad omnia, cuiuscunque sint generis, aut speciei, aut actionis, & respectu omnium habet simpliciter primitatem, secundùm rationem causalitatis, quæ propriè attribuitur causæ efficienti; & secundùm modum causationis, qui attribuitur formæ exemplari, non formæ inhærenti: & secundùm rationem finis; quia ista tria genera causarum dicunt perfectionem. Non autem oportet quòd habeat primitatem secundùm rationem causæ materialis, quia talis dicit imperfectionem.

Quid sit principium simpliciter?

7. Est etiam intelligendum, quòd non quæritur hîc de primitate, & vnitate Dei absolutè in se, de qua agitur in primo Sententiarum: sed de primitate, & vnitate eius, in comparatione ad creaturas, ratione causæ, & maximè efficientis. Sic ergo patet de quo primo quæro; quia non de *primo in genere*, sed de *primo simpliciter*; nec de illo absolutè, sed vt habet rationem causæ respectu omnium aliorum: vtrùm scilicet talis causa solùm sit vna.

Quo sensu agit hîc Doctor de primo principio.

Articvlvs II.

Referuntur variæ opiniones circa primum rerum omnium principium.

8. Circa secundum sciendum, quòd cùm tale principium, de quo hîc quæritur, secundùm opiniones omnium, sit principium separatum: ideò eius primitas, & vnitas, & conditio, oportet quòd à posteriori inquiratur. Ex iis igitur quæ apparent in creaturis diuersis, aliqui de illo principio diuersimodè sunt locuti. Videmus autem in rebus generaliter ista tria; pluralitatem, contrarietatem, defectibilitatem. Cùm igitur videamus diuersa entia à diuersis efficientibus procedere; vt hominem ab homine, ignem ab igne, & sic de aliis diuersis, maximè in genere, & in specie; ex pluralitate rerum diuersa esse principia efficientia prima, aliqui, vt Pythagorici, crediderunt. Vnde ponunt decem esse principia bonorum, sicut patet 1. *Metaph. c.* 3. scilicet vnum, dextrum, masculum, quiescens, rectum, lucem, bonum, quadrangulum, par: & decem malorum, vt patet *ibidem*, quæ sumuntur ex oppositione ad prædicta decem.

9. Vide de his Arist. 1. Met. sum. 2. c. 1. & seqq. & Auerroëm ibid.

Opinio Pythagoricorum circa primum principium.

Alij attendentes ad contrarietatem, quæ est in entibus, reduxerunt omnes effectus ad duo prima efficientia, quæ vocauerunt contraria, scilicet, litem, & amicitiam; vt patet de Empedocle, 1. *de Generatione.*

Opinio Empedoclis.

Alij videntes in rebus esse aliqua bona, & aliquas perfectiones, & aliqua mala, & aliquos defectus, & imperfectiones, dixerunt duo esse principia efficientia; vnum spiritualium & incorruptibilium, & bonorum; aliud corruptibilium & malorum. Vnde huius positionis fuit impius Manichæus, & sui sequaces, vt patet apud Augustinum *contra Faustum, lib.* 21. *&* 7. *Confession. cap.* 4.

Opinio Manichæi.

Rationes autem istorum errorum, & motiua omnino sunt nulla, vt ad sensum patet: primò quidem, quia quamuis in entibus sit multitudo, reducitur tamen ad vnum agens. Quòd enim agentia multiplicentur respectu diuersorum effectuum, hoc est ex imperfectione, & limitatione formæ, & virtutis, per contrariam productionem. Vnde sic multiplicantur diuersæ artes propter suam limitationem respectu diuersorum artificiatorum, vel diuersa agentia specie, respectu diuersorum effectuum specie. Quantò autem actualitas formæ agentis est maior, & aspectus virtutis amplior, tantò de tali agente maior multitudo procedit; vt patet in Sole respectu generabilium, & corruptibilium; propter quod, motiuum primæ positionis est nullum. 10.

Reiiciuntur supradicta opiniones.

Pythagoricorum fundamentum diluitur.

Secundum etiam non vrget; tum, quia contrarietas effectuum non ponit contrarietatem in efficiente, tam in producente, quàm agente per cognitionem, & voluntatem: quia potentiæ rationales sunt ad opposita; per quem modum agit causa prima. 11.

Fundamentum Empedoclis destituitur.

Item, videmus quòd in effectibus causatur ordo, & vnitas ordinis in situ ab efficiente, siue agat per naturam, siue per artem: per naturam, vt patet quantum ad productionem in flore & fructu; quantum ad situm, quia folium superponitur fructui, quasi ad conseruationem: & ex omnibus istis facit quandam ordinis vnitatem, vt patet in frondibus, stipite, ramis, & fructibus: & hoc facit eadem vis naturæ actiua: & hoc patet in formatione hominis, & cuiuslibet animalis. Ita etiam videmus in operibus artis, & voluntatis; vt patet in constructione domus, & in omnibus artificiatis, ex diuersis, vel contrariis compositis; quia eorum productio (maximè si ars producat materiam propinquam) & eorum ordinatio reducitur ad vnum efficiens. Quamuis igitur contrarietas sit in effectibus, quia omnia conueniunt in quadam vnitate, & ordine vniuersi, non oportet quòd eorum sint diuersa efficientia: immò potiùs quòd vnum sit principium eorum omnium, quæ in mundo sunt, & sub eodem ordine vniuersi cadunt, cuiusmodi sunt omnia creata.

Motiuum etiam tertiæ positionis nullum est; quia quamuis in entibus sit bonum, & malum, sit etiam perfectio & defectio; non tamen oportet quòd ista reducantur ad diuersa efficientia. Defectus enim & malum, inquantùm talia, non habent efficientem causam, sed deficientem: sicut claudicare dicit duo, & ire, & defectuosè ire. Nec tamen in isto actu, qui est *claudicare*, oportet duas virtutes motiuas assignare: sed quod est ibi perfectionis & operationis, attribuitur virtuti; quod est ibi mali, & defectus, attribuitur defectui virtutis: sicut dicerem in oculo malè vidente; non quòd virtus primæ causæ sit in aliquo defectuosa. Ac per hoc, in illis, quæ ab illa totaliter, & immediatè procedunt, nullus defectus ex parte efficientis reperitur; sed in illis in quibus cooperantur agentia creata ex defectu virtutis earũ, vel ex indispositione materiæ, quam requirũt, defectus aliquoties 12.

Fundamentũ Manichæi reiicitur.

ties reperitur. Sic igitur mala, & defectus reducuntur ad defectum virtutū particularium: vt mala moris ad defectū virtutis particularis naturæ.

13. *Omnia mala, & omnes defectus quodammodo ad vnum principium reducuntur.*

Reducimus etiam omnia mala, & defectus ad vnum primum efficiens quodammodo: quòd sicut perfectiones omnes accipiūt suum esse, in hoc quòd ipso producuntur, & ipsum modo aliquo imitantur; tunc gradus perfectionum sumitur, & cognoscitur, secundùm maiorem, & minorem appropinquationem ad illud primum: sic mala defectus cognoscuntur, & distinguuntur, secundùm maiorem, & minorem elongationem ab illo vno primo perfecto: ita quòd perfectio illius est mensura omnium perfectionum, secundùm rationem appropinquandi, & assimilandi; & est mensura omnium malorum, & defectuum, secundùm rationem elongandi, secundùm quòd dicitur in 2. *de Gener. text. 56. Propter longè distare à primo; reliquo modo cōpleuit esse Deus faciens cōtinuam generationem.*

ARTICVLVS III.

Primum rerum principium in genere causæ effectiuæ, exemplaris, & finalis est summè vnum.

14. Circa tertium, sciendum, quòd cùm quæritur vnitas causæ primæ respectu omnium entium, oportet vnitatem eius tot modis inuestigare, quot modis primum dicitur causa aliorum: & oportet, qui vult satisfacere quæstioni, tot modis ostendere primum esse vnum, quot modis habet causalitatem respectu aliorum.

Causa prima est in triplici genere causalitatis respectu omniū.

Est autem causa prima in triplici genere causalitatis respectu omnium, sicut dicit Commentator 10. *Metaph. com. 7. in fin. & 12. Met. com.* 18 *&* 24. scilicet in genere causæ efficientis, formalis, & finalis: non autem est materia aliorum; eo quòd primum, inquantum tale, dicit perfectionem; materia autem dicit imperfectionem de se. Oportet igitur ostendere primò, quòd omnium sit vnum principium efficiens; vna prima causa formalis existens; vna causa omniū finalis. Secundò oportet ostendere, quòd primum efficiens est primum formale exemplare, & vltimus finis; & tunc concludetur quòd prima causa est simpliciter, & inuariabiliter vna; quod quærit quæstio nostra.

15. *Vnum primū efficiens omnium.*

Circa primum; ad videndum quòd sit vnum primum efficiens omnium, attendēdum est, quòd cùm causa det esse suo causato, necesse est vt habeat prius, & principalius esse, quàm suum causatum; per naturam igitur entis, oportet deuenire ad naturam causæ efficientis.

Vnitas entis, vt communis Deo & creaturæ, est analogiæ, & non generis.

Circa naturam entis est sciendum, quòd vnitas entis accepti largo modo, vt continet creatorem & creaturam, non est vnitas generis, sed est vnitas analogiæ: propter quod dicit Philosophus 3. *Met. text.* 10. quòd ens genus esse non potest; cuius ratio est, quia secundùm Aristotelem 4. *Topic. cap. 6.* differentiæ sunt extra naturam generis. Non enim est de ratione animalis, quòd sit rationale, vel quòd sit irrationale: quamuis diuisim necesse sit, vt sit hoc, vel illud; nihil autem est, quod sit extra naturam entis prædicto modo sumpti; quod enim extra tale ens est, nihil omnino est: ideò ens sic acceptum genus esse non potest; sed quoddam analogum est.

Vnitas generis quid? Vnitas analogiæ quid, & quomodo sumitur.

Vnitas autem generis, est vnitas prædicationis; quia natura generis reperitur in omnibus, de quibus prædicatur; vt patet in animali. Vnitas autem analogi, est vnitas attributionis; quare non est nisi duobus modis. Vel quia illa de quibus analogicum prædicatur, attribuuntur tertio, cui primò, & per se inest; vt sanitas dicitur de vrina, & cibo, per attributionem, & per comparationem ad animal, cui primò, & per se inest sanitas: vel quia vnum illorum, de quibus analogum prædicatur, attribuitur alteri; hoc est, vnum illorum, de quibus analogum prædicatur, recipit prædicationem eius, quia attribuitur alteri, de quo illud prædicatur. Sic ens prædicatur analogicè de substantia, & accidente; & accidentia non dicuntur entia, nisi per attributionem ad substantiam; hoc est, per se quod habent in substantia, & à substantia, iuxta illud, *Accidentis esse est in alio esse*, & 7. *Metaph text. 2.* dicitur, quòd *Accidentia non sunt entia sed entis:* nòn quòd accidentia de natura sua non habeant aliquam entitatem; sed quia illa entitas comparata ad entitatem substantiæ, quasi est quædam non entitas; & etiam actualiter esse naturaliter non habent, nisi ab esse substantiæ. Sicut etiam nostrum esse comparatum ad esse diuinum, quasi non est; sicut dicit Dionys. *cap. 1. de diuin. Nom.* ita quòd *esse* propriè, primò, & per se sibi conuenit.

Accidens non est ens, sed entis ens.

Ex istis duobus habeo, & quòd ens non est genus, quod patet per Philosophum, & per rationem; quia differentia est extra naturam generis, sicut rationale est extra rationem animalis, inquantum animal; alioquin omne animal esset rationale. Nihil autem est, nec excogitari potest, quod sit extra rationem entis, inquantum ens. 16.

Ens non est genus respectu omnium entium.

Secundò habeo, quòd analogum nunquam prædicatur de aliquibus, nisi quia illa reducimus ad terminum, de quo dicitur primò, & per se: vel quia de vno dicitur per naturam alterius.

Analogum quomodo prædicatur.

SCHOLIVM.

Quod hîc asserit Doctor de analogia entis respectu Dei, & creaturæ substantiæ & accidentis, non contradicit eis, quæ habet in 1. dist. 3. quæst. 2. §. Secundò non asserendo. *& quæst. 3.* §. Quod autem supposui. *& dist. 8. quæst. 5.* §. Contra istam positionem, *vbi docet ens respectu prædictorum esse vniuocum. Ipse enim primo loco citato*, §. Et ne fiat contentio de nomine, *declarat de qua vniuocatione loquatur, eámque minimè accipiendam esse in illo rigore, quo à quibusdam communiter explicatur, & vltimo loco*, §. Teneo opinionem meam mediam, *clarè docet cum huiusmodi analogia compati posse vniuocationem. Vnde iudicauerim controuersiam, quæ acriter agitatur circa hanc quæstionem de vniuocatione entis, facilè componi posse, modò explicentur termini, & benè percipiatur sensus Scoti, qui etiam dist. 3. quæst. 3.* §. Contra istam vniuocationem, *eadem docet, quæ hîc supponit pro fundamento huius analogiæ, nimirum ens non esse genus, & differentias esse extra naturam generis. De quibus autem differentiis loquatur, explicat ibidem*, §. Quantum ad primum dico. *Vide, si placet, Fabrum Theorem. 95. Neque his etiam contradicunt, quæ habet Doctor tractatu de Theorem. theorem. 9. num. 5. vbi consulendus est Scholiastes.*

Tunc arguo, propone, vel cogita duo entia, quæcumque vis, de quibus dices, quòd sunt entia prima; aut ens dicitur de illis æqualiter, non de vno per naturam alterius, nec de ambobus per naturam tertij: vnde hoc est impossibile; quia tunc ens esset genus, & prædicaretur vt genus, cuius contrarium ostendi: ergo prædicatur de illis per attributionem. Hoc autem non potest intelligi 17.

Non esse duo prima efficiētia probatur primò.

telligi nisi vno ex duobus modis vt dixi; vel quia vnum attribuitur alteri, hoc est, habet entitatem, vt accidens, à substantia: ergo non ambo sunt prima entia, sed illud primum propter quod aliud habet esse, vel prædicatur de illis; quia ambo attribuuntur tertio; vt sanitas de vrina & cibo; quia attribuuntur animali: ergo illud tertium est primum ens, & magis, quàm ista, quæ tu dixisti prima: ergo non possunt esse duo, vel plura æquè prima, & perfecta entia: ergo cùm non sit processus in infinitum in entibus, est dare vnum primum, & solum; igitur cùm ratio efficientis sequatur naturam entis, non possunt excogitari duo principia efficientia.

18. *Probatur 1.* Item, si sunt duo principia efficientia æquè prima, aut sunt similia, aut contraria: si similia, aut quodlibet per se est sufficiens ad principiandum omnia completè, per omnem modum; aut neutrum per se est sufficiens, sed ambo. Si primo modo, hoc omnino est mirabile, quia tunc omnino alterum superflueret: natura autem in quocunque effectu quantumcunque paruo, euitat superfluum: ergo minùs patitur superfluitatem in primis, & nobilibus principiis. Si neutrum per se est sufficiens: ergo quodlibet est incompletum in ratione principij: ergo neutrum est simpliciter primum: quia primum in quolibet genere est omnino perfectum secundùm rationem generis: sicut patet de virtute actiua, & generatiua in qualibet specie, semper primum simpliciter, debet esse simpliciter perfectum: si sunt contraria, tunc vnum impedit reliquum, ac per hoc neutrum est perfectum; quia quantò perfectius, minùs habet de resistentia.

19. *Probatur 3.* Item, homo, inquantum homo, gerit typum vniuersi; quia est minor mundus: est autem lux per animam rationalem; cùm igitur in anima rationali sit vnum primum mouens, scilicet voluntas; ergo, &c.

Probatur 4. Item, in quocunque genere est dare minus perfectum, & maius perfectum; est dare aliquod simpliciter perfectum; nam per comparationem ad illud dicuntur alia secundùm magis & minùs, vt dicit August. 8. *de Trinit. cap.* 3. Nunc autem in genere efficientium videmus tam intensiuè, quàm extensiuè, gradus in causis efficientibus; ergo est dare vnum, quod est primum & simplicissimum mensura aliorum, ac minimum etiam, quod non potest esse nisi vnum.

20. *Probatur 5.* Item, si sint duo simpliciter prima, aut quodlibet est tota causa cuiuslibet effectus, & tunc omnis effectus est duorum: aut non est tota causa; & tunc neutrum est simpliciter primum.

Probatur 6. Item, arguit Aristoteles 2. *Metaphys. text.* 5. *& deinceps*, in efficientibus ordinatis, si non est dare primum, non est dare medium, nec vltimum. Cùm enim de ratione efficientis sit mouere, si primum non mouet, nec secundum; quia non mouet nisi in virtute primi; & eadem ratione nec vltimum, si secundum non mouet: ergo si primum non mouet, nihil fit. Cùm igitur in causis (vt dicitur) non sit processus in infinitum, vt probatur 1. *Phys. text.* 35. *& deinceps*, quia cùm infinita non possint pertransiri, si aliquis effectus dependeret à causis infinitis ordinatis, nunquam produceretur: ergo si non est primum mouens, vel efficiens, nihil potest produci.

Aliqui dicunt rationem esse insufficientem; tum, quia non probat primum, nisi in efficientibus per motum, qualiter non agit causa prima: tum, quia non probat primum, nisi in vno ordine, qui autem poneret duo principia, poneret duos ordines causarum.

SCHOLIVM.

Sex rationibus probauit, in genere causæ efficientis deueniendum esse ad vnam simpliciter primam, ab omni alia independentem: & valde concordant cum iis, quæ habet tractatu de primo principio, c. 3. concl. 2. & in 1. dist. 2. q. 2. n. 11. & seq. vbi diffusè ista prosequitur.

Secundò, quòd sit dare vnum principium formale exemplare, sic apparet, secundùm illud, quod dicit Commentator super illud 2. *Metaph. text. com.* 17. *Quoniam autem in fundamento naturæ nihil est distinctum*; materia primò recipit formas magis vniuersales, postea magis particulares: & quia processus naturæ est de imperfecto ad perfectum, apertè patet quòd formæ materiales quantò magis vniuersales, tantò magis sunt imperfectæ. Oppositum tamen est in formis immaterialibus, & separatis; quia etiam formæ materiales, si possent separatæ existere, quantò vniuersaliores, tantò essent perfectiores. Quod patet, quia quantò vniuersaliores, tantò simpliciores; quantò simpliciores, tantò actualiores & perfectiores. Vnde sicut forma generis est simplicior quàm forma speciei, ita erit actualior, & perfectior: si ergo ipsum *esse*, esset abstractum per se existens, haberet in se omnem modum simplicitatis, & per consequens omnem modum actualitatis, & perfectionis: cùm ergo ens primum, sit ens per se subsistens, non contractum, quia aliter non esset omnino primum, sed abstractum ab omnibus, cùm sit causa omnium, vt ostendi: ergo modo simplicissimo cõtinet omnem perfectionem, quæ possit excogitari; ergo est causa formalis omniũ. Quod autem sic est simplex perfectum formaliter, plurificari non potest, quod patet sic: Vnitas, & veritas rei perfectiùs saluantur in primo cuiuslibet generis, quàm in aliis, cùm primum sit mensura aliorum; vt patet de caliditate in igne. Sed videmus quòd quælibet res habet singularitatem suam, quam habet per actualitatem suam, quæ & incommunicabilis aliis: ergo cùm in primo, sit maior actualitas, est etiam maior singularitas: ergo si hæc non potest communicari; ergo minùs singularitas actualitatis primi.

21. Vnum esse principiũ primum formale exemplare ostenditur. Materia primò recipit formas magis vniuersales. Probatio 1. Suprà, n. 1. Vnitas, & veritas perfectiùs saluãtur in primo cuiuslibet generis, quàm in aliis.

Item, tale ens sic separatum continet totam rationem entis; *totum* est illud, extra quod nihil est; ergo extra participationem illius, nihil est: sed si essent duo principia *esse* formalia, vnum non participaret aliud, & esset omnino extra aliud: ergo non possunt esse duo. 22. *Probatio 2.*

Item, plurificatio talium, non esset per relationes, vt in personis diuinis; quia vnum non esset ab alio, ex quo ambo sunt æqualiter prima: ergo per absoluta. Nunquam autem fit plurificatio per absoluta, nisi quia vnum illorum est altero perfectius: vt duæ species plurificantur sub genere, quia semper vna est perfectior altera; sicut in analogo, substantia & accidens sub ente, quia vnum est perfectius altero: vel quia ambo sunt imperfecta, vt duo indiuidua sub vna specie, quia neutrum claudit, vel haurit totam latitudinem speciei; quodlibet autem illorum entium omnino est perfectum, & æqualiter: ergo non possunt esse duo formalia æquè prima. *Probatio 3. In absolutis vnum est altero perfectius.*

Item, ad propositum impossibile, est quòd aliquis effectus cõsequatur aliquam perfectionem, inquan 23. *Probatio 4.*

inquantũ effectus talis causæ, qua caret sua causa. Non enim ignis generatus haberet caliditatem, vel leuitatem, si ignis generans ista non haberet; & si fortè habet effectus, hoc non habet vt est causatum illius, sed ab aliquo alio. Cuius ratio est, quia causa nobilior est effectu; nec agit vltra terminos perfectionis, quod faceret, si effectui aliud, quod non haberet, daret. Sed ostensum est quòd est vnum primum ens efficiens omnium: ergo illud continet in se perfectiones omnium.

Causa nobilior est effectu. Vide Scot. in 4. d. 12. q. 3. & d. 43. q. 3.

Probatio 5. Item, in quolibet genere est dare participans, & participatum, & per accidens, & per se: sed videmus quòd omnia entia secundùm maius, & minus, habent perfectiones formales: ergo est dare vnum ens, cuius perfectionem formalem omnia entia participant, sicut dicit de calido Aristoteles 2. *Metaphys. text.* 4.

24. *Probatio 6.* Ad hoc arguit Aristoteles 4. *Metaphys. text.* 15. *& deinceps*, inquirens veritatem principij, *De quolibet aut affirmatio, aut negatio*, dicens, quòd si est dare magis, vel minùs falsum; vt magis est falsum *quatuor esse mille*, quàm *quatuor esse quinque*; ergo est dare magis, & minùs verum: ergo per consequens & vnam primam veritatem. Vnde dicit quòd hoc principium, *De quolibet, aut affirmatio*, &c. est maximè verum: ergo secundùm hoc, oportet dare vnam primam veritatem formalem virtute continentem omnem veritatem; quia est forma omnium veritatum: veritas autem consistit in sua perfectione formali; ergo est vna veritas prima formalis omnium formalium perfectionum

SCHOLIVM.

Nullibi clariùs, aut diffusiùs agit de eminentia perfectionis, & ratione exemplari rerum creabilium in Deo, quàm in isto loco. Licèt enim in 1. dist. 2. quæst. 2. & tractat. de primo principio, cap. 3. conclus. 11. agat de triplici vnitate in Deo, scilicet efficientiæ, finis, & eminentiæ, leuiter tamen vltimam attingit. Obuiam aliqua perstringit 1. dist. 35. & distinct. 38. quæst. vnica: & in Reportatis iisdem locis, agens de diuinis Ideis. Vide etiam quodl. 7. & Metaph. lib. 7. quæst. 11.

25. *Primum principiũ est finis omnium.* Circa illud, quòd primum principium sit finis omnium,

Probatio 1. Totum vniuersum est ordinatum ad vnum vltimum finem. Patet primò per rationem Aristotelis 12. *Metaphysicæ, text.* 52. vbi dicit, quòd sicut exercitus ordinatur ad ducem; sic totum vniuersum est ordinatum, propter respectum ad vnum vltimum finem. Vnde sicut exercitus non esset vnus, nisi haberet vnum ducem, sic nec vniuersum esset vnum, nisi haberet vnum finem.

Probatio 2. Item, bonum & finis idem sunt, 3. *Metaphysicæ, text.* 3. sicut quantò aliquid plus habet de entitate, tantò plus de actualitate & perfectione, & per consequens de bonitate. Sed est dare vnum ens primum per se solum: ergo & vnum finem per se solum: sed ad per se omnia alia reducuntur; ergo erit vnus finis, ad quem reducantur.

Probatio 3. Item, extra infinitum in aliquo genere, nihil illius generis potest vltimò terminare; vt extra longitudinem infinitam, nulla longitudo: sed experitur mens rationalis, (cuius experimentum est principium omnis nostræ certitudinis) quòd non satiatur, nisi per bonum infinitum; ergo est dare bonum infinitum; ergo si terminet in infinitum, est per rationem infinitam finis: ergo cùm nihil sit, quod fine careat, aut sit extra participationem istius finis, sequitur, quòd omnia tendunt ad istum finem.

Est hæc sententia Augustini 8. *de Trinitate, cap.* 3. vbi dicitur, quòd *Deus non est alio bono bonus, sed est bonum omnis boni.* Anselmi *in Prosologio, cap.* 5. *Deus est quidquid est melius esse, quàm non esse.* Sic igitur patet quòd est vnum solum primum efficiens; quia vnum solum primum per se ens: quare vna prima sola causa formalis omnium, vnde est finis omnium.

SCHOLIVM.

In tractatu de primo principio, cap. 2. conclus. 4. & cap. 3. conclus. 7. & sequentibus largiùs probat competere primæ causæ effectiuæ causalitatem etiam finalem; quod etiam tribus probat conclusionibus in 1. dist. 2. quæst. 2. §. Iuxta tres conclusiones. Vide eundem quæst. 2. laterali prologi, num. 21. & in 4. distinct. 49. quæst. 8. num. 7.

Nunc restat videre quòd efficiens sit forma, & finis omnium: & hoc apertè colligitur ex prædictis sic; Impossibile est quòd effectus inquantum talis, participet aliquam perfectionem formalem, quam etiam non habeat efficiens eius causa: cuius causam dixi *suprà*, sed est dare vnum solum primum efficiens omnium (vt patet in primo articulo:) ergo illud necessariò participat perfectiones formales altiori modo, quàm habent in rebus: ergo quod est efficiens omnium, est causa formalis omnium. 26.

Primum efficiens, & primum formale idem. Probatio 1. Num. 23. Vide Scot. in 1. d. 2. q. 2. §. *Quantùm ad* 1. & d. 36. q. vn. § *Præterea sextò.*

Probatio 2. Item, finis & bonum sunt idem; sed impossibile est quòd aliquid habeat rationẽ omnis boni, nisi quod habet rationẽ omnis perfectionis; cùm perfectiones sint de genere bonorũ: ergo necesse est, quòd illud, quod est causa formalis exẽplaris omnium, sit causa finalis in genere bonorum; sed illud erat causa efficiens omnium, vt patet: ergo necesse erit, vt vnum, solum, singulare, summum, supremum ens, sit simul causa efficiens, causa formalis, causa finalis omnium: sed ostendi, quòd erat causa prima simpliciter omniũ, quæ est causa efficiens finalis, & formalis omnium: ergo à primo ad vltimum, vna sola causa prima simpliciter est.

Idem causa exẽplaris formalis, & vltimus finis omnium.

ARTICVLVS IV.

Eminentissima, & perfectissima ponenda est vnitas in primo rerum omnium principio.

Circa quartum, quomodo hæc causa prima habet singularem vnitatem. Circa quod sciendum, quòd triplex est conditio suæ vnitatis, à qua per defectum alicuius illarum conditionum omnis creatura procedit. Habet enim primò vnitatem substantiæ per omnem modum singularitatis; quia sua substantia nullam habet plurificationem. Vnde quia in substantia singulari possunt intelligi aliqua esse vnum secundùm gradus, quibus vnum eorum ab altero continetur; secundùm quòd vna magnitudo tripedalis continet in se bipedalem, & bipedalis magnitudinem vnius; hoc autem non est perfecta vnitas; ideò secundò est vnum, vnitate æqualitatis eorum, quæ sibi insunt; & hoc absque gradu, & inæqualitate eorum. Vnde quia talis vnitas adhuc non esset absque aliqua compositione, quia non compareretur perfectam vnitatem; ideò est etiam vnum vnitate simplicitatis absque omni diuersitate. 27.

Triplex conditio vnitatis primæ causæ.

28. Est ergo tripliciter causa prima vna; primò in ratione efficientis; secundò, in ratione causæ formalis exemplaris; tertiò, in ratione finis. Habet etiam triplicem modum vnitatis. Primus est vnitas substantiæ singularis. Secundus est vnitas seruans omnem gradum æqualitatis; potentia enim æqualis est scientiæ, & bonitati, & è contrario. Tertius est vnitas simplicitatis, tollens omnem diuersitatem, non distinctionem. Creaturæ autem è contrario procedunt ab eo sub ratione pluralitatis, sub ratione inæqualitatis, sub ratione compositionis. Sub ratione pluralitatis, quia in eis est mensura in naturis, & essentiis, secundùm gradus creationis, & essentiarum numeros. Sub ratione inæqualitatis, quia in eis est mensura in naturis & essentiis secundùm gradus perfectionis. Sub ratione compositionis, quia in omnibus est compositio, saltem ex esse & essentia: ex quo causatur pondus inclinationis ad casum dissolutionis: iuxta illud, Sap. c. 11. *Omnia fecisti in numero, pondere, & mensura.*

Tres modi vnitatis primæ causæ explicantur.

Creaturæ procedunt à prima causa, sub ratione pluralitatis inæqualitatis, & compositionis.

SCHOLIVM.

Breuiter & clarè in hac quæstione triplicem hanc vnitatem primi principij explicat: largiùs verò in primo Sententiarum, dist. 2. quæst. 2. vbi ex his ipsis rationibus, aliísque fundamentis probat in Deo dari triplicem primitatem efficientiæ, finis, & eminentiæ; & quæst. 3. per vias, seu rationes septem, probat dari in eodem perfectissimam vnitatem; eámque demonstrari posse naturali ratione indicat contra suum Magistrum Varronem.

Sic igitur dico, quòd causa prima simpliciter importat primitatem in genere efficientis, formalis, & finalis; & secundùm istos modos sit causa vna.

QVÆSTIO II.

Vtrùm à primo principio pluralitas, scilicet multitudo creaturarum, per se, & immediatè procedat?

Vide citatos quæstione antecedenti, Aristot. 4 *Metaph. cap.* 4. Varr. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. Henric. *quodlib.* 1. *quæst.* 7. & 8. Vide Doctorem *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. §. *Pro parte opposita.*

1. RESPONDEO. Circa istam quæstionem sic potest procedi. Primò, videndum est quid secundùm antiquos Philosophos est dicendum. Secundò, videndum est, quid secundùm veritatem Catholicam est tenendum. Tertiò ostendendum est, quòd Antiqui ex suis rationibus non possunt intentum suum, sed potiùs oppositum concludere. Quartò videndum est, per quem modum posset dictum eorum veritatem continere; quamuis non secundùm intentionem eorum.

Diuisio quæstionis.

ARTICVLVS I.

Quid senserint antiqui Philosophi circa processionem creaturarum à primo principio?

2. Circa primum, sciendum quòd videtur aliquibus, quòd Aristoteles fuerit huius opinionis, quòd ab vno principio simplici, propriè vniformiter se habente, non possit immediatè procedere nisi vnum. Vnde videntur hoc colligere ex illo 2. de Generatione, text. 56. *Idem inquantum idem, natum est semper facere idem.* Cùm igitur primum principium sit vnum, in quòd nulla cadit variatio, videtur quod non sit natum facere nisi vnum. Quod quidem verbum non concludit eorum intentionem; quia secundùm quòd dicit Auerroës in fine 3. cap. de Substantia orbis, Aristoteles ponit plura à Deo procedere.

Quid intellexerit Aristot. de creatione rerum.

Aristoteles 1. Metaphys. summa 2. c. 2. in principio, arguit contra antiquos, qui ponebant solam causam materialem in rebus, & negabant causam efficientem, & finalem. vnde dicit: Videmus in rebus sensibilibus mutationem fieri, nihil autem mouet seipsum, quemadmodum lignum non seipsum transmutat, vt fiat scamnum. Si autem agens, etiam finis est, nihil autem agit nisi propter finem: est igitur in rebus efficiens & finis. Igitur cùm ipse ponat finem efficienti correspondere, cùm Intelligentiæ moueant orbes propter primum, vt dicit; vt propter finem amatum & desideratum, sequitur quòd ipse sit causa efficiens Intelligentiarum. Vnde de mente Aristotelis fuit, secundùm quòd Auerroës exponit ipsum, quòd Intelligentiæ habent esse à primo, quamuis in modo, quo sunt ab eo, Aristoteles defecit; quia posuit eas ita habere esse à primo, quòd nec à se, nec per potentiam primi sunt in potentia ad non esse.

Sed de hoc non intendo modò perquirere. Nec Aristoteles per illud verbum, *idem inquantum idem*, &c. negat, quin ab eodem simul, & ab æterno possint procedere immediatè plura. Sed ex illo verbo videtur potiùs intellexisse, quòd ab æterno, & inuariabili, nihil nouum posset produci. Vnde videtur sentire Aristoteles, quòd quidquid processit à Deo immediatè, processit ab eo ab æterno: ita quòd si nouitas inueniretur in entibus, hoc esset attribuendum secundis causis, non primæ. Vnde ratio sua videtur esse, quòd si aliquod nouum à Deo procederet, necessariò aliqua mutatio, saltem quantum ad voluntatem, in Deo facta esset: & quia ipse semper est idem in nullo recipiens mutationem, vel innouationem; ideò ab ipso nihil nouum potest procedere. Non igitur illud verbum, *Idem inquantum idem*, &c. negat rerum pluralitatem immediatè procedere à Deo, sed videtur negare nouitatem. Quid autem secundùm veritatem senserit, non facilè constat: quia ponit quòd Intelligentia sit ingenerabilis & incorruptibilis, ac per hoc posuit, quòd non potest educi de materia, seu potentia materiæ; quia esse generabile, habet materiam per quam potest esse & non esse, & corruptibile: ponit etiam quòd sit forma corporis. 3.

Vide Arist. 2. de gen. animal. c. 3. & 2. de An. tex. 6. 7. 9. & 10.

Quærit autem 12. Metaph. cap. 3. text. 16. & 17. Vtrùm forma aliqua præcedat materiam? & dicit quòd non. Secundò vtrùm aliqua forma remaneat destructâ suâ materiâ? & dicit sic: *In quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus, omnem namque fortassis impossibile est.* Si igitur Intelligentia est forma corporis, & necessario à creatione, cùm non sit generabilis, nec est æterna, cùm non præcedat suam materiam: ergo videtur quòd ipse senserit, quòd etiam nouus effectus possit esse à Deo. Sed quidquid sit de hoc, ad minùs illud verbum non negat effectuum pluralitatem immediatè à Deo 4.

pro

procedere, sed fortè nouitatem, quod etiam falsum est, vt apparebit sequenti quæstione.

5. *Quid author libri de causis.* Auctor etiam lib. de Causis videtur sentire pluralitatem effectuum immediatè à Deo non procedere: vnde dicit quòd Deus creauit animam mediante Intelligentia, vt patet in commento tertiæ propositionis: si igitur anima, quæ inferior est Intelligentia, ergo pari ratione, inferior Intelligentia creata est mediante superiori, & sic vsque ad primam, quæ sola immediatè videtur esse à Deo.

6. *Mediatio duplex.* Sed dicendum est, quòd duplex est mediatio. Vna in operando, quoniam idem faber operatur cultellum per martellum. Verùm isto modo Deus non creauit animam mediante Intelligentia, sed per se immediatè. Alia est mediatio, quæ est quasi quidam ordo inter effectus, qua ratione Deus creauit aërem mediante igne; quare propinquiori modo participat completum esse, & aër remotiori. De qua propinquitate & distantia loquitur Aristoteles 2. de Generatione, text. 56. dicens: *Propter longè à principio distare, reliquo modo compleuit esse Deus, continuam faciens generationem.* Et isto modo creata sunt corporalia mediantibus spiritualibus, & anima mediante Intelligentia. Hæc tamen mediatio non tollit immediationem efficientis.

Anima facta mediante Intelligentia quoad operationes. Potest etiam dici anima facta mediante Intelligentia, non quoad substantiam, sed quoad operationes; inquantum ab Angelo potest recipere aliquas illuminationes, & perfectiones. Vnde dicitur in illo commento, quòd Deus posuit animam instrumentum Intelligentiæ: & isto modo inferior Angelus factus est mediante superiori.

7. *Opinio Auicennæ.* Auicenna veritati Catholicæ videtur maximè contrarius esse: nam 9. Metaphysicæ suæ, c. 4. vult quòd à primo principio non possunt esse plura, nec secundùm numerum, nec secundùm diuisionem. Est etiam positio Auicennæ talis. Vult quòd Deus, & Intelligentiæ, quidquid agunt, agũt per suum intelligere. Cùm igitur intellectus diuinus sit intellectus omnino primus, à nullo, ac per hoc simpliciter omnino, non habens actum, & potentiam, sed solam meram actualitatem, quæ est idem quod ipse. Ideò sicut suum intelligere est vnum, sic productum ab eo, non erit nisi vnum; scilicet prima Intelligentia. Illa etiam operatur intelligendo: non est autem simpliciter vt Deus; habet enim esse actuale vt est effectus Dei; habet verò possibile, vt est ab alio, non à se. Intelligitur igitur prima Intelligentia, inquantum intelligit se per suum actuale producere animam primi orbis: inquantum intelligit se per suum possibile producere corpus primi orbis. Et sicut prima Intelligentia, sic gradatim secunda tertiam intelligit, & producit: sic igitur tertia quartam; & sic de aliis vsque ad vltimam, quæ per defectum actualitatis non producit talia; sed est datrix formarum sensibilium. Hæc de primo.

Vide Scotũ in 4. d. 1. q. 1. §. Pro parte opposita.

SCHOLIVM.

Insanas has Ethnicorum commentationes, & alias plures, si quis videre voluerit, consulat Aristotelem 1. Metaphys. summa 2. & 3. per varia capita, eiúsque Commentatorem Auerroëm, necnon Scotum 4. dist. 1. quæst. 1. §. Pro parte opposita, *vbi latè refert, & impugnat opinionem Auicennæ, eiúsque fundamenta.*

ARTICVLVS II.

Statuitur veritas Catholica.

Circa secundum, quid scilicet secundùm veritatem Catholicam sit tenendum, ostenditur quòd à primo principio immediatè plura producuntur. 8. *Concl. Doct.*

Ad cuius euidentiam, est sciendum, quòd cùm primum principium, secundùm quòd ostensum est in præcedenti quæstione, num. 21. sit vnum simplicissimum; sequitur quòd de ratione sua habeat formalem plenitudinem ad se communicandum. Quod patet; quia enim singulariter est vnum (ita quòd, vt ostensum fuit, nec esse, nec intelligi possunt duo prima entia, æqualiter prima) ideò cùm summè sit vnum, erit summè primum. Sequitur enim: vnum præcedit multa; ergo quod habet vnitatem totaliter, ita quòd duo talia esse nõ possunt, habet totalem potestatem. Quantò autem aliquid magis est primum, tantò magis pluribus communicatur, eo modo communicationis, qui ei conuenit. Exemplum in materia prima simpliciter, respectu materiarum particularium. Exemplum in genere caliditatis in Sole, respectu causarum particularium. Simpliciter igitur primum, summè erit communicabile, eo genere communicationis, quo ei conuenit. Quia erit etiam simplicissimum, ideò actualissimum, ac per hoc potentissimum: ergo quod de se est summè primum, & summè simplicissimum, est summè primum potentissimum, & sui communicatiuum. Aut ergo communicabit se per productionem eiusdem in substantia; quæ dicitur communicatio intrinseca, vt in diuinis Personis: aut communicabit se producendo diuersum in substantia, quale datur in productione creaturæ.

Vide Doctorem in 1. d. 2. q. 7. §. Quia sicut dixi.

De hac igitur productione, & communicatione quæritur vtrùm immediatè se communicet, vel mediatè? 9.

Circà quod tria sunt videnda. Primò autem, medium tripliciter potest accipi, & secundùm hoc operatio mediata, vel immediata tripliciter potest etiam sumi. Est enim medium totaliter operans, qualiter dicit Auicenna, quòd Deus producit omnia mediante Intelligentia; etiam illa totam productionem facit. Est medium cooperans, qualiter dicitur, quòd Deus producit plantam mediante natura: quia actio illa est tota à Deo, & tota à natura. Est medium coadiuuans, sine quo non fieret, quamuis ab vno sit principaliter actio; qualiter dicimus, quòd corpus est medium in actionibus sensibilibus animæ; quia anima non videt nisi per oculum. Et isto etiam modo dicitur 2. Phys. text. comm. 22. quòd ars operatur mediante natura: vnde Medicus minister est naturæ. Propter quod dicit Philosophus 7. Metaph. text. comm. 23. quòd calor est pars sanitatis. Et sic patet quomodo actio potest dici mediata, vel immediata. *Operatio mediata, vel immediata, tripliciter dicitur.*

Secundò est sciendum, quòd est pluralitas vnitatem includens; sicut dicimus quòd participatione speciei plures homines sunt vnus homo. Est alia pluralitas vnitatem excludens; sicut dicimus, quòd plura principia essentialia eiusdem generis, non possunt esse immediata eiusdem rei; vt duæ animæ vnius hominis: sicut dicit Philosophus 1. Elenchor. cap. 13. quòd proportio pluries, non est proportio; quia eadem est ratio proportionis. 10. *Qua pluralitas vnitatem includit, & excludit.*

11. *Cõtraria sunt in triplici differentiâ.* Tertiò est sciendum, quòd quædam sunt contraria, quæ habent vnum subiectum commune, cui vicissim insunt, sicut dicitur *in lib. Prædicamentorum, cap.* 10. *text.* 3. *& 6.* quia *Contraria sunt, quæ maximè à se distant, & in eodem susceptibili vicissim insunt, nisi alterum insit à natura.* Alia sunt contraria, quæ vnum genus prædicabile immediatè diuidunt: & talia etiam sunt verè entia; quia genus de vtroque dicitur, sicut differentiæ genus diuidentes.

Alia sunt contraria, quorum vnum ab ordine debito alterius deficit; & sic dicimus vitia contraria esse virtutibus, & mala bonis.

12. *Conclusio.* Dico igitur, quòd plura possunt immediatè ab vno produci, productione extrinseca. Dico autem *plura immediatè*, quia sine medio totaliter operante: si enim producere animam, vel Intelligentiam per suam potentiam Deus per se non posset, omnipotens non esset, nec in fine nobilitatis. Cuius contrarium dicit Aristoteles in 11. *Metaphysicæ*: *Deus*, inquit, *est vnus in fine nobilitatis, æternus.* *Deus producit creaturas absque vllo medio.*

Dico etiam *immediatè*, quòd sine medio coadiuuante; quia tale medium ponit in principali agente insufficientiam; sicut patet in medicina, quâ natura indiguit, tanquã medio coadiuuante.

Dico etiam *immediatè*, quia licèt aliqua producat mediante agente creato cooperante: tamen in principio mundi plura produxit absque tali medio. Creatura enim non cooperatur nisi dum est; ergo in his primis, quæ simul produxit, creatura cooperari non potuit.

Dico autem *plura*, quæ vnitatem includunt, quale est vniuersi; quia plura quæ vnitatem excludunt, fieri non possunt; quia tunc faceret, quòd homo, non esset homo: isto enim modo eadem est definitio hominis, & vnius hominis.

13. Dico autem *contraria*, quæ primo & secundo modo considerantur, non tertio modo; qualia sunt vitia & mala, & huiusmodi.

Et ostendo triplici via, quòd Deus immediatè plura diuersa contraria, modo supradicto, possit producere, & producit animas omni die. Primam viam accipio ex parte producentis; secundam ex parte modi producendi; tertiam ex parte rei productæ.

Ex parte Dei accipio viam, secundùm diuersam rationem entis: secundò, secundùm rationem etiam intellectualitatis.

1. Probatio conclusionis ex parte producentis. Ex primo sic arguo: in rebus omnibus hoc vniuersaliter inuenitur, quòd sicut se habent ad esse, ita se habent ad agere: vt quod habet esse calidum, calefaciat; quod esse frigidum, frigefaciat, quod esse humanum, hominem generet: igitur si est aliquid, quod in se claudit rationem omnis esse, illud habet vim producendi omne esse: sicut si aliquod idem esset calidum, & frigidum, posset generare per se calidum, & frigidum: sed Deus (vt ostensum fuit in præcedenti quæstione, & omnes concedunt) claudit in se omnem rationem perfectionis, altiori modo, quàm sit in creaturis: ergo potest producere quidquid producunt omnes creaturæ, & modo altiori, & etiam plura: quia nunquam creaturæ hauriunt omnes modos essendi, qui sunt in eo; igitur si Deo nullum esse deficit, quod altiori modo non participat; omnia quæ habent quocunque modo rationem entis, potest producere immediatè. Et ista est causa, quare sola contradictoria à Deo non possunt fieri; quia non claudunt aliquam rationem entis. *Num. 26. & seqq.* *Vide Scot. in 1. d. 42. q. vn. & quodl. 7.*

Ex secundo sic arguo: Deus (vt statim dictum est) cùm habeat infinitam rationem perfectionis, est imitabilis ab omni creatura facta, vel factibili; nec omnes, etiamsi essent infinitæ, exhauriunt gradus imitationis ex parte Dei; quamuis omnes creaturæ secundùm varios gradus eum imitentur. Diuina igitur essentia, vt est imitabilis à singulis creaturis, secundùm varios modos suscipit rationem multiplicationis exemplaris, & distributionis idealis: ita quotquot sunt ab illo producibilia, tot sunt propriæ rationes producendorum in Deo: quia singula propriis rationibus sunt condita, vt dicit Augustinus *lib.* 83. *qq. quæst.* 46. Vnde dicit, quòd non eadem ratione conditus est homo quâ equus; hoc enim absurdum est æstimare. Et subdit *ibidem*: *Singula igitur propriis sunt data rationibus.* 14. *Scot. in 1. d. 35. & 36.*

Ex his omnibus patet, quòd omnia comparantur ad Deum, vt artificialia ad artificem: propter quod dicit Sapiẽs, quòd *Omnium est artifex, omnem habens virtutem.* Et August. *lib. 6. de Trin. c. vlt.* quòd *Verbum est ars plena rationũ viuentium, & incommutabilium.* Sicut per formam determinatam, igitur agens naturale quam habet, vnũ determinatè producit, vt ignis ignem: & si duas formas agentes haberet, duo produceret, quamuis per diuersa principia; vt si esset calidum, & frigidum, calefaceret, & refrigeraret: sic agens per intellectum, secundùm diuersitatem formarum, quas habet in se, diuersa potest producere. Vnde quia habeo ideas harum literarum, *A. B. C.* & sic de aliis, ideò omnes literas possum facere. Cùm igitur Deus, vt dixi, omnes factibiles ideas apud se habeat, omnia immediatè potest producere. 15. *Sap. 7.* *Vide lib. 11. de Ciu. Dei, c. 29.*

Secunda via est ex parte modi producendi. Sic arguo; in ordine agentium videmus, quòd quantò maioris sunt actualitatis, tantò in sua actione minori indigent fulcimento. Vnde Angelus absque corpore posset facere domum; alioquin non posset formare corpus: sed hoc non potest homo. Similiter potentiæ sensitiuæ indigent organis determinatis; non autem Intelligentiæ, quæ sunt actualiores. Similiter ars supponit aliquid, quod non supponit natura. Et è contrario; quantò deficit ab actualitate, tantò indiget maiori fulcimento. Igitur cùm secunda Intelligentia cadat, secundùm Auicennam 9. *Metaphysicæ, cap.* 4. ab actualitate primæ, indiget necessariò aliquo, in quo operetur: non ergo de nihilo aliquid facit. Igitur si producit aliam Intelligentiam, aut de diuina essentia; quod esse non potest; quia sic simpliciter se totam communicaret, vt ponimus in personis; & tunc illa esset Deus, sicut Filius Dei: aut de se, & tunc, vel de tota substantia; & tunc cùm sit indiuisibilis, essent vna duæ. 16. *Probatio 2. Ex parte modi producẽdi.* *Vide Scot. in 4. d. 1. q. 1. §. Pro parte opposita.*

Item, modus agendi sequitur modum formæ actiuæ, quantum ad perfectionem; nunc autem agere necessariò per medium, est cuiusdam imperfectionis; sicut patet tam de medio totaliter operante, quàm de medio coadiuuante, quàm etiam de medio cooperante. Quamuis Deus agat per medium cooperans, opera naturæ, si hoc faceret necessariò, ita quòd non posset per se facere pomum sine arbore, imperfectus omnino esset. Cùm igitur virtus diuina sit in complemento omnis perfectionis sicut substantia eius, modus etiam erit completus: ergo non indigebit medio. 17.

Item, posset adduci ratio ex parte finis; experimentum 18.

mentum enim naturale à nullo negari poteſt, cùm ſit principium omnis ſcientiæ, & certitudinis. Experitur autem quælibet rationalis anima, quòd eius appetitus tendit in bonum infinitum, nec alio poſſet totaliter ſatiari. Vnde Auguſtinus *lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 1. *Quia feciſti nos ad te, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Cùm igitur finis, & efficiens ſint correlatiua; quia omne agens agit propter aliquem finem; ſi omnis creatura rationalis tendit in primum, vt in finem immediatum, ſequitur quòd ſit ab ipſo, vt ab efficiente immediato.

SCHOLIVM.

Dari hanc experientiam in nobis tendentiæ, ſiue appetitus naturalis ad bonum infinitum, docet etiam Doctor hoc tractatu quæſt. 3 *.num.* 11 *.& de primo principio cap.* 4 *. concl.* 9. §. Sexta via. *& in* 1 *. diſt.* 2 *. q.* 2. §. Tertia via. *Neque his contradicit, quod ſcribit q.* 1. *Prologi, quòd ſcilicet, nullos actus experimur, nec cognoſcimus ineſſe naturæ noſtræ in ſtatu iſto, ex quibus cognoſcamus viſionem ſubſtantiarum ſeparatarum eſſe conuenientem nobis, neque poſſe nos naturaliter cognoſcere diſtinctè, quòd iſte finis ſit conueniens noſtræ naturæ. Hic enim loquitur de clara & diſtincta cognitione huiuſmodi tendentiæ in vltimum finem, quæ perfectè haberi non poteſt, niſi diſtinctè cognoſcatur ipſe finis, & vt intuitiuè cognoſcibilis à potentia. Ita Lichetus hic. Poſſet tamen aliquis dicere Scotum non aſſeueranter, ſed probabiliter, & opinatiuè locutum eſſe in illa quæſtione prologi: cùm enim videret multa poſſe contra illam doctrinam obiici; ſubdit.* [*Hoc ſaltem certum eſt, quòd quædam conditiones finis, propter quas eſt appetibilior, & feruentiùs inquirendus, non poſſunt determinatè concludi ratione naturali. Etſi enim daretur quòd ratio naturalis ſufficeret ad probandum, quòd viſio nuda, & fruitio Dei eſt finis hominis, tamen non concluderetur, quòd illa perpetuò conueniat homini perfecto in corpore, & anima.*]

19. Item, ſuppono quòd Deus immediatè res conſeruat, cum Gregorio *lib.* 16. *Moral. cap.* 16. qui dicit, quòd *cunctorum eſſentiæ ad nihilum tenderent, niſi eas conditor omnium manu regiminis retineret.* Hæc autem conſeruatio eſt immediata, quia ſi per animam, cùm illa etiam ſit de nihilo, indiget conſeruari, & erit proceſſus in infinitum; vel ſtabitur, quòd aliqua immediatè conſeruat, & qua ratione illam, eadem ratione alias, cùm in omnibus ſit eadem cauſa annihilationis; quia ſcilicet ſunt de nihilo. Nunc autem nos videmus quòd effectus ab illis immediatè producuntur, à quibus ſolùm & totaliter conſeruantur: vt patet in lumine Solis. Vnde dixi *ſolùm & totaliter*, quia aliqua ſunt aliquo modo, vel ab aliquo genere corruptionis præſeruantiæ, quæ tamen non producunt illa, vt myrrha corpora ne putreſcant.

20. *3. Probatio concluſionis ex parte rei productæ.* Tertia via, ſcilicet ex parte rei productæ, ſimiliter hoc concluditur, & patet ſic, ſecundùm Philoſophum 2. *Phyſicor. text.* 38. qualis ordo eſt in cauſatis ſecundùm rationem prioris & poſterioris, talis ordo eſt in cauſis, quòd *vniuerſalium ſunt cauſæ vniuerſales, & particularium particulares.* Nunc autem ita eſt, quòd inter omnes effectus, qui ſunt in creaturis, eſſe habet rationem magis vniuerſalis & prioris: vnde omnia præſuppo- *Proculus.* nunt eſſe, re, vel ratione; & innituntur ei. Vnde Commentator ſuper quartam propoſitionem de cauſis, in qua dicitur, *Prima rerum creatarum eſt eſſe*; deinde, *& non eſt poſt eam aliud, nec etiam prius creatum ipſo.* ſicut igitur vnus effectus alium præſupponit, & illi innititur; ſic etiam eſt in cauſis, quòd vna præſupponit aliam; & omnes præſupponunt primam, & illi innituntur, ſicut dicit 17. *propoſitio de Cauſis. Omnes virtutes quibus non eſt finis, pendentes ſunt per infinitum primum, quod eſt virtus virtutum.* Si igitur effectus habent reduci ad cauſam ſimpliciter primam, quæ nulli innitatur, ſed omnis effectus rationem eſſendi participat; ergo Deus immediatè omnem effectum producit: nec iſta immediatio tollit medium cooperationis. Et videtur etiam ille dicere de cauſis, quando dicit, *Quòd eſt eſſe per creationem, cætera verò per informationem.*

Ex iſta deductione patet, quòd idem effectus eſt totus à Deo, & totus à natura; ſed ſub alia, & alia ratione: nam ſub ratione vniuerſali & prima, eſt à Deo; ſub ratione poſteriori & particulari, eſt totus à natura, vel ab arte. 21. *Idem effectus eſt totus à Deo, & totus à natura.*

Attendendum eſt etiam, quòd ex hoc non ſequatur, quòd quandocunque datur nouum aliquid, quod ſit noua creatione: quia *eſſe* quod per generationem accipitur, ſupponit naturam; *eſſe*, quod per nouam creationem accipit, nihil præſupponit. Sed pro tanto habet veritatem deductio; quia nullus eſt effectus de nouo productus, cuius aliquid non præexiſtat, quod eſt à creatione; aliter ſi nihil eius præexiſteret, illud de nihilo fieret.

Ex his igitur patet, quòd ſicut nulli creaturæ communicari poteſt, quòd ſit cauſa prima, & quòd non innitatur alteri cauſæ; ſic nulli creaturæ communicari poteſt, quòd attingat effectum primum, qui eſt eſſe; quamuis attingat tale eſſe præſupponendo ſemper eſſe. 22.

Ex his patet, quantum, & in quibus omne agens factum dependet à prima cauſa. Natura enim cùm ſit virtutis finitæ, non agit de nihilo, ideò præſupponit materiam. Et voco hîc *naturam* omnem virtutem creatam. Rurſum, actio naturæ non poteſt attingere materiam, niſi per virtutem alterius alicuius actionis, mediante qua attingit materiam. Cuius ratio eſt, quia ſicut natura non eſt agens primum, ita non poteſt primò materiam attingere. Auxiliatur ergo Deus in duobus omni agenti; primò, producendo materiam de qua agit, vel in quam; ſecundò, attingendo per ſe, & primò, materiam, vt ſic actio creaturæ illi actioni innixa, poſſit attingere materiam, cui ſi appodiata non eſſet, nunquam materiam attingeret: ſicut nec effectum produceret, ſi aliquid de illo non præexiſteret. Hæc eſt ſententia Commentatoris, ſuper illam propoſitionem primam de Cauſis; vbi dicit, quòd *plus influit cauſa prima, quia citiùs actionem figit*; & multa talia, vt ibi patet. *Actio naturæ non poteſt attingere materiam, niſi per virtutem alterius actionis. Deus omni agēti in duobus auxiliatur.*

Item, formæ priùs recipiuntur inquantum ſunt vniuerſaliores, & ſic procedunt ad formas magis particulares, proceſſus autem eſt de imperfecto ad perfectum: igitur quantò tales formæ ſunt vniuerſaliores, tantò ſunt imperfectiores, vt forma generis, quàm forma ſpeciei: ergo cùm *eſſe* ſit vniuerſaliſſimum, quod poteſt excogitari, ratio ipſius *eſſe* vt eſt receptum, vel productũ, eſt ratio imperfectiſſima, quamuis vt ens per ſe, non receptum, nec creatum, & inquantum ens non contractum ſit perfectiſſimum, vt oſtenſum fuit in præcedenti quæſtione; & ratio ibi eſt dicta. Nunc autem certum eſt, quòd vnumquodque agit inquan 23. *Forma quātò vniuerſaliores, tantò imperfectiores.* Num. 21.

inquantum est in actu, & perfectum, non autem vt est imperfectum: ergo creatura nihil aget inquantum est ens, sed inquantum tale ens; vt homo, vel asinus: alioquin materia prima esset actiua, quæ habet rationem entis. Si igitur creatura non potest esse causa alia, inquantum est ens, sed inquantum est tale, sequitur quòd esse non est effectus alicuius creaturæ, sed tale esse.

Creatura nihil agit inquãtum ens, sed inquantum tale ens.

24. Nec valet si dicas: ergo si ratio entis est imperfecta; ergo Deus, inquantum ens, non agit: ergo esse non est effectus Dei. Non valet, inquam, quia esse diuinum non est receptum, neque participans, sed separatum & per se existens; & per hoc ratio entis in Deo est ratio perfectissima. Ideò cùm quodlibet agat secundùm rationem perfectam, & Deus agit vt est ens: ideò ens, inquantum ens, est effectus Dei: ratio autem entis creati habet contrarium, sicut dixi.

Deus agit inquantum ens.

Item, illud quod competit triangulo, inquantum triangulus, competit omni triangulo: ergo id quod est causa entis, inquantum est ens, est causa totius entis: hæc autem creaturæ competere non possunt, quia tunc esset causa suiipsius: ergo nec est causa entis, inquantum ens.

25. Si obiicias, ergo nec Deus; quia esset causa sui. Non valet, quia cùm dicitur, quòd illud solùm est causa entis, inquantum ens, quod est causa totius entis, hîc accipitur totum ens, pro ente creato, quale est omnis creatura, non autem Deus. Ideò sequitur, quòd creatura esset causa sui: non autem sequitur quòd Deus sit causa sui.

Ex his omnibus patet, quòd cùm omnis effectus creaturæ, quantumcunque nouus, aliquam entitatem præsupponat; alioquin esset de nihilo: quæ quidem entitas simul cum illo, quod de nouo producitur, efficit effectum integrum; necesse est dicere quòd Deus omnem effectum immediatè producat: nec talis immediatio tollit cooperationem, vt dixi.

SCHOLIVM.

Omnes fermè rationes, quas hîc adducit Doctor, vt probet primum principium posse plures creaturas immediatè producere, attingit in 1. dist. 2. quæst. 2. & quodl. 7. vbi illarum vim, & efficaciam accuratiùs expendit.

ARTICVLVS III.

Inefficaces esse Auicennæ rationes, quibus probare nitebatur ab vno principio non posse plures creaturas immediatè procedere.

26. Circa tertium, quòd Auicenna ex suis rationibus non concludit propositum, sed potiùs oppositum. Dixit enim Auicenna (vt iam patuit) quòd cùm causa prima, intelligendo se esse causam primam, producat primam Intelligentiam; si in hac Intelligentia esset diuersitas, oporteret necessariò ponere aliquam diuersitatem in essentia causæ primæ. Ex quo concludit, quòd primum, quod solùm est à causa prima, est vnum numero, & eius essentia, & quiditas est vnitas non numerata; ita quòd ab ipso non procedunt plura, nec secundùm numerum, nec secundùm diuisionem. Vocat *plura secundùm diuisionem*, quando in vno numero sunt plura principia, vt corpus, & anima in homine.

27. Primò ex verbis suis contra ipsum arguitur. Secundò, ostenditur quòd deductio sua procedat ex falsa imaginatione. Quòd enim plura secundùm numerum immediatè à Deo procedant, ex ratione sua sic ostenditur: Auicenna enim, (& benè quantum ad hoc) ex actione inuestigat substantiam: quia verum est, quòd sicut res se habet ad agere, ita ad esse, & è contrario. Vnde ipse dicit 9. *Metaph. cap.* 4. *Quidquid agit actionem suam, non indigens materia, ipsum per seipsum non est indigens materia.* Et est intellectus verbi, quod agens, quòd de necessitate non præsupponat materiam ex qua, vel in quam agat, per seipsum non est indigens materia; hoc est, non habet materiam partem sui: sed omnino est immateriale; & è contrario, si habet materiam partem sui, indiget materia, in quam agat.

Arguitur 1. contra Auicennam.

Tunc arguo: quidquid habet admixtum possibile cum actuali & formali, in sua substantia; ita quòd sicut esse illius præsupponit possibile, in quo fundatur suum formale: ita actio eius præsupponit quid possibile in quo fundatur: sed Intelligentia prima, (vt ipse inducit,) cùm cadat ab actualitate causæ primæ, habet esse mixtum ex potentiali & actuali: ergo impossibile est quòd aliquid agat de nihilo. Cùm ergo secundùm Auicennam eodem libro, vbi *supra*, Intelligentiæ sint multæ, & animæ cœlorum multæ, nec Intelligentia, vel anima sit de materia (quia tunc sicut essent generabiles, essent & corruptibiles, quod ipse negat) ex dictis suis sequitur, quòd nulla creatura aliquam Intelligentiam, vel animam potest producere: sed multæ sunt, & productæ, vt dicitur, à causa: ergo à prima immediatè. Patet ex dictis suis. Quæro enim ab eo, vtrùm Intelligentia prima, claudat in se aliquam pluralitatem? si dicit quòd non; ergo non producit tertiam, cuius contrarium dicit, quòd intelligendo se Deum, producit secundam Intelligentiam; intelligendo suum formale, producit animam primi cœli: intelligendo suum possibile, producit primum cœlum: ergo oportet quòd suum possibile, & formale differant, sicut anima cœli & cœlum. Si autem est in secunda Intelligentia vera pluralitas; ergo in prima causa est vera, & realis pluralitas: quia dicit quòd non procedit ab vno, nisi vnum. 28.

Quòd autem opinio sua ex falsa imaginatione procedat, probatur; vult enim (vt patet,) quòd Deus solùm intelligendo, & modo naturali assimilando sibi, res perfectiores producat: quæ omnia sunt falsa. Non enim solùm per modum intelligentiæ, sed per modum gratuitæ voluntatis expressiuæ, & effectiuæ artis, & immensæ potestatis, de nihilo omnia creauit: nec fluunt ab eius essentia, vt dicit, nec in perfecta conformitate: sed in aliquo similes, in multo dissimiles; vt dicit Augustinus 11. *Confession. cap.* 4. inquiens: *Tu ergo Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim; nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt; scimus hæc, gratias tibi, & scientia nostra tuæ scientiæ comparata, ignorantia est.* Per modum autem puræ Intelligentiæ & se dicentis, producitur expressa eius similitudo, & perfectum verbum Dei Filius: de quo quia perfectum est, & non de nihilo, quia Dei Patris substantia est, sequitur optimè, quod dicit Auicenna, quòd ab vno sic intelligente, non est nisi vnum dictum, 29.

2. Arguitur cõtra Auicen.

vel

vel verbum; ſicut dicit Auguſtinus 15. *de Trinit. cap.* 14. Vnde quidam Philoſophi, (vt Porphyrius) magis quàm Auicenna ad veritatem videntur appropinquare, ponentes aliqualiter iſto modo ab vno vnum procedere. Vnde dicit Auguſtinus *lib.* 10. *de Ciuit. Dei, cap.* 23. quòd Porphyrius duo principia dixit, Deum Patrem, intellectum, vel paternam mentem: verba tamen eius poſtea corrigit Auguſtinus *ibid.* eo quòd dixerat duo principia. Secundò eſt deceptus Auicenna, quòd poſuit differentiam, & diuerſitatem productorum penes efficiens principium, quod non eſt verum: ſed potiùs penes ſua principia formalia, & penes ſuas eſſentias. Vnde ignorauit tunc virtutem creaturæ; quia intellectus creatus intelligendo nihil producit; alioquin quidquid poſſet intelligere, poſſet producere.

Diuerſitas productorum penes principia formalia attenditur.

Intellectus creatus intelligendo nihil producit.

ARTICVLVS IV.

In quo ſenſu ſaluari poßit Auicennæ aſſertio.

30\. Circa quartum, quomodo ſcilicet verbum Auicennæ poſſet continere veritatem: eſt ſciendum, quòd ratio immediationis poteſt referri ad tria, vel ad ordinem rationum, vel ad ordinem perfectionum, vel ad ordinem agentium. Si referatur ad ordinem rationum, ſic eſt verum, quòd ab vno non procedit niſi immediatè vnum. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quòd ſicut habere tres angulos eſt propria ratio trianguli, vt eſt triangulus; non autem vt eſt principium omnium figurarum multilateralium: ita quòd ſi aliquid eſt propria paſſio alicuius rei, ſecundùm vnam rationem, quod non poteſt eſſe propria paſſio eius ſecundùm aliam rationem: ita impoſſibile eſt vt ab eodem ſubiecto ſecundùm eandem rationem productiuam duo æquè immediatè fluant, vel producantur. Nam ſi vnum eſt agens, & vna eſt ratio producendi, oportet quòd vnum tantùm immediatè producatur. Ad rationes ergo productiuas rerum, res productæ habent talem ordinem, quòd ſecundùm vnam rationem ab vno productiuo, non poteſt immediatè niſi vnum produci. Verificatur ergo verbum Auicennæ, ſi immediatio referatur ad ordinem rationum: ſi autem referatur immediatè ad ordinem perfectionum, ſimiliter eſt dicendum.

Ratio immediationis poteſt referri ad tria.

Ab vno productiuo ſecũdùm vnã rationem non poteſt immediatè niſi vnum produci.

31\. Ad cuius euidentiam, eſt ſciendum, quòd in habentibus ordinem eſſentialem (cuiuſmodi ſunt ſpecies) in vniuerſo non eſt dare duas ſpecies æqualiter diuinam perfectionem participantes; ſed vna ſecundùm gradus perfectionis eſt Deo propinquior alia: ſecundùm quem modum de propinquo, & remoto, loquitur Ariſtoteles *in fine* 2. *de Generatione, text.* 56. dicens: *Propter longè diſtare à primo, eſt generatio, & corruptio in rebus.* Vndè generabilia ſunt magis iſto modo à Deo remota, quàm corpora cœleſtia, & corpora cœleſtia, quàm anima rationalis; & anima rationalis, quàm Angelus; & ſic de ordinibus Angelorum, elementorum, & aliarum ſpecierum, vſque ad materiam, quæ & ſummè à Deo diſtat; ſicut Angelus maximè appropinquat. Secundùm quem modum videtur loqui Auguſtinus de propinquo & remoto 12. *Confeſſ. c.* 7. dicẽs: *Duo* (inquit) *Domine feciſti, vnum propè te,* (vt Angelum) *aliud propè nihil:* (vt materiam.) Et ſi vera eſſet etiam opinio illorum, qui dicunt in vna ſpecie Angeli, non poſſe eſſe niſi vnum indiuiduum, impoſſibile eſſet dare duos Angelos æquè perfectos; quod tamen falſum eſt: quia Deus poſſet tales facere, etiamſi fortè non fecerit. Ideò *ſuprà* dixi in habentibus ordinem eſſentialem, quem ordinem habent ſpecies rerum: non autem indiuidua ſub vna ſpecie, ſecundùm Commentatorem 3. *Metaph. text.* 49.

Duæ ſpecies inæqualiter diuinam perfectionẽ participant.

Generabilia ſunt magis remota à diuina perfectione.

S. Thom. 1. p. quæſt. 50. art. 4.

32\. Tertio modo, hæc immediatio poſſet referri ad ordinem agentium, ſicut intellexit Auicenna modo ſupradicto: & iſto modo (vt iam patuit) dictum ſuum eſt omnino falſum, erroneum, & omni ratione vacuum.

Dico igitur quòd creaturæ producuntur à Deo immediatè per modum gratuitæ voluntatis, quia nullo exteriori afficitur, ſiue modo, ſiue fine: nam *Omnia propter ſe operatus eſt*, Prouerb. 16. Et per modum effectiuæ, & expreſſiuæ artis, quæ nullo exteriori formatur; ſed ſeipſam per varietatem idearum, quæ ſunt idem quod ipſa, plura differentia, & contraria repræſentant, & *Omnia vnum ſunt in ea:* ſicut dicit Auguſtinus 6. *de Trinitate, cap. vltimo.* Hæc eſt ars de qua dicitur in Pſalmo 103. *Omnia in ſapientia feciſti:* & omnia per ipſum facta ſunt, per modum immenſæ poteſtatis, quæ nec extrinſeco iuuatur. Ideò dicitur Sapientiæ 12. *Subeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.* De his tribus item Hugo *lib.* 1. *de Sacramentis, part.* 2. *cap.* 6. *Voluntas* (inquit) *mouet, ſcientia diſponit, poteſtas operatur.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm primum principium abſque ſui mutatione poſſit nouum effectum producere?

Alenſ. 1. *part. quæſt.* 53. *mem.* 4. *artic.* 2. S. Thom. 1. *part. quæſt.* 13. *artic.* 7. Bonauent. *in* 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 2. *&* 3. Henricus *quodl.* 7. *quæſt.* 1. *& quodlib.* 9. *quæſt.* 1. Durandus *hîc quæſt.* 3. Mayron *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Suarez 1. *p. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. Conimbr. 8. *Phyſ. cap.* 6. *quæſt. vnic.* Vide Doctorem *in* 1. *diſt.* 5. *&* 30. *& de primo principio, cap.* 3. *concl.* 6.

CVM quæritur: vtrùm primum principium abſque ſui mutatione ſit, vel eſſe poſſit cauſa nouæ creaturæ, vel noui effectus? Dico quòd prætermiſſis erroribus plurium antiquorum, & modernorum, qui non potentes videre, quomodo à principio immutabili, agente per intellectum, & voluntatem, nouum aliquod poſſit produci, niſi in eo noua cogitatio, ſiue noua voluntas oriatur: ideò cùm ſit quoddam immobile ſimpliciter, ad quod omnia alia habent reduci; ac per hoc modis omnibus immobile, & ipſum medium, & omnes nouos effectus ad agentia particularia mutabilia reduxerunt. Horum rationes, & rationum improbationes nunc omitto, eo quòd in quæſtione de æternitate mundi ſingulariter habent locum. 1.

Ad quæſtionem igitur reſpondeo, quòd primum principium poteſt tripliciter conſiderari. Primò, vt eſt quoddam perfectum ens in ſe. Secundò, vt eſt quoddam habituale principium creaturæ, ſub ratione efficientis, formalis & finalis. Tertiò, vt eſt actuale principium totius, aut alicuius creaturæ: & ſi pluribus modis conſi- 2.

Primũ principium tripliciter conſideratur.

considerationi alicuius occurrat, æstimo, & certum est, quòd isti alij modi ad istos tres modos congruè possunt reduci.

Diuisio quæstionis. Est igitur in hac quæstione sic procedendum, vt secundùm artem Philosophi, 1. Physicorum, cap. 3. text. 4. ab vniuersalibus ad specialia veniamus. Primò ostendam, quòd primum principium, vt quoddam ens perfectum in se consideratum, nulli motui, aut transmutationi subiiciatur. Secundò, hoc idem, in quantum est habituale principium creaturæ. Tertiò verò quod in speciali quærit quæstio; quòd nec in quantum actuale est principium alicuius nouæ creaturæ.

ARTICVLVS I.

Primum principium, vt est ens perfectum, nulli subiacet mutationi.

3. *Conclusio.* Circa primum, quòd nulla cadat in eum mutatio, vt est quoddam ens perfectum in linea entium, vt ens, quod necesse est independens esse, satis patet; primò ratione; secundò auctoritate concordante rationi; tertiò similitudine.

Cõclusio probatur ratione. *In primo principio nulla mutatio.* Ratione, quoniã ostensum est in præcedentibus quæstionibus, quòd oportet dare vnum primum simplicissimum actualissimum: quo supposito, sic arguo: Impossibile est, vt quidpiam ab aliquo genere mutationis, siue sumatur propriè, siue Metaphysicè, moueatur, vel possibile sit moueri, nisi aut aliquid acquirat, vel intelligatur posse amittere, vel totaliter nouum esse acquirat, vel totale sui amittat. Quinimmò etiam corpus Christi sub Sacramento, etsi nullo genere mutationis moueatur, acquirit tamen nouam præsentiam, vt verum sit dicere, quòd nunc est, vbi priùs non erat: sed primum omnino simpliciter, & actualissimum principium neutrum istorum, nec actu, nec potentia admittit: ergo nullum genus mutationis in illud cadit, nec potest intelligi vt cadat. Maior patet, eo quòd omnis mutatio est à termino in terminum, &c. Probatio minoris: ens quod est infinitæ actualitatis, re, & intellectu, non potest ad aliquam vlteriorem perfectionem moueri, vel intelligi moueri; quia tunc non esset re, & intellectu in fine actualitatis: nihil enim mouetur ad id quod est, vel quod habet. Non etiam potest moueri, vt aliquid amittat; quia tunc simplex non esset. Nec potest moueri vt nouum esse acquirat totaliter; quia tunc esset ab alio: quia, vt dicit Augustinus 1. de Trinit. cap. 1. *Nihil seipsum gignit vt sit.* Nec esset primum, nec vt totum amittat; quia tunc actualissimum non esset. Quantò enim aliquid plus habet de actualitate, tantò minùs est in potentia ad non esse: ideò quia est actus purus, totaliter caret potentia ad non esse.

4. Item, omne quod mutatur est in potentia ad id, ad quod mutatur, 3. Physic. text. 16. quia motus est actus existens in potentia; & per consequens actus purus nullo modo esse potest in potentia: ergo nulli mutationi potest subesse.

Item, quòd aliquid possit totum esse amittere; vel aliquid quod habet amittere; hoc est ex imperfectione, vt in his quæ subiacent annihilationi, vel corruptioni. Quòd etiam aliquid possit acquirere, hoc ex carentia perfectionis est; ad id enim mouetur, quod non habet: igitur resumendo primam rationem, si primum est omnino simplicissimum: si resumendo secundam, est actualissimum: si resumendo tertiam, est perfectissimum; impossibile est, quod vt consideratur tale ens in se, re, vel intellectu subiiciatur alicui mutationi.

SCHOLIVM.

Clarissima methodo, & præmissa trina consideratione Dei, inquantum scilicet ens est perfectum in se consideratum, absque vllo ordine ad actum, vel inquantum ab æterno potest producere creaturas, vel quatenus in tempore creat de facto, probat nullam Deo aduenire mutationem, quod largissimè docet repetitis aliquibus ex his rationibus in 1. dist. 5. quæst. 2. & dist. 3. quæst. 5. & dist. 30. & 39. & 45. & tract. de primo principio, cap. 3. concl. 6. & sequentibus.

Authoritas est ad hoc Augustini 11. de Ciuitate, & cap. 10. *Est* (inquit) *itaque bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus.* 5. *Cõclusio probatur authoritate.* Cùm igitur non sit ad aliud possibile, sic enim esset componibile; nulla potest ei fieri additio: & cùm non habeat aliud, & aliud, non habet locum in eo aliqua diminutio.

Item, Augustinus in principio libri 4. de Trinit. loquens de veritate, quæ est Deus, dicit, *Quam in tantùm,* (inquit,) *licèt mutabilis haurio, inquantum in ea nihil mutabile video, nec locis, & temporibus sicut corporea, nec solis temporibus, & quasi locis, sicut spirituum nostrorum cogitationes: vt solis temporibus, & nulla, vel imagine locorum; sicut quadam mentium nostrarum ratiocinationes: omnino enim Dei essentia, qua est, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate, quia æterna est ibi veritas, æterna charitas.*

Ex similitudine etiam hoc patet: videmus enim in corporibus, quòd quantò aliqua plus habent de potentialitate, & minùs habent de actualitate, tantò pluribus subsunt mutationibus, & è contrario, quantò minùs de potentialitate, & materialitate, tantò paucioribus subsunt. 6. *Similitudine.* Vnde aliqua mouentur ad situm, & formam substantialem, vel accidentalem, vt corruptibilia: aliqua mouentur ad situm, & formam accidentalem solùm, vt ad susceptionem luminis, vt aliqua corpora cœlestia: aliqua nec ad situm, nec ad aliquam formam, vt cœlum empyreum. Cùm igitur primum principium sit ab omni materia, & potentialitate separatum; cùm sit actus purus (vt aliàs est ostensum q. 1. num. 21.) nec re, nec intellectu potest subesse alicui mutationi. Vnde Commentator super 9. Metaph. tract. 3. Epitom. in lib. Metaph. in text. 12. *Causa potentiæ in rebus, in quibus est potentia, est materia.* Et infrà: Compositum est autem omne id, cui admiscetur potentia. Et hoc est quod dicit Hugo lib. 7. erudition. didascalic. cap. 19. Omne quod mutatur, aut loco, aut forma, aut tempore mutatur: Deus autem loco mutari non potest, quia vbique est; nec secundùm augmentum, quia est perfectus in semetipso, non potest aliquid recipere; diuidi autem non potest, quia vnus & indiuisibilis est; quod enim separatione diuiditur, in coniunctione idem non fuit; nec moueri potest secundùm alterationem; quoniam nec consilium mutat de præterito, nec proponit de futuro; nec secundùm cognitionem, quia augeri non potest eius sapientia, quia plena est; nec minui, quia sibiipsi sapientia est: nec vicissitudinem habet, quia omnia simul, & semel, & semper, sub vno visionis radio comprehendit. sic patet primum.

ARTI

Articvlvs II.

Primum principium, neque vt est causa habitualis creaturarum, est capax mutationis.

7. Secundò dico, quòd potest Deus considerari vt principium, siue vt est causa habitualiter creaturæ. Ostendi autem in præcedenti quæstione, quòd habet se respectu omnium in ratione triplicis causæ, efficientis, formalis exemplaris, & finalis.

quæst. 1. num. 17. & seqq.

Quòd igitur nec re, nec intellectu, cadat aliqua mutatio secundùm quamcunque illarum causarum considerationem ostendo; & probo quòd non in ratione efficientis. Probat enim Aristoteles 8. *Physic. text.* 27. *& deinceps.* & 11. *Metaphys. summa* 4. *cap.* 1. *& lib. de Motibus animalium*, quòd omnia mobilia reducantur ad vnum primum immobile, & per se, & per accidens. Et hoc quidem patet; quia, vt dicitur 2. *Metaphys. cap.* 2. *per totum*, si hoc mouetur ab illo, & illud ab alio, aut erit processus in infinitum in mouentibus & motis; aut erit stare in aliquo immobili, quod est principium totius motus.

Omnia mobilia ad primum immobile reducuntur.

8. Augustinus *super Genesim lib.* 8. *cap.* 21. probat, quòd omnis motus ab immobili fluat, & in immobile radicetur: si enim mouetur digitus, stat cubitus, si cubitus, stat humerus, si humerus, stat corpus; si mouetur vnus pes, stabit pes alter. Oportet ergo quòd primum mouens omnium omnino sit immobile, & immutabile: & ibidem *ad liter. cap.* 19. volens persuadere, quòd Deus immutabilis manens, principium est creaturæ, siue spiritualis, quam mouet per tempus; siue corporalis, quam mouet per loca & tempora, dicit sic: *Aut* (inquit) *fuit in eius substantia, quod iam non est; vel erit, quod nondum est, sicut in naturis, quæ possunt temporis mutabilitatem pati*; & respondet cap. 20. *Hic ergo* (inquit) *incommutabili æternitate viuens, creauit omnia simul; ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibúsque & localibus rerum motibus secula voluerentur*; & postea *cap.* 21. subdit: *Quisquis intelligere conatur quemadmodum verè æternus, & verè immortalis, atque incommutabilis Deus, ipse nec per locum, nec per temporum motus, moueat temporaliter & localiter creaturam suam: non eum puto assequi, nisi priùs intellexerit quemadmodum anima, hoc est, spiritus creatus, non per locum, sed tantùm per tempus motus, moueat corpus per locum & tempus.*

9. Quòd autem, vt se habet in ratione causæ formalis, in eo nihil cadat motus, ratio declarat, & auctoritas manifestat; Nihil pati potest, nisi per principium materiale, sicut nec agere, nisi per principium formale: ergo impossibile est primam formam pati, nisi habeat aliquid materiale: Deus autem omnino immaterialis est, ideò omnino impassibilis est. Quod autem aliquo modo mouetur, necessariò aliquo modo patitur: & hoc est, quod dicit Augustinus 5. *de Trinitate, c.* 2. *&* 4. *Item lib.* 7. *c.* 5. nunquam Deus subiectum fieri potest, forma enim est; formæ autem subiectæ esse non possunt: nam neque cæteræ formæ subiectæ accidentibus sunt, vt humanitas: non enim suscipit accidentia, in eo quod ipsa est; sed in eo quod materia sibi subiecta. Eadem est sententia Commentatoris, super 12. *Metaphysicor. Causa*, inquit, *potentia*, &c. vt superiùs est dictum. Hæc est sententia Augustini 2. *de libero arbitrio*; *cap.* 18. vbi dicit, quòd oportet esse aliquam formam omnino immutabilem: omnia enim, vt dicit, mutabilia aliqua forma continentur, aut in nihilum cederent. Omnia enim, vt dicit, immutabilia vt non intercipiantur, sed distincta varietate, & diuersis motibus, suos cursus peragant, necesse est aliquam esse formam incommutabilem, & immutabilem, & æternam. Hîc etiam patet quòd quantò aliquid formalius, & actualius, tantò immutabilius: ergo omnino formale est omnino immutabile.

suprà n. 6.

Item, mensura & mensuratum sunt vnigeneæ naturæ, vt motus, & tempus; æternitas autem est mensura Dei, ratione suæ formalitatis, & actualitatis: cùm igitur in æternitate nulla sit decisio, nulla successio, nulla varietas: (vbi autem aliqua mutatio, ibi necessariò aliqua successio, & variatio) ideò Deus ratione, quâ forma est pura exemplaris omnium, nulli potest subesse mutationi. 10.

Mensura & mensuratum sunt vnigeneæ naturæ.

Satis præostendi aliàs *, quòd Deus habet rationem finis respectu omnium: quo supposito, arguo sic: Quælibet res naturalis tendit in finem suum: vnde & creatura rationalis, & libera, naturaliter appetit beatitudinem: vnde Beatus Augustinus 13. *de Trinitate, cap.* 5. *Quapropter est*, (inquit,) *quòd omnes homines beati esse velint, idque vnum ardentissimo amore appetant; & propter hoc cætera quæcunque appetunt.* Appetitus autem, qui idem est apud omnes, est appetitus naturalis; igitur si quælibet res naturaliter tendit in finem suum, cùm natura semper vniformiter agat, necesse est vt terminus motus naturalis omnino sit immobilis: si enim centrum moueretur, aut grauia per motum suum, illud non attingerent, aut necessariò mutarent. Hinc est quòd Aristoteles 4. *Physic. text.* 41. vult locum naturalem, ad quem res mouetur naturaliter, omnino esse immobilem. 11.

* quæst. 1. num 25.

Quælibet res naturalis tẽdit in finem suum.

Item, finis, & bonum idem, 3. *Metaphys. text.* 3. igitur quod habet rationem vniuersalis finis, habet vniuersaliter & generaliter rationem omnis boni; & si cadat à ratione alicuius boni, cadit à ratione vniuersalis finis; igitur si Deus aliquo modo mutaretur; hoc necessariò esset, aut aliquid acquirendo, aut aliquid amittendo: si aliquid acquirendo, non habuit rationem vniuersalis boni, per consequens nec finis: si aliquid amittendo, cecidit à ratione alicuius boni, & per consequens à ratione vniuersalis finis: igitur si est omnium finis, secundùm Aristotelem 12. *Metaphys. text.* 36. *& deinceps*, vt ostensum est, supponit necessariò, vt idem finis sit omnino immobilis & immutabilis. 12.

Quod habet rationẽ vniuersalis finis, habet rationem omnis boni.

Item, Augustinus 8. *de Trinit. cap.* 4. loquens de isto bono, & ostendens quòd Deus non est hoc bonum, sed bonum omnis boni, dicit, quòd nisi esset aliquod bonum interminabile, nullum esset bonum immutabile, nec animus bonus fieret bonus, quia bonus animus non fit malus, nisi quia auertitur à bono; nec malus fit bonus, nisi quia conuertitur ad id quod bonum est: nec vnum melius altero, nisi quia plus appropinquat ad summum bonum. Et concludit in fine causam: *Quapropter nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum; bonum autem & finis idem*: ergo in ratione quâ est finis, est omnino incommutabile. Hoc de secundo. 13.

ARTICVLVS III.

Non cadit mutatio in Deum, etiam vt consideratur principium actuale nouæ creaturæ.

14. Circa tertium, quod quærit quæstio, quòd scilicet in Deum non cadat mutatio, vt est principium actuale nouæ creaturæ, sic est procedendum. Primò videndum est, quid ingerit difficultatem. Secundò, quid manuducit ad veritatem. Tertiò, quid inducit necessitatem.

ARTIC. III. SECT. I.

Quid in hac doctrina ingerit difficultatem?

Non benè argumentamur à potentiis nostris ad diuinas.

Circa primum sciendum, quòd id quod hîc ingerit difficultatem, & excludit veritatem, est processus quasi à simili, in illo quod est omnino dissimile; qui enim circa diuinam voluntatem, & suam, concludit aliquid, per hoc quod in nostra voluntate, & nostro velle experimur; vel per hoc quod videmus, & in potentia & actu alicuius creaturæ est, nunquam perueniet ad veritatem huius rei. Omnis enim potentia, siue naturalis, siue libera, cùm à suo actu differat, necessariò contrahit potentiam, & ad pauciora se extendit, quàm potentia prima; quia potentia naturalis, quæ potest multa, existens vna, producere, hoc non potest per vnum actum, sed per multos. Similiter potentia libera, quæ existens vna, potest multa, & opposita; hoc non potest per vnum etiam velle: non enim per vnicum actum voluntatis posses te velle esse album, & non esse album, nec simul, vel diuisim, sed per plures actus voluntatis; hoc tamen posses per vnam potentiam.

15. Credentes igitur aliqui, imaginationem sequentes, quòd ita sit in Deo, nec possunt videre, immò nunquam videbunt, nisi imaginationem deponant, quo modo Deus si hoc vult tali, vel tali modo esse, per actum voluntatis; quomodo potest velle illud non esse, nisi per alium actum voluntatis? Quia per illum actum, quo vult rem esse, non videtur eis, quòd possit per eundem velle illud non esse; quia tunc idem esset in Deo, velle rem esse, & velle non esse, vel nolle esse; & velle, & nolle; & sic contradictoria essent idem. A simili non capiunt, quomodo Deus per illum actum volendi, quo non vult hodie hoc esse, sed cras, per illum eundem vult cras illud esse: vel quomodo illud, quod vult cras esse, & non antè, potest velle antè esse sine nouo velle. Et ideò, quia sciuerunt primum esse omnino æternum, & immutabile, non potentes videre, quomodo illud, quod aliquando noluit esse, nunc de nouo velit esse, sine mutatione, posuerunt omnia à Deo immediatè producta, esse æterna: vt patet de Auicenna 9. *Metaphys. cap.*4 & Aristoteli hoc imponitur; & ipse quidem videtur hoc intellexisse. Tales sunt aliqui, qui imaginantur animam rationalem, quasi quoddam corpus, vel punctum, non quasi rem intellectualem & spiritualem; & quia in corpore, & puncto vident, quod simul non possunt esse in pluribus; non capiunt quomodo anima tota simul potest esse in pluribus partibus corporis. Isti sunt, qui diuinum velle imaginantur vt suum: isti sunt, de quibus dicit Commentator super 2. *Metaphys. cap.*3. *Commento* 13. in quibus virtus imaginatiua dominatur super suam virtutem intellectiuam: & ideò, vt dicit, videmus istos non credere demonstrationibus, nisi imaginatio comitetur eos: non possunt credere plenum non esse ante vacuum, aut tempus extra mundum; nec possunt credere aliquam creaturam incorpoream: vnde tales multi sunt, & optimi fiunt Mathematici, sed pessimi Metaphysici.

Est etiam alia difficultas, quia cùm Deus determinatè velit hoc esse, & sic ab æterno disposuerit; quomodo sine mutatione determinationis, & dispositionis, potest velle illud non esse, vel de nouo esse? Et ideò ad intelligendam hanc difficultatem, quæ tollit, & impedit veritatem, primò volo ostendere, quòd voluntas Dei est semper coniuncta suo actui. Secundò, quòd actus vnus volendi est tanti ambitus respectu amborum oppositorum, & respectu omnium partium temporis, sicut ipsa potentia volitiua, vt per eundem actum volendi velit te esse, & possit te velle non esse; vel hodie esse, & possit velle te antè, vel pòst esse. Tertiò, quòd Deus, nec ab æterno, nec vnquam determinat se ad aliquid producendum; nec aliquam determinationem habet respectu alicuius rei, vel differentiæ temporis, eo modo, quo aliqui intelligunt. Quartò quòd Deus ex sua libertate possit facere de qualibet re hoc, & oppositum, respectu cuiuslibet *nunc* diuisim. 16. *Ex varietate actus non sequitur varietas in potentia diuina.*

Circa primum sic procedo: actus est perfectio potentiæ, vnde ad ipsam naturaliter ordinatur: perfectior est ergo potentia coniuncta omni actui & omni volitioni, quâ potest velle: aut ergo potentia Dei est semper, aut nunquam, aut aliquando actui coniuncta: si semper, habeo propositum; si nunquam, est frustrà: si aliquando sic, aliquando non: ergo aliquando est imperfecta; ergo & essentia Dei, quia idem est voluntas, & essentia. 17. *Volũtas Dei est semper coniuncta actui.*

Item, obiectum proportionatum diuinæ voluntati, est bonum infinitum, quod est ipse: sicut obiectum sui intellectus est vnum: sed intellectus diuinus semper se cognoscit; alioquin cùm se cognoscendo cognoscat alia, si aliquando se non cognosceret, tunc nihil cognosceret; & per consequens nihil gubernaret, & omnia in nihilum tenderent. *Obiectum diuinæ voluntatis proportionatum, est bonum infinitum.*

SCHOLIVM.

De perfectione diuinæ voluntatis, prout est semper sub actu, & prout est libera ad opposita obiecta, & oppositos effectus pro quacumque differentia temporis, diffusè tractat Doctor in 1. *dist.*39. *quæst. vnica.* §. Quantùm ad primum, dico quòd voluntas. *Et* §. Quantùm ad secundum articulum. *Et in* 4. *dist.* 16. *quæst.*2. §. Respondeo, hîc primò videndum, *vbi disertissimè expendit differentiam inter libertatem diuinæ voluntatis & nostræ, & in quibus humana voluntas deficit à perfectione diuinæ.*

Circa secundum, quòd actus volendi sit tanti ambitus respectu oppositorum, & respectu differentiarum omnium temporis, sicut ipsa potentia, patet. Primò, quia si non; tunc non esset idem, quòd potentia, & esset in Deo compositio. 18. *Actus diuinæ voluntatis est tanti ambitus, & tam illi imitatus, ac sua potentia.*

Item, non esset actus immensus, nec illimitatus, quod patet esse falsum; cùm sit idem, quòd Deus.

Item,

In corporalibus quanto aliquid plus habet de actualitate, & formalitate, tanto maioris est ambitus.

Item, arguo sic: nos videmus ambitum esse in rebus, secundùm rationem actualitatis: sic videmus in corporalibus, quòd quantò plus habent de actualitate & formalitate; tantò sunt maioris ambitus, vt patet in cœlis: vnde in fine cap. de Loco, dicit Aristoteles 4. *Physic. cap.* 10. *text.* 48. & 49. quòd aqua ambit aërem. Hoc idem in cœlis; quia Empyreum, quod est actualius, continet omnia: sic etiam videmus in causis, quòd quantò sunt actualiores, tantò sunt vniuersaliores; vt patet in Sole, respectu causarum particularium: sic videmus in actibus planetarum, vt in illuminatione Solis, respectu illuminationis stellæ: sic videmus in actibus voluntatis, & intellectus respectu obiectorum scientiarum potentiarum, quæ respiciunt determinatas differentias entis. Cùm igitur voluntas Dei sit potentia per omnem modum infinitatis actualissima, & per actualitatem infinitissima; ergo actus suus erit omnimodè infinitus, & ambitus infiniti.

19\. *Sicut essentia in Deo ad esse, sic voluntas ad velle.*

Item, sicut se habet essentia in Deo ad esse, sic voluntas ad velle; quia esse est actus entis, & velle est actus voluntatis: sicut igitur esse, & essentia, idem sunt, & est æqualis ambitus in Deo; ita voluntas, & velle. Sicut igitur in creaturis non sunt essentia & esse idem, quia essentia frequenter recipit esse; cùm esse existentiæ sit extra rationem essentiæ, & eam contrahat; ac per hoc non sit æqualis ambitus cum ea: in Deo tamen est esse essentiæ, & esse actualis existentiæ æqualis ambitus; vt sicut diuina essentia non est hæc essentia contracta, vel illa; sed essentia simpliciter claudens veritatem cuiuslibet essentiæ, quantùm ad id quod est perfectionis, sub altiori modo quàm sit in creatura: sic diuinum esse non est, secundùm Dionysium *, hoc, vel illud esse, sed simpliciter esse, non contractum, claudens omne esse, quantùm ad id quod est perfectionis in omni esse, altiori modo in vno simplici esse indifferenti ab essentia: sic in creatura dicitur voluntas & velle; quia eadem voluntas, quæ de se, vt est potentia libera, est ad opposita; vt ad hoc, quod est legere, vel non legere; & est libera respectu cuiuscumque differentiæ temporis: vtpote quia potest velle, vel nolle diuisim, respectu cuiuslibet *nunc*, per actum tamen volendi contrahitur; quia ita est suus actus, vt alius sit actus, quo vult hoc esse; & alius quo vult illud non esse; vel non vult esse; & alius actus volendi, quo vult cras hoc facere, & non antè; & alius, quo vult oppositum; aut nihil potest facere. Sedècontrario in Deo, sicut eadem est potentia volitiua, quâ potest velle hoc esse, & velle non esse, & hoc sit cras; & qua potest velle, vt idem sit ante, vel pòst. Et breuiter, eadem est potentia, qua vult, vel non vult omne quod vult, vel non vult: immò eadem est potentia, quâ vult non esse hoc, & vult illud esse; & ante, vel pòst, vel de nouo esse: sic eodem actu volendi non mutato, non variato, non innouato, vult hoc esse, & potest velle oppositum. Sicut enim omnis differentia entis, vel esse, clauditur sub eadem essentia, scilicet sub eodem esse numero indiuisibili: sic omne velle, & omne nolle; vel velle in hoc tempore, & nolle in alio, est idem re in Deo; ita quòd si *velle*, & *nolle*, accipiantur in comparatione ad Deum, idem sunt re, nec habent oppositum; sed dicunt diuersos respectus eiusdem velle, siue eiusdem actus respectu creaturæ. Vnde Deum velle hoc esse, & nolle hoc esse, vel velle non esse; & Deum velle hoc esse cras, nolle esse antè; vel velle esse antè, pro quolibet instanti diuisim, est idem actus volendi, qui sortitur diuersa vocabula, qualiter sunt velle, & nolle, & velle cras, nolle hodie, vel velle pòst, vel antè, secundùm quòd creatura diuersimodè factibilis, ad vnicum actum volendi immutabilem comparatur: sicut eadem essentia, & idem esse, recipiunt distinctionem idealem, secundùm quòd intellectus accipit eam, vt imitatam, vel imitabilem, quæ tamen est vna in se, vt secundùm hoc non sit aliud in Deo velle hoc, nolle illud; velle antè, velle pòst, quàm diuersi respectus eiusdem actus voluntatis ad res.

Esse essentiæ, & esse existentiæ in Deo sunt æqualis ambitûs.

* De Diuin. Nom. cap. 5.

Velle & nolle Dei non sunt oppositi, sed idem actus.

Velle hoc, & non velle hoc, solùm dicunt in Deo diuersos respectus ad res.

SCHOLIVM.

Postquam probauerat actum diuinæ voluntatis æquè latè patere, atque ipsam voluntatem, quippe simplicissimum, à compositione alienum, illimitatum, actualissimæ potentiæ actum infinitum ab eadem omnino indistinctum (quod etiam docuit in 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. §. Nunc vlteriùs) *subiungit hîc modum, quo Deus vult alia extra se, & declarat quid addat diuersitas obiectorum, vel differentia temporum super* velle Dei, *quod in se est omnino vnicum & indistinctum. Quod etiam breuiter & clarè tractat in* 3. *distinct.* 32. *quæst. vnica. An verò hi actus liberi, vel hoc ipsum velle Dei, prout dicit diuersos respectus ad creaturas, dicant perfectionem, latè controuertunt Scholastici ad* 1. *par. quæst.* 19. *art.* 3. *Vide Vazquem, tom.* 1. *disp.* 80.

Ex quo apparet stulta argumentatio illorum, qui per similitudinem voluntatis nostræ, & sui actus, vel cuiuscunque potentiæ, & sui actus, concludunt aliquid de voluntate Dei, & suo velle; & non est simile, immò contrarium, & excludens à veritate. 20.

Vnica actu intellectus omnia videt, & voluntas vult.

Vnde dico, quòd sicut intellectus diuinus vno simplici intuitu videt absque successione, vel innouatione, omnia, etiam opposita, quia nullam oppositionem habent, vt sunt in eo cognita: sic voluntas vno actu volendi, non innouato, nec diuiso, vult omnia opposita, omnia volita, esse idem, & non esse, respectu diuersorum temporum, vel respectu eiusdem *nunc* diuisim. Et sicut dicimus intellectus intuitiuè, & actualiter, fertur super opposita, videns ea simul, non similia esse, sed simul esse; sed simul videt similia non esse, sed fore posse, non coniunctim, sed diuisim: ergo diuina voluntas vult opposita volita, non quidem vult simul esse; sed simul vult, id est, eodem actu volendi, non quidem simul vult esse, sed vult fore posse; non vult simul fore esse coniunctim, cùm sit impossibile, sed diuisim.

Diuina voluntas quomodo vult simul opposita.

Item, sicut diuinus intellectus videt causarum creatarum contingentiam, & contingentes effectus, contingenter venturos; sic diuina voluntas vult causas creatas contingenter agere, & effectus contingenter euenire, vel necessariò, secundùm quòd ordo causarum se habet contingenter, vel de necessitate ad effectum. 21.

Quamuis autem hæc volita in se, & in suis causis proximis habeant contingentiam, relata tamen ad diuinum intuitum, & beneplacitum, sic eueniunt, vt sunt prænolita & præuisa, secundùm quòd dicit Boëtius 5. de Consolatione *.

* Prosa vltima.

SCHOLIVM.

Rationem hanc & authoritatem Boëtij affert Doctor in primum, dist. 30. *quæst.* 5. §. Tertia positio dicit. *Sed eam impugnat, quatenus ex illa volunt aliqui inferre cum Philosopho, quòd etsi causa prima necessariò ageret, & necessariò moueret, adhuc causæ secundæ contingenter agerent, in eisque constitui posset radix contingentiæ. Vide ipsum loco citato, & dist.* 2. *quæst.* 2. §. Ostenso de proprietatibus. *Vide etiam in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. *& dist.* 43. *quæst.* 3. *Vbi negat motionem causæ primæ esse aliquid receptum in causa secunda, & dist.* 49. *quæst.* 6. *Vbi dicit tolli libertatem, si aliquid per modum habitus poneretur in voluntate, necessitans eam ad effectum. Vnde non rectè à quibusdam attrahitur in classem eorum qui asserunt prædeterminationem liberi arbitrij esse necessariam ad suum effectum certò consequendum, liberè tamen absque vlla voluntatis coactione. Ex hoc loco, & illis citatis in primo Sententiarum, manifestè infertur iuxta mentem Doctoris radicem contingentiæ constituendam esse tam in libertate causæ primæ, quàm in libertate secundæ; atque ita si causa prima necessariò ageret, nullam posse dari in rebus contingentiam.*

Vnde sicut diuinus intuitus non fallitur præuidendo per præscientiam, sic diuina voluntas nec separatur per violentiam, nec impeditur per resistentiam, nec frustratur per impotentiam: & hoc dico de voluntate beneplaciti, non de voluntate conditionata, vel voluntate signi. Vnde eodem actu volendi vult Deus contradictoria, non simul esse, quia illud est impossibile, sed simul vult; sicut eodem intuitu, vel eadem scientia scit contradictoria non simul esse; sed simul scita per vnum actum scientiæ, qui est simul & idem.

20. *Quomodo dicitur Deus se determinare ad vnũ aliquem actum?*

Circa tertium, quòd scilicet Deus nunquam determinauit se ad aliquam partem contradictionis, nec respectu alicuius temporis eo modo quo aliqui intelligunt. Vbi aduertendum, quòd determinatio, & dispositio respectu effectus faciendi, vel respectu eiusdem effectus faciendi in hoc tempore, vel in alio, potest dicere quandam limitationem, & contradictionem potentiæ voluntatis, per actum volendi, respectu alterius partis contradictionis; vel respectu effectus producendi per aliquas differentias temporis, excludendo partem oppositam contradictionis, vel aliam differentiam temporis: sicut voluntas nostra determinatur pro altera parte, vel pro certa differentia temporis. Vnde isto modo dicere, quòd Deus determinauit se ab æterno; ad hoc faciendum determinatè, vel disposuit se ab æterno ad hoc faciendum, & non oppositum; vel ad aliquos effectus producendos per aliquam differentiam temporis, excludendo partem oppositam contradictionis, vel aliam differentiam temporis, sicut voluntas nostra determinatur pro altera parte, vel pro certa differentia temporis; & isto modo dicere quòd Deus se determinauit respectu alicuius, vel aliquid disposuit facere, vel non facere, vel in vno tempore, ita quòd non in alio, dico quòd est falsum, & hæreticum, quia diuinum velle limitat, & arctat cum potentia sua volendi.

SCHOLIVM.

Multis in locis Scotus excludit à Deo determinationem in hoc primo sensu. Vide eundem in 1. *dist.* 7. *quæst. vnica.* §. Contra: determinatio est duplex. *dist.* 8. *quæst.* 5. §. Et cùm dicis secundò. *dist.* 28. *q.* 3. §. Respondeo: determinatio duplex est. *Et dist.* 35. *q. vn.* §. Præterea secundò. *Vbi easdem fermè rationes adducit limitationis & arctationis diuinæ potentiæ.*

Aliter determinatio ista respectu effectus producendi, vel non producendi, & tali tempore, & non in alio, potest dicere certitudinem euentus respectu scientiæ, & voluntatis diuinæ, excludendo incertitudinem ex parte voluntatis: & isto modo Deus ab æterno se determinauit.

Quòd autem determinatio & dispositio secundùm primum modum sit in Deo impossibilis, sic ostendo: talis determinatio, & dispositio in Deo, aut nihil dicit, & tunc non se determinat magis respectu alicuius partis contradictionis, quàm alterius, nec respectu alicuius differentiæ temporis, quàm alterius; si dicit aliquid, cùm hæc determinatio sit in voluntate, in nullo differt à potentia voluntatis: quia, (vt ostendi) eiusdem ambitus sunt actus volendi, & voluntas diuina; non sic in nobis; sed potentia volitiua nostra, de ratione sua non est determinata ad alteram partem contradictionis; nec est determinata respectu alicuius differentiæ temporis; immò se habet æqualiter respectu vtriusque partis contradictionis; vt voluntas potest te velle currere, vel velle non currere, vel nolle currere diuisim, & potest te velle currere in hoc instanti, vel antè, vel pòst; & dico de voluntate ante actum volendi; ergo ita etiam in voluntate diuina, quæ est maioris libertatis, & maioris ambitus: ergo ita est de actu volendi diuinæ voluntatis; non tamen ita est de actu volendi nostræ voluntatis, quia non est æqualis ambitus. 21.

Voluntas non est de se determinata ad aliquam partem contradictionis.

Item, si hæc determinatio, vel dispositio est in Deo, necessariò est in eo ab æterno: igitur per istam determinationem, vel dispositionem, vult alteram partem contradictionis, ita quòd non aliam: (vult, dico, excludendo posse velle aliud de nouo; quia benè vult alteram partem, & non aliam, & in tali nunc, & non in alio; & ista dicunt certitudinem:) ergo cùm ante æternum se non potuerit determinare, vel disponere, quia ante æternum nihil est, nec simul, tunc scilicet cùm se determinat, vel disponit, nec pòst; quia tunc, cùm dispositio, & determinatio dicant aliquid, caderet in eo mutatio; sequitur quòd omne, quod facit, necessariò facit, & non est timenda Dei sententia, nec misericordia expectanda. 22.

Item, omne quòd sic est determinatum, vel dispositum, habet ex parte sua realem respectum ad rem, & talis dispositio & determinatio tollit de ratione libertatis; vt patet in me, dum determino me ad aliquid determinatè faciendum; hoc autem in Deo poni non potest.

Circa quartum, quòd respectu cuiuslibet nunc possit facere quidquid vult, sic ostendo: Tantò magis liberè causa producit effectum, quantò plus producere potest, vel producere in tali nunc, vel alio: sed Deus est in fine libertatis respectu cuiuscumq; effectus, plus quã aliqua creatura: ergo, &c. 23.

Item, voluntas diuina per infinitam rationẽ maioris libertatis est, quàm nostra, respectu cuiuslibet actus, vel effectus producẽdi, vel ad producẽdum in tali nunc, vel non producendum diuisim: sed actus voluntatis diuinæ est idem, quod voluntas sua; ergo velle, seu actu volendi Dei, est maioris libertatis

libertatis & indifferentiæ, quàm voluntas nostra: sed voluntas nostra antequam induatur actu volendi, potest velle vtramque partem contradictionis diuisim, & potest velle vnum effectum, & nolle diuisim respectu eiusdem *nunc*; ergo,&c.

Item, omnis intellectus concipit, quòd eadem est potentia non mutata in Deo, quâ potest hoc facere in isto *nunc*, vel in alio; ergo eadem est voluntas, qua potest similia velle: sed actus volendi est omnino idem quod voluntas, & eiusdem ambitus;ergo,&c.

Artic. III. Sect. II.

Confirmatur veritas doctrinæ supradictæ.

24. Circa secundum, quòd scilicet manu ducit ad veritatem, sciendum est,quòd Deus tripliciter res producit; vel ad modum dicentis, vel ad modum volentis, vel ad modum per similitudinem exprimentis. Quoad res ad modum dicentis,Genesis 1. inquit, *Fiat lux, & facta est lux.* Psalm. 148. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit,& creata sunt.* Ad modum volentis. Sapient.11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses.* & 12. *Subest enim tibi cùm volueris posse.* & Isaiæ 46. *Consilium meum stabit.* Ad modum suam similitudinem exprimentis; Nam de homine dicitur Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et omnis creatura aliquam gerit Dei similitudinem. Et hoc colligitur ex verbis Hugonis *lib.1.** *cap.3.* & ex verbis Dionysij *de Diuinis nominibus cap.5.* & Augustini 11. *Confess. cap.8. Per creaturam,* (inquit) *mutabilem cùm admonemur, ad veritatem stabilem ducimur.* Isti autem tres modi producendi, nullam videntur in producente istis modis facere mutationem. De primo patet,quia Deus quidquid producit,verbo producit. Vnde Augustinus 11. *Confess. cap.7.* vbi istam quæstionem ponit: *Verbo,* (inquit) *tibi coaterno simul & sempiterno, dicis omnia qua dicis,& fit quidquid dicis, vt fiat:* hoc est verbum completum,continens quidquid concipere potest, ideò non est nisi vnum. Hoc igitur verbò æterno dixit de quolibet quòd fiat, vel non fiat; & quando fiat, vel quando non fiat; & simul isto verbo dixit quòd fiat, & non fiat diuisim; vel quòd fiat in tali *nunc*, vel in alio, intelligendo, sicut dictum est de actu voluntatis. Ideò cùm per vnum verbum æternum sit causa noui effectus, producendo nouum effectum, non mutatur.

* Hugo de S.Vict. lib.1. de Sacram. parte 2.c.3.

25. Item, agit per modum voluntatis; & quia (vt ostensum est *suprà n.*18.)sua voluntas est suum etiã velle;sicut substantia voluntatis eadem æterna,& non mutata; & nostra etiam in nobis potest velle opposita, & noua: sic idem actus voluntatis,& eadem potentia, in Deo facit idem; non autem sic est in nobis. Vnde Augustinus 12. *de Ciuitate Dei cap.17. Potest ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium: nec pœnitendo, quia priùs cessauerat,cœpit facere,quod non fecerat.Sed & si priùs cessauit,& posteriùs operatus est, hoc proculdubio quod dicitur* prius & posterius, *in rebus priùs non existentibus,& posteriùs existentibus fuit.* Et infrà: *Sed vnâ eâdémque sempiternâ, & immutabili voluntate res quas condidit, & vt priùs non essent egit, quamdiu non fuerunt, & vt posteriùs essent quando esse cœperunt.*

26. Item agit per modum suam similitudinem exprimentis. Deus enim non de necessitate, nec de sua substantia, sed de nihilo, & gratuita pietate, bonitate & liberalitate se exprimit in creaturis: in aliquibus per modum imaginis, in aliquibus per modum vestigij. In rebus autem corporalibus videmus, quòd si res se exprimat per suam speciem, nulla videtur fieri in ea ex hoc mutatio; ergo minùs in Deo. Vnde de ista voluntaria Dei communicatione dicit Augustinus 12. *de ciuit. Dei*, vbi suprà: *Hinc eis, qui talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quàm non eis non indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cùm sine illis ex æternitate carente initio, in non minore beatitudine permansit.* Vbi ergo dicentis est æternum verbum, vbi volentis est æternum consilium, & propositum, vbi similitudo exprimitur secundùm omnis incorporationis modum; sequitur omnino quòd ex noua productione nulla fit in producente mutatio.

Exemplum etiam ad hoc manuducendum: quia si velle meum esset sufficiens causa effectus; si hodie vellem, quòd cras aliquid fieret; illud cras produceretur nullâ factâ mutatione in me, & absque nouo velle. Si etiam attendamus,quòd relatio, quæ causatur inter Deum & creaturam, ex hoc quòd est causa, & illud effectus cùm non sit relatio realis ex parte Dei, sed solùm ex parte creaturæ, talis relatio ei potest aduenire sine sui mutatione; vt si ab æterno essem albus, si aliquis hodie fieret albus, factus essem sibi similis,nullâ mutatione factâ in me.

Relatio Dei ad creaturã, est rationis, creaturæ verò ad Deum realis.

Artic. III. Sect. III.

Debere necessariò Philosophos admittere hanc doctrinam.

Tertiò iam apparet, quòd inducit necessitatem;quia cùm ostensum fuerit in præcedenti quæstione,etiam per verba Auicennæ, quòd nulla creatura agit de nihilo, & quòd Intelligentiæ & animæ sunt de nihilo, oportet illum dicere omnes Intelligentias esse æternas, & omnes animas, quod suppono esse impossibile, etiam secundùm Aristotelem,qui dicit 12. *Metaph.cap.3. text.16.*quòd nulla forma præcedat materiam. Vel oportet eum dicere, cùm,secundùm omnes,Deus sit omnino immutabilis, quòd absque sui mutatione animas de nouo creat. 27.

Quæstio IV.

Vtrùm Deus de necessitate producat res?

Alen.2. *part.quæst.5. membr.2.* S.Thomas *in 1.dist.43.q.2. art.1.& 2.contra Gen. cap.23.& de poten. quæst.3 art.13.* Henricus *quodlib. 8. quæst. 9. & quodlib.6. quæst. vlt.* Heruæus *quodlib.5.quæst.4.& in tract.de æternitate mundi,quæst.4.* Marsil. *in 1. dist.42. & 44.* Gregor. *1.dist.43.* Gabriel *ibid & in 2.dist.1.quæst.2.art.3.* Ferrarien. *2.contra Gen.cap.23.* Vide Doctorem *in 1.dist.8.q.5.& dist.39. & in 2.dist.1.q.2.& quodl.7.*



Irca istam quæstionem sic est procedendum. Primò notanda, & reprobanda est positio antiquorum. Secundò ponenda, & confirmanda est opinio Doctorum Catholicorum. 1.

Diuisio quæstionis.

ARTICVLVS I.

Refertur opinio Auicennæ.

Opinio Auicennæ. Circa primum, sciendum, quòd, sicut patet ex 9. *Metaphys. cap.* 1. Auicenna ait, quòd cùm in Deo non sit considerare nisi essentiam, siue naturam, intellectum, & voluntatem, triplici necessitate in vnum concurrente, & ex prædictis tribus prouenientc, scilicet, ex natura, intellectu, & voluntate; Deus producit primam Intelligentiam, & produxit mediantibus Intelligentiis omnia, quæ facta sunt, & producta, in prima rerum & essentiarum productione.

Ponit igitur Auicenna, quòd cùm Deus sit omnino simplex, ac per hoc in eo non differat essentia, & potentia, quidquid agit, agit per suam essentiam. Sed cùm Deus sit agens cognoscens, & intellectuale, & voluntarium, quidquid agit per suam essentiam, agit & producit secundùm modum suæ essentiæ cognoscentis, & discernentis, & secundùm rationem suæ voluntatis complacentis. Scientia autem Dei, cùm sit perfectissima, comprehendit meliorem ordinem, qui possit esse in productione rerum. Voluntas autem Dei, cùm sit optima, necessariò scientiæ acquiescit. Sicut igitur diuina essentia est vna, sic sciētia discernit omnem modum circa productionem rerum, cui voluntas cùm velit semper quod melius est, contraire non potest: ergo voluntas Dei vult de productione rerum, illud vnum, & determinatum, quod sua scientia determinatè cognoscit esse melius; & quia sicut vult producit, ideò immutabiliter producit, quidquid producit.

Quòd autem necessariò, & solùm producat vnum immediatè, sic arguit: Quidquid à principio est, necessarium est, quantum est ex parte Dei; quia si non, inesset ei dispositio, quæ non erat, per quam faceret; ac ad actionem applicaretur, si non ageret de necessitate; & quia natura non est nisi ad vnum, ideò concludit, primum non agit immediatè nisi vnum, quod etiam producit de necessitate. Hæc est positio sua.

ARTIC. I. SECT. I.

Deum non producere creaturas ex necessitate naturæ.

2. *Reprobatur prima necessitas Auicennæ.* Positio hæc tripliciter ostenditur esse falsa: primò quòd non necessitare naturæ: secundò quòd non aliqua necessitate scientiæ: tertiò quòd non aliqua necessitate voluntatis. Quia Auicenna ponit quòd Deus omnibus creaturis mundi, aliis à generabilibus & corruptibilibus, dat esse ex necessitate suæ essentiæ, & ita semper in omni præterito; ita quòd ab æterno dat esse, & in omni futuro; ita quòd in æternum conseruabit per necessitatem illud esse, quod dedit talibus creaturis. Secundò, posuit, quòd licèt tali creaturæ semper à Deo esse conueniat, & ab æterno, & in æternum; ita quòd nunquam fuit, nec erit in non esse; quia tamen ab alio habet illud esse, (scilicet à Deo) posuit, quòd talia habent ex se possibile esse, & non esse, & habent de se non esse, sed ab alio necesse esse; ac per hoc habent esse post non esse, non duratione, sed natura. Vnde dicitur 6. *Metaphys. cap.* 1. *text.* 7. illud, quod per essentiam suam causa est alterius rei, semper erit ei causa, eo quòd absolutè prohibet rem non esse: & hæc est intentio, quæ apud Sapientes vocatur *creatio*, quod est dare rei esse post non esse absolutè; creaturæ enim quantum in se est, est ei vt non sit; quantum verò ad suam causam, est ei vt sit. Quod autem est ei ex se ipsa, apud intellectum priùs est per essentiam, non tempore, eo quòd est ei ex alio: ergo esse creatum est post non esse, posterioritate naturæ, non durationis: & secundùm hoc, largè sumendo *incipere esse*, verum est quòd omne creatum incepit esse, quamuis habeat æternum esse ab alio. Vnde subdit in eodem 6. *Si autem laxaueris nomen* inceptionis *circa omne esse, quod habet esse post non esse, quamuis non sit hæc posterioritas temporis, tunc esse, vel omne creatum erit incipiens. Si verò non laxaueris, sed fuerit conditio incipientis, vt habeat esse, quo tempore sit prius, sic non omne creatum est incipiens.* Sic igitur patet positio sua.

SCHOLIVM I.

In hac doctrina conuenire Aristotelem cum Auicenna docet Doctor in 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. *vbi eorum rationes dissoluit; & in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. §. Respondeo creare potest; *agit peculiariter contra Auicennam, & vtrobique doctissimè vrget contra Philosophos Deum liberè producere creaturas, idque ex ipsorum principio. Primo loco ipsis fermè rationibus, quas hîc habet, vtitur contra Auicennam.*

Contra quam arguitur; & quia duo falsa continet, vnum quòd creatura sit æterna; aliud quòd per necessitatem procedat à Deo: primum omitto, quia ad aliam spectat quæstionem. 3. *Primum argumentum contra Auicennam.*

Sed contra secundum arguitur; & ostenditur, quòd positio implicat contradictionem, primò ex parte dicti sui sic: secundùm Philosophum 1. de Cœlo & Mundo, *text.* 109. duplex est falsum, quoddā *possibile*, quoddam *impossibile*. Falsum *possibile*, vt si dicam, quòd *Socrates stans sedet*, hoc enim falsum est, sed non impossibile; quia habet potentiam, vt sedeat, quamuis non simul falsum *impossibile* est, quòd *Socrates simul stat & sedet*. Si ergo secundùm positionem Auicennæ, creatura de se est in potentia ad non esse, & ad corruptionem, & à Deo semper habet necessitatem essendi ratione suæ potentiæ: & hoc ponere est falsum, possibile tamen: sed si à Deo semper necessariò habet esse, sequitur quòd simul habet esse, & non esse; & hoc est falsum impossibile. Cùm ergo hoc sit possibile, scilicet quòd creatura possibilis est non esse, & ideò absolutè possibile eam non esse; falsum est, sed non impossibile, cum hoc quod potentia sit de se posse non esse, & simul ab alio necessariò esse; sequitur tamen impossibile, scilicet ipsam simul esse, & non esse: ergo ponere hæc duo, scilicet quòd à se sit posse non esse, & simul ab alio habeat necesse esse; hoc dico ponere est falsum impossibile, implicans contradictionem, quod tamen ponit Auicenna. *Falsum, aliud possibile, aliud impossibile.*

4. *Secundum argumētum.* Item, ex parte Dei sic; si Deus de necessitate producat aliquod posse esse; ergo Deus non est, nec esse potest, nisi sit illud potens esse: sed illud potens esse potest poni non esse absolutè: ergo necesse esse potest poni, non esse absolutè, quia si creatura per necessitatem fluit à necesse esse: ergo per necessitatem habet esse; & sic non potest non esse: sed creatura quæ fluit, vt dicit, est potens non esse: ergo

ergo idem est potens non esse, & non potens non esse, quæ sunt contradictoria.

Illo ergo modo non potest poni, quòd creatura, quæ habet posse non esse, fluit necessariò à necesse esse; quia quamuis formaliter non esset necesse esse, haberet tamen essendi necessitatem; quare contradictoriè opponitur ei, quod est potens non esse.

SCHOLIVM.

Si creatura aliqua possibilis, ex hypothesi, aut in casu aliquo desineret esse possibilis, vel non potuisset produci à Deo, an desineret Deus esse, vel deficeret eius potentia, variè sentiunt authores. Scotus hîc, & in 1. *dist.* 30. *quæst.* 2. §. Contrà istam rationem, *& dist.* 43. *quæst. vn.* §. Tertiò similiter, *infert ex sententia illorum, qui ponunt relationem realem in Deo ad creaturas, in casu, quo creatura non esset possibilis, non futuram in Deo potentiam. Quod similiter sentiunt alij, quos citat Vasquez tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 104. *cap.* 6. *num.* 26. *&* 27. *Attamen in dist.* 30. *citata.* §. Item si Philosophi, *Scotus fatetur rationem hanc esse inefficacem contra sententiam Aristotelis, & Auicennæ, si ponerent creaturas à Deo productas, esse formaliter necessarias; quia tunc staret necessitas entitatis diuinæ, & terminus relationis secundùm hanc sententiam esset necessarius. At non ita sentiebant Philosophi; imò dicebant creaturas ex se formaliter id habere, vt possint non esse, necessariò verò esse propter necessitatem principij producentis.*

5. *3. Argumentum.* Item arguitur sic ostensiuè; Omne agens de necessitate naturæ necessariò dependet ab illa actione, vel saltem refertur realiter ad eam: necessitas enim tendendi in aliud, & absoluta ab eo independentia, omnino sunt opposita: agens ergo de necessitate naturæ realiter refertur, & dependet à suo producto, quod impossibile est poni in Deo respectu creaturæ. Vnde in personis diuinis, in quibus est necessitas immutabilitatis in emanationibus, etsi non est dependentia, est tamen relatio realis vnius ad alteram.

6. *4. Argumentum.* Item, omne agens per aliquam actionem necessariam, intendit illâ aliquam sui perfectionem; vnde 2. *Physicor. text.* 49. 61. vult Philosophus quòd natura agat propter finem: Deus autem in actione extrinseca, nullam potest intendere, vel acquirere perfectionem: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Hanc ipsam rationem, quæ est Henrici, quodlib. 5. *quæst.* 4. *& in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *affert Scotus in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. §. Contra istam conclusionem, *vbi etiam affert responsionem istam Auicennæ, aliúdque eiusdem effugium ad instantias contrariorum. Deinde maiorem addit vim rationibus Henrici.*

7. *Responsio Auicennæ.* Fortè ad hoc respondet Auicenna, quòd hæc vltima ratio concludit de eo, quod tendit in aliud propter suam perfectionem, vt aliquid ab illo acquirat; quale non est principium; immò vt daret tendit in aliud, propter suam perfectionem; quia scilicet vult se communicare, & suum esse, non quòd eius esse sit propter aliud à se. Sicut aqua refrigeratur per seipsam ad conseruationem suæ speciei, non vt refrigeret aliquid extra se. Sed quòd aliquid refrigeret extra se, hoc consequitur eam; quia aliud propinquatur ei, ita quòd secundùm se, si nihil ei appropinquatur, stat perfecta in sua specie, absque eo quòd aliquid refrigeret.

Sed contra hoc instatur, quòd ex sententia Auicennæ sequatur quòd si aqua non posset stare in frigiditate sua absque hoc, quòd aliud frigefaceret, non esset summè perfecta in frigiditate: & similiter de Deo, quòd si non esset summè perfectus in se, quia necessariò communicaret perfectionem suam alij rei necessariò, perfectionem suam habere non posset sine dependentia ad illud: & ita Deus perfectionem suam non haberet, si res non produceret; quod falsum est.

ARTIC. I. SECT. II.

Deum non agere ex necessitate scientiæ.

QVòd Deus non agit necessitate suæ scientiæ, secundùm quòd dicit Auicenna, quòd scilicet non solùm agit necessitate naturæ; immò non agit sine eo quod sua scientia comprehendat ordinem nobiliorem. Contrà sic; Deus cùm sit esse purum, non contractum, nec limitatum, rationem omnis entis possibilis in se claudit; & ampliùs, sicut intelligendo se, intelligit rationes omnium entium, eadem ratione intelligit omnem ordinem rerum possibilem; non ergo vno modo; ergo non necessariò. 8. *Refellitur secunda necessitas Auicennæ.*

Si dicatur, quòd cùm scientia sua sit ars perfecta omnium producendorum, ac per hoc determinat modum nobiliorem simpliciter, & perfectione sua requirente, non potest alium modum determinare. Tunc arguo sic, quòd tunc necessariò dependeret sua perfectio à rebus extrà, quod est impossibile, vt *suprà* dictum est. *Obiectio.* *Diluitur.*

Item, ars determinans vnum modum, & excludens alium, est ars, & scientia practica: scientia autem Dei non est practica, quia non habet aliam scientiam de se; & de creaturis; de se autem non habet scientiam practicam: ergo scientia Dei non est vnius modi sic determinata, quòd alium modum possibilem excludit. *Scientia Dei non est practica.*

SCHOLIVM.

Quod hîc ait Scotus de qualitate scientiæ Dei, nimirùm neque quatenus versatur circa essentiam suam, neque quatenus tendit in creaturas, esse practicam, docet multis in locis, videlicet quæst. 4. *prologi,* §. Si obiiciatur, vers. Licèt hæc, *vbi probabilius putat scientiam, quam Deus de se habet, non esse practicam; quia licet moueat affectum, seu actum voluntatis, non tamen est regula eiusdem voluntatis; quia hæc ex se est regula perfectissima suarum operationum. Et ibidem,* §. Tertius articulus, *propter eandem rationem, probabile putat nullam scientiam, quam Deus habet de aliis rebus extra se, practicam esse. Idipsum docuit in* 1. *dist.* 38. *quæst. vnica, alia simili ratione; quia scilicet ad rationem scientiæ practicæ pertinet, vt voluntati dictet, aut proponat aliquid faciendum: aliter enim, cùm cognitio præcedat omnem actum voluntatis, voluntas non poterit non velle, quod intellectus ita proponit; & proinde Deus necessariò voluisset facere quæ fecit circa creaturas. In præcitata tamen quæst.* 4. *prologi,* §. Ad quartum posset concedi, *putat probabiliter posse defendi Dei scientiam circa necessaria, esse practicam, non quod sit de opere aliquo faciendo; sed quia præcedit affectum, ipsúmque mouet: & tandem ibidem,* §. Ad argumentum igitur, *statuit quoddam principium ambiguum ex parte voluntatis; An scilicet volitio sit dirigibilis, seu regulabilis hoc, vel illo modo, ex quo probabiliter ait vtramque*

partem defendi posse. Deinde, §. Secundus articulus, & deinceps, magis inclinat in eam sententiam, quòd scientia contingentium in Deo sit merè speculatiua, licèt aliunde, & per accidens, possit esse practica.

Artic. I. Sect. III.

Deum non agere ex necessitate voluntatis.

10. *Improbatur tertia necessitas Auicennæ.* QVòd non agat necessitate voluntatis, secundùm quod dicit Auicenna; quòd eo, quòd scientia comprehedit meliorem modum in productione, voluntas autem recta, & perfecta, necessitate saltem immutabilitatis, semper adhæret rationi & scientiæ; ac per hoc voluntas Dei vult immutabiliter res producere secundùm modum meliorem, quem scientia sua percipit. Contrà: quandocunque voluntas, vel alia potentia, per se fertur in aliquod obiectum formale, habens habitudinem necessariam ad illud, tunc necessariò fertur in illa, quæ habent essentialem habitudinem ad illud obiectum, & non fertur necessariò in illa, quæ habent accidentalem ordinem ad illud obiectum. Verbi gratiâ; intellectus noster percipiens naturalem veritatem aliquorum principiorum primorum, percipit naturaliter conclusiones, quæ ex illis eliciuntur necessariò: non autem illas, quæ habent accidentalem ordinem ad illa principia, immò contingenter. Hoc patet in viribus sensitiuis; quia illa, quæ sunt essentialiter annexa propriis obiectis, naturaliter simul percipiunt cum obiectis: vt tactus sentiendo calidum, simul percipit tepidum: accidentaliter autem annexa non percipiunt simul, vt si calidum sit album, vel dulce, non percipiunt illa. Quare cùm voluntas Dei non feratur per se, nisi ad bonum adæquatum, quod est bonitas sua, non fertur ad volendum necessariò, nisi illa, quæ suæ bonitati essentialiter sunt annexa, qualia sunt omnia diuina, & sola intrinseca. Omnis autem creatura ad bonitatem Dei accidentalem habet ordinem, quia ex eis bonitati suæ nihil accedit; sicut nec punctus additus lineæ: nulla ergo necessitate vult aliquid extrinsecum; nihil facit, nisi quod vult, & sicut vult: ergo nihil extrinsecum facit, vel producit de necessitate.

Articvlvs II.

Statuitur, & confirmatur sententia Catholicorum.

11. SEquitur secundò, videre quæ sit positio Catholicorum, & eam confirmare. Circa quod sunt quinque videnda. Primò, quòd Deus vult bonitatem suam per se, & de necessitate, non necessitate coactionis, quæ tollit libertatem; sed necessitate immutabilitatis, quæ non eam excludit. Secundò, quòd vult alia à se, & hæc volendo se. Tertiò, quòd voluntas Dei est causa rerum, & nullum habet motiuum in causando. Quartò, quòd Deus agendo res per voluntatem, nullo genere necessitatis eas agit; sed potuit non producere quidquid produxit, & antè, vel pòst. Quintò, oportet ostendere, qualiter contingentia possit simul stare cum immutabilitate voluntatis, & infallibilitate scientiæ Dei de rebus. Sextò, quomodo est certitudo in Scripturis, & Propheticis, & diuinis promissis.

Artic. II. Sect. I.

Deum necessariò velle bonitatem suam, non tamen necessitate coactionis.

CIrca primum sic procedo, & habet iste articulus duas partes: prima est, quòd velit solùm per se suam bonitatem: secunda, quòd de necessitate immutabilitatis. Ad primum sic: Omnis potentia prima in illo genere potentiæ, habet suum obiectum, primũ & perfectissimum. Exemplum huius patet, per omnes potentias discurrendo; sed voluntas Dei est voluntas omnino, & simpliciter prima, quæ est omnium causa: ergo volitum debet esse bonum simpliciter bonum; hoc autem non est, nisi ipsum quod est ipse Deus. Item 6. *Metaphysic. text.* 8. bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum in animâ. Deinde velle dicit actum per modum tendentiæ ad obiectum intellectum. Tunc sic: omnis potentia naturaliter fertur in suum obiectum, maximè voluntas, quæ de se tendit in bonum: ergo voluntas Dei naturaliter fertur in bonum: sed impossibile est, quòd feratur ad bonum extrinsecum naturaliter, quia tunc ab eo naturaliter dependeret: ergo fertur ad bonum, quod est infinitum, naturaliter. Item, obiectum per se, & potentia, sunt eiusdem ambitus; si enim esset color, qui non esset visibilis, virtus visiua esset imperfecta, & ille color frustrà: vnde omnis color est visibilis, & virtus visiua potest attingere omnem colorem. Cùm igitur voluntas sit infinita: ergo eius per se obiectum est bonum infinitum: sed non est tale bonum nisi diuinum; igitur bonum diuinum est solùm per se obiectum diuinæ voluntatis. 12. *Obiectũ Diuinæ voluntatis est bonũ infinitum.*

Quòd autem velit suam bonitatem necessitate non coactionis, quæ dicit violentiam, quæ non cadit in Deum, nec etiam in voluntatem nostram; sed immutabilitatis, probatur; potentia perficitur per hoc, quòd actui coniungitur, siue actui differenti à potentia secundùm rem, siue secundùm rationem; si enim ista coniunctio intelligatur in potentia, & actu, quæ solâ ratione differunt, ibi actus perficit potentiam secundùm rationem, & modum intelligendi: igitur quantò firmiùs potentia actui coniungitur, tantò perfectior iudicatur, sed firmior est coniunctio, quæ est immutabilis. 13. *Deus, necessitate immutabilitatis vult suam bonitatem. Violentia non potest cadere in voluntatẽ Diuinam, aut creatam.*

Nec oportet dicere, ergo hac etiam necessitate vult extrinseca; quia illa volendo non perficitur, nec vilescit; quia, vt dicam, non vult illa, nisi per accidens, volendo se. Quare & actui volendi extrinseca, inquantum actus dicit aliquid ex parte diuinæ voluntatis, semper est coniuncta & ab æterno; sed inquantum *velle* denominat connotatum, tunc non semper est coniuncta; volendo autem se, semper est coniuncta actui, & ex parte sui, & ex parte politi.

Item, voluntas Dei, aut semper vult suam bonitatem, & tunc immutabiliter; aut nunquam, & tunc est otiosa, vel aliquando non, & aliquando sic, & tunc mutatur. Item, vnumquodque secundùm quòd magis est in actu, perfectiùs agit, siue ratio agendi sit naturalis, vt caliditas; siue libera, vt amor: ergo in genere agentium per amorem, quantò maior est amor, tantò actus dilectionis intimior est, & actualior, & magis continuus. Cùm autem voluntas recta fertur in amatum, fertur in illud secundùm rationem boni 14.

quam

quam habet, sed diuina essentia habet rationem boni infiniti; ergo per infinitum actum amoris fertur diuina voluntas in ipsam; ergo immutabiliter semper.

Artic. II. Sect. II.

Deum velle alia à se volendo suam bonitatem.

15. Circa secundum, quod similiter continet alia alia duo; quòd scilicet velit alia à se, & quòd vult ea volendo bonitatem suam. De primo sic, quandocunque aliqua potentia fertur in aliquod obiectum per se, fertur in illa quæ habent ordinem ad ipsum, secundùm rationem illius ordinis; vt si habent ordinem essentialem, fertur in illa necessariò; si accidentalem, fertur in illa per accidens: cùm igitur bona extrinseca sint bona participantia, ac per hoc habentia ordinem quendam accidentalem ad bonum per se; quia quantum est de se, essentialiter in illud ordinantur, vt in finem: ergo voluntas Dei aliquo modo fertur in illa: mala autem non vult fieri, quia non participant rationem primi boni.

16. Item, sicut se habet scientia Dei ad scibilia, ita voluntas ab bona: sed non est differentia entis, quam intellectus diuinus non cognoscat: ergo non est aliqua differentia boni, quam voluntas diuina non velit.

Item, quando aliqua potentia fertur in rationem formalem obiecti, fertur etiam in omnia quæ illam participant; vt visus ad omnia colorata; sed omnia extrinseca participant aliquo modo rationem boni; quia, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: ergo voluntas diuina vult ea. Item, voluntas diuina est in plena possessione diuinę bonitatis, alioquin non esset Deus plenè beatus: ergo impossibile est quòd bonitas diuina alicui communicetur, nisi hoc voluntas velit: sed communicatur omni ei, quod est, vel existit: ergo voluntas vult omnia illa esse.

Gen. cap. 1.

17. Quòd autem velit ea volendo se, patet: ostensum est, quòd bonum diuinum est per se primum volitum à Deo. Tunc sic: primum in qualibet genere, est causa eorum, quæ sunt pòst: vt patet 2. *Metaph. text.* 4. de caliditate in igne: ergo voluntas diuina vult alia à se; quia vult suam bonitatem. Item, aut voluntas diuina vult alia à se, per se, & hoc ostensum est esse falsum; quia solum bonum infinitum vult per se: ergo vult ea per aliud: non nisi per bonum increatum: ergo vult ea volendo bonum increatum.

Item, sicut se habet intellectus ad cognita alia à se; sic voluntas ad alia bona à se; sed intellectus cognoscendo diuinum verum, cognoscit omnia: ergo voluntas volendo diuinum bonum, vult alia bona.

Artic. II. Sect. III.

Dei voluntas est causa rerum, nec ab alio extrinseco mouetur ad causandum.

18. *Voluntas diuina causa omnium rerum.* Circa tertium, quòd voluntas Dei est causa rerum, & nullum habet motiuum in causando, quod etiam continet duo; quòd scilicet sit causa rerum, & quòd à nullo moueatur ad causandum. Ad primum sic, voluntas diuina & bonitas sua ad se essentialiter referuntur, sicut potentia ad obiectum per se; cùm igitur bonitas diuina referatur in ratione bonitatis se referendo ad omnes creaturas, in ratione finis: ergo voluntas diuina se referendo refertur ad creaturas in ratione aliqua causæ; non finalis, quia hæc est bonitas: non formalis, quia illa refertur ad Verbum; ergo efficientis. Quanquam igitur sapientia, & potentia Dei sint rerum causa, prima tamen ratio causalitatis est, ad quod spectat ratio communicabilitatis: sed hæc ratio est boni, inquantum bonum; sed bonum inquantum bonum, non communicatur nisi à voluntate, cùm sit eius passio; ergo ratio causalitatis principaliter spectat ad voluntatem.

Item ostensum est, & adhuc ostendetur, quòd effectus non procedunt à Deo aliqua necessitate, sed mera libertate: ergo illi debet attribui principaliter ratio causabilitatis, ad quod spectat principaliter ratio libertatis; sed hoc est voluntas; ergo, &c. 19.

Item, potentia executiua existente, & intellectu cognoscente rem producendam, non propterea res producitur, nisi imperet voluntas, & ad opus potentia applicetur, vt patet in artifice. Vnde potentia executiua videtur esse quasi instrumentum; scientia, vel intellectus quasi ordinans; voluntas autem vt mouens; sed efficiens & mouens idem sunt: potentia autem etsi mouet motum exequendo, mouetur tamen primò à voluntate: ergo ei debetur principaliter ratio mouentis, ergo potissima ratio causalitatis est in voluntate.

SCHOLIVM.

In varias abeunt Theologi sententias circa hanc difficultatem, in quo scilicet consistat potentia diuina, vel rerum externarum causalitas, cui potentia propriè & formaliter sit attribuenda? Quinque Doctorum opiniones refert Theodorus Smisingus tract. 3. disput. 7. quæst. 2. & vltimam, quæ est Scoti, amplectitur, quam etiam alij Scotistæ, & quidam ex Thomistis sequuntur, ipsam scilicet, quam hîc docet Scotus, nempe diuinam potentiam proximam & adæquatam esse solam Dei voluntatem. Ita citatur Doctor in 1. dist. 37. quæst. vn. versiculo: Et secundùm hoc. *Attamen licèt communiter à Theologis in hunc sensum pertrahatur, mihi videtur nihil ibi constanter asseruisse, sed sub conditione tantùm insinuasse. Volens enim probare, quòd posset intelligi Deum operari, vbi non esset secundùm substantiam, si alioquin non esset immensus, ait:* [Si enim omnipotentia est voluntas, ad cuius velle sequitur rem esse, cùm voluntas possit æquè velle distans sicut propinquum, videtur, quòd si omnipotens esset, per impossibile, in aliquo loco determinato, & non vbique, posset velle aliquid esse in alto loco, cui non repugnaret esse, & per consequens suo velle illud haberet esse in illo loco, & per consequens illud fieret ab Omnipotente absque hoc, quòd Omnipotens esset præsens ibi secundùm essentiam.] *Nihil itaque circa hanc difficultatem eo loco Scotus determinauit; neque alibi iudicauerim clarius hanc expressisse sententiam, quàm in hac quæstione; alibi distinguit potentiam executiuam ab intellectu, & voluntate, & executiuam potentiam vocat instrumentum, intellectum appellat potentiam dirigentem, & in voluntate veram & formalem constituit rationem causalitatis. An autem hoc sit intelligendum de voluntate actuali, vel prout est sub actu, an verò de ipsa facultate volendi, seu de voluntate, prout est sub actu primo, disputant aliqui;* mihi

mihi videtur ex illo loco Scoti citato, clarè deduci, eum constituisse potentiam hanc in ipso actu volendi, seu voluntate actuali. Ad cuius, *inquit*, velle sequitur rem esse. *Similiter habet in fragmento vltima quæstionis, ad finem huius operis, num. 3. Vide eum in 4. dist. 13. quæst. 1. num. 31. §.* Ad illud *: vbi ait voluntatem esse principium creaturæ.*

20. *Voluntas diuina à nullo mouetur ad operandum.* De secundo sic: non mouetur à creaturis, quia causantur à suo velle, nec habent rationem finis respectu diuinæ actionis: nec mouetur à potentia diuina; tum quia potentia inquantum talis, abstrahit ab omni actualitate; tum quia de ratione sua est indeterminata ad hoc, vel illud producendum: voluntas autem determinatè facit hoc, & non illud; nec mouetur à scientia diuina; quia secundùm rationem scientiæ sumpta est contrariorum, nec plus illius, quàm istius: voluntas autem determinatè est istius, & non illius: ergo à se, non ab alio aliquo mouetur.

21. Aduertendum est hîc, quòd sicut potentia, & scientia, sunt indeterminata respectu vtriusque extremi contradictionis, pro quocunque *nunc* diuisim: ita & voluntas, & velle Dei, eodem modo est indeterminata; quia idem est voluntas, & potentia, & scientia: sed res diuina, quæ realiter ex parte sua est indeterminata, accipitur sub ratione voluntatis, seu volentis rem esse: & secundùm istam considerationem apprehenditur à nobis vt determinata: cùm tamen potentia, & scientia sub istis rationibus non apprehendantur, vt determinatæ: immò vt re, & ratione omnino indeterminatæ; cùm autem voluntas, & velle quidem sit idem re quod scientia, realiter non est omnino indeterminata: sed sub ratione voluntatis, seu velle apprehenditur à nobis, vt determinata; quæ determinatio non est realiter in ea, sed realiter in creatura, secundùm rationem in voluntate Dei.

Hinc est, quòd si quæris, quare hoc factum, & non oppositum? Respondeo, quia Deus hoc voluit, & non oppositum; cùm tamen eodem velle omnino, realiter velit hoc, & oppositum: & istud est multùm notandum.

SCHOLIVM.

Hoc idem dubium mouet Doctor in 1. dist. 8. quæst. 5 §. Et si quæras. *Et similiter respondet, dicens, indisciplinati esse quærere omnium rerum causas, & demonstrationes, nullámque causam assignari posse, quare voluntas diuina magis determinetur ad vnum contradictoriorum, quàm ad alterum, quàm quòd* volũtas est voluntas; *sicut huius, quare calor est calefactiuus, nulla est causa, nisi quia* calor est calor: *neque enim vlla alia causa prior poterit assignari. Similiter docet in 2. dist. 1. quæst. 2. §.* Ad quartum dico.

22. Item, finis mouet alia; ergo vltimus finis simpliciter, mouet omnia simpliciter, & à nullo mouetur: hoc est Dei bonitas: ergo voluntas à sola bonitate mouetur.

Item, omne mouens facit aliquam impressionem in moto, ac per hanc, re, vel ratione arctat mobile: ergo si voluntas diuina mouetur à creaturis, coarctant eam, & sic diminueret de ratione libertatis: sed oportet dicere, quòd Deus per omnem modum libertatis producit res; alioquin ab eis dependeret: ergo à nullo diuina voluntas mouetur. Dicitur tamen, quòd voluntas Dei operatur secundùm rationem, & scientiam, non mouentem, sed dirigentem, secundùm modum nostrum intelligendi.

ARTIC. II. SECT. IV.

Voluntatem diuinam non producere res ex necessitate naturæ, neque ex necessitate ipsius voluntatis.

Circa quartum, quòd scilicet non necessitate naturæ voluntas diuina res producat: iam ostensum est hoc: sed adhuc ad idem sic arguo; Sicut forma in mente artificis est principium rei extrà, (vt domus in anima domus ad extrà:) sic forma naturalis in agente naturali, est principium effectus naturalis, vt caliditas ignis, caliditatis in ferro: sicut igitur agens per artem vnam, non agit, nec agere potest extra rationem illius; vt agens per formam domus, non facit nisi domum: sic agens per naturam, non agit nisi vnum; quia natura in vno est vna: igitur si Deus necessitate naturæ agit, aut omnia sunt vnum, aut saltem vnius speciei. 23. *Deus non agit necessitate natura.*

Fortè diceretur, quòd Sol agat per naturam, & tamen agit omnia generabilia. Non valet; quia illa varietas in effectu, non est nisi ex varietate materiæ; vt dum eodem radio Solis indurata, applicata, & quasi contracta, & particularizata, contrahitur ad diuersa: sed ex se Sol non agit nisi vnum: vnde primus effectus, qui est lumen, est omnino vnus: sic Deus, aut non posset immediatè multa producere; aut illa omnia essent vnius rationis, & speciei: quæ omnia sunt superiùs in quadam quæstione * improbata. 24. * quæst. 2. n. 25. & seqq.

Item, effectus naturæ ex intimis procedit, & natura, quantum potest, effectum sibi æquat, & assimilat; ideò de filio Dei dicitur, (etsi non est effectus Patris, est tamen Verbum Patris, procedens modo naturali) quo Patri est æqualis: ideò sequeretur, quòd aut nulla creatura esset Dei imago; aut quòd omnis creatura esset Dei imago, vel ad imaginem Dei; & quòd quælibet esset æterna, aut saltem, quòd omnes simul essent, aut quòd Deus eas non potuit facere simul. 25.

Item, omnis causa naturaliter producens, reali relatione refertur ad productum; relatio autem, si est realis, dicit realem dependentiam: sed impossibile est quòd Deus realiter dependeat à re producta. 26. *Causa realis reali relatione refertur ad effectum,*

Item, quilibet effectus habet stabilitatem, & durabilitatem secundùm aspectum suæ causæ naturalis, maximè ad ipsum, & secundùm actualitatem causæ; vt lumen habet stabilitatem à Sole, & fructus ab arbore: igitur cùm natura diuina sit actualissima, & æterna, omnis effectus ab ea procedens, esset æternus, & haberet necessitatem essendi: quod est contra Auicennam, qui dicit, quòd creatura de se est possibilis non esse.

Quòd non necessitate voluntatis agat ostensum est *, & etiam patet. Non enim necessitate coactionis, quæ in Deum cadere non potest. Tunc sic; Videmus appetitum moueri ab appetibilibus, secundùm quòd in eis inuenitur ratio appetibilis. Hoc videmus in brutis, quia secundùm quòd imaginatione, seu æstimatione, perpendunt rationem appetibilis, maiori impulsu mouentur. In appetitu etiam rationali dicimus, quòd quia nullum bonum terminatum habet rationem * quæst. 2. n. 29. & in hac quæst. n. 10.

tionem totalem appetibilis (quia etsi fortè aliquod terminatum nihil habet mali, non tamen habet rationem omnis boni) non necessariò mouetur; aliter tamen est de voluntate Dei. Vnde dicimus, quòd voluntas necessariò appetit beatitudinem sicut finem. Vnde August. 13. *de Trinit. cap.* 5. dicit: *Omnes beati esse volunt, idque vnum ardentissimè appetunt, & propter hoc cætera quæcunque appetunt.*

Ex prædictis patet, quòd ad extrà nihil agat Deus de necessitate, nec necessitate *naturæ*, quæ ponit in agente dependentiam; nec necessitate *coactionis*, quæ agens naturale, & voluntarium contra propriam inclinationem per violentiam inclinat, quod in Deo non potest esse, cùm sit omnino impassibilis, & omnipotens; nec necessitate *immutabilitatis*, quæ virtutem agentem simpliciter in actum ligat; quod non potest facere, nisi finis simpliciter. Et hic est articulus condemnatus à Domino Stephano Episcopo Parisiensi; qui dicit; *Deum necesse facere, quidquid immediatè facit, error est.* De iis enim quæ facit per agentia creata, concordant Philosophi, & Auicenna cum Catholicis, quòd non necessariò illa producat.

Vide hos articulos in fine Magistri sent. vetustarum impressionum.

ARTIC. II. SECT. V.

Qualiter simul cum immutabilitate voluntatis, & infallibilitate præscientiæ diuinæ, poßit esse in rebus creatis contingentia.

28. CIrca quintum; qualiter contingentia rerum simul stare possit cum æternitate, & immutabilitate actus voluntatis diuinæ, & cum certitudine præuisionis eius.

Circa quod est primò dubium ex parte voluntatis, si æterno actu, & immutabili, vult quidquid vult? quoniam si verum est, quòd ab æterno voluit Petrum in tali *nunc* esse, & non antè, nec pòst? vel quomodo potest velle ipsum non esse in illo *nunc*, & in illo non antè, nec pòst? vel quomodo potest velle ipsum, non esse in illo *nunc*, antequam sit? vel quomodo velle ipsum ante, vel post esse absque nouo velle, vel absque æterni velle mutatione.

Tria dubia quæ solent occurrere circa rerum cõtingentiam.

Secundò est dubium, quomodo si vnico velle potest nolle rem esse, & velle esse diuisim pro quolibet *nunc*: quare plus ex illo velle indifferenti ad esse, & ad non esse, plus procedit res vt sit, quàm vt non sit?

Circa etiam præuisionem est dubium, quòd cùm Deus sit ars, & exemplar omnium, quæ possunt fieri sub quocunque momento temporis, ac per hoc etiam sciat causarum contingentium ordinem, & determinatum exitum, quoad omne futurum; quomodo potest poni rem aliter euenire sine suæ præuisionis deceptione.

SCHOLIVM.

Doctissimè tractat hîc Scotus omnia, quæ spectant ad conciliationem liberi arbitrij cum certitudine præscientiæ diuinæ, & immutabilitate decretorum Dei. De his etiam agit in 2. dist. 39. quæst. vnica, concordátque valde vtrobique doctrina. Plura tamen mouet hîc dubia, multáque explicat, quæ ad perfectam huius difficultatis, omnium grauissimæ, enodationem plurimum conducunt. Atque hæc sunt illa, quæ enarrari & declarari oportere dixerat, vt plenè soluerentur difficilia quædam dubia, quæ mouit de hac re in tract. de primo principio, cap. 4. concl. 5. Sed quærantur, *inquit,* in quæstione, quam de scientia Dei respectu futurorum contingentium disputaui. *Hæc autem illa est quæstio, vti præmonui in huius operis censura.*

Circa primum, ostendo in generali primò, quòd nec immutabilitas voluntatis, nec certitudo diuinæ præuisionis, tollat aliquam contingentiam à rebus. Et arguo sic: Voluntas Dei causa est rerum, vt ostensum est*. Ostensum est autem, quòd omnis necessitas producendi rem extrà, ponit dependentiam in producente: ergo quantò maior est dependentia, tantò maior necessitas: vbi ergo per infinitam rationem tollitur omnis dependentia, per infinitam rationem tollitur omnis necessitas; sed secundùm quòd à producente tollitur necessitas, secundùm hoc ponitur libertas: ergo Deus producit omnes res exteriores per infinitam rationem libertatis, quâ maior excogitari non potest: sed maior est libertas in agente, quòd potest producere, & non producere æqualiter pro omni *nunc* diuisim, & antè, & pòst, & in omni *nunc*, quàm si ad aliquod istorum esset determinatum: ergo iste modus productionis ponitur in Deo; non ergo tollitur contingentia in rebus ex parte diuinę voluntatis. 29.

Diuina scientia, & immutabile velle non tollunt contingentia in rebus.

* quæst. 2. n. 34.

Item, antequam ego velim aliquod futurum facere, eius productio dependet à mea voluntate: igitur cùm sit maior libertas voluntatis diuinæ, sequitur quòd quidquid à voluntate sua procedit, (& hoc est omnis effectus creatus) potest Deus velle vna voluntate esse, vel non esse diuisim, antè, vel pòst, vel in quolibet *nunc* temporis: sed actus volendi in Deo, est idem quod potentia, siue voluntas, & eiusdem ambitus, & aspectus*: ergo sicut vna potentia volitiua non mutata, potest velle, & vult de omni re, antequam sit, ipsam esse diuisim pro omni *nunc*; hoc idem voluntas diuina potest velle, & vult, vno, & æterno, & immutabili actu volendi; vt sit velle Dei hoc esse, & nolle illud esse; velle quòd sit in tali *nunc*, nolle quòd sit in illo, sed in alio. Sicut vnus actus simpliciter æternus voluntatis diuinæ est idem quod diuina essentia, vel diuinum esse: sed velle, & nolle, quæ idem sunt in Deo, sunt nomina dicentia respectum eiusdem diuini *velle* ad diuersos effectus; ita quòd ille respectus, & relatio, est realiter in creatura: sed secundùm rationem, & conceptum nostrum in Deo; sicut creator & Deus dicunt rei æternæ nouas relationes, quæ secundùm rationem sunt in Deo, sed secundùm rem in creatura. Ac per hoc patet, quòd vno modo est verum, Deus vult, & non vult simul rem, inquantum scilicet ille actus est idem quod Deus, nihil connotans. 30.

* Vide num. 18.

Alio modo non sunt idem, nec simul, imò successiuè, vt dicunt connotatum extrà; ita quòd successio secundùm rem est in connotatis, sed secundùm rationem, & nostrum cõceptum in Deo.

Item arguo de certitudine scientiæ; certum est quòd scientia, & voluntas in Deo, & sunt idem, & se commensurant; quidquid enim scit se facturum, vult se facturum, & è contrario: & quidquid vult se posse facere, scit se posse facere, & è contrario. Cùm igitur (vt ostendi) identitas, & immutabilitas voluntatis, & actus volendi quomodo est in Deo, respectu alicuius effectus producendi in aliquo *nunc* determinato, non tollat contingentiam, immò stat cum vtraque parte contradictionis, pro omni *nunc* diuisim; ergo determinatio, 31.

terminatio, vel certitudo scientiæ non tollit ab aliquo effectu quin vtraque pars contradictionis, pro omni *nunc* diuisim, possit euenire: & ista ratio est multùm notanda.

32. Item, ex parte voluntatis, & scientiæ, & rerum sic; In creaturis essentialiter ordinatis aspectus causæ superioris, vt superior est, non destruit aspectum causæ inferioris, secundùm quòd inferior est. Hæc de se est manifesta, immò conformi modo, causa superior inferiori cooperatur. Certum est autem, secundùm omnes Philosophos, vt patet 2. *Physicor. text.* 48. & sensus hoc ostendit, quòd causatum particularium quædam sunt necessariò producentes suos effectus, quædam contingenter: cùm igitur Deus sit causa superior, vt præsciens, cognoscens, & volens; ergo nunquam ratione suæ cognitionis, & voluntatis tollit effectui alicui contingentiam, immò firmat, & stabilit eius scientia contingentiam in omni effectu contingente: & sequitur oppositum illius, quod arguunt: Deus scit certitudinaliter omne futurum; ergo futurum contingens contingenter eueniet, & non de necessitate: sicut sequitur, Sol cooperatur in generatione hominis; ergo sic generabitur homo, sicut ab homine generante natus est generari. Vnde præscientia increata, & voluntas immutabilis, saluant, & firmant contingentiam in contingentibus. Vnde cùm salus & damnatio nostra partim à libertate nostra dependeant; sequitur quòd semper Deus scit vtrùm saluetur, vel damnetur aliquis: ergo potest saluari, vel damnari dependenter à libertate sua. Quia sicut diuinus intuitus videt vtramque partem contradictionis simul, non quidem simul esse, sed simul fore posse, non coniunctim, sed diuisim: sic & voluntas diuina vnico velle immutabili fertur super vtrũque extremum contradictionis, vult volens ipsa simul, non quidẽ simul esse, sed simul vult fore posse, non coniunctim, sed diuisim. Et sicut diuinus intuitus videt causarum contingentiam, & effectus ex eis contingenter futuros; sic diuinum velle vult causas creatas contingenter agere, & effectus contingenter euenire, vel necessariò, secundùm ordinem causarum.

Salus & condemnatio nostra à nostra libertate dependent partialiter.

Sic igitur in generali patet, quòd nec immutabilitas voluntatis, nec certitudo cognitionis oppositorum, (quia vt sunt in ipso non opponuntur) tollit contingentiam in effectibus contingẽtibus: quales sunt maximè actus liberi arbitrij.

33. Secundò, hoc est videndum in speciali, descendendo ad difficultates tactas*. Circa primam difficultatem voluntatis, si æterno actu, & immutabili vult, quidquid vult? Ostendi hoc quãtum potui in præcedenti quæstione*; quòd sicut diuinum esse vnum, æternum, simplicissimum, immutabile, claudit omnem rationem cuiuslibet entis facti, & faciendi per illud; vnde Angeli, vel Beati contemplantes illud, sciunt quidquid nos per omnia verba possumus dicere modo altiori, & nobiliori in infinitum; & sicut diuinum Verbum, Dei filius, Verbum, inquam, ęternum, vnum, simpliciter immutabile, claudit omnem rationem cuiuslibet verbi, cuiuslibet conceptus, qui à creatura potest dici, vel accipi per totam successionem temporum, etiamsi mundus duraret in infinitum; & sicut voluntas nostra, antequam actu volendi induatur, est in potentia ad volendum, vel nolendũ indifferenter de omni volito vtramque partem contradictionis diuisim pro omni *nunc*: sic Deus vno æterno simplici actu volendi,

* suprà n. 28.

Respondetur ad primum dubium circa rerum contingentiam.

* quęst. 3. n. 14.

qui non contrahit voluntatem Dei, cùm sit idem quod ipsa; ac per hoc tanti ambitus, & tanti aspectus, sicut ipsa potentia: cuius contrarium est in voluntate nostra, & suo velle vnico, dico, tali velle, vult rem esse, & non esse diuisim, pro omni *nunc*; ita quòd velle, & nolle idem sunt in Deo: sed dicunt diuersos respectus ad creaturas, vt in præcedenti quæstione* declaratum est.

* quæst. 3. n. 19.

Circa secundam dubitationem, in qua dicitur, quomodo si vnico velle potest nolle rem esse, & velle esse diuisim, &c. plana est responsio. Quòd Deus libertate sua vult hoc fieri, & non fieri; & plus vult hoc, quàm oppositum: sed illud plus velle, non dicit aliquid reale additum super simplex, & vnicum Dei velle: quare, sicut dixi, per vnicum velle indifferenter, potest velle, & nolle hoc esse diuisim; sic per idem velle non mutatum, potest hoc plus velle esse, quàm non esse, vel plus esse nunc, quàm antè, vel pòst. Vnde non est imaginandum, quòd illud quod dico, *plus velle hoc esse, quàm nõ esse*; dicat aliquid super *simpliciter velle*. 34.

Respondetur ad secundum dubium.

loco proximè citato.

Circa difficultatem ex parte intellectus, siue diuinæ cognitionis, & certitudinis, est sciendum quòd in effectibus duplex necessitas inuenitur; quædam absoluta, & per se; quædam per accidens, & secundùm quid. Necessitatem absolutam habet effectus, quando dependet à talibus causis, quæ ipsum necessariò producunt: sicut ponit Philosophus exemplum 1. *Physic. text. com.* 69. quòd necesse est animal corrumpi, quia est compositum ex contrariis; & si terra est inter Solem & Lunam, tunc Luna eclipsatur. Necessitatem secundùm quid potest habere, vel ratione temporis, vel ratione circunstantiæ: ratione temporis, quia currens quando currit: necessariò currit; quia secundùm Aristotelem circa finem 1. *Perihermenias, cap. vltimo: Omne quod est, quando est, necesse est esse.* Vnde in talibus, talis est necessitas, vt nec ex parte ipsius rei, nec ex parte alicuius virtutis, oppositum possit esse, nec intelligi; quia tunc contradictoria simul essent vera; super quod nulla se extendit potentia.

Respondetur ad tertium dubium.

Duplex necessitas in effectu.

Similiter dico, quòd illud quod fuit, quando fuit, necesse est fuisse, ita quòd in nullo istarum est potentia ad oppositum pro eodem *nunc*, vel tempore. Tale autem necessarium non habet necessitatem absolutam, sed secundùm quid, quia erat potentia in tempore præcedenti, vel potentia currentis, vel extrinseca causa, qua poterat impediri: nunc autem in illo *tunc* non potest non esse pro tempore, quo est, quamuis per accidens; id est, quando est, necessariò est. 35.

Est etiam aliquando necessitas in re ratione circumstantiæ; sicut si ego video te currere, necessariò curris; quia non potest esse, quòd ego videam te currere, & tu non curras: & tamen cursus de se, cùm sit à voluntate tua, simpliciter est contingens; & potuit non esse, quia potuisti velle non currere.

SCHOLIVM.

Distinctionem hanc necessitatis in secundùm quid & simpliciter, *tanquam omnino necessariam ad concordandam rerum contingentiam cum infallibilitate diuinæ scientiæ, præmittit etiam Doctor in* 1. *dist.* 39. *quæst. vn.* §. Ad primum respondeo, quòd illa propositio, *ibique doctissimè explicat suprà relatam Aristotelis propositionem:* Omne quod est, quando est, necesse est, *aliisque nominibus vocat has necessitates* consequentiæ, *&* consequentis. *Deinde*, §. Ad primum

primum argumentum secundæ quæstionis, *tractat diffusè, quod hîc subdit, scilicet ex necessario & contingenti, & argutissimas adhibet regulas logicales. Hîc tamen addit plurima, per quæ difficultates fermè omnes, quæ mouentur à neotericis, possint facilè dissolui, & alia, quæ quorundam modernorum faueant sententiæ.*

36. Ex omnibus patet, quòd aliquando effectus qui est contingens de se, per accidens habet necessitatem, & talis debet dici simpliciter, & per se, contingenter euenire. Regula enim est, quòd omne dictum ex contingenti & necessario, est contingens, & omne dictum ex temporali, & æterno, est temporale. Vnde creatio, quamuis ex parte Dei dicat actionem æternam, quia tamen includit creaturam, quæ est temporalis; est temporalis simpliciter. Similiter illuminatio domus dependet à Sole lucente, & existente in directa oppositione ad illuminandum, tanquam à causa necessaria; quia sic existens necessariò, quantum est de se semper illuminat: dependet etiam ab apertione fenestræ, tanquam à causa contingente; quia possum fenestram aperire, vel non aperire; ac per hoc possibile est domum non illuminari, & sic illuminatio domus simpliciter est contingens. Videmus etiam, quòd duæ arbores simul florent aliquando; & si hoc referatur ad virtutes particulares arborum, hic effectus simul florere est contingens; quia virtus vnius arboris, nullam causalitatem habet super aliam arborem: si autem iste effectus referatur ad virtutem superiorem solùm, quæ simul mouet humorem in vtraque arbore, ac per hoc simul facit florere, sic iste effectus est per se, & habet necessitatem.

Omne dictum ex necessario, & cōtingenti est simpliciter contingēs.

37. Similiter dico, quòd cùm Deus videat res fieri, & produci, sicut sunt in ordine suarum causarum particularium, à quibus per se, & absolutè habent contingentiam in euentu, vel necessitatem: sic dico, quòd omnis effectus, qui dependet à voluntate nostra, & aliquando contingentiam habet, vt antequam sit possit non euenire: & potest poni absolutè quod Socrates cras leget, & non leget cras: nec ex tali possibili sequitur inconueniens. Si autem ille effectus referatur ad Dei præscientiam, habet necessitatem, non absolutam, sed necessitatem per accidens, & respectiuam, seu consequentiæ, & respectu illius non potest poni oppositum.

38. Vnde quando dicitur, quòd præuisum & præscitum à Deo fore potest non esse in illo *nunc*: distinguendum est de potentia, dicendo, quòd potentia potest comparari, vel ad actum simplicem præcisè, & absolutè, absque comparatione ad actum diuinæ visionis; & tunc verum est simpliciter, quòd potest poni non euenire, & potest poni non esse. Vel potest comparari ad vnum actum, in comparatione & ordine ad alium; vt ad actum diuinæ visionis, & tunc non potest poni non euenire. Sicut si videam te currere, non potest poni quòd non curras, dum video te currentem, in se tamen fuit possibile quòd cursus non esset; quia potuisti velle non currere: & istum modum tradit Aristoteles *libro Elenchorum, cap.* 3. vbi dicit, quòd ista propositio, *Sedentem ambulare est possibile*, est multiplex, quia potest esse diuisa; vt si *possibile* determinet ly *ambulare* secundùm se & absolutè, vt separatum est ab actu sedendi, & sic in sensu diuiso est vera sub hoc sensu, *Qui verè sedet, habet potentiam, vt aliquando ambulet*; vel potest esse composita, vt ly *possibile* determinet actum ambulandi, vt coniunctum actui sedendi; & sic est falsa; quia sensus est, *Aliquis habet potentiam, vt sedendo, vel dum sedet, ambulet.* Sic in proposito; quem Deus præuidit damnandum, possibile est saluari in sensu diuiso, non tamen est possibile in sensu composito: nec tamen per hoc sequitur, quòd præuisio sit causa. Vt in simili, si ego video te currentem, non potest poni, quòd stante actu videndi, tu non curras; & tamen visio in ea nulla est causa, quòd tu curras, vel quin possis, vel antè potuisses cursum dimittere. Sic igitur omnes istæ sunt veræ, *Prædestinatus potest damnari, & præscitus saluari*, & similes.

Sic respondetur communiter ab omnibus Doctoribus, & benè; sed necdum quiescit animus aliquorum; quia dicunt, quòd si antecedens in aliqua conditionali habet necessitatem absolutam, & consequens; sed præscientia Dei est necessaria simpliciter; ergo & præscitum, vel præuisum euenire est necessarium simpliciter. 39.

Ad quod respondetur, quòd præscientia Dei, & voluntas dupliciter possunt considerari. Vno modo secundùm se, vt sunt diuina essentia absque respectu ad connotatum extrà: & isto modo habent necessitatem simpliciter; sicut dictum est esse necessarium simpliciter: vel vt habent respectum ad præuisum, vel ad volitum, quod connotant; cùm dicitur, *Deus præuidit illud futurum in tali nunc, vel vult illud esse in tali nunc*; & isto modo accipitur in proposito præuisio, & voluntas Dei; & isto modo (vt ostensum est *suprà*) cùm implicet æternum, & temporale, & contingens, & necessarium, totum est contingens: ideò antecedens vt accipitur in consequentia non habet necessitatem absolutam.

Præsciē ia & voluntas diuina dupliciter considerantur.

Sed nec adhuc quiescunt, dicentes, quòd sicut impossibile est te non currere, dum video te currere; sic impossibile esset, nunquàm te non currere, si semper viderē te currere: igitur cùm semper Deus videat, & semper actus visionis Dei stet respectu illius visi, impossibile est vnquā aliter fieri. 40.

Videtur etiam, quòd prædicta solutio includat illam simplicem contradictionem, quam implicat dictum Auicennæ dicētis, quòd creatura de se est in potentia ad esse, & non esse, & cùm à Deo est, necesse esse: ita dicitur in proposito, quòd iste potest saluari, & damnari de se, & cùm refertur ad visionem diuinam, habet quandam necessitatem.

Quibus etiam respondetur, quòd verum est, vt effectus ad visionem comparantur: inde tamen, vt dictum est, non sequitur quòd effectus in se habeat necessitatem. Et si his non acquiescant, dico sic resumendo quandam rationem superiùs factam, in qua dicitur, quòd scientia, & voluntas Dei eodem mòdo debent considerari, & verum est, & eiusdem ambitus, & indeterminationis sunt. Quod enim scit esse futurum, vult esse futurum, & quod non vult voluntate non præscit esse futurum; quia contra talem voluntatem impossibile est aliquid fieri; ergo eiusdem ambitus sunt. 41.

Num. 16. & 17.

Tunc sic: sicut velle diuinum potentiam diuinam non contrahit, sed est eiusdem limitationis & ambitus; sic scire diuinum potentiam cognitiuam non contrahit. Vndo sicut ostensum fuit *suprà*, quòd sicut voluntas Dei est ad vtramque partem contradictionis; sic & velle diuisim; quia vnico velle clauditur omne nostrum velle, & plus in infinitum: vnde velle, & nolle, s nt

idem actus in Deo; sed differunt per comparationem ad volitum & nolitum: cuius contrarium est in voluntate nostra, & suo velle. Sic per eundem modum omnino est intelligendum in intellectu, & scientia, vel præscientia Dei; quòd sicut intellectus noster ad actum intelligendi est in potentia, vt intelligat illud esse, vel non esse diuisim: sic etiam multò fortiùs intellectus diuinus vnus existens, & vnico æterno actu simplici cognoscendi, vel videndi, videt rem posse esse, & non esse diuisim; nec mutatur suus effectus, vt est in se actus quidam, idem quod ipse, cùm modò scit te esse, & cras sciet te non esse, vel cùm priùs sciuit te non esse, & modò scit te esse. Et sicut velle Dei, quo hodie vult certitudinaliter in tali *nunc* creare animam Antichristi, non mutaretur si facit, & vult cras, quòd in illo *nunc* non crearetur anima Antichristi, iuxta modum expositum *in præcedenti quæstione*; quia per eundem actum in se potest velle & nolle. Sic præscientia, quâ hodie, & ab æterno scit certitudinaliter talem effectum euenire in tali *nunc*, non mutatur, nec decipitur, si in illo non eueniat; sic enim fit Deus, de sciente certitudinaliter rem euenire, nesciens euenire, vel sciens non euenire in eodem absque deceptione. Sicut de volente certitudinaliter in tali *nunc* aliquid facere sic, fit volens facere, vel nolens non facere, absque sui mutatione. Et sic illud, de quo est verum dicere, quòd Deus vult illud certitudinaliter fieri in tali nunc, cras potest esse verum de illo eodem, quod Deus in illo nunc certitudinaliter non vult illud in illo nunc fieri: quare potest fieri de volente nolens, absque mutatione.

q.3.num.19 Vide Scot.in 1. d. 39. qu. vnica. §. *Similis est ratio.*

42. Sic dico, quòd illud, de quo hodie verum est dicere, Deus hodie scit talem rem in tali nunc certitudinaliter euenire, & cras potest esse verum, absque Dei deceptione & mutatione, Deus scit certitudinaliter illam eandem rem, in illo eodem *nunc* certitudinaliter non euenire, quia fit de sciente non sciens, vel sciens non, absque scientiæ immutatione: vnde certitudinaliter euenire, & certitudinaliter non euenire, cadunt sub eodem actu visionis Dei; sicut rem futuram esse, & futuram non esse, sub eodem actu voluntatis diuinæ: & sicut velle esse rem, & nolle, vel velle non esse, idem sunt realiter in Deo, sed differunt per connotata, sicut videre, vel scire futurum esse, & nescire, vel scire futurum non esse, sunt idem in Deo, sed differunt per connotata.

Vide Scot.in 2. d.1.q.2. §. *Respondeo.* & §. *Ad 1. argumentum.*

43. Ex his planè patet, quòd Deus per suam essentiam, vt habet rationem idealem, cognoscit omnia, tam vniuersalia, quàm particularia, præterita, præsentia, & futura: cognoscit, dico, particularia futura, etiam in sua actualitate, quam habebunt in tempore futuro: quia non est idem cognoscere actualitatem existentiæ rerum futurarum, & ipsas in propria natura existentes cognoscere: cognoscit etiam earum non esse simul cognoscendo esse; simul enim diuino aspectui offeruntur esse, & non esse cuiuslibet rei in ratione cogniti, etiam *esse*, & *non esse* verbaliter sumpta. Nec sequitur, quòd si esse, & non esse actualiter ex virtute cuiuslibet rei in ratione cogniti nunc Deo offeruntur, & simul offeruntur, quòd propter hòc esse actualiter essentiæ rei futuræ in proprio genere nunc sit: vel quòd simul in proprio genere actu sit, & non sit. Patet etiam, quòd sicut diuinum esse simplex, continet omnes differentias entium factorum, & factibilium, & vnum Dei Verbum, omnium verba, vel omnes conceptus quos successiuè potest aliquis intellectus, vel cóceptus per totum tempus, etiamsi infinitè duraret, concipere de aliqua, vel de omnibus rebus affirmatiuè, vel negatiuè; sic etiam omnes actus volendi, quos potest elicere vna creata voluntas de aliqua, vel de omnibus rebus affirmatiuè, vel negatiuè, vt volo hoc, volo non, vel nolo, volo antè, volo pòst, vel quocunque modo actus volendi mutarentur in nobis successiuè, de vna, vel de omnibus rebus per totam durationem temporis, etiamsi tempus in infinitum duraret; omnes illas differentias volendi claudit vnus actus diuinus volendi simplex, non diuisibilis, propter suam infinitatem, excedentem in vno actu simplici, omnes actus meos volendi: sicut suum esse excedit omne esse in omni differentia: & velle & nolle Dei de eadem re, vel velle fieri antè, vel pòst fieri, sunt simul, simultate, quam habet *nunc* æternitatis, quæ simul habet latitudinem cum indiuisibilitate non simul simultate *nunc* temporis, sed simultate *nunc* æternitatis, inquantum coëxistit *nunc* temporis præsentis.

Est autem dubitatio, quia quamuis visio Dei certitudinaliter, & immobiliter feratur simul super actualitatem existentiæ cuiuslibet rei, & super illam, quam habebit in futuro; illam autem actualitatem futuram, in ratione cogniti, sic præsentialiter intuetur, sicut te video currere, dum curris; quia cùm Deus non possit facere, quòd dum video te currere, cursus tuus non sit: sic non potest facere, quòd dum videt actualitatem existentiæ rei futuræ, illa in illo futuro non sit, quod est contra prædicta. 44. *Dubium 1.*

Est etiam dubitatio, quia si Deus scit rem esse in proprio genere, eo quòd scit, & cognoscit suum velle, & suum nolle, à quibus res habent esse, & non esse, cum secundùm dicta, velle Dei non sit magis determinatum, vt res sit, quàm vt non sit; cùm voluntas Dei omnino sit illimitata, nec contracta, & omnino respectu cuiuslibet effectus libera, si nulla determinatio est inter velle, & nolle, siue velle non; nullam certitudinem habet diuinus intellectus de euentu rei in proprio genere. 45. *Dubium 2.*

Et est dicendum, vt prædicta pateant, quòd sicut diuinum velle, ex sua identitate, vnicum, & simplex, continet omne nostrum velle, & nolle, & omnes actus volendi, qui in nostra voluntate possunt esse successiuè; sic etiam continet in sua simplicitate omnes differentias rerum, quæ sunt creatæ actu, vel omnes actus nostræ voluntatis per totum temporis decursum: & ideò sicut ego per vnum actum volendi, possum velle, quòd hoc magis fiat, quàm illud, vel antequam illud, & magis quòd hæc res fiat, quàm quòd non fiat, vel è contrario; diuinum Dei velle continet omnia illa magis velle, vel minùs velle, vel nolle plus quòd hoc sit, quàm vt sit, vel è contrario. 46.

Ex quo patet solutio illius dubij, quare ab vnico Dei velle indifferenter se habente ad esse, & non esse nunc, quòd res magis sit, quàm quòd non sit, vel è contrario.

Ad primam autem dubitationem hîc motam, dico, quòd aliter fertur intuitus diuinus super actualitatem existentiæ futurorum præsentialiter; aliter visus super cursum dum video te actu currere; non enim quia video actualitatem cursus tui, ideò cursus est actu in proprio genere. Visio autem actualitatis, quam habet res in proprio genere, non requirit simpliciter ex ratione visionis 47. *Respondetur ad 1. dubium.*

visionis, quòd illa res actuetur in proprio genere; nam Deus videt nunc actualitates, quas habebunt res, quando erunt in actu in proprio genere. Et tamen illæ actualitates non sunt nunc in proprio genere: sed quòd creatura aliqua non possit intueri in proprio genere, nisi existat in proprio genere, hoc est, quia illam cognitionem accipit à re, quod non facit Deus.

Secundò, cùm res non possint simul esse, & non esse in proprio genere, non potest fieri, quòd videã te currere, & quòd cursus non sit actu: sed potest fieri quòd Deus ab æterno videat istum cursum, quem tu modò vides, & tamen cursus non erat actu in proprio genere, propter dictam causam.

Item, cùm video te currentem, video præsentialiter ipsum cursum in ratione cogniti; & in ratione præsentialitatis in proprio genere existentis: & sic est ibi duplex præsentialitas. Dum autem dicitur, quòd Deus videt præsentialiter futura, est ibi solùm præsentialitas in ratione cogniti, nõ præsentialitas rei in proprio genere: quia non potest fieri, quòd videam te currere, & non curras; sed quia idem potest esse præsentialiter in ratione cogniti, & non esse præsentialiter in ratione entis actu in proprio genere; ideò potest fieri, quòd res, quam Deus non præsentialiter videt, non sit nunc in proprio genere, nec ex tunc eueniat actu. Vnde sic Deus videt nunc præsentialiter rem futuram in sua actualitate, sicut videt nunc rem præteritam in sua actualitate: nec tamen oportet, quòd res præterita, nec nunc, nec aliàs actu sit in proprio genere.

48. *Respondetur ad 2.* Ad secundam dubitationem patet; quia si vnicus actus volendi in Deo in sua simplicitate, continet omnes actus volendi, siue abstractiuè, siue negatiuè, siue secundùm magis, vel minùs velle, quos potest voluntas creata per successionẽ temporum eligere; sic simul cùm in determinatione suæ immensitatis continet omnes determinationes nolendi, quæ possunt causari etiam per tempus infinitum in actibus nostræ voluntatis; & eius visus fertur simul super immensitatem, & illas virtuales determinationes. Secundò, simul scit, & videt Deus, quod potest de omni re facere pro quolibet nunc, quòd sit, vel non sit diuisim; & simul scit, quòd determinatè fiat altera pars certitudinaliter. Et sicut cum determinatione, quæ est in voluntate Dei, quòd talis pars certitudinaliter eueniet, stat idem terminus, qui est ex immensitate, secundùm quam, & propter quam, Deus potest nolle, vel velle, quòd non eueniat; nec mutatur voluntas, si oppositum illius, quod primò fuit nolitum, modò sit volitum, & actu eueniat; sic cum certitudine diuinæ visionis de altera parte euentus, secundùm quòd videt determinationem in voluntate Dei, pro illa parte stat, non dico incertitudo, sed scientia, & visio certa de opposito, secundùm quòd videlicet idem velle diuinum, ratione diuersitatis, immensitatis, & indeterminationis potest velle oppositum.

49. *Obiectio.* Sed contrà; velle hoc non ponit certitudinem in volito; non enim si volo te currere, sequitur quòd curras; sed visio ponit certitudinem in re visa: quia si video te currere, curris; ergo dato quòd ab eodem actu diuinæ voluntatis dependeat esse rei, vel non esse; vel dato quòd velle non ponat certitudinem in volito; quia stante eodem velle posset oppositum euenire: non tamen ita est de scientia, vel visione Dei.

Solutio. Respondeo; duplex est cognitio Dei circa res, vna speculatiua, secundùm quam cognoscit omnia, absque hoc quòd actu existant, vel non existant. Et isto modo simul cognoscitur esse, & non esse rei. Alio modo quasi practicè: & isto modo cognoscitur res considerando suum velle, & suum nolle, à quibus dependet existere, vel non existere rei. Vnde ad illud, quod Deus heri voluit esse, in *A*, hodie possit velle non esse in *A* absque mutatione sui velle; ita quòd videt futurum id absque visionis mutatione. Quære de hoc in quæstione tertia. Et sicut videre simul esse, & non esse rei, (*esse* dico nominaliter, non verbaliter) non habent opponere, vt sunt in Dei visione, imò simul illa videt; sic certitudo existentiæ, & certitudo non existentiæ, non habent respectu Dei visionis oppositionem, sed in se. Non sic de visione nostra, quæ est contracta, & sequitur rerum existentiam cùm ab eis dependeat. *Cognitio Dei alia speculatiua, alia practica.* *Num. 19.*

Sed si dicas, Deus sciuit Cæsarẽ esse certitudinaliter; Deus modò scit Cæsarem non esse certitudinaliter; sed quidquid aliquando sciuit, modò scit; ergo modò certitudinaliter scit esse, & non esse. 50. *Obiectio.*
Responsio. Non valet; quia esse, & non esse; siue fuisse, & non esse, non cadunt in Dei scientiam, sed in rẽ connotatã. Et sic patet ex prædictis, quòd Deus simul & videat te esse saluatum, & te damnatum, & simul omnia extrema cuiuslibet contradictionis cognitione speculatiua; quæ non eget in Deo existentia rei in proprio genere. Simul, dico, talia videt in quolibet instanti. Cuius ratio est, quia simul ab æterno in quolibet instanti videt quidquid est in re, & quidquid successiuè potest fieri in ea, vel de ea, vel circa eam; alioquin quando actu esset oppositum eius, quod modò est, non videt illud, quia nihil recipit à re. Si autem certitudinaliter videt extrema cuiuslibet contradictionis, vt habent esse actu in proprio genere, pro quolibet instanti futuro; non coniunctim, sicut cognitio speculatiua, sed diuisim; non enim coniunctim esse possunt in proprio genere, sicut coniunctim esse possunt cognita. Vt sicut verum est propter immensitatem, & ambitum diuini velle, Deus vult nunc certitudinaliter Antichristum esse actu in tali instanti; & Deus vult, vel potest velle, certitudinaliter Antichristum non esse in illo instanti eodem: ita quòd affirmatio, & negatio, non cadant super ly *velle diuinum*; sed super volitum diuisim: vtpote, vult hoc esse, vult non esse, vt ista dicunt successionem, non contradictionem; aut realem distinctionem ex parte actus volendi: quia per eundem actum volendi, vult hoc esse, & potest velle id non esse diuisim, absque sui mutatione, vt dictum est. Sic eodem actu visionis, qui fertur super illud certitudinaliter velle, & certitudinaliter velle non, videt certitudinaliter Antichristum futurum in tali instanti. *Vide Scotũ in 1.d.39. q. vn. § Similis est ratio.*

Et si potest poni, quòd videt non futurum actu diuisim in eodem instanti, vt sit absque scientiæ mutatione, & deceptione, & Deus certitudinaliter sciat hoc esse in tali instanti. Et potest poni quòd scit certitudinaliter illud idem non esse, vel fore diuisim in illo eodem instanti: vt affirmatio, & negatio non ferantur ad certitudinem scientiæ, sed ad scitum. Sic dicendo: Deus certitudinaliter scit Antichristum fore in instanti, & certitudinaliter potest scire, imò scit diuisim, ipsum non esse in eodẽ instanti. Tota enim mutatio, & oppositio certitudinis istius sciti, & sui oppositi, est circa rem scitam, & suũ oppositum. Sicut cũ dico: Deus sciuit te lecturum antequã legeres; Deus scit te legentẽ, dum legis, Deus sciet te legere, dum leges, 51.

sciuit, *scit*, *sciet*, non dicunt aliquam mutationem in Deo, quia in sua scientia non est *sciuit*, nec *sciet*; nec etiam *scit* præsentis temporis, vt cadit in præteritum, sed tantùm *scit* in præsenti æternitatis; ita quòd sua scientia semper est simul, & præsens, nunquam præterita, nec futura. Ita velle certitudinaliter hoc esse, velle certitudinaliter illud idem non esse, scire æternaliter hoc futurũ in tali *nunc*, scire æternaliter id non futurum in eodem *nunc* diuisim, non dicunt distinctionem, nec oppositionem, & successionem in diuino velle, vel scire, sed solùm in scito, seu connotato. Sicut idem centrum se toto respicit omnes lineas ab ipso procedentes, neque ex parte centri habent distinctionem; & illud centrum, vt respicit vnam lineam, potest vocari vno nomine, & vt respicit eandem sub alio situ, vel motu circuli, alio nomine; & tamen in se nulla est variatio, vel successio.

Artic. II. Sect. VI.

Ex sacra Scriptura probatur hæc libertas, & immutabilitas voluntatis diuinæ.

52. EX parte etiam voluntatis, ostendo quòd in Scripturis, prophetiis, & promissis diuinis sit immobilitas; & tamen semper potest oppositum facere, pro quolibet *nunc* diuisim. Certum est, quòd nil tam liberum, quàm amare, & quantò amor maior, tantò liberior; quantò magis liberum, tantò minùs necessarium necessitate coactionis; & si efficiatur effectus extrinsecus, sic est à libertate, quia excludit omnem modum necessitatis, tam coactionis, quàm immutabilitatis respectu Dei, vt ostendi. Vera est ergo hæc consequentia de Deo respectu effectus extrinseci, quòd quantò ex maiori amore procedit, tantò firmius est, & immutabilius; vt patet in Beatis, qui certi sunt, quòd à beatitudine cadere non possunt, & tamen non habent aliam certitudinem nisi Dei amorem; qui quantò maior, tantò liberior, & quantò liberior respectu cuiusdam effectus extrinseci, tantò magis potest facere, & non facere.

53. Ex quo apertè patet, quòd libertas diuina ad posse facere, & non facere, non tollit certitudinẽ, & firmitatem, & immutabilitatem, sed tollit omnem necessitatem. Promissa autem diuina, & dicta aut sunt conditionaliter, & sic firmitatem habent sicut promissa sunt; aut simpliciter dicta, & tunc illo modo firmitatem & immutabilitatem habent absolutam. Sic dico de Prophetis, quia aut prædicunt res, inquantum Deus ostendit eis euentum rerum secundùm ordinem causarũ particularium,
Reg. 20. & tunc sicut prædicunt, sic verũ dicunt: vnde Ezechias mori debebat secundùm gradum infirmita-
Ionæ c. 5. tis, & Niniue subuerti secundùm rationem, & demeritum iniquitatis; secundùm tamen causas superiores, quæ sunt in voluntate Dei, & mors, & subuersio poterát impediri. Nec mentiti sunt Prophetæ, si aliter euenerit, quàm prædixerunt, quia illud præuident in mente, & voluntate Dei esse futurum, quod quamuis nullam habeat necessitatem vt fiat; quia Deus, (sicut dixi) sine sui mutatione, quod modò vult, potest nolle: tamen Deus scit quòd nulla causa occurret, quare ipse oppositum velit; & talia secundùm omnem modum fir-
Isaiæ 7. v. 14. missimè eueniunt; qualis fuit illa prophetia: *Ecce Virgo concipiet*, &c. Sic igitur dico, quòd Deus nulla necessitate rem aliam à se producat.

54. Sed est hîc notandum, quòd illa, quæ sunt alia à Deo, dupliciter possunt cõsiderari; vel quantum ad essentias suas, & esse quiditatiuum; vel quoad esse actualis existentiæ. Primo modo, omnia, quæ sunt, & fieri possunt, habent ad Deum essentialem comparationem: quod enim per essentiam, & quiditatem est aliquid, non potest ab aliqua potentia non esse tale; quia quiditatem, vel essentiam habet res, inquantum ideam habet in Deo. Vnde sicut idea habet necessariò esse, sic & quiditas ei correspondens. Sicut igitur Deus non esset intra se perfectus, nisi haberet essentiam à rebus imitabilem, & quia essentia, per hoc est essentia, quòd habet in Deo causam exemplarem; sicut necesse est, quòd Deus sit; sic necesse est quòd essentiæ rerum sint: & quantùm ad tale esse, res sunt à Deo per necessitatem suæ naturæ. Si autem considerentur quantum ad esse actualis existentiæ, cùm tale esse ex eo sit quia Deus vult (quod si non vellet, vel Deus nollet, non esset minor Dei bonitas, neque perfectio minor) ideò nulla creatura quoad tale esse aliqua necessitate, sed mera libertate, & voluntate, à Deo procedit.

Qvæstio V.

Vtrùm Deus possit aliquid educere de nihilo?

Alens. 2. *p. q.* 6. *mem.* 2 *ar.* 1. *&* 4. D. Thom. 1. *p. q.* 45 *ar.* 1. *&* 2. D. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *ar.* 3. *q.* 1 Rich. *ar.* 1. *q.* 1. *&* 2. Durand. *q.* 4. Henric. *in sum. art.* 2. *q.* 23. Vasq. 1. *p. disp.* 172. Occam 2. *dist.* 1. *q.* 4. Ægid. *quodl.* 6. *q.* 4. Vide Doct. *in* 2. *dist.* 1. *q.* 2. *&* 5. *Met. q.* 2. *& lib.* 7. *q* 8. *& in Theorem.* §. Causa naturaliter est, *&* §. Creans non est nisi, *&* 2. *Reportat. dist.* 1. *q.* 3.



IRca hanc quæstionem est sic procedendum. Primò, videndum est quid dixerint antiqui Philosophi. Secundò, quid sentiunt Catholici. 1.

Articvlvs I.

Referuntur opiniones veterum Philosophorum.

CIrca primum sciẽdum, quòd secundùm quòd dicit Commentator super 12. *Metaph. com.* 9. circa productionem rerum sunt quinque modi dicendi; duo omnino contrarij, & tres medij. *Opinio Philosophorum.* Modi autem omnino contrarij, vt dicit, sunt ponere creationem esse formarum latitationem in materia. Et hæc est positio Anaxagoræ, qui dicit quòd generatio rerum, nihil aliud est, quàm exitus earum ab inuicem; & quidem agens non est nisi extrahens, & distinguens res priùs existentes; & faciens vt quid dicatur lignum, vel lapis, quia ita denominatur à prædominanti; ita quòd nihil producitur quod non totum priùs ibi esset in actu; sed productio est tantùm manifestatio, quia poliendo aliquis, dum facit ferrum clarum, nihil facit quod in ferro actu non esset; sed amouendo rubiginem, facit apparere claritatem.

Hæc positio, vt patet, non ponit, quòd aliquid fiat de nihilo: imò totum oppositum.

Alia positio huic contraria omnino, vt dicit, est eorum, qui dicunt creationem verè fieri sine vlla præsupposita materia, quia non ponunt rem fieri de aliquo, sed de nihilo omnino.

Mediæ autem positiones, vt dicit, sunt duæ: vna opinio est, quòd agens causat formam, & ponit eam in materia. Huius positionis sunt ponentes datores formarum, & isti distinguuntur. Nam quidam posuerunt omnem formam substantialem

Opinio Auicenna. lem imprimi materiæ ab agente separato; cuius positionis videtur fuisse Auicenna.

Alij distinguunt de formis: nam quædam generantur à simili per propagationem; & talia dicunt non esse ab agente separato, sed ab agente particulari suæ speciei; vt equus ab equo. *Opinio Themistij & Alfarabij.* Alia generantur per putrefactionem, & non à sibi simili, & talium formæ sunt ab agente separato, vt ab aliqua Intelligentia creante illam formam in materia: & huius positionis, vt idem dicit Commentator, visus est fuisse Themistius & Alfarabius, & dicit in hoc secum concordare. Quod ergo dicit Auicenna de omnibus formis substantialibus, hoc dicit Themistius solùm de illis, quæ fiunt non à simili.

Opinio Aristotelis. Tertia autem opinio media, vt dicit Commentator, fuit Aristotelis, dicentis quòd agens non facit nisi compositum; ita quòd nec sola materia, nec sola forma fit per se, sed solum compositum, forma, & materia verò per accidens.

2. Hæ autem omnes opiniones, vt dicit Commentator, dicunt ex nihilo nihil posse fieri: inter quas, vt ibidem dicit, verior est opinio Aristotelis; quia, vt dicit, cum omnibus aliis in aliquo conuenit: conuenit enim cum creatione, inquantum dicit, quod est in po entia fieri in actu, & accipere esse post non esse. Conuenit cum latitatione, inquantum dici formas educi de potentia materiæ; quia quidquid educitur de potentia materiæ, aliquo modo est ibi, & in ea latet: vnde dicit quòd omnes opiniones intendebant illã Arist. sed nullus illorum ad eam potuit pertingere.

Ecce igitur, quod omnes antiqui intellexerunt de nihilo nihil fieri: quibus etiam consentit Auerroës Commentator, vt patet super 8. *Physic. com.* 4. *Opinio Auerrois.* nitens hoc probare. Et arguit primò, quia omni motui, & mutationi necesse est subiici aliquid. Secundò sic: Si aliquid fit de nihilo, hoc non est nisi per accidens: ex priuatione enim nihil fit per se, sed per accidens; omne autem per accidens reducitur ad per se; vt priuatio ad naturam ex quo aliquid; ergo si aliquid fit ex nihilo, hoc est, quod fit ex aliquo per se. Item, fama publica est Philosophorum ex n hilo nihil fieri.

Item, omne quod fit, priùs est in potentia; omnis autem potentia fundatur in aliquo: ergo, &c. sic igitur patet de ista quæst. quid antiqui dixerunt.

ARTICVLVS II.

Statuitur veritas Ca holica.

3. SEcundò est videndum, quid secundùm Fidei veritatem, & rectam rationem, est tenendum. A·l huius euidentiam sic est procedendum. Primò ostendendum est, quòd modus Commentatoris, qui ponit materiam æternam, & non creatam ab aliquo (& hoc idem posuit Aristoteles, vt dicit Magister Sententiarum 1. *dist.* 2. *libri*) quòd iste, inquam, modus stare non potest. Secundò ostendendum est, quòd necesse est dicere, quòd aliquid de nihilo sit productum, & produci possit.

ARTIC. II. SECT. I.

Probatur materiam primam fuisse à Deo creatam.

4. *Probatur quod materia sit creata.* CIrca primum sic arguo: ratio quare aliquid non potest esse ab aliquo, habens esse diuersum ab alio, est actus, siue actualitas illius, qui ab alio non est. Vnde primum ens, quia est actus purus, ab alio esse non potest: ergo ratio potentialitatis est causa quòd aliquid possit esse ab alio, à quo est distinctum in esse. & in essentia; sed materia de se maximè est in potentia, & est primò realiter distincta; ergo de ratione sua materia inter omnia quæ sunt, vel excogitari possunt, habet quòd sit ab alio. Non ergo rectè dicitur quòd alia sint à Deo creata de materia, ipsa autem non sit ab eo creata. *Argum.* 1.

5. Item, effectus cùm nihil habeat nisi à causa sua, & ab illa est aliud, vt in definitione causæ. *Argum.* 2 Cùm enim causa sit ad quam sequitur aliud, necessariò effectus cadit à perfectione causæ: si enim haberet totum quidquid habet causa, non esset propriè effectus. Vnde Filius Dei non est effectus, cùm sit omnino Patri æqualis; nec in diuinis recipitur ratio causæ, & effectus: omnis ergo effectus, inquantum effectus, elongatur à sua causa, & cadit ab ea. *Filius in diuinis non dicitur effectus Patris.* Cùm igitur effectus, inquantum effectus, dicat rationem potentialitatis, & casus ab actualitate, non est nisi per accessum ad potentialitatem. Igitur cùm materia de ratione sua, plus quàm aliqua creatura, dicat potentialitatem; sequitur quòd materia de ratione sua, habet primam & principalem rationem essendi ab alio: & hoc vel in se, vel vt existit in alio, vel cum alio.

6. Item, si materia non est à Deo facta, nec de aliquo præiacenti, nec de nihilo: ergo est ens *Argum.* 3. non creatum, nec factum; ergo est quoddam ens necessarium, habens necessitatem esse, omne autem tale per se participat rationem actus & entis: ergo habet materia esse actualissimum: imò est actus purus, & primus.

Item, esse ab alia in diuersitate substantiæ, *Argum.* 4. dicit dependentiam; ergo non esse ab alio in diuersitate substantiæ, dicit actualitatem: igitur si materia non est, neque esse potest ab alio, summè est actualis.

SCHOLIVM.

Materiam creabilem esse, & de facto à Deo fuisse creatam, & propriè esse terminum creationis, probat Doctor in vtroque scripto, Oxoniensi, & Parisiensi, in 2. *distinct.* 12. *quæst.* 2. *vbi etiam probat essentiam materiæ à nullo attingi posse, nisi à Deo, & materiam in Deo habere veram ideam.*

ARTIC. II. SECT. II.

Contra Philosophos ostenditur ex nihilo aliquid fieri.

CIrca secundum, scilicet quod aliquid de nihilo producatur, sic est procedendum. Primò videndum est, quare dixerunt antiqui quòd *ex nihilo nihil fit.* Secundò ostendetur, quòd illa causa locum non habet in Deo; ac per hoc quòd ipse operatur aliquid de nihilo. In 12. *Metaphysic. text. com.* 8. quærit Commentator, cùm agens de se formam non faciat; nec de substantia materiæ; vnde ergo est, quòd forma non sit ex nihilo? Et respondet Commentator, quòd non fit ex nihilo, quia fit ex transmutatione materiæ. Vnde in eodem 12. dicit Commentator, quòd si aliquid fieret sine transmutatione materiæ, quòd fieret de nihilo: ergo si potest ostendi, quòd sit aliquod agens, quod agit sine 7.

fine transmutatione materiæ, conclusum erit, quòd illud de nihilo potest aliquid facere.

8. Ad videndum igitur, quòd Deus agat sine transmutatione, est sciendum, quòd cuilibet causæ debeat effectus primus, & proprius assignari, sicut colligi potest ex verbis Aristotelis 2. *Physic. text. com.* 32. Primus & proprius effectus Dei est dare esse, & dando esse dat transmutationem, & motum creaturis: alia verò agentia primò transmutant, & transmutando dant esse.

Cuilibet causa est assignandus proprius, & primus effectus.

Primus, & proprius effectus Dei est dare esse; creatura verò transmutare.

SCHOLIVM.

Circa primam partem huius præsuppositi, scilicet, quòd primus & proprius effectus Dei est dare esse, *videtur Scotus mutasse sententiam in* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 1. §. Sed istæ rationes, *& in Reportatis ibidem; vbi latè impugnat has duas propopositiones, videlicet,* esse simpliciter est à Deo, *&* esse simpliciter terminat creationem, *quas Sanctus Thomas* 1. *part. quæst.* 45. *art.* 5 *adduxerat, vt probaret solius diuinæ virtutis esse creare: sed conciliari facilè potest, vt ibi dicatur Scotus agere dumtaxat* de esse compositi, *quod producitur à creatura in generatione, vt ibidem probat ex Philosopho: id autem fit à generante, præcedente motu & transmutatione, quod hoc loco etiam ipse admittit: illud verò* esse primum, & simpliciter, *quod soli Deo tribuit, producitur nullo præcedente motu, aut transmutatione, nullóque præexistente subiecto; vel sentit* esse *vt sic secundùm totam suam latitudinem correspondere secundùm adæquationem soli Deo,* esse *verò limitatum causis particularibus.*

9. Primum patet; quia nihil posset Deus transmutare, cui primò non dedisset esse, vel ei ex quo factum est illud: vt si Deus modò crearet aquam, & ex aqua faceret aërem, & illum aërem transmutaret, cùm transmutatio præsupponat substantiam, nullo modo posset istum aërem transmutare, nisi primò sibi dedisset esse, vel ipsum immediatè creando, vel creando ipsum mediante aqua, vel aliquo alio, ex quo productus est aër. Agens autem creatum è contrario; quia nulli dat esse, nisi primò dando motum: ita quòd primus actus, & proprius creaturæ est motus, vel transmutatio, esse verò secundus effectus. Ratio autem est istorum; quia vnumquodque agit secundùm modum suæ actualitatis; actio enim reducitur ad actum, & formam; sicut pati ad passionem: omne ergo agens, quod in sua actualitate habet admixtam passionem, quale est omne creatum, (vt superiùs est ostensum) eius effectus necessariò est actus potentiæ admixtus; actus autem admixtus potentiæ est motus, & transmutatio per se: transmutatio enim, siue motus, est actus imperfectus, & actus entis in potentia; vt patet 3. *Physic. text.* 16. ergo cuiuslibet entis creati, in quo est necessariò admixtio actus & potentiæ, eius proprius & primus effectus est transmutatio, & motus: non autem esse inquantum tale, quod esse de se non dicit aliquam potentialitatem. Si autem in *esse* inueniatur imperfectio, vel potentialitas, hoc non est ratione sui inquantum tale; sed ratione eius in quo recipitur; quia non est *esse* simpliciter, sed receptum & contractum; igitur esse inquantum tale, solius Dei est effectus; quia in eo non est admistio essentiæ, & potentiæ; cùm sit actus primus, & purus, vt ostensum fuit in alia quæstione. Quòd *esse* sit effectus proprius Dei, asserunt Sancti, & Philosophi. Dicit enim Dionysius, *c.* 1 *de diuin. Nomin.* quòd maximè effectus Dei est esse. Hoc idem Commentator super 2. *Metaphysica, text. com.* 4. Vult etiam Commentator quòd sit vnum per se ens, à quo omnia habeant esse: illud ergo quod non est per se ens, sed participat esse (quale est omne creatum) non potest esse immediata causa; ergo est eius causatio mediante motu & transmutatione.

q. 2. n. 16. & 28.

q. 1. n. 21.

Ex his concludo, quòd sicut omne creatum habet tanquam primum effectum, vel transmutationem, vel motum; cùm ista necessariò præsupponant subiectum, sequitur quòd omne agens creatum semper etiam agit ex aliquo: ens autem, secundùm esse, nihil præsupponit; quia non præsupponit aliud ens; quia si illud præsupponeretur, iam non totum ens esset effectus causæ primæ, & esset de illo per transmutationem: ergo agens, cuius est ens inquantum ens, nihil præsupponit. 10.

Ad horum maiorem euidentiam est sciendum, quòd cùm (vt ostensum est) proprius effectus causarum secundò agentium, sit fieri, fieri autem est in aliquo, illud autem in quo est fieri, non fit; sequitur quòd illud, in quo est fieri, secundùm quòd huiusmodi, non potest esse effectus agentis creati, cùm nulla causa præsupponat effectum suum, ista autem necessariò præsupponit illud, in quo est fieri. 11.

Item, si illud in quo est fieri, secundùm quòd huiusmodi, esset effectus secundorum agentium: necessariò secundaria agentia agerent, nullo præsupposito.

Ex his omnibus patet, quòd agens creatum agit, aliquo præsupposito. Cuius ratio est, quia ipsum *fieri* quod est effectus primus, necessariò est in aliquo; effectus autem causæ primæ (vt ostensum est) est *esse*, vel ens est: igitur cùm illud, quod præsupponitur, sit extra rationem illius quod educitur, inquantum tale, (materia enim inquantum talis, non est compositum) sequitur quòd si Deus (cuius effectus est ens) aliud præsupponit, quòd illud est extra rationem entis; nihil autem est extra rationem entis, nisi *nihil:* ideò sequitur, quòd præsupponit *nihil* in sua actione: cùm igitur transmutatio necessariò fiat in aliquo; patet quòd Deus non necessariò agat per transmutationem; ex quo conclusum est secundùm Commentatorem, quòd potest agere de nihilo. 12.

Supposito igitur quòd non agat per transmutationem, ostendo triplici via, quòd potest agere de nihilo. Prima via sumitur ex parte agentis; secunda ex parte producti; tertia ex parte modi productionis. 13.

Deum posse de nihilo agere.

De primo sic. Primò, accipiendo agens primum per comparationē ad alia agentia secundaria; tria sunt agentia, per ordinē se habentia, ars, natura, & Deus; & actio vnius præsupponit effectū alterius; ars præsupponit materiam, & formam, siue compositum: quod patet, quia, vt dicit Commentator super 2. *Physic. text.* 13. & habetur etiam circa principium 2. *de Anima, text.* 8. omnes formæ artificiales sunt accidentia, accidentia præsupponunt materiam, & formam, 1. *Physicorum text.* 80. *Subiecta materia cum forma, causa est eorum, quæ fiunt;* natura verò cùm producat tam formam substantialem, quàm accidentalem, & resoluat vsque ad materiam, solùm præsupponit materiam naturalem; qualis est illa, quæ est subiectum generationis, quam credo esse materiam corporalem. Ratio autem huius suppositionis est, quia agit per transmutationem, quæ necessariò præsupponit materiam

Probatur 1.

Vide Commentū Auerroïs hîc.

riam. Si enim (vt dicit Commentator super 12. *Met. com.9. & inde,*) sine transmutatione ageret, materiam non præsupponeret: sed Deus (vt ostendi) agit sine transmutatione; ergo agere potest de nihilo.

14. Sumendo autem primum, agens per se sine comparatione ad alia, sumitur etiam multiplex ratio ex actualitate, totalitate, perfectibilitate, primitate, vnitate. Ex primo sic: quantò aliquid plus habet de actualitate, plus habet de ratione actiui; quia res agit secundùm quòd est in actu: sed Deus habet infinitam actualitatem; ergo habet rationem agendi infinitam: sed si aliquid esset quod ab ipso non esset, ratio agendi non esset infinita in eo, & si ei necessariò aliquid præsupponeret, quidquid illud esset, non esset actualitatis infinitæ. Sicut actualitas naturæ, quia aliquid præsupponit, quamuis non quantum ars, propter hoc eius actualitas non est infinita: ergo oportet dicere quòd Deus in sua actione nihil præsupponit.

15. Ex totalitate: totalitas Dei est totalitas puræ actualitatis: omne autem aliud ab eo habet admistum de possibilitate: & propter hoc nulla creatura potest super totalitatem alterius, imò præsupponit aliquid potentiale in sua actione: igitur si sua totalitas est purus actus, potest totum quod est in re producere: vbi autem aliquid præsupponitur, non totum producitur.

16. Ex perfectibilitate sic: sicut diuinum esse se habet ad diuersa genera possibilium, sic eius potentia ad diuersa genera productibilium: sicut ergo suum esse continet omnes modos essendi, qui sunt, vel excogitari possunt, sic ab eius potentia procedunt omnia, quæ sunt, vel esse possunt: nullum ergo genus entis suam euadit causalitatem, sicut nec euadit quin suam participet entitatem.

17. Ex primitate sic; si Deus primus est simpliciter, nihil eum modo aliquo antecedit, sed ipse omnia secundùm rationem suæ primitatis antecedit: nunc autem sua primitas non est in genere, sed est omnimoda primitas; ergo secundùm omnem modum primitatis, omnia quæ sunt, vel esse possunt, antecedit: sed si aliquid esset, quod ab ipso productum non esset, non de necessitate omnia secundùm modum omnem præcederet: nam illud coæternum sibi esset; ergo necesse est, vt omnia sint ab ipso.

18. Ex vnitate si aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est, quòd causetur in ipso, ab eo cui essentialiter conuenit, sicut dicitur in principio 2. *Metaphys. text. 4. Omnia sunt calida participatione primi calidi, & omnia vera, participatione primi veri.* nunc autem impossibile est esse, vel intelligi, nisi vnum necesse formaliter, quod per se est ens, & esse, sicut visum est in quæstione

Num. 21. & seqq. de vnitate principij: ergo omnia alia à Deo habent suum esse participatum; ergo omnia, quæ *esse* quocumque modo participant, ipsum à Deo habent; sed hoc non esset, si nihil de nihilo faceret.

19. *Probatur 2.* Circa secundam viam, ex parte scilicet rei productæ, hoc idem ostenditur secundùm Augustinum *lib.83.qq.quæst.46.* dicentem: *Restat vt omnia sint ratione condita, nec eadem ratione homo, quâ equus.* Vnde ex parte Dei producentis, est dare rationem, quâ non solùm fiat homo, vel animal, sed secundùm quam fiat hic homo, & ille homo: non autem est sic in arte, vel natura. In arte non, quia quamuis aliqua sit ratio in mente artificis, secundùm quam facit hoc scamnum, & illud; imò & eadem: sed quòd scamnum hoc sit aliud ab illo, hoc non habet à forma, quæ est in mente artificis, sed à materia; quia hoc scamnum differt ab illo, quia hæc materia differt ab illa. Dato igitur quòd artifex faceret scamnum sine materia, faceret scamnum in vniuersali, non in particulari, quod est impossibile facere. Similiter est in natura; habet enim ignis quòd generet ignem; sed non habet quòd generet hunc ignem: si enim ignis ex parte sua posset generare hunc ignem, hoc esset altero duorum modorum; vel ignis generans communicaret sibi suum esse indiuiduum; vel quia ignis generans in se haberet aliam, & aliam rationem, vnde hunc ignem faceret. Quodlibet autem istorum de se patet esse falsum ad sensum; ergo ignis generatus, est ignis, & hic ignis; sed quod sit ignis, hoc habet à generante; quod sit hic ignis, à materia habet; ergo si ignis generaret ignem absque materia, generaret ignem in vniuersali, non hunc ignem, quod est impossibile.

Vide Scotũ in 3.d.22. q. 1. §. Per hæc ad formã argumenti.

SCHOLIVM.

Quod hîc præsupponit, & repetit in quæst. seq. n. 8. & 27. videlicet materiam esse principium indiuiduationis, vel quòd ignis sit hic ignis per materiam, vti docet sanctus Thomas, latè impugnat Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 5. §. Contra istud, *& quæst. 6.* §. Ad quæstionem, *docétque indiuidualitatem sumendam esse ab hæcceitate, vel vltima realitate cuiuscumque entis, siue totalis, siue partialis. Explicari fortassis possent, quæ hîc dicit in eo sensu, quo ipse posteriori loco citato interpretatur loca Aristotelis pro sententia sancti Thomæ adducta. Vide eundem lib 12. Met. q. 20. & Scholiasten ibidem.*

Ex quibus patet, quòd cùm omne agens creatum, vel agat naturaliter, vel agat artificialiter, agit ex suppositione materiæ, quia non potest produci effectus, nisi sit hic effectus. Deus autem cùm habeat rationes vniuersalium, & particularium, potest producere omnia, & vt sunt res, & vt sunt tales res.

Item, sicut suprà ostensum est, cùm in effectibus videamus rationem vniuersalis, & particularis, vtpote quòd hoc est ens, & tale ens, ideò in 20. causis oportet considerare rationem causæ particularis, & vniuersalis. Nunc autem ita est, quòd illud, quod procedit à causa vniuersali, secundùm rationem, qua procedit non est, vt si generatur ignis, non est ignis in vniuersali; sed ignis fit ex non igne; ergo in emanatione effectus secundùm rationem vniuersalem, secundùm illam non existit. Cùm igitur Deus sit causa vniuersalis, & sic causa entis (vt ostensum est) sequitur quòd ab ipso fiat ens, ex non ente; sicut fit omne ens participans: sed si non est dare effectus per se, non est dare effectum per accidens, vel per participationem: effectus autem dicit nouitatem; ergo effectus per se dicit totalem nouitatem: totalis autem nouitas non est, si aliquid illius præsupponitur; ergo oportet dare effectum, cuius nihil supponitur, & sic est de nihilo: aut nullus effectus secundùm quid est possibilis in vniuerso.

Circa tertium, ex parte scilicet modi agendi; 21. *Probatur 3.* modus enim agendi sequitur modum essendi; sicut ergo esse aliquorum agentium de necessitate requirit aliquod possibile, in quo recipitur, sic &

actio eorum de necessitate præsupponit aliquid ex parte passi; & aliquod possibile in quo recipiatur. Modus ergo agendi aliquorum agentium, est ex præsuppositione potentiæ passiuæ; sed Deus, quia est ipsum esse, sicut suum esse non requirit aliquod possibile in quo recipiatur; sic & modus agendi eius, & sua actio, non de necessitate requirit aliquid, in quo possit recipi; sed potest de nihilo nullo præsupposito producere.

22. Item, secundùm quòd agens plus habet de ratione primitatis minùs præsupponit; vt patet in arte & natura: ars enim quia præsupponit naturam, ideò eius actio præsupponit actionem naturæ: ergo vbi est in agente ratio omnis primitatis per omnem modum, ibi omnino nihil præsupponitur.

Item, suppono quòd inter motus, & mutationes, est aliquis ordo; generatio enim præsupponit alterationem, & omnis motus, motum localem: sed secundùm Philosophum 8.*Phys.text*.73. omnis motus dicit ordinem ad motum cœli, quamuis totaliter non continet veritatem, hoc saltem idem est, quod ordo est in motibus.

SCHOLIVM.

*Dicit hic non esse omnino, & vndequaque verum, quòd omnis motus dicat ordinem ad motum cœli: etenim, vti ipse docet in 4.dist.*48.*quæst.*1.§.Si arguatur, *non dicit omnis motus ordinem ad illum motum cœli, tanquam ad mensuram essentialem, sed accidentalem dumtaxat, quæ per applicationem, vel extensionem mensurat, sicut vlna pannum.* Et §. Ad tertium, *dicit primitatem motus cœlestis ad alios motus non esse primitatem causæ, vel alicuius, à quo dependeant essentialiter; sed tantummodo cuiusdam perfectionis in aliquibus conditionibus motus, vt in regularitate, & velocitate.*

Tunc arguo; in motibus ordinatis, oportet dare primum, & per se, quod est mensura aliorum omnium, vt dicitur 10.*Metaph.text*.104. sed nulla mutatio est mutatio per se, nisi illa, in qua totum est de nihilo; vt ostendi: ergo aut oportet dicere, quòd non est motus, nec mutatio, nec aliqua operatio in natura; aut oportet dicere quòd aliquid de nihilo producatur: si enim non est, aut saltem esse non potest, quod est primum simpliciter in genere, nec aliquod posterius esse potest.

23. Probatur: Nisi mutatio & motus terminentur ad aliquod nouum, nulla mutatio est simpliciter; sed si materia, vel aliquid in productione rei, semper præsupponeretur, nulla res esset totaliter noua: ergo nulla esset in natura, vel arte mutatio, quod ad sensum patet esse falsum.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm creatura possit aliquid creare?

Magister *in 4 dist.5.cap. vltimo.* Alens.2.*par.quæst.6.mem.*2.*art*.4.Diuus Bonauentura 2.*dist.*1.*art.*2.*quæst.*1.Durandus *ibidem. quæst.*4 Diuus Thomas 1.*part. quæst.*45.*art.*5.*&* 4.*dist.*5.*quæst.*1.*art.*3. Ægidius *quodl* 5.*quæst.*1. Richardus *art.*1.*quæst.*4.Henricus *summa art.*25.*q.*6.*& quodl.*4.*quæstione vltima.* Vasquez *in* 1.*part.disputat.*175.*&* 176.*cap.*1.Caietanus, Bannes, Valentia, *ad locum citatum Diui Thomæ.* Doctor cum suis *in* 4.*distinct.*1.*quæst.*1.*in Report. ibidem.* Vide ipsum 7. *Metaphysic. quæst.*2. 8.9.10. *&* 9. *Metaphysic. quæst.* 11. *in solutione secundi principij, & in theorem.*§.Creans non est nisi.



CIRCA istam quæstionem, tria sunt ostendenda. Primò, quòd creatura creare non potest. Secundò, quòd nec communicari ei potest hoc. Tertiò, quòd nec cooperari Deo potest. 1.

ARTICVLVS I.

Ostenditur creaturam non posse creare.

Circa primum sciendum, quòd quamuis Auicenna, Themistius, & Alpharabius, & quidam alij Intelligentias posuerunt creatrices; vt in præcedenti patuit quæstione: duplici tamen via, authoritate, & rationibus ostendi potest euidenter, quòd nulla creatura de nihilo possit aliquid producere; ac per hoc, nec creare. Quia secundùm quòd dicit Magister Sententiarum, Creare est aliquid de nihilo producere. Augustinus 12.*de Ciuit. Dei, cap.* 24. *Neque enim* (inquit) *fas est vllius naturæ quantumlibet minimæ, mortalisque, creatorem nisi Deum credere, ac dicere etiam, antequam possit intelligi. Angeli autem, quos illi Deos libentiùs appellant, etiamsi adhibent, vel iussi, vel præmissi, operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo, tamen tam non eos dicemus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum, atque arborum.* Ambrosius *lib.*3. *de Spiritu sancto; cap.* 19. loquens de Spiritu sancto dicit: *Non ergo creatura Spiritus, sed Creator, non vtique creatura, & quia creatura non est, sine dubio creator est omnium.* Si ergo creator nullo modo potest esse essentialiter creatura, sequitur quòd nullo modo creatura potest esse creator, ac per consequens non potest creare. Hugo *de Sacramentis, parte 6. cap.* 36. distinguit sex genera operum; & dicit quòd quatuor illorum soli Deo sunt possibilia, inter quæ primum ponit opus creationis. Anselmus *in Monolog. cap.* 27. dicit quòd summa essentia est sola creatrix, & quòd sola per se, non per aliud fecit omnia de nihilo. Damascenus *lib.*2. *de fid. Orthod. cap.*3. dicit: *Quotquot autem sunt, qui essentiam vllam quacumque tandem illa sit, ab Angelis procreatam esse contendunt, horum ore pater ipsorum Diabolus loquitur.* Aristoteles *in principio Cœli, & Mundi, text.* 2. *Per hunc numerum* (scilicet vnitatis) *adhibuimus nos magnificare vnum creatorem, Deum omnium.*

Creatura nulla creare potest. lib.2.dist.1.

Ex quo apparet, quòd nulla creatura potest creare: & multæ aliæ possent adduci de hoc authoritates; sed nunc dimittantur.

SCHOLIVM.

*Conclusionem huius articuli probat Scotus authoritatibus, & rationibus, quarum potissimas habet etiam in 4.dist.*1.*q.*1. *Præcipuæ rationes desumuntur ex S. Thoma 1.p.q.45.ex Henrico quodl.4.q.vlt. Ægidio quodl.* 5.*q.*5. *quarum vim eneruat ibidem multis adductis obiectionibus in contrarium.*

Rationibus sic. Possunt autem rationes hoc probantes ad sex radices reduci. Prima est, *Creantis principij entitas.* Secunda, *Causalitas.* Tertia, *Actualitas.* Quarta, *Primitas.* Quinta, *Communicatio actionis.* Sexta, *Creaturæ limitatio.* 2.

Prima igitur via ex parte Dei, sumitur *ex parte entitatis.* Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd esse creaturæ in tribus specialiter videtur differre ab esse diuino. Esse enim diuinum est primarium, creaturæ est secundarium; ac per hoc esse diuinum non est dependens; esse creaturæ

Esse creaturæ in tribus differe ab esse Dei.

ne

Esse creaturæ necessariò dependens. necessariò est dependens, quia primum non dependet necessariò à secundo.

Secunda differentia est, quia esse diuinum est purum, esse creaturæ est mistum potentia, participatum, & receptum.

Tertia differentia est, quia esse diuinum non potest esse contractum, nec ad genus, nec ad speciem; esse cuiuscumque creaturæ potest ad vtrumque esse contractum.

His visis. Secundò suppono, quòd causa creans, cùm totum producat de nihilo, necessariò est causa totius rei secundùm omnem rationem suam, & nihil præsupponit; ac per hoc est causa rei, vt est ens.

Ex prædictis igitur differentiis ostendo, quòd nulla creatura, quia non potest esse causa rei, vt est ens, per consequens nullam rem potest creare.

3. Ex prima igitur differentia primi, & secundi, arguo sic: secundùm ordinem, qui est in effectibus, secundū priùs, & posteriùs, & necessariò inuenitur in ipsis, necessariò infertur ordo prioris, & posterioris in causis, à quibus essentialiter dependent, & per quas formæ recipiuntur in materia, inter omnes autem formas, siue rationes rerum, ratio eius, quod est *esse*, est vniuersalior, ac per hoc prior, & est illud primū, quod intelligitur res recipere, scilicet *esse*: primum enim creatarum rerum est *esse*; ergo si secundùm ordinem effectuum est ordo in causis, & è contrario; ergo primus effectus, qui est *esse*, est à prima causa simpliciter; sed sicut causa secunda præsupponit primam; sic eius operatio, siue effectus præsupponit effectum primæ: omnis ergo operatio creaturæ præsupponit, & facit tale, vel tale ens in specie, sed creans nihil præsupponit; ergo impossibile est vt creatura creet.

4. Ex secunda differentia, quòd scilicet creatura habet esse participatum, & in alio receptum. Differentia enim est inter perfectiones puras, & in alio receptas, vel participatas; quia perfectio prima, seu separata, quantò vniuersalior, tantò perfectior, & actualior: sed perfectio participata, & in materia recepta, quantò vniuersalior, tantò imperfectior; vt forma corporis, quàm animalis, & animalis, quàm hominis. Si autem istæ perfectiones vniuersaliores separatæ existerent, essent perfectiores & actualiores, vt viuere esset perfectius, quàm animal, quia tale viuere haberet omnem rationem vitæ, & viui. Similiter si ratio entis separata existeret, contineret rationem entis non contracti: & quia sub ratione entis continentur rationes omnium, ideò contineret rationem omnis entitatis, & tale ens dicitur esse Deus. Vnde isto modo ens ponitur non contractum etiam *viuere*, non tamen aliud ab illo *esse*.

5. Ex his patet, quòd ratio entis vt est recepta quidem in omni creatura, habet minus de actualitate, & plus de potentialitate, cùm sit magis vniuersalis. Cùm igitur res non agat, vt est in potentia, seu ens imperfectum; sed vt est actu, & perfectum; ergo nulla creatura agit, vt est ens, hoc est, per rationem entis; sed per rationem minùs vniuersalem, secundùm quam magis est in actu, verbi gratia, inquantum ignis, vel homo: ergo nunquam creatura est causa rei, vt est ens; sed vt est tale ens: ergo præsupponit rationem entis.

6. Ex tertia differentia, quâ dicitur, quòd Deus non habet esse aliquo modo contractum, arguo sic: Quidquid competit triangulo, competit omni triangulo; ergo à simili, illud, quod est causa entis, est causa omnis entis: hoc autem creaturæ competere non potest, quia tunc esset causa suiipsius.

Si dicas, quòd idem concludit, quòd Deus non sit causa entis, inquantum est ens, quia tunc 7.
esset causa omnis entis, & per consequens suiipsius. Non valet instantia; quia cùm dicitur, quòd aliquid est causa entis inquantum ens, est causa omnis entis creati, & per consequens sui: Deus autem non est creatus; ideò non sequitur quòd si sit causa omnis entis, quòd sit causa sui.

Ex prædictis omnibus patet, quòd si omnis creatura in agendo præsupponit rationem entis, & solùm facit tale ens, cùm creans nihil præsupponat, nulla creatura potest creare.

Ex parte causalitatis arguitur sic: Deus est causa 8.
rerum per modum artificis, rationes omnium productiuorum continentis, non solùm in vniuersali, sed etiam in particulari, sicut dicit Augustinus 83. q. 49 *de ideis*: *Non* (inquit) *eadem ratione conditus est homo, quâ equus: singula enim propriis sunt distincta rationibus*; in illa enim causa tantas rationes videris horum vigere; non sic in arte, vel natura accipitur. Etenim quamuis aliā habeat ideam styli, & cultelli, non tamen aliam habet respectu istius, & illius: duo enim styli eiusdem quantitatis, & conditionis non habent diuersas ideas in artifice; sed quòd differant numero, hoc habent per materiam; habet ergo artifex in se vnde faciat stylum, (Vide Scholiū 3. q. præcedentis.) sed si sine materia faceret, faceret stylum vniuersalem, non istum, vel illum: hoc autē est impossibile, cùm omnis actio creaturæ terminetur ad singulare: non ergo potest sine materia aliquid facere. Similiter est in agente naturali: habet enim ignis vnde generat ignem; sed non vnde generat istum ignem. Hoc enim non potest facere nisi duobus modis; vel quia ignis generans communicat igni generato suum esse indiuiduum, & sic destituet seipsum; aut vnū esset duo: vel quia ignis generans in se haberet aliam, & aliam rationē, per quas generaret diuersos ignes: quod patet esse falsum. Differūt ergo duo ignes generati ab igne per materiam, sicut in exemplo artificis. Si ergo ignis generaret ignē sine materia, generaret ignē vniuersalem. Cùm igitur omne agens, quod potest excogitari, agat per naturam, vel per artē (nam agens voluntarium est artifex,) & quodlibet istorum eget materia, vt ostendi: ergo impossibile est, quòd agens aliquod creatum agat de nihilo. Deus autem habet rationes rerum, non solùm in vniuersali, sed in particulari; & ideò res, quæ ab ipso procedunt, procedunt secundùm esse, & omnem modum essendi. Cùm igitur omnis creatura in essendo habeat esse in aliquo potentiali receptum, cùm sit composita *ex quo est*, & *quo est*, ex esse, & essentia, sequitur quòd omnis creaturæ actio necessariò sit in aliquo recepta, ac per hoc aliquid præsupponit.

Tertiò sic arguitur: cùm sit duplex potentia, sci- 9. *Potentia duplex, agentis & materiæ.*
licet potentia agentis, & materiæ, & omne quod de non esse ad esse actu producitur, priùs fuit in potentia, quàm in actu, eorum quæ producuntur de non esse ad esse, quædam solùm sunt in potentia agentis, qualia sunt creata; quædam in potentia agentis, & materiæ, vt generata; quæ autem sunt in potentia materiæ, & agentis, non procedunt ab agente tanquam à tota causa: omne (*Solus Deus potest esse causa totalis alicuius creaturæ.*) igitur quod creatur procedit à creatore tanquam à tota causa, sed impossibile est quòd aliqua crea

creatura sit tota causa alicuius entitatis etiam minimæ: ergo impossibile est aliquam creaturam aliquid creare. Minor sic declaratur; quia omnis causa, quæ est tota causa effectus, seipsa agit, & propter seipsam, & est omnino independens ab omni alia causa, quod repugnat omni creaturæ, cuius esse dependens est ab alio, nec nobilior est in agendo, quàm in essendo: solus igitur Deus, cuius causalitas ab alio non dependet, est tota causa.

10. Item, omne agens creatum agit per suam formam, quamuis totum compositum agat, sicut habet esse per formam, & esse sit totius compositi: cùm igitur nulla causa sit maioris independentiæ in essendo, quàm in operando, sequitur quòd si forma omnis agentis necessariò est in materia; ergo & necessariò eius operatio dependet à materia, ergo agens creatum nihil potest producere ex nihilo.

11. Ex parte *actualitatis* arguitur primò sic, secundùm Philosophum 1. *de part. anim. c.* 1. nihil educitur de potentia ad actum, nisi per aliquod actu ens; sed omne quod creatur, educitur de potentia ad actum; ergo educitur per aliquod ens actu: ita quòd quantò patiens magis habet de potentia, & minùs de actu: tantò agens minùs habet de potentia, & plus de actu. Nunc autem ad sensum patet, quòd quantò res educenda minùs habet de actu, ad quem oportet tendere, tantò oportet maiorem actualitatem esse in producente. Hoc patet in omni motu; vnde quantò motus locales magis distant, tantò maiorem oportet esse virtutem pertranseuntem. Similiter maior est virtus, quæ dat rei esse substantiale, quàm accidentale: si igitur effectus, qui creatur, nihil habet omnino de entitate, oportet causam creantem habere totalem, & omnimodam actualitatem sine admixtione potentiæ; sed hoc non potest habere aliqua creatura: ergo nulla creatura potest aliquid creare.

12. Item sic: in omni creato differt *quo est*, & *quid est*: quæ sunt partes essentiales cuiuslibet creaturæ existentis; ex quo patet, quòd nullum agens creatum se toto est, quia est per suum *quo est*, per illud autem *quo est* operatur; ergo omnis creatura quidquid facit, facit per suum *quo est*; cùm igitur solus Deus se toto sit, & creet, non tantum poterit creatura, quæ actualis est tantùm per partem sui, sicut Deus se toto.

q. 5. n. 8. Tertiò sic, vt arguebatur in præced. quæst. cuilibet causæ oportet dare proprium, & primum effectum: primus autem effectus Dei, est *esse*, secundarius autem motus: nihil enim potest transmutare, cui primò non dedit esse, vel immediatè, vel mediante aliquo, de quo illud fit. E contrario est in creaturis; quia motus, & transmutatio est primus effectus in creaturis; & ratio fuit assignata, quia vnumquodque agit secundùm quòd est in actu: omne igitur agens quod in essendo habet actum admistum potentiæ, effectus eius est actus potentiæ admistus; talis autem propriè est motus, qui est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia: esse autem de se nõ dicit imperfectionem, nec potentiæ admistionem, sed hoc ei communicatur; hoc est, quia est esse receptum in alio: ergo Deus cùm sit actus sine admistione potentiæ, eius primus effectus est esse; primus autem effectus creaturæ est motus; sed omnis motus fundatur in materia: ergo omnis creatura in sui actione præsupponit materiam propter defectũ suæ actualitatis.

13. q. 1. n. 21. Ex parte *Primitatis* sic: Ostensum fuit suprà, quòd necessariò est dare vnum agens formale simpliciter primum: si autem esset aliud, de quo ageret, quod esset ei coæternum, non esset simpliciter primum: igitur primitas Dei simpliciter requirit de nihilo agere. Cùm igitur ratio primitatis, non possit conuenire alicui creaturæ, impossibile est creare alicui conuenire creaturæ: imò si creaturæ conueniret creare, ei conueniret, quòd saltem ordine naturæ haberet simpliciter primitatem respectu omnium, quæ sunt, & ita illam eandem primitatem, quam habet Deus.

Item, secundùm ordinem agentium, secundùm prius, & posterius, videmus quòd in sua actione præsupponunt magis, & minùs: vnde ars præsupponit productum à natura. Ex quo patet, quòd agentia, quæ magis accedunt ad primitatem, minùs præsupponunt: igitur cùm impossibile sit ordine agentium, quòd aliquod sit simpliciter primum nisi vnum, impossibile est etiam quòd aliquod agens, nisi vnum, agat nisi aliquo præsupposito.

Item, cùm agens de nihilo nihil præsupponat omnino, habet simpliciter primitatem, ac per hoc æternitatem: cui ergo conuenit actus creandi, conuenit ratio ab æterno essendi. Ita dicit Hugo de tribus diebus, *cap.* 14. *Creator*, inquit, *nisi æternus esse nõ potest*. Cùm ergo ratio æternitatis contradicat omni creaturæ, contradicet & creare. 14.

Item, omnis actio, quæ nihil omnino ante se præsupponit, in quo, vel de quo fiat, est simpliciter, & de sua ratione actio prima: creatio est huiusmodi; ergo de ratione sua actio prima: sed actio simpliciter prima appropriat sibi agens simpliciter primum, quod esse non potest nisi agens diuinum; ergo creatio non potest nisi Deo solùm conuenire. *Actio creatiua, simplex, & prima.* *Actio simpliciter prima, requirit agẽs simpliciter primum.*

Item, agentia agunt secundùm quòd inter se habent rationes actionum; sed omne agens creatum præsupponit secundùm esse agens primum: ergo omnis actio agentis creati præsupponit actionem agentis primi; sed actio terminatur ad aliquid: ergo actio cuiuslibet agentis creati necessariò aliquid præsupponit.

Ex *communicatione actionis*, quæ est creatio, arguitur sic: differentia est inter actionem agentis increati, & actionem agentis creati; quoniam actio agentis increati non requirit nisi duo, scilicet, agens, & actum, siue productum: si enim nihil esset productum, & nihil esset actum, nulla esset actio: ergo si est actio, oportet quòd sit producens, & productum: actio autem creaturæ necessariò tria requirit, videlicet, agens, & actum, siue productum, & aliquid super quod fundatur actio. Quòd autem totum hoc requiratur, ex duobus patet. Primò, quia impossibile est, quòd actio sit idem quòd agens, maximè actio quã res producitur; hoc enim simplicitati diuinæ conuenit: ergo oportet, quòd sit motus quidam, qui necessariò indiget fundamento; motus autem non est in mouente, sed in mobili. 15. *Actio agentis increati, & agentis creati in quo differunt.*

Secundò, hoc patet; quia agens increatum (vt ostensum fuerat suprà in quadam quæstione de primitate) est agens simpliciter primum; ac per hoc omne agens creatum est posterius, & secundarium; ac per hoc ad agens primum ordinatum. In agentibus autem ordinatis, quorum secundum dependet à primo, necessariò agens posterius præsupponit aliquid à primo productum: sicut patet in Deo, natura, & arte. Et ratio patet, quia sicut se habet agens hoc ad illud, sic actio huius q. 2. n. 8.

huius ad actum illius, non enim aliter esset ordo in actionibus : ergo si hoc agens præsupponit illud, etiam eius actio actionem illius : sed actio prioris terminatur necessariò ad aliquid ; ergo si agens secundum supponit actionem primi, supponit necessariò aliquid à primo productum : ergo à primo ad vltimum, si actio cuiuslibet creaturæ supponit aliquid, in quo fundetur, creatio autem nihil supponit; impossibile est quòd creatura creet.

16. Item, omne agens, quod est principium creandi, est principium simpliciter conseruandi : sed nullum agens creatum potest esse sufficiens principium conseruans rem totaliter, ne tendat in nihilum: ergo nulla creatura potest aliquid creare. Probo maiorem, quia omne agens creans est tota causa creati, quia non operatur de aliquo, sed de nihilo : sed omnis causa, quæ est tota, & totalis causa effectus, est principium sufficiens conseruandi totaliter effectum ; quia effectus à nullo alio dependet, & ab illo habet totum, quod est. Minor patet, quia nihil potest aliquid conseruare, nisi sit toti rei conseruatæ necessarium, & omnibus eius partibus, aut per essentiam, aut per potentiam ; hoc autem non potest aliqua creatura, quia solus Deus creaturæ illabitur : ergo ipse solus potest conseruare.

17. Item, impossibile est effectum perfectiorem esse sua causa, inquantum causa; dico in quantum causa, quia aliquando effectus est à multis causis, & consequenter ab aliqua causa : sicut cultellus ignitus scindit, quod non facit ignis; sed hoc non facit inquantum est effectus ignis, sed vt est effectus artis : si igitur aliquid sit tota causa effectus, non potest habere effectus aliquam perfectionem, quæ in causa non reperiatur; creans autem est tota causa creati : ergo nullam perfectionem potest habere creatum, vel ipsa creatio, quam non habet creans; sed simplicitas est quædam perfectio (vt patet in Deo) creatio autem est simplicissima : omnis autem creatura habet esse compositum: ergo impossibile est quòd creatio sit effectus creaturæ.

18. Ex *creaturæ limitatione* sic arguitur : Cùm sint multa genera oppositionum, illa est maior, in qua extrema minùs conueniunt: ergo illa est summa oppositio, in qua extrema in nullo conueniunt; talia autem sunt ens, & omnino nihil; quia in nullo conueniunt. Nunc autem videmus, quòd in omni oppositione oportet quòd virtus transmutans sit maior, & minor, secundùm maiorem, vel minorem conuenientiam, vel disconuenientiam. Vnde oportet quòd maior sit caliditas, quæ de frigido facit calidum : sic est in motu locali, quia maior virtus requiritur, vbi maior est oppositio, vel distantia inter terminos ; ergo virtus de nihilo faciens aliquid necessariò est summa, & infinita.

19. Item, impossibile est quòd creatura æquetur creatori, cùm sit limitata, vt dicit Augustinus 12. *de Ciuit. cap.* 2. *Rebus* (inquit) *quas ex nihilo creauit, esse dedit, sed non summè esse sicut ipse est, & aliis dedit esse ampliùs, aliis minùs, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit*; sed æquaretur, si potest creare; ergo non potest creare. Minor patet per Damascenum *lib.* 1. *Orthod. fid. cap.* 1. qui dicit, quòd *ipsa creatio, & gubernatio magnitudinem prædicant diuinæ potentiæ.*

Item, quorumcunque agentium vltimum de potentia est æquale, eorum virtus est æqualis: quia secundùm Aristotelem 7. *Phys. text. com.* 18. virtus est vltimum de potentia; sed creare est vltimum de potentia in creante, quia non potest excogitari maior oppositio terminorum ; & secundùm quòd est maior oppositio, oportet quòd sit maioritas in virtute transmutante (vt ostensum est) ergo si Deus creat, & creatura creat, eorum virtus est omnino æqualis ; quod est impossibile.

ARTICVLVS II.

Non posse communicari creaturæ virtutem creandi.

Circa secundum, scilicet quòd potentia causandi creaturæ communicari non possit, nec etiam Deo cooperari primariò possit creatura. Sciendum est, quòd cooperari Deo in productione alicuius, dupliciter potest intelligi; vel in disponendo, vel in producendo. In disponendo, adhuc dupliciter; vel ita quòd illa dispositio respiciat illud, cui debet infundi, quod creatur, & isto modo creatura Deo cooperatur in creatione; vt liberum arbitrium in infusione gratiæ, assentiendo, & non contradicendo; & natura in creatione animæ rationalis disponendo corpus, quo disposito, Deus dat animam : vel ita quòd illa dispositio intelligatur ex parte Dei creantis : & isto modo est impossibile; cùm nulla noua dispositio ex parte Dei requiratur ad hoc, quòd aliquid creet. 20.

SCHOLIVM.

Quòd hîc clariùs & diffusiùs agit Scotus de varia dispositione ad cooperandum diuinæ virtuti in creatione alicuius formæ, breuiùs repetit in 4. dist. 1. quæst. 1. §. Dico etiam, *& sequentibus, vbi admittit creaturam posse disponere subiectum ad infusionem gratiæ, & charitatis : & organizando corpus dispositiuè necessitate ad creationem animæ. Dicit autem non posse introduci à creatura dispositionem simpliciter necessitantem, sed secundùm quid; quod clariùs hîc dixit, dari scilicet posse dispositionem ex parte res suscipientis, non causatiuè ex parte rei productæ. Dubitat demum in fine rationum, à se citato loco productarum, an conuincant non posse creaturam, saltem instrumentaliter, concurrere ad creationem.*

Sciendum autem, quòd quædam sunt creata per se subsistentia, vt Angelus, cœlum, & talia : & in creatione talium creatura non potest cooperari per aliquem modum ; quia nec disponendo, nec creando. Alia sunt, quæ in aliis habent esse, vt gratia in anima, anima in corpore : & in creatione istorum cooperatur creatura, disponédo ex parte suscipientis, non causatiuè ex parte rei productæ. 21.

Quod potest sic declarari: primò, ex parte creaturæ, & eius conditione. Sicut Deus non potest communicare creaturæ suam primitatem, ita non potest communicare suam actualitatem ; actualitas autem diuina est impermista, cùm sit pura, & simplicissima : ergo essentia cuiuslibet creaturæ est necessariò potentiæ admista : cùm igitur impossibile sit, quòd effectus transcendat causam, necesse est quòd primus, & proprius effectus cuiuslibet creaturæ sit ens, quod de se dicit actum permistum potentiæ; hoc autem est motus, qui est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia: ergo illud, quod primò procedit, & procedere debet 22.

debet à creatura est motus; motus autem necessariò requirit subiectum: ergo si non potest communicari creaturæ prima actualitas, nec ei communicari potest quin subiecto indigeat; ac per hoc creare non potest.

22. Item, sicut iam dictum est *suprà*, hoc videmus
Suprà n.15. in ordine agentium, quòd secundùm quòd sunt magis & minùs actualia, plus & minùs supponunt in sua actione: quantò enim aliquod agens plus habet de actualitate, & minùs de possibilitate, tantò minus præsupponit in sua actione, & è contrario, quantò plus supponit in agendo, minus habet de actualitate; vt patet de arte, & natura: si ergo secundùm accessum ad actualitatem minùs in agendo præsupponatur; ergo agens, quod nihil præsupponit, necessariò est in termino actualitatis, & etiam erit actus purus: sed talis actualitas communicari non potest creaturæ; ergo nec creatio.

23. Secunda via potest accipi ex parte modi essendi, sic; cùm agere præsupponat esse, rectè modus agendi erit secundùm modum essendi: ergo sicut creatura se habet ad esse, nec aliter potest se habere, sic se habet ad agere, nec alium modum agendi potest habere; sed omnis creatura necessariò est ab alio, nec alium modum essendi habere potest; ergo omnis creatura agit per modum organi: impossibile est autem intelligi, quòd aliquod agens per modum instrumenti, vel organi, agat nisi applicatum; ergo impossibile est quòd creatura intelligatur agere, nisi vt applicata, applicatio non potest intelligi nisi ad aliquod: impossibile est ergo quòd intelligatur agere, nisi aliquod ens præsupponendo.

24. Item, suppono ex ista deductione, quòd creatura non potest agere nisi vt instrumẽtum. Quod etiam patet, quia non potest communicari creaturæ, quòd sit agens, nisi secundarium; omne autem tale agit, vt instrumentum, cùm agat motum per primum. Tunc sic: impossibile est quòd aliquod instrumentum, vel aliquid in actione habeat rationem instrumenti, nisi per suam formam attingat illud, de quo principale agens agit; securis enim per formam suam attingit lignum, de quo ædificator ædificat: sic calor naturalis cibum, de quo vis nutritiua carnem generat: sed impossibile est quòd creatura per suam formam attingat nihil, quia aspectus virtutis cuiuslibet creaturæ est finitus, nec infinitus aspectus virtualis ei potest communicari; ergo impossibile est quòd agat de nihilo.

25. Tertiam viam sumunt aliqui ex virtute creaturæ, quæ de necessitate, vt dicunt, est accidens; hoc tamen non assero; quia tenetur ab aliquibus
Ægid. quodlib. 1. q. 4. Magistris quòd potentiæ animæ non differant ab anima, nisi solùm respectu quodam. Arguunt ergo sic; impossibile est, quòd effectus immediatus etiam transcendat suam propriam causam: ergo cùm virtus creaturæ, per quam producit effectum, sit accidens, effectus eius primus necessariò est accidens; sed accidens requirit subiectum, ergo omnis creatura in agendo requirit subiectũ.

26. Quarta via accipitur ex proportione effectus ad causam, tantæ enim potentiæ est creare vermiculum, quantæ Angelum, vel quamlibet aliam rem, tantæ potentiæ vnum, quantæ omnia: igitur si hoc posset communicari creaturæ, posset illa creare Angelum, & gratiam, & lumen gloriæ, & tunc esset Deus.

27. Quinta via sumitur, quæ superiùs in primo articulo tacta est, & in præcedenti quæstione; & clarificatur ex ratione formæ agendi. Ostensum est enim *suprà*, quòd nullum agens creatum agat inquantum ens, cùm ratio entis, vt est recepta in materia, sit inter omnes magis vniuersalis, ac per hoc magis imperfecta, & minùs in actu: omne autem agens agit secundùm rationem illam, quæ est in actu. Ostensum est etiam, quòd nullum agens creatum producat ex parte sua effectum hunc, inquantum est quid signatum: ista *suprà* in præcedentibus quæstionibus sunt ostẽsa. Cùm igitur ignis generatus sit ens, ignis, & hic ignis. Quòd sit ens, habet à primò, quòd sit ignis, habet ab igne generante; quòd sit hic ignis, habet à materia: vnde ostendebatur, quòd si ignis est aliquod agens naturale, vel artificiale, & produceret aliquid non de materia, produceret ignem vniuersalem, non hunc ignem, quod est impossibile; quia vniuersalia non generantur, nisi in particularibus; necesse est ergo dicere (alioquin implicatur contradictio) quòd omne agens creatum præsupponat materiam.

ARTICVLVS III.

Creaturam neque secundariò posse cooperari Deo creanti?

Circa tertium; quòd non possit cooperari secundariò, patet ex prædictis. Primò quidem, 28.
quia (vt ostensum est) si cooperetur, aut Deus erit agens minùs principale, & creatura principale; quod ex prædictis patet esse falsum, aut è contrario, & tunc creatura cooperabitur vt instrumentum; & tunc oportet quòd per formam suam attingat nihil, quod paulò antè ostensum est esse impossibile.

Secunda ratio sumitur ex *conditione creationis*; *Creatio est tota simul.*
cùm enim creatio non habeat diuisibilitatem, aut successionem ex parte rei, nec ex parte subiecti, oportet quòd sit actio subita, tota simul, & simplicissima: omne autem tale à quocunque procedit, totum simul ab illo procedit; & ita si creatio est à Deo, tota simul necessariò est ab eo, & à nullo agente alio. Similiter si est ab agente creato, necesse est, quòd tota simul sit ab illo, & ita nullo modo à Deo, quod patet ex prædictis esse falsum.

Tertia ratio sumitur ex parte *totalitatis causæ*; *Creãs est tota causa rei creatæ.*
creatio enim, cùm de ratione sua nihil præsupponat, oportet quòd creans sit tota causa creati: impossibile est ergo, vt sit aliquid creatum ab aliquo, quin illud habeat rationem totalitatis respectu illius; sed nullum agens per medium habet rationem totalis causæ: ergo impossibile est, quòd Deus creet mediante creatura.

Quarta ratio sumitur ex parte *potentiæ agentis ad vnum effectum*; omne enim agens, seu producens aliquid, sicut se habet ad producendum, ita se habet ad conseruandum; sicut in lumine Solis, Sol principaliter conseruat, quia principaliter illuminat; aperiens fenestram, & tenens apertam, accidentaliter conseruat, sicut accidentaliter est causa illuminationis; sed impossibile est quòd aliqua creatura directè conseruet, nec per se, nec per accidens, rem à termino annihilationis, cùm omnis creatura habeat illum defectum in se admistum: ergo impossibile est, quòd creatura aliquo modo producat de nihilo. *Creatura non potest directè annihilare.*

Si obiicias, quòd saltem per accidens creatura 29.
anni

annihilat, & ab annihilatione præſeruat, vt liberum arbitrium gratiam. Similiter claudens, vel aperiens feneſtram, eſt cauſa quòd lumen annihiletur, vel conſeruetur ab annihilatione.

Solutio. Quomodo poteſt dici creaturam annihilare, aut conſeruare poſſe.

Reſpondeo, quòd hoc non facit liberum arbitrium directè manutenendo gratiam; nec tenens feneſtram apertam directè manutenet radium ne annihiletur; nec etiam ipſe Sol, ſed ſolus Deus. Sed hoc facit creatura, quia poteſt aliquid facere, quo facto, conſeruatur res ne tendat in nihil; vel quo facto, res annihilatur; & tota iſta actio eſt ſecundùm quod poteſt facere, vel deſtruere diſpoſitionem in ſuſcipiente rem creatam, quâ factâ, ſiue conſeruatâ, conſeruatur res ne annihiletur, & illâ deſtructâ res annihilatur. Iſto modo dixi ſuprà, *num.*20. quòd etiam poteſt de nihilo producere, quia poteſt aliquid facere, quo facto Deus creat, vt liberum arbitrium reſpectu gratiæ: & natura reſpectu animæ rationalis. Sed nec operando, nec cooperando cadit actio ſupra rem creatam: ita dico de conſeruatione. Sic igitur dico ad quæſtionem.

30. Ad diſſolutionem autem quarundam difficultatum, quæ tangebantur in arguendo, quòd etiam ipſa forma naturalis non ſit ex ſubſtantia materiæ, nec ex aliquo materialiter, ſecundùm aliquos: primi etiam influxus agentium creatorum non fiunt ex aliquo, vt illuminatio, & actus intelligendi, & volendi, & talia: ex quibus videtur, quòd creatura aliquid agit de nihilo: quamuis non intendam nunc circa hæc inſiſtere, eo quòd locum habent in quæſtione de rationibus ſeminalibus *; ſciendum tamen, quòd omnes in hoc concordant, quòd creatura non poſſit eſſe creator. Sed aliqui ponunt differentiam inter creationem, & facere aliquid de nihilo; nam dicunt, quòd de ratione creationis, & creatoris eſt, quòd quantùm eſt ex parte ſuæ virtutis, nihil omnino præſupponit, nec de quo agat, nec in quo agat: & talis eſt virtus ſimpliciter infinita. Vnde Deus in creando, quantum eſt ex parte ſua, non præſupponit quo agat, nec in quo agat: & ſi quis effectus ſit, qui à Deo creari non poſſit, non præſuppoſito aliquo, vt eſt gratia, & ſimilia, quæ non ſunt apta nata exiſtere, niſi in aliquo. Hoc dicunt, quòd eſt ex defectione entitatis naturæ rei creatæ; non autem ex defectu, vel limitatione virtutis creantis, quæ cùm ſit independens, & illimitata, non indiget aliquo extrinſeco, cui ſe appodiet in agendo. Creatura autem omnis, cùm eius actio ſit accidens, & eius virtus finita, & limitata, & procedat ab ente, cuius eſſe dependet ab aliquo neceſſario, indiget aliquo, in quo eius actio ſuſtentetur, & cui appodietur, & applicetur; & in hoc differt etiam in infinitum à virtute Dei: nō autem ſemper indiget de quo agat; ſed aliquando indiget de quo agat; & aliquando indiget de quo, & agat in quo, ſed non de quo, vt dicunt in prædictis exemplis. Et iſto modo dicunt virtutem eſſe in Sacramētis reſpectu characteris inducendi. Et iſto modo dicunt, quòd reſpondetur ad quæſtionem, quia creatura non poteſt aliquid producere de nihilo, intelligendo quòd nihil ex parte ſua præſupponant, nec de quo, nec in quo, quod eſt verè de nihilo facere, & eſt creare. Si autem dicatur de nihilo facere, quia non de aliquo, quamuis in aliquo, concedunt quòd ſic poteſt facere de nihilo. Ad hoc tamen non eſt neceſſaria virtus infinita, nec increata, vt dixi, nec contra hoc concludunt prædictæ rationes: ſed concludunt, quòd creatura præſupponat materiam; non ſemper de qua; ſed de qua, aut in qua; & quælibet iſtarum materiarum etiam ponit finitatem in agente, & tollit ab eo rationem puræ actualitatis.

* quæſt.10. art.3.

Varia reſolutiones authorum circa hanc quæſtionem.

Henr. quodl. 4. vlt. & Ric. in 2. d. 1. art. 4. q. 4.

Alij ſunt qui dicunt, quòd cùm inter *ens*, & *nihil* ſit diſtantia infinita, & omnimoda improportio, & propter dictas ſuperius rationes, nulla creatura aliquo modo agit aliquid de nihilo. 31.

Henric. ſuprà citatus.

Ad illud, quod obiicitur de primis influxibus, dicunt, quòd nulla creatura agit immediatè per ſuam ſubſtantiam; quia hoc eſt proprium Dei: ſed agit per ſuam virtutem, quæ eſt de genere accidentis. Dicunt igitur, quòd primi influxus fiunt ex fœcunditate virtutis, non per deciſionem partis à parte, ſed per emanationem, vt ſpecies à colore; nec talia diminuunt, vel conſumunt illud, de quo fiunt; quia non ſunt res ſimpliciter, ſed quodammodò intentione, vt lumen, intellectio, volitio, ſicut ſpecies coloris. Et ſic patet reſponſio ad argumenta.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ſubſtantia ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, vel apta nata ſubſiſtere, innitatur fundamento materiæ?

Auguſtin. *lib.*12. *Confeſſ. cap.*7. 8. 20. & 21. Alen. 2. *part. quæſt.*60. *mem.*2. & *quæſt.*61. *mem.*1. D.Thom. 1. *part. quæſt.* 50. *art.*2. D. Bonauent. *in* 2. *diſt.* 3. *part.*1. *art.*1. *quæſt* 2. Richardus *ibid. art.*1. *quæſt.*2. & *art.*2. *quæſt.*1. & 2. Aureol. apud Capreol. *quæſt.* 1. *art.* 2. Durand. *eadem diſt.*3 & 8 Ferrarien. 2. *con. Gen. cap.*95. Vaſquez 1. *part. diſt.*178 *cap.*5. *art.*2. *de ſubſtantia Angelorum*, *quæſt.* 1. *puncto* 4. Vide Doct. *quæſt.* 15. *de Anima*.

D euidentiam huius quæſtionis, oportet primò videre quid ſignificetur nomine *materiæ*. Secundò, quòd ponere tale fundamentum in anima & Angelo, ſit neceſſe. 1.

ARTICVLVS I.

Quid ſit materia prima?

CIrca primum, primò eſt falſa imaginatio tollenda, quæ dicit quòd materia eſt potentia nullam habens entitatem actualem, quia, inquiunt, quod eſt pura potentia nullam actualitatem habet; talis, vt dicunt, eſt materia, quia ſi caret forma, ſtatim recidit in nihil: non ſolùm propter hoc dicunt aliqui, quòd ſine forma non poteſt exiſtere, ſed quòd nullam actualitatem habet niſi à forma, vt nec etiam aliquo modo effectus alicuius cauſæ poſſit dici. Huius opinionis videtur aliquando fuiſſe Auguſtinus, vt patet 12. Confeſſ. cap. 6. *Si vellem* (inquit) *prorſus omnino informe cogitare, & non poteram, citius enim non eſſe cenſebam, quod omni forma priuaretur, quàm cogitabam quiddam inter formam, & nihil, nec formatum, nec nihil informe prope nihil.* Infrà: *Si dici poſſet nihil aliquid eſt, & non eſt, hoc eam dicerem.* Auicenna etiam de non entitate materiæ in 5. *Metaph. ſuæ, cap.*5. *Materia eſt quoddam, quod non habet eſſe per ſe vllo modo, nec eſt in effectu, niſi per formam.* De non

S. Thom. 1. p. q 66. art. 1. Henr quodl. 1. quæſt 10.

Opinio dicentium materiam eſſe puram potentiam.

non entitate materiæ, ait Aristoteles 14. *Metaph. cap.* 6. quòd est in potentia, quia in ea nihil est distinctum. Plato etiam dicit in secundo Timæi, *Materia*, inquit, *quadam incomprehensibili ratione inter nullam, & aliquam substantiam posita videtur.*

SCHOLIVM.

De materia quiditate latè agit Scotus 9. Metaph. quæst. 1. & diffusius in 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. vbi contra Albertum Magnum, & alios probat in ente generabili dari duas entitates positiuas, quarum vna est materia, & altera forma, easque esse inter se primò diuersas, & vtramque actu existere, suósque actus habere distinctos; atque hinc rectè subinfert materiam non habere à forma, vt actu sit, sed à creatione; & propterea per diuinam potentiam posse existere sine omni forma.

2. Hæ autem auctoritates non dicunt materiam omnino puram potentiam absque omni actu, sed intendunt quòd inter omnia entia in genere substantiæ minus habet de actualitate, & quòd sua actualitas ab actualitate formæ ratione contraria est distincta. Vnde quòd materia sit verè ens actu in composito, & est effectus creationis, & pars compositi, expresè dicit Augustinus 12. Confess. cap. 3. *Non erat* (inquit) *aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil.* Ergo aliquid quod à Deo est factum, atque creatum. Quamuis autem materia à Deo sit facta, ac per hoc habeat suam actualitatem, hæc actualitas est alia ab illa, quam habet forma; quia materia licèt non sit à Deo nisi sub forma, & vt sic semper simul tempore fuerit materia, & simul forma; ordine tamen naturæ prius est esse, & creatio materiæ, & per consequens sua actualitas quàm forma, vel eius creatio. Et illum ordinem innuit Augustinus 13. *Confess. cap.* 33. vbi loquendo de materia dicit sic: *De nihilo enim à te, non de te facta sunt, non de te aliqua, non de tua, vel qua antea fuerit, sed de concreata, id est, simul à te creata materia, qui eius informitatem absque vlla temporis interpositione formasti. Nam cùm aliud sit cœli, & terra materies, aliud cœli, & terra species, materiam quidam de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen vtrumque fecisti, vt materiam forma nulla mora intercapedine sequeretur.* Vnde licèt materia actum suum, quem habet vt est terminus creationis, non habeat de actione, nisi in composito, vt est sub forma, non tamen habet illud, quod est actu extra nihil, & terminus creationis à forma, sed tantùm tale, vel tale esse, vt cœli, vel terræ.

Materia habet propriam actualitatem.

Probatur authoritate.

Huius ratio est, quòd omnis res actu existens habet esse per aliquod formale, sed forma non est causa formalis materiæ, vt materia est aliquid compositi. Ita dicit Auicenna 6. *Metaph. suæ, c.* 1. forma non est, nisi formalis causa compositi. Hinc est quòd esse actuale, quod habet à creatione, potest esse, vel saltem intelligi, amotâ formâ ab ea re, vel intellectu: quod nullo modo esset, si forma esset causa formalis materiæ, vt est materia: sicuti homo non potest esse, vel intelligi sine anima, nec album sine albedine; nec aliqua res sine aliquo, quo habet formale esse.

3. Sic igitur falsitas huius imaginationis de materia, patet authoritate: patet etiam ratione, quia si materia non esset aliqua res actu, eius entitas non distingueretur ab entitate, & actualitate formæ, & sic nullam realem compositionem faceret cum ea.

Et ratione.

Secundò, quia inter ens actu, & nihil, non est medium; ergo si materia præter formam non habet aliquem actum essendi, erit nihil; ergo agens creatum ageret de nihilo, cùm agat de materia.

Item, secundùm omnes Philosophos, materia est in potentia ad alia; sed, secundùm eos, nihil ad nihil est in potentia: ergo materia, vt materia, non est nihil; ergo habet aliquem actum de se, & si non subsistentiæ, tamen existentiæ.

Item, posse pati ad materiam reducitur, sicut agere ad formam; sed quod non est aliquid actu, non est principium patiendi, nec fundamentum; ergo necessariò materia habet actualitatem aliam ab actualitate formæ, in qua actualitate formæ fundantur; & stabiliuntur. Sicut ergo si Deus crearet aliquam ceram impressa aliqua imagine, dato etiam quòd circa non posset existere sine impressione, nec è contrario; illa cera non haberet ab illa impressione, quòd esset cera, sed effectiuè à Deo, & formaliter ab actu imprimendi haberet tale esse, puta imaginis Pauli. Ita materia quamuis simul creata sit sub forma, nec vnquam denudatur ea, quod habeat tale esse, vt cœli & terræ, habet à forma concreata, vel generata; sed quòd sit ens quoddam actu distinctum contra non entitatem nihili, & habens actum essendi vltra entitatem essentiæ, quæ solùm respicit Deum vt causam, non habet à forma; nisi fortè in conseruatione, secundùm illos, qui dicunt, quòd non potest esse, vel fieri sine forma.

Materia patitur, forma agit.

S. Thom. cit. Thom. Anglic. in 2. d. 12.

4. Hæc est sententia Augustini lib. de natura boni *. *Hylem dico quandam penitùs informem, & sine qualitate materiam, vnde ista quas sentimus qualitates formantur.* Et infrà: *Qua* (scilicet materia) *non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei priuationem cogitari vix potest: habet enim & ipsa capacitatem formarum: nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies vtique diceretur. Porrò si bonum aliquod est forma, proculdubio bonum aliquod est etiam capacitas formæ.* Sic igitur patet contra entitatem materiæ falsa imaginatio.

* Cap. 18.

Deinde videndus actus materiæ, & actus, qui dicitur formarum distinctio. Circa quod sciendum, quòd materia est in actu, sed nullius est actus, est quoddam in actu, vt est res quædam extra nihil, & effectus Dei, & terminus creationis. Nullius verò est actus: tum, quia ipsa est fundamentum omnium actuum; tum, quia sua actualitas nullius est generis, ac per hoc nec actum aliquem dare potest: tum, quia si alicuius esset actus, illud haberet minus de entitate, tamen ex quo actum reciperet, necessariò aliquem actum haberet, & ens actu esset, vt probatum est de materia; illud autem diceremus materiam, & illud quod dicis actum eius diceremus formam. Est ergo ens actu, vt est terminus creationis, saltem in composito, sed nullius est actus. Forma etiam est quoddam in actu, & est alterius actus, scilicet materiæ, & totius compositi, quamuis aliter & aliter, vt aliàs dicetur: forma etiam est in actu, inquantum est terminus creationis, vel factionis, quamuis non nisi in composito, quia solum compositum per se generatur, vt habetur 7. *Metaphysic. text.* 23. 26. & 27.

Materia qualem actū habet.

Differt

6. *In quo differt ab actu formæ.* Differt etiam materia, vt est in actu, vel vt ambo habent esse in actu; (quia ille actus, quem habet materia est distinctus, vtpote ambo tanquam realia principia sunt creata) ille, inquam, actus materiæ est minoris perfectionis, quàm actualitas cuiuscunque formæ; & est in potentia vt per formam actu existentem perficiatur, & non è contrario.

7. Differt etiam, quia illa actualitas materiæ omnino est indeterminata, nullius generis, vel speciei, nisi per reductionem ad genus substantiæ decernatur, & specificetur per formam, vtpote quòd sit cœlum, vel terra: actualitas autem omnis formæ actu existentis (& dico *actu existentis*, quia hîc loquimur de materia & forma, vt actu existunt in re extrà) est actualitas determinata; quia omnis actualitas formæ (si sic liceat loqui) vel est cælica, vel vitrea, vel lignea, &c. etiam considerata in se sine materia, & composito. Non sic autem est de actualitate materiæ, vt consideratur distincta à forma. Hinc est quòd actualitas formæ, cùm de se sit determinata, non determinatur per aliam formam, nisi per accidens, inquantum scilicet in vno composito concurrunt plures formæ, & posterior determinat & specificat priorem; quod pro tanto verum est, quia perfectior est res sub vltima forma, quàm solùm sub prima. Forma autem intimè ipsam actualitatem confusam, & indeterminatam materiæ non dimittit sub illa indeterminatione, sed trahit ad esse cœli, vel terræ; & sic de aliis. Patet ergo eorum actualitas per rationes oppositas, ita quòd nullo modo vna ad aliam reducatur.

8. Differunt etiam, quia actualitas materiæ ratione imperfectionis est determinabilis essentialiter per actum formæ, ac per hoc materia dicitur pura potentia, quia nullum habet determinatum genus, seu gradum essendi; & dicitur in potentia, inquantum diuersis actibus formarum perficitur, & determinatur. Actualitas autem formæ est determinata & determinans, non determinabilis, nisi per accidens, accedente scilicet aliâ formâ, vt dictum est. Ex quo patet quòd cùm dicitur, quòd materia est potentia, non excludit actualitatem essendi à materia, sed duplicem actualitatem, vnam scilicet, quam habet forma per essentiam; ex qua per essentiam suam forma dicitur actus; & per oppositum materia, quia caret illa perfecta actualitate, vt est à Deo producta in composito, dicitur potentia, quia de natura sua excludit omnem determinationem actus, quam habet omnis forma actu existens per materiam suam; & quia materia in actu existens, de se non habet actum determinatum, sed determinabilem per formam, dicitur potentia. Et sic patet quare materia dicitur potentia, & esse in potentia: & quòd neutra istarum excludit, sed includit actualem existentiam extra nihil.

ARTICVLVS II.

Vtrùm detur materia in substantiis spiritualibus?

9. HIs visis, est quæstio nostra, vtrùm materia talis, scilicet habens actum debilem, indeterminatum, & determinabilem, sit fundamentum substantiæ spiritualis cuiuslibet creatæ, animæ scilicet, & Angeli. Supra hoc autem sunt duo modi solemnes dicendi; quorum primus est quòd nec in Angelo, nec in anima est prædicta materia.

Habent autem isti rationem communem, & specialem. Communis est, quòd secundùm Philosophum 8. *Metaphysic. text.* 4. omnia quæ transmutantur, habent materiam, sed diuersam, secundùm quam diuersimodè transmutantur; sed anima & Angeli non transmutantur ad esse; ergo non habent materiam vniuocè cum generabilibus. Quærenda est igitur materia in eis, secundùm transmutationem, quæ est in eis. Inuenitur autem duplex modus transmutationis, vnus ad situm, alius secundùm intellectum, & voluntatem. Mutatio ad situm non arguit materiam in Angelis & anima, quia hoc debetur eis, vt sunt substantiæ finitæ, propter quod quando sunt hîc, non sunt alibi. Nec mutatio, quæ est secundùm voluntatem, & intellectum, arguit materiam, quia intelligunt formas materiales; esse autem recipiens aliud debet esse denudatum ab eo, & à conditione eius: sicut receptiuum soni debet esse absonum, & coloris non coloratum; coloratum enim, vt patet in vitro, non potest recipere colores; ergo intellectus Angeli, & hominis oportet necessariò quòd non sint materiales. *Prima opinio.* Thom. 1. p. q. 7. art. 1. & 2. & q. 50. ar. 2.

De Angelo probant, quia si in Angelo esset materia, materia vnius esset distincta à materia alterius; materia autem non distinguitur, nisi quantitate, quam remouendo non est distinguibilis; in Angelo autem non est quantitas, ergo nec materiæ distinctio. 10. *In Angelo non esse materiam.*

Item, operatio cuiuslibet est secundùm modum substantiæ eius; intelligentiæ autem Angeli est operatio penitus immaterialis, quod patet ex eius obiecto, à quo actus recipit speciem; vnumquodque enim intelligitur, vt à materia abstrahitur; ergo substantia Angeli est immaterialis.

Item, dicit Dionysius *de Diuin. Nomin. cap.* 4. quòd primæ creaturæ incorporales, & immateriales intelliguntur.

De anima idem dicunt: primò Augustinus 7. super Genesim, vbi dicit, quòd *anima non est facta, nec ex materia corporali, nec ex spirituali.* 11. *Neque anima.* August. c. 5. & seqq.

Item, de ratione animæ est, quòd sit forma corporis: aut ergo secundùm se totam est forma, & tunc impossibile est, quòd materia sit pars eius; quia materia est tantùm in potentia, & per consequens non potest esse actus, nec forma alicuius; cùm actus & potentia ex opposito diuidantur; aut secundùm partem, sui tantùm, & tunc illam partem dicemus animam, & aliam animatam.

Item, sequitur hoc inconueniens, quòd vna forma perficit duas materias diuersorum generum, scilicet anima materiam suam spiritualem, & corpus; & quòd actus vnius generis perficit duas potentias diuersorum generum, scilicet potentias duarum materiarum.

Item, omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis; sic autem cognoscitur vnumquodque, sicut forma eius est in cognoscente; anima autem intellectiua cognoscit lapidem absolutè, vt est lapis; ergo forma lapidis est in ea absolutè, non materia; ergo nec ipsa habet materiam.

Item, si anima intellectiua habet materiam, formæ rerum recipiuntur in ea indiuidualiter, sicut potentiæ sensitiuæ, quæ recipiunt formas in

in organo corporali: cuius ratio est, quia materia est causa indiuiduationis.

Item, omnis compositio, quæ aduenit rei post suum esse completum, est sibi accidentalis; ergo si anima est composita ex materia & forma, ex tunc compositio cum corpore est sibi accidentalis: ergo homo non est vnus nisi per accidens.

12. *An substantia spirituales sint simplicissima.* Ne tamen hinc obiiciatur quòd Angelus, vel anima sit omnino simplex vt Deus; dicunt, quòd est multiplex compositio. De ratione enim quiditatis, vt quiditas est, non est quòd sit composita, alioquin essentia, seu quiditas, vel natura diuina, esset composita; nec quòd sit simplex; nam tunc omnis quiditas esset simplex, & materia non intraret definitionem alicuius rei; quod patet esse falsum in naturalibus 6. *Metaphysicor. text.* 2. esse autem actuale est extra quiditatem. quod patet, quia tunc tot quiditates haberent indiuidua, quot *esse* actualia. Tale dico esse actuale diuersimodè se habet, ad diuersas quiditates; quædam natura, vel quiditas est ea, de cuius intellectu non est ipsum esse actuale; talis est quiditas omnis creaturæ, nàm si esset de eius intellectu, non posset vnum intelligi sine alio; possum autem intelligere rosam, eclipsim, & similia, non intelligendo ipsa esse actu. Alia est natura, de cuius intellectu, & natura est ipsum esse actuale: vt diuina, quia non est eius esse ab alio accersitum, sed ipsa natura se ipsa actu est, immò ipsum esse actu est; in omni autem creatura esse actu est ab alio, & ideò habet esse acquisitum, vt iam sit dare in huiusmodi creatura actu existente, *quod est*, scilicet ipsam quiditatem; & *quo est*, scilicet ipsum actum essendi, & compositum ex eo *quod est*, scilicet quiditate, & *quo est*, scilicet actu existendi, vel ex esse, quod est.

* proposit. 9. Et propter hoc dicitur in libro de causis *, quòd *Intelligentia non est tantùm sicut prima causa, sed est in ea esse & forma*, quæ est quiditas sua. Et quia omne quod non habet aliquid ex se, sed recipit illud ab alio, est in potentia respectu illius, quiditas cuiuslibet creaturæ, sic erit potentia, & primum esse actuale est eius actus; & sic impossibile est aliquid facere, quod non sit compositum ex potentia & actu. Et si istam potentiam quis vocet *materiam*, dicunt omnem rem actu existentem consistere ex materia & forma, sed tunc, vt dicunt, sicut potentia, sic & materia æquiuocè dicitur.

13. Si obiiciatur, quòd materia prima recipit formam, & intellectus recipit formam; dicunt, quòd est æquiuocè, quia nulla materia recipit formam prout est forma simpliciter, sed prout est hæc, quia materia est causa indiuiduationis, sed intellectus retinet formam simpliciter, & vt est vniuersalis, non vt est hæc.

SCHOLIVM.

Quod in quæstione prima huius operis insinuauit Doctor, videlicet, in Angelo, & anima rationali dari materiam, hîc largiùs probat, opinionem secutus multorum antiquorum Theologorum, Alensis, Alberti Magni, Bonauent. & Richardi, necnon aliquorum Philosophorum, Boëtij, & Auicembroni, quam etiam sequuntur Aureolus, & Caietanus in cap. 2. Ephes. Eugubinus, Nyphus, Franciscus Georgius, & alij. Gradatim pergit ad stabiliendam, & declarandam sententiam per duodecim conclusiones, & deinde probat esse conformem doctrinæ sanctorum Patrum. Aliqua etiam repetit ex iis, quæ docuit in libros de Anima, quæst. 15. vbi docuit apertè intellectum nostrum non esse immaterialem. Scholiastes timidè videtur admittere Scotum huius fuisse opinionis: sed eo certè loco, & in isto, & quæst. sequenti, num. 33. clarè & constanter hanc defendit sententiam. Eam etiam indicare videtur quodlib. 9. artic. 2. §. Secundùm etiam istum tertium intellectum: *vbi loquens de anima quatenus est receptiua intellectionis, ait eam non habere materiam,* saltem, *inquit*, corporalem; *tacitè innuens, eam habere materiam incorpoream, seu spiritualem.*

Ecce positio cum rationibus. Et modò est alia positio, quæ dicit, quòd necesse est tam animam, quàm Angelum inniti materiæ fundamento, accipiendo materiam non pro illo potentiali, quod est esse nihil respectu esse, sed pro illo potentiali, quod habet esse actu, quod contra formam distinguitur, vt dictum est, quæ est actus, & habet esse actu. Ad cuius positionis euidentiam, vt iuxta artem Philosophi accedamus à communibus ad specialia, sunt duodecim conclusiones declarandæ. Prima est, quòd omne ens creatum habet necessariò potentiam admistam. Secunda, quòd illa potentia non differt realiter à re creata. Tertia, quòd illa potentia per omne ens creatum diffunditur, & permiscetur omni enti. Quarta, quòd ista potentia, vt contracta, differt in entibus, secundùm quòd entia inter se distinguuntur. Quinta, quòd talis potentia facit aliqualem compositionem in rebus. Sexta, quòd talis compositio, quæ consequitur ens inquantum ens, quæ est ex actu & potentia, est indeterminata. Septima, quòd ex ista compositione cum alio determinato superaddito, in omnibus entibus sequitur compositio. Octaua, quòd illud indeterminatum, quod cadit in compositionem cuiuslibet singularis entis, determinatur secundùm diuersitatem, vel actuum, vel determinationis. Nona, quòd illud indeterminatum in rebus, quæ sunt de genere substantiæ, est substantia. Decima, quòd illud indeterminatum, quod sequitur omne ens in genere substantiæ, est materia realiter à forma distincta. Vndecima, quòd illud indeterminatum, & determinatum in genere substantiæ, puta materia & forma, habent maximam vnitatem in substantiis spiritualibus. Duodecima, quòd hæc sententia sit conformis doctrinæ Sanctorum, & quòd rationes oppositæ non concludant. 14. *Secunda opinio.* Albert. 2. d. 3 art. 4. Bonau. art. 1. q. 2. & alij. *Conclusiones duodecim.*

Primum igitur ostendo, quòd omne ens creatum habeat potentiam admistam, sic; Omne ens creatum, inquantum creatum, est ex nihilo, quia creare est de nihilo producere; vt dicit Magister in principio 2. Sententiarum: sed omne ens citra primum secundùm se totum est creatum; ergo est de nihilo, & ex se toto est defectibile, & annihilabile. Vnde vult Augustinus *, quòd res ideò sunt annihilabiles, non quia ab alio, quia tunc filius Dei esset annihilabilis; sed quia sunt de nihilo; sicut sunt corruptibiles, quia composita ex contrariis, vel habentia contrarietatem aliquo modo. Hoc idem innuit Gregorius *: *Cuncta*, inquit, *res quæ de nihilo factæ sunt, earum essentia ad nihilum redeunt, nisi eas manus Dei teneat.* Omne igitur esse creatum, inquantum surgit de nihilo, in suis intimis habet potentiam passiuam adiunctam. 15. *Probatur 1. conclusio.* * contra ep. fundamenti, cap. 36. & seqq. * lib. 16. Moral. c. 16.

Item, primum esse, inquantum simpliciter primum,

primum, omnino excludit à ſe rationem alterius; vt album nihil habet de nigredine, inquantum ſunt contraria; ergo omne ens inquantum recedit ab illa primitate, neceſſariò accedit, & permiſcetur potentiæ paſſiuæ: ſicut color omnis recedens ab albedine, vt ſunt omnes medij colores, eis neceſſariò permiſcetur aliqua nigredo, quia in omni medio eſt aliquo modo natura cuiuſlibet extremi; ſed omne ens inquantum creatum neceſſariò cadit à primitate illius; ergo, &c.

Item, dependentia ab aliquo, vel quantum ad eſſe, vel quantum ad fieri, vel quantum ad conſeruari, neceſſariò includit potentiam paſſiuam admiſtam; actus enim, vel potentia actiua, cùm ſit principium aliorum eſſendi, fiendi, & conſiſtendi; ac per hoc eſt ratio, quòd alia dependeant ab ea, non eſt ratio, vel cauſa oppoſiti, quòd ſcilicet ratione talis actualitatis aliud dependeat ab alio. Et hæc omnia patent in Deo, qui eſt actus omnino independens; ſed omnis creatura ratione, quâ eſt de nihilo, dependet ab alio, quantum ad eſſe, quantum ad fieri, & quantum ad conſeruari: ergo omnis creatura inquantum creatura, habet in ſuis intimis potentiam paſſiuam admiſtam.

16. *Probatur 2. concluſio.* Secundò, oſtendo quòd potentia paſſiua nihil reale addit ſupra ipſum ens, quod eſt terminus creationis. Si potentia aliquid addit realiter diſtinctum ſupra potentiam rei creatæ; ergo ſequeſtrata per intellectum illa potentia, illa ſubſtantia nullo modo eſt in potentia paſſiua, ac per hoc eſt actus purus omnino independens à quocunque agente.

Item, oſtenſum eſt, quòd talis potentia eſt in omni ente; ergo ſi differt ab eo realiter, neceſſarium eſt, vt recipiatur in eo; hoc non poteſt eſſe niſi per potentiam paſſiuam aliam, & tunc eodem modo de illa etiam procedetur in infinitum, vel ſtabitur in vna potentia paſſiua, quæ non differt re ab eodem, cuius eſt.

Item, oſtenſum eſt quòd *eſſe* creatur, & ſecundùm quòd creatur, dependet ab alio; ſed tota ſubſtantia creatur ſecundùm ſua intima omnia; ergo tota ſubſtantia inquantum tota, eſt dependens. Hæc autem reduplicatio *inquantum* dicit cauſam eſſentialem, per quam ſubiectum non poteſt intelligi ſine prædicato, vt *homo inquantum homo eſt animal:* propter quod dicitur in fine *lib. 1. Priorum, cap.* 40. quòd reduplicatio debet fieri ad ſubiectum, non ad prædicatum; vt, *Grammatica inquantum Grammatica eſt diſciplina*; nam ſi feratur ad prædicatum, eſt falſa; vt, *Grammatica eſt diſciplina inquantum diſciplina*, quia ſenſus eſt, *Omnis diſciplina eſt Grammatica*: ergo ſi omnis creatura inquantum creatura à Deo dependet, impoſſibile eſt intelligi non dependens; dependet autem per potentiam paſſiuam, vt oſtendi; ergo ſi potentia paſſiua differt realiter à ſubſtantia rei, cùm ea, quæ taliter differunt, ſaltem intellectus poſſit ſeparare, ſequitur, quòd poteſt intelligi creatura non dependens à Deo; immò erit actus purus non annihilabilis.

Item, illa potentia, quæ differt realiter, vt tu dicis, eſt ens creatum, ac per hoc dependens; aut igitur dependet ſeipſa, aut per aliam potentiam, & erit proceſſus in infinitum; vel ſtabitur in vno, in quo non differt realiter; & qua ratione in vno ente, eadem ratione in omni ente.

17. *Probatur 3. concluſio.* Tertiò, oſtendo quòd iſta potentia extenditur, & permiſcetur in omni ente creato. Impoſſibile eſt, quòd aliquod creatum ſit extra rationem entis, quia omnino eſſet nihil; propterea ens non poteſt eſſe genus, quia cùm omnis differentia ſit extra rationem generis, eſſet nihil; igitur in ratione entis participat illud, quod ſequitur omne ens inquantum ens creatum, ſed potentia paſſiua conſequitur ſubſtantiam entis creati (vt oſtenſum;) ergo ineſt omni enti.

Item, ſi detur aliquod creatum abſque potentia paſſiua, tunc illud erit imperfectum reſpectu Dei; res enim quantò eſt perfectior reſpectu Dei, tantò eſt ſuſceptibilior plurium perfectionum ab eo; vt patet in creatura rationali. Nec eſſet perfecta reſpectu ſui, quia aut haberet perfectiones, quæ ſunt eſſentialiter id quod ipſa, & tunc eſſet Deus: aut nullam perfectionem haberet; & tunc aut eſſet ſuſceptibilis perfectionum, & ſic eſſet in potentia paſſiua; aut non haberet, nec eſſet ſuſceptibilis, & tunc eſſet omnino imperfecta. Nec etiam eſſet perfecta reſpectu vniuerſi, quia non poſſet cogitari, quòd aliquod tanquam pars vniatur alij ad perficiendum totum, niſi ſit in potentia reſpectu partis, cui vnitur, & reſpectu totius: ſi enim nullum aſpectum haberet ad partes omnino, nullum totum conſtitueret cum illis, vt Deus.

Item, omne creatum neceſſariò ſecundùm totam ſubſtantiam dependet ad aliud; & ſic eſt compoſitum ex eſſentia, & eſſe ad minus; omne autem compoſitum eſt reſolubile; ergo omnis ſubſtantia, ſiue ens creatum eſt annihilabile; hoc autem non eſt ſine potentia paſſiua.

Quartò, oſtendo quòd iſta potentia differt in diuerſis entibus, ſecundùm quòd illa differunt genere, vel ſpecie, vel numero: hoc enim iam patet, cùm oſtenſum ſit, quòd potentia paſſiua eſt idem re cum ſubſtantia: ergo ſicut entitates differunt, ita & potentiæ. 18. *Probatur 4. concluſio.*

Item, oſtenſum eſt, quòd hæc potentia ſequitur ens inquantum ens; ſed quando aliquid eſſentialiter conſequitur aliud, neceſſariò diuiditur ſecundùm illius diuiſionem, vt patet in homine, & riſibili: ergo ſicut entia differunt, ita & potentiæ.

Item, potentia paſſiua, ſicut & actiua, eſt fundamentum inclinationis, & relationis realis, ſicut realiter referuntur actiua & paſſiua: ſi diuerſæ ſunt inclinationes, & relationes reales agentium, & patientium, ſecundùm modum agendi & patiendi: ergo & potentiæ actiuæ, & paſſiuæ differunt ſecundùm diuerſitatem agentium & patientium inter ſe.

Item, entia diuiduntur tam naturâ, quàm ſitu, ſecundùm quòd magis & minùs participant de actualitate; vt patet de elementis: vt aqua plus habet de actualitate, quàm terra: vnde vnum eſt in potentia reſpectu alterius, vt dicitur 4. *Phyſicorum, cap. de loco, text.* 48. ita quòd illud quod plus habet de actu, minus habet de potentia; & è contrario: ſicut ergo differt actualitas vnius ab actualitate alterius, ſic etiam potentia à potentia.

Quintò, oſtendo quòd hæc potentia facit compoſitionem in rebus. Primò ſic: oſtenſum eſt quòd omnia citra primum ens habent actum potentiæ admiſtum, quia cadunt ab actu primo per admiſtionem potentiæ; tunc ſic: Actus purus facit ſimplicitatem; ergo actus admiſtus facit compoſitum. 19. *Probatur 5. concluſio.*

Item, impossibile est, quòd desit prima ratio compositionis in entibus; nam per illas rationes, per quas res est composita, impossibile est quòd illæ rationes non efficiant compositum, si vniantur; ratio autem compositionis in entibus est ratio actus & potentiæ: nunquam enim ex pluribus actibus posset fieri vnum; ergo ratio actus & potentiæ sunt fundamentum, & omnis ratio compositionis; ergo impossibile est si vniantur, quin faciant compositum: sed vniuntur in omni ente creato, vt ostensum est; ergo, &c.

* lib. de Diu. Nom. c. 13. Item, procedunt à Deo essentiæ, sicut ab vnitate numeri, secundùm Dionysium *: sicut ergo impossibile est, quòd aliquis numerus fluat ab vnitate, quin cadat à simplicitate, & includat compositum; sic impossibile est aliquod creatum elongari à primo, & summè simplici, quin cadat in compositionem.

20. *Probatur 6. conclusio.* Sextò, ostendo quòd hæc compositio, quæ sequitur omne ens, inquantum ens, non inquantum tale est, est indeterminata. Ostensum est quòd actus & potentia non contracta ad aliquem specialem modum, sunt fundamentum primum omnis compositionis: sed in quolibet genere primum inquantum primum, maximè est indeterminatum; ergo hæc compositio maximè est indeterminata.

Item, proprietas consequens aliquid, est eiusdem latitudinis cum eo, quod consequitur, sed compositio actus & potentiæ consequitur omne ens, inquantum est ens creatum, tale autem est maximæ indeterminationis; ergo hæc compositio.

Item, primæ differentiæ in quolibet genere sunt maximæ determinationis, vt patet de corporeo, & incorporeo; sed actus & potentia diuidunt quodlibet genus entis; quod quidem est sic intelligendum, vt actus in quibusdam illius generis, & potentia in aliis, immò in quolibet, est actus & potentia permixta: sed aliqua plus habent de actu, & minus de potentia, aliqua è contrario: ergo si omnia communicant adiunctionem actus & potentiæ, sicut natura generis est indeterminata, sic & compositio in illis.

21. *Probatur 7. conclusio.* Septimò, ostendo quòd in ista compositione indeterminata, cum aliquo determinato superaddito, fit in omnibus entibus compositio. Omne primum determinatur, & distinguitur in posterioribus, & consequentibus; vt animal in suis speciebus per distinctas, & determinatas differentias; sed compositio ista prima consequitur ens inquantum ens; ergo sicut spiritus inquantum ens, per rationem aliquam determinatur, vt patet in Angelo, & anima, & sic de aliis; sic etiam ista compositio determinatur, & specificatur per quid superadditum; & sic componitur omne ens spirituale ex ratione sui indeterminati & aliquo superaddito, ita quòd in prima compositionis ratione conueniunt, & in alio differunt; quia illa superaddita est ratio singularis compositionis, & entitatis in quolibet ente.

Item, ostensum est quòd hæc compositio sequitur omne creatum: sed omne prius, se & suam proprietatem saluat in posteriori, per rationem, quâ prius; & omne posterius per rationem, quâ posterius, addit aliquam saltem rationem ad prius: ergo ratio entis, quæ est prior, cum ente speciali saluatur in Angelo, & quolibet alio ente speciali; & Angelus, inquantum ens posterius, addit aliquam rationem suæ posterioritatis; ergo necessariò omne ens, cuiuscunque sit speciei, est compositum ex ratione prioris compositionis indeterminatæ, & posterioris determinati.

Item, omnia entia habent aliquam concordiam, & vnitatem substantiæ secundùm magis & minùs, vt omnia entia in entitate, homo & equus in sensualitate; habent etiam inter se distinctionem: ergo oportet, vt illius communis concordiæ, & vnitatis sit aliquod fundamentum in ratione entis compositi, & illius distinctionis aliquod additamentum, secundùm quòd omnia entia differunt variis modis; ergo omnia entia sunt composita ex aliquo indeterminato & composito, in quo conueniunt, & sic est ratio entis creati: & ex aliquo determinato, in quo, vel per quod differunt.

Octauò, ostendo quòd illud indeterminatum, quod cadit in compositionem cuiuslibet entis particularis, diuersificatur secundùm diuersitatem actuum, vel determinationis. Actus ille superadditus huic indeterminato se habet suo modo ad ipsum, sicut forma ad materiã; forma enim materiæ non respicit eam sub indeterminatione, quam de se habet, sed eam trahit ad se, & ad suam actualitatem: ergo ita indeterminatum distinguitur secundùm determinationem actuum. 22. *Probatur 8. conclusio.*

Item, si illud indeterminatum non sit realiter distinctum in quolibet ente, sequitur quòd nihil est verè in se, nec ab aliis distinctum; non enim omnia sunt composita ex illo indeterminato, & suo determinato, si indeterminatum meum, & tuum non sunt diuersa, & tamen determinatum meum & tuum sunt distincta; ergo sum distinctus & non distinctus, ac per hoc nec sum singularis, nec verè vnus.

Item, in processu naturæ & artis, videmus quòd posterius distinguit, restringit, & specificat: ergo oportet quòd ita sit hîc.

Nonò, ostendo quòd cùm compositio ex indeterminato, & determinato sequatur omne ens creatum, quòd in his, quæ sunt de genere substantiæ, illud indeterminatum sit verè substantia; & cùm non sit forma, oportet quòd sit materia; ac per hoc, omnia quæ sunt in genere substantiæ, sunt composita ex materia & forma. Ostensum est, quòd indeterminatum, & determinatum habent inter se proportionem, ita quòd vnum determinat aliud; sed actus determinans in genere substantiæ, & correspondens, erit necessariò substantia: sed in genere substantiæ nihil est indeterminatum, nisi materia; ergo si omnis natura per se subsistens, sit composita ex indeterminato, & determinato, sequitur quòd omnis creatura per se subsistens, cuiusmodi est substantia, sit composita ex materia, & forma. 23. *Probatur 9. conclusio.*

Item, substantia est primum genus, de quo primò prædicatur ens; ergo si illud indeterminatum in genere substantiæ non est substantia, sed accidens, cùm illud quod cadit in compositionem, alicuius sit prius eo, accidens erit prius substantiâ, cuius contrarium dicitur 7. *Metaph. text.* 4. quòd *substantia est prior accidente, tempore, definitione, & natura.*

Item, sequeretur quòd omnis substantia esset composita ex accidente: quia illud indeterminatum cadit in compositionem cuiuslibet entis per se, vt dixi.

Item, si illud indeterminatum est accidens, cùm per illud sit receptiuum, sequeretur quòd substantia per suum accidens sit receptiua, quod est

est impossibile. Quod patet, quia omne accidens si recipiatur in alio, vel erit procedere in infinitum in potentiis receptiuis; vel erit dare quod substantia per se recipiat; & sic illud indeterminatum, per quod recipit, erit substantia. Hinc etiam patet, quia indeterminatum, quatenus indeterminatum, habet naturam primi recipientis: sed nullum accidens potest habere hanc naturam, cùm in alio recipiatur; ergo, &c.

24. *Probatur 10. conclusio.* Decimò, ostendo quòd illud indeterminatum in genere substantiæ, quod est substantia, necessariò est materia, à forma realiter distincta. Primò sic; indeterminatum in genere substantiæ, est omnimodæ indeterminationis, cùm sit illud, per quod substantia est in potentia ad receptionem cuiuscumque perfectionis: sed omnis forma de ratione sua dicit aliquam determinationem; ergo, modo relatiuo & opposito, sicut determinans & indeterminatum respicit illud: certum est autem quòd ratio vnius relatiui est opposita respectu alterius, sicut impossibile est, quòd aliquis sit filius eius, cuius est pater: ergo impossibile est quòd indeterminatum sit forma.

Item, indeterminatum in genere substantiæ, quod consequitur omne ens, vt ostendi, habet rationem fundamenti, ac per hoc nullius est actus: sed etiamsi sit in actu, determinationem ab aliis recipit; ergo opponitur omni rationi, immò omni enti, cuius ratio consistit in determinato, qualis est forma.

Suprà n. 3. Item, vt dixi, cera est aliquid in actu: impossibile est autem quòd per essentiam habeat aliquam formam, seu figuram, alioquin nullam reciperet aliam: nisi autem in genere substantiæ esset in potentia ad omnes formas, essentialiter opponeretur omni determinationi; omnis autem forma est determinata & determinati, quia est in actu, & actus; igitur illud indeterminatum essentialiter differt à forma: ergo concluditur necessariò, quòd omnis substantia per se subsistens est composita ex indeterminato, quod non est forma, sed materia, & determinato, quod est forma, à materia essentialiter distincta, & realiter.

25. *Probatur 11. conclusio.* Vndecimò, ostendo quòd illa duo *indeterminatum & determinatum*, immò & materia & forma in genere substantiæ, habent maximam vnitatem in Angelis. Quantò forma actualior, tantò magis se intimat materiæ, & vnit eam sibi: sed forma Angeli & animæ rationalis, sunt actualissimæ; ergo omnino sibi vniunt materiam, ac per hoc nec in quantitatem prorumpunt, quia virtutis vnitiuæ sunt, nec habent aliquam formam corporalem, propter quam recedant à simplicitate.

Item, perfectiones, quæ sunt in creaturis, sunt communicatæ à primo, sicut ei magis appropinquant essentiâ: sed hæc vniens eas perfectiùs haberet: Deus autem habet perfectiones attributales vnitissimè; ergo quantò res plus sibi appropinquat, tantò & compositiones secundùm rationem; ergo quantò res sibi appropinquant, tanto sua compositio est vnitior & indissolubilior.

Item, ex operatione cognoscimus substantiam rei: sed in operatione rei spiritualis videmus quòd vna potentia capit totam aliam, vt intellectus voluntatem, &ècontrario; & memoria vtrumque & ècontrario, secundùm Augustinum *lib. 9. de Trin. cap. 4. & 5.* & hoc est signum maximæ vnitatis; ergo cùm hoc non sit in potentiis aliarum creaturarum, & maior sit vnio in fundamento, quàm in potentiis, sequitur quòd maior sit vnitas in potentia spirituali, quàm in aliqua alia: hoc maximè esset verum, si potentiæ animæ essent idem quod substantia.

Item, operatio fortis est signum virtutis vnitæ, & per consequens dissolubilis substantiæ, quæ maximè inest substantiis spiritualibus. Denique signum indissolubilis vnionis est, quia sunt substantiæ incorruptibiles, propter quod intima est vnio vnius ad alterum.

Duodecimò, & vltimò, ostendo quòd illa alia opinio est contraria dictis Sanctorum. Quòd enim sit ponere materiam spiritualem, expressè dicit Augustinus *5. super Genesin cap. 8.* vbi dicit: *Non temporali, sed causali ordine priùs facta est informis formabilisque materies, & spiritalis & corporalis, de qua fieret quod faciendum esset.* Quòd etiam in anima specialiter sit materia, sic patet per ipsum *7. super Genesin, cap. 5.* Vbi supponens animam habere materiam, disputando, vtrùm illa materia animæ creationem præcedat tempore, loquens de ipsa anima, ait, *An,* inquam, *si ex aliqua re, quæ iam ab illo spiritualiter facta erat, sed anima nondum erat, meritò quæri potest.* Quare infrà c. 6. *Si quiddam incõmutabile esset anima, nullo modo eius quasi materiam quærere deberemus. Nunc autem mutabilitas eius satis indicat eam interim vitiis atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus, veritatisque doctrinâ.* Et post pauca: *Sic fortasse potuit anima habere materiam pro suo genere spiritualem.* Et infrà, *De spirituali igitur materia anima facta congruentiùs creditur.* 26. *Probatur 12. conclusio.*

Huius opinionis videtur fuisse Commentator super *2. de Anima. Tertia,* inquit, *quæstio est, quomodo intellectus materialis est aliquod ens, & non est aliqua forma materialium, nec prima materia?* Et statim hoc ait, *Quæstio ita dissoluitur; quemadmodum omne sensibile diuiditur in materiam & formam, sic intelligibile etiam oportet diuidi in consimilia iis duobus, scilicet in aliquod simile formæ, & in aliquod simile materiæ; & hoc necesse est in omni abstracta intelligentia, quæ intelligit aliud, etiamsi non esset multitudo in formis abstractis.*

Idem Commentator super 8. *Metaphys. comment. 12.* recitat Themistium dixisse, quòd Sol, & Luna, & stellæ, aut sunt formæ sine materiis, aut habent materiam per æquiuocationem, sicut est dispositio in materia intellectûs.

Huius opinionis fuit expressè quoad animam & Angelum Boëtius, *in lib. de Vnitate & Vno cap. 2. Aliud,* (ait) *est essentia simplicitate vnum, vt Deus; aliud simplicissimum cognitione vnum, vt Angelus, & anima, quorum vnumquodque est vnum coniunctione materiæ & formæ.* Et ponit ibi simile, quomodo forma primò informat materiam omnino spiritualem, vt in Angelo: secundò minùs spiritualem, vt in anima; tertiò omnino corporalem, vt in corporibus, sicut radius transiens per tres vitreas fenestras: in prima videtur pura lux, in secunda non tantum in tertia parum. Aliud simile, aqua quæ omnino clara est in fonte, minùs clara est in riuo, & obscura in palude.

Huius positionis videtur esse Damascenus *lib. 2. suarum Sententiarum,* dicens, *Angelus incorporeus & immaterialis dicitur, quantum ad nos, omne autem comparatũ ad Deum, qui solus immaterialis est, grossum & materiale inuenitur.* Huius opinionis videtur Cõmentator fuisse, qui dicit super Metaph. *Damascen. lib de orth. fide cap 3.*

Causa potentia in rebus, in quibus est potentia, est materia. Huius opinionis videtur Rabbi Moyses, qui dicit in lib. qui intitulatur; De benedicto Deo, *Esse* (inquit) *quod est in potentia ad aliquid, necessariò habet materiam, quoniam potentia est in materia.*

27. *Quare dicitur substantias spirituales non habere materiam.* Est autem aduertendum, quòd substantiæ spirituales dicuntur aliquando non habere materiam, tum quia earum materia non est similis materiæ corporali, quæ à Philosophis materia communiter appellatur: tum, quia, vt dicit Boëtius de Vnitate & Vno, & declaratum est 11. conclusione; forma spiritualis propter suam actualitatem vnitur etiam intimè materiæ, quæ trahit eam ad se in tantum, vt totum appareat vt forma, vt dicit Boëtius *cap.* 1. de radio intrante per primam vitream: tum quia operatio earum propter talem materiam non impeditur, eo quòd materia est quasi absorpta ab actualitate formæ.

28. *An Deus posset facere substantiam absque omni materia.* Non autem intendo negare quin Deus facere posset aliquam substantiam spiritualem sine materia, sed dico, quòd talis nullo modo esset passibilis, nec secundùm aliquem modum alterabilis. Primò, quia sicut si Deus faceret materiam per se existere absque forma, materia nihil ageret, quia quamuis compositum agat, potentiam tamen actiuam habet à forma; sicut forma existens absque materia omnino nihil pateretur: sicut enim forma est principium actionis, sic materia passionis.

Secundò, quia aut haberet potentiam passiuam realiter distinctam à substantia formæ, & tunc necessariò est materia, quia passiuum & actiuum sunt essentiæ distinctæ, sicut materiæ & formæ; aut illa potentia passiua differt à forma sola ratione, vt scilicet forma dicatur potentia, vel posse pati, vt habet aspectum ad tales actus, vel tales qualitates; & hoc est impossibile propter duo. Primò, quia sicut in essentia materiæ non fundatur potentia actiua, sic nec in essentia formæ potentia passiua: quia etiam posse agere & posse pati videntur inter se distingui, sicut materia & forma. Nunc autem essentia formæ est distincta ab essentia materiæ, & etiam dato, quòd secundùm rationem distinguantur illa forma, & illa potentia, aut potentia se habet in ratione fundamenti respectu formæ, quod non potest esse, quia dicit rem per modum fluentis, inhærentis, & accidentis: aut forma se habet in ratione fundamenti respectu formæ, quod est impossibile, quia duarum potentiarum oppositarum non videtur quòd sit vnum reale fundamentum; sicut calidi & frigidi: sed forma est fundamentum potentiæ actiuæ; ergo non erit fundamentum potentiæ passiuæ: ergo non puto quòd talis res aliquid ageret, quia tunc nec motum susciperet, nec aliquid pateretur.

29. *Obiectio.* Si instas, quòd voluntas mouet seipsam; ergo idem simplex est fundamentum potentiæ actiuæ, & passiuæ. *Solutio.* Respondeo non; quia si voluntas sit idem re, quod substantia animæ, vt multi dicunt, tota anima vt actiua mouet voluntatem per suum formale; recipit autem volitionem per suum materiale; sed si anima esset simplex forma, neque vellet, neque intelligeret.

Alia obiectio. Si instes quòd in brutis anima est simplex, & potentia recipit actum. *Solutio.* Dico, quòd falsum est, quia vtitur organo corporali in actione sua, & si esset separata anima bruti, nullo genere alterationis, aut motus alteraretur, nisi quia posset annihilari: annihilatio autem non est alteratio in subiecto, sicut nec creatio: vnde si anima rationalis non esset composita, nec vellet, nec intelligeret separata.

Si instes, quòd accidentia, quæ sunt formæ simplices, vt in Sacramento Altaris, recipiunt alterationes; ergo à simili forma substantialis separata, si per se existat. Respondent aliqui, quòd in illis accidentibus est triplex genus motus. Vnus ad situm, & ratione huius materiâ non egent, quia ratione suæ functionis, potest res moueri ad situm absque eo, quòd habeat materiam, quia nec est ad hunc motum materia necessaria, nisi propter motum naturalem rectum, qui requirit grauitatem & leuitatem, quæ fundantur in materia naturali. Et quia graue & leue, quæ sunt dispositiones ad motum rectum, manent in speciebus, ideò talem motum habent. Est alius motus alterationis, & hic duplex: quidam circa qualitates, quæ sunt in tertia specie, cuiusmodi sunt albedo & nigredo, calidum & frigidum; & in istis est alteratio, quia quamuis non habeant materiam, in qua sint, ac per hoc, quo ad hoc operatio sit miraculosa, habent quantitatem diuisiuam, quæ tenet rationem subiecti immediati ad tales alterationes recipiendas; vnde supposità quantitate per se tales alterationes sunt in eis naturales. Est aliud genus alterationis circa qualitates quartæ speciei, vt circa rarum & densum, in quibus non fit transmutatio per se; vt dicitur 6. *Physicor.* In illis enim qualitatibus, quæ sunt de tertia specie, tantùm fit alteratio per se: in rarum autem & densum, fit transmutatio per quantitatem, inquantum scilicet transmutantur à magis in minùs; & ècontrario; ideò illæ species possunt alterationem à raro in densum recipere; quia etiamsi non habeant verè materiam, habent ipsam quantitatem, quæ miraculosè per se stat pro subiecto. Et sic patet, quòd motus, qui fit naturaliter in eis, in qualitatibus tertiæ speciei, habet subiectum; hoc autem non esset dare in illa forma simplici, quam tu dicis Deum posse facere. 30. *Tertia obiectio. Solutio. Triplex genus motus. An accidentia sacramentalia sint capacia alterationis?*

SCHOLIVM.

Ex hoc loco & iis, quæ habet quæst. 8. *num.* 55. *& quæst.* 17. *num.* 3. *&* 8. *vltra ea quæ habet in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *per totam, infertur, quod aliàs præmonui in censura præfixa ad libros Physicor. nimirum Scotum nullatenus fuisse illius opinionis, quam author illius operis singulariter habet lib.* 1. *quæst.* 7. *& alibi, scilicet nullatenus posse per vllam potentiam separari accidens à subiecto, & in speciebus sacramentalibus accidentia transire in aliam naturam, aut essentiam, veluti si natura humana transiret in asininam. Communem enim & Catholicam, hîc, & vbique Scotus circa accidentia Eucharistiæ amplexatur doctrinam, immò in illo loco citato in* 4. *Sentent. doctissimè refellit omnia principia, quæ ille author pro illa sua opinione adducit.*

Si ad hoc instes, quòd est ibi motus in quantitate à magis & minùs, & tamen quantitas nec habet subiectum, nec aliquid pro subiecto. Respondetur, quòd ille motus est in quantitate sicut in subiecto; nihil enim prohibet, quin idem re sit secundùm diuersas rationes subiectum motus, & terminus *à quo*, vel *ad quem*: dimensio enim, vt est terminata, est terminus *à quo*, & *ad quem*; vt verò est interminata, est 31. *Quarta obiectio. Solutio.*

est subiectum manens commune sub vtroque termino.

32. *Respondetur ad argumenta contraria sententia.* His visis, patet quòd rationes ad oppositum non concludant. Primò, ratio communis, quæ dicit quòd nec mutatio ad situm, nec mutatio secundùm voluntatem docet in eis esse materiam. Dico quòd falsum est, quinimò vtraque id probat. Quod autem dicitur quòd mutatio rei ad situm conuenit ei quia finita, dico, quòd in motu locali duo considero. Vnum, quòd res quæ mouetur, non est simul in duobus, & hoc benè habetur ratione limitationis & finitionis. Secundum, quòd res, quæ tali motu mouetur, sit in se susceptiua illius motus; & hoc, vt ostendi, non potest aliqua creatura per rationem formæ. Quando etiam dicit, quòd si haberet formam in materia, nullam formam materialem cognosceret, quia oportet susceptiuum aliorum ab iis esse denudatum. Dico, quòd susceptiuum oportet esse denudatum ab esse materiali, & corporali, quod habent in re extra illà, quorum species & intentiones recipit; vnde vitrum coloratum species colorum non recipit: intellectus autem non habet talem materiam corporalem, qualem habent formæ materiales. Patet etiam quòd si hæc ratio valeret in intellectu, intellectus seipsum non intelligeret, nec suiipsius speciem reciperet, immò secundùm hoc nullam formam, & nullam Intelligentiam intelligeret: sicut enim oportet esse denudatum materia, vt recipiat, vel cognoscat materialia, sic oportet secundùm hoc esse denudatum forma, vt cognoscat formalia. Causa autem quare habens materiam spiritualem, vt Angelus, vel anima, potest recipere speciem rei spiritualis; habens autem colorem non potest recipere speciem coloris, est, quia verus, & realis color impedit diaphaneitatem ratione grossitiei, quâ indiget multiplicatio, & receptio coloris, species autem rei spiritualis non indiget tali receptiuo.

33. *Ad secundũ* Quod secundò arguit in speciali de Angelo, quòd materia non distinguitur, nisi per quantitatem. Respondeo, distinctio primæ materiæ duobus modis potest intelligi, vel quia ex vna materia præexistente fiant duæ, sicut cùm diuido panem: & isto modo materia non est distinguibilis sine quantitate; nec propter istum modum ex aliquo, scilicet, præexistenti, multiplicantur Angeli; vel ita quòd hæc materia, vel ista, distinctè creentur, & ex creatione in duobus Angelis, aut simul, aut diuisis creationibus distinguantur: & isto modo non est distinctio per quantitatem; & ita distinguuntur materiæ in Angelis. Ad tertium: operatio cuiuslibet rei est secundùm mo-

34. *Ad tertium.* dum substantiæ eius, &c. Dico quòd materialiter habet hæc propositio falsitatem; & secundùm vnum modum, qui falsus est, accipitur in proposito. Si enim intelligatur, quòd operatio est secundùm modum substantiæ, quantum ad materialitatem & immaterialitatem, sicut etiam ad propositum accipitur propriè, patet quòd falsa est, tam in cognitione sensitiua, quàm intellectiua. Quòd sit falsa quoad cognitionem sensitiuam, patet per Philosophum, qui dicit, quòd sensus est susceptiuus specierum sine materia; & tamen anima sensitiua, & omnis eius potentia est materiæ alligata. In intellectu etiam patet falsitas, quia intellectus recipit speciem, quæ est vniuersalis in repræsentando multa singularia, & tamen intellectus nullo modo est vniuersalis. Si autem intelligatur ly *secundùm modum*, quòd nobiliori substantiæ nobilior debetur operatio, & operandi modus, verum est; sed tunc nihil ad propositum. Vnde sicut potentiæ sensitiuæ materiæ alligatæ recipiunt speciem sine materia, sic intellectus, quamuis sit forma in materia, recipit speciem sine materia. Vnde cùm dicitur, quòd intellectus abstrahit à materia, verum est corporali, magis etiam quàm sensus; & quia spiritualiùs species recipit, non tamen sequitur propter hoc, quòd res materiales non intelligat.

Ad illud de Augustino dicendum, quòd intendit vt vis non est facta ex materia corporali, vel spirituali præexistenti. 35. *Ad verba Augustini.*

Ad aliud, quòd anima est forma corporis; dico quòd tota anima ex materia & forma composita, est forma corporis. Quod tu dicis quòd materia est tantùm potentia, forma actus, dico, quòd quamuis materia animæ in se considerata sit tantùm in potentia, vt informata tamen sua forma, actus quidam efficitur, per quem materiam informare habet non à se, vt benè concludis, sed à sua forma. *Ad quintum.*

Quòd autem aliqua talis forma sit, ostendo ratione, & similitudine. Inuenitur in vniuerso forma, cuius ambitum excedit materia, vt forma corporalium; non enim vna forma terminat totam potentiam materiæ; est alia forma, cuius ambitus æquatur suæ materiæ, vt forma corporum cælestium; ergo ad perfectionem vniuersi, est dare tertiam formam, cuius ambitus excedit ambitum suæ materiæ, qualis est forma rationalis animæ, quia non solùm ad materiam suam spiritualem, immò etiam ad materiam corporalem informandam se extendit. Simile patet, quòd sicut materia simul cum aliqua forma est totum materiale respectu vlterioris formæ, vt corpus mistum & complexionatum respectu animæ; & sic anima simul cum materia; vt est in rationali anima, respectu alicuius materiæ vt corporis. 36.

SCHOLIVM.

Formam corporeitatis, distinctam ab anima rationali, dari in homine, ac proinde in eodem composito dari posse duas formas substantiales inuicem subordinatas, non solùm hoc loco, verùm etiam in 4. dist. 11. quæst. 3. vbi diffusè, & datâ operâ sententiam hanc multis rationibus corroborat, & contraria fundamenta dissoluit. Necessitatem denique ponendi has formas in corporibus animatis probat indissolubilibus rationibus; tum quia pereunte anima remanet forma corporis; tum quia triduo mortis Christi mansit forma corporis sine anima, & sic mansisset in Eucharistia, si tunc fuisset seruata: tum ex aliis rationibus, quæ negotium facessunt aliter sentientibus.

Quod dicis, quòd forma perficiat materias diuersorum generum; dico quòd non est inconueniens, quòd vnus actus perficiat duas potentias diuersorum generum habentes ordinem, vt dictum est de duplici materia. 37. *Ad sextum.*

Ad aliud, *vnumquodque recipitur in alio per modum recipientis*, &c. Dico, quòd illa vno modo est vera, vt expositum est in mistis, alio modo falsa. Quod autem additur, quòd anima cognoscit lapidem absolutè. Dico quòd cognoscit absolutè id est, inquantum lapis, & cognoscit etiam inquantum hic lapis: vnde quòd forma lapidis inquantum huius lapidis, sit in intellectu, nihil prohibet ipsum habere materiam spiritualem, sed non talem, qualis est materia lapidis extrà. *Ad septimũ.*

Ad octauum. Ad aliud, quòd omnis forma quæ in intellectu recipitur, est singularis in essendo, vniuersale enim non existit, nisi in consideratione intellectus: quòd autem in intellectu sit forma vniuersalis in repræsentando, non est propter intellectus immaterialitatem, sed propter eius eminentem, altam, & abstractiuam virtutem, quam non habet sensus.

Ad nonum. Ad aliud, quòd omnis compositio, quæ aduenit alicui post suum esse completum, est accidentalis; anima autem post compositionem primam, sicut nec completum esse habet sine corpore, sic nec sua compositio est terminata. Ad alia, patet solutio ex dictis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm supposito quòd in omnibus substantiis, tam spiritualibus, quàm corporalibus sit materia, an sit in omnibus eadem secundùm eandem rationem vniuocam?

Auicen. *lib.* 1. *sufficien. cap.* 3. Alen. 2. *part. quæst.* 44. *membr.* 2. S.Thom. 1. *part. quæst.* 66. *art.* 2. *&* 2. *sent. dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. S.Bonauen. *dist.* 12 *quæst.* 1. Ægidius *dist.* 14. *& opusc. de materia cæli.* Occam *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 22. Richardus *quæst.* 8. Henricus *quodlib.* 4. *q.* 16. Ferrarien. 3. *con. Gen. cap.* 20. Suarez *in Metaph. disp.* 12. *sect.* 10. *&* 11. Conimbr. *lib.* 1. *de cœlo cap.* 2. *q.* 6. Vide Doct. *in* 2. *dist.* 14 *q.* 6.

1. RESPONDEO. Circa istam quæstionem primò inquirendum est de materiæ entitate. Secundò, de potentialitate. Tertiò, de eius primitate. Quartò, de vnitate. Quintò, de eius formabilitate. Sextò, de eius subsistentia, & stabilitate.

ARTICVLVS I.

Quænam sit vera entitas materiæ?

Essentia variis modis sumitur. Circa materiæ entitatem, est sciendum, quòd essentia variis modis dicitur de creatura. Vno modo secundùm rationem determinatam alicuius generis: secundùm quem modum dicimus, hic est homo, vel corpus, vel albedo, vel quantitas; & hoc conuenit cuilibet enti, siue existat actu, siue in potentia, siue per suam essentiam: nam quælibet res reponitur in determinato genere per suam essentiam, non per suum actum existentiæ. Res enim siue sit, siue non sit, est res de genere substantiæ; & tale ens significatur, quando dicitur quòd ens diuiditur in decem Prædicaméta. Omnis autem creatura, vel essentia, dicitur esse vel ens isto modo, secundùm quòd habet aspectum ad Deum, vt ad causam exemplarem, inquantum scilicet habet in Deo ideam, secundùm quam est factibilis; & secundùm istum modum illa solùm sunt non entia, quæ non habent in Deo rationem idealem, qualia sunt impossibilia esse, vel figmenta, vt Tragelaphus & similia.

Alio modo dicitur res esse simpliciter, sumpto *esse* secundùm adiacens, vt cùm dico, *homo est*, vel *rosa est*; & hoc dicitur de re, non per suam essentiam: non enim homo humanitate est, alioquin homo semper esset actu, cùm homo semper sit homo; sed dicitur esse, inquantum est effectus Dei, vel alicuius producentis; quia per actionem aliquam dat ei esse actuale, non esse essentiæ; nullius enim actus terminus est, quòd homo sit homo, cùm habeat hoc per essentiam suam; sed quòd homo actu sit, hoc est à creatione, vel à generatione. Et istud *esse* habent creaturæ, quæ procedunt vel immediatè, vel mediantibus agentibus creatis, vt respiciunt Deum in ratione causæ efficientis. Et secundùm istum modum dicuntur non entia, non solùm impossibilia fieri; sed etiam illa, quæ secundùm modum possunt dici entia; vt rosa corrupta, secundùm istum modum non est ens.

Ex quo est aduertendum diligenter, quòd cum hoc, quòd Philosophi ab eodem dicant rem esse, 2.
& esse hanc, quia quælibet res est hæc per suam essentiam & materiam; ita dicunt quòd quælibet res & ens per suam essentiam; & quia, vt patet, diuersæ sunt rerum essentiæ, vt substantiæ & accidentis, ideò dicunt quòd ens æquiuocè prædicatur de substantia, & accidente. Theologi autem dicunt rem esse, non ab essentia, sed ab actu existentiæ, quem non habet aliqua creatura, nec habere potest, nisi ab alio. Et hac eadem ratione, quâ accidens non potest tale esse habere de se, eâdem ratione nec Angelus; quia omnia sunt de nihilo: ideò non dicunt quòd ens, quod dicitur ab *esse*, æquiuocè dicatur de substantia & accidente, immò vniuocè, quamuis tale esse varietur in rebus, secundùm variam imitationem diuinæ perfectionis: ita quòd ratio entis dicitur vario modo de entibus, secundùm quòd respiciunt Deum sub ratione causæ exemplaris, non sub ratione causæ efficientis. Ratio enim exemplaris in Deo, est alia, & alia, secundùm rationem, sicut ratio idearum; sed ratio efficientis est omnino eadem in Deo, & re, & ratione, respectu omnium quæ producit. Esse simpliciter & actuale respicit Deum vt efficientem; esse verò hoc, vel illud, per quod res est in genere, respicit ipsum sub ratione causæ exemplaris; immò vario modo competit rebus tale esse. Esse verò simpliciter habet res vniuocè, & vniformiter. Nec propter hoc sequitur, quòd quoduis esse simpliciter entium, conueniat omnibus rebus vniuocè; & propter hoc ens, quod ab *esse simpliciter* dicitur, sit genus; quia ratio differentiæ est extra rationem generis. Nihil autem potest participare per esse per aliquam rationem, quòd sit extra rationem huius entis, seu actualis existentiæ; & ideò tale ens, simpliciter vocari non potest.

SCHOLIVM.

Aliud triplex esse *materiæ ponit Henricus quodl.* 1. *quæst.* 10. *nimirum hoc ipsum, quod Doctor hic explicat; sed loco secundi* esse *assignat quoddam* esse *supernaturaliter communicatum à Deo materiæ, in casu, quo existeret sine omni forma. Sed istud* esse *latè impugnat Scotus in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 2. §. Ad aliud respondet vnus Doctor, *probátque in eo casu materiam existere sine aliquo nouo* esse *superaddito.*

Ex prædictis apparet, quòd in materia possumus considerare triplex esse, scilicet simpliciter; & esse aliquid in duplici differentia. Esse 3. *In materia consideratur triplex esse. Primum esse materiæ.*
simpliciter, seu actualiter, habet materia, inquantum est effectus Dei, vt scilicet est res, quæ producitur in genere substantiæ. Item, verè creata, & extra nihil posita in composito per actum creationis: verè ens in actu distinctum à forma, sicut ostensum fuit in primo articulo præcedentis quæstio

Art.1. n.3. & seqq. quæstionis *, nec tamen (vt ibi complete ostensum fuit,) quamuis materia sit in actu, & existens actu, propter hoc sequitur quòd sit actus, nec quòd sit in actu, siue existens in actu vniuocè cum forma. Materiam enim esse, & formam esse actu, modis oppositis eis conuenit, vt ibi dixi. Forma enim (vt ostendi) essentialiter est actus; materia autem nullo modo potest dici per se alicuius actus. Dico *per se*; quia actuata aliqua forma, potest dici alicuius actus & forma; vt ostendi in solutione vnius argumenti de rationali anima *. *Quæst.7. num.35.* Vnde, vt ibi patet, siue materia sit potentia, seu in potentia, non excluditur, quin sic sit actu verè existens in composito; sed quod nullius secundùm se est actus. Quia etiam esse actu non sibi conuenit vt formæ, propter hoc dicitur potentia & in potentia.

4. *Quare dicitur materia esse in potentia.* Potest etiam materia dici in potentia, propter negationem triplicis actus, scilicet propter negationem actus, qui est actualiter per se subsistere; & actus, qui est nostrum intellectum directè mouere; & actus, qui est operationem elicere perfectiuè per se. Materia enim saltem per naturam, non potest per se subsistere, & sic priuatur actu, qui debetur supposito: nec mouet sensum, nec intellectum directè, vt dicit Augustinus *lib. de natura boni, cap.*18. *Sed Hyle* (inquit) *dico quandam penitùs informem, & sine qualitate materiam, vnde istæ, quas sentimus, qualitates, formantur, quæ non per aliquam speciem sentiri, sed per omnimodam speciei priuationem cogitari vix potest.* Hoc idem dicit Aristoteles 1. *Physic.text.69.Subiecta*, inquit, *natura scibilis est, secundùm analogiam, sicut cùm ad statuam æs*, &c.

Hoc idem patet ratione, quia cùm intellectus noster sit finitus, & carne obscuratus; sicut nec actualissima intelligit perfectè, vt Deum, per suum excessum, sic nec illa, quæ modicum habent de entitate, propter eorum defectum: cuiusmodi sunt materia, tempus & similia; & sic priuatur ab eis actus perfectæ essentiæ proportionaliter ad mouendum intellectum nostrum directè. Nec etiam mouebit aliquem sensum, quia qualitates sensibiles non fundantur nisi in corporibus; ratio autem corporis est extra rationem materiæ de se; & isto modo priuatur à materia actus, qui debetur accidentibus. Priuatur etiam tertiò ab ea actus, qui est operatio, non enim est principium agendi, sed patiendi; quia, vt dicitur 3. *de Anima, text.*10. *Agens semper præstantius est passo.* Quod est sic intelligendum, non quin aliquando nobilius patiatur ab ignobili, si totum agens ad totum passum comparetur: sed quia nunquam pateretur passum ab agente, nisi aliquod principium ignobilius esset in eo, illo, per quod agens agit. Vnde nunquam ignis pateretur ab aqua, nisi in igne esset aliquod ignobilius principium formæ aquæ, cuiusmodi est materia. Cùm igitur materia de se sit infimum ens, & hoc minus habeat de entitate, quàm aliquod principium, nullo modo potest esse principium actiuum respectu alicuius; & sic priuatur ab ea actus, qui debetur formæ. Nam apparet, quòd materia habet vnum esse tale, scilicet simpliciter, seu in actu, vt est effectus Dei in composito; & tamen ille actus non excludit, quin sit de se potentia.

5. *Secundum esse materiæ.* Habet etiam esse hoc vel esse tale, & hoc sub duplici differentia; habet enim vnum esse, inquantum est omnium formarum quædam capacitas, secundùm quod dicit Augustinus, de vera Religione, *cap.*18. *Bonum* (inquit) *est enim esse formatum, non nullum ergo bonum est & capacitas formæ.* Et de natura boni, *cap.*18. *Habet* (inquit,) *enim & ipsa capacitatem formarum, nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies vtique diceretur.* Istud autem tale esse non habet materia, vt est effectus quidam, sicut dixi * de alio primo esse simpliciter & actuali, sed à sua natura, *q.7 n.3. & seqq.* quæ est differens per essentiam à forma, & ab omni alia re; & habet tale esse, & respicit Deum in ratione formalis esse, vt habet *ideam* secundùm rationem in Deo distinctam, iuxta, & secundùm quam talis capacitas formabilis est; & de tali esse est verum dicere quòd illorum *esse* sunt diuersa, quorum essentiæ sunt diuersæ; quia tale esse est esse essentiæ.

Esse autem tertium habet materia per illud, quod recipit per formam. Omne enim, quod essentialiter vnitur alicui, actum suum ei communicat, vt anima corpori vitam, sensum, & motum, & similia. Et quia, vt dictum est in præcedenti *Num 21. & seqq.* quæstione, forma de ratione sua est perfectio quędam determinata, sicut materia res quædam, seu capacitas indeterminata: ideò materia à forma recipit esse determinatum; sicut ipsa forma est gradus determinati. Vnde vterque actus prædictus materiæ est in potentia respectu istius tertij actus, quem habet à forma, sicut à suo formali. Esse autem actuale non habet ab ipsa formaliter; nec enim materia formaliter per formam est actu; sed per formam est talis, puta lignea, vel terrea, sicut cera non est cera per impressionem talem, vel talem, sed est talis, puta imago istius, vel illius; sic ergo patet de esse essentiæ, & in se, & respectu ad formam.

ARTICVLVS II.

Quænam sit vera potentia materiæ, & an distinguatur ab illa?

6. SEcundum est videre de potentialitate materiæ respectu sui subiecti, quod est materia. Non etiam inquiro hîc de potentialitate secundùm rationem, quæ opponitur actui, sed de illa potentia, quæ est in potentia respectu receptionis formarum.

SCHOLIVM.

*Breuiter & sub compendio Scotus in 2. dist.*12. *quæst.*1.§. Est igitur videndum, *&* §. Dico igitur: *repetit quæ hîc docet de potentialitate materiæ, etsi multa hîc clariùs distinguat, & explicet, quæ verè ad perfectam materiæ notitiam valde conducunt.*

Ad videndum igitur naturam huius potentiæ, est sciendum, quòd materia & sua potentia, per quam est formarum substantialium susceptiua, sunt omnino idem re, differentia solùm ratione. Materia enim de ratione sua nominat substantiam quandam actu in composito existentem; cuius actualitas est imperfecta, & actualitati omnis formæ opposita. Vnde nominat illam substantiam modo absoluto, absque respectu positiuo ad aliud. Potentia verò passiua materiæ nominat ipsam eandem substantiam sub respectu ad formam, sub indifferentia tamen ad omnes, & hoc inquantum nec est in motu, nec inquantum est in transmutatione ad aliquam istarum; nec inquantum

tum est in actu sub aliquo illorum; nec vt determinata, seu disposita ad receptionem alicuius illarum; nec ad vnam potiùs, quàm ad aliam; & sic potentia passiua nominat materiam sub respectu ad formas. Vnde non est aliud, quàm respectus fundatus in materia, & hoc ex essentia materiæ, non ex aliquo superaddito materiæ. Sicut similitudo habet esse in homine albo ex respectu ad alium album, per albedinem, quam habet in se. Et hoc est potentia purè passiua, ad quam habet reduci omnis ratio potentiæ passiuæ, vt determinat Philosophus in *9. Metaphysic. text. 2.* Quòd autem ista potentia sit idem re cum materia, sola ratione differens, modo iam dicto, sic potest patere.

7. *Duplex genus potentiæ.* Secundùm Philosophum *9. Metaphys. suprà citat.* duplex est genus potentiæ, scilicet actiuæ & passiuæ, ad quas omnes aliæ potentiæ reducuntur. Est autem aduertendum, quòd hæc duo genera potentiarum sunt in aliquibus primò & per se, & per essentiam, non participatiuè per quandam attributionem, & reductionem ad illa prima. *Potentia Dei an differat ab essentia.* Potentia enim actiua primò & per se inuenitur in primo agente, scilicet in Deo, in quo sua potentia actiua est ita pura, quòd est idem quòd sua essentia, solo respectu secundùm rationem differens ab ea. Cuius ratio est, quia aliter necessariò faceret in eo compositionem, quod est impossibile in primo; quia cùm partes præcedant naturaliter compositum, primum non esset simpliciter primum, tunc primum agens non ageret per se, sed per aliud sui; & ita non esset omnino agens primum. Et cùm omnia reducantur ad primum sui generis, sequeretur quòd illud agens, quod dicis primum, produceretur ad agens per essentiam; & potentia illius ad potentiam agentis per essentiam. Cùm igitur non sit processus in infinitum, oportet dare primum agẽs, quod agit per suam essentiam, in quo potentia actiua est idem re cum essentia, solùm ratione differens, & comparatione, vt dicatur essentia absolutè considerata potẽtia per respectum ad illa, quæ potest producere.

8. Similiter dico eisdem rationibus, quòd potentia passiua primò & per se inuenitur in alio extremo, scilicet in materia prima, in qua sua potentia passiua est ita pura, quòd omnino est idem re, quod substantia materiæ, sola ratione differens, vt dictum est, ita quòd nullam compositionem realem faciat cum materia. Nec propter hoc potest concludi, quòd simplicitas materiæ sit diuina simplicitas; quia simplicitas materiæ non est adeò simplex, quin alteri sit componibilis, quin etiam à forma quantùm ad actum subsistendi & determinati generis dependeat, quin item in ea esse simpliciter, seu esse actu, quod habet à terminante, sic à sua essentia differat quòd non sit de eius intellectu; quæ omnia sunt extra diuinam simplicitatem. Omnia autem entia per se subsistentia inter materiam, potentiam, & Deum, habent actum potentiæ passiuæ admistum secundùm magis & minùs.

Est igitur potentia passiua in materia prima, ita per se primò & pura, quòd omnino est idem re quod ipsa essentia. Cuius ratio est, quia si re à materia differret, esset accidens, vel forma quædam in materia recepta, & materia esset in potentia ad eius receptionem, & de illa potentia ad receptionem prædictæ potentiæ esset eadem quæstio, & procederetur in infinitum; vel est dare vnam potentiam passiuam, quæ est idem re quod esse in materia.

Item, videmus potentiam passiuam in esse rebus secundùm magis est minùs: hoc autem non potest esse, nisi secundùm maiorem, vel minorem elongationem ab illo, cui per se & essentialiter inest: ergo oportet dare aliquid per essentiam suam sic passiuum: hoc autem non est forma, nec aliquid compositum, quia per formam non est passiuum: ergo est materia.

Item, sicut arguebatur de primo agente: si materia non est passibilis per suam substantiam (& loquor de passione, quæ est formæ receptio; quia, vt ostendam, ad istam reducitur omnis alia passio & receptio) sed patitur per aliud à se: materia non est principium passionis, quia principium in quolibet genere per se est tale, & non per aliud: ergo ipsa reduceretur ad aliquod primum patiens: nisi enim sit dare primum, non est dare postremum; & si non est primum patiens, non est patiens secundùm magis & minùs: nullum autem tale est, nec excogitari potest quidem aliud à materia, quod sit primæ formæ susceptio, cùm ipsa sit capacitas quædam formarum secundùm Augustinum citatum. 6.

Item, ostensum fuit in præcedenti quæstione *, quòd forma per essentiam suam est; cùm enim actualitas formæ non sit actualitas infima (talis enim est prope nihil) ergo actualitas formæ naturali ordine præsupponit minorem, scilicet, materiæ, quæ est prope nihil; immò forma, quia habet ante se, cuius sit actus, essentialiter actus dicitur. Per oppositam rationem, cùm materia sit prope nihil, non habet ante se cuius sit perfectiua & determinatiua; nihil enim à nullo perficitur, vel determinatur; ideò materia actus non potest dici. Sicut ergo forma per suam essentiam non per aliud re ab ea differens, est actus perficiens materiam, sic materia semper per suam essentiam est potentia receptiua formæ. * num. 8.

Item, materia & forma realiter ab inuicem differunt, sicut actus & potentia: sed relatiuum ad correlatiuum refertur, inquantum tale, vt album dicitur simile inquantum album: ergo materia inquantum materia refertur ad formam: sed non refertur ad eandem, nisi inquantum ea potest informari & eam recipere; ergo inquantum materia formam potest recipere: si autem potentia illa esset alia re à materia, non reciperet inquantum materia; quia reductio dicit causam essentialem prædicati in subiecto.

Item, si talis potentia re differret à materia, cùm talis potentia formæ receptiua, sit potentia prima, quam potest quis in materia percipere, non potest alterari, vel aliter mutari; nisi vt formam recipit: hoc est nisi vt est, sub forma: igitur amotâ per intellectum illâ substantiâ à potentia materiæ, quæro quid est materia? non accidens, cùm sit pars substantiæ; ergo est substantia: ostensum est enim in præcedenti quæstione *, quòd non est nihil, immò dicitur ens, & non est potentia, vti tu dicis, nec in potentia ad aliud, nisi per potentiam, quam in se habet, respectu illius: ergo necessariò est actus purus in sua essentia. 10. * num. 1. & seqq.

Item, quodlibet dicitur tale per naturam primi, vt esse calidum per naturam primi calidi *2. Metaph. text. 4 & inde*, ergo omnis particularis & contracta materia dicitur talis per naturam primæ materiæ; sed in omnibus generibus, siue in arte, siue in natura, illud dicitur materia, quod de se est indeterminatum, vt lignum respectu scamni

scamni, & granum, & semen respectu fructuum, vel membrorum: ita dicitur 1. *Physicorum, text.69. Subiecta natura scibilis est per analogiam ad formam, & habet materia informis priusquam formam suscipiat, vt as adstatuam, lignum ad lectum:* ergo materia prima de ratione sua, non per aliud distinctum re, est indeterminata; sed hoc est esse in potentia passiua, sicut esse determinatum esse actu: ergo materia de se est potentia, & in potentia.

11. Ex his patet, quòd cùm omnis alia passio sit in recipiendo actionem, subiectum autem actionis non sit nisi compositum: quia, vt dicitur 1. Physicorum, *text.80. Subiecta quidem materia cum forma causa est omnium acidentium*, quia omnis alia passio, vel receptio præsupponit naturaliter compositum ex materia, & forma; & quia compositum naturali ordine præsupponit partes, patet quòd omnis potentia receptiua alicuius accidentis præsupponit potentiam receptiuam formæ substantialis; quia omne posterius reducitur ad prius, omnis potentia receptiua reducitur ad potentiam materiæ, quæ est potentia ad formam substantialem. Et quia illa potentia est idem, quod materia, patet quòd materia naturaliter est principium omnis passionis. Et dico *naturaliter*, propter alterationem, quæ fit in accidentibus Sacramenti Altaris; in qua tamen alteratione superest aliquid per modum subiecti, & materiæ, vt patuit in præcedenti quæstione, quamuis in genere substantiæ nihil sit passibile, nisi per veram materiam, vt ibi fuit dictum. q.7.n.27.

12. Ex his patet, quòd sicut materia prima per suam substantiam est susceptiua formæ substantialis, ita ipsum compositum est per suam essentiam, vt per potentiam passiuam, re differentem ab ipso, est susceptiuum accidentium primò, & immediatè. Cuius ratio dicta est; quia si compositum esset susceptiuum eorum per potentiam passiuam re differentem, tunc illa sit in composito recepta; quæro per quod eam recipit? & certum est, quòd per potentiam receptiuam: tunc quæro de illa, & sic in infinitum, & sic terminandum est in aliqua, quæ est re idem cum eo: non dico, quando vnum accidens dispositum sit ad eius introductionem, vt mollities ceræ ad figuram; sed ratio susceptiua est ipsum compositum, vel aliquid habens vicem compositi: quod dico propter miraculum, quod fit in accidentibus Sacramenti.

Accidentia in quo recipiuntur.

Ex his apparet, quòd multùm errant illi, qui dicunt, quòd potentia passiua, quæ ad actum substantialem, est in genere substantiæ compositæ: quia, vt ostendi, per ipsam substantiam recipiuntur accidentia. Sunt etiam ipsæ substantiæ per se, non per potentiam re differentem ab eis, causæ primorum accidentium. Quod patet, quia agere sequitur esse actu, accidentia autem habent esse actu per substantiam; ergo per eius actionem in esse producuntur. Exemplum huius est, quia aqua calida ab igne sequestrata, se ipsam facit frigidam, virtute scilicet formæ substantialis. Tamen per accidentia prima, quorum substantia est immediata causa, possunt esse causa accidentium secundariorum, vt per calidum, frigidum, humidum, & siccum, saporatum, coloratum, odoratum, &c.

13. Nec valet, quod quidam obiiciunt, quòd substantia est causa materialis respectu accidentium; ergo non est efficiens; quia materia & efficiens

Obiectio.

non coincidunt 2. *Physicorum, text.* 70. subiectum enim consideratum vt actu subsistens, habet rationem materiæ respectu accidentium; consideratum autem in ratione virtualis formæ suæ est causa efficiens. Respondetur, ad aliquam formam sequuntur aliquæ proprietates naturaliter, aut actiones per se; vt generans rem, secundùm illam formam disponit causas in generando, & actuat quidquid est de se sic in potentia actuali ad accidens, & ex parte materiæ disponendo illam, vt sit necessitas ad receptionem illius accidentis, & ex parte formæ, vt sit actualiter virtualis quædam necessitas ad producendum illud accidens de potentia materiæ; vt, verbi gratiâ, generans ignem, quia caliditas, & leuitas consequuntur formam ignis, generando ignem simul disponit naturam ignis, vt sit necessitas ad recipiendum caliditatem, & leuitatem, & similiter formam ignis ad producendum illa de potentia materiæ. Vnde quia forma generata non habet hanc virtutem, nisi à generante datam; ideò etiam formarum accidentalium generatio attribuitur generanti, quando dicitur, quantum dat de forma, tantum dat de loco, & de operatione, & similibus. *Solutio.*

Et ex his etiam patet, quòd rationes, quas facit Commentator super librum 1. Physicorum, *text. com.* 70. ad probandum, quòd materia non est sua potentia, omnino nihil valent. Arguit enim: adueniente forma corrumpitur potentia ad eam; ergo corrumpitur materia. 14. *Respondetur ad argumenta opposita.*

Item, materia est in prædicamento Substantiæ, potentia in prædicamento Qualitatis, vel Relationis.

Ad primum dicendum, quòd si potentiam vocat distantiam materiæ à forma, illa benè corrumpitur; illud autem non voco ego potentiam, sed ipsam capacitatem formarum, quæ non perit adueniente forma: quia enim leue per leuitatem mouetur sursum, vel vas per suam capacitatem aliquid recipit, leui in sursum existente, vel vase repleto, nec leuitas leuis corrumpitur, nec capacitas vasis destruitur. Ita dico de potentia materiæ; per illam enim potentiam, per quam formam recipit, receptam conseruat. *Ad primum.*

Patet etiam falsitas rationis, quia, vt dictum est, ratio potentiæ addit supra essentiam materiæ non esse, sed rationem, seu respectum: sicut enim similitudo facienda in albedine, non est alia ab albedine; quod patet, quia possum effici similis, vel dissimilis sine mutatione facta in mea albedine, & tamen ratio similis potest corrumpi, albedine remanente; ita adueniente forma in materia, posset dici, quòd corrumpatur respectus, seu ratio prima, sed non potentia secundùm rem, vt est idem re cum materia remanente.

Ad secundum dicendum, quòd quælibet creatura ex se tota ad Deum refertur, non per aliquid aliud, quia tunc illo per intellectum amoto, nullum respectum ad Deum haberet; ergo concedes, quòd nulla creatura est subiecta: vnde inquantum talis res est subiecta, vt comparata ad principium cadit in genere relationis. Nec propter hoc sunt duæ res, quia relatio non dicit rem distinctam realiter à fundamento. *Ad secundum.*

ARTICVLVS III.

De primitate materiæ.

15. TErtiò inquirendum est de materiæ primitate. Circa quod est sciendum, quòd aliqui distinguunt in materia duplex genus primitatis. Vno, inquiunt, modo dicitur materia *prima* inquantum *primum* importat ordinationem naturæ; & tunc materia prima dicitur illud, in quo stat vltima resolutio omnium naturalium generabilium corporalium; & tale primum debet esse de natura sua absque omni forma substantiali: tum, quia omnis forma substantialis dat esse actu, materia autem omnis est ens omnino in potentia; tum, quia subiectum generationis est non ens, simul cum materia, quæ est subiectum generationis, non vt simul: tum, quia materia, quæ est subiectum generationis, aliàs esset composita ex materia, & forma, & tunc materia illa esset scibilis per formam, ac per hoc totum compositum non est materia prima. Alio modo dicitur materia prima secundùm quòd importat ordinationem temporis; vt sic id dicatur materia prima, quod duratione temporis præcessit ordinatam mundi dispositionem: secundùm quod dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram:* hoc est informem materiam; & isto modo in se includit aliquam formam, non quidem elementarem, vel alicuius distinctæ speciei, sed aliquam imperfectionem quæ se habebat ad formas elementares vt materia, & vt imperfectum, sicut forma embryonis se habet ad aliquod perfectum; siue illa materia fuerit distincta à principio sub formis elementaribus, vt aliqui putant, siue non, quocumque modo illa materia dicetur prima ordine temporis respectu eorum, quæ facta sunt processu temporis ex ipsa.

Alb. lib. 1. de gen. tract. 2. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. & in 2. dist. 12. q. 1. art. 1. & alibi sæpè.

Genes. 1.

SCHOLIVM.

Circa subiectum generationis varia sunt inter Authores sententia. Quidam statuunt materiam primam nudè sumptam absque aliqua forma substantiali. Alij affectam quantitate reliquisque dispositionibus formæ introducendæ necessariis. Alij denique totum compositum de nouo genitum. Scotus verò, vti communiter explicatur à suis sectatoribus, censuit in 4. dist. 11. quæst. 3. generationes viuentium subiectari in materia prima, vt affectam forma corporeitatis, aliisque accidentibus consequentibus; rerum verò inanimatarum in sola materia. At hìc censet in omnibus generationibus substantialibus præsupponi formam in materia; & similiter infrà q. 17. n. 25. & seq. & n. 36. Videatur tamen in 3. dist. 22. q. 1. §. Rationes, quas faciunt, *& in 1. distinct. 3.* §. Secundò sic*: vbi ait in entibus compositis fieri resolutionem vltimò ad simpliciter simplicia.*

16. Ista distinctio in positione non potest facilè sustineri: quod patet specialiter quantum ad primum, in quo dicitur, quòd materia forma substantiali denudata, est subiectum generationis, & corruptionis immediatum, & est materia prima ordine naturæ. Quod sic probo: Nos videmus quòd omnis ars incipit operari ex materia aliquam formam substantialem habente; ars enim faciendi indumentũ supponit pannũ, & illa filum, & illa necessariò formam naturæ, scilicet lanã; sic in arte fabrili ferrum, & in omni arte opus: cùm igitur, vt dicitur 2. *Physic. text. cap.* 22. ars imitetur naturam; nam, vt ibi dicitur, si natura faceret domum, vel nauem, faceret eam, sicut facit ars: sicut enim natura est agens intrinsecè, sic ars extrinsecè: ergo videtur quòd omne agens naturale præsuponat in subiecto, de quo operatur, sicut & ars, aliquam formam substantialem ab alio introductam.

Item, ad confirmandum istam rationem dico, quòd tria sunt agentia, Deus, natura, & ars, & habent se secundùm ordinem; & sic tertium præsupponit effectum secundi, & materiam, de qua operatur; ita secundum effectum primi, & vbi desinit primum incipit, secundum; & vbi desinit secundum, incipit tertium. Dico autem *desinere* quantum ad effectum per se, & immediatè, eo quòd semper Deus cum omni agente operatur: illud autẽ quod à primo fit, non est materia omni forma denudata; primò quidem, quia actio Dei terminatur ad ens completũ. Secundò, quia dato, quòd materia esset sine omni forma, licèt sit in potentia, nihil esset supra materiam: in primis enim fundamentis naturæ nihil est supra, vel contra naturam. Tertiò, quia cùm omne agens creatum agat per aliquem influxum, quo alterat passum, qui in passo recipitur, tanquam in subiecto; materia autem prima, vt est ostensum in secundo articulo, non est immediatum subiectum actionis, sed compositum; dato quòd Deus materiam absque omni forma faceret, nunquam subiectum alicuius actionis esse posset. Quartò, quia cùm agentia naturalia, de quibus hìc loquimur, sint corporalia, ac per hoc agant per angulos, & pyramides, modo quantitatiuo, impossibile est, quòd eorum actio recipiatur in subiecto non quanto, materia autem sine forma est non quanta. 17.

Item, 1. *de Generatione, text.* 24. dicitur, quòd si aliqua passio sit communis generato, & corrupto, non oportet illam transmutari. Et in 2. eiusdem *text.* 25. dicitur, quòd in habentibus symbolum, facilior est transitus, quàm nunquam mixta transmutari: cùm igitur omnibus generatis, & corruptis, tam corruptibilitas, quàm quantitas sit communis, licèt secundùm diuersos gradus, necesse est, quòd materia, quæ est primum subiectum generationis, sit materia sub determinata quantitate; quantitas autem non est in materia sine forma substantiali; quia videmus materiam variari in quantitate secundùm exigentiam formarum; ergo quantitas sequitur formam in materia. 18.

Item, agentia naturalia agunt vnum corrumpendo alterum: corrumpitur autem res à suo contrario: quantitati autem, & corpori nihil est contrarium, alioquin cœlum esset corruptibile.

Præterea est, quia tunc corpus Christi viuum, & mortuum non esset idem corpus, quia materia sine forma non est corpus.

Ratio autem illorum debilis est, prima non valet, quia cùm dicitur, quòd forma substantialis dat esse actu, verum est, sed non vltimum, seu specificum. Et cùm additur in maiori, quòd materia est ens in potentia, verum est de materia omnino prima, non de illa, quæ est subiectum generationis: sufficit quòd careat illo actu, qui est terminus illius generationis.

Quod secundò dicitur, quòd subiectũ generationis est non ens, verũ est, vt per *non ens* priuatur illa 19.

illa entitas, quæ est terminus generationis; vnde subiectum generationis substantialis caret omni forma naturali, quæ per naturam educitur, non aliis.

SCHOLIVM.

Ait hic Scotus materiam per se non esse cognoscibilem à nobis, sed in ordine ad formam, quam amittit, & acquirit, ratione nimirum alterationum & mutationum, quæ circa ipsam fiunt; quod clarius docet in 2. dist.12.q.1. §. Dico igitur, quòd materia: *vbi dicit materiam verè ex se esse cognoscibilem,* Quia, *inquit,* habet in Deo ideam, & est entitas absoluta; non tamen à nobis cognoscitur, nisi per transmutationem formarum; neque enim formas, quæ sunt magis cognoscibiles, & sensibus propinquiores, cognoscimus, nisi ex illarum operationibus, multò minùs materiam à sensibus remotiorem, nisi per formarum transmutationes. *Similiter dicit in 3. dist. 22. quæst.1.* §. Ad secundum cùm dicitur.

Quod tertiò dicitur, dico non est scibilis per formam, sub qua est, immobilem, sed per illam, ad quam tendit, & per illam, quam amittit; vt docet Philosophus 1. *Physic. text. 69. Subiecta* (inquit) *natura scibilis est secundùm analogiam. Sicut enim ad statuam æs, aut ad lectulum lignum, aut aliorum aliquod habentium formam in materia & informe se habet priusquam accipiat formam, sic ipsa se ad substantiam habet,* &c. ideò dico, quòd est materia secundò, primò, & tertiò, & sic deinceps prima. Voco autem materiam primò primam, subiectam quandam partem compositi, habentem actum de se omnino indeterminatum respectu determinationis cuiuslibet formæ, cuius actualitas est immediatè prope nihil, ac per hoc minima, nullum actum formæ, vel substantialis, vel accidentalis habens in sua essentia, nec in sua actuali existentia, per quem actum formaliter actu sit ens quoddam extra nihil; sed illum actum habet à Deo efficiente; actum verò talem, vel talem, puta cœlicum, vel terrenum, habet à forma, per quam, & cum qua subsistit in composito. Ista potentia dicitur prima, quia nulla est ratio, vel entitas creaturæ, cui minùs communicatum sit de entitate, sed eius entitas determinatur & perficitur per omnem aliam actualitatem: iste autem, saltem ordine naturæ, præcedit primum determinans, vt cera ante suas figuras.

20\. *Quid sit materia primò prima.* Dicitur autem *primò prima,* quia quamuis sint multæ materiæ primæ in genere suo, omnes tamen præsupponunt istam, & aliquam actualitatem formæ, per quam simul naturaliter istæ sunt determinatæ materiæ respectu aliquorum agentium. Secundò etsi sint primæ in suo genere, non tamen simpliciter, vel primò primæ. Dicitur autem ista materia *primò prima,* quia vt talis nuda accepta, non potest esse subiectum alicuius creati agentis, vt videbitur in 5. articulo; sed solùm agentis simpliciter primi, scilicet, Dei.

Quid sit materia secundò prima. Dicitur autem materia *secundò prima,* quæ est subiectum generationis & corruptionis, quam mutant & transmutant agentia creata, seu Angeli, seu agentia corruptibilia, quæ, vt dixi, addit ad materiam primò primam; quia esse subiectum generationis non potest sine aliqua forma substantiali, aut sine quantitate, quæ sunt extra rationem materiæ primò primæ; eò quòd proportionaliter respondet tanquam subiectum eorum secundis agentibus, scilicet creatis, quæ dicuntur secundaria respectu Dei, & nihil possunt producere, nisi de ista secunda materia. Dicitur tamen prima, quia omnia quæ per agentia naturalia producuntur, eam supponunt, vt fundamentum & vt indeterminatum; quia per formas ab eis productas determinatur.

Dicitur autem materia *tertiò prima,* materia cuiuscunque artis, & materia cuiuslibet agentis naturalis particularis; quia omne tale agit veluti de aliquo semine, quod quamuis materia prima sit respectu omnium, quæ per artem producuntur, supponit tamen materiam, quæ est subiectum generationis; & vlteriùs aliquam formam per naturam productam, aliter nulla ars quidquam operatur. In agentibus autem & naturalibus, & artificialibus sunt gradus prioris, & posterioris in materia; sicut ars sarciendi vestitum supponit prò materia pannum, & hoc filum, siue opus artis filandi; sic etiam est in naturalibus. *Quid materia tertiò prima.*

Quòd autem mens sit Philosophi sic per diuersas operationes materiam distinguere, patet 7. *Metaphys. text.* 35. vbi dicit, *Quædam materia est sensibilis, vt cuprum; quædam intelligibilis, vt illud, quod est in sensibilibus, non secundùm quòd sunt sensibilia, vt Mathematica.* In eodem etiam 8. *text.* 14. distinguitur, quòd quædam est materia secundùm formam; quædam secundùm corruptionem formæ. Secundùm formam, quemadmodum aqua est materia aceti, mediante forma vini, cuius scilicet formæ vini materia aquæ est susceptibilis. Materia secundùm corruptionem formæ dicitur, quemadmodum vinum est in materia aceti per suæ formæ corruptionem: & secundùm hoc distinguit Philosophus duplicem potentiam passiuam materiæ, propinquam scilicet, & remotam. Propinqua dicitur ea, quæ est ad susceptionem formæ ordinata vnica transmutatione: & vocatur potentia simpliciter, quæ debetur materiæ secundo modo dictæ, materiæ scilicet alicuius per formæ corruptionem. Remota dicitur, quæ indiget multis transmutationibus, vt forma introducatur, & ista correspondet materiæ primo modo dictæ, quæ scilicet dicitur materia alicuius secundùm formam intermediam, quam potest recipere. 21. *Duplex potentia passiua.*

Iam igitur patet quæ sit materia primò prima, cuius consideratio spectat ad Metaphysicum; materia secundò prima, cuius consideratio spectat ad Naturalem; materia tertiò prima, cuius consideratio spectat ad Mechanicum, seu artificem.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in omnibus rebus sit vna materia?

Quartò, inquirenda est vnitas materiæ, quæ, vt videbitur, vario modo accipitur, secundùm variam rationem primitatis eius: & ideò ille articulus est singulariter præmissus. Circa quod sciendum, quòd Auicembronus in libro Fōtis vitæ dixit vnam in omnibus esse materiam: sed fuit huius positio ab aliquibus impugnata: primò auctoritate Aristotelis dicentis 8. *Met. text.* 4. quòd omnia quæ transmutantur habent materiam, ita quòd secundùm sententiam suam, 22. *An materia sit in omnibus vna. Authoritates quæ probant non esse.*

secundùm diuersitatem transmutationis oportet in rebus iudicare diuersam materiam: ergo cùm naturalia transmutentur ad aliam, & aliam formam, non est vna materia, seu secundùm vnam rationem in illis, & multò minùs in Angelis. Hoc idem habetur ex 8. *Met. text.* 3. 12. *&* 14. vbi dicitur nullum eorum, quæ corrumpuntur, esse simplicia: vbi dicit Commentator, nullum eorum, quæ non corrumpuntur secundùm substantiam, habent potentiam, quâ substantia eorum corrumpatur; ergo nec materiam, quia talis potentia competit materiæ: vnde ait 2. *Metaph. text.* 16. quòd de corruptibilibus non est scientia, nec demonstratio, habent enim materiam, quâ possunt esse, & non esse. Commentator etiam dicit *suprà* 10. *Metaphys.* si corpus incorruptibile est compositum ex materia & forma, dicetur æquiuocè cum materia, & forma rei generabilis & corruptibilis. Item, Commentator *suprà* 8. *Metaphys.* dicit sic; ideò dixit Themistius, quòd Sol & Luna, & stellæ sunt formæ sine materia, aut per æquiuocationem materiæ, sicut est dispositio in materia intellectus.

Comment. 12. & 14.

Comment. 16.

Comment. 12.

23. Item, Commentator *suprà* 4. *Metaphys.* non inuenitur materia vna communis vnicuique rerum naturalium, nisi in rebus habentibus generationem & corruptionem. Rationem adducunt, quia cùm materia generabilium & corruptibilium sit in potentia de ratione sua ad multas formas, sic etiam materia cœli & Angeli erit in potentia ad multas formas, si sunt eiusdem rationis; nulla autem potentia passiua inuenitur in materia, cui non respondeat potentia actiua, potens eam ab eadem ducere: nam cùm actiuum & passiuum sint de perfectione vniuersi, si esset passiuum & non esset actiuum, esset vniuersum incompletum, quod est impossibile: sicut ponit Philosophus exemplum in 2. *Cœli & Mundi, text.* 50. dicens, quòd impossibile sit, quòd stellæ sint mobiles motu progressionis, & natura non dedit ad hoc eis instrumenta.

5. Met. Comment. 33. Item 10. Metaph comm. 12. & 16. *Argumẽtum primum.*

Secundum. Item, materia dicitur ad formam vt potentia ad actum, nunc autem si volumus videre quando differant potentiæ, oportet ad actus aspicere: vnde si actus differunt specie, etiam potentiæ; & si videmus quòd vna potentia possit in vnum actum secundùm speciem, & alia in alium, & non in illum, dicimus quòd potentiæ differunt specie, vt auditiua & visiua: si autem quælibet potentia posset in quemlibet actum, non videremus illas potentias specie differre: cùm igitur formæ sint specie & genere differentes, etiam videmus aliquam materiam in potentia ad formam, sub qua est alia, & è contrario, illas dicemus vnigeneas: aliam verò materiam, quæ non est in potentia ad illam, vel aliam formam, non dicemus vnigeneas: talis est materia cœli & Angeli.

Tertium. Item, materia generabilium & corruptibilium ita est affecta ad formam corporalem, quòd nullo modo est in potentia ad spiritualem: quia, vt dicit Augustinus, ex corporali non fit spirituale, nec è contrario: sed quorum est eadem materia, illa sunt ad inuicem transmutabilia; ergo non est eorum vna materia.

Aug. de Gen. ad lit. c. 10. & 11.

24. Ego autem ad positionem Auicembroni redeo, & primam partem, scilicet quòd in omnibus creatis per se subsistentibus tam corporalibus, quàm spiritualibus, sit materia, teneo; sicut ostendi in præcedenti quæstione.

SCHOLIVM.

Rerum omnium corporalium tam cœlestium, quàm sublunarium, vnam & vnicam esse materiam hic defendit Scotus, quæ aliorum etiam plurimorum tam Philosophorum, quàm Theologorum est sententia; eámque tuetur in 2. *dist.* 14. *quæst.* 1. §. Secundùm Theologos. *Sed adhuc ampliùs comprehendit eam materiam, quam ponit in Angelis & anima rationali, iuxta doctrinam à se traditam in quæstione præcedenti. Et certè iuxta distinctionem materiæ primò primæ, & secundò, & tertiò primæ, quam hîc assignat, facile erit hanc tueri doctrinam, & respondere ad obiectiones authorum aduersæ sententiæ.*

Circa secundam partem positionis, scilicet quòd sit vnica materia, sic procedo. Primò dico, ad ea, quæ dicta sunt in isto articulo, recurrendo, quòd si loquamur de materia primò prima, talis, dico, materia secundùm naturam quamuis concreta saluatur in omni materia omnium naturalium, & per illam omnis materia concreta est particularis, passibilis & receptibilis; quamuis inquantum talis per aliquod additum, sit huius formæ, & non alterius, receptibilis. Quòd autem talis materia, vt dicit ens minimum propè nihil receptiuum formarum, sit vnum solum in se, non dico aliquod vnum in omnibus materialibus, ostendo. Certum est cùm illa materia minimum habeat de entitate, est medium inter ens & nihil. Impossibile autem est inter duo extrema dare duo media per æqualem distantiam; ergo si sint duæ materiæ, vnum plus habebit de entitate, quàm aliud.

Opinio Doctoris circa vnitatẽ materiæ.

Item, quælibet illorum esset in Prædicamento substantiæ; ergo si sint duæ primæ, cuilibet respondebit forma prima; & cùm res de Prædicamento substantiæ constent ex materia & forma, erunt duo Prædicamenta, nec vnum ad aliud reducetur; sic neque materia ad materiam. 25.

Item, quæcunque secundùm magis & minùs participant aliquam materiam, reducuntur ad vnum; sed creaturæ secundùm magis & minùs sunt passibiles; principium autem patiendi est materia 7. *Metaphys. text.* 1. *comm.* 34. ergo non est nisi vna prima materia.

Item, si essent duæ primæ, cùm ante dualitatem sit vnitas, ex qua oritur ille binarius; ergo neutra illarum fuit prima.

Item, impossibile est vnius rectæ lineæ nisi duo puncta signari: sed entia à primo actu cadunt ordinatè, secundùm quòd magis admiscentur potentiæ; ergo cùm linea entium terminetur ad nihil, terminabitur ad ens quidem maximè in potentia; ergo illud non potest esse nisi vnum. Et patet, quia cùm primum in quolibet genere saluetur in omnibus sui generis; materia autem primò prima sit primum ens egrediendo de nihil, & ascendendo ad perfectionem, quæ est propè nihil, sequitur, quòd in omni materia saluetur, sicut natura substantiæ in omni substantia corporea, vel incorporea, rationali, vel irrationali.

Si ergo quæstio quærat, an omnia habentia materiam, habeant vnigeneam, vel vniuocè participent materiam, loquendo de materia primò prima, quæ est in omnibus, dico quòd sic. Quod ostendo sic: Passio communis consequens aliqua necessaria, habet causam cõmunem, per quam inest omnibus illis, vt dicitur 9. *Met. text.* 17. recipere accidẽtia inest omnibus substãtiis corporalibus 26.

Materia primò prima, vna est vniuocè in omnibus.

Item, vide 7. Met. tex. 7. & 8. text. 12.

&

& ſpiritualibus; ergo per cauſam communem: illa non eſt niſi materia, vt oſtenſum eſt, quia non forma, cùm in ea non funderur potentia paſſiua, ſicut nec actiua in materia; ergo eſt materia, quæ eſt principium omnis receptionis, vt dictum fuit in præcedenti quæſtione.

Si dicas, vt dicunt illi, quòd in Angelis eſt aliquid loco materiæ, quo patitur; dico, quòd illud non poteſt eſſe vniuerſa materia: quia motus realis & proprietas conſequens naturaliter rem, non poteſt eſſe ſine vera realitate ſua: materia autem eſt principium primum, ad quod omnia alia reducuntur, vt dicitur 5. *Metaphyſ. text.* 29. & oſtenſum eſt.

Item, mundus verè eſt vnus 7. *Metaphyſ. text.* 42. hoc autem vnum non eſt, niſi partes eius ſint ad inuicem ligatæ; inter ſe autem ſunt diſtinctæ; ergo oportet quòd in aliquo vniantur, quantum eorum natura poteſt pati: ſicut rami, & flores, & fructus diſtinguuntur, & tamen in vno ſeminario vniuntur, à quo omnia procedunt, & ita eſt multiplex membrum animalis in vno ſemine. Cùm igitur per formam non vniantur, ſed diſtinguantur, oportet quòd hæc ſit materia omnino prima: quia citra primum ſtatim eſt diſtinctio, aliter mundus verè & realiter non eſt vnus. Confirmatur ratio, quia maior mundus eſt ad ſimilitudinem minoris, qui eſt homo, in quo omnes partes materiales ex vno naturali ſemine procedunt; igitur in vno fundamento naturæ eſt connexio, & vnitas, quantum poteſt pati tanta diſtinctio in rebus.

27. Item, omnes partes mundi habent neceſſariò mutuam determinationem & inclinationem ad alias; vt verum ſit dicere, quòd nihil ſit de integritate vniuerſi, quod non inclinetur ad aliud, aut ſicut actiuum illius, aut ſicut paſſiuum, quæ duo ad ſe mutuò inclinantur. Quamuis autem determinata ſint agentia reſpectu determinatarum potentiarum, & quantò creaturæ ſunt altiores, tantò habent aſpectus ad cauſas altiores: hoc tamen verum eſt, quòd talis inclinatio ad aliquid aliud diffunditur per omnia actiua, & paſſiua, quæ poſſunt eſſe partes vniuerſi. Impoſſibile eſt autem cogitare, quòd communis paſſio, aut inclinatio, ſit aliquorum, niſi per aliquod commune fuerit in eis recepta; hoc autem non eſt forma, vt viſum eſt: ergo materia.

Si autem inſtes, quòd agentia habent aſpectum & inclinationem actiuam ad formam; ergo ſaltem in actiuis ratio non probat, quòd ſit vna materia: dico quòd immò meliùs, quia ſicut videmus quòd determinata agentia non agunt in ſua paſſiua, vt ignis in lignum, niſi quia communicant in aliquo, quod non eſt niſi materia; ſic vniuerſaliter agentia non agerent in paſſa vniuerſaliter ſumpta, niſi communicarent cum eis in aliquo vno, quod non eſt niſi etiam materia.

Item, quæcunque ſunt determinata ſpecie, aut numero, & ſurgunt ex indeterminato, dicimus quòd communicant in vna materia. Idem dicimus de quatuor elementis reſpectu materiæ primò creatæ: idem de membris ex vno ſemine; de ramis ex vno germine: cùm igitur in vno toto ex natura partis ducatur quis in cognitionem totius, videtur quòd ſimilis modus procedendi ſit in toto mundo, & hoc ſit neceſſe, vt omnia entia determinata, vt Angeli, elementa, cœli, ſurgant & oriantur ex vno indeterminato.

28. Confirmatur autem ratio; quia mundus eſt vnus; & ſicut dicit Scriptura, proceſſit de imperfecto ad perfectum, quoniam in perfectione, & ornatu creaturarum: omne autem tale ab vno imperfecto procedit, vt patet in membris & ramis omnibus: non quòd illud indeterminatum præcedat tempore, ſicut fit in aliquibus, vt germen ramos, ſed naturali ordine; quod videtur dicere Auguſtinus *in principio de mirabilibus ſacræ Scripturæ, cap.* 1. *Omnipotens,* (inquit) *Deus ex informi materia, quam ipſe priùs ex nihilo condidit, cunctarum rerum viſibilium & inuiſibilium, hoc eſt, ſenſibilium & inſenſibilium, intellectiuarum, & intellectu carentium ſpecies multiformes diuiſit.* Geneſ. 1.

Item, certum eſt, quòd omnis ordo creaturarum naturaliter eſt à Deo inditus eis, ac per hoc ille ordo, vel modus, eſt perfectiſſimus: nunc autem in toto opere naturæ, & artis, etiam ordinem hunc videmus, quòd omnis forma, ſiue plurificatio, ſemper eſt de imperfecto & indeterminato ad perfectum & determinatum, de vno materiali ad plura formaliter diſtincta; ita facit natura vniuerſalis omnes formas, quoad ſuum genus mediatè, vel immediatè, & particularis omnia membra de vno ſemine, omnes ramos de vno germine; ergo eſt iſte ordo ſelectiſſimus. Videtur quòd Deus in conſtitutione mundi hunc ordinem ſeruauerit, vt de vno indeterminato, quod eſt materia immediatè ſubiecta, vel mediatè, (dico propter accidentia, quæ oriuntur) omnem multitudinem rerum fecerit; & quòd, ſaltem ordine naturæ, procedat de imperfecto ad perfectum; illud autem imperfectum, ex quo fecerit, non eſt nihil, quia imperfectum aliquid participat quod perficit; neque eſt forma, quia hæc diſtinguit; ergo materia. Oſtenſum eſt autem quòd illud omnino indeterminatum, ſcilicet materia, non poteſt eſſe in genere ſubſtantiæ, niſi vnum, & ita procedunt res à Deo, vt numeri ab vnitate, vt dicit Dionyſius *de Diuin. nomin. cap. vltimo*, ſed intellectus intelligit vnum creſcere in infinitum per diuiſionem partium ab vno communi: ſic à ſimili res multiplicari à Deo per diſtinctionem huius primi indeterminati in multa determinata.

Ex his apparet, quòd quemadmodum membra vnius corporis, & omnes articuli procedunt ab vno indeterminato per virtutem naturæ dirigentis, & propter illud vnum, à quo procedunt, vniuntur & ligantur, ita, ſuo modo, in toto mundo ex materia vna homogenea communis omnis multitudo rerum procedit, cùm non poſſit eſſe niſi vnum primum indeterminatum, cuius natura ſaluatur in omnibus poſterioribus, ſicut ſubſtantia & quantitas ſeminis in omnibus membris, quamuis contracta per actus ſuperadditos; ſicut & ſemen per multa media; tamen in omnibus ſaluatur ratio materiæ primæ, quamuis contracta, ſicut iam dicetur. Nec oportet dicere, quòd omnia ſint idem numero, ſicut membra vnius corporis; quia illa materia non habet vnitatem numeralem, ſaltem actu ſignatam, ſicut ſemen eſt vnum numero. 29.

Ex his apparet, quòd mundus eſt arbor quædam pulcherrima, cuius radix & ſeminarium eſt materia prima, folia fluentia ſunt accidentia; frondes, & rami, ſunt creata corruptibilia; flos rationalis anima; fructus naturæ conſimilis, & perfectionis natura Angelica. Vnicus autem hoc ſeminarium dirigens & formans à principio, eſt manus Dei, aut immediatè, vt cœlos & Angelos, & 30. *Pulchra diſpoſitio & vnitas vniuerſi.*

& animam rationalem, aut mediantibus agentibus creatis, ſicut producuntur generabilia & corruptibilia. De iſto igitur totius vniuerſalis naturæ fundamento, materia ſcilicet primò prima, verum eſt, quòd in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum. Diuiditur radix iſta immediatè in duos ramos, in corporalem & ſpiritualem; ſpiritualis ramus in tres hierarchias, & quælibet illarum in tres ordines, & ordo quilibet in millia millium Angelorum. Pars autem ramorum flante vento ſuperbiæ, fuit in mundi principio arefacta. Corporalis creatura duos ramos continet, ſcilicet corpora corruptibilia & incorruptibilia, & illa diuiduntur multipliciter, ſicut patet: & ſic patet quòd vnitas vniuerſi, & collectio eius claudit & concludit vnitatem in principio indeterminato, ſeu in materia prima.

31. Si autem quærat quæſtio de materia propinqua, quæ dicitur in quolibet genere illud, ad quod primum habet aſpectum agens illius generis, quod in omni ſua actione præſupponit, & ad quod omnes actus, quos educit, reſoluit: Sic dico, quòd generabilium omnium eſt ſola vna materia homogenea, quæ eſt modo contracta, & forma ſubſtantiali, admodum corruptibili, induta; & in diuerſis agentibus diuerſæ ſunt materiæ particulares, ſecundùm diuerſitatem agentium, non vniuocè, nec vnius rationis, vt ſunt materiæ propinquæ; vt alia materia eſt aquatilium, alia fructuum, alia ficuum, alia pomorum. Et iſto modo debent intelligi omnia verba Philoſophorum, qui dicunt materiam eſſe diuerſam corruptibilium & incorruptibilium, quòd loquuntur de materia propria & determinata, per talem, & talem formam. Et in ſpiritualibus per aliud eſt materia ſub forma ſpirituali, quia per priuationem quantitatis actu & potentia, & per potentiam ſimplicitatis, & in corporibus incorruptibilibus per aliud, quia per additionem formæ ſubſtantialis diſpoſita quantitate; & talem materiam præſupponunt formæ ſubſtantiales cœlorum. Et vlteriùs per quandam aliam formam incompletam præcedentem immediatè omnem formam elementarem & generabilem, ſub qua materia eſt ſubiectum generationis vniuerſale. Et illa eſt forma, ſub qua Deus creauit hylen, & in ſingulis generis partibus dico materias proprias, vt habent aſpectum proportionatum ad agentia illius generis differre vel ſpecie, vel genere ſubalterno: & ſimile dico in artibus & materia, quas diuerſæ artes ſibi appropriant; vt ars fabrilis ferrum, lignea lignum, & ſic de aliis.

Materia ſecundò prima eſt diuerſa ſecundùm diuerſitatẽ formarum & agentium.

32. Quòd autem materia ſecundùm diuerſos aſpectus ad diuerſa agentia ſit diuerſa, & non homogenea, quamuis ſenſus diſcurrendo in omnibus hoc oſtendat, ratio vlteriùs hoc declarat. Primò, quia materia dicitur in potentia reſpectu formæ ſuſcipiendæ; ſed quamuis materia *primò prima* de ſe habeat aſpectum ad omnem formam, vt eam recipiat ab agente, cui ſolùm ſubiicitur, quòd eſt ſolus Deus, ſicut iam dicetur; materia *ſecundò prima* potentiam non habet ſic; non enim materia cœli, vt eſt materia propria incorruptibilium, eſt in potentia ad formam elementi; nec materia corruptibilium ad formam cœli: ergo ſi potentiæ receptiuæ formarum in diuerſis generibus differunt, maximè cùm ſint idem re, quòd ſubiectæ materiæ, & ipſæ etiam materiæ eodem modo numero, vel ſpecie, vel genere ſubalterno different.

Vide Scot. in 2. d. 14. q. 1.

Et eſt attendendum quod dixi, quòd potentia vniuerſaliter non contracta eſt materiæ *primò prima* propria; quia materia *primò prima* abſtrahitur ab omni forma, & extenſione, ſic quòd eius natura ſaluatur, ſeu ſit extenſa, ſeu non extenſa. Per quod patet, quòd materia Angeli per additionem ſe habet, & per quandam communicationem ad illam, quia illa ſic eſt priuata quantitate, quòd inquantum talis natura, nec actu, nec potentia eſt extenſibilis, ideò aliter eſt indiuiſibilis materia *primò prima*, aliter materia Angeli. Hanc autem indiuiſibilitatem habet materia Angeli, vt eſt talis determinatæ naturæ, ſicut animal poteſt eſſe rationale, vel irrationale, hoc tale animal, puta homo, per ſuam eſſentiam, ſic eſt rationale, quòd nec actu, nec potentia eſt irrationale.

Materia primò prima habet potentiam vniuerſalem non contractam.

Item, cùm actiuum & paſſiuum ſint proportionata, & correlatiua, & aſpectus eorum æqualis ambitus, vt patet in potentia viſiua & colore, ſecundùm diuerſitatem agentium poteſt accipi diuerſitas materiæ. Nunc autem videmus, quòd ars non habet vim, aut formam, per quam agat aliquid de materia, quæ eſt ſubiectum generationis; non enim poteſt facere lanam, nec habet vim aut formam, per quam faciat indumentum, vel per quam aliquod faciat de materia cœli: ergo alia eſt materia propria cœli, Angeli, naturæ, & artis; & ita etiam differens genere ſubalterno, vel ſpecie, in particularibus entibus; vt alia ſit materia propria hominis, alia equi, & ſic de aliis. 33.

Item, oſtenſum eſt *ſuprà*, quòd materia dicitur propria in determinato genere, per aliquid additum ad materiam *primò primam*; omne enim poſterius aliquid, vel re, vel ratione addit ad priùs, & ratione illius additi dicitur in determinato genere: ſed aliud eſt, quod addit natura animalis, aliud, quod addit natura corruptibilium, aliud quod addit natura incorruptibilium: ergo materia etiam ſumpta in determinato genere non eſt vnigenea cum materia alterius generis. 34.

Item, oſtenſum eſt quòd omne per ſe ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ, eſt compoſitum ex materia & forma: ergo ſicut entitas & ſubſtantia rei conſtat ex duplici principio, ſic eius vnitas & diuerſitas cum alio ente cauſatur ex vnitate, & diuerſitate principiorum eius ad principia alterius; ergo ſi entia in genere ſubſtantiæ differunt ſubalterno genere, numero, vel ſpecie, eorum principia pari modo differunt.

Item, ſicut non eſt dare duas ſpecies, per æqualem diſtantiam entitatis, vel actualitatis primi; ſic nec in natura dare duas ſpecies, naturam generis æqualiter participantes: propter quod dicit Ariſtoteles, quòd æquiuocationes latent in generibus: & *in lib.* 10. *Metaph. text. com.* 13. quòd ſemper altera differentiæ ſpecies eſt nobilior altera: hoc patet in corporeo & in incorporeo, rationali & irrationali, albo & nigro: hoc idem dico de indiuiduis reſpectu ſuæ ſpeciei; quia vnus puriùs & actualiùs participat naturam eius, quàm alius (quamuis aliqui dicant, & falsò, quòd omnes animæ pares in naturalibus ſint) ergo impoſſibile eſt quòd forma duorum generum ſubalternorum, vt corporalium & ſpiritualium, vel duarum ſpecierum, vel duorum indiuiduorum habeant æqualem gradum actualiter; ſed ſecundùm diuerſitatem formarum, vel genere, vel ſpecie, vel numero materiæ diuerſitatem habent; quia

2. Poſt. text. Comment. 82. Item 7. Phyſ. text. 31.

quia actus actiuorum est in passo & dispositio: ita quòd ex semine, quo factum est corpus informatum istâ animâ, non posset informari corpus, quod esset informabile aliâ animâ.

Respondetur, quàm citò est sub forma seminis, iam est materia propria, quamuis non omnino repletè respectu talis animæ. Sed contrà, vel saltem hoc est verum de materia omnino propria, puta, de corpore vltimè organizato, quod habet respectum ita ad istam animam, quòd non potest aliâ informari, & hoc sufficit ad vim rationis.

35. *Respondetur ad authoritates adductas contra Auicembronum.* Ex iis patet responsio ad obiecta contra Auicembronum: omnes enim auctoritates contra eum adductæ loquuntur de materia secundò, vel tertiò, & sic deinceps, prima. Cuius ratio est, quia loquuntur de materia, quæ subiicitur agentibus creatis, qualis non est materia *primò prima* in sua primitate (vt dicemus in sequenti articulo) quamuis illa saluetur in omni posteriori materia. Vnde sicut videmus, quòd animali, vt cōtracto per rationale, non potest aliquod communicare, quòd posset sibi conuenire de se, vt rudibile conuenit ei inquantum animal, vt patet in asino; inquantum tamen animal rationale, non potest ei conuenire. Ita dico, quòd aliquid potest conuenire materiæ *primò prima*, vtpote quòd substat formæ Angeli, cœli, terræ, quod non potest ei conuenire, vt contracta est.

Ad argumēta cōtra vnitatem materia. Ex hoc etiam solutio patet ad rationes contra Auicembronum formatas: cùm enim dicitur, quòd si est materia cœli, & terræ vna; ergo cùm materia terræ sit in potentia ad aliam formam, & materia cœli; dico quòd materia *primò prima* est homogeneitatis vniuocæ; sed secundò prima, puta illa, quæ est subiectum generationis, non. Dico etiam ad minorem, quòd in materia generationum, & corruptionum potentia, per quam est in potentia ad aliam formam determinatam, est potentia consequens materiam, non primò primam vt talem, sed vt est contracta & determinati generis; & sicut materia sic determinata est alia, & alia, sic illa potentia.

36. Si instes, quòd materia primò prima secundùm hoc erit in qualibet alia posteriori materia; immò nihil aliud est posterior materia secundùm substantiam, nisi materia primò prima per aliquid contracta: ergo potentia, quæ consequitur materiam primò primam, erit in omni re; ergo sequitur, quòd quælibet materia potest suscipere quamlibet formam: & sic stat primum argumentum. Respondeo, & dico, quòd materia primò prima, & sua potentia, cùm sint idem re, sunt in qualibet alia materia. Nec sequitur quòd quælibet materia sit in potentia, nisi valde remota, ad susceptionem cuiuslibet formæ; quia sicut substantia materiæ per alicuius formæ additionem est contracta; sic eius aspectus est particularizatus & contractus. Nunc autem nos videmus quòd aliquod potest conuenire alicui rei consideratæ in sua primitate, quod non conuenit ei, vt est contracta, sicut dictum est de animali. Similiter videmus quòd natura ceræ remanet in sigillo, & eius potentia impressiua, cùm sit idem re cum ea; & tamen cera secundùm quòd cera, & vt non signata, est in potentia ad formam Pauli, sed non vt est sub signata figura. Similiter dico de materia, vt consideratur in sua primitate, & indeterminatione omnimoda, & vt consideratur in sua contractione.

Per illud patet solutio ad secundum; quia tota diuersitas est ex parte communicationis & determinationis materiæ; & de illa benè conceditur, quòd non est vna; de primò prima oppositum. Vnde dico, quòd sic si Deus à materia amoueret quidquid est vltra potentiam primò primam, solus Deus, cui remanens materia subiicitur (vt ostendetur) posset facere Angelum, vel hominem, &c. Cuius ratio est, quia primum indeterminatum in quolibet genere est in potentia respectu omnis determinationis, quæ fit in illo; nunc autem materia primò prima est indeterminata in genere substantiæ; primum dico indeterminatum in suscipiendo: hoc dico ne fiat instantia, quòd ex ipsa fieret forma Angeli, vel animæ: ergo sicut ex semine, quod est primum & indeterminatum, fiunt omnia membra, musculi, nerui; & ex eodem grano rami, flores, & fructus; sic in primo indeterminato, quod est materia primò prima, potest recipi omnis forma, quæ in illo recipitur. Quia quamuis hoc concedant, qui ponunt vnam solam formam in composito, dico quòd vna forma & substantialis, & accidentalis disponit materiam, vt sit alterius susceptiua. Et per illud patet solutio ad tertium: quia quæ communicant in materia, secundùm quod subiicitur agenti, sunt transmutabilia, & in tali non communicant Angeli & corpus; & ideò non est possibile, quòd de corpore fiat spiritus, nec è contrario. 37. *Ad secūdum.* *Ad tertium.*

ARTICVLVS V.

Vtrùm in materia prima sit potentia ad omnes formas, & an nudè sumpta possit informari ab agente creato?

Sequitur quintum, scilicet de materiæ formabilitate: circa quod sciendum, quòd cùm materia primò prima habeat primitatem totalem & omnimodam, non potest eius potestas formari, nisi per agens primum. Circa quod duo ostendo, primum est, quòd talis materia de se habeat aspectum ad formam corporalem, vel spiritualem. Secundum est, quòd inquantum talis, si poneretur in esse, non posset formari ista, vel illa forma, nisi per primum agens. 38.

SCHOLIVM.

Ostendit hic materiam primam nudè sumptam absque omni forma habere respectum & potentiam ad quamcunque formam, neque ad vllam, quantum est ex ratione sua, determinari. Idipsum docet in 1. dist. 27. *quæst.* 3. §. Et quod additur, *vbi ait materiam omni forma denudatam esse proximum susceptiuum cuiuscunque formæ natæ imprimi in materiam puram, & ab agente sufficiente quocunque, à quo posset talis forma induci. Vide eundem in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 2. §. Item, non est necesse. *&* §. Confirmatur.

Primum ostendo: Quandocunqne aliquod superius prædicatur de inferioribus, sicut totum, quod prædicatur, se habet ad illa tota, de quibus prædicatur; ita partes superiorum ad partes inferiorum: si enim homo prædicatur de omni particulari homine, & partes de partibus, vt hoc corpus est corpus, & hæc anima est anima: ergo cùm secundùm Boëtium, Prædicamentum substantiæ sit compositum ex materia & forma: si substan *In Categor. Arist. cap. de substant. propè initium.*

ſubſtantia de omnibus prædicatur, ſequitur quòd prima materia, quæ eſt eius pars, de omni materia prædicatur; igitur cùm in omni prædicatione affirmatiua vera prædicatum ſit idem cum ſubiecto; ergo materia prima eſt idem cum omni materia particulari: ergo, ad tot formas omnes materiæ ſunt in potentia ad quot materia prima.

39. Fortè inſtabit quòd iſta prædicatio eſt ſecundùm abſtractionem, & conſiderationem; nos autem diſputamus de materia, vt eſt actu in re habens eſſe actuale. Reſpondeo, quòd ſi natura animalis, vt eſt natura generis præcisè, eſſet factibilis in ſe, ad quot differentias contrarias habet modò aſpectum, ad tot tunc haberet, & eſſet in potentia de ſe, vt illud animal, non enim actu haberet aliquam differentiam animalis. Similiter ſi cera eſſet abſque omni figura, ſicut quia modò eſt factibilis ſine figura alicuius hominis, ideò habet aſpectum ad figuras omnium hominum; ita etiam haberet potentialem aſpectum ad omnes figuras de mundo. Nunc autem, vt oſtendetur in ſequenti articulo, ſaltem ſecundùm opinionem aliquorum, materia per diuinam potentiam poteſt ſubſiſtere ſine actu cuiuſlibet formæ, & ſic dico, quòd illa eſſet in potentia ad quamcunque formam.

Item, videmus in artibus & naturalibus, quòd materia quantò magis denudatur ab actu formæ, tantò habet aſpectum ampliorem: plura enim poſſunt fieri ex lana, quàm ex filo, & ex filo, quàm ex panno, & ex terra, quàm ex ligno, vel ferro: ergo materia illa, quæ ſola eſt ab omni actu formali denudata, neceſſariò habet aſpectum ad omnes formas.

Item, ex proportione formæ ad materiam, quantò aliqua forma magis eſt indeterminata, tantò poteſt eſſe in pluribus materiis; forma enim animalis de ratione ſua non determinat ſibi corpus humanum, vel equinum: & ſic ſimiliter oſtendo de determinatione formæ particularis, quæ determinat ſibi materiam particularem; ergo materia indeterminata habet aſpectum ad formam indeterminatam, & è contrario materia indeterminata, qualis eſt materia prima, poteſt recipere quamcunque formam.

Item, quæro an materia ſit in potentia, ad vnam ſolam formam, aut ad omnes, aut ad aliquas? non ad vnam ſolam, quia materia naturalis, quæ eſt poſterior, eſt in potentia ad multas; ſi ad omnes, habeo propoſitum. Si ad aliquas tantùm, quæro, per quid eſt in potentia ad eas? non enim eſſet per hoc, quòd eſt materia omnino prima, quia vt ſic ſaluatur in omni poſteriori materia; ergo hoc conuenit ei per aliquod accidentale additum, per quod reſpicit illas, & non iſtas: ergo materia eſt compoſita, quod eſt impoſſibile, quia non eſſet *primò prima.*

SCHOLIVM.

Sæpè in his quæſtionibus docet materiam primam nudè ſumptam à nullo agenti creato poſſe primo informari, neque per vires agentis ſecundarij poſſe eius eſſentiam attingi; idque probat hîc variis rationibus; & ſupponit in 1. *Sentent. diſt.* 27. *quæſt.* 3. §. Et quod additur. *& in* 2. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. §. Ad tertium dico, *aſſerit agens creatum non poſſe agere niſi in ſubiectum quantum, & per conſequens ſimpliciter & immediatè illud non poſſe attingere ad nudam eſſentiam materiæ; quod etiam repetit paulò inferius,* §. Ad aliud, quod ipſi dicunt.

Secundum oſtendo, quòd huiuſmodi materia nullâ formâ poteſt informari, niſi ab agente primo, qui eſt Deus. Et hoc patet primò, quia videmus quòd ſecundùm determinationem paſſiuorum eſt determinatio actiuorum; vt patet in potentiis, & determinatis obiectis; vt ignis calefacit lignum, non corpora cœleſtia, & corpora cœleſtia alterant & tranſmutant corpora corruptibilia, non autem Angelos, aut rationalem animam, niſi per accidens, & mediante corpore; ergo cùm materia primò prima ſit omnino prima, ſit etiam omnino indeterminata, impoſſibile eſt, quòd inquantum talis patiatur, vel mutetur, niſi à primo agente, cuius ſolùm potentia actiua eſt indeterminata & illimitata. 40.

Item, omne agens creatum agit per motum & ſuſceptionem; agere enim in inſtanti, virtutis eſt infinitæ, ſecundùm Philoſophum; motus autem cùm ſit accidens, non poteſt recipi, vt in ſubiecto, in materia primò prima; quia poſterius ſupponit prius; prima autem potentia huius materiæ eſt reſpectu ſubſtantialis formæ. Et 1. *Phyſic. text.* 30. *Subiecta materia cum forma eſt cauſa omnium aliorum*: ergo, &c. 8.Phyſ. text. 79.

Item, agens & patiens ſunt æqualis ambitus; nihil enim poteſt de materia, quæ eſt ſubiectum generationis, generari naturaliter, quod Sol, & alia agentia non poſſint ex ea actiuè generare; ergo cùm materia primò prima ſit in potentia ad omnem formam, ſequeretur quòd agentia creata poſſent facere Angelos, animas, & breuiter, omnia.

Item, prima forma quæ apta nata eſt recipi in materiam primò primam, eſt forma ſubſtantialis, quia ſubſtantia præcedit accidens, & eſſe ſubſtantiale accidentale: ſed nullum agens creatum ſpirituale poteſt materiam, quæ eſt ſubiectum generationis, ad formam mouere, niſi in virtute agentium naturalium & corruptibilium. Non enim ſecundùm Auguſtinum *lib.* 3. *de Trinit. c.* 7. poſſent magi facere ſerpentem, niſi mediante virtute naturæ: cùm igitur naturalia agentia agant modo quantitatiuo, per angulos & per pyramides, ſequitur quòd eorum actio non ſe extendit niſi ad materiam quantam, & tranſmutabilem; ergo nec attingunt formam ſubſtantialem, cùm non generent, niſi mediantibus illis.

Si arguis; ergo cùm materia cœli ſit corruptibilis, & quanta, actio agentium naturalium ſe extenderet ad eius tranſmutationem. Reſpondeo, ſicut videmus in potentiis cognoſcitiuis, quòd quia ſunt determinatæ & limitatæ, non ſe extendunt ad minimum vltra limites, vt viſus vltra colorem; ſic eſt in actiuis naturalibus, quòd eorum aſpectus non extendit ſe vltra paſſum. Nunc autem conſideratio Mathematici maioris eſt abſtractionis, quàm naturalis, quia abſtrahit à motu, licèt non à quantitate. Vnde materia induta quantitate, & per conſequens forma corporali de genere ſubſtantiæ, eſt ſubiectum Mathematicis, ergo non eſt ſubiectum conſiderationis naturalis, cùm ſe habeat per additionem. Immò materia ſub aliqua forma vlteriori imperfecta, quæ fortè eſt illa, ſub qua materia in primis operibus fuit à Deo creata, eſt præciſum ſubiectum agentium naturalium: ſicut virtus formatiua non incipit operari, niſi de ſemine, & ars faciendi pannum, de filo, non de lana; talem autem formam imperfectam, quam addit ſubiectum generationis ad primam potentiam materiæ, non habent 41.

bent cœli, ideò nec à naturali agente possunt transmutari.

Articvlvs VI.

Vtrùm per Dei potentiam possit existere materia absque omni forma?

42. Circa sextum, scilicet de subsistentia materiæ & stabilitate, varij Magistri variis modis dixerunt. Dicunt antiqui, quòd non est factibile, quòd subsistat in tali actualitate, eo quòd videtur contradictio. Primò, quòd hoc videtur sentire Boëtius *lib.*1. *de Trinit.c.*3. *Nihil,* inquit, *secundùm materiam esse dicitur.* Ratio est, quia illa materia, de qua loquimur, cùm sit primò prima, si per se existat in sua minima actualitate, erit quoddam ens simplex; omne autem simplex per se subsistens, est de genere intellectualium, ac per hoc substantia viuens & intelligens: isti autem actus sunt per formam; ergo ponere sic materiam sine forma existente, est ponere eam cum forma.

Albert. in 2. d.12. qu.3. Richard. quodl.4.q.5. Thom. 1. p. q.66. art.1. *Opinio negãtium materiã posse existere sine forma. Primum argumentum. Secundum.*

Item, illud *esse* indeterminationis, sine quo esse non potest actu, aut dicit quandam essentiam, aut nullam; si nullam, nihil est; si aliquam, ergo cùm *esse* sit quoddam formale, dicit essentiam formalem, non materialem; ergo simul dicit ipsam habere formam, & non habere.

Tertium. Item, illud *esse*, quo existit, inhæret materiæ, & est receptum in ea, ita quòd per ipsum *esse* actu existit; omnes autem actus conditiones sunt formæ, ergo illud est *esse* formale; ergo simul habebit formam, & non habebit.

Quartum. Item, actus essendi, aut est actus primus, aut secundus; si primus, ergo forma, quia actus primus, & forma idẽ sunt 2.*de Anima in principio, text.*2. si secundus, ergo est operatio, quæ est per formam.

Quintum. Item, est manuductio ad hæc, quia impossibile est, quòd Deus faciat aliquod corpus sine figura; ergo multò minùs materiam sine forma, cùm magis dependeat.

SCHOLIVM.

Sub aliorum nomine docet hîc Scotus posse materiam existere absque omni forma substantiali, vel accidentali, sola tamen diuina virtute. Et licèt hîc videatur loqui ex aliorum sententia, tamen ipse vbique hanc inculcat doctrinam; præsertim in 2.dist.12. qu.2. vbi ex professo probat materiam esse separabilem à forma.

43. Alij dicunt, quòd inest forma sine forma in *esse* actuali: quorum ratio est, quia vt dictum est, triplex est *esse* materiæ, scilicet *esse* talis generis determinati, quod habet vt habet ideam in Deo, secundùm quam est factibilis, & respicit Deum, vt causam exemplarem. Secundum *esse* est esse actuale, vt est effectus Dei, & actu pars compositi, & primum est in potentia respectu alterius. Tertium *esse* est esse tale determinatum, quod respicitur à forma, quod magis debet dici *esse* cõpositi, quàm materiæ; & illud, vt supradictum est, habet materia signatiuè & formaliter à forma; sed materialiter & subiectiuè à materia ipsa. Dicũt ergo, quòd prima duo *esse* in nullo dependent à forma; quia ostensum est, quòd forma non dat materiæ quòd sit materia, hoc enim habet à causa sua exemplari, vel ideali; nec secundùm actuale habet à forma secundùm *esse* actu, non enim tale *esse* fit de nihilo, sed solùm hoc *esse* habet à Deo, vt respicit ipsum, tanquam causam efficientem; talis autem non est forma: ergo illud *esse* actuale materiæ, non dicit rem aliam quàm effectum quendam Dei: & forma nihil facit, nisi conseruatiuè secundùm cursum naturæ.

Opinio asserentium. In hac q n.3.

Item, nullum posterius est de essentia sui prioris, saltem intellectu: sed *esse* materiæ non solùm essentiæ, sed etiam actuale vt dicit effectum Dei, cùm sit entitas propè nihil, est prius ad *esse* formæ: ergo extra rationem actualitatis materię est actus datus à forma; sed *esse* prius potest intelligi non intellecto posteriori: ergo potest intelligi materia actu esse sine forma; quod non esset verum, si contradictio implicaretur.

Item, materia secundùm *esse* essentiæ sine actuali existentia non est subiectum actu alicuius formæ: sed vt est aliquod in actu, est pars compositi in actu, & subiectum formæ in actu; ergo si accipiatur ordo formæ ad materiam, vt essentia formæ comparetur ad essentiam materiæ, ibi non est ordo ratione *esse* essentiæ, quam habent in Deo. Si accipiatur secundùm *esse* actuale, forma præsupponit materiam ordine naturæ intelligendi, vt determinans illud, quod determinatur, vt figura ceram; non ergo est contradictio. 44.

Item, ad omne *esse* actuale materiæ, vt dicit terminum creationis, se habet forma in ratione conseruantis, aut in ratione formalis, aut in ratione efficientis: non formalis, vt ostensum est in præcedenti quæstione. Et Auicenna dicit 6.*Met.c.*1. *Forma nõ est nisi formalis compositi ex materia & forma.* Sicut etiam impressio non est causa formalis, vt sit aliquid actu; sed solùm, quòd sit tale idolum, vel effigies. Sic dico de forma respectu materiæ. Nec est causa efficiens; quia illud solùm est virtutis diuinæ: ergo solùm erit causa conseruans; sed Deus potest per se conseruare quidquid conseruat per creaturam. Num.3.

Item, ad hoc est manuductio, quia in Sacramento Altaris virtute Dei species per se subsistunt, quæ dependent plus à subiecto, quàm materia à forma, quantum ad actum existentiæ; quia proprium est substantiæ per se stare; ergo cum materia plus habeat de ratione substantiæ, quàm accidens, magis potest per se stare: hoc enim patet, quia nullum accidens dat vllo modo rationem per se standi.

Rationes in oppositum ex falsa imaginatione procedunt. Auctoritates nil plus intendunt, nisi quòd secundùm cursum naturæ non est, vel esse non potest materia sine forma. Vel si dicant quòd nec intelligi potest, verum est sub actu aliquo determinato, quia talem actum habet à forma. Ad rationem primam; quia ens simpliciter subsistens, est viuens & intelligens; dico quòd verum est, si non est extensum, vel aptum natum de sua natura extendi, & determinati generis secundùm cursum naturæ, vt non fluat ad aliud; & istæ duæ conditiones non sunt in materia prima, si per se existat, quia est in potentia de natura sua ad extensionem respectu primi agentis, quod est Deus, vt ostensum est, & indeterminata omnino. 45. *Respondetur ad argumenta opposita articuli sexti. Ad primum.*

Ad secundum dico, quòd illud *esse* actuale claudit essentiam aliquam, scilicet materiæ, & suum *esse*, quod solùm habet ab efficiente, non à forma, vt ostendi. *Ad secũdum.*

Quod autem dicis, quòd *esse* dicit quoddam formale; verum est de *esse* determinato, quod datur à forma; *esse* autem quod est efficientis solùm, non est, nec debet dici formale, sed actuale, pro eo quòd est terminus creationis quæ necessa

necessariò terminatur ad actum aliquem.

46. *Ad tertium.* Ad tertium, cùm dicis, quòd illud *esse* est receptum in materia, & materiæ inhæret; dico quòd falsum est: *esse* enim actuale materiæ, vt est terminus creationis, & propè nihil, non recipitur in materia, cùm sit primus actus materiæ, nisi materia vocetur ipsa essentia materiæ; & tunc secundùm prædicta, cùm illud *esse* non sit à forma, sed ipsum primum *esse* materiæ, cùm inhærere, & recipi, & similes conditiones præsupponant subiectum, illi autem *esse*, nihil sit reale subiectum, sed sola essentia materiæ, quæ non est de se res actu, nec informans; nec susceptio habetur, nisi respectu *esse*, vt est actu, & dans in re existentiam, dicit inhærentiam non solùm ad essentiam materiæ, quia materia non est materia per formam, sed ad suum *esse* actuale; non vt dicitur esse actu, sed vt dicitur tale *esse* habere.

Ad quartum. Ad quartum, cùm dicitur, quòd ille actus existendi, aut est actus primus, aut secundus; dico, quòd primus; & cùm dicis in minori, actus primus est forma; dico, quòd forma dicitur actus primus duobus modis. Vno modo respectu materiæ determinatæ, quam forma determinat; vnde forma, quæ per essentiam suam est actus, determinat primò actum illum, quo materia est in actu, vt effectus Dei, seu per se, vi diuina subsistat, seu in composito. Dicitur etiam actus primus secundò, qui est operatio, secundùm quòd de illo duplici actu distinguit Philosophus 2. *de Anima, text.* 2. *& deinceps*, non enim aliqua forma, seu substantialis, seu accidentalis, communicat materiæ actum secundum, nisi priùs saltem ordine naturæ communicet primum, hoc est, seipsam. Nihil enim caliditate calefit, nisi calore informatum sit. Forma ergo est actus primus materiam determinans; & actus primus manet esse conseruans secundùm naturę ordinem. Sed non est actus primus, qui primo instanti naturæ debetur materiæ, talis enim actus est solùm effectus creationis.

47. *Ad quintum. Nō potest dari infinitum actu creatū.* Ad illam similitudinem de corpore, quod non potest fieri sine figura. Respondent aliqui, quòd non est, eo quòd corpus actu infinitum non est factibile; ergo oportet, quòd omne corpus sit de necessitate finitum, & quia corpus infinitum est impossibile, impossibile est etiam corpus esse factum quin sit figuratum: non sic autem est in materia & forma, quia materia habet suum actum essendi, non à forma, sicut corpus habet suam vnitatem, & terminationem à figura.

Item, perit ista similitudo, quia figura in corpore vt causa, non dicit nisi modum quendam & relationem consequentem substantiam, in nulla re absoluta differentem ab ipsa substantia: si enim extendam brachia, vel plicem pedes, vel è contrario, variatur figura, nec mutatur aliquod reale in substantia; vnde figura non dicit nisi variam habitudinem partium inter se: cùm ergo esse corpus dicat necessariò partem extra partem, immò ex hoc est corpus, sequitur quòd ponere, quòd corpus sit, & quòd non habeat partes extensas, est proponere quòd corpus non sit corpus: & quia figura, vt dixi, non est nisi varia habitudo partium inter se, ideò impossibile est quòd fiat corpus finitum sine figura. Similiter dico de linea, quin sit recta, vel curua, & de capillo, quin sit crispus, vel albus; vel de naso, quin sit simus, vel talis. Ostendi autem quòd forma actiua alium actum realem dicit ab actu materiæ: ergo, &c.

Si dicas, quòd terminus motus non est relatio, nisi quia motus terminatur ad aliquod absolutum. *Obiectio.* Respondeo, quòd sicut impossibile est rem moueri quin in quolibet instanti, si continuè mouetur, aliter se habeat ad centrum & circumferentiam, idem manens; ita non possunt partes in toto moueri, quantumcunque maneat continuitas inter ipsas, quin varia habitudo, & relatio oriatur, re absoluta eadem manente; fundatur autem ista relatio super ipsas partes, sicut super absolutum, non vt solùm sunt partes, sed vt sunt sub hoc situ, vel illo. Per hoc patet ratio ad omnia.

QVÆSTIO IX.

Supposito quòd anima rationalis sit composita ex materia & forma, Vtrùm verè & essentialiter faciat vnum cum corpore?

Arist. 2. *de Anima, text.* 11. *&* 1. *de part. Anim. cap.* 1. Auer. 3. *de Anima com.* 5. Themist. *lib.* 2. *cap* 27. Simplic. *lib.* 1. *text.* 7. Philopon. *text.* 11. D. Thom. 1. *part. quæst.* 76. *artic.* 1. Caietan. *ibid.* Valentia *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. Suarez *lib.* 1. *de Anim. cap.* 1. Conimbric. *lib.* 2. *de Anim. cap* 1. *quæst.* 6. *art.* 1. Comp. *disp.* 2. *de Anim. quæst.* 1. *&* 2. Auersa *tom.* 2. *Philos. quæst.* 57. *sect.* 2.

RESPONDEO: quoniam hîc de trinitate, & modo vnitatis animæ, & corporis quæritur, vt iuxta artem Philosophi 1. *Physic. text.* 4. à communibus ad specialia descendamus, sciendum est, quòd omnia, quæ sunt, secundùm modum sibi conuenientem, & possibilem, vnitatem appetunt, dicente Boëtio *de Trinitate & Vno, cap.* 2. *Omnia,* (inquit,) *vnitatem appetunt, vt etiam ea multa sunt, quæ vnum dici volunt: quæcunque enim idem quidem sunt, vt vera vnitate esse nitantur, aut eam similando nituntur.* Vnde appetitus vnitatis ita intimus & essentialis, & vniuersalis est omnibus, tam creaturis, quàm creatori, quòd nullum est, nec excogitari potest genus multitudinis, aut diuisionis, siue distinctionis, quod ad vnitatem aliquam non reducatur; ita quòd ipsa vt vnitatem habeant, siue illud, in quo sunt, priùs occurrat intellectui, quàm ipsa multitudo, siue diuersitas. Sic dicimus, quòd diuersa accidentia sunt vnum subiecto; diuersa numero sunt vnum specie; diuersa specie, sunt vnum genere subalterno; diuersa genere subalterno, sunt vnum genere generalissimo; diuersa genere generalissimo, sunt vnum in ratione entis; quare & ipsa multitudo numerorum infinita ad vnum, quod est principium numeri, reducitur. Sic etiam in communicatione intrinseca Trinitas personarum ad duas emanationes; duæ emanationes ad duo principia, scilicet intellectum & voluntatem; & illa ad vnam simplicissimam vnitatem essentiæ reducuntur. 1. *Omnia creata vnitatem appetūt.*

Cùm igitur de animæ rationalis & corporis vnitate quæratur, duo sunt principaliter inquirenda: primum est, vtrùm generaliter ex forma substantiali, & materia fiat vnum? Secundum an ex anima rationali, quamuis habeat materiam partem sui, potest per essentiam verè cum corpore vnum fieri.

ARTI

ARTICVLVS I.

Vtrùm forma substantialis, & materia faciat vnum per se essentiale, & accidens cum subiecto vnum accidentale?

2. Circa primum duo sunt videnda; primum est, quòd forma substantialis per suam essentiam nata est fieri vnum, & essentiale cum materia sua; & è contrario materia cum forma sua. Secundum est, quòd accidens cum suo subiecto non est natum sic essentialiter facere vnum.

SCHOLIVM.

Egregiè docet Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. §. Respondeo, Philosophus, *& in sequentibus, vnde proueniat vnitatum diuersitas in compositis, & quare hoc compositum dicitur vnum essentialiter, & illud vnum accidentaliter; aliud verò vnum per aggregationem; & aliud demum vnum vnitate ordinis. Deinde* §. Quomodo igitur, *tractat qualiter duo principia, & primò diuersa possunt constituere vnum per se simpliciter, & resoluit eo magis esse disposita ad constituendum per se vnum, quo magis sunt distincta, & diuersa formaliter, neque enim, inquit, in illa constitutione requiritur similitudo in natura, sed proportio conueniens, quæ benè potest esse inter primò diuersa.*

Ex materia, & forma fieri vnum probatur experientia. Quamuis autem primum sensus ostendat, nihilominus auctoritas & ratio hoc demonstrat. Sensus quidem hoc ostendit, quia satis declaratum est in præcedentibus quæstionibus in distinctis articulis, quòd impossibile est materiam in genere substantiæ esse principium alicuius compositionis ante formam substantialem. Nunc ad sensum videmus aliqua, quæ verè sunt in genere substantiæ agere & pati; vt idem ignis, idem lignum; & sic de aliis: ergo necessariò tale vnum est compositum ex materia & forma. Nec potest dici, quòd accidens sit principale; tum, quia materia non est susceptiua accidentis, nisi priùs receptâ formâ substantiali; tum, quia actio est suppositi, quod consistit ex materia, & forma substantiali: tum, quia accidentia non agunt, nisi vt actu existunt, nec existunt naturaliter, nisi in composito ex materia, & forma. Patet ergo ad sensum, quòd aliquid verè est vnum ex materia, & forma substantiali.

3. *Probatur authoritate.* Authoritas etiam hoc probat; ait enim Philosophus circa principium, *2. de Anima, text. 7. Non oportet* (inquit) *quærere si vnum est anima, & corpus, sicut neque ceram, & figuram, neque omnino vniuscuiusque materiam, & id cuius materia.* Et hoc est, quod dicit Boëtius circa principium de Vnitate, & Vno, *cap. 1. Omne* (inquit) *esse ex forma est in rebus creatis, cùm vnita est materiæ. Vnde Philosophi sic describunt illud, dicentes, esse eius existentia formæ in materia; cùm autem forma materiæ vnitur, necessariò ex coniunctione vtriusque aliquod vnum constituitur.* Loquitur autem Boëtius de esse determinato, quod datur à forma, quia esse actuale, quod habet materia, vt est terminus creationis (vt visum est in præcedenti quæstione) non habet à forma. Et sequitur post pauca; *Forma igitur existit in materia, quæ perficit, & custodit vniuscuiusque essentiam; vnitas est descendens à prima vnitate, quæ creauit eam.*

Quòd autem ex materia, & forma fiat vnum essentiale, satis patet, primò si attendamus ordinem imperfecti ad perfectum; dictum est enim, quòd materia habet triplex esse, scilicet, esse essentiæ, quod est in determinato genere, inquantum est capacibilitas quædam formarum, secundùm quod à Deo per ideam est factibilis: vnde secundùm illud esse non est producta, sed respicit Deum, vt causam exemplarem. Aliud esse habet, inquantum est actu verè pars compositi, effectus Dei, aliquid extrà, & propè nihil. Aliud esse habet secundùm quòd per formam ad certum gradum, vel speciem, determinatur, & contrahitur suum esse indeterminatum. Cùm igitur in habentibus ordinem, secundum sit perfectio primi, & posterius prioris, eo quòd omne susceptiuum re, vel ordine de imperfecto tendit ad perfectum: ergo cùm materia de ratione sua sit imperfectum principium, & forma de ratione sua sit quid determinatum, & perfectum, sequitur quòd forma per essentiam suam sit perfectio materiæ, dans esse secundùm rationem sui generis: vt forma accidentalis, esse accidentale: ergo forma substantialis dat esse substantiale, & essentiale. q. 8. n. 3. & 54.

Item, ostendit Aristot. 12. *Met. comm.* 12. quòd forma non generatur, nec materia. Et quòd materia est ingenerabilis, & incorruptibilis; sed compositum solum generatur; sed motus, vel actus, est vnus, qui est ad vnum terminum 5. *Physicor. text. 34. & deinceps*: ergo compositum est vnum: sed generatio substantiæ terminatur ad esse simpliciter, vt habetur 1. *de Generatione, tex. com.* 11. ergo esse compositi est vnum simpliciter: ergo per essentiam. 1. Physic. text. 82.

Item, vnitas actus est signum vnitatis potentiæ; nunc autem videmus in compositis de genere substantiæ, quòd actus sub ratione vnitatis ab eis procedunt, qui non sunt à materia, eo quòd non est principium generandi, nec sunt à forma; tum, quia actus sunt suppositorum; tum, quia si forma esset illam actionem potens elicere, hoc maximè verum esset in formis, quæ minùs materiæ immerguntur, quales sunt vegetatiuum, & sensitiuum respectu præcedentium; non autem potentia videt, sed oculus. Imò loquendo de potentia propinqua, anima non habet potentiam sentiendi, sed hæc potentia est totius compositi, sicut expressè dicitur circa principium *de Somno, & Vigilia, cap. 1. Quoniam* (inquit) *neque proprium est animæ sentire, neque corporis; (cuius enim est potentia, eius est & actio, qui verò dicatur sensus, vt actio, motus quidam per corpus animæ est.)* Ergo si actus compositi in genere substantiæ est verè vnus, & est totius compositi, sequitur quòd compositum verè & essentialiter sit vnum. 4.

Item, sicut ostensum est, duplex est genus potentiæ, scilicet, actiua, & passiua. Dictum etiam fuit, quòd istæ potentiæ sunt idem re cum eo cuius sunt; sicut ostensum est in præcedentibus quæstionibus. Ista autem duo genera potentiarum intermista sunt in omnibus intermediis, quæ scilicet agunt, & patiuntur. Tunc sic, sicut vniuersaliter potentia actiua, & passiua in composito, sic illa, in quibus radicantur vniuersaliter, scilicet materia, & forma. Sed videmus, quòd compositum agit, & totaliter patitur; ergo potentia actiua, & passiua in composito verè componunt vnum per essentiam in quantum totum compositum est actiuum tantùm 5. q. 8. n. 8.

tantùm per formam, & totum passiuum tantùm per materiam.

Item, omne quod est vnum, tantò verius est ens hoc, quod Boëtius dicit circà principium libelli de Vnitate, & Vno; *Vnitas*, (inquit) *est, quâ vnaquaque res vna dicitur, nec potest esse vna, nisi vnitate; non solùm autem vnitate est vna, sed etiam tamdiu est quidquid id quod est quamdiu in se vnitas est, cùm autem desinit esse vnum, desinit esse id quod est: vnde est hoc quidquid est, ideò est, quia vnum est.*

5. Ex his patet quòd esse, & esse vnum, simul sunt naturâ, & intantum sunt idem esse & vnum, quòd vbi verior vnitas, verior entitas, & è contrario: hoc enim patet in omni cómposito. Domus enim tandiu solùm est, quamdiu vna est; & sic in omni composito. Ex hoc patet, quòd vnitas materiæ & formæ *essentialis* dicitur; primò, quia, secundùm prædicta, aut homo non est, nec lignum, nec lapis, & sic de omni composito; aut si est ens substantialiter, est necessariò vnum substantialiter, & essentialiter. Secundò, quia, secundùm prædicta, si vnitas, & entitas sunt idem, sequitur quòd si aliquod cadit in entitatem alicuius, etiam in eius vnitatem cadit. Nunc autem de entitate cuiuslibet compositi naturalis est materia, & forma, eo quòd naturale dicitur per naturam, vt dicitur in Prologo de Anima, *lib.1.tex.16.* ergo necessariò sunt in eius vnitate essentiali; & hoc est, quod dicit Philosophus *5.Met.cap.de Vno,tex.11.* quòd *Vnum per se sunt quorum definitio est vna.*

Accidens cũ subiecto non facit vnum per se.

Ex his patet secundùm superiùs propositum, scilicet, quòd accidens cum suo subiecto non facit vnum sic substantialiter, & essentialiter, sicut forma cũ materia. Primò, ex ratione vltimò dicta, quia modus vnitatis est secũdùm modũ entitatis, nunc autem forma substantialis dat materiæ esse perfectum; *perfectũ* dico respectu illius esse, quod dat composito forma accidentalis, quia illa dat esse de genere substantiæ, hæc de genere accidentis, quod est esse imperfectum; ergo perfectior est illa vnitas, quàm ista. Secundò patet, quòd actus actui, inquantum talis, non vnitur, non enim ex duobus actu potest fieri vnum, nisi alterum sit in potentia respectu alterius. 7. *Metaph. text.* 42. & 49. actus enim est principium diuisionis & distinctionis. 7. *Metaph.* certum est quòd subiectum formæ substantialis, etiamsi habet aliquod accidens secundùm supradicta, non tamen habet actum ita completum sicut subiectum formæ accidentalis, quod est compositum ex forma & materia: igitur ex comparatione subiecti ad subiectum, patet quòd minùs est vnibile subiectum accidentis formæ accidentali, quàm subiectum formæ substantialis, quod est materia, formæ & actui substantiali.

Eodẽ 7. Met. text.49. Vide 10.Met.text. com.25.

6. Tertiò patet idem, ex parte ipsarum formarum; forma enim, quia actu vnitur, ideò perficit; non enim perficeret, nisi vniretur; ergo quantò plus habet de actualitate, tantò plus perficit, & intimiùs se vnit; sed forma substantialis plus habet de actualitate, sicut & de entitate; ergo maiorem actum perfectionis communicat suæ materiæ, quàm accidentalis, & intimiùs se vnit, cùm sit de genere vnibilium perficientium.

Item, quælibet res est in determinato genere per suam entitatem propriam, & essentiam. Et loquor de entitate essentiæ, non actualis existentiæ. Res etiam est vna per essentiam suam; vnde illa sunt vnum in specie, quæ habent vnam essentiam, siue definitionem in specie, vt dicitur *5.Metaph. text. 11. cap.de Vno:* ergo quælibet res per vnitatem essentiæ suæ est in genere. Certum est autem, quòd concreta, vt *album*, quæ important vnum ex subiecto, & accidente, non sunt per se in genere; *album* enim inquantum tale, in nullo genere est, nisi per reductionem, quia ratione subiecti reducitur ad genus Substantiæ, & ratione qualitatis ad genus Qualitatis: ergo si res per vnitatem suæ essentiæ est in vno genere, sequitur, quòd accidens & subiectum nullo modo faciunt verè vnum per essentiam.

Item, appetitus est ratio vnionis, vt patet in omnibus respectu sui finis, cui appetunt vniri; & 7.
etiam in potentiis respectu obiectorum, quibus suo modo volunt vniri; ergo vbi maior est, & viuacior appetitus, ibi de necessitate verior & intimior erit vnio: sed maior est appetitus materiæ ad formam substantialem, quàm ad accidentalem: quod patet, quia appetibile est quædam perfectio appetentis; vt patet in fine: maior enim est perfectio, quàm forma substantialis materiæ, quàm illa quam dat accidens subiecto, sicut verius est ens substantia, quàm accidens. Tum etiam, quia materia secundùm cursum naturæ non potest subsistere, sed desinit esse nisi forma actuetur. Et hoc est, quod dicit Commentator supra primum secundi de Anima, *text. com. 8. Materia* (inquit) *nullum habet esse in actu in naturalibus, secundùm quòd est materia, & esse non est in actu nisi forma, & hoc valdè manifestatur in formis rerum simplicium, quoniam cùm forma fuerit ablata, nihil remanet.* Et illud est intelligendum secundùm ordinem naturæ. Non sic autem accidens, inquantum tale, respectu subiecti. Et dico etiam *inquantum tale*, hoc est, inquantum accidens, quia quamuis destructo proprio aliquo accidente, vt caliditate in igne, ignis non posset remanere, vt dicit Commentator super 5. *Physic. text.* 10. ostendens quòd qualitates elementorum non sint formæ substantiales eorum, hoc fit, quia per corruptionem talis accidentis, fit materia indisposita ad conseruationem formæ substantialis, & ita corrupto proprio accidente, corrumpitur subiectum per accidens.

Item, primum in quolibet genere veriùs est tale, vt patet de igne 2. *Metaphys. text.* 4. sed prima vnio duorum principiorum realiter est vnio materiæ, & formæ, secunda accidentis, & subiecti: ergo, &c.

Est autem aduertendum, ad explanationem 8.
omnium dictorum, quòd quamuis compositum *Nota.*
essentialiter sit vnum, ex essentiali vnione formæ ad materiam, illa tamen vnitas compositi principaliùs surgit ex vnitate formæ, quàm ex vnitate materiæ; & magis est ei attribuenda tanquam actuanti, vel determinanti, quàm materiæ suscipienti. Si enim materia vt pars compositi, ens actu prope nihil, aliquid haberet in sua actualitate formæ, nunquam ex eis fieret vnum, nisi per aggregationem: sicut quia hic lapis habet aliquo modo materiam alterius actu, quia vterque est lapis, nunquam ex eis fit vnum, nisi per aggregationem. Nunc autem materia vt est actu, & pars compositi in illa actualitate, quam habet, vt est effectus Dei, cùm illa sit indiuisa, omnino indeterminata, nihil habet omnino de actualitate alicuius formæ; sed est in potentia passiua, & receptiua omnium formarum vniuersaliter, circa quod tanquam ex parte poten

potentiali purè (dico ita ad excludendum omnem formam & actum eius) & purè primo actuali fit vnum per essentiam, ex materia scilicet, & forma, vt dicit Commentator, super 9. *Metaphys. comm.* 16. *Materia*, inquit, *dum est in potentia, non est perfecta, neque habet esse, quod habet forma; & cùm venerit ad actum, tunc perficietur per formam, & habebit esse, quia habet formam.*

9. Quamuis autem vnitas compositi essentialis surgat ex vnione talium principiorum, sic de ratione sua vnibilium essentialiter: vnitas tamen illa, quia est vnitas determinata, vtpote lignum, vel simile, magis est attribuenda formæ, quàm materiæ, non quòd materia ita & essentialiter, & intimè non sit vnibilis formæ, sicut è contrario; sed illa vnitas est determinati generis; quam determinationem habet à forma, non à materia. Et hoc est quod dicit Commentator, super illud Philosophi circa principium 2. *de Anima*, *text. comment.* 7. *Vnde non oportet quærere si vnum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram; neque omnino vniuscuiusque materiam, & id cuius est materia; vnum enim & esse cùm multipliciter dicatur, quod propriè est actus est.* Est autem sensus verborum, quòd quamuis vnum est ens dicantur de materia & forma, forma magis & principaliùs est vnum, & ens; formam enim actum vocat. Si enim materia æqualiter esset ens cum forma, aliquod ens determinatum esset; & tunc sic ostendi non posset facere vnum essentialiter cum materia. Ita exponit Commentator illa verba, dicens: *Hæc* (inquit,) *nomina*, vnum, *&* ens, *licèt dicantur pluribus modis, tamen prima perfectio in omnibus istis, scilicet forma, magis digna est, vt habeat hoc nomen, scilicet*, vnum *&* ens; *quàm illud quod est congregatum ex materia & forma; congregatum enim non dicitur vnum, nisi propter vnitatem existentem in forma; & materia non est hoc nisi per formam; & si materia & forma essent in composito existentes in actu, tunc compositum non diceretur vnum, nisi sicut dicitur in rebus, quæ sunt vnum per contactum, & ligamentum.*

10. Patet igitur, cùm actualitas compositi sit actualitas determinata, & hanc determinationem habeat à forma, non à materia, quòd vnitas compositi magis est attribuenda formæ, quàm materiæ; vt sit verum dicere, compositum est vnum per formam, & non per materiam, quia est vnum vnitate determinata, quam à forma, non à materia habet. Sic igitur patet primus articulus, quomodo scilicet, & quare ex materia & forma sit vnum essentialiter, & non sit ita vnum ex substantia & accidente.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ex anima & corpore fiat vnum per se, etiam in sententia eorum, qui in eadem anima ponunt materiam?

11. Secundò sequitur secundum, scilicet quòd ex anima rationali, quamuis habeat materiam, & ex corpore fiat vnum. Circa quod est sic procedendum: primò intelligendi sunt modi, qui videntur deficere circa modum vnionis animæ ad corpus. Secundò ex illarum improbatione concedendus est modus, quo vnitur anima rationalis corpori. Tertiò est ostendendum, quòd nulla forma ita verè formaliter & intimè vnitur suæ materiæ sicut anima rationalis corpori. Quartò, quòd ex modo istius vnionis sequitur, quòd homo magis fuit homo in statu naturæ conditæ, quàm in statu naturæ lapsæ; & erit magis in statu gloriæ post resurrectionem, quàm in aliquo de mundo.

ARTIC. II. SECT. I.

Variæ Philosophorum opiniones circa vnionem animæ cum corpore.

Circa primum, sciendum, quòd circa vnionem huius animæ rationalis & corporis inuenitur, Aristotelem, Auerroëm, & Platonem secundùm doctrinam Sanctorum turpiter defecisse.

SCHOLIVM.

Errorem hunc de assistentia extrinseca animæ rationalis ad corpus, veluti externi motoris, tribuit hic Doctor Platoni, Auerroi, & Aristoteli. Sed re meliùs perpensa solum Auerroëm hæc docuisse dicit in 4. dist. 43. q. 2. §. Præterea omnes Philosophi: *& §.* Dico ergo quòd illarum: *vbi acriter in illum inuehitur, breuiterque docet nullum reperiri notabilem Philosophum, qui neget animam intellectiuam esse formam corporis. Et quod ad Aristotelem attinet, ipse hic indicat illum malè exponi à suo Commentatore Auerroë, vt suo errori maiorem conciliet authoritatem. Et paulò infrà n. 37. probat Aristotelem docuisse actum intelligendi non solius esse animæ, sed & totius compositi, eumque proinde ab hoc errore defendit. Largissimè etiam hoc impendit officium Philosopho Suarez lib. 1. de substantia animæ c. 12. n. 16. Platonem etiam alij tuentur, qui autumant eum non negasse animam intellectiuam esse formam corporis: sed eam informare corpus eo pacto, quo reliquæ formæ, quæ ita corporibus sunt alligatæ, vt separatæ non possint existere. Vide Conimbricen. 2. de Anima, cap. 1. quæst. 6. art. 2. & Canellum in supplemento librorum de Anima, dist. 1. sect. 2. in principio.*

Doctrina Aristotelis ponit, secùdùm quod eam exponit Commentator suus 3. *de Anima, comm.* 4. & 5. quòd homo est homo per animam sensitiuam nobiliorem aliis, eductam de potentia materiæ; & quòd intellectiua non vnitur nobis sicut forma, sed sicut motor, inquantum à phantasmatibus accipit species intelligibiles, per quas ipse format actum intelligendi. Et hoc necesse habet dicere, eo quòd posuit vnum intellectum omnium hominum; quod verum non esset, si nobis vt forma vniretur, eo quòd secundùm ipsum propria forma est in propria materia. Sic enim exponit eum Commentator suus, 3. *de Anima, text* 4. & 5. qui sequens ipsum, in illum duplicem errorem simul lapsus est; quòd scilicet non esset nisi vnus intellectus omnium; & quòd non vniretur nobis vt forma, sed sicut motor, & per operationem. 12. *Opinio Aristotelis circa vnionem animæ.* *Philosophi putabant animam rationalem nō esse formam corporis.*

In eundem errorem lapsus est Plato, quantùm ad modum vnionis intellectus ad nos, sed differenter. Plato enim posuit*, quòd homo est ipse intellectus per se subsistens, non corpus, nec habens per corpus processum, sed vtens corpore, sicut nauta naui. Dixit enim quòd anima rationalis est homo, & habet de natura sua potentiam vegetatiuam & sensitiuam, & intellectiuam: communicat autem corpori actus virium sensitiuarum, vt in organis recipiantur species sensibilium; potentiam autem intellectiuam nullo modo communicat corpori, nec alicui parti *Opinio Platonis.* * in Alcibiade.

patri eius, sed per illam potentiam, quam in se habet non communicatam, abstrahit à speciebus, quæ sunt phantasmata quædam in organis sensitiuarum, species intelligibiles ad perficiendum operationem intellectiuam propter eius perfectionem; vires vegetatiuas etiam corpori, seu organis corporis communicat; & sic intellectus solùm vnitur corpori, vt motor.

13. *Opinio Auerroïs.* Auerroës non dixit vires sensitiuas esse in anima rationali, sed dixit, quòd sunt vires alicuius formæ sensitiuæ nobilis eductæ de potentia materiæ, quæ sensitiua est forma corporis, reponens hominem in specie. Posuit verò animam intellectiuam secundùm substantiam à corpore separatam, & coniungi homini per communicationem suæ operationis, per phantasmata scilicet ex natura in virtute sensitiua, quæ sunt intellectibilia in potentia; ita quòd intellectus separatus ab illis, abstrahit species intelligibiles; & sic per illam speciem intelligibilem intellectus coniungitur corpori humano quodammodò, ac per hoc dicitur intelligere. Aristoteles autem secundùm Commentatoris expositionem, huius fuit opinionis.

Refellitur opinio Platonis. Positio autem Platonis falsa apparet ex duobus. Primò quidem, quia homo ad considerationem naturalis spectat; vnde consideratio animæ intellectiuæ, aliquo modo secundùm respectum, quem habet ad corpus, ad Physicum pertinet, vt dicitur 2. *Physic.text.comm.*21. & iam dicetur. Diffinitio autem rei naturalis continet materiam, vt expresè dicitur in prologo de Anima, 1.*de Anima,text.*14. ergo corpus necessariò cadit in diffinitionem hominis; quidquid autem cadit in diffinitionem alicuius, est de eius essentia & integritate: non ergo potest esse verum quòd anima rationalis sola sit homo.

Secundò, quia experimur actiones sentiendi in nobis, & à nobis esse; non enim possunt esse intellectus separati, cùm non possint fieri, nisi per organum, quo caret intellectus separatus.

Patet tertiò falsitas ex parte corporis, quia tunc corpus humanum esset ignobilius, quàm corpus asini, quod similiter perficitur animâ sensitiuâ, seu formâ.

14. Patet etiam falsitas, quia cùm anima sit ingenerabilis & incorruptibilis, homo esset ingenerabilis & incorruptibilis; & multa alia possent ad hoc adduci.

Refelluntur Aristoteles & Auerroës. Patet etiam falsitas positionis Auerroïs, & Aristotelis, si tamen ita intellexerit, vt exponit eum Commentator; quia sicut se habent colores ad actum videndi, & non aliter; sic se habent phantasmata ad actum intelligendi, sicut dicit ipsemet Aristoteles 3.*de Anima, text.*34. non autem quia virtus visiua abstrahit species visibiles à coloribus, vel corporibus coloratis, non, inquam, propterea ipsi reales colores, aut corpora colorata participant actum videndi; alioquin verum est quòd paries coloratus videt: ergo, secundùm Auerroëm, homo non potest communicare cum intellectu separato in actu intelligendi, si solùm haberet in se phantasmata, à quibus abstrahuntur species intelligibiles; immò si haberet species intelligibiles, nisi habeat aliquid tanquam formam, quo species illas, seu res per species intelligat.

SCHOLIVM.

*Refert Scotus alias tres opiniones erroneas circa vnionem animæ cum corpore, quæ in eo conueniunt, quòd negent animam intellectiuam esse veram formam corporis, in modo tamen explicandi, & in rationibus, quas adducunt, discordant. De varietate opinionum inter antiquos Philosophos vide S. Thomam, lib. 2. contra Gentes, à cap.*56.*vsque ad* 70. *Inter Christianos etiam Philosophos & Theologos fuerunt, qui ita sentirent vsque ad Concilium Viennense. Mirum est autem post definitionem huius Concilij necnon Lateranen. III. sess.*8. *quosdam fuisse Doctores classicos, qui ad hunc errorem accederent, & negarent animam secundùm gradum* rationalis *&* intellectiuæ *formaliter informare corpus. Vide Rubium lib.*2.*de Anima, cap.*1.*&* 2.*quæst.*8. *num.*45.

Alij posuerunt, quòd intellectus vnitur nobis vt motor; & sic actio intellectus potest toti homini attribui. Hæc positio etiam communiter à Doctoribus reprobatur. Primò, quia in tali vnione mobile potest aut esse, aut intelligi sine mouente, vt baculus sine manu: ergo secundùm istum modum potest homo esse, & intelligi sine intellectu. 15. *Aliorum opinio dicentium animam rationalē vniri duntaxat vt motorem.*

Secundò, quia intellectus non mouetur localiter, nisi per intellectualem appetitum; actio autem appetitus rationalis præsupponit actionem intellectus; non enim quia mouetur Socrates ab intellectu intelligit, sed ècontrario, quia intelligit, appetit, mouetur.

Tertiò, quia mobile non communicat in actu cum mouente, nisi quia recipit actum eius; & ideò 3.*Physicor.text.*16. dicitur, mobile in potentia est motus; sed actio intelligendi est actio manens in intelligente, non transiens in alienam materiam, sicut transit calor in calefactum: ergò impossibile est, quòd homo intelligat per hoc, quòd actus intellectus, secundùm substantiam separati, corpori communicetur.

Quartò, quia actio mouentis non attribuitur moto, nisi sicut instrumento, sicut actio fabri martello: si igitur intelligere attribuitur homini, quia intellectus mouet corpus, sequitur quòd intelligere sit per instrumentum corporeum; quod negat Aristoteles.

Est aliorum opinio dicentium, quòd in anima humana vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, sunt tres partes substantiales vnius animæ in eadem materia spirituali, seu in eodem supposito rationalis animæ vnitæ. Talis ergo anima habens tres partes in vno supposito rationalis animæ, quantùm ad partem suam vegetatiuam, & sensitiuam, vnitur substantialiter & formaliter corpori: quantùm verò ad partem intellectiuam vnitur corpori, vnione consubstantiali non formali; vnione intima, & fortissima, sed non immediata; vnione ordinatissima, sed non secundùm habitudinem; æquiparantiæ, sed inæqualitatis; vnione quidem consubstantiali, quia corpus ex vna parte, & anima humana, ex alia, cuius tres partes sunt, partes substantiales vnius entis, scilicet hominis; & impossibile est aliquam substantiam constitui ex iis, quæ sibi inuicem non substantialiter vniuntur; ergo cùm intellectiua sit pars substantialis hominis, oportet quòd corpori substantialiter vniatur, nam pars intellectiua corpori, non alicui materiæ corporali vniri potest. 16. *Aliorum etiā opinio, dicentium partem rationalem animæ non vniri formali, & corpori.*

Primò

Primum illorum argum. pro hac opinione. Primò quidem probatur, quia omnis forma communicat ſuæ materiæ actualitatem ſuam, & ſuum actum eſſendi, & ſuam operationem. Quod ex hoc patet, quia forma accidentalis, de qua oſtendi *, quòd minùs intimatur materiæ ſuæ, ſeu ſubiecto, quàm forma ſubſtantialis materiæ ſuæ, ipſa tamen denominat ſuam materiam; ergo multò magis forma ſubſtantialis, quantùm ad perfectiones ſuas & actus, ſuam materiam denominat; ergo corpus, cui formaliter vnitur pars intellectiua, participabit formaliter omnia, quæ dicuntur de parte intellectiua; & dicetur, quòd corpus intelligit, corpus eſt liberum; vlteriùs dicetur, corpus videt, ſentit, quæ omnia ſunt falſa; ergo falſum eſt, quòd pars intellectiua ſit eius forma: tales enim actus non poſſunt competere niſi materiæ ſimplici, ſpirituali, & intelligibili, ingenerabili & incorruptibili.

* *ſuprà n.8.*

17. *Confirmatio.* Confirmatur autem hæc ratio, cùm enim altiſſima omnium formarum & ſimpliciſſima ſit forma intelligibilis, & libera, materia, quæ ad ipſam per ſe contingere poterit, vt ſcilicet ab ipſa informetur, oportebit quòd ſit in genere materiæ altiſſimæ, & completiſſimæ; materia autem corporali nihil eſt infimius.

Secundum argumentum. Secunda ratio ex parte formæ ſumitur, quia nulla materia recipit formam ſpiritualem perfectiſſimam, niſi ſit ſummè diſpoſita reſpectu ipſius, nulla autem virtus corporalis naturalis agentis poteſt dare ſufficientem diſpoſitionem ad receptionem formæ ſpiritualis, quia nulla virtus diſponit vltra ſuam naturam, ſicut nec virtus in ſemine vnius ſpeciei, ad diſpoſitionem alterius ſpeciei: ideò omnis modus capacitatis cauſatus ab aliqua virtute naturali & corporali, oportet quòd ſit modus limitatus & terminatus, ſecundùm modum virtutis educentis; ideò ſecundùm datam ab aliquo tali non poterit eſſe capax aliqua materia formæ quaſi illimitatæ, non agentis neceſſariò, ſed liberè.

Tertium argumentum. Tertia ratio ex eadem parte eſt, quia omnis materia corporalis diuiſibilis & corruptibilis, poteſt neceſſariò amittere ſuum eſſe, per diuiſionem, alterationem, & corruptionem & mutationem; ſed eſſe liberum intelligibile, eſt eſſe incorruptibile, eſſe firmum, eſſe perſonale; ergo ſic etiam materia corporalis, vel corpus tale eſſe haberet, quandoquidem eſſet à neceſſitate, ſi intellectiua pars eſſet eius forma; ergo impoſſibile eſt, quòd ſit eius forma.

Quartum argumentum. Secundò hoc patet ex vniuerſalitate aſpectus partis intellectiuæ. Illa enim virtus corporalis, ſeu corpori impreſſa, non poteſt habere aſpectum, niſi ad ea, quæ ipſi corpori modo quodam corporali ſunt præſentia. Vnde licèt ſenſus aliquis apprehendat actus particularium, hoc tamen non facit actu, niſi prout actus illi exiſtentes in organis ſenſuum, ſunt præſentes aliquo modo organo ſenſus communis; ergo ſi intellectus eſſet forma materiæ corporalis, vt abſens poſſet intelligere.

18. *Quintum argumentum.* Item, non poſſet ſe ſuper ſe reflectere, ſicut nec ſupra actum ſuum, ſicut nec virtutes ſenſibiles, cuius contrarium experimur.

Sextum argumentum. Itèm, tunc intellectus nihil libertatis haberet, cùm omnis actus, ſeu virtus corporalis ſit determinata ad vnum.

Item, impoſſibile eſſet ipſam eſſe immortalem à corpore ſeparatam, & liberam, & quòd non ſic à ſe intelligatur. Patet ex abſtractione ſui obiecti vniuerſalis, & reflexione ſupra ſe, vt quis ſit modus & diſpoſitio eius. Ex obiecto patet, quia nulla virtus poteſt apprehendere, niſi per coniunctionem, directionem, & applicationem ſui aſpectus ad obiectum. Si autem ſit virtus materialis, non poteſt applicari, niſi per vnionem ſuæ materiæ. Vnde virtus viſiua non poteſt applicari ad ſuum obiectum, niſi per motionem ſpirituum, & organi ſui; ergo ſi intellectus eſt forma corporis, cùm corporale non poſſit habere aſpectum niſi ad corpora, non intelligeret niſi corporalia, cùm tamen obiectum ſuum ſit totum ens, & eius ambitus corporale & ſpirituale aliquo modo; ergo ſaltem dum eſt in corpore, nullum horum intelligeret.

Quòd etiam non eſſet libera, patet, primò eâdem ratione, quia obiectum voluntatis eſt tanti 19.
ambitus, ſicut obiectum intellectus; ergo ſicut contrahitur intellectus ad corporalia, ſic & voluntas. Tum etiam, quia habet coniunctionem ad obiectum, non ſolùm vt intellectus, ſed etiam ſuper ſe, vt motor. Vnde voluntas reflectit ſe ſupra ſe quadam dominatione, quod omnino eſt contra naturam materiæ corporalis. Tum etiam, quia poſſe mouere ſe ad oppoſita liberè, eſt poſſe altiſſimum, in ſe omnino recollectum, ac per hoc ab omni determinatione, & contractione ſeparatum; ergo etiam à materia corruptibili. Forma autem impreſſa materiæ corporali, non poteſt ibi eſſe impreſſa, vel recepta, niſi ſecundùm poſſibilitatem, & modum recipientis; materia autem corporalis non eſt receptiua ſummæ recollectionis, ſummæ indeterminationis, ſummæ altitudinis.

Quis autem ſit modus, patet; quia impoſſibile eſt, quòd materia aliqua ſtabiliatur perfectè in ſe per illam formam, per quam ad aliam extendendam inclinatur. Si autem pars intellectiua eſt forma corruptibilis materiæ, per ipſam inclinabitur directè materia ſpiritualis ad materiam corporalem. Huius ratio eſt, quia cùm forma, inquantum forma, ſit ad materiam inclinata, ſi tota forma intellectiua non eſt ad materiam ſpiritualem totaliter inclinata, impoſſibile eſt quòd materia ſpiritualis per talem formam in eſſe perpetuo ſtabiliatur.

Item, ſi intellectiua eſt per ſe habens eſſe im- 20.
mortale; ergo ſi ſecundùm ſe communicat ſuum eſſe corpori, ſicut eius forma, neceſſariò communicat ſibi eſſe immortale; aut ſi non, non eſt eius forma.

Non poteſt autem dici, quòd ſit forma totius corporis, & non alicuius partis; primò, quia eadem inconuenientia ſequuntur: quòd ſcilicet totum corpus ſit intelligibile, liberum, & immortale. Et ex parte animæ eadem inconuenientia, quòd ſcilicet non ſit intellectus, nec libera, nec immortalis. Primò omnis forma, quæ eſt ſimplex forma totius materiæ, eſt forma cuiuſlibet partis eius; oportet enim, quòd partes habeant eſſe & vnitatem à forma totius; & oportet quòd forma ſubſtantialis ſit tota in qualibet parte ſuæ materiæ: tum etiam, quia partes habent eandem rationem, quam habet totum.

Item, ſi tota materia eſt capax alicuius formæ, & non partes eius, tunc neceſſariò eſſet dare in ipſa aliquam potentiam receptiuam, & materialem, prout eſſet diſtincta ſuis partibus, &

& ita ipsa esset quodammodò inquantum materia, distincta à materia suarum partium; quod est impossibile. Sic igitur concludit illa positio, quòd pars intellectiua est coniuncta corpori consubstantialiter, non autem est forma.

21. Quomodo autem possit ei vniri consubstantialiter, & non formaliter, declaratur sic: Vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum vniuntur consubstantialiter in vna materia spirituali, seu in vno supposito rationalis animæ, tanquam naturæ partiales animam humanam constituentes. Ex quo patet, quòd negatiuum, & sensitiuum nulli possint vniri substantialiter, quin ei vniatur intellectiuum consubstantialiter, sed non formaliter, propter prædicta; & sic corpus & intellectus vniuntur in vno supposito hominis substantialiter; hoc enim sufficit ad hoc, quòd aliqua duo sint substantialiter vnita, scilicet, quòd substantialiter coexistant in vno supposito, vel sint partes eiusdem entis reales, quamuis vnum non sit forma alterius, vel materia. Exemplum ad hoc est, cùm enim ponamus in vno supposito multas formas, sicut formæ corporales informant materiam corporalem, sed non materiam spiritualem animæ, quæ tamen faciunt vnum suppositum hominis; quare spirituales, vt pars intellectiua, non informabunt materiam spiritualem, & non corporalem, & nihilominus facient vnum suppositum cum materia corporali; sicut patet ex duabus partibus ignis, quæ sunt partes substantiales ignis, nec vna est materia alterius, vel forma, nec ècontrario. Hoc patet in omnibus partibus alicuius totius, seu sit homogeneum, vt partes aquæ, vel ignis; seu heterogeneum, vt nasus, & oculi sunt partes substantiales corporis, non tamen vnum est materia, vel forma respectu alterius.

22. Hoc etiam patet in partibus formæ accidentalis, vt in albedine. Si autem pars intellectiua & sensitiua, non essent substantialiter vnitæ in vno supposito rationalis animæ, seu in vna materia spirituali, pars intellectiua non posset vniri substantialiter corpori, nec etiam ipsi sensitiuæ. Vnionem autem partis intellectiuæ & sensitiuæ consubstantialem ostendit naturalis dilectio, quâ pars intellectiua intimè & essentialiter diligit sensitiuam, in tantum, vt necessariò complaceat sibi in bono eius, & in malo eius tristetur. Hoc etiam ostendit vnitas iudicij, quia per intellectum apprehendo, quòd idem est, qui intelligit, & qui sentit; & hoc totum iudicium falsum esset, nisi intelligere & sentire essent in eodem supposito; aliter nunquam intellectiua apprehenderet actus sensitiuæ, nisi essent partes vnius animæ. Hoc etiam ostendit motus naturalis, quo mouetur superior appetitus ad modum sensitiui. Hoc ostendit naturalis obedientia, quâ appetitus sensitiuus mouetur ad imperium superioris, ita quòd solo impetu mouet ipsum. Hoc ostendit naturalis apprehensio, quâ per intellectum apprehendo me videre & sentire, sicut & me intelligere & velle.

23. *Vnio animæ intellectiuæ ad corpus est intima.* Est etiam hæc vnio intima; cùm enim & sensitiuum & intellectiuum sint simplicia, & in eadem materia spirituali & simplici radicata in vno simplici supposito, ac per hoc sibi inuicem vnitissima & adhærentia, non potest intimè sensitiua humano corpori vniri, quin etiam eidem corpori intellectiua intimè vniatur; non tamen immediatè, nisi secundùm quòd immediatio dicit præsentiam; quia cùm intellectiua inclinetur ad talem sensitiuam; quæ est perfectio corporis humani, necessariò per ipsam inclinatur ad corpus.

Est etiam hæc vnio ordinata; qualis est ordo sensitiuæ ad intellectiuam, talis est ordo corporis ad intellectum. Ratio autem sensitiuæ comparatur ad intellectiuam, sicut ramus ad radicem; quia sicut ramus non subsistit, nisi in radice, sic nec sensitiua haberet perpetuitatem, nec subsisteret in materia spirituali animæ, nisi parti intellectiuæ vnita, & ipsa principaliter, scilicet ipsa intellectiua, in spirituali materia existeret. Cuius probatio est, quia aliter posset inueniri ens spirituale per se subsistens, quod solùm esset sensitiuum; & aliqua anima solùm sensitiua, separabilis, & non æterna. Habet etiam se sensitiua ad intellectiuam, & eodem modo corpus, sicut inferius instrumentum, & subiectum ad suum superius. Habet etiam se sensitiua & corpus ad ipsam intellectiuam, vt posterius ad prius; nisi in hoc, quòd non haberet perpetuitatem sensitiua, nisi vniretur intellectiuæ, cui primò & per se perpetuitas inest; nec haberet aspectum ad materiam spiritualem, vt eam informaret, nisi priùs in illa materia intellectiua extitisset. *Est ordinata.*

24. Ex his omnibus patet, quòd omnia inconuenientia ista in hoc fundantur, quòd quia forma actum & operationem communicat materiæ suæ, & nulla materia corporalis est susceptiua operationum intellectualium, nec proprietatum; vtpote libertatis, immortalitatis & similium; propter hoc negatur quòd intellectiua non est forma corporis.

Est autem aduertendum, quòd aliqui alij, ex aliis causis, hoc videntur negare. Et est prima causa, quia oportet, quòd intellectus in sua substantia sit indeterminatus; & cùm nullum habeat aliud commune, vt omnia intelligat per indifferentiam ad omnia; sicut aër respectu sonorum, vel colorum. Omnis autem forma, quæ est actus materiæ, maximè corporalis, est sic materiæ proportionata necessariò, vt sit determinata & arctata; ergo intellectus forma non potest esse materiæ. Et hoc medium sumitur ex parte materiæ, vt immediatè ponatur intellectus forma materiæ, & sic ponatur pars consubstantialis hominis, & non forma, vt dicit prædicta positio. *Alij ex aliis causis negant animam esse formam corporis.*

25. Philosophus etiam 8. *Metaphys. text. comm.* 15. quærens quomodo compositum possit esse vnum, cùm sit ex diuersis naturis, materiæ scilicet, & formæ? Respondet, quòd causa vnitatis compositi est, quia illud, quod priùs in potentia est, ab agente fit in actu, non quòd vna res alteri adueniat, sed quòd idem ad quendam actum perficit. Super quo verbo dicit Commentator: *Non est aliud causatum ab agente ab eo in quod agit; sed illud idem quod primò est in potentia, & pòst de potentia transfertur in actum; translatio enim eius non largitur rei multitudinem, sed perfectionem in esse.* Ergo secundùm istam sententiam illud, quod aduenit, est aliud ab eo, & non possunt per consequens verè vnum facere; sed cùm intellectus vnitur corpori, causatur aliquid aliud

aliud ab eo, in quod agens agit, scilicet à corpore: ergo nullo modo potest verè facere vnum; &. secundùm istam rationem nec sensitiuum.

Tertium impedimentum est, quòd materia, inquantum materia, est potentia, & in potentia, vt ostensum est, forma etiam, inquantum forma, & si sit actus, non tamen habet esse actu, nisi vt est in composito; ergo nec materia, nec forma, illud quod sunt, esse habent actu, nec sunt ens in actu, nisi per compositum, cuius proprium est esse actu. Vnde dicit Commentator, super principium 2. *de Anima*, *text.7. Si materia & forma essent in composito existentes in actu, tunc compositum non diceretur vnum; nisi sicut dicitur in rebus, quæ sunt per contactum, vel per ligamentum.* Si ergo aliquid natum est per se esse, & actum subsistendi proprium per se habet, non videtur quòd aliquo modo vnum re faciat cum alio.

26. Quarta difficultas, siue impedimentum, est ex parte operationis, quæ est intelligere; si enim pars intellectiua est forma corporis, operatio sua, quæ est intelligere, debetur composito; forma enim non agit, sed compositum per formam; ergo intelligere est operatio compositi ex anima & corpore; & tunc actus intelligendi non est abstractus, & separatus à materia, sicut nec actus sentiendi.

Quinta difficultas est, quæ oritur ex præcedenti; cùm enim cuius est actus, illius sit potentia, vt dicitur circa principium libri de Somno & Vigilia; ergo si actus intelligendi est actus compositi, potentia debet dici per se compositi, non solius animæ, cùm potentia sentiendi, cuius actus est coniunctim, non solius sit animæ, sed organi; oculus enim videt, non potentia visiua solùm.

Et ex hoc vlteriùs sequitur, quòd species intelligibiles non recipientur solùm in intellectu, sed in composito, ac per hoc necessariò erunt materiales, nec poterunt esse ratio cognoscendi aliquod abstractum à materia, vt aliquid sub ratione vniuersalis.

Sexta difficultas est, quæ quodammodò tacta est in prima, quòd dispositiones, vel inclinationes contrariæ non possunt alicui realiter inesse, cùm natura de se ad vnum sit determinata: vnde cùm materia naturaliter apta nata sit existere per se, non videtur quòd alteri apta natã sit vt forma inhærere. Istæ sunt rationes & motiua, quibus aliqui mouentur ad ponendum, quòd intellectus corpori non vniatur, vt forma.

ARTIC. II. SECT. II.

Ostenditur animam intellectiuam esse veram & specificam formam corporis.

27. VIdendum tandem vtrùm iste modus vnionis sit verus. Circa quod sic est procedendum. Primò est ostendendum, quòd anima intellectiua secundùm se totam, inquantum intellectiua, corpori vnitur, vt forma. Secundò, quòd ei vnitur vt forma specifica. Tertiò soluenda sunt inconuenientia superiùs posita.

SCHOLIVM.

Doctissimè & latissimè probat hîc Doctor animam humanam, etiam secundùm gradum vltimum rationalis & intellectiuæ, esse formam specificam hominis, quod etiam breuiùs docet in 4. dist.43. quæst.2. repetitis sub compendio potissimis rationibus, quæ hîc adducuntur. Nullum certè ego vidi, qui enucliatiùs & clariùs hanc stabiliret doctrinam ante definitionem Concilij Viennensis, & omnibus occurreret difficultatibus, atque aduersariorum rationes infringeret.

Quòd autem vniatur ei vt forma, hoc videntur sentire Catholici tractatores. Ait enim Damascenus, ostendens duo principia, ex quibus constat homo, *lib.2. Orthodoxæ fid. cap.12. Deus*, inquit, *ex visibili & inuisibili natura condidit hominem, ex terra corpus plasmans, animam autem rationalem per insufflationem.* Ecce quòd quamuis anima humana sit verè sensitiua, & intellectiua, vt tamen est principium hominem constituens, est rationalis. Certum est autem, quòd illud, quod est forma & pars substantialis rei, potiùs constituit rem, quàm illud, quod est pars consubstantialis solùm; vt patet in exemplis. Quamuis enim nasus, & oculus, sint consubstantialia homini, quia cùm neutrum sit forma eius, vel adæquata materia; per consequens, nec ita principaliter constituunt hominem, sicut sua materia, & sua forma.

Vnde Damascenus ostendens quòd anima, vt rationalis, non sit solùm pars substantialis, quia talis non est omnino principalis, sed quòd sit pars principalis, ac per hoc formalis, quia materia non est, subdit, *lib. 3. cap.16. Singularis*, inquit, *homo ex duabus naturis constitutus est, anima & corpore.* Et loquitur de anima, de qua scilicet dixit *animam rationalem per insufflationem.* 28.

Huius sententiæ videtur esse Augustinus, *de Spiritu & Anima, cap. 15. Misera* (inquit) *societas carnis & animæ; spiritus vitæ & limi terræ; sicut scriptum est*, Fecit Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiritum vitæ; *dans ei sensum & intellectum, vt per sensum limum sibi sociatum viuificaret, & per intellectum regeret.* Et infrà; *Plenum fuit miraculo, quòd tam diuersa, & tam diuisa ab inuicem ad inuicem potuerint coniungi; nec minùs fuit mirabile quòd limo nostro Deus seipsum coniungit, vt sibi inuicem vnirentur Deus & limus, tanta sublimitas, & tanta vilitas.*

Item, ibidem, *cap.48. Dicimus corpus per coniugij copulationem seminari, Dei verò iudicio coagulari in vulua matris & compingi, atque formari, ac formato iam corpore, animam creari, & infundi: vt viuat in vtero homo constans anima & corpore. Nec duas animas esse credimus in vno homine, sicut multi scribunt, vnam scilicet animalem, quâ mouetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus vnam eandémque animam esse in homine, quæ & corpus sua societate viuificat, & semetipsam sua ratione disponit.* Simile dicit 8. *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap.13.*

Huius opinionis est Richardus de S. Victore *1. parte. lib.4. de Trin. cap.16. Proprium est mixtorum habere substantiale esse ex sola propagatione: proprium enim est hominum habere substantiale esse ex propagatione simul & ex procreatione, nam caro propagatur, anima procreatur.* Ecce quod esse substantiale datur homini, vt homo est per animam, & non per sensibilem; ergo vt est intelligibilis: esse

autem secundùm rem semper est à forma.

Ambrosius super illud *Psalmi* 118. *octonario* 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me; & plasmauerunt me. In hoc*, inquit, *genere substantiæ, alia est facta substantia, alia figurata.* Et vocat *factum* creatum. Item, Augustinus, *super Genesim ad literam, lib.6. cap.*11. videtur idem dicere; *Visibiliter*, inquit, *homo in corpore, inuisibiliter in anima, constans ex anima & corpore.*

29. Quamuis autem secundùm quòd Commentator exponit, Aristoteles videatur dixisse intellectum non esse formam hominis, volentibus tamen ipsum exponere catholicè, hoc videtur de intellectu sentire. Vnde 12. *Metaphys. in illo textu* 16. & 17. *Et causæ mouentes*, &c. ponit differentiam inter efficientem & causam formalem; & est sententia sua, quòd causa efficiens præcedat effectum; *Causæ* (inquit) *mouentes sunt, quia præcedunt tantùm hanc naturam & formam:* & loquitur de materia propria; *Hæc* (inquit) *sunt simul; si enim homo est sanus, tunc sanitas & homo sunt insimul; & figura sphæræ cupreæ, & sphæra cupri sunt insimul. Si autem remanet aliquid in postremo;* (hoc est, si destructo composito, remaneat aliqua forma) *quærendum est de hac, in quibusdam enim non est impossibile: verbi gratiâ, si anima est talis dispositionis, non tota, sed intellectus.* Ecce quòd expressè distinguit intellectum contra sensum, & sicut distinctum ponit ipsum esse formam separabilem. In 2. *etiam de Anima, text.*21. dicit, quòd intellectus videtur *alterum genus animæ.* Et in eodem dicit; *Si aliquod commune animæ omni oportet dicere, erit vtique actus primus corporis organici Physici.* Vocat autem formam, vt in eodem patet. Videtur igitur, quòd hæc sit mens omnium Sanctorum, & Philosophorum, quòd cùm homo & quodlibet compositum constet ex duobus principiis, materiali & formali, quòd anima rationalis, vt rationalis, sit formale principium hominis.

30. Verùm quia, sicut aliàs est ostensum, ad experimentum animæ intrinsecus, omnis certitudo, quam habet anima de aliquo in via, reducitur, sicut esse mobile ad immobile, sic per experimentum, quod est omnis nostræ certitudinis principium, patet quòd intellectus forma sit hominis. Circa quod est ostendendum, quia per actus in notitiam potentiæ, & per potentiam in notitiam substantiæ deuenimus, quòd intelligere actus est non solius animæ, sed & compositi. Quòd autem ista sit doctrina Philosophorum, patet per Aristotelem 1. *de Anima, text.*12. vbi nostram quæstionem de opinione intelligendi simul cum aliis habet, interrogat dubitatiuè, passiones vtrùm sunt communes, an sit aliqua animæ propria? Et subdit: *Videtur autem plurimarum nullum sine corpore pati, aut facere, vt irasci, confidere, & omnino sentire, maximè autem videtur proprium animæ intelligere, nec tamen hoc sine corpore.* Et inferiùs contra Platonem, qui dicit animam in corpore mouere seipsam, sumendo motum largè pro quolibet actu animæ; dicit Aristoteles, quòd nullus motus est animæ, sed coniuncti. Vnde dicit, 1. *de Anima, text.*63. *Si enim, & quàm maximè dolere, aut gaudere, aut intelligere, motus sunt, & vnumquodque moueri aliquid, moueri tamen ab animâ est.* Sequitur, *text.*64. *Dicere autem animam irasci, simile est ac si aliquis dicat eam texere, vel ædificare.* Et contradicit de omnibus actionibus, quarum anima est principium, dicens sic, *Melius enim fortassis est non dicere animam misereri, aut addiscere, aut intelligere, sed hominem animâ:* sic concludit *text.*66. *Intelligere autem & amare non sunt illius passiones,* sed compositi, *huius hominis habentis illud, vt habet illud.*

Hoc etiam patet ratione: quia, vt claret ex præcedentibus, cùm forma non agat, sed compositum, si anima existens in composito, & non totus homo ageret, anima vt est in corpore *esse*, haberet non perfectè communicans corpori (sicut enim *esse* communicatur, ita & operatio, sicut per Philosophum patet 8. *Metaph. cap. & text. vltimis*, de forma æris, sicut tactum est in secunda difficultate) nunquam anima, vt est in corpore, verè faceret vnum cum corpore: impossibile enim est imaginari, quòd aliqua duo substantialiter faciant vnum, & quòd eorum actio non sit vna, cùm actio sit à toto composito. 31.

Item, totus homo meretur, aut demeretur; anima enim separata, etsi intelligat, aut amet, tamen nihil meretur, aut demeretur; ergo dum est in corpore, tota merendi ratio, vel demerendi attribuitur composito, cùm ad meritum, & demeritum concurrat actus intelligendi, & volendi, per se: sicut etiam è contrario infertur, quòd si nihil possum detestari, aut amare, nisi per intellectum, sequitur quòd intelligere, & amare animæ, vt est in corpore, non est totius coniuncti.

Item, certum est quòd quamlibet speciem sequitur aliqua operatio propria, quia *esse* primum, siue actus primus, est principium actus secundi, & origo eius, vt colligitur ex principio 2. *de Anima, cap.*1. *text.*5. quælibet autem species habet *esse* proprium, & suam actualitatem, ergo quamlibet sequitur sua propria operatio; nulla autem actio est in homine vltra sensum, in quo non conuenit cum animalibus, nisi intelligere, aut velle, siue liberè agere; ergo aut homo non est propria species, aut homo est solus intellectus, vt dixit Plato, aut si est compositum, eius operatio est intelligere, & liberè agere.

Hoc supposito, quòd intelligere sit actio compositi, accedo ad propositum, quòd natura intellectiua necessariò sit forma illius compositi intelligentis; & primò sic: Omne principium patiendi reducitur ad materiam, 9. *Metaphys. text.*2. ergo omne principium agendi reducetur necessariò ad formam; ergo si totus homo intelligit per intellectum, necessariò intellectus erit forma hominis primò & per se, aut per aliud; non per aliud, quia tunc homo inquantum homo, non intelligeret, sed inquantum sensibilis, vel aliud: ergo tunc etiam per illud, ad quod intellectus reduceretur, necessariò esset principalis forma illius, à quo actio elicitur inquantum tale: ergo aliquid aliud ab intellectu esset principaliter forma hominis, inquantum homo. Nihil autem est dicere, quòd intellectiuum reducatur ad sensitiuum, vt est principium intelligendi: scilicet quia reduceretur ad ipsum ordine naturæ, inquantum est medium vniendi, sicut forma perfectior per imperfectiores vnitur; nulla tamen forma ad aliam reducitur, vt est principium perficiendi, vel operandi actum proprium: sensitiuum enim per se, & non per aliud, dat esse sensitiuum; & sic de aliis, & per consequens, compositum per ipsum elicit actum proprium secundùm illam, vt sentire. 32. *Natura intellectiua est forma hominis.*

Item, secundùm Philosophium 6. *Metaph. text.*2. definitio rerum naturalium ex materia & forma 33.

forma consistit; definitio autem indicat quid est esse rei: ergo quidquid non est materia, vel forma rei, est extra essentiam, ac per hoc sine illo potest res intelligi: ergo si intellectus, inquantum intellectus, est de essentia hominis, (quod oportet dicere secundùm fidem & omnes Doctores) necessariò, vel esset materia hominis, vel forma; non materia, nam illa est corpus organicum; nec materia spiritualis, quæ est pars animæ; quia anima humana secundùm illam potentiam est hominis forma, de cuius *esse* non est materia, ac per hoc cadit in rationem formæ; nec est materia per se, vt patet: ergo non est de essentia hominis.

Nec valet dicere, quòd est consubstantialis pars, vt manus, aut nasus, corporis; quia omnis pars substantialis compositi, aut est materia, aut pars materiæ; aut forma, vel pars formæ, vt per exempla patet: ergo pars intellectiua, cùm non sit materia, nec pars materiæ, aut necessariò est forma hominis, aut pars formæ, vt homo est: si est forma, habeo propositum; si pars, igitur illud, cuius intellectus est pars per rationem aliam ab intellectu, erit forma hominis, inquantum homo; ratio enim totius est alia à ratione singularis partis: ergo etiam intellectus, vt intellectus, non est tota & perfecta ratio hominis, inquantum est homo; sicut ratio manus, vt est manus, non est ratio corporis humani, vt humanum est.

34. Item, accipiamus exempla iam dicta de partibus consubstantialibus: nasus & oculus & duæ partes ignis sunt cõsubstantiales, & vnum faciunt suppositum, nec vna est forma, aut materia alterius; quæro vtrùm cùm dicitur, *homo videt per oculum*, vel quòd *oculus videt*, vtrùm sit actio totius compositi, vt est totum specificum? Primò patet quòd non, per Philosophum in principio 4. *Physic. text.* 32. vbi expressè dicit, quòd non est idem mouere, aut moueri, quia eius pars mouet, aut mouetur; & mouere, vel moueri primò, & per se. Nunc secundùm Philosophum (& veritatem) 1. *Poster. text.* 11. secundùm quòd *ipsum*, *per se & primò* idem sunt: ergo si homo, secundùm quòd homo, intelligit, necessariò per se, & primò intelligit, non ergo per partem substantiæ, quia omnis actio est per partem, sicut quo agit: hoc autem distinguuntur agere per partem, & secundùm totum.

Si fortè dicas, quòd homo non per se & primò intelligit; sicut nec homo primò videt, sed oculus. Tunc, cùm omne prius à suo posteriori, saltem per intellectum, possit separari; videtur quòd homo possit intelligi absque ratione intellectualitatis, sicut potest intelligi absque ratione visionis, & absque ratione omnium illorum, quæ insunt sibi per partem, (dico *partem subiectiuè*;) omnis autem actio inest sibi per oculum, sicut quo videret, & quod videt.

35. Item quæro, vtrùm sit eiusdem rationis vniri formaliter, & substantialiter? & sit idem esse partem formalem & substantialem? si sic, propositum habeo; si non, ergo vnum præsupponeret aliud; esse enim vnitum formaliter, est esse vnitum substantialiter; & non è contrario, vt dicis, ergo vniri formaliter est posterius, aliquid addens, quia *prius* est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia; ergo hæc vnio formalis est perfectior vnitate sola substantiali; sed ex vnione surgit *esse*, & *vnum esse*; ergo cùm sensitiuum, vt dicis, vniatur formaliter & substantialiter, cùm à sensitiuo sit animal; ab intellectiuo sit homo, sequitur quòd Socrates veriùs & perfectiùs est animal, quàm homo; sequitur etiam quòd actus consequentes ipsum, vt est animal, sint magis vniti, ac per hoc maioris aspectus, & certitudinis, quàm actus intellectiui.

Item, hæc est differentia inter partem formalem & substantialem, quia pars substantialis solùm, non est necessariò de intellectu essentiæ, sicut patet in exemplis dictæ positionis; nasus & oculus partes consubstantiales sunt corporis, non tamen sunt de essentia hominis, quia absque his intelligi potest. Simile, quamuis partes huius ligni, vel albedinis, sint consubstantiales; nihilominus amotâ istâ parte, vel illâ, lignum, seu albedo, & similia intelligi, & esse possunt: absque autem parte formali nullo modo potest intelligi sub ratione illius *esse*, quod forma constituit, vt in esse sensitiuo, nec in esse intellectiuo; ergo si intellectus respectu hominis vt homo est, sit solùm pars substantialis, sequitur quòd homo potest esse, vel saltem intelligi, sine intellectu.

Si dicas, quòd est pars aliqua substantialis, sine qua res non potest esse, nec intelligi, vt homo sine capite, vel corde, propter suam principalitatem in materia hominis. Non valet, quia quòd homo non possit intelligi sine his partibus; hoc est, quia cor & caput habent principalitatem in materia hominis, vt est materia, vel reducitur ad essentiam materiæ hominis, ac per hoc non potest intelligi homo sine iis, sicut nec sine sua materia. A simili dico, quòd homo non possit intelligi sine intellectu, hoc non est, quia intellectus tota anima humana sit dignior; sed quia est verè forma hominis per se, vel per aliud; sicut caput verè est materia, saltem partialis respectu formæ hominis. 36. *Obiectio.* *Solutio.*

Item materia & forma verè sunt correlatiua, sicut actus & potentia; nunc autem aspectus potentiæ & proprij actus, vt ostendi, mutuò se claudunt & communicant; ad nihil enim, quod non habet rationem coloris, se extendit per se visus, & color, inquantum color, nihil immutat, nisi visum: ergo simile est in materia respectu formæ & è contrario, quòd nihil est in materia inquantum materia, quod forma propriè non informet, & è contrario: ergo cùm corpus humanum sit materia animæ rationalis, secundùm auctoritates allegatas, impossibile est, quòd aliquid reale sit in tota anima humana, quod corpus humanum non informet; est autem intellectus de substantia animæ humanæ; ergo, &c.

Item materia, inquantum materia, habet aspectum ad formam; ergo talis materia, inquantum talis, necessariò habet aspectum ad formam, inquantum talis forma. Nunc secundùm Damascenum, Richardum, & Augustinum, vt patet suprà *, corpus humanum est materia hominis; ergo habet aspectum ad formam, vt est talis forma: habet autem aspectum ad animam, inquantum anima; & hoc non, quia tunc haberet aspectum ad omnem animam indifferenter: aut ad animam, vt est talis; talis autem solùm est triplex, scilicet, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: habet ergo aspectum corpus humanum ad animam, vt est eius forma, inquantum sensitiua, vel vegetatiua, vel intellectiua; non inquantum vegetatiua, vel sensitiua, propter duo; primò, quia talis materia habet aspectum ad talem formam, vt dat sibi tale esse; vegetatiuum autem & sensitiuum 37. * num. 30.

tiuum non dant esse humanum; alioquin potest homo intelligi absque intellectiuo secundo, quia tunc corpus humanum haberet aspectum ad omnem sensitiuam & vegetatiuam: ergo oportet necessariò dicere, quòd corpus humanũ respicit animam, vt est eius forma inquantum intellectiua.

Si dicas, quòd corpus humanum habet aspectum ad sensitiuam, sicut ad formam talem, vt est sensitiua humana; tunc apertè asseris conclusionem. Cùm enim sensitiua *humana* dicatur secundùm potentiam, quia colligatur cum intellectiuo, à quo certè homo est homo: ergo sensitiuum non dicitur forma corporis humani, nisi quia est idem cum illo, quod per se terminat sicut forma, aspectum materiæ humanæ: hoc autem cum quo idem est, est intellectiuum, & tunc idem quod priùs.

38. Confirmatur hæc ratio, quia si anima rationalis est forma hominis; ergo sicut corpus humanum dicitur *humanum* per id, quod complet rationem corporis talis in tali gradu organizationis, & mistionis, & compositionis, sic anima humana per illud, quo formaliter dicitur *humana*, necessariò habet rationem informantis; hoc autem est intellectus, non enim dicitur *humana* per sensum.

Item, secundùm istam positionem est dare in composito partem formalem, partem materialem, partem substantialem. Patet exemplum in homine. Nunc autem, vt patet in exemplis, pars substantialis non dat *esse* toti, nec alteri parti, immò habet esse à forma, quæ est forma totius, vt patet in partibus ignis: ergo si in toto homine intellectus est pars substantialis, non dabit esse homini, sed recipiet esse à forma hominis: sicut hæc pars ignis est ignis per formam totius ignis.

Item, si homo intelligit per intellectum, vt per partem consubstantialem, non tanquam per formam totius; tunc simile est dicere sic: homo videt per oculum; sed nec iste actus attribuitur oculo, nisi vt visus est forma eius, secundùm quòd organum, in ratione organi, dicit aliquid constitutum ex tali parte & potentia, secundùm quod dicit Aristoteles, 2. *de Anima, text.* 9. quòd si oculus esset animal, visus esset eius anima: ergo nec intelligere attribuitur homini, nisi illud, quo homo intelligit, sit forma alicuius suæ partis: non est autem forma partis: ergo, &c. Nec intelligere dicitur per partem, sed se toto; ergo oportet, quòd forma totius hominis, non sic illud, quo videt homo per partem, & quæ est forma partis, vt potentia visiua oculi.

39. *Reijcitur prima opinio.* Item, secundùm primum modum dicendi, intellectus non vnitur homini vt forma, nec per se, nec per aliud, sed vnitur substantialiter mediante illo, quo vnitur formaliter, scilicet, sensitiuo. Dicit etiam positio, quòd intellectus vnitur corpori substantialiter, quia id, cum quo est vnum in substantia, siue in composito rationalis animæ, cuiusmodi est *sensitiuum*, corpori vnitur substantialiter. Cùm dicitur primò quòd vnitur mediante sensitiuo, aut ista mediatio est dispositionis, & tunc intellectiua est forma; dispositiones etiam non dicuntur mediæ in materia, nisi respectu formæ introducendæ. Aut est mediatio accidentalis, vt sit sensus, quia sensitiua vnitur, necesse est quòd omne, quod est ei consubstantiale, eidem vniatur, quamuis de se non haberet aspectum ad hoc. Sicut videmus in astro descendente, vel in candela; quia enim flamma est colligata corpori graui, ideò descendit, illo descendente, quæ de se ad contrarium moueretur. Si sit tale medium, quod indubitanter videtur sonare positio, tunc sequitur quòd cùm homo sit homo per vnionem intellectus, quòd Socrates sit homo, & intelligat per accidens. Si verò ista mediatio sit naturalis ordinis, vt sit sensus, quòd intellectus est naturaliter vnitus, sed ordine naturæ requirit, quòd sensus vniatur, quamuis hoc non videatur hæc positio sonare, eo quòd rationem vnionis intellectus ad corpus attribuit consubstantialitati. Vbi autem consubstantialitas solùm est causa, ibi extremum de se non habet inclinationem ad aliud extremum nisi per accidens; vt patet in descensu flammæ. Vbi est autem mediatio ordinis naturæ, ibi extremum habet inclinationem de se, quamuis actu non vniatur nisi per medium; vt patet in formis, quæ aliis mediantibus materiæ vniuntur; si sic, dico, intelligatur, sequitur quòd intellectiuum de se inquantum tale, habeat inclinationem essentialem ad corpus. Nunc autem omnis inclinatio essentialis creaturæ ad creaturam, siue sit simplicis ad simplex, siue compositi ad compositum, vel formæ ad materiam, vel materiæ ad formam (vt sub ratione formæ forma substantialis & accidentalis includatur) ad istam reducitur. Cuius ratio est, quia nulla creatura habet aspectum ad aliam, nisi vel vt est actiua aliquo genere actus, vel vt est passiua aliquo genere passionis. Immò si Deus faceret creaturam, quæ nec agere, aut pati posset ab alia, non esset de ordine & integritate vniuersi. Immò ista positio assignat pro ratione quare in animalibus est materia, quia si non haberet materiam, nec agere, nec pati possent, nec recipere, nec essent de integritate vniuersi, quia ad alias partes mundi nullam haberent inclinationem: ergo intellectiua, inquantum intellectiua, cùm sit pars quædam animæ rationalis, ac per hoc simplex, quamuis sit vnita spirituali, vt tamen distincta contra vegetatiuam, & sensitiuam, & suam spiritualem materiam, simplex est; ergo si habet inclinationem, necessariò vel est forma, vel materia: non materia; ergo forma.

Item, nihil habet rationem inhærentis propriè, nisi forma, vel substantialis, vel accidentalis: ergo si intellectiua non est forma, non habet rationem inhærentis per se; ergo ita habet perfectum modum existendi separatim sicut vnita; ergo etiam perfectum modum intelligendi; quod est contra Augustinum 12. *super Genesim in fine; cap.* 35. vbi loquens de anima ostendit, quòd inquantum intellectiua, habet modum essendi imperfectum. 40.
Inest, inquit, ei quidam naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. Certum est autem, quòd pergat per intellectum; ergo inquantum intellectiua habet naturam inhærentis; per consequens formæ.

Si dicas, quòd oculi & manus sunt partes consubstantiales hominis, & naturæ esse in corpore; tamen separatę non existunt perfectè, nec habent operationes suas. Patet, quòd nullum est simile; primò, quia oculus separatus à corpore priuatur forma, quæ dabat ei esse est operari; anima autem separata eandem vim, scilicet, intellectiuam, sibi habet vnitam, quia habet omne illud, quod ipsa habebat in corpore. Videmus etiam quòd pars ignis *Obiectio.* *Solutio.*

ignis separata à toto, quia habet formam sibi vnitam, & verè est ignis, & verè facit operationem ignis.

41. Item, mundus & partes eius appetunt naturaliter vnitatem & ligamentum, salua distinctione partium, quantò maiorem possunt; sicut membra hominis & rami arboris virtute naturæ colligantur, quantò natura plus potest colligere, salua distinctione membrorum & ramorum: fit autem illud ligamentum secundùm gradus essentiarum, inquantum summa infimorum coniunguntur cum infimis supremorum, secundùm Dionysium cap. 7. de diuinis nominibus: *Scientia*, inquit, *Dei omnium est factiua, & semper concordans omnia, & causa indissolubilis concordationis & ordinationis omnium, finésque primorum coniungit principiis secundorum, & vnam conspiratiuam & harmonicam vniuersitatis pulcherrimam efficit.* Certum est autem quòd secundùm quòd partes vniuersi sunt perfectiores, principaliter vniuersum integrantes, secundùm hoc intimiùs & perfectiùs, salua tamen eorum actualitate, & distinctione, colligantur. Nunc autem cùm anima intellectiua sit infima in genere substantiarum spiritualium, necesse est vt ipsa, inquantum intellectiua, liget totam materiam incorruptibilium, & corruptibilium naturæ spiritualium: hæc autem coniunctio non fit in corpore incorruptibili, siue cœlesti; quia ad præsens suppono, cum Sanctis, ea non esse animata; fit ergo in corpore corruptibili. Cùm igitur, vt superiùs ostensum est, maior & perfectior sit vnio & ligamentum, quo res ligatur cum alia, vt forma & pars substantialis, quàm solùm vt pars substantialis, vt suprà ostendi. Nos autem videmus, quòd in aliis gradibus entium tale & tantum est ligamentum, quòd infimum supremo vnitur, non solùm vt talis pars, sed vt forma supremo infimi; sic enim vegetatiuū vt forma coniungitur misto, & sensitiuum vegetatiuo; ergo multò fortiùs intellectiuum vnitur sensitiuo vt forma; sed hoc non fit in anima separata: sunt enim, vt dicit positio, tres naturæ formales vnius suppositi à se in vna spirituali materia: ergo intellectiuum erit forma totius naturæ, vt sensitiuæ etiam, materialiter acceptæ.

Cœlum non est animatū.

42. Nec valet, quòd dicitur, quòd sufficit ad vnitatem vniuersi, quòd intellectiuum vniatur sensitiuo, vt pars consubstantialis; quia ostendi, quòd intellectiuum inquantum intellectiuum, debet alicui inferiori vniri vt forma, quia vnitur per sensitiuum quod est forma, quia anima rationalis coniungit tanquam medium genus creaturæ corporalis & spiritualis, non vt sensitiua, quia sic cadit cum genere corruptibilium; nec sensitiuum inquantum sensitiuum, est infimum supremorum, scilicet, substantiarum spiritualium; immò hoc infimum est intellectiuum hominis, infimum enim est de genere illorum, quorum est infimum.

Confirmatur autem ista ratio per Philosophum 2. *Physicor. text.*21. *& deinceps*, qui dicit quòd cum Physicus consideret formam, quærit vsquequò se extendat consideratio Physici circa formas separatas, vt tamen sunt in materia; intellectiuum enim etsi sit separabile, & per hoc eius consideratio spectet ad Metaphysicam; inquantum tamen est forma materiæ, vt dicit, spectat ad considerationem Physici.

Nec potest dici, quòd intelligat intellectiuum esse formam ratione sensitiui: tum, quia semper Philosophus ista genera animæ inter se distinguit; tum, quia ipse non vult, quòd aliquod sensitiuum sit separabile: dicit tamen Aristoteles 2. *Physic. text. comm.*21. formam separatam, hoc est, separabilem, esse de consideratione Physici, vt est in materia. Non videtur ergo sufficere dictum, quòd intellectiuum vniatur vnitate consubstantiali, & non formali corpori. Et hoc patet, quia Verbum diuinum consubstantialiter potest dici vnitum naturæ humanæ, secundùm quòd dicit positio, ad hoc enim, vt dicit, quòd aliqua sint substantialiter vnita, sufficit quòd consubstantialiter coexistant in aliquo ente; vt supposito inest natura diuina & humana in Christo; *Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.* Nunc autem talis vnio non ponit depẽdentiam vnius ad alterum extremum, nec relationem realem essentialem; quia nō est ibi vnio per modum formæ: & talis vnio quantumcumque intima, & ordinata, & fortis, necessariò est accidentalis, non enim est de essentia personæ diuinæ vt vniatur naturæ humanæ, ergo si intellectiuum non vnitur corpori vt forma, nec corpus inclinatur essentialiter ad intellectiuum, nec ècontrario.

Vnio hypostatica substantialis nō formalis.

Patet etiam quòd hæc vnio non est *intima, & fortis* *, quia quamuis intellectiuum secundùm istum modum corpori vniatur substantialiter, & intimè, inquantum ly *intimè* excludit medium distantiæ, non tamen est intima, sicut vnio sensitiui ad corpus, si ly *intimum* dicat perfectionem vnionis. Ostendi * enim, quòd perfectiùs vnitur, quod vnitur in ratione formæ, & partis consubstantialis simul, quàm quod in ratione partis consubstantialis solùm. Ac per hoc patet, quòd non est ita fortis vnio intellectiuæ ad corpus, sicut sensitiuæ. Nec fiat instantia de Christo, in quo vtraque natura vnitur substantialiter, & non formaliter, & tamen est maior, & intimior, & perfectior vnio, quàm formæ ad materiam; quia non habent hoc extrema de ratione sua, secundùm quem modum hîc inquirimus de vnione; sed habent hoc sola voluntate diuina. 43.

* vide suprà num.23.

* suprà n. 27.

Vnio hypostatica perfectissima.

Quod additur, quòd est *vnio ordinatissima* *, quia corpus vnitur intellectiuo, sicut sensitiuum eidem vnitur; sensitiuum autem vnitur intellectiuo, sicut posterius priori: tum, quia non posset habere proprietatem, nisi quia vnitur intellectiuo, cui proprietas per se & primò debetur: tum, quia sensitiuum non radicatur in materia spirituali, nisi per intellectum. Iste ordo non videtur congruus quantum ad primum membrum; non enim intellectiuum habet incorruptibilitatem, quia intellectiuum, aut quia spirituale; alioquin corpus cœli non esset incorruptibile: illud autem est incorruptibile, quia non habet contrarium; nec sua materia, (vt ostensum fuit in præcedenti quæstione *) est subiecta actioni alicuius agentis naturalis. Ita dico, quòd sensitiuum, quod est à creante, non habet incorruptibilitatem, quia est vnitum intellectiuo, sed potiùs, quia non est eductum de potentia materiæ, nec habet contrarium, nec sua materia spiritualis, est alicuius entis creati transmutabile subiectum.

* vide n.24.

* num.32 & 36.

Quantum ad secundum membrum, non videtur etiam ordo congruus, quia in omnibus ordinatis hoc videmus quòd ea quæ de ratione sua sunt minoris perfectionis, priùs introducuntur. Propter quod dicit Commentator 1. *Physicorum comm.*81. quòd materia induitur formis, quæ sunt minoris 44.

minoris perfectionis: ita enim videmus materiam & artem in omnibus suis operibus procedere. Cùm igitur vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum radicentur in vna materia spirituali, necesse est priùs, vt saltem secundùm intellectum & ordinem naturæ, intelligatur in illa materia sensitiuum, quàm intellectiuum.

Nec valet instantia, quòd tunc inuenitur aliquod ens spirituale, quod solùm est sensitiuum, vel quòd esset aliqua anima sensitiua à corpore separabilis, aut separata. Primò quidem, quia ex ipsa ratione eorum, idem sequitur inconueniens, si enim intellectiuum primò radicatur in illa materia spiritali, quàm sensitiuum, (& loquor de intellectiuo, & sensitiuo humano,) ergo inuenitur aliquod intellectiuum humanum absque sensitiuo: illud autem necessariò est perfectio hominis; ergo aut ille homo, cuius tale intellectiuum est perfectio, est intellectualis, & nullo modo sensibilis; quod est impossibile de intellectiuo humano; quia sicut trigonum * in tetragono, sic sensitiuum in intellectiuo; aut in illo homine erit sensitiuum à generatione, & sic non erit consubstantiale intellectui, vt per ipsum possit esse pars consubstantialis hominis; aut erit sensitiuum seorsim à creatione, & tunc sequitur idem, quòd nõ erunt consubstantialia, nec per cõsequens illud intellectiuum erit corpori vnitum. Puto etiam quòd non omnes negarent, quin Deus posset facere animam sensibilem, non intellectiuam, perfectionem corporis habentem eum aptitudine ad subsistentiam & separationem, nec propriè esset intellectiua.

* Vide Aristotelem 2. de Anima, text. 3.

45. Item, ponamus, quòd lux & calor in radio essent consubstantialia, & naturæ formales, vt tu dicis de vegetatiuo & sensitiuo in rationali anima; ego video, quòd si huiusmodi radius transeat, vel existat in aliquo corpore, cuius lux possit esse forma, & nõ caliditas, vtpote in corpore cœli; aut calor illi corpori substantialiter nõ vnitur, quantumcunque sit consubstantialis luci; aut si vnitur, quia non est eius forma, nec actus, nec denominationem, nec operationem suam illi cõmunicabit; non enim cœlum est calidum, nec habet operationem calidi formaliter: ergo à simili nec intellectiuum hominẽ denominat, nec operationem suam illi communicat, si eius forma esse non potest.

Item, in quocunque genere est reperire magis & minùs, ibi est reperire simpliciter tale; sed in genere formarum est reperire formas, quæ sunt principium cognitionis secundùm magis & minùs, nam aliqua animalia habent alios sensus, & non omnes, aliqua omnes: ergo est dare formam, quæ sit principium cognitionis simpliciter acceptæ, & totaliter completæ; talis autem cognitio non est nisi intellectiua; ergo necessariò intellectiua erit in linea formarum.

Item, per eandem propositionem: In quocunque genere est magis & minùs perfectum, est dare simpliciter perfectum illius generis, & consummatum; sed in linea formarum est dare formas, quæ sunt principium appetendi secundùm magis perfectum & imperfectum; ergo & formam, quæ erit principium perfecti appetitus: nam aliqua forma est principium appetitus liberi; hæc autem non potest esse nisi intellectiua; ergo est forma.

46. Ad soluendum autem motiuum huius positionis, quòd non est nisi vnum, vel si sint multa, ad illud vnum reducuntur; scilicet quòd omnis forma communicat materiæ suæ actualitatem, & actum essendi, & operationem, sic procedo. Primò ostendo, quòd dicere quòd non est forma, quia non communicat actualitatem suam; & dicere, quòd intimè vnitur, & non communicat actualitatem suæ materiæ, implicat contradictionem. Ad cuius euidentiam est sciendum (sicut aliàs dixi *) quòd nulla forma, substantialis, vel accidẽtalis, inquantum forma, communicat actum, nec primum, nec secundum materiæ, sed inquantum facit vnum secum, & sibi vnitur; quia non vnitur forma materiæ, nec accidens subiecto, nisi quia inhærent, ideò nec vnum faciunt, nec actualitatem communicant, nisi per actualitatem inhæreant. Si autem intelligatur per impossibile, quòd accidens vnum faciat cum subiecto, & forma cum materia, & tamen non inhæreant: ita actus suos communicant, siue dum inhærent, siue dum sunt formæ: & hoc euidenter patet in Christo, vbi diuinitas non inhæret, nec est forma humanitatis, & tamen propter vnionem substantialem cum humanitate, ei communicat suam actualitatem, suum actum essendi, suam operationem, multò meliùs, & fortiùs, quàm aliqua forma suæ materiæ. Vidésne ad oculum quòd vnio est causa communicationis, non autem inhærentia formalis; nam quantumcunque aliqua inhærent, si tamen non facerent vnum, dato quòd non inhæreant, non communicant completè: ergo clarius luce est, quòd dicere, quòd intellectiua non communicat actus suos corpori, quia non est forma; & dicere quòd est vnum secum vnione intima, & substantiali, cùm ad talem vnionem sequatur communicatio, est dicere quòd communicat, & non communicat: ergo, &c. Secundò accipit nihilominus falsum dicta positio, cùm communicationem attribuat formæ, quia forma, non quia facit vnum; cuius contrarium ostensum est esse verum.

Intimè vniri formam, & non communicare actualitatem repugnat.

* suprà n. 6. & seqq.

47. Secundò dico, quòd ex ista positione sequantur inconuenientia, cùm dicit vitare, dicendo, quòd intellectiua non sit forma: quod patet primò accipiendo illud, quod dicit, sensitiuam esse formam corporis; si enim omnis forma communicat actu actualitatem suam, & operationem materiæ; ergo cùm sensitiua sit indiuisibilis, simplex, immortalis, sequitur quòd corpus humanum sit simplex, indiuisibile, & immortale, & incorruptibile, quod tamen est falsum. Aut ergo, sicut arguis ex parte intellectiuæ, sensitiua non est forma corporis, aut si est, prædicta communicabit.

Ex prima opinione sequuntur inconuenientia.

Item, sicut ostendi, communicatio fit propter vnionem, & non propter inhærentiam formæ; ergo si vnitur, & intimè, vt dicis, quamuis non sit forma corporis, omnia illa cõmunicabit corpori.

Item, ex parte spiritualis materiæ sequuntur aliqua magna inconuenientia; nam si intellectiua non vniatur materiæ sensibili, vt forma, sola materia spiritualis erit libera, intelligens, & volens.

Nec valet, si dicas, quòd materia spiritualis per suam nobilitatem ad tales actus altos attingeret, quia in materia est duplex genus nobilitatis; vnum in genere entis, vtpote quia spiritualis, & non corporalis: & secundùm hanc non potest ad tales actus pertingere, quod expresſè patet in materia cœli, quia non est in potentia ad formam vitæ, ad quam est in potentia materia mistorum. Sicut enim ait Damascenus 2. lib. Orthodoxæ fidei cap. 6. *Nullus in eam opinionem veniat, vt cœlos, aut sidera animata esse existimet; anima quippe, ac sensu carent.* Forma autem, quæ est principium vitæ, nobilior est omni alia, quæ non est principium vitæ.

Duplex nobilitas materia.

vitæ. Aliud est genus nobilitatis per aspectum ad receptionem formarum; & secundùm hoc materia, quæ est ignobilior, secundùm primum modum, est nobilior, secundùm istum modum, & per consequens actus nobiliores ei communicari possunt, & in isto modo materia corruptibilis in corpore humano est altissima, & nobilissima, & dignissima, & ad actus altissimos, vt est in composito, apta. Et hoc est, quod dicit Auicenna 6. Naturalium, parte quarta, cap. 5. *Complexio quo* (inquit) *magis accesserit ad medium complexionatum, aptius fiet ad recipiendum augmentum perfectioris vitæ: cùm verò temperatissimum fuerit, ita vt contraria æqualia sint in eo, & æqualiter operentur: coaptabitur perfectioni vitæ rationabilis.*

49. Ad oculum vides, quòd deceptus es per æquiuocationem de materia, quia vt receptibilis formæ non est, nec dicitur nobilior nobilitate primo modo accepta, sed secundo modo; & certè isto modo nobilissima est materia corpus humanum, & plus longè quàm materia spiritualis animæ, sicut ipsa tota rationalis anima composita ex materia, & forma, cuius susceptibile est corpus humanum, nobilior est parte sua formali, cuius susceptibile est materia spiritualis. Et hoc multùm valet ad soluendum multas deductiones factas in prædicta positione, specialiter illas, quæ probant, quòd intellectus, vt vnitus corpori, non intelligeret, nec super se se reflecteret, nec libertatem haberet; minùs enim hoc impedit tam nobilis materia, vt est corpus humanum, quàm materia spiritualis. Et hoc dico *per se*, quia homo beatus magis est intellectiuus, & liber, non obstante vnione talis materiæ corporalis, quàm anima separata, cum sua materia spirituali; per accidens tamen, scilicet propter corruptionem peccati, potest impedire.

SCHOLIVM.

Controuersum est inter Theologos, an beatitudo in singulis Beatis post resurrectionem, & reunionem corporum futura sit maior non solùm extensiuè, quatenus tunc extendetur ad corpus; sed etiam intensiuè, quia maiori conatu elicietur actus beatificus, & anima circa diuinam essentiam perfectius erit operatura. Cùm affirmantibus sentit hîc Scotus, quibus expressè fauet Augustinus: sequuntur Magister in 4. dist. 49. cap. vltimo; vbi S. Thomas, & S. Bonauentura, & his accedunt Marsilius, & Henricus. Illorum probat latissimè, & sequitur sententiam Ægidius Lusitanus in appendice tomi 3. de Beatitudine, quæst. 2. refértque vtriusque opinionis asserentis, & negantis authores, & fundamenta. Tres in hac materia sententias enumerat Vasquez, tom. 1. in 1. 2. disp. 29. cap. 4. vbi etiam pro affirmatiua citat vltra Augustinum, Haimonem, & Bernardum. Vide ipsum Scotum, hîc num. 49. & 94. Quod verò hîc attingit Doctor, in hoc scilicet statu viæ impediri liberam operationem intellectus propter corruptionem peccati, res est etiam controuersa. Ipse in 1. dist. 3. quæst. 3. §. Si quæritur, quæ est ratio: *& in 2. dist. 11. quæst. 1. §.* Ad secundum: *existimat dependentiam, & colligationem intellectus cum phantasmate pœnam esse peccati originalis, vt propterea intelligendo demissa sit anima, & inflexa ad corpus; vel secundò ex ordine naturali potentiarum, vel tertiò ex infirmitate; & hoc vltimum probat ex Augustino 15. de Trinit. cap. 27. Plurimi hoc attribuunt naturali subordinationi intellectus ad phantasmata pro statu viæ, etiamsi non fuisset peccatum. De quo vide ipsum Scotum locis citatis, & præcipuè in 2. dist. 3. quæst. 8. §.* Sed quod est istud impedimentum. *Conimbricen. lib. 3. de Anima, cap. 8. quæst. 8. art. 2. & citatum Ægidium lib. 4. de Facultatibus corporis gloriosi, quæst. 12. art. 5.*

Item, ad propositum patet, quòd comparando negatiuum, & sensitiuum ad suam materiam spiritualem, sequuntur æquè magna inconuenientia, immò maiora; in materia enim forma suum actum communicat; ergo materia spiritualis, & nutrit, & augmentat, & generat, de quibus constat, quòd non possunt conuenire materiæ spirituali. Sequitur etiam quòd habeat vsum potentiarum sensitiuarum, quod est falsum. Quod patet primò per Philosophum dicentem, quòd sunt actus per organa, sicut patet in principio de Somno & Vigilia *; & habitum est suprà *. Secundò, quòd vsus potentiæ sensitiuæ non est, nisi respectu sensibilis, & per speciem sensibilem; talis autem materia non recipitur, nisi in corpore, cùm corporale non gignat omnino spirituale. Tertiò, quia cùm actio sit à potentia, est secundùm modum potentiæ; sed intellectiua habet latiorem aspectum, quàm sensitiua, vt patet ex obiectis earum; ergo operatio sensitiuæ est magis contracta & determinata, ergo cùm potentia intellectiua propter tantam abstractionem non fiat per organum, sensitiua fiet per organa, quæ in materia spirituali esse non possunt. 50.

* cap. 1.
* num 17.

Item, quæcunque vniuocè dicuntur, similem modum habent operando, etiamsi vnum causetur, & aliud generetur; sicut ignis generatus, & ignis, si à Deo de nouo crearetur: sed impossibile est quòd vsus alicuius sensitiuæ bruti sit sine organo; ergo nec vsus sensitiuæ hominis, nam vniuocè sunt animal.

Tertiò ostendo, quòd illa ratio concludat oppositum, scilicet, quòd intellectus est forma hominis, & quòd eius actus non sint communicabiles corpori illo modo, quo actus sensitiui: immò quòd si possit dici, corpus etiam sentit & viuit, quia est eius forma; & è contrario dicit de intellectiua, vel saltem illud non debet dici. 51.

In formis inuenitur ordo.

Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd aliqualis est ordo in formis omnibus, quia sicut formæ quantò sunt imperfectiores, & materiæ propinquiores, tantò suas operationes habent magis infirmas, quia materia quasi trahit formam ad suam fidem, & fines, & forma quasi trahit materiam ad suum modum, & quantò perfectiores, & à materia corporali remotiores sunt formæ, tantò operationes perfectiores habent, & minùs immersas materiæ. Verbi gratiâ, formæ elementares, quæ sunt materiæ propinquæ, huius sunt conditionis, quæ virtutem habent, quasi totam materialem, & materiæ vniuersam, ita vt nihil moueant, nisi per qualitates accidentales; sic etiam sunt materiales, & incompletæ, vt etiam totum & partem denominent æqualiter, & cum eis extendantur, & contrahantur, nec vllam partem in suis operibus determinent sibi, quælibet enim pars ignis est ignis; & forma ignis extenditur ad calefaciendum, vel extendendum opus ignis, nec aliquam partem signatam in materia sua sibi determinat.

Si autem accedamus ad formam misti, quæ est super formam elementi, videmus eam quantò nobilior est, tantò in suis operationibus à materia denudari, & supra materiam exaltari, vt sic iam sit principium noui motus, sicut magis elongatur 52.

gatur à materia; vt herbæ & lapides restringunt sanguinem, rheubarbarum purgat choleram, & iaspis restringit sanguinem; & sic de similibus: quæ quidem actiones etsi sint compositi, sunt tamen à forma, & per formam, & elongatæ à materia tantò altiùs super formam elementorum, quantò forma misti nobilior est, & actualiter forma elementorum. Forma autem super formam misti, est forma vegetatiuorum, quæ tantùm appropinquat ad actum, & eleuatur supra materiam: vt (si liceat dicere) iam quòd quendam gradum incipiat habere quasi libertatis interminatæ, & dominatiuæ, suam materiam dilatando, augendo, nutriendo. Vidésne in hoc gradu entium iam quasi libertatis surgentis exordium? Sed supra istam adhuc est sensitiua multò magis, & per gradus immediatos à materia se elongans, quæ iam ampliorem gradum sortita cuiusdam libertatis, magis dominatiuè mouet. Et ita non solùm motum in exteriori, sed interiori ad omnem differentiam positionis, vt ponit Philosophus 8. *Physic. text.* 29. dicens, quòd elementa ad certam differentiam positionis mouentur; moueri autem ex se ad omnem differentiam positionis, & posse stare citra terminum, animalis, & animatorum, est proprium indubitanter. Similiter superiores formæ quantò magis à materia elongantur, eò paucioribus modis esse denominant, cùm tamen quælibet sit forma, quia certum est, quòd quælibet pars ignis est ignis, & calefacit; & quælibet pars animalis sentit, non tamen est animal; & sic de omnibus formis, tam perfectis, quàm imperfectis, quàm supremis, quàm infimis; quàm mediocribus; omnibus, dico, conuenit ratio formæ. Vnde quantò superiores, & nobiliores sūt formę, tātò magis à materia in suis operationibus elongātur, & minùs denominant eam.

53. Ex isto ergo patenti ordine colligitur, quòd tua ratio concludat oppositum, & non propositum, sicut patet ad oculum: quia videlicet dato quòd intellectiua sit forma, & sensitiua, non sequitur, si corpus sentit, quòd corpus intelligat, sed è contrario, scilicet, quòd illa sensitiua informat tot modis, & communicat actum suum materiæ, & quòd intellectiua non tot modis se communicat. Hic etiam ordo formarum, qui est sensibilis, destruit maiorem partem rationum huius positionis; nam si in genere formarum videmus inchoari cognitionem secūdùm magis & minùs, vt in genere animalium: & in formis videmus etiam appetitum secundùm magis, & minùs; & videmus quasi inchoari libertatem in modo agēdi, & tantò ampliori gradu libertatem participari, quantò pluribus modis mouent, necesse est quòd in genere formarum, sit forma, in qua sit cognitio consummata, quæ non est nisi intellectiua, quia se extendit ad omnem differentiam cognoscibilium, necesse est quòd in genere formarum sit appetitus, in quo sit ratio appetendi consummata, secundùm quòd potest esse in forma vnita, quod non est, nisi sit libera; & necesse est quòd sit forma, quæ sit principium motus omnino liberi, qui non potest esse nisi intellectiua.

His igitur tribus visis de fundamento, siue ratione dictæ positionis, oportet videre quid est dicendum, & in quo sensu verificatur; *Forma communicat materiæ suam actualitatem, & suum actum essendi, & suam operationem.* Circa quod est sciendum, quòd secundùm Philosophum circa principium 2. *de Anima, text.* 5. duplex est actus à forma, & in eo cuius est forma, scilicet primus & secundus; quos actus omnis forma, tam substantialis, quàm accidentalis, communicat suæ materiæ, & toti composito. Est autem aduertēdum, quòd difformiter communicat istos actus forma substantialis, secundùm quòd est in diuersis gradibus, vel vt secundùm quòd est magis, & minùs perfecta, vt iam dicam. Eadem forma substantialis aliter communicat actum primum & secundum, quia impossibile est formam esse in materia, quin communicet actum primū: non tamen semper oportet de secundo, non enim animal semper sentit, vtpote dum dormit; & hoc patet ex 2. *de Anima* *. *text. 53.

54. Videndum est ergo quomodo formæ substantiales differenter communicant materiæ actum primum. Circa quod est sciendum, quòd cùm sensitiuum in homine sit forma corporis (vt omnes concedunt) & etiam intellectiuum, vt est ostensum; cùm propria forma correlatiuè respiciat suā materiam, si materia eadem sit à diuersis formis perfectibilis, vt corpus humanum à sensitiuo, & intellectiuo, necesse est ad hoc vt habeatur appropriatio formæ ad materiam completa, quòd sub alio modo perficiatur à sensitiuo, & sub alio ab intellectiuo, vt intellectiuum est. Item vide ibid. text. 5.

SCHOLIVM.

Quid nomine corporis organici *intellexerit Aristoteles in prima definitione Animæ, quam tradidit, non concordant Authores. Varias sententias refert Suarez lib. 1. de Substantia animæ cap. 2. Hic Scotus docet animam intellectiuam formam esse corporis organici, non prout organicum est, seu vt habet organa distincta, quæ virtutibus sensitiuis correspondent; sed prout est totum integrale ex suis partibus constitutum absque eo quòd in ratione partium organicarum distinctè considerentur; sub qua consideratione, & perfecto temperamento organorum priùs natura censentur ab anima sensitiua informari: seu, prout alij clarius explicant, per distinctionem organi initiatiuè, vel dispositiuè, & organi completè, & perfectè; ita vt anima dicatur actus corporis quod organicum est initiatiuè, non verò completè. Vide Compluten. disp. 2. de Quiditate animæ, q. 3. §. 2. n. 27.*

Propter quod in corpore humano duplex est compositio; vna corporis inquantum corpus est substantia mista, complexionata in altissimo, & temperatissimo gradu mistionis, & complexionis, secundùm authoritatem Auicennę superiùs * allegatam; non includendo in hac compositione distinctionem alicuius organi, appropriati alicui virtuti sensitiuæ. Et isto modo intellectiuum, inquantū intellectiuum, est forma totius corporis, & omnium partium eius, vt vnum perfectibile constituunt: dico *partium*, vt sunt totum illud mistum sic complexionatum integrantes, nō vt sunt partes organicæ, virtutibus sensitiuis correspondentes. Et in isto gradu altissimo, & perfectissimo, est corpus dispositum ad receptionem animæ rationalis: quem quidem altissimum, & perfectissimum gradum non consummat natura, nisi priùs factis organis virtutum sensitiuarum; *prius*, dico, naturâ, sed simul tempore. Alia verò compositio est in eo corporis, vt est habens proportiones cōpetentes organis, vt sunt susceptiua specierum sensibilium; quæ dispositio consistit in debita quantitate, & qualitate, & temperamento qualitatum miscibilium, secundùm quas fit media ratio, & proportio ad suscipiendum in se species sensibilium; & corporis sic accepti sensitiuum, vt sensitiuum est forma. 55. *Duplex compositio in corpore humano.* * num. 48.

Aduerten

56. Aduertendum etiam hîc cum diligentia est, quòd anima humana, quæ de se est vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; si consideretur vt dans esse substantiale, nec vt sensitiua, nec vt intellectiua est forma corporis, vt organici, sed solùm vt est corpus mistum, & complexionatum in tali gradu, quamuis alium gradum mistionis, & complexionis appropriatè respiciat intellectiua, quàm sensitiua. Sed quia, vt dixi, omnis forma tam substantialis, quàm accidentalis communicat actum primum, & secundum, non præcisè loquendo, quia forma, sed quia vnum facit cum materia, vel subiecto, vt ostendi; ideò omnis forma est principium essendi, & operandi. Nunc autem, vt dicitur, intellectiua non est forma corporis organici, vt organicum, nec vt est dans actum primum, nec vt dans actum secundum, hoc est, nec vt est principium essendi, nec vt est principium operandi: sensitiua autem quamuis non sit propriè forma, & perfectè corporis organici, vt est principium essendi, est tamen eius perfectio inquantum organicum est, inquantum est principium operandi: & quia non potest materiæ vniri aliqua forma vt est principium essendi, quin apta nata sit de se dare ei principium operandi, siue operationem aliquam; ideò nec sensitiuum vnitur corpori, nisi organico.

Nec debet instari; igitur intellectiuum, saltem ordine naturæ, primò vnitur corpori, quàm sensitiuũ, quia, vt dixi, gradus ille mistionis altissimus, de quo loquitur Auicenna, vt dixi suprà, nunquam plenè est digestus, nec ad æqualitatẽ redactus, nisi priùs cessante omni motu generatiuæ, quia est finis extrinsecus ex parte corporis totius compositionis, & operationis naturæ in semine humano; sicut etiam dicit prædicta positio, quòd propter hoc nobilius est quocumque sensitiuo in semine bruti producto. Vnde quia est illud, quod immediatè ordinatur ad susceptionem intellectiui, necessariò secundùm ordinem naturæ habet vniuersalitatem, respectu omnis dispositionis sensitiuæ, vt dat esse, siue vt dat operationem, & ideò cadit prædicta positio. Ex prædictis patet, quòd intellectiua forma aliter communicat actualitatem suam corpori, hoc est, sub sua ratione perfectibili respicit corpus, vt dat actum primum, quàm sensitiua.

57. Viso quomodo formæ substantiales, vt sunt diuersorũ graduum, communicãt vario modo etiam eidem materiæ actum primũ; iam ex hoc per immediata procedendo apparet, quomodo aliter cõmunicant actus secundos; & ex hac pertractatione apparebit solutio omnium rationum prædictæ positionis, quia, vt apertè patet, in omnibus rationibus supponit, quòd omnis forma æqualiter communicat actum primum, & secundum materiæ, alioquin non concluderent: ergo sicut verum est, quòd corpus sentit, ita verum est, quòd intelligit, si intellectiuum sit forma: & tantùm hic est modus arguendi ferè in omnibus rationibus.

In actu intelligendi, & sentiendi sunt quod, & quo.

Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd in actu intelligendi, & sentiendi est duo considerare, scilicet, quod intelligit, & sentit, & quo intelligit, & quo sentit. Quod autem intelligit, & quod sentit, est totus homo, vel totum animal; & loquor de intelligente secundùm quòd anima est in corpore: nec differt quantùm ad hoc intelligere, & sentire, quin sit totius coniuncti; vt patet primo de Anima,* vbi expressè dicitur, quòd intelligentia est totius coniuncti, sicut sentire.

* text. 89.

Ideò circa illud, quod intelligit, non distinguo; quia quamuis sit magna differentia, vt patebit, verum est tamen quòd totus homo intelligit, & totus homo sentit. Quo autem intelligit, & quo sentit tanquam principio remoto, est ipsa substantia animæ in se considerata: nam sicut forma dat actum essendi, vt est substantia, & vt consideratur per respectum ad intra, sic est principium operandi per respectum ad extra. Quo sentit tanquam principio propinquo, est ipsa anima, vt est potens operari, siue vt habet rationem potentiæ. Si tamen est idem, quod sua potentia, siue ipsa potentia animæ radicata, & fluens sit à substantia animæ, nec adhuc ipsa potentia sensitiua est radicata in substantia animæ, vel vt fluens ab ipsa, inquantum talis, est illud à quo sentimus immediatè; quia tale oportet, quòd sit per se eliciens actionem. Sensitiua autem potentia non per se sentit, sicut dicitur in principio de Somno, & Vigilia, quòd sentire est per corpus; ergo ipsa potentia sensitiua, vt fluens ab anima, vel vt est ipsa anima, habens tamen modum potentiæ, & vlteriùs, vt fluens in organum corporale, faciens vnum secum, vt mouens cum mobili, vt artifex cum instrumento naturaliter coniuncto, secundùm hoc habet rationem propinquæ potentiæ, & immediatè; & est illud, quo sentimus immediatè; vt iam non sit verum, quòd potentia visiua videat, vt se tenet ex parte animæ, sed totum coniunctum ex potentia illa, & organo, sit illud, quo videamus, iuxta illud, quod dicit Philosophus 2. *de Anima, text.9. Si oculus esset animal, visus esset eius anima.*

Potentia sensitiua non per se sentit.

58. Illud autem, quo intelligimus, etiam est duplex, scilicet remotũ, illud est substantia animæ intellectiuæ, & propinquum, & immediatum, & hæc est potentia intellectiua, præcisè fundata in essentia animæ, manet in ipsa, non vt fluens in materiã aliquam corporalem, nec in organum. Et iam apparet differentia, quare potentia sensitiua non est immediatum principium eliciendi actum sentiendi, vt habet fundari in essentia animæ, donec fluat, & vniatur organo corporali. Potentia autem intellectiua de se non radicata in organo corporali, nec vt fluens, vel vnita materiæ est principium immediatum intelligendi.

Id quo intelligimus est duplex.

Licèt ergo non sit differentia in his duabus potentiis ex parte eius, quod sentit, & intelligit, quia actus videndi, & sentiendi, quem elicit oculus motus ab obiecto viso, vt albo, verbi gratiâ, fundatur in essentia animæ, non præcisè, sed in radice, & principio primo, atque remoto; sed vt est actus, & forma organi corporalis determinati, & complexionati secundùm determinationem sensibilis, secundùm quòd determinat Aristoteles *: quòd organum est media proportio sensibilium. Actum autem intellectus, scilicet intelligere, elicit potentia intellectiua, non vt fluens in organum, sed vt præcisè radicata in anima, vel vt est idem, quod anima absque respectu ad organum corporale.

* 2. de Anima, text. 9.

59. Ex quo apparet, quòd aliter est anima actus corporis per substantiam, aliter per potentiam; quia per substantiam inquantum est compositum substantiale, mistum, complexionatum in tali gradu simpliciter. Per potentiam verò sensitiuam, inquantum vltra prædicta est quid organizatum, & media proportio sensibilium. Per potentiam verò intellectiuam nullo modo vt organizatum, nec vt complexionatum. Vnde

Anima est aliter actus corporis per substantiam, aliter per potentiam.

actum intelligendi elicit totus homo motus ab obiecto per potentiam intellectiuam, vt ex illo, quod fundatur præcisè in animæ essentia, & in remoto principio absque fluxu, vel vnione ad aliquam materiam corporalem, siue organicam; actum verò sentiendi elicit per potentiam sensitiuam, non solùm vt radicatam in anima, sed vt fluit, & vnitur organo corporali.

Ex hoc apparet, quòd quia operatio, & obiectum, vt statim dicetur, sumunt rationem, & mensuram à principio propinquo, quo elicitur operatio; ideò sicut potentia intellectiua non est alligata organo, nec materiæ corporali, eius obiectum non est contractum, sed est vniuersale, vel particulare, & omne ens absque determinatione. Quia verò sensitiua, vt est principium operandi, includit in se organum corporale, vt dictum est, quia obiectum, & operatio tali propinquo principio & immediato proportionatur; ideò eius obiectum est portio quædam entis, & operatio coniuncta.

60. *Homo totus intelligit.* Ex his iam patet, quòd illud, quod intelligit, & quod sentit in homine, est totus homo; illud quod intelligit vt principio remoto, substantia animæ intellectiuæ quo vt principio propinquo, & immediato, potentia intellectiua, vt est in anima radicata, non vt fluens, vel coniuncta organo. Quod verò sentit totus homo, quo sentit, vt principio remoto, substantia animæ, vt propinquo, est potentia animæ, siue anima, sub ratione potentiæ; quo verò sentit, vt principio propinquo, & immediato, est ipsa potentia, vt vnita organo corporali; ita quòd quo videmus immediatè, est oculus, vt dicit quid compositum ex virtute visiua, & organo: propter quod dicitur 2. *de Anima*, *text.* 9. quòd *Si oculus esset animal*, *visus esset anima*. Surgit autem hæc differentia potentiarum ex differentia substantiarum, intellectiuæ scilicet, & sensitiuæ, quia, vt dixi, aliter, & aliter se habent quantum ad actum primum ad corpus humanum.

Ex hoc apparet quòd tam intellectiua, quàm sensitiua aliter est actus corporis organici Physici per suam substantiam, aliter per suam potentiam; quia tam intellectiua, quàm sensitiua per suam substantiam est actus eius, inquantum est compositum substantiale simpliciter, in tali gradu mistionis, & complexionis, secundùm modũ prædictum; per suam verò potentiam, siue vt est principium operandi, intellectiua non corporis quocumque modo accepti, non organici, necnon organici, est actus, siue perfectio. Sensitiua verò per suam potentiam, vt est principium operandi est perfectio secundùm modum operandi, & secundùm rationem organi corporis organici, & vt organicũ est, & vt organizatum est. Vt iam ex prædictis appareat, quòd pars intellectiua, vt est de genere substantiæ, est forma, & actus materiæ, ipsa verò vt potentia, siue vt pars (sic loquor, quia nondum quæsitum est, vtrùm potẽtia animæ, sit idem quod substantia?) Talis, dico, potentia habet esse in materia; quia illud, cuius est potentia, siue cum quo idem est, est in materia, & forma materiæ: & per consequens ipsa potentia intellectiua aliquo modo est in materia. Sed statim dicam aliqua secundùm istum modum, quo forma est in materia, vel perfectio materiæ.

61. *Obiectio.* Si fortè instes, quòd tunc potentia, & operatio erit magis abstracta, quàm substantia, eo quòd intellectiuam pono formam corporis, potentiam verò intellectiuam nullius corporis, aut organi.

Respondeo; & erit declaratio prædictorum. *Solutio.* Est igitur aduertendum, quòd cùm dicitur, quòd potentia non est magis separata, quàm substantia, nec operatio; quia secundùm quòd alia magis, & minùs dicunt conuenientiam, & differentiam respectu totalis separationis, & vnionis ad materiam, verum est: verbi gratiâ; si agens principale quodcumque, quod dicitur compositum, habeat materiam quocumque modo, necesse est vt potentia, qua agit (siue illud agens sit sentiens, siue intelligens) aliquo modo habeat, siue sit in materia: sed non oportet, vt iam dicam, quòd nullo modo habeat, siue sit in materia, sicut agens principale. Cuius ratio est, quia cùm potentia sit illud, quo agens agit, & idem aliquo modo cum ipso, si agens habet materiam corporalem, vel aliam partem sui, necessariò sequitur, quòd illa potentia aliquo modo sit in illa materia (non dico, quòd habeat eam partem sui, sicut agens principale.) ergo si intelligam secundùm prædicta, est totus homo, cuius pars est materia corporalis, necesse est, quòd illud, quo agit, scilicet potentia intellectiua, sit in materia corruptibili; sed non quòd habeat materiam corruptibilem partem sui, sicut homo; non ergo est potentia magis separata, quàm substantia, nec actio quàm substantia, vel potentia, secundùm quòd ly *magis* dicit potentiam totalem separatam à genere materiæ, sed solùm quòd dicit altiorem, & maiorem gradum separationis, siue elongationis ab eadem materia.

Nec ex hoc potest concludi maior nobilitas in potentia, quàm in substantia; quia hoc concludi possibile est ex gradu nobilitatis formæ, non ex se. Est autem hæc nobilitas secundùm quid, nam nobilitas formæ principaliter est in perficiendo respectu subiecti, quod concludit, & dando primum esse: quia primus aspectus formæ est respectu subiecti, & secundus respectu obiecti, vel operationis. Non est autem inconueniens quòd aliquid ignobilius in se habeat aliquam operationem nobiliorem respectu alicuius extrinseci, sicut ponimus de gratia, cuius effectus est Deo animam vnire, & gratam reddere.

Vt autem sciatur, quòd diuersimodè substantia, & potentia à corruptibili materia separatur, sciendum, quòd quatuor modis dicitur aliquid à materia corruptibili separatum. Et dico signanter *materiam corruptibilem*, quia materiam spiritualem in anima rationali posui. Primo modo, quia non habet materiam corruptibilem partem sui, nec est eius per se, vel per accidens perfectio, nec aliquo modo eam in sua actione includit: & isto modo Deus est separatus à materia tam corporali, quàm spirituali, addendo ad hoc omnes exclusiones, quæ longæ essent ad recitandum. Secundo modo, quia non habet materiam corporalem partem sui, nec est perfectio, seu forma materiæ corporalis, nec motor per se, est tamen aliquo modo in materia per aliud. Et isto modo potentia intellectiua sub ratione potentiæ, est separata à materia corporali, quia tota spiritualis est, si est idem, quod substantia animæ, vel in substantia spirituali radicata; nec etiam sub ista ratione potentiæ est perfectio materiæ, quia non est perfectio substantialis, quia in ratione potentiæ 62. *Quatuor modi separationis à materia.*

potentiæ non habet rationem substantialis; nec accidentalis, quia non fluit in organum, vel in materiam corporalem, sicut sensitiua. Est tamen ipsa potentia in materia; quia ipsa substantia animæ, cuius est potentia, vel cum qua est idem, est in materia corruptibili, & forma eius: non tamen est in materia corruptibili, sicut substantia animæ, vt sic. Iam apparet ex hoc, quòd non quantum ad totalem separationem; sed quantùm ad modum separationis respectu eiusdem materiæ, maioris est abstractionis potentia, quàm substantia. Tertio modo dicitur separatum à corruptibili materia, quia non habet eam partem sui, nec est eius perfectio, vt est organica; est tamen in materia, quia est perfectio eius, vt est simpliciter substantia in tali gradu mixtionis, & complexionis, sicut dictum est de substantia intellectiua. Quarto modo, quia non habet materiam corporalem partem sui, est tamen perfectio materiæ corruptibilis, non solùm vt est substantia mista, & complexionata, sed etiam vt organica. Et isto modo potentia sensitiua, vt est principium operandi, est à materia corporali separata. Intellectiua autem, vt dixi, nec vt dans esse, nec vt principium operandi præcisè habet aspectum ad materiam corporalem organicam, vt organica est, secundùm quòd instrumenta virium sensitiuarum.

63. Ex prædictis patet, quòd actus intellectiuæ partis, cuiusmodi sunt *intelligere*, & *velle*, non communicantur corpori; ita vt sint per corpus, siue per organum corporale, sunt tamen coniuncti, & in coniuncto etiam corporis, vt est in composito, sed restricto modo, in tantum, quòd non ipsum denominent, quamuis sint à substantia intellectiua corporis.

Ex prædictis patet, quòd non sequitur, sensitiua est forma corporis, & ideò sentit; ergo si intellectiua est forma corporis, corpus intelliget; imò demonstratiuè sequitur oppositum. Si enim, vt patet, omnis forma secundùm gradum suæ perfectionis, aliter communicat materiæ actum primum, & secundum; & illo modo, quo superior, non communicat inferior: imò ex ordine formarum demonstratiuè sequitur, quòd si inferior tantùm se communicat, quòd illo modo superior non se communicat, apertè sequitur, quòd si intellectiua est vltima formarum, actus consequentes ipsam, inquantum tales, cuiusmodi sunt *intelligere*, & *velle*, & *liberum esse*, non communicantur sic materiæ, quamuis omnino sint coniuncti, sicut dictum est.

Ex prædictis sequitur quòd per actus cōsequentes intellectiuam, inquantū talis est, cùm non sint à potentia vnita, siue fluente in materiam corporalem, vel organicam, non habet quod arctetur ad aliquod genus entis, sed extenditur ad vniuersale, & particulare, & omne genus entis, & potest se reflectere supra se, & potest dominatiuè agere, & liberè se mouere, nulla materia corporali hoc impediente. Quamuis autem, sicut patet, non sequitur si intellectiua est forma corporis, etiam corpus intelligit, sicut sentit, quòd potentia intellectiua inquantum talis, hoc est, inquantum est principium operandi, non est per corpus, nec per organum corporale, quamuis sit in toto corpore, inquantum est in anima, quæ est corporis forma: sensitiua autem potentia non est solùm in corpore, sed in organo, tanquam eius perfectio, vt est principium operandi, vt dictum est, tanquam propinquum, ideò corpus sentit, non autem intelligit.

Ad hoc est sciendum, quòd obiectum, & operatio non determinantur, nec proportionantur agenti, nisi ratione illius, quo agit immediatè. Quamuis autem intelligens, vtpote homo, sit determinatus per materiam corporalem, quæ est pars eius, quamuis quo intelligit, vt principio remoto, scilicet ipsa substantia animæ sit determinata, quia forma materiæ corporalis, quia tamen quo intelligit inquantum tale immediatè, scilicet ipsa potentia, non est corporis, nec organi, vt dixi, ideò sola operatio, & suum obiectum est omnino à materia separatum, & indeterminatum; ideò potest esse subiectum præsens, vel absens, vel vniuersale, vel particulare. Dum autem sentit homo, vel animal, quo sentit, vt principio propinquo, & si non habeat materiam corporalem partem sui, est tamen forma materiæ corporalis, & organi, & operatio limitata: ideò sensus non apprehendit absens, nec vniuersale. 64.

Ex quo vlteriùs patet, quòd quamuis potentia aliquo modo abstracta sit magis à materia, quàm substantia; quamuis semper secundùm aliquem modum in eadem materia sit potentia, in qua est substantia, tamen potentia & operatio, & secundùm rem & modum, æqualiter sunt abstracta, vel coniuncta materiæ.

Nunc restat ista applicare ad rationes in contrarium factas, vt dissoluantur, quamuis per prædicta satis pateant. Cùm enim dicatur primò; Omnis forma communicat, &c. ostendi, quòd hoc est falsum, non enim eo quòd forma non communicat actionem suam materiæ, sed quia facit vnum cum ea, vt ostensum est. Nec hoc intendit, alioquin cùm dicat, quòd perintimè vnitur intellectus corpori, diceret quòd corpus intelligit: sed intendit quòd communicat, quia forma, quod est falsum; suppositum enim diuinum non est forma humanitatis, & tamen communicat sibi omnes actiones. Ostendi eteam, quòd omnis forma actum suum communicat materiæ, saltem vt est in toto, ita quòd omnes actus etiam intelligendi sunt coniuncti; sed si forma imperfectior non communicat materiæ, vt est pars, non dicet, quòd hoc faciat forma superior; imò sequitur oppositum, vt ostendi. 65. *Respondetur ad argumēta p-sita n. 19. suprà n. 53. Ad primum.*

Ad secundum, nulla materia, &c. Concedo maiorem. Ad minorem cùm dicitur, Nulla virtus naturaliter potest dare sufficientem dispositionem ad receptionem, &c. Dico, quòd falsūm est; verè enim sicut totus homo intelligit, & sentit, ita totus homo generat. Vnde non est intelligendum, quòd virtus generantis sit decisa ab homine, vt est animal solùm, imò vt tale animal, scilicet, homo; & ideò est ibi virtus animæ, non solùm vt est sensitiua, sed etiam vt est intellectiua; quia intellectiuum etiam secundùm substantiam, forma est materiæ; & ideò talis virtus humana, non solùm animalis, potest disponere ad receptionem formæ liberæ, & spiritualis; quia etiam à tali forma ipsa deriuata est. *Ad secūdum.*

Ad tertium, Omnis materia, &c. Concedo maiorem. Ad minorem, cùm dicitur: Esse liberum, & intelligibile, & esse immortale, &c. verum est 66. *Ad tertium.*

vt *esse liberum*, & *immortale* sumuntur formaliter, secundùm quem modum sunt in anima. Vt autem sumuntur communicatiuè quantumcumque sint corruptibilia, ea, quibus communicantur, non sunt incorruptibilia; imò corrumpuntur, non in se, sed vt communicata ad corruptionem illorum, quibus communicantur.

Si dicas, quòd anima communicat libertatem, quam habet: verum est, sed non illo modo, quo habet, scilicet formaliter. Quòd etiam *esse liberum*, & *intellectiuum* non communicatur materiæ hominis, vt *sentire*, sed solùm toti coniuncto ostendi.

Ad quartum. Ad illud quod arguitur postea ex parte aspectus vniuersalis. Ad omnes illas rationes patet solutio per prædicta, ostensum est enim quòd illud, quo intelligimus, & volumus, est potentia sic separata ab omni materia corruptibili, & organo, quamuis sit in corpore secundùm aliquem modum essendi; quia scilicet illud cuius est potentia, est in corpore vt forma; non tamen est potentia principium intelligendi, vt vnita in ratione perficientis alicuius materiæ corruptibilis, sicut ostensum est contrarium de sensitiua. Ideò quia, vt suprà patuit, ratio obiecti, & operationis non determinatur, nec proportionatur agenti, vt est agens; quia homo est agens, & habet materiam corruptibilem partem sui, nec ei quo agit, vt remoto principio, cuiusmodi est substantia animæ, quæ est forma, & perfectio materiæ corporalis, sed determinatur, & proportionatur ei, quo immediatè agit; qualε est potentia intellectiua in homine, quæ nulli corporali materiæ tanquam forma, vel motor, est alligata: ideò obiectum eius est ens absque omni determinatione, & eius aspectus respectu rei absentis, est absque spatij commensuratione, & liberè se mouens absque vlla arctatione. Rationes autem illæ procedunt, ac si potentia alicuius substantiæ non esset aliter separata, quàm ipsa, cuius contrarium est ostensum.

67. *Ad quintum.* Quod arguitur, quòd non posset se intelligere, &c. Apertè patet quòd supponit, quòd nulla forma habeat virtutem, seu potentiam operandi, quæ in ratione operantis à materia sit separata; quod est falsum, vt patet: quamuis enim intellectus, vt est substantia, sit forma corporis, potentia tamen intellectiua nullius corporis est forma, quod supponit ratio.

Ad sextum. Quod arguitur, quòd non esset libera: tum, quia, &c. Apertè patet, quòd in omnibus deductionibus supponit, quòd si intellectiua sit forma, quòd potentia intellectiua ab illa materia sit determinata, quod est falsum; quia quamuis potentia per Substantiam, in qua est, vel cum qua idem est, sit aliquo modo in corpore, vt per hoc, & propter hoc dicatur, & verificetur, quòd totus homo intelligit; non tamen est in corpore aliquo, nec est per se, nec per substantiam, in qua radicatur, vt forma perficiens, vel per illud operans, quod tamen oporteret ad hoc, quòd propter materiam esset contracta, vel limitata, vel angustata; & quòd hoc sit verum, concedit positio in simili; quia dicit, quòd quamuis intellectiua sit consubstantialis sensitiuæ, & per illam corpori vniatur, non tamen oportet, quòd illo modo vniatur, quo sensitiua. Similiter ego dico de vnione potentiæ per suam substantiam. Quòd autem talis vnio potentiæ ad corpus per substantiam, quia non vnitur ei, vt perfectio, non impediat eius libertatem, & aspectum, patet, quia duplex est aspectus potentiæ: vnus ad intrà, scilicet ad illud in quo est, & aliud ad extrà, scilicet ad operationem, & obiectum; & ista condiuiduntur. Potentia ergo intellectiua secundùm aspectum ad intrà, est in materia corruptibili determinata, & per formam cuius est; sed secundùm aspectum ad extrà, ad nullam materiam habet aspectum, & secundùm hoc est indeterminata, & illimitata, & libera.

Est autem aduertendum, quòd in istis rationibus, & in omnibus præcedentibus, vbi dicitur, 68.
quòd *nulla virtus materialis*, vel *omnis virtus materialis* negatiuæ sunt veræ, si accipiantur pro principio propinquo, & remoto, quo agens agit; & similiter affirmatiuæ veræ, si accipiantur solùm pro propinquo. Ad illud quod dicit, quod esset mortalis, quia nulla materia, &c. Respondeo, quòd cùm stabilire, & ad aliud inclinari, sint opposita, impossibile est quòd aliquid per illud, per quod ad aliud inclinatur, perfectè stabiliatur; materia autem spiritualis, quæ est pars animæ rationalis, per intellectum inclinatur ad corpus, vt in eo recipiat rationem perfectæ subsistentiæ, & perfecti suppositi, & ideò non potest intelligentia illa materiam spiritualem perfectè stabilire, secundùm quòd dicit Augustinus de anima separata 12. super Genesim, & habitum est suprà. Si autem sit aliquid aliud propter quod intellectiua non inclinat hanc materiam ad aliud, cuius est immortalitas, in illo potest eam stabilire, & per consequens argumentum non concludit.

Vide has rationes, n. 17. & seqq.
Num. 20.
Num. 40.

Quod verò additur, quòd cùm sit forma, communicet actualitatem suam, &c. Iam responsum est, quòd non communicat immortalitatem, sicut nec libertatem formalem, quia non oportet, quòd sit immortalis homo sicut nec quòd eius libertas sit perpetua, quia desinit eius libertas ipso pereunte. Quòd autem non sit vnio consubstantialis, quæ non sit intima, nec ordinata, ostensum est suprà.

Exempla autem de partibus ignis, & albedinis, 69.
& similium, concludunt oppositum; quia nunquam duæ partes ignis in vno igne vnientur, nisi ad aliquam partem principalem (materiam scilicet, vel formam alicuius eorum) participando nomen, & rationem reducerentur. Vnde in illis duabus partibus ignis materia cuiuslibet partis reducitur ad materiam totius; sic quòd verè sit, & dicatur materia: similiter quælibet pars formæ ad formam ignis reducitur, vt verè sit, & dicatur forma. Ita pes, caput, reducitur ad materiam hominis quamuis non adæquatè: ergo si pars consubstantialis hominis est ipsa intellectiua, reducitur vel ad partem materialem, vel formalem, vt sit verè, & dicatur materia, vel forma: si non potest dici materialis, saltem inquantum dicit formale: ergo necessariò ad formam reducitur.

Ex parte etiam materiæ spiritualis oportet idem dicere, & verè reducitur ad materiam, vel formam. Si materia spiritualis reducitur ad formam, vt verè dicatur simul cum intellectiuo forma (vt communiter dicunt Doctores, quòd tota anima composita ex materia spirituali, & forma, est forma hominis) habeo propositum; si dicatur, quòd reducitur ad materiam, tunc primò dico, quòd sicut materia spiritualis animæ hominis reducitur ad materiam, ita forma, scilicet intellectiua, ad formam, vt verè

rè dicatur forma hominis, & ſufficit ad propoſitum.

Nec poteſt dici, quòd materia ſpiritualis reducatur ad materiam hominis; quia cùm oſtenſum ſit ſecundùm Damaſcenum, Auguſtinum, Ambroſium & Richardum, & etiam ſecundùm Philoſophum, quòd materia hominis eſt corpus Phyſicum, tunc oportet dicere, quòd materia ſpiritualis ſimul cum corporali eſſet materia hominis, quod non videtur intelligibile. Primò quidem, quia cùm non ſint duæ materiæ principales, & æqualiter ſe habentes reſpectu hominis, oporteret quòd altera eſſet pars alterius, ſicut dicimus quòd oculus eſt pars corporis, & pes, & manus; materia autem ſpiritualis nullo modo poteſt eſſe pars corporalis, ſicut nec punctus lineæ. Secundò, quia cùm materia ſpiritualis ſit fundamentum vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, ac per hoc ipſas tres partes formales recipiat, ſi ipſa tota eſt materia, vel cedit in partem materialem hominis, neceſſe eſt quòd ipſæ tres partes prædictæ ſint forma hominis, cùm ambitus materiæ ſpiritualis capiat ambitum illarum trium partium formalium. Tertiò, quia homo ſpecies naturæ & opus dicitur quoad materiam, ergo oportet quòd homo producat ſine natura materiam hominis, ſed non producit materiam ſpiritualem. Quartò, quia cùm forma correſpondeat correlatiuè materiæ, vt dicitur 2. *Phyſic. text.* 26. *Eorum*, (inquit,) *quæ ſunt ad aliquid materia eſt*, vbi alia tranſlatio dicit, *Materia eſt de capitulo relationis*; ergo vt dicis, ſi pars intellectiua ſe habet vt forma reſpectu materiæ ſpiritualis, ſicut illa materia ſe habet ad aliam materiam, ſic ſua forma, ſcilicet intellectiua, ſe habet ad formam illius alterius materiæ. Sed, vt tu dicis, materia ſpiritualis ſic ſe habet ad materiam ſenſitiuæ, ſcilicet corpus, quod facit ſecum vnam materiam, & ſic facit vnum, quod verè eſt materia totius; ergo intellectiuum ſic facit vnum cum ſenſitiuo, quod verè eſt forma totius; & tunc remanet noſtrum propoſitum. Patet ex hoc, quòd omnis pars conſubſtantialis ſecundùm ſupradicta, ad primas partes conſubſtantiales reducitur, ſcilicet ad materiam & formam, & ſic quòd verè dicuntur partes materiales, vel formales totius; & quælibet dici poſſit etiam verè ſic materia, vel forma.

71. Ex hoc dico, patet quòd ſimile adductum concludit oppoſitum, in quo quidem ſimiliter dicebatur, quòd ſicut in vno ſuppoſito hominis ſunt formæ corruptibiles, toti compoſito conſubſtantiales, quæ informant corporalem materiam, & non ſpiritualem; ſic in illo ſuppoſito eſt forma conſubſtantialis, ſcilicet intellectiua informat materiam, & non corporalem. Ex hoc, dico, concluditur oppoſitum; nam formæ corporales, corporalem materiam informantes, reſpectu ſubſequentis formæ, ſunt materiales, & verè à ſubſequentibus informantur, alioquin niſi forma ex ſua imperfectione vnita materiæ reſpectu ſubſequentis, eſſet materia tantæ abſtractionis, eſſet materia naturalis, ſicut Metaphyſica, vel materia cœli, quod oſtenſum eſt eſſe falſum *ſuprà* in quæſtione de compoſitione animæ, vbi (Quæſt. 7. n. 3.) dictum eſt, quòd materia, vt omnino ens propè nihil, non eſt ſubiectum alicuius agentis.

(Quæſt. 8. n. 19.) Oſtenſum eſt etiam, quòd materia, vt eſt ſubiectum generationis & corruptionis, includat neceſſariò aliquam formam, & multa de hoc ibi; ergo habent rationem materiæ reſpectu ſubſequentium: ergo à ſimili, forma informans materiam ſpiritualem, nullo modo poteſt dici pars conſubſtantialis alicuius compoſiti, vel forma illarum corporalium, ſiue conſubſtantialis illis, niſi reſpectu illarum verè ſit, & dicatur forma; hæc autem eſt intellectiua; & ſic dico ad iſtam poſitionem. Hîc debent ergo poni ſolutiones ad alias difficultates ſuperiùs poſitas, licèt intuenti diligenter ſatis pateant ex prædictis.

ARTIC. II. SECT. III.

Veriùs & perfectiùs vnitur anima intellectiua corpori humano, quàm alia quæcunque forma ſuæ materiæ.

Reſtat videre tertium articulum ſuperiùs poſitum, ſcilicet quòd intellectus veriùs & 72. perfectiùs vnitur humano corpori, vt forma, quàm aliqua forma ſuæ materiæ; ac per hoc inter omnes effectus naturæ, homo magis eſt vnus, quàm aliquod aliud compoſitum.

SCHOLIVM.

Perfectiſſimam eſſe animæ cum corpore vnionem, & nobiliſſimum omnium animantium compoſitum conſtituere, manifeſtis hîc probat rationibus, quæ potiſſimùm eò tendunt, vt probent, quòd homo ſit veluti terminus & complementum naturæ. Idque ſimili diſcurſu probauit Ariſtoteles diſcurrens per omnes gradus animantium, & animarum, & tandem hominem vocat poſtremum, & minimum; poſtremum, *quia procedendo ab imperfectis ad perfectiora, obtinet vltimum, hoc eſt, perfectiſſimum gradum inter corpora viuentia:* minimum, *quia diuidi, aut ſecari in alias ſpecies non poteſt.*

Primò patet ſic, forma proportionaliter correſpondet materiæ, talis enim forma tali materiæ 2. *Phyſic. text.* 26. & 1. *de Anima, text.* 53. ſed forma, vt videmus, quantò minoris perfectionis, tantò paucioribus indiget diſpoſitionibus, vt patet in gradibus formarum; ergo illa forma eſt ſummè perfecta, cui debetur materia ſub omni modo diſpoſitionis; ſed corpus humanum continet omnem diſpoſitionem humorum, omnem nobilitatem organorum, ſaltem ratione conſubſtantialis ſenſitiuæ, vt illa eſt principium operandi omnem adæquationem, & ſummam temperantiam miſcibilium, ſecundùm auctoritatem Auicennæ ſuperiùs allegatam: ergo forma intellectiua eſt ſummè forma perfecta in genere formarum, ac per hoc intimiùs vnibilis materiæ ſuæ, actu vnietur, & perficiet eam. Oſtenſum eſt autem quòd ens & vnum ſe conſequuntur, ſecundùm hoc ergo veriùs facit vnum cum corpore humano & veriùs ens, & vnitius compoſitum quàm aliqua alia materia cum ſua forma.

Confirmatur hæc ratio, quia maior vnitas eſt in termino, quàm in his, quæ ſunt ad terminum, & in fine, quàm in his, quæ ſunt ad finem, homo eſt terminus & fructus totius naturæ, vbi ſicut in fructu maturo declaratur omnis poſſibilitas naturæ.

Secundò arguo ſic, omnis forma perficit, & 73. terminat, & vnit, & dat eſſe materiæ ſuæ, vt eſt ei præſens per ſubſtantiam; ergo illa forma, quæ de ratione ſua maiorem habet aptitudinem,

vt veriùs & perfectiùs sit præsens materiæ, veriùs & perfectiùs vnitur ei; sed tota ratio præsentis, quæ excogitari potest, formæ ad materiam in sola forma rationali completur, sicut in termino: ergo, &c.

Tertiò sic, forma terminat fluxum & passibilitatem materiæ; ergo illa forma veriùs facit vnum, quia perfectiùs hunc fluxum terminat, sed intellectiua, vt intellectiua, re & ratione omnem fluxum materiæ terminat, cùm sit in fine supremorum, coniungens se supremis inferiorum.

Item, forma de ratione sua dat actum, & communicat operationem materiæ suæ, vel toti coniuncto, vt *suprà* exposui: cùm igitur in homine & actio libera, & intellectiua, nobilior sit omni alia actione à quacumque forma communicata; ergo forma intellectiua plus habet de ratione formæ, & veriùs eam participat, quàm aliqua alia materia sua.

Item, de ratione formæ est materiam suam ad suas leges trahere & actualitates, & etiam compositum, secundùm magis & minùs, secundùm maiorem & minorem actualitatem formæ; sed intellectiua plus abstrahit materiam suam, quàm aliqua forma de mundo. Quod patet, quia cùm materia eius sit corruptibilis, per actum merendi, ordinat eam ad perpetuitatem firmiorem, quàm sit in cœlo, & eam vnit forma supernaturali, secundùm quòd totus homo est subiectum beatitudinis perfectæ: quia secundùm beatum Augustinum, vt dictum est *suprà*, anima separata perfectè tota intentione absque corpore in summum cœlum ferri non potest.

Num.40.

74. Item, videmus quòd duo corpora non possunt sibi naturaliter intimari, ac per hoc non habent vt perfectè sibi mutuò vniantur, & quantò magis aliqua recedunt à corporeitate, tantò magis se penetrant, ac per hoc magis sunt vnibilia. Hoc patet in lumine respectu corporis opaci, & diaphani. Si igitur consideremus, quòd omnis alia forma ab intellectiua, aut est de materia educta, aut de ratione sua plus accedit ad materialitatem, videbimus apertè quòd nulla habet talem modum spiritualitatis, & penetrabilitatis, ac per hoc vnionis, sicut ipsa; & quia homo ab ea est homo, ideò magis est vnum, quàm aliquod aliud compositum.

Item, vnum & esse, vt supradictum est per Boëtium *de Vnitate & Vno*, *cap.* 1. conuertuntur, & proportionantur: sed tota ratio essendi, quæ potest excogitari dari alicui composito naturali, datur ab intellectiua suæ materiæ, siue composito, vt esse liberum intellectui; quamuis enim sint diuersæ formæ in homine, dantes diuersa *esse*, anima intellectiua, non solùm dat esse intellectui, sed perficit actus aliarum formarum. Quod patet, quia ipsa recedente, incipit materia corrumpi quoad actus aliarum formarum; ergo si secundùm Boëtium *lib.* 10. *de Vnitate & Vno*, *cap.* 1. forma dat esse, ista forma dans esse consummatum & perfectum, quale creaturæ corruptibili potest communicari, est perfectior omni forma, ac per hoc vnitiori & intimiori forma intimat, & vnum facit, tanquam forma, in qua terminatur tota ratio essendi, cùm forma sit materiæ vnibilis, sicut tota consideratio formæ terminatur ad formam intellectiuam; vt dicitur 2. *Physic. text. Comment.* 26. Sic tota ratio vnitatis, quæ possit esse in aliquo composito purè naturali, terminatur in homine, vt in vltimo termino naturæ: propter quod dico, quòd in homine est maior vnitas essentialis, quàm in aliquo bruto, vel composito naturali, & in eo terminatur omnis ratio vnitatis, vt in termino.

ARTIC. II. SECT. IV.

Homo perfectiùs & veriùs est homo in statu naturæ conditæ, quàm lapsæ, & in statu patriæ, quàm vitæ.

Ex quo patet, quòd cùm ens & vnum conuertantur, quòd vna substantia composita est magis substantia, quàm alia, sicut & magis vna. Et non solùm in diuersis speciebus & generibus, vt homo est magis ens, & magis vnum, quàm brutum; sed etiam in eadem specie, vnus homo magis est homo, & magis vnus, quàm alius, secundùm quòd anima rationalis est completior, & perfectior, quàm alia; & vnum corpus alio in complexione, & æqualitate elementorum perfectius, quia vnum ens non dicitur solùm veriùs esse tale, quàm aliud, siue in diuersis speciebus, siue in vna, quia eius principia sunt nobiliora, quàm alterum, sed quia vna forma veriùs & intimiùs vnitur vni materiæ, quàm alia; & tota ratio vnitatis hominis, & per consequens totius naturæ, est quia homo est finis naturæ totius; qui fuit terminatus in Christo secundùm quòd eius anima, & corpus excellentiam habent supra omnes animas, & supra omne corpus. Ecce finis particularis naturæ huius, scilicet benedictus homo; sicut species humana est finis vniuersalis omnium specierum naturalium: ideò vnitas Christi est prima vnionum, & mensura omnis compositi naturalis. 75.

SCHOLIVM.

Ex quinque capitibus probat hîc Scotus hominem esse magis hominem, & perfectiùs vnum, & ens in statu gloriæ, quàm in statu naturæ lapsæ, aut etiam naturæ conditæ. Primò, ex proportione immortalis animæ ad corpus immortale. Secundò, ex perfectione durationis. Tertiò, ex firmiori vnione ad finem suum. Quartò, ex nobiliori operatione. Quintò, ex maiori obedientia materiæ ad formam. Cui sententiæ suffragatur, quod alij volunt conformiter ad ea, quæ in his quæstionibus docet Scotus (vti dicemus in Scholio 3. quæst. 19.) quòd animæ excellentiores in corpore nobilioris temperamenti, constituunt homines perfectiores, non solùm accidentaliter, verumetiam substantialiter. Vnde consequenter dicendum erit, quòd cùm in statu gloriæ longè puriores, & excellentiores erunt animæ, & corpora, temperamentum habebunt, siue ad pondus, siue ad iustitiam (vt loquuntur) omnium præstantissimum, quod ætati floridæ iuuenili possit conuenire (de quo vide Ægidium Lusitan. tom. 3. de Beatitudine lib. 3. quæst. 6. artic. 2.) Beati perfectiores erunt in essentiali constitutione naturæ, & nobiliora entia, quàm fuerunt, dum versarentur inter miserias vitæ præsentis. Et proportionabiliter dicendum est de statu naturæ conditæ respectu eiusdem naturæ destitutæ.

Ex his iam apparet quartus articulus, quòd scilicet sicut homo est magis vnum & ens omni alia specie naturali, sic idem vnus homo est magis homo in statu naturæ conditæ, in quo 76

est

est naturaliter conditus, quàm in statu naturæ lapsæ, in quo est naturaliter prostitutus, sic etiam erit magis ens, & homo, & vnus in statu gloriæ, in quo est supernaturaliter restitutus. Et hoc quidem primò patet ex proportione ad corpus, dum immortali animæ immortale corpus correspondebit. Secundò patet, quòd modus durandi sequitur modum naturalem essendi; ideò probatur 1. *de Cœlo, & mundo, Summa 6.* quòd motus violentus non possit esse perpetuus. In istis autem statibus fuit in primo perpetuitas infirma & in aptitudine; in secundo necessitas moriendi; in tertio erit necessitas semper durandi; & ideò iste homo, est naturalior, ac per hoc verior. Tertiò, quia esse cuiuslibet rei firmatur & completur ex vnione eius ad finem suum, & ideò corrumpitur quodlibet extra suum locum naturalem: in statu autem innocentiæ appropinquabat plus fini, quàm in statu naturæ lapsæ; & in statu gloriæ, plus quàm in aliquo illorum: ergo tunc est veriùs ens & vnum. Quartò, quia cùm operatio sequatur esse, in statu gloriæ operationes sint actualiores & nobiliores, quàm in aliquo statu; ergo & esse, & vnitas perfectior. Quintò, quia quantò forma veriùs vnitur, tantò materia est in maiori obedientia ad formam, hoc autem quantum ad omne genus operationis totaliter complebitur in statu gloriæ: Deo gratias, qui nos ad illum statum perducat.

QVÆSTIO X.

Vtrùm sensitiua hominis sit à generante, vel à creante?

Philopon. Simplic. Albertus, Ægidius, 2. *de Anima, text.* 10. D. Thom. 1. *part. quæst.* 118. *art.* 2. *ad* 3. *&* 4. *& de potentia quæst.* 3. *art.* 9. *ad* 9. Caiet. 1. *part. quæst.* 118. *art.* 2. Ferrarien. 2. *cont. Gen. cap.* 57. Germanus *in epitome lib. de Anim.* Conimbr. *lib.* 1. *de Gen. cap.* 4. *quæst.* 26. *&* 27. Iauellus 7. *Metaph. quæst.* 14. Cauellus *in supplem. ad quæst. Scoti de Anim. disp.* 1. *sect.* 15.

1. *Probatur esse à generante.* ARGVITVR, quòd sit à generante sic: Omne agens, cui non repugnat productio alicuius, si applicetur ad hoc, producet illum effectum, sed sensitiuæ non repugnat productio hominis. Probo, quia homo & asinus generant vt animal, non vt homo, sed asinus generat sensitiuum: ergo & homo. Probatur, actiones diuersificantur secundùm quòd termini diuersificantur, & è contrario: sed creatio & generatio sunt actiones genere differentes; ergo & termini; ergo si sensitiuum hominis est à creante, & sensitiuum bruti, à generante, differunt genere, quod est falsum: ergo homo esset ignobilius bruto, si non posset sensitiuum producere.

Item, hîc esset nutrimentum erroris, quia fauet positioni de vnitate formarum.

SCHOLIVM.

Obiicit, licèt non approbet, quòd si admitteretur sensitiuam hominis produci à creante, non à generante, esset nutrire errorem de vnitate formarum. Errorem vocat, quia inter articulos Parisiis condemnatos, qui habentur in calce librorum Magistri Sententiarum, veterum editionum, sub illo titulo, Errores in naturali Philosophia, *continetur iste his verbis:* Item, quòd vegetatiua, sensitiua, & intellectiua sunt vna forma simplex. *Quòd si admitteretur sensitiuam à Deo creari simul cum intellectiua, probabiliùs dici posset vtramque vnam, & eandem esse formam simplicem. Et alibi condemnantur, qui vnam tantùm formam substantialem ponebant in homine, contra quos Scotus, & alij docuerunt præter animam rationalem dari formam corporeitatis; de quo magnæ fuerunt in Anglia controuersiæ sub Archiepiscopo Cantuariensi Ioanne Pecchamo; de qua re vide tom. 2. nostrorum Annalium anno 1279. Sub illis autem temporibus maioris erant authoritatis articuli Parisienses, quæ nunc plurimùm infirmata est.*

Contrà, per Augustinum *lib. de Spiritu, & An. cap.* 48. qui dicit, quòd anima separata sentit, sicut intelligit: ergo cùm vti est separata, debeatur ei actus sentiendi, hæc operatio erit à creante eâdem ratione, quâ & intelligere.

Circa istam quæstionem sic procedo. Primò, quia sermo noster ab intellectiua sumpsit exordium, ostendam ipsum intellectum omnino esse ab extrà, scilicet à creatione. Secundò, iuxta hæc exponam, quomodo est verum, quòd homo generat hominem, cùm intellectiuum sit forma hominis, & totum compositum sit, terminus generationis, vt dicit 7. *Metaphys. text.* 26. *&* 27. Tertiò, narrabo modum secundùm aliquos quo sensitiua bruti sit à generante. Quartò, ostendam quòd sensitiua hominis est à creante. Quintò, vt prædicta pateant, declarabo quomodo in generatione aliquorum sufficit agens æquiuocum, vt Sol, & corpora cœlestia; in generatione aliquorum requiritur agens vniuocum, vt asinus ex asino; in generatione aliorum requiritur diuinum, vt in hominis generatione. 2. *Quinque in hac quæstione tractanda.*

ARTICVLVS I.

Singulæ animæ rationales immediatè à Deo creantur.

CIrca primum, est sciendum, quòd hæc quæstio dubia fuit antiquitùs, non solùm apud Philosophos, sed & apud Sanctos. Vnde ait Gregorius *in Registro lib.* 7. *epist.* 54. loquens de origine animæ: *Inter* (inquit) *sanctos Patres non modica quæstio illata est, vtrùm animæ ab Adam descenderint, aut creaturis singulis dentur, eámque in hac vita insolubilem sentiunt esse quæstionem.* Et secundò etiam est dubitatum, quia dato, quòd anima intellectiua primi hominis à creatione esset, adhuc enim dubitauerunt aliqui, vtrùm ex illa anima originaliter descendant aliæ, sicut ex primo patre secundùm carnem corpora nostra originantur, & seminaliter propagantur. Et istam difficultatem tangit Augustinus in epistola ad Optatum, dicens, *Non itaque vnum quem facto ex terra primo homini inspirauit, sed omnem flatum ipse fecit, ipse adhuc facit. Quæritur tamen vtrùm omnem flatum ex illo vno flatu, sicut omne corpus homini ex illo vno corpore faciat; an verò noua quidem corpora faciat ex vno, nouásque animas de nihilo.* Et ponit ibi exemplum de candelis, quomodo ex vna multæ accenduntur. Hanc etiam quæstionem sentit Augustinus epist. 28. ad Hieronymum, vbi contendens cum Hieronymo, ait, *Hoc certè sentis, quòd singulas animas singulis nascentibus, etiam modò Deus faciat;* & infrà, *Ecce volo, quòd ista sententia modò mea sit, sed nondum esse confirmo.* 3. *An singulæ animæ creentur.* Epist. 157.

firmo. Cui respondens Hieronymus, ait, *Qui animas ex vna propagari asserit, & non in corpus iuxta exemplum primi hominis, quotidie fieri, anathema sit.*

SCHOLIVM.

Mirum, quòd per tot annorum centurias, etiam post exortam fidei Christianæ lucem, hæc quæstio de origine animæ non solùm inter Philosophos verum, & inter Theologos adeò obscura, & difficultatibus inuoluta remanserit, vt optima quæque torserit ingenia, & sub Gregorij Magni tempus putaretur insolubilis. Propterea in multos itum est errores, quos partim hîc indicat Doctor, & in 2. dist. 17. quæst. 1. partim referunt Conimbricens. lib. de Anima, cap. 1. quæst. 3. Rubius tract. de Anima separata quæst. 1. & alij. Neque, quod mirabilius est, quidquam adhuc definitum est expressè, in re tam vehementer agitata, & toties discussâ. Duas præcipuas quæstiones dixit Augustinus lib. de Ordine, cap. 8. esse in Philosophia, vnam de Anima, alteram de Deo; neque immeritò, cùm anima sit veluti horizon æternitatis (vti ait Trismegistus in Asclepio) & intelligibilis, corporeæque naturæ sit veluti nexus & confinium, & vt ita dicam totius mundi summa: & tamen nihil adhuc de eius origine per fidei regulas stabilitum est. Temerarium tamen & erroneum nunc iudicant Theologi negare à Deo immediatè creari, propterea quòd exinde sequi videatur animam esse mortalem. Quod S. Thomam mouit in 2. part. q. 118. art. 2. vt non solùm errorem, verumetiam hæresim putârit asserere animas rationales vi seminis propagari.

4. *Singulas creari probatur authoritate.* Potest ergo quæstio de intellectiua anima tripliciter intelligi. Vtrùm quælibet immediatè fit à creatione? Vel vtrùm educatur de potentia materiæ seminaliter, vt aliæ formæ? vel vtrùm de prima anima originaliter, vt lumen candelæ de lumine alterius candelæ? Quòd autem vltimis duobus modis non sit educibilis, patet, primò auctoritatibus Sanctorum, Damascenus *lib. 2. Orthod. fidei, cap. 12. Deus ex inuisibili, & visibili materia condidit hominem, ex terra quidem corpus plasmans, animam autem rationalem per insufflationem.* Hoc idem Augustinus *libro de Spiritu & Anima, cap. 48. Dicimus* (inquit) *corpus per coniugij copulationem seminari: Dei verò iudicio coagulari in vulua matris, & compingi atque formari, ac formato iam corpore, animam creari, & infundi, vt viuat ex vtero homo ex corpore constans & anima. Nec duas animas esse credimus in vno homine, sicut multi scribunt, vnam scilicet animalem, quâ mouetur corpus, & mista sit sanguini; & aliam spiritualem, quæ administret rationem, sed dicimus vnam animam eandémque animam esse in homine, quæ & corpus sua societate viuificat, & semetipsam sua ratione disponit.* Item Richardus 4. *de Trinitate,* dicit *cap. 16. Proprium est hominis habere substantiale esse, ex propagatione simul & procreatione; nam procreatur anima, corpus propagatur: proprium autem est mistorum habere substantiale esse ex sola propagatione: proprium est Angelorum habere substantiale esse ex sola creatione.* Hæc quia communiter conceduntur ab omnibus, & infinitæ sunt auctoritates, non curo eas adducere.

5. *Probatur ratione.* Sed ratio hoc ostendit, & primò syllogizando à fine, qui est causa causarum notior ad demonstrandum. vt dicitur 3. *Met. text.* 3. Certum est autem, quòd corpus est propter animam, *in fin. 1. de part. animal*; Omnis autem actio naturalis ad corpus humanum videtur ordinari, quia simplicia sunt propter mista; mistum propter complexum, complexum propter vegetatiuum, vegetatiuum propter sensitiuum, sensitiuum propter intellectiuum. Cùm igitur finis notior sit his quæ sunt ad finem, ergo anima, propter quam est corpus, notior est omni agente naturali: sed effectus non est causâ notior; igitur anima non est effectus alicuius agentis naturalis.

Secundò, patet hoc ex modo agendi; hæc est enim regula generalis, quòd omnes virtutes consequentes formam eductam de potentia materiæ, debilitatâ suâ materia debilitatur. Ita dicit Auic. 6. *Natur. part. 1. c. 3. Omnium,* inquit, *partium corporis debilitantur virtutes in fine ætatis iuuenilis.* Sed, vt idem dicit, virtus intellectiua communiter non corroboratur, nisi vltra illam ætatem; ergo, &c.

Item, sicut ea, quæ ex semine oriuntur, nôn extenduntur, nec re, nec actione vltra virtutem naturalem seminis; sic forma, quæ de potentia materiæ educitur, non extendit aspectum suum extra obiectum corporale, cuius contrarium patet de intellectiua.

Ad hoc etiam facit, quòd nulla virtus quæ educitur de potentia materiæ, habet libertatem, se mouendi dominatiuè, siue liberè, vt patet discurrendo. Hanc autem habet intellectiua. Patet etiam, quòd, vt dicitur 1. *de Cœlo, & Mundo, text.* 126. *Omne generabile est corruptibile.*

Quòd autem anima incorruptibilis sit, & per consequens ingenerabilis, satis patet per Philosophum 3. *de Anima, text.* 20. qui dicit, quòd intellectiuum separatur ab aliis, tanquam perpetuum à corruptibili: & 12. *Metaph. text.* 17. quòd si aliqua forma remanet separata, hæc est anima, non tota, sed intellectiua. 6. *Anima est ingenerabilis, & incorruptibilis.*

Ratione etiam patet, quia secundùm Dionysium *cap. 7. de diuin. Nomin. Infima supremorum coniunguntur supremis infimorum,* quod non esset, nisi per animam intellectiuam; ac per hoc ipsa est de genere supremorum, scilicet substantiarum incorruptibilium, quamuis inter eas locum teneat infimum.

Secundò patet, quia experimentum generale est certissimum; sed nos experimur nos appetere bonum infinitum, quod non consequitur homo in hac vita; sed si corrumpitur anima, appetitus naturalis erit frustrà.

Item, propria operatio ducit in notitiam causæ; sed operatio intellectiuæ, inquantum talis, propriè est circa incorruptibilia, vt circa vniuersalia, & circa illa, quæ sunt à materia separata: igitur & substantia, à qua hæc operatio procedit, erit incorruptibilis.

Item, appetitus naturalis non est frustrà; sed experimur nos appetere, non solùm esse vt nunc, non solùm bonum vt nunc, sicut bruta & homines sequentes sensibilitatem, sed esse semper, & esse simpliciter secundùm rationem; ergo necesse est quòd si secundùm illam sumus rationales, simus perpetui.

Si enim dicatur, quòd anima intellectiua sit producta ab intellectu, sicut videtur dicere illa vniuersalis propositio de Causis: *Omnis,* inquit, *Intelligentia scit quod est suprà se, & quod est sub se, verumtamen scit quod est sub se, quoniam causa est ei.* Vbi est sciendum, quòd Intelligentia est causans ea, quæ sunt sub se. Si intelligatur de anima, est, dico, causa per accidens, eo quòd per motũ orbis & Solis in aliquo circulo est causa dispositionis corporis, quo disposito, Deus infundit ei animã; vel est causa eius, quantũ ad aliquas reuolutiones. 7. *Proposit. 8.*

Simi

Similiter si inueniatur aliquando, quòd Deus creauit animam mediante intellectu, dico, quòd ly *mediante* dicit medium naturæ, non efficientis, aut instrumenti, aut causalitatis, vt sit sensus: inter Deum, & animam intellectiua tenet medium gradum.

Item, potentia non est simpliciter notior suâ substantiâ; ergo cùm substantia rei factæ subiiciatur, quantùm ad suum esse, agenti, sua potentia necessariò est subiecta potentiæ facientis. Potentia autem libera, aut rationalis nulli creaturæ subiecta est, nec omnibus; ideò impossibile est, quòd substantia sua à creatura sit producta.

Item, est potentia actiua, quæ nec materia indiget, nec instrumento, vt potentia Dei; alia, quæ indiget vtroque, vtpote hominis: ergo potentia Metaphysica, qualis est Angeli, materiâ indigebit, non instrumento: igitur si facit animam, aut de materia simplici, & tunc illa est corruptibilis; aut de corporali, vel cœlesti, & tunc idem inconueniens; vel corruptibili, & tunc ipsa est corruptibilis. Quartum membrum est impossibile, quòd scilicet indigeat instrumento, & non materia.

Item, finis & efficiens sunt correlatiua; sed experimur quòd homo appetit finem supernaturalem; ergo eius efficiens est supernaturale. Infinitæ possunt ad hoc adduci rationes, sed quia non est omnino ad propositum, omitto: ergo non est anima intellectiua educta de aliquo seminali.

8. *Anima nō originantur ex prima.* Psal. 32. Quòd nec etiam originatur de aliqua anima, sicut candela de candela, patet per glossam, super illo verbo: *Qui finxit sigillatim corda eorum*: glossa; id est, *Creauit animas sigillatim*; id est, *singulas per se creauit ex nihilo, non ex Adam; vt quidam dicunt, putantes animam esse ex anima.* Hæc glossa.

Hoc etiam patet, quia si Deus crearet animam ex anima, aut hoc faceret modo supernaturali, & tunc non contraheret originale, quod est contra Anselmum, *de Conceptu virginali, cap.* 13. aut modo naturali, & tunc animæ, & eius materiæ admista est potentia, & per consequens naturalis corruptio: quia tunc forma primæ animæ non occuparet totam suam materiam.

Item, si anima multiplicatur ab anima, aut ista multiplicatio est sub *esse* naturali, & reali, aut sub *esse* intentionali: non secundùm esse naturale, & reale: tum, quia decisio ab impossibili est impossibilis: tum, quia eductio rei naturalis habentis esse permanens, est per eductionem de potentia materiæ, vt patet in omnibus formis. Nec potest esse intentionalis; tum, quia intentio non est substantia, anima autem substantia formalis est: tum, quia intentionale non durat, nisi conseruante eo, à quo eductum est: & sic vna anima quoad esse ab alia dependeret.

Item, aut tota anima, ex qua dicis animam multiplicari, est in vltimo perfecto suo actu, & tunc ex ipsa non potest fieri alia; aut tota est in potentia, & tunc non est actus, nec per consequens forma; aut tota in potentia, & actu, & ista sunt contradictoria; aut pars potentiâ, aut pars actu, & tunc aut fiet de potentia, & tunc illa potentia, cùm perficiat ad vlteriorem formam, siue actum, est generabilis, & corruptibilis, & per consequens anima; aut fiet de actu, & tunc actus ille est incompletus, & per consequens generabilis, & corruptibilis, cùm perficiat ad vlteriorem actum, & per consequens anima.

Ex his ergo patet quòd intellectiua, nec ex corpore seminaliter, nec ex anima originaliter, sed de nihilo, virtute diuina, totaliter habet educi.

ARTICVLVS II.

Supposita animæ creatione quomodo dicetur homo generare, aut generari?

NVnc oportet videre secundum: cùm enim homo sit homo per formam intellectiuam; si omne generans generat formam in materia, vt dicitur 7. *Metaph. text.* 26. si anima intellectiua est à solo Deo, homo non erit res generata, sed creata. 9.

SCHOLIVM.

Dicit hîc Doctor hominem propriè hominem generare, quia licèt non educat formam, animam scilicet rationalem, ex potentia materiæ, nec eius creationem attingat; attamen cùm verè producat esse totius compositi, quod est proprius terminus generationis, & in materia eas producat qualitates, complexionem, & formam corporeitatis, ad quas author naturæ necessariò creat, & infundit animam, non immeritò dicetur totum generare compositum. Admittit tamen magis propriè generari alia animantia purè naturalia, quia illorum agentia etiam formarum productionem attingunt, eásque educunt de potentia materiæ. Vnde ait hominis generationem (attendendo ad partem principalem, formam scilicet, siue animam rationalem, quæ diuinitùs creatur, & infunditur) dicendam esse quodammodo magis generationem supernaturalem, quàm naturalem, & diuinam magis operationem, quàm humanam. Aliunde verò, ex parte scilicet materiæ, quam administrat, disponit, transmutat, & forma induit mixti, quam ex ipsa materia educit, & ad quam sequitur vnio animæ rationalis, optimè dici poterit pater filium suum generare. Similiter docuit in 4. distinct. 43. *quæst.* 3. §. Sed illud verbum vsitatum, *vbi ait formam corporeitatis in materia esse dispositionem necessitantem ad animam; non quòd ex illa, vel virtute eius sequatur animatio; sed quia ipsa posita, agens vel Deus necessitate conditionata suæ dispositionis, seu necessitate secundùm quid sui decreti, inducit formam, ad quam præmissa est à generante talis dispositio. Eamque esse Scoti sententiam aliqui dicunt, vt non solùm ideò dicatur homo generare, quia præparat materiam, sed etiam quia intrinsecè attingit animam, eam corpori vniendo; quia Deus non se solo vnit animam corpori, sed simul cum generante per communem concursum concurrit ad illam actionem vnitiuam. Vide Conimbric. lib.* 1 *de Gener. cap.* 4. *quæst.* 13. *art.* 2.

Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd sicut patet 8. *Physic. text.* 62. termini generationis per se sunt *esse* & *non esse*: quia generatio est mutatio de *non esse*, in *esse*; corruptio è contrario: sicut ergo conuenit alicui esse, sic generari. Sic autem *esse per se*, vt est terminus generationis, est dispositio solius compositi; materiæ autem, & formæ non, nisi vt sunt in composito. Ita dicit Commentator super principium 2. *de Anima, text. com.* 7. *Si materia* (inquit) *& forma essent in composito existentes in actu, tunc compositum non diceretur vnum, nisi sicut dicitur in rebus, quæ sunt vnum secundùm contactum, & ligamentum.* Propter quod nec *esse* conuenit eis, nisi vt sunt in composito,

posito, sed nec generari, secundùm quòd dicit Aristoteles 7.*Metaph. text.*26.*&* 27. *Solius compositi est generatio per se.* Et intelligitur hoc de *esse* compositi: quia materia, & forma, vt sunt duo distincta principia realia, habent suum *esse* existentiæ, quod non habent à generante. Vnde si alicui composito acquiritur *esse* per aliquod agẽs, quamuis ipsum agens non possit super essentiam componentium, secundùm se productam in *esse*, dummodò possit in ipsa quantùm ad *esse*, quod habent in composito, nihilominùs dicitur illud compositum posse generare. Nunc autem ita est, quòd cuius corruptio, quâ compositum amittit *esse*, est alicui agenti naturalis, eius generatio, quâ ei acquiritur *esse*, est illi composito naturalis, dicente Philosopho in 2. *Cœli, & Mundi, text.* 18. *Si vnum contrariorum fuerit naturale, & reliquum:* homo autem, vt dicit quoddam compositum, per agens naturale verè corrumpitur, amittendo esse naturale, & humanum per mortem, ex separatione principij ipsius constituti, licèt non corrumpat animam in suæ naturæ essentia; nec etiam corpus, quoad actum aliquem formalem; sicut verè tenemus, quòd corpus Christi, & caro mortua verè remansit eadem, quæ priùs erat viua. Verè ergo homo debet dici generari ab homine, quamuis non se extendat ad actum perfectum secundùm se, quia se extendit ad generationem, & corruptionem *esse* compositi.

Corpus Christi erat mortuum, & viuum.

10. Est autem aduertendum, quòd quamuis totum *esse* hominis sit generabile, & corruptibile, non tamen ita propriè, & perfectè, sicut rei purè naturalis, vt equi, vel bouis. Cuius ratio est, quia agentia naturalia sic generant compositum, quòd quamuis generent per se, nihilominùs sua actione educunt de potentia materiæ illud, quo compositum principale est tale, scilicet, formam. Propriè ergo tale agens generat compositum, quia sua actione acquirit *esse* composito: vnde licèt non causet formam in se, quia nec in se habet esse, causat tamen eam in composito, per quam habet compositum, & esse, & operari. Sicut quando de infigurato fit figuratum, agens non causat in se figuram, quia nec in se potest existere, nec ferrum, vel æs, quia hoc *esse* habent à natura; sed causat figuram merè, ac per hoc acquirit sibi nouum *esse*, non nouam essentiam: ac per hoc dicitur generare figuratum, & propriè. Homo autem hominem generans non acquirit *esse* formæ in se, nec vt est in composito, siue in materia; nisi formando, & disponendo corpus, quo disposito agens super naturale infundit animam ex creatione. Nullum enim agens naturale habet potentiam super formam, nisi quatenus illa forma est in potentia materiæ, de qua educitur.

11. Ex quo patet, quòd homo non generat hominem illo modo, quo alia agentia generant, sicut dixi. Vnde quoad actionem, quâ homini acquiritur esse humanum, quod principaliter est ab anima sua, generatio, scilicet hominis, potest dici supernaturalis quodammodo, & magis, quàm naturalis; imò potiùs creatio, quàm generatio, & diuina operatio, quàm humana generatio. Sed quia homo materiam disponit, & administrat, & transmutat, non solùm formam corrumpendo, quæ præexistit (sicut positores vnitatis formarum dicunt, qui verè non possunt dicere quòd homo generet hominem, nec simpliciter, nec secundùm quid, quia substantiam primæ materiæ non generat) sed etiam generat & educit formam misti, & complexionati, & educit de materia, quæ verè est de integritate hominis; ideò dicitur isto modo hominem generare; quod non faceret, si non esset in homine nisi vna forma, scilicet rationalis anima. Et hunc modum & nullum alium requirit dignitas humanæ naturæ, in quo debet compleri actio totius naturæ auxilio agentis supernaturalis. Vt sicut quantum ad substantiam, homo est medium, hoc est horizon, & confinium naturalium, & supernaturalium, medium inter illa, in natura, substantia, & *esse*, continens substantiam spiritualem, & corporalem, & corruptibilem in vnitate naturæ, & substantiæ, sic est medium eorum, quemadmodum productionis, vt scilicet ab agenti naturali, & supernaturali producatur. Sic igitur patet secundum.

ARTICVLVS III.

A quo producitur anima sensitiua in brutis?

SEquitur tertium, scilicet quomodo sensitiua sit in brutis, vt sic per communia ad specialia descendamus. Circa istum articulum sic procedo. Primò, ostendo quòd natura ex principali intentione producit compositum. Secundò, quòd omne compositum naturale, saltem virtute, continet quatuor elementa. Tertiò, quòd in terra quæ est primum passiuum, & infimum, est dispositio ad tale compositum naturale. Quartò, quòd natura in sua operatione intendat viuum. Quintò, quòd in terra, de qua dixi, quòd habet dispositionem ad compositum, est dispositio ad vitam. Sextò, quòd natura non potest producere illam dispositionem naturalem, quæ est in terra. Septimò, ex his concludam quòd omnis sensitiua brutalis necessariò est ab intrà, & de potentia materiæ educta. 12.

Septem hîc examinanda.

SCHOLIVM.

Septem hîc præmittit Doctor, vt probet animas brutorum esse ab intrinseco, vel educi de potentia materiæ; ea tamen refert ex sententia aliorum, neque omnia probat; imò testatur se illa simpliciter narrare, & fidem penes Authores esse, atque apud lectorem licentiam singula reprobandi. Quod autem docet secundo loco de continentia saltem virtuali elementorum in mixto; & in tertio loco de illa compositione inchoata, seu ratione seminali in rebus animatis; primum docet in 2. *distinct.* 15. *quæst. vnica.* §. Dico ergo quòd quatuor. *Addit tamen* §. Sed quomodo, *non esse necessarium vt omnia quatuor elementa contineantur in mixto sicuti neque necesse est, vt concurrant ad eius compositionem, idque probat ex illo loco Genesis* 1. Producant aquæ reptile, &c. *Secundum de ratione seminali habet ibidem dist.* 18. *q. vnica, eámque ponit non solùm in animalibus, verùm etiam in rebus inanimatis: de quo ampliùs scholio sequenti.*

Circa primum, iam patuit suprà, quòd omnis generatio ad *esse* terminatur: *esse* autem, vt visum est secundùm Comm. *sup. n.* 9. est dispositio compositi: ergo, &c. 13.

Natura principaliter intendit producere compositum.

Item, omne posterius, in quantum tale, est compositum: sed producta à natura sunt posteriora respectu eorum, quæ sunt de constitutione naturæ, cuiusmodi sunt quatuor elementa: ergo, &c.

Item, illud intenditur à natura, ad quod termina

minatur actio rei naturalis: ſed non terminatur ad ſimplicia, imò ſupponit ea, cùm ſint de inſtitutione naturæ: ergo eius terminus non eſt ſimplex.

In omnibus miſtis reperiuntur quatuor elemẽta.

Secundò, oſtendo quòd omne productum à natura, hoc eſt, omne compoſitum, ſaltem in virtute, continet quatuor elementa. Quoad hoc primò poſſunt induci authoritates Doctorum Alchymiæ, qui oſtendunt in quolibet à natura producto eſſe quatuor humores, vel aliquid eis proportionatum, ſcilicet ſanguinem, phlegma, choleram, & melancholiam. Hoc patet, primò per authoritatem Raſis, qui dicit in libro, qui intitulatur *Minimè minimum*, & eſt paruus libellus, loquens de prædictis quatuor humoribus: *Si atteſtor immenſam Dei potentiam, hæc dicam, conuenit in omnibus reperire vſque ad arenam maris.* Hoc probat Auicenna primo libro Canonis, dicens, quòd ſi accipiatur ſanguis humanus, & ponatur in vaſe ad ignem, primò exit ſpuma rubea, quæ eſt eius cholera: ſecundò, quaſi albumen oui, quod eſt eius phlegma, & remanet in fundo vaſis materia terreſtris groſſa, quæ eſt ſanguis melancholicus. Hoc eodem experimento vtitur Auicenna in libro de maiori Alchymia; vbi dicit, quòd lac de ſe reſoluitur in ſerum, quod eſt eius phlegma; in butyrum, quod eſt eius ſanguis; in ſubſtantiam groſſam, vt eſt caſeus, quæ eſt eius melancholia: & remanet cholera, quæ per ebullitionem euaneſcit. Ex his patet in lacte, & ſanguine humano, quemlibet dictorum quatuor eſſe humorum; & in omnibus viuentibus inueniuntur, ſed denominantur à prædominante. Dicti etiam quatuor humores ſunt in lapidibus, in herbis, & metallis, à natura eductis; ſed non habent nomina propria, ſicut in animalibus. Vnde Alchymiſtæ, qui per abſtractionem dictorum humorum, nituntur tranſmutare ſubſtantias metallorum, per commiſtionem, & ſeparationem illorum humorum à metallis, quæ fit per quoſdam ignes, & ſublimationes, & commiſtiones quarundam aquarum; ipſi dicunt, quòd calix vocatur melancholia, aqua vitæ, phlegma; virtus ignea, cholera; aër ſubtilis, ſanguis: & tunc volentes oſtendere qui humores ſunt, qui benè commiſceri poſſunt, & qui non, dicunt quòd calix huius metalli, & virtus ignea illius, ſunt, vel non ſunt benè commiſtibiles. Aliqui vocant dictos quatuor humores in metallis per quatuor partes animalis: nam cor vocant choleram; hepar vocant ſanguinem; oſſa melancholiam; cerebrum phlegma. Vnde dicunt quòd cerebrum huius metalli fluit benè, vel non fluit ad oſſa, vel hepar illius metalli. Alij nominant illos humores in metallis per quatuor ætates: nam ſanguinem vocant pueritiam, choleram iuuentutem, phlegma ſenium, melancholiam ſenectutem. Et dicunt quòd pueritia, & ſenectus iſtorum, vel illorum metallorum conueniunt benè, vel non benè: & iſta omnia patent in diuerſis libris Alchymiſtarum. Et abſque dubio illa quatuor nomina *ſanguis*, *cholera*, *phlegma*, & *melancholia*, propria ſunt quatuor humorum animalium. Et quamuis quatuor humores in omnibus prædictis inueniantur, poſſunt tamen aliis nominibus nominari.

14. Ratione etiam hoc patet: genus corporis corruptibilis diuiditur in quatuor corpora elementaria, habentia inter ſe completam proportionem, & continuam: quia ſicut primum ante ſecundum, ſic ſecundum ante tertium, & ante quartum, & ſic aſcendendo, ſunt in continua proportione. Proportio enim, vt dicit Euclides, eſt in quatuor quãtitatibus diſcretis proportionaliter ſe habẽtibus, cuiuſmodi ſunt 4. elementa. Si ergo natura corporis corruptibilis in quatuor, & non in pluribus, vel paucioribus proportionatur, cùm omne productum à natura ſit compoſitũ proportionatum, oportet quòd illa quatuor ſint aliquo modo in quolibet producto à natura. Non enim poſſunt proportionari ſeparatim vel duo, vel tria, ſed ſolũ quatuor; ſicut in 2. Sententiarũ* habet oſtendi, dũ datur ſufficientia quatuor elementorũ in mundo. * *diſt. 15.*

Item, quæcumque cadunt in aliqua recta linea, neceſſe eſt, quòd ſi alterum ſit compoſitum, quòd omnia ſint compoſita: vt ſi homo eſt compoſitus, neceſſe eſt quòd omnia, quæ ſunt in recta linea, ſint cõpoſita. Hinc eſt quòd differentiæ ſimplices, nec forma, nec materia, ſunt in recta linea. Ergo cùm omnis actio naturæ, & per conſequens omne compoſitum ordinetur rectè ad hominem, in quo eſt omnis modus compoſitionis; oportet quòd illa, quæ principaliter à natura generantur, ſint compoſita.

Præterea compoſitio elementorum; elementa autem duo, vel tria, niſi ſint quatuor, componibilia, vel miſcibilia non ſunt: ergo omne compoſitum principaliter à natura quatuor elementa aliquo modo continet.

Item, ſicut natura non poteſt prima ſeminaria generare, ſed ex illis agit, & illa ſupponit: ſic non poteſt tota natura prima fundamenta naturæ generare, ſed ex illis agit. Vnde neque aqua pura, nec ignis purus, nec terra pura, poteſt per naturam generari, quia iſta ſunt à Deo, & prima fundamenta naturæ. Vnde ſi de terra aliqua generentur, neceſſe eſt ipſam eſſe compoſitam, ſicut ſtatim oſtendã. Et huius opinionis videtur eſſe Comment. ſuper 4. Cœli, & Mũdi,* quia dicit quòd ignis in ſphæra ſua nihil comburit: & ſuper † primum de Anima, quòd aqua pura non poteſt calefieri: imò ex hoc oſtendit, quòd tota iſta aqua noſtra eſt miſta. Vtrùm autem ita ſit, non aſſero: quia contra communem opinionem Doctorum videntur iſta. Sed ideò recitaui, quia audiui; vt ſi reprobandum eſt, reprobetur.

* Com. 32. ex Alex.
† Vide locũ 4. Cœl. cit.

Tertiò, oſtendo quòd in terra, quæ eſt principium paſſiuum, & quaſi materialiter effectiuum, ſcilicet naturalium, eſt quædam diſpoſitio, quædam imperfecta compoſitio ad eſſe compoſitum, quod per naturam producitur, ex quo imperfecto ſurgit omnis perfectio compoſiti naturalis. Eſt autem ſenſus huius ſermonis, quòd ex puro ſimplici nunquam fit compoſitum: ſi enim ex ſimplici fieret compoſitum, ex hoc quòd ſimplex procederet de imperfecto ad perfectum, tunc forma magis perfecta eſſet magis compoſita: quod eſt falſum. Vnde aliud eſt compoſitum eſſe, aliud perfectiorem gradum eſſendi habere. Vnde vult iſta poſitio, quòd niſi iſta terra eſſet compoſita, nunquam natura ex ea produceret compoſitum. Vnde vult quòd primus gradus miſtionis, & compoſitionis, ex quo ſurgit verè eſſe compoſitum naturale, eſt in terra, ex qua pullulant naturalia. Quod patet primò ſic: Illud, quod de ratione ſua prima habet actum exiſtentiæ, non ſolùm eſſentiæ diuiſum contra aliud, non eſt in potentia vt ex eo fiat; quia omnis forma, quæ de potentia alterius educitur, actum eſſendi per agens recipit ex illo: nũc autem quatuor elementa ſunt quatuor corpora,

15. *Ex puro ſimplici non fit compoſitum.*

ſe

secundùm suas actualitates distincta ex prima mundi institutione. Ideò si accipiatur cursus generationis propter hominem habendum, non fit propriè elementum ex puro elemento; sed compositum productum à natura, non habet ex prima institutione aliquod *esse* distinctum, sed eius generatio dimissa fuit naturæ; ergo si simplex nõ facit compositũ, necesse est, vt terra, ex qua generantur composita, habeat illas compositiones primariò, & perfectiori modo, in se à creatione. Vnde post diem Iudicij, quando elementa remanebunt in sua puritate, & simplicitate, illa compositio, quæ est in terra, quæ est fundamentũ omnis generationis naturæ, dissoluetur: ex terra enim nihil generabitur: quia siue pisces generentur ex aqua, siue animalia ex terra, necesse est, vt dicunt, illam aquam, aut terram esse compositam: & sub tali compositione materia corporalis est subiectum generationis.

16. Item, productio naturæ est ordinata; ergo est de imperfecto ad perfectum: omne autem imperfectum, ex quo fit perfectum, participat quamuis incompletè, naturam illius perfecti. Hoc patet in omnibus, quia scientia perfecta generatur ex imperfecta scientia; quia omnis doctrina, & omnis disciplina, ex præexistenti fit cognitione, *in Posterioribus*: ergo cùm terra sit principium passiuum, de quo natura generat compositum; necesse est illam terram habere istam compositionem inchoatam, & sic esse compositam. Et istam perfectam compositionem, dicunt esse rationem seminalem, ex qua fit illud, quod generatur. Item, ars imitatur naturam, 2. Physicorum, * sed impossibile est, quòd aliquid moueatur ad perfectam scientiam, nisi illa scientia secundùm actum imperfectum inchoata, vt iam dixi. Et iterum 5. Physicorum, * omne quod naturaliter mouetur ad aliquem terminum, necessariò habet aliquid de termino: ergo terra nunquam posset transmutari, vt de ipsa fiat compositum, vtpote lignum, vel herba, si compositionem huius imperfectam in se non haberet: sicut dixi de prædicta deductione, quòd non clarè video, quòd contineat veritatem; sic dico de ista: sed ideò recitaui dictum cuiusdam, vt si improbandum sit, improbetur.

1. Post. text. 1.

* text. 22.

* text. com. 65.

17. Quartò ostendo, quòd natura in sua operatione intendit viuum. Intentio naturæ est secundùm intentionem principalis mouentis in natura, cui productum simul assimilatur: sed virtus principalis mouens agentia naturalia, est virtus vitalis, scilicet, virtus Intelligentiæ, quæ mediante orbe, est principalis in agendo naturalia: ergo natura tota in sua vniuersalitate accepta intendit compositum viuum.

Natura in sua operatione intẽdit viuum.

Item, corpora simplicia, inquantum talia, non sunt apta ad vitam: ergo composita inquantum composita, sunt apta ad vitam: sed ostensum est, quòd natura nihil producit nisi compositum: ergo omnis effectus naturæ habet aliquo modo aptitudinem, & aspectum ad vitam.

Item, illa quæ sunt in eadem recta linea, omnia habent aspectum ad vltimum, & completum illius lineæ, & aliquo modo habent aspectum ad illas perfectiones; sed omnia quæ à natura producuntur, sunt in linea recta cum homine, & propter ipsum generantur: ergo cùm homo sit viuens, omnia producta à natura habent aliquo modo aspectum ad susceptionem vitæ.

Item, in operibus ordinatis videmus, quòd natura, & ars semper incipiunt ab imperfecto illius generis, cuius perfectionem quærunt: ergo nunquam natura generat aliquod viuum, nisi ex viuo aliquo modo, licèt imperfecto.

Si obiiciatur, quòd lapides, & metalla generantur à natura, & tamen non viuunt. Respondent isti, & dicunt, quòd viuunt aliquo genere vitæ quamuis imperfecto, quamuis sensus noster obtusus non comprehendat illam vitam; quia non apprehendit esse nisi aliquo certo modo, & aliquo perfecto gradu, qualis primò in plantis incipit apparere. Elementa autem, vt sunt pura, & simplicia, nullo modo viuunt: quia nec sentiunt, nec habent aliquam dispositionem organorum, vel venarum, in sua natura, quæ sunt signa vitæ: metalla autem & lapides sentiunt, & habent multiplicem distinctionem venarum, quæ omnia sunt signa alicuius gradus vitæ. Vnde dicunt, quòd omne compositum à natura productum viuit: & si Sancti, vel Philosophi dicant aliquando contrarium, est intelligendum de illo gradu vitæ, quem sensus primò percipit, qualis est in plantis.

An lapides, & metalla viuant?

Quintò, vt prædicta magis appareát, ostendunt isti, quòd terra (quæ est principium passiuum, & compositum, vt ostensum est, & ratione illius compositionis omnia naturalia fiunt ex illa, vel mista transeunt in illam compositionem; quia sub illa est subiectum generationis, & corruptionis) de ista terra sic accepta, ostendunt, quòd habet aliquem gradum vitæ, quamuis primum, & imperfectum. Qui gradus proficit per agentia naturalia in omnes gradus vitæ, qui sunt in purè naturalibus. Et ex hoc quidem concludunt sensitiuum in brutis esse ab Intelligentia. Primò sic, ex 2. Physicorum, colligitur: sicut tale agens, & tale patiens sunt proportionata ad generandum talem effectum, & mutuò sibi correspondentia: vt mas, & fœmina in diuersis speciebus ad generationem producendam: eodem modo agens, motor, & patiens in tota natura sunt proportionata, & mutuò sibi correspondentia. Ergo quod habet agens actu, & modo perfecto, hoc patiens modo imperfecto: sed Intelligentia vnita orbi in ratione motoris, est agens vniuersale, terra vniuersale patiens, & primum: ergo si iste motor habet vitam, necesse est, quòd hoc patiens habeat vitam modo imperfecto. 18.

An terra habeat aliquem gradum vitæ.

Fortè dices, quòd non concludit, quòd habeat vitam, nisi in potentia passiua, & susceptiua.

Obiectio.

Contrà: si omnia agentia vnirentur, non possent materiam corporis, si essent denudata quantitate, induere: non enim de non quanto omnia, etsi sit materia apta esse sub quantitate, possent facere quantum: sed supponendo quantum augmentat, & ad aliquos actus reducit. Ergo à simili, nisi aliquod habeat principium vitæ saltem imperfectè, non potest agens ducere ad actum vitæ. Non ergo sufficit potentia passiua ad recipiendum aliquem actum naturæ, nisi modo imperfecto sit in subiecto. Vnde concludunt isti, quòd natura non potest facere primam quantitatem, nec primam vitam, nec primam qualitatem: & sic de omnibus primis in quolibet genere patet, quòd necessariò sunt à Deo.

Responsio.

Sextò, ostendunt, quòd nullum tale primum, primam, vtpote, compositionem, primam quantitatem, & primam complexionem (sub quibus, vt dicunt hæc terra est subiectum generationis) nullum agẽs naturale potest producere. Primò, ostensum est, quòd nisi terra composita esset, & aliquod genus 19.

An terræ qualitates sint producibiles ab agente creato.

genus vitæ participaret, natura ex ea effectus suos non produceret. Tunc sic: nullum agens, naturale, vel artificiale, producit subiectum suum; sed terra cum prima mistione, cum prima compositione, cum prima vita imperfecta, est subiectum generationis: ergo nullum agens naturale potest prædicta producere.

Item, illud est naturæ subiectum, ex quo fit per agens, compositum; sed ex simplici non fit compositum, inquantum simplici: ergo si ex terra fiunt composita, necessariò est composita inquantum subiectum; ergo natura non facit primam compositionem, &c.

Item, natura vniuersaliter diuiditur in actiuum & passiuum: natura autem non facit seipsam, sed author naturæ: ergo principium inquantum principium vniuersale, & actiuum similiter vniuersale, non possunt fieri à natura: sed terra non habet rationem passiui respectu alicuius compositionis, nisi vt est habens aliquam compositionem imperfectam; nec viui, nisi vt est habens aliquem actum vitæ imperfectum: ergo illos actus, qui habent de ratione passiui, non possunt producere.

20. Vult ergo hæc positio, quòd prima vita, prima quantitas, prima qualitas, & sic de aliis primis, & imperfectis in quolibet genere, sunt à creatione: & sub illis est terra subiectum generationis naturalis; nec habet pro inconuenienti, quòd hæc terra viuat, sed non in illo gradu vitæ, qui facit plantam, nec in gradu sensibili, nec in aliquo gradu perceptibili, nisi ratione. Et isto modo dicunt quòd totum imperfectum est seminale respectu perfecti. Et isto modo imperfecti non habent pro inconuenienti, quòd contraria, vel diuersa sint composita in eadem terra. Et illud dicunt intellexisse Commentatorem 2. *Metaph. com.*7. vbi dicit, quòd generans non facit aliquid, nisi quòd extrahit, quod erat in potentia ad actum: & vocat potentiam actum imperfectum. Ita videmus de paruo fieri magnum, de non albo album. Et hoc videtur sentire Aristoteles 4. *Physic. in fin. cap. de Vacuo, text. comm.*84. vbi dicit, *Fit calidum ex frigido; & è contrario, quia eadem materia, quæ erat in potentia, fit ex calido, magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non esset prius calidum, sed quod minus erat calidum.*

Item, vide tract. 3. Epitom.

SCHOLIVM.

Licèt Doctor in fine huius dubij, an scilicet anima brutorum sit ab intrinseco, vel educatur de potentia materiæ, asserat se non approbare, quæ dicta sunt in septem istis prænotatis; attamen in 2. dist. 18. *quæst. vnica docet rationem seminalem esse in materia, & ab eius potentia educi formas omnes materiales. Non itaque conclusionem hanc isto in loco reiicit, sed rationes, quarum potissima eò videtur tendere vt probet animam sensitiuam brutorum originari ab illa vita inchoata & imperfecta, quam quidam ponebant in elementis, & omnibus mistis. Atque hanc gradatim per præcedentia notabilia ita stabilierunt, vt tandem inferrent ex ipsa brutorum materia procedere, & latere animarum suarum originem, & vitam inchoatam. Scotus autem & potiores Theologi huiusmodi vitarum imperfectarum latebras non admittunt; sed asserunt formas potestate & virtute in materia præexistentes naturalium causarum efficacitate de illius potentia, & quasi gremio, vel sinu exciri, & ad actum perfectionémque duci; atque ex ipsa & in ipsa vnica actione produci, & productas ab ipsa dependere in fieri & conseruari. Vide Fabrum theoremate* 16.

Ex his concludunt, quòd scilicet anima sensitiua in bruto sit ab intrinseco. Et primò sic: vita est inchoata in natura, ergo omnis vita, quæ subest agenti naturali, ex illa procedit: vita autem bruti subest generantibus naturalibus: ergo necessariò ab intrinseco procedit. 21.

An anima sẽsitiua bruti sit ab intrinseco.

Item, omnis forma separabilis habet aliquam operationem, quæ non communicat materiæ, vt dicitur 1. *de Anima, text.* 13. hoc autem non habet sensitiua bruti; ergo non est separabilis; ergo est ab intrinseco.

Si dicas, ergo sensitiua hominis non est separabilis: dicetur de hoc in sequenti articulo.

Item, impossibile est, quòd vnius lineæ rectæ sint nisi duo termini: ostensum est autem, quòd linea formarum necessariò terminatur ad formam, quæ est à creatione: & per hoc quòd est ab extrà, est vltimus terminus lineæ; & medium coniungens infima supremorum, scilicet spiritualium, supremis infimorum, scilicet corporalium: vt patet in primo articulo *: ergo omnis forma, quæ est citra illam, necessariò est est ab intra: nam si esset ab extra, esset vltimus terminus lineæ, & tunc erunt duo termini; quod est impossibile ex parte superiori lineæ. * suprà n. 6.

Item, intellectiua, vt ostensum est *, est ab extrà; ac per hoc non educitur per agens naturale de potentia materiæ: sed sensitiua potest educi actione naturali: ergo necessariò erit ab intra, & educetur de potenita materiæ. * suprà n. 2.

Item, arguitur ex parte finis, à quo sumitur potior ratio demonstrandi. Secundùm rationem finis attenditur conditio rerum de voluntate naturæ; sed videmus quòd creaturis, quæ non procedunt de potentia materiæ, (vt sunt Angeli, & anima rationalis) inest appetitus respectu summi boni & simpliciter, & respectu finis separati: ergo creaturæ, quibus non inest appetitus respectu boni simpliciter, sed respectu boni contracti, & vt nunc, aut sunt habentes materiam, aut de potentia materiæ educuntur, & earum origo est ab intra. Quæ autem in prædictis articulis septem dicta sunt non capio esse vera; sed vt audita refero, & improbanda, si videatur, relinquo.

ARTICVLVS IV.

Vitam sensitiuam hominis ab extra prouenire & creari.

Sequitur quartum, scilicet quòd sensitiuum hominis sit ab extra, & non de potentia materiæ eductum. Vbi primò est videndum, quæ sunt illa, quæ generant dubitationem, quòd non sit ab extra. Secundò, est ostendendum quòd ab extra. Tertiò, soluenda sunt illa dubia. Sciendum ergo, quòd dubium facit illud dictum; primò authoritas Aristotelis in lib. de Animalibus *, qui dicit quòd embryo sentit; sed actus non est sine potentia, nec potentia sine substantia; ergo est ibi substantia sensitiuæ: nec potest corrumpi ab intellectiua, quia cùm sit eius completiua, potiùs saluatur: nec per corruptionem corporis, quia tunc non corrumpitur: manet ergo sensitiua generata cum intellectiua infusa: nec debent 22.

* lib. 6. c. 8. *Probatur educi de potentia materia.*

debent dari duæ ſenſitiuæ, cùm vna ſufficiat ad omnes actus ſenſitiuæ eliciendos. Deinde, Ariſtoteles aſſerit ſolum intellectum prouenire ab extrinſeco; ergo iudicat ſenſitiuum eſſe ab intrinſeco, & educi de potentia materiæ.

Facit etiam dubitationem Commentator 5. *Phyſic. text.* 157. qui dicit, quòd mus generatus per putrefactionem, & per coïtum non ſunt eiuſdem ſpeciei: animal autem prædicatur vniuocè de homine, & aliis ſpeciebus.

Mouet etiam excellentia virtutis, quæ maior videtur eſſe in ſemine humano, quàm in aliis animalibus: ergo generabit ſenſitiuum.

Mouet etiam, quod dicit Ariſtoteles 1. *de Anima, text.* 13. quia forma ſeparabilis habet aliquam operationem ſeparabilem, quod non habet ſenſitiua hominis.

SCHOLIVM.

Docet animam ſenſitiuam in homine non educi de potentia materiæ à generante, ſed ſimul infundi cum anima rationali, idque probat authoritatibus Auguſtini, & ex actuum & potentiarum experientia, & perfecta colligatione vniuerſi, quam acutiſſimè explicat. Et oſtendit vitam ſenſitiuam, quæ aliàs per ſe in brutis eſt realiter diſtincta, & ſolitaria abſque rationali, vniri perfectè cum eadem in homine. Vnde docuit in 4. *diſt* 44. *quæſt.* 1. §. Præterea partes carnis, *tres animas, vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam eandem eſſe in homine. Vbi obiter noto haberi in omnibus editionibus quaſdam citationes pro eadem aſſertione* 2. *Sententiarum; quæ tamen aliunde irrepſerunt, omnes enim fallunt lectorem. Qualiter verò hæ tres animæ in vnam coaleſcant, & primæ duæ contineantur in rationali; an formaliter, ſiue virtualiter, ſeu eminenter, videndi ſunt Complut. diſput.*4. *de diuiſione animæ, quæſt.*2. *Suarez tract.*3. *de Anima, lib.* 1. *cap.*6. *Toletus lib.* 2. *quæſt.* 3. *Hîc obiter aſſerit Scotus continentiam eſſe radicalem. Qualiter autem corrumpi dicuntur ad introductionem animæ rationalis, vegetatiua, & ſenſitiua ſucceſſiuè prius introducta in fœtu imperfecto, lege Rubium lib.*2. *de Anima, cap.* 3. *quæſt.* 5. *à num.* 153. *vſque ad* 159. *& Cauellum in ſupplem. librorum de Anima diſp.*1 *ſect.*7. *num.* 6.

23. *Vera ſententia eſt à Deo creari.* * num. 4.

Quibus & ſimilibus non obſtantibus eſt dicendum, quòd ſenſitiuum in homine eſt à creante. Quod declarat primò authoritas Auguſtini *de Spiritu, & Anima*, ſuperiùs * allegata, vbi vnam dicit animam animalem & intellectiuam. Et ne fortè dicas, quòd vna ſit anima ex ſenſitiua generata, & intellectiua creata, ideò præmiſit illam, *Quæ & viuificat, & rationem diſponit creatam.* Ad idem facit authoritas eiuſdem ſuperiùs allegata: & hoc expreſsè docet Auguſtinus exponens illud Geneſis 2. *lib.*7. *de Geneſ. ad litt. c.*16. *&* 17. *Formauit Deus hominem*, &c. ſequitur, *& inſpirauit in faciem eius*, &c. Vbi expreſsè dicit, quòd quantùm ad ſenſitiuam inſpirauit; & ideò ſpiraculum vitæ: vnde exponens hoc * contra Manichæos, ait: *Ipſi animæ ſenſus eſt additus iſta inſufflatione, cùm factus eſt homo in animam viuentem.* Et non ſolùm vita & ſenſus, ſed etiam omnis actus vitæ, qui ab anima haberi poteſt, in iſta inſufflatione infuſus eſt.

* lib. 2. de Gen. cap. 8.

Mouet nos ad hoc experimentum, quia videmus quòd aliæ facultates animæ in ſuis actibus ſe retrahũt, & impediunt, & expediunt: quod non eſſet niſi in vna ſubſtantia animæ radicaliter eſſent. Item, experimur quòd ſimul ſeparantur. Tertiò, ratio hoc ſuadet, quæ ſumitur principaliter ex ordine formarum, & ligamento vniuerſi. Ad cuius euidentiã eſt ſciendum, quòd cùm mundus, ſecundùm Dionyſ. *c.*7. *de Diuin. nom.* vt ſuprà dictum eſt, ſit vnus, quia ſuprema infimorũ coniunguntur cum infimis ſupremorum: ſed ſi ordo vniuerſi diligenter inſpiciatur, ligamentum in rebus imperfectioribus fit per plura, & per naturam magis vniuerſaliter ſumptam. Et ne oporteat ad omnes gradus eorum deſcendere, hoc patet in magis manifeſtis. Miſtum & complexionatum ligatur cum vegetatiuo in omnibus herbis & arboribus; vegetatiuum cum ſenſitiuo in paucioribus, quia in ſolo vno genere, ſcilicet in animali: ergo ſenſitiuum, quod eſt finis intrinſecus naturæ, ligatur cum intellectiuo, non in toto vno genere, ſed in tota vna ſpecie, ſcilicet in homine. Videtis ergo quòd in toto vniuerſo ſuprema infimorum, non ſecundùm totum ambitum ſuum, ligantur cum infimis ſupremorum: in pluribus enim eſt miſtum, quàm complexionatum, complexionatum, quàm vegetatiuum, & vegetatiuum, quàm ſenſitiuum. Et hoc eſt ſignum quòd perfectio vniuerſi habet latitudinem baſis, & tendit in conum; cuius perfectio terminatur in puncto vnionis verbi Dei ad humanam naturam. Patet etiam quòd vniuerſum non ligatur in aſcendendo per omnes ſuas ſpecies; ſed per perfectiores partes ſuas: vnde vegetatiuum ligatur cum ſenſitiuo, non per eſſe vegetatiuum, ſed per perfectiora vegetatiua, cuius modi ſunt animalia.

Mirabilis ordo & colligatio vniuerſi.

Egregiè omnia deducit ad Chriſtum vt creaturarum omnium terminum. vide q. anteced. n.96.

Ex iſtis patet, quòd nunquam natura inferior ligatur ſuperiori per totam ſuam latitudinem; ſed per conum vnum, hoc eſt, per ſuum perfectius: ergo natura ſenſitiua non ligatur ſecundùm ſe totam, hoc eſt, ſecundùm omnes ſuas ſpecies cum intellectiuo, ſed per conum ſuum, hic eſt homo: quia oſtendi ſuprà * quòd in homine de ratione ſua eſt cognitio ſenſitiua. Et eſt aduertendum, quòd conus, quo natura inferior ligatur ſuperiori, quantò magis intendimus in aſcendendo, tantò eſt ſtrictior latitudine, & altior gradu & perfectione. Vnde conus vegetatiuæ altior eſt ſua baſi: quia non vnitur ſenſitiuo per omne vegetatiuum, ſed per magis perfectum. Et iſte conus, ſeu pyramis conſiſtit non in ſpecie ſpecialiſſima, ſed eſt obtuſus; quia conſiſtit in genere, ſcilicet in omni animali. Conus autem ſenſitiuæ, ſiue pyramis, quâ ligatur cum intellectiuo, minùs eſt latus extrinſecè, & magis altus in eſſe: quia conſiſtit in vna ſola ſpecie, quæ eſt homo: & altior eſt in gradu eſſendi, quàm animal. Conus autem, ſiue pyramis hominis, quo ligatur cum Deo, adhuc eſt minoris latitudinis extenſiuè; quia ſit in ſolo vno homine Chriſto: & maioris altitudinis etiam rationalis omni alio homine. Vidéſne ordinem rerum, & ligamentum ipſarum per modum pyramidis aſcendentium. 24.

* quæſt.9.

Ex his concludo, quòd ſi ſenſitiua eſſet in homine à generante, ſicut eſt in brutis; ſicut ſenſitiuum non vnitur intellectiuo per aliam ſenſitiuam, hoc eſt, in aliis ſpeciebus (eo quòd nullum faciat conum, ſiue terminat pyramidem modo immediatè propinquo intellectiuo; quia omnia ſunt corruptibilia, & de potentia materiæ educta) ſic nec ſenſitiuum humanum ligaret naturam inferiorem cùm intellectiuo, nec conum faceret, nec punctum pyramidis, ſi corruptibile eſſet, & de potentia materiæ eductum. 25.

Si

Obiectio. Si fortè dicas, quòd sensitiua in homine, quamuis à generante, nobilior est omni alia sensitiua, ac per hoc in ascendendo facit conum, & constituit pyramidem, vt sit vnibilis intellectiuæ.

Solutio. Dico, quòd ista nobilitas non inuenitur in actibus, cùm aliqua animalia acutiùs videant homine; vt aquila: & sic de aliis sensibus; ergo ex hoc non apparet, quòd debeat facere conum summum respectu aliorum sensitiuorum: nec in substantia, si sit de materia educta: quia tunc est corruptibilis. Ideò oportet quòd ratio summitatis, quâ ligatur cum intellectiuo, sit media inter intellectiuum ex vna parte, & sensitiuum omnium aliorum animalium ex alia. Hæc autem mediatio non est in operando, quia indiget organo vt aliæ: ergo est in essendo, & in modo productionis, quia omnes aliæ sensitiuæ, & sunt ab intra & corruptibiles, & alligatæ secundùm substantiam, & rationem, & potentiam organo corporali. Intellectiua est ab extra vnita materiæ secundùm substantiam, & non secundùm potentiam; vt suprà * patuit: sensitiua verò hominis est ab extra, in quo excellit alias sensitiuas, ligata materiæ ratione subiecti; & etiam ratione potentiæ: in quo est inferior intelligentia. Et sic patet, quòd verè non est medium vnitiuum & ligatiuum, nisi sit ab extra.

* quæst. 9.

26. *Soluũtur rationes positæ num. 22. Ad primum argumẽtum.* Nunc oportet soluere dubia contra hoc, quæ plana sunt; quia Aristoteli, quòd *Embryo priùs viuit vitâ plantæ, & animalis, & priùs est animal, quàm homo*, respondent aliqui Doctores, & benè, quòd tunc res vsu consueto dicitur primò fieri, vel esse, cùm priùs innotescit, licèt priùs fuerit in re. Et secundùm hoc in eo, quod generatur ex embryone, vel in ipso embryone (si ipse fœtus nouellus vocatur *embryo*) priùs dicitur animal, quàm homo; quia in tali fœtu nouello, ex embryone genito, priùs apparent opera vegetatiuæ, seu actus plantæ, quàm animalis; & priùs actus & opera animalis, quàm hominis: non quia alia sit forma, per quam est animal, & alia per quam materia est homo: sed quia opera imperfecta, quæ fiunt ab eadem forma, priùs apparent, quàm opera perfecta. Vnde pueri in populo vocant omnes homines patres, & omnes fœminas matres: deinde distinguunt hunc esse patrem, & illam esse matrem.

Ad secũdum. Quod etiam Aristoteles dicit, quòd *Solus intellectus intrat ab extrinseco*. Respondeo, quòd intellectus aliquando nominat substantiam animæ intellectiuæ: & isto modo non excludit vegetatiuum & sensitiuum, quæ secum faciunt vnam substantiam. Alio modo nominat solùm potentiam intellectiuam, vel ipsam intellectiuam, excludendo vegetatiuam & sensitiuam: & isto modo illud verbum Aristotelis esset falsum: sed ipse intelligit primo modo.

Obiectio. Si dicatur, quòd solus intellectus separabilis est, sicut perpetuum à corruptibili, vt dicit Aristoteles 3. *de Anima, text.* 20. & loquitur de potentia intellectiua, alias excludendo.

Respondeo, sicut dictum est in præcedenti quæstione *, quòd cùm substantia intellectiua verè sit forma corporis humani; potentia autem intellectiua verè sit in substantia intellectiuè, vel idem quod ipsa, necessarium est, quòd ipsa potentia intellectiua sit in materia, seu in corpore, in quo est sua substantia: & per consequens actus intelligendi, etiam species, quæ sunt in potentia

* num. 27.

intellectiua, necessariò sunt in illo, in quo est potentia.

Sed aduertendum est, quòd differunt, aliquid esse in aliquo vt forma in materia, & vt accidens in subiecto. Quoniam secundùm Commentatorem super principium 2. *de Anim. tex. com.* 4. æquiuocè dicitur esse forma in subiecto, & accidens. Subiectum enim accidentis est aliquid existens in actu; & non indiget in quantum tale in suo esse ipso accidenti. Subiectum autem formæ non habet esse in actu nisi per formam. Nunc igitur cùm substantia intellectiua sit per se in materia, potentia autem intellectiua, & actus eius sit in eadem materia per substantiam formæ; omne autem *per aliud* reducitur ad *per se*, necesse est, quòd potentia intellectiua, & species intelligibiles sint in corpore per substantiam animæ per accidens: non quidem in corpore per accidens, sicut in subiecto: sed sicut in perfectibili per accidens, secundùm illum modum, quo substantia animæ est in corpore, sicut perfectio & forma. Non quòd corpus perficiatur per se, nec per accidens à potentia intellectiua, vel specie intelligibili, nisi accipiendo *per accidens* valde largè; sed quia potentia, quæ est per se in substantia animæ, sicut in subiecto, saltem secũdùm modum (hoc dico, quia nondum ostensum est, vtrùm potentia sit idem, quòd sua substantia) ideò per illam substantiam est potentia in corpore, non sicut in subiecto, sed sicut in perfectibili, quod dicitur perficere per accidens, quia est in substantia animæ, quæ per se corpus perficit. 27. *Potentia intellectiua, & species intelligibiles quomodo sunt in corpore.*

Est autem aduertendum, quòd *per accidens* reducitur ad *per se* duobus modis; vno modo, quando illud, quod conuenit alicui per accidens, scilicet per illud, de quo dicitur per se, natum est etiam ei de quo dicitur per accidens, per se conuenire: vt clauus fixus in rota mouetur per accidens; quia per motum rotæ, quæ mouetur per se, non ex se; quia per se mouetur quidquid est subiectum motus, etiam si ab aliquo moueatur. Ex se autem mouet, quod virtute sua intrinseca ad diuersas partes mouetur: quod conuenit animalibus solùm; vt dicitur 8. *Physic. tex.* 27. & 28. Alio modo reducitur *per accidens* ad *per se*, quando illud quòd conuenit alicui per accidens, per illud scilicet, cui per se conuenit, non est natum ei, de quo dicitur per accidens, per se conuenire; vt color mouetur ad motum corporis, qui tamen per se non est natus moueri. Cùm ergo dicimus, quòd potentia intellectiua, & species intelligibiles sunt in corpore vt in perfectibili per accidens, per substantiam animæ intellectiuæ, quia per se perficitur corpus, ly *per accidens* debet accipi vltimo modo: quia perficere corpus, vel materiam corporalem, nullo modo per se conuenit potentiæ, nec speciei; & sic non possunt esse in corpore, vt perfectio in perfectibili: nec etiam possunt esse in subiecto, vt accidens in subiecto, nec per se, nec per accidens. Cuius ratio est, quia omnis potentia, quæ est immediatum principium operandi, quæ per se, vel per accidens est in materia, vt in subiecto necessariò est contracta, & limitata; ac propter hoc nec libera, nec habet subiectum vniuersale; nec in hoc est differentia, siue per se, siue per accidens sit in materia, vt in subiecto. 28. *Per accidens dupliciter reducitur ad per se.*

Ex his patet, quòd non potest dici quòd corpus intelligat; quia potentia intellectiua, nec per se, nec per accidens est in corpore, tanquam in subiecto. Patet etiam, quòd totus homo per se intelli 29.

intelligit, & eſt *quod* intelligit, quamuis *quo* intelligit *remotè*, ſit pars formalis animæ, vt anima intellectiua, & *quo* intelligit *immediatè*, ſcilicet potentia: eſt etiam formalis perfectio materiæ per accidens & per reductionem. Nec ſequitur, quòd ſi illud quo immediatè intelligit, per accidens ſit perfectio, quòd propter hoc homo per accidens intelligat; quia ad hoc, quòd actio attribuatur compoſito per ſe, ſufficit quòd illud, quo tanquam principio remoto operatur, ſit perfectio materiæ, vel compoſiti per ſe, quamuis illud, quo immediatè operatur, ſit eius perfectio per accidens: ſicut totus ignis per ſe, agit per formam ignis; quamuis caliditas ſit per accidens perfectio ignis, quia non eſt forma conſubſtantialis eius.

In homine quod intelligit, & quo intelligit.

Ex his patet, quòd potentia intellectiua, eſt in ſubſtantia animæ per ſe, vt in ſubiecto, ſicut accidens, vel habens modum accidentis: in corpore verò humano nec per ſe, nec per accidens vt in ſubiecto; eſt tamen in eo per accidens, & per reductionem: ſicut perfectio in perfectibili, modo dicto: ſubſtantia verò animæ eſt in materia, & in corpore per ſe, vt perfectio in perfectibili.

30. Tunc ad propoſitum dico, quòd potentia intellectiua dicitur ab Ariſtotele 3. *de Anim. text.* 20. ſeparari à vegetatiua, & ſenſitiua, tanquam perpetuum à corruptibili propter duo. Primò, quia quamuis tota ſubſtantia animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, tanquam incorruptibilis ſeparatur, tamen ſua potentia intellectiua, vt eſt principium operandi, ſeparatur: ſed potentiæ ſenſitiuæ non remanent in anima ſeparata, vt potentes operari; ſed ſolùm in radice. Cuius ratio dicta fuit in præcedenti quæſtione *, quia de ratione ſenſitiuæ, vt operatiuæ, eſt organum corporale. Alio modo dicitur ſeparari à prædictis, quia, vt dictum eſt, nec per ſe, nec per accidens eſt in corpore, vt in ſubiecto, nec perfectio per ſe. Potentiæ autem ſenſitiuæ ſunt in materia & organo corporali, vt perfectio per ſe, quia ſi oculus eſſet animal, viſus eſſet eius anima.

* q. 9. n. 63.

Argum. 3. Ad aliud Commentatoris dico, quòd modus operandi non variat ſpeciem: ſola enim illa faciunt vnitatem, & varietatem ſpeciei, quæ ſunt de eius ſubſtantia. vt materia & forma: & hoc patet in Adam, & in aliis.

Argum. 4. Ad aliud, quòd cùm illud, quod introducitur in corpore humano virtute animæ generantis, ſit diſpoſitio ad ligandum, vel ad vniendum illud, quo ligatur creatura corruptibilis cum ſpirituali, nobilius eſt & cenſetur, quàm quodcunque ſenſitiuum bruti, per quod hoc non poſſit fieri; ſicut per comparationem ad finem, habitus gratiæ, quo vnimur Deo, eſt nobilior forma lapidis, vel ſenſitiua.

Argum. 5. Ad illud, quòd ſenſitiuum inquantum ſenſitiuum, non habet operationem ſeparatam, ac per hoc non eſt ſeparabilis, inquantum talis; quia omnis ſenſitiua eſſet ſeparabilis, inquantum talis: ſeparatur autem ſenſitiua hominis inquantum hoc, id eſt, inquantum in ipſa, & per ipſam ligatur genus intellectiuorum animalium cum genere ſenſitiuorum: & per conſequens cum aliis. Quod quidem ligamentum fit etiam aliquo modo in anima ſeparata, dum ſunt vna ſubſtantia ipſa & intellectiua. Et hoc ſufficit pro operatione, vt ſit ſeparabilis; quia, vt oſtenſum eſt ſuprà, niſi eſſet incorruptibilis, non ligaret.

ARTICVLVS V.

Secundùm varias generationum ſpecies requiri etiam diuerſa agentia, & in humana requiri præſertim agens diuinum.

Reſtat de quinto quærere, quòd ſcilicet in generatione aliquorum ſufficit agens vniuerſale, vt Sol, & ſtellæ: in generatione aliorum requiritur agens ſimile in ſpecie: in generatione autem hominis, nec iſta, nec illa ſufficiunt, ſed requiritur actio Dei formam infundentis. 31.

SCHOLIVM.

Omnium animantium generationes ad tres ſpecies hîc reducit Scotus, & diſtinguit iuxta agentium varietatem. Res quaſdam ait gigni à cauſis vniuerſalibus, vt quæ generantur per putrefactionem. Alias ab agente particulari ſimili in ſpecie, vt equum ab equo, cui etiam gignendo cooperantur cauſæ vniuerſales, vt Sol. Alias ab agentibus particularibus, & vniuerſalibus creatis, accedente etiam increato, hominem videlicet, cui gignendo concurrunt aſtra, homo, & Deus, atque hîc non ſolùm concurſu vniuerſali, qualis requiritur in reliquarum rerum generationibus, verùm etiam ſpeciali cooperatione per animæ creationem & vnionem. Has etiam tres generationis ſpecies alij agnoſcunt Philoſophi, vocántque primam latam, *ſecundam* mediam, *tertiam* preſſam. *Et* Latæ *hanc aſſignant definitionem:* Productio, ſeu proceſſio rei viuentis ab aliquo. Mediæ *iſtam:* Proceſſio viuentis à principio vitæ coniuncto ſecundùm rationem ſimilitudinis ſaltem ſpecie infima. Preſſæ *illam:* Proceſſio viuentis à principio vitæ coniunctæ per cognitionem, atque amorem operante, ſecundùm rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima. *An verò ſint diſtincta ſpecie quæ generantur primo modo, ab eis, quæ generantur ſecundo; ſiue, vt alij loquuntur, generata ab agente æquiuoco & vniuoco, vel generata per putrefactionem, & propagationem, vide Scotum in 1. diſt. 2. quæſt. 7. §.* Quod concluſio ſit falſa. *& in 4. diſt. 43. quæſt. 1. §.* Auguſtinus etiam.

Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quòd eſt quorundam opinio, quòd ſola qualitas corporalis, quæ calor dicitur, eſt principium, & cauſa omnium naturalium, abſque alia virtute deciſa in ſemine, in his quæ à ſibi ſimili generantur: vel abſque virtute infuſa à corporibus cœleſtibus in materia, in his, quæ per putrefactionem generantur: vt equus, calore exiſtente in ſemine deciſo, abſque alia virtute ibi deciſa, generat equum; & ſic de aliis: & Sol generat terrænaſcentia, mediante ſolo calore, ſine aliqua virtute. Dicunt autem quòd varia generantur, ſecundùm quòd calor generans eſt alterius & alterius gradus; vt ex ſemine equi ſecundùm vnum gradum caloris, generatur equus; vt ex ſemine aſini, ſecundùm alium gradum caloris, aſinus: & ſic etiam de generatione, quæ fit à Sole abſque virtute deciſa à Sole cum ſuo calore.

An calor ſit principium rerum naturalium.

Secundùm iſtorum opinionem non occurreret cauſa, quare ſic aliqua generantur à ſimili, quòd nullo modo ex putrefactione, vel è contrario: vnde hæc poſitio ſtare non poteſt. Certum eſt enim, quòd agens, & operatio, & operata, 32.

ſe habent per ordinem. Nunc autem calor generans, conſideratus vt eſt tantùm calor, ſecundùm diuerſos gradus receptus in ſubiecto, non differret niſi ſecundùm magis & minùs: ergo nec operatio ſua, nec operata: ſed certum eſt, quòd operata, ſeu generata differunt ſpecie: ergo oportet quòd per aliquod additum calori, cùm non differant eius gradus, niſi ſecundùm magis & minùs, determinetur ad talem, vel talem operationem, & ad illud generatum. Illud autem ego dico eſſe virtutem agentis exterioris, vel influxum: vt in calore Solis digerente materiam eius, quod per putrefactionem generatur, eſt virtus congruens, & determinata ad generandum vermem talis ſpeciei; & in ſemine equi virtus deciſa ab anima, vel potiùs à toto equo, ad producendum equum, & non aſinum: & ſi ſemen ſit admiſtum, & à duobus deciſum, vt dum mulus ex equo & aſina generatur, virtus ab vtroque deciſa eſt vna commiſta, per quam mediante calore, mulus, & non aliud generatur. Per iſtam igitur virtutem cum calore in ſemine tale generatur, & non aliud generatur. Nunc nos dicimus quòd virtus animæ regit, & determinat calorem digerentem, vt cibum in talem carnem conuertat, ſcilicet humanam, vel equinam: quod de ſe calor non faceret, niſi à tali virtute determinatus eſſet: ſicut inſtrumentum, quod de ſe eſt indifferens vt ſecet lignum pro iſto, vel illo idolo, regitur à manu, & arte ad ſecandum formam talis, vel talis idoli. Et hoc eſt quod dicit Ariſtoteles 7. *Metaphyſ. text. com.* 31. *Semen*, inquit, *facit ſicut illa, quæ ſunt ex artificio.* Super quod dicit Commentator: *Semen generat per potentiam in eo ſimilem artificio*: vocat potentiam ſimilem artificio illam virtutem relatam caloris.

33. Iam ex dictis patet, quòd in omni generato oportet quòd ſit virtus regulatiua caloris, & aſſimilans generatum generanti, vt ſic omne generatum ſit ſimile generanti, vel re, nomine, vel virtute, vt in propagatis vniuerſali virtute tantùm, ſicut Sol virtute continet omnes formas generabiles; & maximè eorum, quæ fiunt per putrefactionem: & hoc eſt quod ſubdit Ariſtoteles, poſt prææallegatum verbum: *Iſtud* (inquit) *ex quo eſt ſemen, eſt conueniens in nomine ſicut illa quoque modo. Non enim oportet quærere omnia in iſta eadem diſpoſitione, in qua generatur homo ex homine: mulier enim ex viro eſt: & ideò mulus non eſt ex mulo, niſi ſicut quidam.* Et eſt ſenſus, quòd generans & genitum non ſemper conueniunt in omnibus conditionibus: ſicut homo conuenit cum homine generante in omnibus, quia naturaliter deficit aliquantulum ab hac conuenientia, & mulus plus. Tamen ſemper generans & generatum conueniunt in virtute, quòd ſcilicet, generans virtute continet formam generati modo iam dicto. Vnde aliter habet generans equum formam equi generati, quia ratione ſpecifica, & nomine; aliter domificator formam domus, quia virtute, ratione artis, quam habet, & continet in mente. Et iſto modo Sol aliqualiter habet formas omnium generabilium, maximè quæ à virtute Solis, & ſtellarum generantur, ſicut artifex, ſecundùm authoritatem Ariſtotelis prææallegatam.

34. Ex his patet quòd quamuis omne generans ſit aliquo modo ſimile generato, tamen quantò generatum minoris eſt perfectionis, tantò minùs oportet actionem ſibi aſſimilari. Hinc eſt, quòd in his, quæ generantur per putrefactionem, eo quòd ſint generis imperfecti; quia putredo eſt eis pro materia, & pro ſemine virtus corporum cœleſtium, maximè Solis; quæ variatur tantùm propter diuerſitatem aſpectuum, ſecundùm propinquum, aut remotum: tamen propter contemperantiam, quam recipit ſecundùm ordinem & reſpectum, quem habet ad cœli ſignum, & ad ſtellas, tam fixas, quàm erraticas: talis, inquam, virtus eſt eis pro virtute maris, determinans & ſpecificans actionem caloris, ſecundùm exigentiam & proportionem cuiuſlibet ſpeciei generabilis. Tale autem generans, vt dixi, virtute continet formam generati; ſicut artifex artificiati; non rei, nec nominis communicationem. Alia autem, quæ ſunt maioris perfectionis, indigent virtute magis determinata, vt ſcilicet non ſolùm virtute, ſed re, & nomine, agens formam contineat generati: vt cùm equus generat equum. Nunc autem tota ratio generabilis, non poteſt in his duobus conſummari; in eo ſcilicet, quod generatur ab agente vniuerſaliter, vt quæ per putrefactionem generantur, & in eo, quod generatur ab agente particulari, vel vniuerſali ſimul; vt equus, & ſimilia quæ propagantur. Ideò oportet dare terminum generatum, cuius generatio inchoatur ab agente particulari creato, & vniuerſali creato: cuiuſmodi eſt homo: quia homo generat hominem, & Sol; & completur ab agente increato. Ex hoc apparet effectus naturæ completus; ad cuius completionem concurrit omne agens, tam creatum, quàm increatum; tam particulare, quàm vniuerſale: & in iſto conſiſtit finis naturæ. Ex his ſatis patet de ſe ſolutio ad argumenta in oppoſitum.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm anima ſit ſua potentia?

Alenſ. 2. *part. quæſt.* 65. *mem.* 1. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 77. *art.* 1. Caiet. & recentiores *ibid.* Capreolus *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 4. Gregor. *in* 2. *diſt* 16. Gabriel *ibid.* Occam *in* 2. *quæſt.* 24. Sotus *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 5. Ferrarienſ. 2. *cont. Gent. cap.* 65. Ægidius *quodl.* 3. *quæſt.* 10. Heruæus *quodl.* 1. *quæſt.* 9. Iand. 2. *de Anim. quæſt.* 9. Valentia 1. *part. diſp.* 6. *quæſt.* 3. Conimbr. *cap.* 3. *quæſt.* 4. Toletus *quæſt* 9. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 5. *quæſt.* 1. *ſect.* 5. Suarez *lib.* 2. *de Anim. cap.* 1. Auerſa *tom.* 2. *Philoſoph. quæſt.* 47. *ſect.* 1. Vide Doct. *in* 2. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. *&* *in* 4. *diſt.* 12. *qu.* 3. *&* *diſt.* 44 *quæſt.* 2. §. *Nec tamen nego.*



CIRCA iſtam quæſtionem, primò oportet videre, quomodo potentia ſe habet ad illud, cuius eſt potentia; & hoc tam de actiua, quàm de paſſiua, vt ex vna comparata ad aliam, natura, & conditio potentiæ pleniùs eluceſcat. Secundò, videndum eſt quomodo vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum ſe habent ad ipſam animam humanam; quæ ſecundùm Philoſophum *lib.* 1. *Moral. ad Nicomach. cap.* 13. partes ſunt animæ. Tertiò, inquirendum eſt, quomodo illud, quo anima agit ſuas operationes, quæ eſt ſua potentia, ſe habet ad ſuam ſubſtantiam, ſicut quæſtio quærit. Quartò, ſoluendæ ſunt omnes rationes quæ videntur facere contra reſolutionem quæſtionis. 1.

Articvlvs I.

In Deo sola est potentia actiua, in materia prima sola passiua, in entibus intermediis tam actiua, quàm passiua.

Circa primum est sciendum, quòd secundùm Philosophum 5. & 9. *Metaph. text.* 2. duplex est genus potentiæ, ad quod omnis potentia reducitur, scilicet potentia actiua, & potentia passiua. Hæc autem duo genera potentiæ in aliquibus sunt distincta, ita quòd potentia omnino actiua, & nullo modo passiua est in vno, in altero è contrario potentia passiua. Prima est in solo Deo: secunda in materia omnino prima, cuius entitas dicitur propè nihil. In omnibus autem entibus mediis hæ potentiæ sunt permistæ secundùm accessum & recessum ad materiam, & ad causam primam, se habentes secundùm magis & minùs. Ita quòd secundùm quòd plus appropinquant materiæ primæ, & elongantur à participatione actualitatis diuinæ, plus habent de natura potentiæ passiuæ, & minus de natura potentiæ actiuæ: & è contrario plus de actiua, quàm de passiua.

Duplex potentia.

2. Quòd autem in Deo ipso sit potentia omnino actiua, patet. In ipso potentia, essentia, actio, sunt omnino idem, sola ratione & conceptu differentia; quia aliàs in Deo esset compositio, ac per hoc esset dependens ab alio, scilicet à principiis: nec esset omnimoda primitas in ea, cùm componentia, saltem ordine naturæ, priùs sint composito. Sequeretur etiam, quòd Deus nõ esset agens omnino & simpliciter primum: omne enim agens, in quo differt potentia & essentia, necessariò est agens per aliud reducibile ad per se; & potentia illius ad potentiam istius, tanquam quod est per participationem potens ad illud, quod est potens per se. Et quia omnia agentia ad agens primum reducuntur, vt posterius ad prius, & participans ad illud, quod est tale per se; necesse est vt Deus cùm sit ens & actus, primus simpliciter per suam essentiam omnem eliciat actionem; ac per hoc, quòd sua potentia sit idem realiter, quod sua essentia. Nec illud, vt dicetur in tertio articulo, potest conuenire alicui creaturæ secundùm istum modum; vt scilicet sua essentia absque alio superaddito sit ei sufficiens ratio ad operandum; sicut nec ratio totalis primitatis, & consummatæ actualitatis, & entitatis per se & independentis, nulli potest conuenire, nisi Deo.

In Deo est sola potentia actiua.

3. Quòd autem materia sit idem cum potentia passiua, omnino solo respectu differens, ostensum fuit *suprà* * in quæstione de compositione animæ multiplici ratione. Et satis patet; quia si potentia materiæ esset aliud ab ea, esset necessariò recepta in materia, vt accidens, vel forma eius. Et tunc quæram, vtrùm materia seipsa illam recipiat: & tunc sicut suprà dictum fuit, erit processus in infinitum. Et eodem modo dixi ibi de potentia subiecti, per quam recipit accidens: quod scilicet non dicit aliud realiter ab essentia subiecti. Ex quo etiam conclusum fuit ibi, quòd falsus est sermo, qui dicit, quòd ipsa potentia passiua materiæ ad actum substantialem est in genere substantiæ: & potentia ad actum accidentalem in genere accidentis; require ibi.

Materia est eadem cũ sua potentia passiua.

*q.8 num.7.

Quòd autem intermedia habeant vtramque potentiam secundùm magis & minùs, secundùm maiorem & minorem appropinquationem ad extrema, patet; primò quidem propositis duobus terminis, impossibile est ab vno elongari, nisi per accessum ad aliud. Omnis autem creatura facta, vel factibilis, necessariò elongatur à Deo; ergo accedit ad participationem potentiæ, & secundùm quod plus, plus: ergo necessariò omne ens potentiam passiuam participabit, & ex eodem medio patet, quòd participat actiuam.

Entia media habẽt potentiã actiuam & passiuam.

Secundò, quia secundùm Dionysium *de diuin. Nom. cap.* 7. mundus sic est vnus, quòd per intermedia ligatus semper infima supremorum vniuntur, & ligantur cum supremis infimorum: ergo quod clauditur inter duos terminos, Deum scilicet, & materiam primam, participat naturam sui superioris & inferioris: omne autem superius respectu alterius est actiuum, & inferius est passiuum; ergo necessariò communicat naturam actiui & passiui.

Item, ostensum est suprà quòd materia est de integritate cuiuslibet creaturæ per se subsistentis, quæ pars est vniuersi: ac per hoc potentia passiua est aliquo modo in tali ente. Certum est autem, quòd cùm materia sit ens propè nihil; omne ens quod non est materia, ab ea elongatur; elongatum autem non est à materia, nisi per actum & formalitatem: ergo omne tale ens per se subsistens vltra materiam habet aliquam actualitatem, & formalitatem: hæc autem est principium agendi, sicut materia est principium patiendi: ergo omne creatum inter materiam primam, & Deum, habet potentiam passiuã admistam. Exemplo etiam patet; quia omnes medij colores participant extrema: ergo ita est de entibus mediis.

Articvlvs II.

Quomodo se habeant potentiæ, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua respectu animæ humanæ?

Circa secundum, scilicet quomodo vegetatiuum, sensitiuum & intellectiuum se habeant ad animam humanam, est sciendum, quòd opinio fuit Platonis, quòd hæc tria, nec essent vna substantia, nec vna anima, sed diuersæ animæ, existentes in diuersis partibus corporis. Vnde ponebat nutritiuam, hoc est, vegetatiuam, cuius prima operatio est nutrire, in hepate; animalem, id est, sensitiuam, quæ facit animal, in corpore; rationalem, siue intellectiuam, in cerebro. 4.

An sint plures animæ in homine.

Prima opinio.

Hanc sententiam reprobat Aristoteles *in fine primi de Anima, text.* 79. *& deinceps*, cuius falsitas, quamuis appareat ex communi animæ definitione, quia est *Actus corporis organici Physici.* Quod quidem nulli animæ conueniret, eo quòd hepar per se, aut cor, aut cerebrum, non sunt corpus organicum, patet nihilominus eius, inquam, falsitas per Augustinum, *in lib. de Spiritu, & Anima, cap.* 48. vbi apertè iste error eliditur, *Credimus animas* (inquit) *nec esse ab initio cum Angelis, nec simul creatas, sicut Origenes fingit, neque cum corporibus per coïtum seminantur, sicut Luciferiani, Cyrillus, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant: sed credimus earum creationem solum omnium creatorem nosse, & corpus tantùm per coniugij copulationem seminari; Dei verò iudicio coagulari in vulua matris, & compingi, atque formari: ac formato iam corpore, animam creari & infundi.* Et sequitur ibidem, *Nec duas animas credimus esse in vno homine; sicut multi scribunt,*

scribunt, vnam animalem, qua animetur corpus, & immista sit sanguini; & alteram spiritalem, qua rationem ministret: sed dicimus vnam eandémque animam esse in homine, qua & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat; habens in se libertatem arbitrij, vt in sua substantia eligat cogitatione, quod vult.

5. *Secunda opinio.* Est & alia opinio, quòd prædicta tria, sunt tres substantiæ, quarum prima est materialis respectu alterius, & secunda respectu tertiæ; ex quibus fit vna anima humana: ita primæ duæ sunt generatæ, sed tertia à creatione infusa. Hanc opinionem elidit idem Augustinus *de Spiritu, & Anima, c.*3. & 49. *Duabus* (inquit) *substantiis constat homo, anima & carne; anima cum ratione; carne cum sensibus suis, quos tamen sensus non mouet caro absque anima societate: anima verò rationale suum tenet sine carne.* Infrà; *Anima ex eo vocatur, quòd ad viuificandum, vel videndum mouet corpus.* Ecce quod dicit, animam aduenientem perficere sensus corporis; non ergo est sensitiua ab intra, distincta ab anima creata. Quòd autem istæ tres sint vna anima à creatione, expresse dicit *ibid. cap.*42. exponendo illud Genes. 2. *Inspirauit in faciem eius,* &c. *Corpora seruiente creatori creaturâ formantur, & Deo inspirante spiraculum vita animantur.* Vocat autem spiraculum vitæ vegetatiuum. Sequitur, *quam non producit terra, vel aqua, sed Deus inspirat, quo sensus corporei animantur:* hoc dicit quantum ad sensitiuam.

Huius etiam positionis falsitas ratione patet: quia tunc anima humana esset quoddam compositum integrale ex vegetatiuo & sensitiuo, quæ sunt à generante, & intellectiuo, quod est à creante. Sed certum est, quòd omne generabile est corruptibile: ergo vegetatiuum & sensitiuum corrumpuntur: sed omne totum integrale corrupta parte corrumpitur; dato quòd altera pars sit incorruptibilis, vt patet in homine: ergo anima est corruptibilis; cuius contrarium dicunt Sancti. Experimentum etiam duplex contradicit huic positioni. Primum est, quia videmus in operibus animæ, quòd dum vna potentia multùm intensè elicit operationem suam, retrahit aliam à suo actu; vt patet de sensitiua & intellectiua, quæ nullo modo possunt esse, nisi vnum essent in substantia. Secundum experimentum est, quòd simul videmus eas separari: cùm tamen formæ quantò imperfectiores, si sint diuisæ in substantia, tantò vltimò corrumpuntur. Huius positionis falsitas quoad hoc, quod dicit sensitiuum ab extrà fieri, *suprà* patuit in præcedenti quæstione* valde clarè.

*Num. 21. & seqq.

SCHOLIVM.

Reiectis duabus opinionibus minùs probabilibus, refert tertiam, qua magis accedit ad veritatem; sed impugnat ex ea parte, qua conuenit cum antecedentibus, & ex alia, qua dicit animam, quà intellectiuam, nullo modo vniri formaliter corpori. Deinde probat hos tres gradus vegetatiui, sensitiui, & intellectiui in vna eadémque anima rationali reperiri; & intellectiuum virtualiter, aut radicaliter in se continere vegetatiuum & sensitiuum. Vide qua diximus quæst. præcedenti, scholio 6. *An verò mereantur aliquam censuram priores dua sententia, vel qui statuunt tres destinctas animas in homine, vide Cauellum in supplemento librorum de Anima disp.* 1. *sect.*7. *num.*5.

Est & aliorum opinio in parte communicans cum ista, & in parte differens; quæ dicit prædicta tria se habere ad animam, sicut partes formales vnam animam integrantes: & in hoc cum prædicta conuenit. Dicit autem, quòd illæ tres partes innituntur vni materiæ spirituali, in qua simul sunt communicatæ: & in hoc differt à prædicta; & saluat totius humanæ animæ immortalitatem. Vnitur autem huiusmodi anima humana corpori per vegetatiuum & sensitiuum formaliter, & intimè; per intellectiuum verò intimè, sed nullo modo formaliter. 6. *Tertia opinio.*

Quòd autem hæc positio veritati fidei cum fundamentis circa vnitatem Christi contradicat, & veritati rationis, quantum ad vltimam eius partē, ostensum est *suprà* *: vbi quærebatur, vtrùm anima humana vniatur essentialiter corpori. Secunda verò pars, quòd scilicet sint partes formales, magis est rationalis; & minora inconuenientia habet: nec tamen etiam quoad illam partem à multis conceditur esse veram. Primò quidem, quia non planè concordat verbum Sanctorum; quia Augustinus in præallegatis authoritatibus, & 2. *lib. de Gen. contra Manichaos, cap.*8. eidem animæ attribuit actum vitæ & sensus, & rationis. Vnde dicit exponens illud, *Inspirauit in faciem eius,* non solùm vitam sensus; sed omnis actus, qui ab anima haberi potest, in ista insufflatione infusus est. Hoc idem patet in prædictis authoritatibus: sed positio dicit, quòd sint tres partes formales, quarum vna, in quantum talis, non est alia, sed vnū constituunt. Cùm igitur sensitiuum, in quantum sensitiuum, non sit sensitiuum per intellectiuum, nec per vegetatiuum, sed per se, & per suam essentiam, nec è contrario; sensitiuum autem, in quantum sensitiuum, est forma substantialis vitæ animæ: ergo si vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuū sint tres formæ, necessariò erūt tres animæ.

* Quæst. 9. n. 39. & seqq.

Confirmatur autem hæc ratio; quia intimior, vel ei intima videtur sibi esse ratio animæ, sicut ratio formæ; quia ratio animæ est sibi magis propria, & ratio formæ magis est communis; ergo si non obstante vnione illa in vna materia spirituali, vel corporali, sunt tres formæ, siue tres partes formales, magis potest dici quòd sunt tres animæ.

Nec potest dici secundùm illam opinionem, quòd sint vna forma: quia per locum à superiori, quod non est forma, non est vna forma: sed intellectus, vt dicit positio, non est forma. 7.

Si dicis, quòd idem sequitur, si prædicta tria sunt potentiæ, vel sunt illud, quod substantia animæ, solo respectu differentes: quia sensitiuum, in quantum sensitiuum, est anima, & non est sensitiuum ab intellectiuo. *Obiectio.*

Dico, quòd non valet: quia sensitiuum, in quantum dicit potentiam, non est forma, nec anima, sed potentia; sed in quantum dicit substantiam, est forma & anima: ergo qui ponit quòd est vna forma cum intellectiua, non diuisa, vel distincta ab ea, vt dicitur pars formalis ab alia parte, talis ponit, quòd est cum intellectiua vna anima. Et qui ponit quòd est alia pars formalis substantialis, necessariò ponit quòd est alia substantia simplex ab intellectiua, quamuis constituant tertium, & ponit quòd est alia forma, & eodem modo, quòd est alia anima. *Solutio.*

Et hoc apertè patet, quia in composito vbi sunt multæ formæ, si quælibet esset anima, sicut dicimus, quòd illud est compositum ex pluribus formis consubstantialibus; quia illæ formæ sunt

 in

in suis naturis distinctæ, quamuis tertium constituant: sic diceremus, quòd est compositum ex pluribus animabus. Si autem diceremus, quòd in vno indiuiduo nihil est nisi vna forma, quæ perficit in omnibus gradibus, si illa sit anima, sicut natura formalis, non est re distincta in ea, sicut dicimus, quòd illud non est ex pluribus formis compositum; sic non diceremus, quòd esset compositum ex pluribus animabus. Nunc autem qui ponit quòd prædicta tria sunt potentiæ vnius animæ, & vnius formæ simplicis, non ex tribus partibus formalibus constitutæ, non dicit quòd vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum dentur ab vna anima per tres formas, siue per tres partes formales; sed dantur ab vna anima; & ab vna forma non habent in se distinctionem realem partium formalium, sed solùm virtute. Tu autem, qui dicis quòd esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, dantur à tribus partibus formalibus re distinctis in se, quamuis vnitæ sint materiæ spirituali, necessariò ponis tres animas. Nec restat in hoc, vtrùm illæ partes vnitæ sint in vna materia spirituali, vel in vna anima humana, vel sint omnino distinctæ. Non vnitæ in vna materia, cùm semper tres sint animæ, nisi quia licèt sint vnitæ in illa materia, ex tribus animabus fit vna anima. Si autem non sunt vnitæ in materia spirituali tres animæ, ex quibus non fit vna anima, perficiunt hominem.

8. Ad hoc videtur facere authoritas Damasceni *lib. 2. Orthod. fidei, cap. 12. Anima*, inquit, *est viua, simplex, ac corpore vacans substantia, corporeorum oculorum sensum suaptè natura fugiens, immortalis, rationis, & intelligentiæ particeps, figuræ expers, organico corpore vtens, eique vitam, incrementum, sensum & gignendi vim tribuens.* Ecce quod loquens de anima, non attribuit prædicta animæ, vt humanæ, vt per animam intelligamus compositum ex partibus formalibus; immò vni parti intellectiuæ attribuit vti organo, generare, augmentare, & similia.

Hoc videtur Augustini *lib. de Spiritu, & Anima, cap. 8. Humanum* (inquit) *namque corpus, nec viuere, nec nasci, sine rationali anima potest.* Ecce quod non attribuit viuere animæ, vt est composita ex tribus partibus, sed animæ humanæ, vt est rationalis & intellectualis. Hæc autem videtur esse sententia Aristotelis *: *Sicut*, inquit, *trigonum in tetragono, & tetragonum in pentagono; sic vegetatiuum in sensitiuo, & sensitiuum in intellectiuo.* Certum est autem quòd tetragonum non continet trigonum, nec pentagonum, tetragonum, quasi sint duæ formæ, vnum tetragonum, vel pentagonum integrantes. Si enim per aliam formam esset tetragonum, & per aliam pentagonum, superfluum esset tetragonũ, qui in pentagono continetur: ergo videtur quòd ita sit in anima humana: & non est per aliam formam, siue partem formalem vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; sed intellectiua virtus continet vegetatiuum & sensitiuum.

* 2. de Anima tex. com. 31.

9. Videmus etiam hanc authoritatem in ratione fundari; generale enim principium est, quòd si aliquid potest æquè benè fieri per pauciora, sicut per plura, nullo modo talis pluralitas debet poni. Propter quod dicitur 1. *Physic. text. comm.* 41. quòd melius est ponere finita principia, quàm infinita: & ita benè saluantur omnia, ponendo finita, sicut ponendo infinita. Si igitur anima humana absque compositione multiplicis partis formalis per solam intellectiuam formam potest facere quidquid potest cum illa triplici formalitate, nullo modo debet talis triplex formalitas in ea poni. Quòd autem hoc possit, potest suaderi. Videmus enim, quòd agere sequitur gradum actualitatis & formalitatis. In agentibus autem eiusdem generis, quorum vnum substantiali ordine continetur sub alio, quod potest inferius, potest superius, non per duplicem formalitatem, sed per simplicem, quæ est superius. Quodcunque enim potest calidum in primo, & secundo gradu, potest in tertio, in quo causalitas est magis simplex. Nec cõtinet gradum causalitatis, secundùm quòd constituit primum, vel secundum, sed modo altiori & perfectiori. Sicut autem dixi respectu actus secũdi, sic dico respectu actus primi: quemcunque enim actum dat materiæ, vel composito, calidum in primo, & secundo gradu, potest dare calidum in tertio gradu, & perfectiùs. Cùm igitur sit viuum quoddam genus, quod triplicem gradum continet, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum; omnem actum sensitiuum & vegetatiuum potest dare in intellectiuo, quod contineat illa solùm virtute, & non substantialiter, seu formaliter, vt positio dicit: & illud videtur sonare verbum Augustini *de Spiritu, & Anima*, & aliæ authoritates superiùs allegatæ.

Si fortè dicas, quòd hoc est ponere vnitatem formarum, quia eadem ratione videtur posse concludi. Dico quòd non est verum: quamuis enim infinitæ sint rationes concludentes, quòd non sequitur, quamuis vna forma rationalis det esse triplex, scilicet vegetatiuum, sensitiuum & intellectiuum, quòd propter hoc est necesse quòd det esse aliarum, quas rationes propter prolixitatem omitto: tamen ex ratione prædicta hoc nullo modo sequitur. Perfectum enim semper cõtinet imperfectum sui generis propinquioris, non remoti (continet, dico, virtute quantum ad actum primum, respectu subiecti, & quantum ad actum secundum, respectu operationis, vt per prædictum exemplum patet, & in quantitate, & in omnibus perfectis, & imperfectis ordinatis essentialiter) si sunt in eodem genere propinquo, & essentialiter ordinata; quia absque hoc identitas generis propinqui non sufficeret. Non enim perfectum sensitiuũ asini, vel muscæ, potest dare sensitiuum equi, quia vnum ad alterum nõ ordinatur. Dico autem *genere propinquo*, quia calidum perfectum nõ continet imperfectũ coloris, vel substantiæ, vel quantitatis, sed imperfectum sui generis. Nunc autem quamuis vegetatiuum plantæ, & sensitiuum equi, non ordinentur ad intellectiuum hominis, tamen vegetatiuum, & sensitiuum hominis ordinantur ad intellectiuum, & sunt eiusdem generis, quodam modo propinqui, scilicet *viui*. Secundò, non sequitur, quòd si intellectiuum det esse sensitiuum & vegetatiuum, det esse corporeum, vel mistum, quæ sunt generis magis remoti. 10. *Obiectio.* Vide qu. 10. schol. 1. *Solutio.*

Item, cùm plures partes formales habeât aspectum ad vnam materiam, cùm propria forma sit in propria materia, necesse est quòd sicut partes formales sunt in se distinctæ secundùm gradum perfectionis, quòd illam materiam aspiciant secundùm alium & alium modum dispositionis, vt patet: quia forma corporis sub alia dispositione, perficit materiam propriam, & forma misti sub alia: ergo necesse est in illa materia spirituali dare diuersos gradus perfectibiles, si prædictæ tres partes sunt partes formales, quæ tamen diuersitas non occurrit in materia spirituali. 11.

Item,

Item, quando diuersæ formæ insunt eidem materiæ, non possunt esse eiusdem gradus in perficiendo: non enim sunt duæ formæ corporis, & eadem materia, sed vna respectu alterius necessariò est vniuersalior & prior. Talium autem natura formarum est, vt patet in omnibus, quòd amoto superiori & perfectiori, non amouetur prius & imperfectius, quia de natura sua saltem posset remanere, quamuis per accidens simul corrumpatur cum superiori. Remansit enim eadem forma carnis & corporis Christi animâ recedente. Vel saltem hoc potest esse per intellectum.

Et hoc expresè docet Commentator super 12. *Metaph. text.com.* 11. vbi dicit, quòd materia primò induitur formis imperfectis. Et per Commentatorem super primâ propositionem de Causis, quasi per totum: ergo à prædicta materia spirituali poterit amoueri intellectiua, remanente vegetatiua, & sensitiua, & erit formam dare separatam, & per se subsistentem, quæ non erit intellectiua: & tunc constituet aliquod animal, quod non erit homo, cuius finis necessariò erit Deus, eo quòd forma sua est immortalis, ac per hoc habens esse perpetuum. Quæ omnia fortè sunt inconuenientia, vel saltem sunt inconuenientia huic positioni: vt patuit *suprà* * in quæstione de vnione animæ.

* q. 9. n 39. & seq.

12. Nec potest dici, quòd sensitiuum fundetur in materia spirituali mediante intellectiuo, quia ordo naturalis est formæ ad materiam, quòd imperfectior priùs naturaliter insit ei.

Item, omnis forma communicat actum suæ materiæ, vel saltem composito, vt patuit in quæstione de vnione animæ *: ergo si prædictæ tres sunt in vna materia spirituali, illi materiæ, vel saltem composito, communicabuntur actus vegetatiuæ & sensitiuæ, quod est impossibile.

* q. 9. n. 53.

De vegetatiua quidem patet, cuius sunt tria opera, scilicet nutrire, augere, & generare; quorum nullum tali materiæ conuenit.

De sensitiua patet, primùm quidem authoritate Augustini *de Spiritu, & Anima, cap.* 15. vbi sic dicit; *Corpus constat ex officialibus membris, officialia ex consimilibus, consimilia ex humoribus, humores ex cibis, cibi ex elementis, & nihil horum est anima: sed in istis tanquam in organis agit anima, & per hoc corpori consulit, & huic vitæ, in qua factus est homo in animam viuentem.* Sequitur ibidem quòd destructo corpore, *Inuita anima recedit, secum trahens omnia, sensum, & imaginationem, rationem & intellectum, &c. Corpus autem, quòd priùs integrum tanquam organum contemperatum, & dispositum erat, vt melos musicum in se contineret, & tactum resonaret, nunc confractum & inutile è regione iacet: anima autem non habens vbi vires suas exerceat, requiescit.* Et exponit à quibus requiescit, ne credatur quòd ab actu intelligendi, sicut ab aliis requiescit. *Ab his tantum* (inquit) *motibus, quibus corpus per tempus & locum mouebat, ipsa per tempus illocaliter mota: quoniam & si organum periit, sed non melos, nec quod organum mouebat.* Apertè patet quòd anima separata quiescit ab omni actu virium, quæ dum erat in corpore, organo indigebant.

Anima separata à quibus motibus quiescit.

13. Hoc etiam patet quadruplici persuasione. Primò quidem, quia videmus, quòd intellectiua quantum ad actum intelligendi, quia separata non eget organo, ideò nec coniuncta: ergo si sensitiua separata in suo actu non indigeret organo, nec coniuncta indigeret.

Secundò, quia quantò forma, seu gradus suæ essentiæ est nobilior, tantò paucioribus indiget ad agendum, & è contrario: vt patet in sensitiua & intellectiua, vt sunt in corpore, quia sensitiua indiget organo, non intellectiua: sed iste gradus nobilitatis sensitiui ad intellectiuum, cùm sit essentialis, consequitur animam, siue vnitam, siue separatam: ergo anima sensitiua separata ex parte sua aliquo indiget, quo non indiget intellectiua, quod non est nisi organum, quia vtraque specie indiget, vt dicitur communiter.

Tertiò, quia, vt dicunt, potentia intellectiua est libera, quia in sua operatione est immunis, vt non sit forma materiæ corporalis, ac per hoc voluntas dominatiuè agit: & propterea ens secundùm totum ambitum suum est obiectum intellectus: ergo si anima separata sentit, quando est vnita organo corporali, eius sensibilis operatio erit libera, & habebit aspectum ad omne ens vniuersale, & particulare, intelligibile & corporale: & sic Deus, & Angeli sensu apprehenduntur, & tunc superfluet intellectus.

Quartò, quia sensibile non apprehenditur, nisi per speciem sensibilem, vt sensibilis est, & sensibili proportionata: talis autem non recipitur nisi in quanto: ergo anima separata erit quanta.

ARTICVLVS III.

An anima distinguatur realiter à suis potentiis?

Est igitur ad tertium articulum accedendum, quomodo scilicet potentia se habeat ad animam: quia siue sint tres animæ, siue tres formæ, siue tres substantiæ; adhuc est quæstio vtrùm potentia, quæ agit, sit idem re, quod substantia, vel forma. Quamuis autem circa hoc sint infiniti modi dicendi, vt patet in diuersis scriptis, duas tantùm accipio, ex quibus vnum tantùm verum esse credo, alterum falsum. 14.

Vide hos varios modos apud Scotū in 2.d.16.

Est igitur vnus modus dicendi, quòd potentiæ animæ sunt vera accidentia, à substantia animæ fluentia, animæ connaturalia & propria, vt calliditas igni, re absoluta à substantia animæ differentia. Quod ostendunt authoritate, quia secundùm Auicennam 6. *Met. cap.* 2. solum agens primum est agens per essentiam. Secundò, per exemplum, quia id quo ignis agit, qui est maximè actiuus, est eius accidens. Tertiò ratione, primò, quia substantia animæ est in genere substantiæ, potentia naturalis in secunda specie qualitatis.

Prima opinio affirmatiua. Thom. 1. p. q. 54. art. 3. & q 77. art. 1. & alibi. Heruæus quodl. 1. q 9.

Secundò, quia potentia & actus diuidunt quodlibet genus entis, ac per hoc sunt sub eodem genere: actus autem potentiæ non est substantia (hoc enim est solius Dei) sed est accidens: ergo potentia, quæ est principium actus, est accidens.

Item, anima secundùm suam substantiam est actus: si ergo substantia animæ est operandi principium, sicut essendi, sicut habens animam semper est viuum, ita semper erit in continuo actu omnium potentiarum. Sunt multæ aliæ rationes, sed quia in diuersis scriptis inueniuntur, illas omittam: sed has accepi, quia, vt patet, his principaliter innituntur.

Est alius modus positionis, quòd substantia animæ est idem, quod sua potentia realiter, ita quòd anima dicitur *forma* per comparationem ad corpus, quod perficit, cui dat esse substantiale: sortitur verò nomen & rationem *potentiæ*, solo respectu & comparatione ad varia obiecta & operationes, 15.

Alia opinio negatiua. Bonauent. 1. 3. q 3.

rationes, ita quòd anima & actum suum eliciat, & actum subiectiuè suscipiat: vt patet in actu intelligendi, per suam substantiam est principium eliciens actum, & efficienter, & etiam subiectiuè; non per aliquam potentiam re absoluta differentem ab ea.

Hunc modum dicendi existimo esse verum, & procedo sic circa illum. Primò, intendo eum confirmare. Secundò, quomodo, & per quid potentiæ determinantur, & distinguuntur in eadem simplici essentia, declarare. Tertiò, ea quæ videntur hunc modum reddere impossibilem, soluere, & ad istum modum applicare. Quartò, rationibus prædictæ positionis respondere.

ARTIC. III. SECT. I.

Probatur multipliciter sententia negatiua.

16. *Probatur authoritate.* * al. lib. de Spiritu, & Anima, c. 35. Circa primum sciendum, quòd istum modum videntur approbare tam Sancti, quàm Philosophi. Augustinus sermone de Imagine*: *Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non sunt tres dij, sed vnus Deus, & tres personæ: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ in vno corpore, sed anima vna, & tres vires, atque in his tribus imaginem diuinam gerit mirabiliter in sua natura noster homo interior.* Ex quo apertè patet, quòd sola relatione distinguuntur. Item, Augustinus *de Spiritu, & Anima, cap.* 34. *Anima,* inquit, *est spiritualis, intelligibilis, quæ, secundùm officium sui operis, variis nuncupatur nominibus: dicitur namque* anima *dum viuificat corpus; dum vult,* animus *est; dum scit,* mens *est; dum recolit,* memoria *est; dum iudicat,* ratio *est; dum spirat, vel contemplatur,* spiritus *est; dum sentit* sensus *est;* & addit, *Naturales siquidem sunt ei, vt sunt, quòd ipsa tota videt, tota visorum meminit: tota audit, & sonorum reminiscitur, tota odorat, tota sapores sentit, tota tãgit, tota approbat & improbat, tota est voluntas.* Item, 10. *de Trinitate, cap.* 11. *Memoria, intelligentia, voluntas, vna sunt vita, vna essentia.* Et ibid. *Eo* (inquit) *sunt vnum, quo vna mens, vna vita, vna essentia.* Ad hoc videtur tendere verbum Aristotelis 2. *de Anima, text.* 9. *Si oculus,* inquit, *esset animal, visus esset eius anima:* hoc autem non posset esse si potentia visiua esset accidens.

SCHOLIVM.

Adductis authoritatibus ex Augustino, prosequitur intentum, vt probet etiam rationibus potentias animæ nullatenus ab eadem realiter distingui, idque facit quinque potissimis, desumptis ex ratione ipsius agentis, ex comparatione substantiæ in ratione agentis ad suum proprium accidens; ex comparatione substantiæ vt sic ad accidens ex parte ipsius rationalis animæ, ex parte finis & efficientis: & demum variis experientiis. Doctrinam hanc latissimè prosequitur in 2. *dist.* 16. *quæst. vnica*; *& in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. §. Nec tamen nego in anima.

17. Potest etiam hoc rationibus suaderi; & primò rationibus communibus sumptis à ratione agentis. Primò sic; omnis substantia actiua priùs habet aspectum ad actum eliciendum, quàm ad actum recipiendum: quamuis enim substantia creata actiua, sit passiua, saltem inquantum est subiectum suæ actionis, tota substãtia actiua priùs videtur habere aspectum vt actum eliciat, quàm quòd recipiat: sed substantia creata recipit actionem, & aliqua accidentia, per suam substantiam, vt ostensum fuit in quæstione de compositione animæ. Et patet, quia si per accidens recipit, quæro per quod recipit illud accidens? & est processus in infinitum; vel est dare aliquid, quod per suam substantiam recipiat: ergo si anima est substantia magis actiua, quàm passiua, si ad patiẽdum se habet per suam substantiam, videtur quòd per suam substantiam magis augmentat ad illud, ad quod est principium, id est, ad actum. * q. 8. n. 9.

Secundò, patet hoc ex comparatione substantiæ in ratione agentis ad suum proprium accidens. Sic enim procedit ordo & cursus rerum, inter causam & effectum, quòd quandocunque aliquæ duæ proprietates sequuntur aliquam rem, illud, quod generat eam rem, sic eam disponit, vt quantum est de se in potentia actuali sit ad illud accidens, & ex parte materiæ, & ex parte formæ: ex parte materiæ disponendo, vt sit necessitas ad illud accidens recipiendum: ex parte formæ, vt sit necessitas ad illud accidens de potentia materiæ producendum. Vnde generans ignem, quia leuitas & caliditas consequuntur ignem, simul disponit materiam ad illorum receptionem, & formam ignis generati, vt sit necessitas ad illorum productionem. Ideò ignis vt generatus est, vel secundùm quòd generatur, de potentia propriæ materiæ educit illa accidentia; sed quia hoc facit in virtute ignis generantis, dantis ei hanc actualitatem, ideò formarum accidentalium generatio, vt consequitur generatum, attribuitur generanti principali, secundùm quòd dicitur, quòd generans rem, dat ei accidentia per se, & operationem ad illam conuenientem: vt generans leue, dat ei motum sursum. 18.

Quòd autem talia accidentia generentur à propria forma substantiali, siue à toto composito per formam, patet. Primò, quia, vt dicitur 2. *de Anima, text.* 5 actus secundus causatur ab actu primo; vt sciens secundùm habitum, ex illo habitu procedit ad actum considerandi; ita est in proposito. Secundò, quia qualitates propriæ sunt conseruatiuæ formæ in materia propria: si autem generatum non haberet vnde eas generare posset, tunc generatum in suo gradu perfectum non esset; eo quòd illæ possunt auferri: vt patet in aqua calida, quæ quamdiu calida tendit ad corruptionem per exhalationem factam à calido. *Propria accidentia generãtur ab ipsa forma substantiali.*

Item, quantò qualitates sunt intimiores, tantò formæ similiores, & magis proportionabiles & conseruantes: magis autem sunt intimæ, si à propria forma generantur, quàm si ab exteriori.

Item, videmus quòd aqua calida, si tollatur calefactiuum, facit se frigidam: nec hoc facit aër, quia maior frigiditas est in aqua, quàm in aëre; effectus autem non transcendit formam.

Ex his patet quòd substantia est causa accidentis proprij. Quæro per quid? vtrùm seipsa? & habeo propositum: si per aliud accidens, quod vocas potentiam, quæro per quid est causa illius? quia ex quo est accidens proprium, est causa illius, & est processus in infinitum: vel est dare, quòd est causans accidentia propria per suam substantiam. Et ita si ignis posset separari à caliditate, amoto prohibente, statim se faceret calidum: sicut amoto calefactiuo, aqua se facit frigidam. 19.

Item ex comparatione substantiæ ad accidens, videmus ad sensum, quòd ignis calore calefacit,

tanquam

tanquam potentia actiua calefaciendi: & non potest dici, quòd sit aliud essentia caloris, & potentia calefaciendi; immò idem realiter, solo respectu differentes, alioquin est procedere in infinitum. Quia de illa potentia addita calori, quâ calefacit, quærerem eodem modo: ergo erit stare in aliquo necessario, quod per se calefacit, & seipso. Si ergo ratio agendi sequitur rationem essendi, & accidens, (si fortè actiuum est de se) est idem quod sua potentia, qua agit propriam actionem; forma substantialis, maximè actiua, qualis est forma rationalis, erit idem quod potentia, quâ elicit propriam actionem. Et hoc maximè apparet, si caliditas existeret separata ab omni subiecto: tunc enim calefaceret, sicut albedo disgregat in Sacramento Altaris: & tunc maximè apparet, quòd seipsa ageret absque alio habito, ei addito.

20. Item, impossibile est, quòd virtute alicuius accidentis principaliter substantia generetur: quia nulla res inquantum talis agit in seipsâ nobilius: quia tunc effectus, inquantum talis, excederet causam: benè enim potest agere ignobilius, sicut substantia causat accidens. Vnde licèt compositum de forma substantiali, & accidentali per formam accidentalem disponat ad generationem substantiæ, materiam alterando, & disponendo immediatè, tamen tale compositum generat substantiam virtute suæ formæ substantialis. Vnde Philosophus 2. *de Gener.text.*53. contra illos, qui dicunt quòd alterans, & transmutans est per se causa generationis per qualitates actiuas, dicit, quòd *Hi non rectè dicunt; quoniam relinquunt principaliorem causam, auferunt enim quod quid est esse & formam. Amplius verò simile aliquid faciunt, vt si quis serra, & vnicuique instrumentorum attribuit causam eorum, quæ generantur: necesse enim est serrante diuidi, & incidente coæquari, & in aliis similiter; quocirca se maximè facit, & mouet ignis; sed quomodo mouet, non vident.* Super quo dicit Commentator; *Cùm faciunt agens principium, non nisi in genere instrumenti.* Forma enim si fieret ab alio accidenti, esset forma accidentalis: si igitur verè forma substantialis in materia generatur, non immediatè ab accidente: ergo potentia actiua, quâ forma substantialis generat substantiam, est substantia sua.

Item, potentia, quæ generat propria accidentia, necessariò est substantia: vt patet ex secunda ratione, alioquin esset processus in infinitum.

21. Possunt autem sumi rationes ex parte rationalis animæ: primò sic: Certum est, quòd vnio ad Deum maior est, quæ possit fieri rei ad suum finem, intimior & vnitior: cuius ratio sumitur ex ratione termini. Quantò enim terminus est vnitior, tantò ea, quæ tendunt ad terminum, sunt magis vnita. Cùm igitur Deus sit summè vnus in termino modo infinito: ergo anima secundùm illa, per quæ ad eum attingit, cuiusmodi sunt intellectus & voluntas, erit maximè vna: ergo istæ rationes maximè sunt vnum: sed hoc non esset, si essent res diuersæ absolutæ super substantiam: nec vnio animæ ad Deum esset omnino intima & vna, sed separata & diuisa.

Item, vitalitas non inest substantiæ animæ per potentiam, sed è contrario: nam viuere viuentibus est esse: *esse* hoc habet compositum per substantiam animæ. Nunc autem actus, quibus anima Deo coniungitur, debent esse viuacissimi in genere amoris & cognitionis: hoc autem esse non posset, nisi immediatè egrediantur ab eo, quod est vita, quod est substantia animæ, non aliquod absolutum sibi additum: quia tantò actus est viuacior, quantò immediatiùs à principio viui procedit.

Item, finis & efficiens sunt correlatiua: sicut ergo aliqua procedunt ab aliquo; sic ad ipsum reuertuntur, & per tot & æqualia media: sed anima rationis procedit à Deo absque omni medio; ergo reuertitur in ipsum absque omni medio, tanquam in finem suum: reuertitur autem per intellectum & voluntatem: ergo ista nihil reale absolutum addunt supra substantiam animæ.

Nec oportet ex hoc concludere, ergo reuertitur sine actu medio, immò contrarium: quia sicut non exit à Deo nisi per actum, quamuis ille actus sit idem, quod Deus, sic ex parte sua non reuertitur sine actu & operatione, quia non potest esse idem quod ipsa, cùm hoc sit proprium solius Dei. Nec actus facit mediationem, cùm de se alij intimetur: potentia quidem, si esset quid absolutum, faceret. 22.

Item, finis vnit sibi aliquo modo, hoc est, ad finem: quælibet enim res vnitur suo fini per operationem: ergo ex parte vtriusque formando rationem, quantò operatio ex parte illius, qui tendit in finem, est intimior & vnitior; tantò vnio est intimior. Nulla autem operatio est ista intima, sicut intelligere & amare: cuius ratio est, quia ista duo genera operationum solùm sunt intrinsecè in diuinis, & idem quod Deus, & communicatæ essentiæ.

Similiter ex parte finis, si quantò perfectior, tantò intimiùs vnit sibi quæ sunt ad finem: ergo Deus, qui est finis, per rationem infinitam, modo quodam infinito, quantum creatura secundùm illum modum vnibilis est, eam intimè sibi vnit. Ex quo patet quòd hæc vnio excludit ab anima medium, quod excludi potest. Hoc dico propter actum, qui excludi non potest: non ergo est aliquod absolutum medium potentia, à qua est ipse actus.

Item, experimur de potentiis, quibus Deo vnimur, quòd mutuò se capiunt. Item, videmus quòd supra se, & supra omnia plenè se conuertunt.

Item, quòd sunt vniuersalissimæ, & ad nullum genus entis arctatæ. Item, quia in suis actibus mutuò se expediunt: quia quantò clariùs intelligo, tantò ardentiùs diligo.

Ex his quatuor patet, quòd istæ potentiæ nullo modo possunt differre re absoluta. Quòd enim mutuò se capiant, videtur excludere diuersitatem; vt patet in personis diuinis. Quòd etiam vna supra aliam totaliter se conuertat, videtur dicere intimam vnionem. Quòd sint vniuersalissimæ, videtur in re dicere totalem vnitatem; sicut idem re est bonum & verum. Vnde si differrent, non essent vniuersalissimæ respectu omnis obiecti. Quòd se expediant, videtur dicere essentiæ vnitatem: quæ sunt colligata, se impediunt, vt patet in aliis descendendo. 23.

Item, sicut patet in Astrologia, illa positio dicitur verior, quæ saluat meliùs apparentia: ergo in Theologia illa positio est verior, quæ saluat meliùs fidem. Sed fide tenemus, quòd anima est ad imaginem Dei, quòd saluat meliùs hæc positio quàm aliqua alia: quia sicut ponimus in

in Deo (& verum est) quòd essentia & relatio constituunt personam, & persona nihil addit ad essentiam nisi relationem, & quòd sola relatione distinguuntur, & quòd relationes non sunt idem: ita ponimus in anima, si potentiæ solo respectu distinguantur: si autem essent actu absoluta, non esset potentiarum ita vna essentia, nec similis modus distinctionis: ergo hæc positio est magis saluans veritatem fidei.

ARTICVLVS II.

Quomodo & per quid determinantur, & distinguuntur potentiæ in eadem simplici essentia animæ?

24. SEquitur videre, ex quo anima est idem, quod suæ potentiæ realiter; cùm idem non possit plurificari, nisi per diuisionem, vt patet in continuo, quod locum non habet in anima; vt patet in personis diuinis, quæ relatione distinguuntur, & plurificantur, cùm potentiæ non distinguantur per absoluta, videtur quòd distinguantur per relationes, vel per operationes ad diuersa obiecta.

Probatur potentias distingui ab anima per aliquid absolutum. Argumentum primum. Est autem difficultas circa hoc, quia cùm anima in substantia sua sit omnino vna, non videtur quòd in ea sit aliquid, per quod sit causa pluralitatis; cùm etiam potentiæ sint sibi connaturales, & habeant inter se naturalem distinctionem: quæ distinctio necessariò est à substantia animæ, videtur quòd aliquid aliud sit in anima vltra substantiam suam, per quod distinguantur.

Argum.2. Item, actus animæ possunt ei adesse & abesse; ergo non est determinata ad illos de se: ergo per aliud, quod non est potentia.

Argum.3. Item, ea quæ habent *esse* in *fieri* in subiecto, præsupponunt accidens in subiecto; vt motus dealbationis nigredinem: ergo motus in spiritualibus, qualis est velle & intelligere, supponit accidens in subiecto; quod non est nisi potentia.

Argum.4. Item, solùm addit respectum supra substantiam: ergo relatio est principium agendi; sicut potentia, quæ relatione constituitur: quod verum non est.

Argum.5. Item, diuersi respectus reales supponunt diuersa fundamenta realia: ergo respectus ad obiecta fundantur super accidens: sed fundantur super potentias, ergo sunt accidentia.

Argum.6. Item, membra leonis non differunt à membris hominis, nisi quia anima differt ab anima: vt dicit Commentator super primum de anima, com. 53. In homine ergo, in quo differt vnum membrum ab alio, oportet quòd sit propter diuersitatem à natura ipsius animæ; quæ diuersitas non est in natura ipsius animæ, quia est eadem in toto homine, & in qualibet parte: ergo est in potentiis: ergo potentiæ realiter differunt inter se.

25. *Argum.7.* Item, reductio ordinata, maximè in gradibus entium permanentium, fit semper per media: sed substantia est ens permanentium, potentia est accidens permanens, vt caliditas ignis: deinde est actus fluens, vt calefactio: ergo impossibile est, quòd accidens fluens, cuius est actio, reducatur in aliquo ad substantiam, nisi mediante accidente permanente: igitur actus intelligendi reducitur ad animam mediante potentia, quæ est accidens permanens.

Item, anima dum se intelligit per suam potentiam, ibi potentia est intellectus, anima quidem intellectiua inter quæ cadit actus intelligendi medium. Cùm igitur maior sit vnitas medij ad extrema, quàm extremi corpori extremo: ergo si potentia & anima sunt idem re, actus intelligendi erit idem cum substantia animæ: quòd solùm est in Deo. *Argum.8.*

Item, intelligere est actio manens intra: ergo si idem est anima cum potentia, quâ agit, cùm actus recipiatur in anima, idem est agens & patiens; & per consequens est actu & non actu. *Argum.9.*

Item, tota substantia animæ est perfectio materiæ, & quædam potentiæ ab aliis distinguuntur, quia sunt alligatæ organo corporali, quædam alio modo: essentia animæ secundùm hoc distingui non potest; cùm tota hæc vniformiter sit in toto corpore. Hæc sunt, quæ videntur ostendere quòd prædicta positio non contradicat veritati. *Argum.10.*

SCHOLIVM.

Positis argumentis illorum, qui contendunt potentias animæ per aliquid absolutum distingui ab anima, & inter se realiter; concludit potentias secundùm varios respectus ad operandum, & varias tendentias in obiecta distingui duntaxat formaliter: qua ratione meliùs saluari affirmat rationem imaginis Trinitatis in anima, eiúsque tribus potentiis. Idémque docet diffusè in 2. dist.16. quæst. vnica, §. Sed quia via hæc, *vbi docet potentias has contineri identicè & realiter in anima, distingui tamen ab illa, & inter se formaliter ad modum, quo relationes & attributa in diuinis inter se, & ab essentia distinguuntur; seu vt* bonum *&* verum *passiones entis inter se, & ab illo distinguuntur; aitque has potentias contineri in anima tanquam passiones eius.*

Ad quorum omnium solutionem, & prædictorum declarationem, est sciendum, quòd anima determinatur ad diuersos actus differentes genere, numero, & specie; genere differunt, *intelligere*, & *sentire*; specie, *videre*, & *audire*; numero, *intelligere hoc*, & *intelligere illud*, & *videre hoc*, & *videre illud*; maximè si simul non possunt ambo intelligi, vel videri. 26.

Si igitur quæris, vnde determinationem habet anima ad ista? dico, quòd sufficienter determinatur ad actus genere, vel specie differentes ab alio, qui eam produxit, qui sibi, inquantum est talis nobilitatis, indidit quòd potens sit ad hos actus super aspectus aliarum omnium formarum. Ad actus verò numero differentes determinatur ab obiectis numero differentibus, & etiam ab ipso Deo, qui talem vim ei dedit. *Vnde determinatur anima ad suos actus.*

Si autem quæris, per quod anima, quæ de se est vna, nullam varietatem habens formaliter, determinatur ad has potentias? Respondeo, dicendum est hîc, quòd anima dupliciter considerari potest. Vno modo, vt habet aspectum ad corpus, quod perficit, & ratione formæ substantialis dans ei *esse* simpliciter: & secundùm modum istum vno vniformi modo absque determinatione, & distinctione, est in toto corpore, & in omnibus, parte organizata, & non organizata, vt perfectio. Et dico quòd isto modo est in qualibet parte organizata vniformiter, inquantum pars organica accipitur, vt corpus mistum & complexionatũ, secundùm quòd substantia animę requirit corpus in tali gradu dispositum. Et secundùm *Anima dupliciter consideratur in corpore.*

hunc

hunc modum eadem, & vniformis depositio est in oculo, & in aure, & in pede: & per consequens anima perficiens ista organa, dans eis esse speciale, vt sunt partes totius eadem, & vniformis, & indistincto modo est in eis. Si autem organa considerentur, vt perficiuntur per animam inquantum per illa operatur, tunc anima vnitur eis, vt artifex instrumento. Et isto modo requiritur in organo alia, & alia dispositio: vna requiritur in oculo ad recipiendum species colorum, vt sit principium actus videndi; & alia in aure, ad recipiendum sonum: & sic de aliis speciebus. Et est ista dispositio organi, ratio determinans animam in ratione potentiæ, vt sit alia & alia potentia in specie, secundùm quòd ista dispositio organi est media proportio sensibilium contrariorum, per quam est susceptiuum specierum contrariarum, vt albi, & nigri: & hinc est, quòd quia plantæ non habent talem dispositionem, sine qua non est sensus, ideò non sentiunt, & excellentiæ sensibilium corrumpunt istam dispositionem, & per consequens subiectum.

Si igitur anima consideratur, vt forma substantialis, dans *esse* corpori, potentiæ non distinguuntur ab ea, nec inter se sunt differentes, sed sunt realiter idem, quòd substantia animæ; quia nec isto modo ratio potentiæ in anima inuenitur. Ex quo patet, quòd secundùm hunc modum, non habet corpus, quod est materia animæ, quòd habeat aliquas partes organicas, aliquas non organicas: sicut nec anima, quòd eius aliqua potentia sit organica, & alia non. Ex quo etiam patet, quòd accipiendo potentiam visiuam, vt est res absoluta, potentia visiua est in pede, & in manu, cùm sit idem, quod substantia animæ.

27. *Potentia organica, & nō organica.* Quærenda est igitur ratio distinctionis potentiarum in anima per alium modum. Circa quod est sciendum, quòd cùm prima distinctio potentiarum animæ sit per organicas, & non organicas, non potest dici, quòd ipsa organizatio sit ratio determinans potentias vniuersaliter in anima: alioquin intellectiua non esset potentia; cùm non vtatur organo corporis formaliter, & substantialiter, secundùm quòd sortitur vnitatem, & vniformitatem, quia respicit corpus, & omnes eius partes secundùm eandem dispositionem, vt dixi.

Præter hoc dico, quòd anima est principium operandi; & secundùm hoc habet quandam pluralitatem, & distinctionem; quia respicit obiecta secundùm variam, distinctámque rationem obiecti. *Distinguuntur potentia per varios respectus ad operandum.* Respectus etiam ad operandum, qui non est in substantia animæ, vt est perfectio corporis essentialiter, vt visum est; sed solùm sub ratione, quâ potest operari, constituit in anima, vniuersaliter loquendo, rationem potentiæ: & per illam generalem rationem dicitur anima potens, vt sic ratio potentiæ in vniuersali constituatur ex substantia animæ, vt ex materia, & ex respectu ad operandum, vt ex forma. Sicut autem respectus ad operandum vniuersaliter sumptus constituit in vniuersali rationem potentiæ: sic talis, vel talis respectus cum ipsa anima constituit talem, vel talem potentiam. Respectus autem animæ ad operationes suas sumuntur, & sunt varij necessariò secundùm rationes formales varias obiectorum.

Cùm igitur quædam sint obiecta, quæ de ratione sua non sunt arctata, nec determinata; nec materialia, nec immaterialia, sed indifferenter se habentia; oportet necessariò quòd in anima, cuius cognitio se extendit ad omnia, sit vniuersalis respectus ad cognoscendum tale obiectum: ac per hoc ille respectus, vel anima, secundùm quòd habet aspectum ad illud obiectum cognoscendum, non est arctata, nec organo vnita, nec potentia totaliter limitata; immò quodammodò illimitata: & talis respectus causat potentiam intellectiuam, vt dixi suprà. Cuius distinctio à voluntate apparet ex modo tendendi in obiectum, cognitione, vel affectione.

Cùm etiam sint talia obiecta, quæ de ratione sua sunt arctata, & limitata: quia sunt quædam portiones entis, sicut est omne sensibile; necesse est, quòd in anima sit respectus limitatus, per quem anima possit circa huiusmodi obiecta operari. 28. Determinatio autem, & limitatio huius respectus non potest in anima esse ex parte sua, quia tunc tota anima simul limitata, & illimitata esset: quia ex parte intellectus illimitata quodammodò, cùm aspectus intellectualis sit ad infinitū. Habet ergo anima huiusmodi determinationem à corpore, non vt est perfectibile, vel ipsum, vel partes suæ per substantiam animæ: sed vt est medium, & instrumentum operandi. Vnde sicut dicebam quòd substantia animæ cum respectu ad operandum, constituit potentiam vniuersaliter: sic substantia animæ cum respectu determinato per corpus ad operandum, constituit potentiam sensitiuam vniuersaliter dictam, seu sumptam.

Ex quo apparet, quòd impossibilis est sermo, quia dicit animam separatam sentire. Vide q. 9. n. 79. & in hac q. n. 12. Apparet etiam quòd potentiæ sensitiuæ sub ratione completa, quâ sunt principium operandi, non remanent in anima separata, sed incompletè & in radice. Sicut autem respectus determinatus per corpus, constituit potentiam sensitiuam in generali, sic respectus determinatus per tale, vel tale organum, constituit diuersas rationes potentiarum sensitiuarum, secundùm quòd organum est diuersum, vt est media proportio sensibilium: & mediæ proportiones sunt variæ, secundùm varietatem obiectorum. Est igitur idem materiale in constitutione omnium potentiarum, scilicet anima: sed quia respectus est forma constituens rationem potentiæ, sicut vnus respectus non est alius, sic vna potentia non est alia.

Hanc sententiam videtur sentire Augustinus in sermone de imagine *, vt patet in authoritate superiùs allegata, in ista quæstione. *al. de spiritu, & anima. citat. Hæc positio, vt patet, saluat completiùs rationem imaginis in anima, cùm det ei vnam essentiam per relationes solùm potentiarum distinctam, quàm illa, quæ dicit, quòd sunt accidentia.

ARTIC. III. SECT. III.

Respondetur argumentis in contrarium adductis.

29. *Respondetur ad argumēta posita in sectione 2. Ad primam.* EX his iam apparet solutio omnium prædictorum contra istam positionem. Ad primum dicendum, quòd ex substantia animæ nudè accepta, non habent potentiæ distinctionem, sed

ſed per aliquod additum, non abſolutum: ſed per reſpectus ad operationes modo prædicto.

Ad 2. Ad ſecundum, patet per idem; quia anima non determinatur ad illos actus per aliquod abſolutum, ſed per reſpectiuum. Si quæras vtrùm ille reſpectus ſit aliud, vel idem quod ipſa anima, vel nihil? dico quòd eſt idem, & aliud cum anima: ſicut relatio cum ſuo fundamento.

Ad 3. Ad tertium, quòd motus aliquis corporalis, vel ſpiritualis, requirat aliquod accidens in ſubiecto; vt dealbatio nigredinem, hoc non contingit, niſi quia eſt à contrario, vel à priuatiuo in contrarium: vt dealbatio nigredinem, motus localis quietem: ſed non ſupponit accidens, quod eſt potentia: & ita in actu intelligendi ſupponitur non intelligere, ſiue quieſcere intellectu.

Ad 4. Ad quartum, quòd ratio potentiæ conſtituitur ex ſubſtantia animæ, & reſpectu ad operandum: vnde reſpectus ille eſt formalis in conſtitutione: qui quidem reſpectus determinat ſubſtantiam ad operandum: tamen elicitiuum actus eſt ſubſtantia non de ſe, ſed vt exiſtens ſub ratione reſpectus. Et illud expreſsè patet in perſonis diuinis, quæ per relationes conſtituuntur, vt communiter tenetur: & tamen relationes non ſunt per ſe principium operandi, vel terminus, ſed ipſa producta, ſeu ſuppoſita: etiam potentia conſtituta relatione, eſt principium operandi, non ipſe reſpectus.

30.

Ad 5. Ad quintum dico, quòd falſum eſt, quinimò diuerſi reſpectus reales ſumuntur in eadem realitate, ſed non reſpectu vnius, ſed diuerſorum, vt ſupra eandem numero albedinem, ſimilitudo, & diſſimilitudo, qui ſunt diuerſi reſpectus reales, quorum realitas etſi ſit à ſubiecto, diuerſitas tamen eſt ex ordine ad diuerſa: ſic eſt in propoſito.

Ad 6. Ad ſextum, quòd ſi organa hominis accipiantur, vt perficiuntur in *eſſe* primo à ſubſtantia animæ; ſic non differunt inter ſe, ſicut nec anima in informando, ſed vno & eodem aſpectu reſpicit ea, ſub vno & eodem gradu complexionis, & commiſtionis, vt paulò anteà viſum eſt. Si autem accipiantur, vt perficiuntur ab anima, tanquam inſtrumentum coniunctum à motore, vt ſunt media operandi, ſecundùm quem modum propriè dicuntur organa; ſic inter ſe differunt, vt ſint mediæ proportiones ſenſibilium. Et iſto modo benè concludis, quòd oportet, quòd anima ſit diuerſa, vt perficit ea: perficit enim ea iſto modo in ratione potentiæ; quæ ratio eſt diuerſa in diuerſis organis, & ſufficit quòd ſit ibi diuerſitas relatiua.

Ad 7. Ad ſeptimum, dicendum, quòd ad reductionem inferioris ad ſuperius, & imperfecti ad perfectum, neceſſaria ſunt media, vt arguitur, ſed non per media in cauſando, vt ſcilicet, illa media ſint cauſa inferiorum, quæ reducuntur per ea: ſed ſolùm ſunt media naturæ, ſecundùm quòd dicit Commentator * de Cauſis, quòd Deus creauit animam mediante Intelligentia, quia ſcilicet Intelligentia tenet medium gradum inter animam & Deum: ſic accidens fluens reducitur ad ſubſtantiam mediante accidente permanente, non cauſaliter, quia ſubſtantia immediatè eſt cauſa alicuius actus.

* propoſ. 5.

31.

Ad 8. Ad octauum dicendum, quòd vbi extrema realiter ſunt accepta, benè concluditur, quòd medium eſt magis vnum, & idem cum quolibet, quàm illa inter ſe. Sicut caliditas eſt medium inter ignem & calefactionem, & magis idem cum igne. Vbi autem non ſumuntur realiter, ſed idem ſecundùm diuerſas acceptiones, tenet rationem extremorum, ſicut eſt in propoſito de ſubſtantia animæ & potentia, illud eſt falſum, quia medium in tali acceptione eſt res altera ab altero extremo; extremum autem non niſi ſecundùm rationem. Et hoc patet manifeſtè dum potentia ſe intelligit, ibi enim non poteſt negari realis identitas extremorum, & tamen medium, quod eſt actus intelligendi, realiter differt à potentia.

Ad nonum reſpondetur quòd ſecundùm Anſelmum *, qui dicit, quòd voluntas eſt inſtrumentum ſe ipſum mouens, idem eſt agens & patiens; ſed non ſecundùm idem: ita in propoſito, actus intelligendi ſubiectiuè eſt in ſubſtantia animæ, & ſic anima inquantum ſubſtantia eſt patiens: eſt verò agens, vt eſt potentia. Ad 9.

* de lib. Arb. cap. 7.

Ad decimum, iam eſt dictum, quòd diſtinctio per organum, & non organum, vel alio modo, non poteſt accipi per ſubſtantiam animæ præcisè; ſed vt eſt habens reſpectum ad diuerſas operationes. Ad 10.

Artic. III. Sect. IV.

Reſpondetur ad argumenta poſita in principio huius articuli, quæ probant potentias animæ eſſe accidentia ab anima abſolutè diſtincta.

Ex prædictis patet quartum, ſcilicet ſolutio relationum alterius poſitionis. Cùm enim dicitur, quòd ſolus Deus eſt agens per eſſentiam ſecundùm Auicennam; dico quòd æquiuocatur *agere per eſſentiam*; quia ſecundùm quòd conuenit Deo, eſt idem quod ſua eſſentia, ſit enim cauſa totalis abſque aliquo adminiculo actionis: quia Deus nec materia, nec approximatione, nec aliquo (breuiter) eget in actione ſua: & iſto modo non conuenit creaturæ, quia tunc poſſet agere de nihilo. Alio modo dicitur aliquid *agere per eſſentiam ſuam*, quia realiter eſſentia eſt illud, quo actus elicitur, abſque aliquo alio ſuperaddito. Sed ſic agens indiget adhuc materia, vel approximatione ſui ad materiam; & vltrà indiget actu, qui ab eo differt. Nec iſto modo agere per eſſentiam ponit potentiam, quæ ſit reale medium inter actionem, & ſubſtantiam: nec ponit quòd creatura agat per eſſentiam, ſicut Deus.

32. *Ad primum. Dupliciter dicitur agere per eſſentiam.*

Ad ſimile de igne dico, quòd verum eſt, quòd ignis agit aliquam actionem per ſe, vt generat formam ſubſtantialem in materia; agit autem aliquam actionem, vt calefactionem, per aliquod accidens medium, ſcilicet per caliditatem. Ita dico, quòd anima proprias actiones agit per ſe, & aliquas per accidens medium; ſicut ſunt operationes, quæ eliciuntur per habitus, vt ſupernaturales, vel opera meritoria. *Ad ſecundũ.*

Ad rationem, quòd non eſt inconueniens, idem ſecundùm diuerſas rationes, & comparationes eſſe in diuerſis Prædicamentis, eo quòd rationes prædicamentales non ſemper ſumuntur, vel diſtinguuntur per res abſolutas: vt pater, id quod eſt pater, in genere Subſtantiæ; ſed in quantum pater, in genere Relationis. Sic anima *Ad tertium.*

anima inquantum anima est genere Substantiæ, inquantum potentia est in genere Relationis.

33. Quod dicitur, quòd potentia est in genere Qualitatis, dico, quòd ibi accipitur *potentia* pro faciente, & aptitudine, secundùm quòd aliquis dicitur cursor, vel pugillator: & illæ aptitudines sunt in genere Qualitatis, vel potentia per illas.

Ad quartum. Ad aliud, quòd potentia, & actus diuidunt omne genus; dico, quòd æquiuocatur *potentia.* Verùm est enim, quòd potentia & actus diuidunt quodlibet genus entis, & etiam quamlibet speciem, & tunc totum ens creatum. Vnde prima diuisio entis creati est, quòd est vel ens actu, vel potentia: sic de substantia, & omni re, quia nullo modo alio cadit aliquid sub ens. Sed in tali diuisione non accipitur *potentia* pro potentia agente, vel actum eliciente, sed pro potentia, quæ actione agentis fit ipsum ens actu: sed hîc solùm quærimus de prima potentia. *Prima diuisio entis creati.*

Ad quintum. Ad aliud; Anima per suam substantiam est actus, & principium operandi, &c. patet quòd ratio destruit se ipsam: quia sicut dicis, quòd anima semper operabitur actu, si per suam substantiam est principium operandi, ita, cùm semper habeat actu suam potentiam, sicut & suam substantiam, semper operabitur actu: & sic incurris quod credis vitare.

Est autem dicendum ad rationem, quòd sicut anima non dat vitam corpori per suam substantiam, nisi præsenti, & disposito: ita per suam potentiam non dat actum, nisi præsentibus his, quæ sunt necessaria ad operationem, ad quam, vtpote ad *intelligere*, non solùm requiritur potentia, sed etiam obiectum, species, conuersio, impedimenti amotio: & similia. Tandem quarto loco soluendæ sunt rationes contra positionem facientes.

Articvlvs IV.

Adducuntur, & soluuntur aliquot rationes, quæ videntur militare contra resolutionem Doctoris.

34. *Arguitur contra resolutionem Doctoris. Primò.* FVgiunt autem nonnulli hanc difficultatem, eò quòd illa quæ sunt omnino idem re, & essentialiter, vnum non potest fieri sine altero: potest autem intellectus fieri sine voluntate à Deo. Quod patet, quia duæ virtutes specie distinctæ non per aliquod aliud, sed per se, possunt distinctæ fieri: quia hoc non implicat contradictionem.

Secundò. Secundò, quia impossibile est, quòd aliqua potentia aliquid producat per solam rationem potentiæ, nisi priùs intelligatur habere rationem talis, vel talis potentiæ: ergo intellectus non habet rationem principij intellectiui per aliquid commune sibi & voluntati: ergo per aliquod speciale. Commune autem quod habet secum totam substantiam animæ, præcedit naturali ordine suam operationem: ergo aliquid est, quod constituit intellectum vltra substantiam animæ.

Tertiò. Tertiò, quia ponere quòd duæ virtutes actiuæ ponantur idem essentia, & in re, sicut ponimus in Deo perfectiones attributales, est ponere quòd creatura attingit ad perfectionem & simplicitatem diuinam: non enim potest poni maior altitudo vnitatis, quàm quòd vna, & eadem essentia constituat diuersas perfectiones. Quâ ratione enim hoc potest poni de duabus, eâdem ratione de pluribus.

Quartò. Quartò, quia si intellectus & voluntas nullam habent realem diuersitatem inter se, ac per hoc compositionem, multò minùs habent hoc respectu sui: & ideò nulla illarum potest fieri substantialiter, nec maior, nec minor, nec simplicior, nec nobilior: cùm tamen experimentum doceat, quòd non solùm in accidentibus, sed in subiecto est gradus in intellectu & voluntate.

Quintò. Quintò, quia impossibile est, quòd idem habeat diuersos ordines realiter ad diuersas rationes obiectiuas in eadem potentia secundùm idem; potest tamen habere diuersos modos realiter ad idem obiectum. Cuius ratio est, quia potentia se habet per quandam adæquationem ad obiectum. Si autem idem re haberet ordinem ad diuersa obiecta, iam potentia realiter sumpta excederet rationem obiecti.

Sextò. Sextò, quia nullum comprehendens in se diuersas perfectiones realiter, est generis, aut speciei determinatæ, sed potiùs extra genus, quod solùm conuenit Deo.

Septimò. Septimò, diuersa ratione, siue definitione, sunt diuersa essentia, quia definitio indicat essentiam: intellectus & voluntas, inquantum talia, habent diuersam rationem, & definitionem.

Octauò. Octauò, quia potentiæ sensitiuæ insunt organo, & non intellectiuæ, quod videtur ponere diuersitatem realem.

35. *Respondetur ad obiectiones. Ad primam.* Si autem attendantur prædicta, rationes istæ in nullo lædunt positionem. Quod primò dicitur, quòd illa quorum vnum potest fieri sine altero, &c. Concedo quod dicitur in minori, quòd Deus hoc potest, cùm non implicet contradictionem, quia sunt essentiæ specificæ distinctæ, dico quòd implicat contradictionem: quia cognitiuum non potest esse sine appetitiuo: nec è contrario. Et hoc idem vult Aristoteles 2. *Physicor. text.* 51. Et Augustinus docet quòd *Inuisa possumus diligere, incognita nequaquam.* Quod autem dicitur, quòd sunt essentiæ de se specificè distinctæ, dupliciter deficit: primò, quia habent inter se necessariam ordinationem: nec enim potest aliquid appeti, nisi sit cognitum; nec cognosci potest, nisi sit possibile ad appetendum. Vnde illa propositio habet veritatem de illis, quæ non habent ordinem inter se necessarium. Deficit etiam secundò, quia specificæ essentiæ creatæ ex respectibus fundatis in substantia vna, nec possunt fieri, nec possunt distinctim fieri, quin secundùm rem vna sit alia. Verbi gratia, albedo est fundamentum similitudinis, & dissimilitudinis. Impossibile est autem quòd fiat albedo, per quam sim similis albo, quin simul per essentiam etiam sim dissimilis nigro. Tales autem essentiæ ex respectibus causarum sunt potentiæ, vt dixi. *Aristot. August. 10. de Trinit. c. 1.*

Ad secundam. Quod dicitur secundò, quòd impossibile est, &c. dico quòd verum est; & intellectiua habet rationem potentiæ per respectum ad talem operationem, quæ est *intelligere*: & hunc respectum habet naturaliter ab illo, qui creauit eam, & præcedit anima cum isto respectu operationem: vnde nihil est ad propositum.

Ad tertiam. Quod dicitur, quòd ponere duas virtutes, &c. dico, quòd hoc non ponit infinitatem; immò hoc requirit gradus creaturarum infra idem genus propinquum, vt dictum est. Nec valet: ergo est

est simplicitas diuina; cùm talis perfectio sit ab alio, & alij vnibilis, & ab alio conseruetur; & habeat quasi infinitos modos dependentiæ. Nec valet, ergo eadem ratione possunt omnes perfectiones esse in eodem: quia secundùm quòd creatura est magis nobilis, plures gradus perfectionis in eadem re generat, vel aggregat; sicut patet de agente superiori respectu inferioris: & quia nulla est in vltimo gradu nobilitatis; hoc enim solius Dei est; ideò in nulla possunt esse omnes gradus perfectionis idem re, sed in solo Deo: illa etiam identitas creaturæ est multipliciter dependens, vt dixi.

Ad quartam. Quod quartò dicitur, quòd si non differrent, &c. non video, quod operatur similitudo, & dissimilitudo, quæ sunt duæ rationes: quia relationes reales fundatæ in eadem albedine non faciunt compositum reale cum albedine, nec inter se; & tamen similitudo, & dissimilitudo recipit magis, & minùs in natura sua; secundùm quod fundamentum, scilicet, albedo suscipit magis,& minùs. Ita in proposito, sicut vna anima secundùm substantiam, & naturam est alia nobilior, sic intellectus, & voluntas recipiunt magis, & minùs.

Ad quintam. Quod dicitur quintò, quòd impossibile est idem re, &c. dico, quòd verum est idem re, & ratione: sed idem re, diuersa tamen ratione habet respectum naturalem ad diuersa, sicut patet de eadem albedine, quæ facit similitudinem, & dissimilitudinem respectu diuersorum; si illi respectus sint ei naturales, quod quidem consequitur res ex conditione suæ naturæ, illi ordines diuersi sunt ei naturales. Veruntamen anima ordinem habet, seu dicit ad obiecta; vt rationem habet potentiæ, quam rationem habet per respectus, qui sunt in ea tantò plures, quantò ad plura se extendit. Item, eadem substantia animæ secundùm varios respectus, quos habet, habet formalem respectum ad diuersa obiecta: & ita substantia animæ induta respectu adæquatur obiecto.

37. *Ad sextam.* Quod obiicitur sextò, quòd esset extra genus, &c. non est rationaliter dictum: eo quòd aggregatio plurium perfectionum in eadem re non excludit, quin res claudatur sub genere. Immensitas enim, & omnis perfectionis completio, & impendentia ab aliquo, quæ repugnant creaturæ, excludunt rem à genere.

Ad septimã. Septimum autem argumentum, quòd *habent rationem, & diffinitionem diuersam*, &c. parum valet ad propositum, quia si potentiæ definirentur vt sunt res, vna esset definitio omnium, sed sub ratione potentiarum concedo, quòd habent diuersas rationes, & essentias. Nec est inconueniens aliqua esse idem in essentia, vt *essentia* sumitur pro substantia, & eadem esse diuersa in essentia, vt *essentia* sumitur sub aliquo respectu, vel relatiua.

Ad octauam. Quod verò dicitur, quòd idem non possit esse organicum, &c. puto quòd secundùm modum prædictum esset oppositum concludendum, cùm forma quantò altior, tantò habeat respectus ad plura: & forma altissima, qualis est rationalis anima, habet aspectum ad omnia: & oportet, vt dictum est, quòd illi respectus secundùm relationes obiectorum determinentur, & sint organicæ, & non organicæ, modo supradicto.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm sensitiua hominis sit in qualibet parte corporis?

Aristot. 1. *de Anima, text.* 93. *&* 94. *& lib.* 2. *text.* 20. Auerroës 8. *Physicorum, com.* 78. *& de substantia orbis, cap.* 1. Alen. 2. *par. q.* 64. Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 8. *&* 2. *con. Gen. c.* 72. Caietan. *ad* 1. *p.* Soncinas 8. *Metaph. q.* 11. Iauellus *q.* 4. Marcellus 1. *de Anim. c.* 9. Iandun. 2. *de Anim. q.* 7. Tolet. *q.* 5. Hurtado *disp.* 2. *sect.* 4. Cauellus *in supplem. ad lib. de An. Scoti, disp.* 1. *sect.* 9. Auersa *tom.* 2. *Philosoph. q.* 46.

RESPONDEO, quatuor sunt hîc videnda circa aspectum, quem habet anima ad corpus suum. Primum est, quòd existens in corpore, nullo modo est extra. Secundum est, quòd sic est in corpore suo, quòd nec tunc, nec à corpore separata possit esse in alio. Tertium est, quòd existens in corpore sic est in eo, quòd tota in toto, & tota in qualibet parte. Quartum, videndum est de sensitiua brutorum. 1.

ARTICVLVS I.

An anima ita sit in corpore, vt nullo modo sit extra corpus?

Pars affirmatiua. CIrca primum est sciendum, quòd de modo existendi animæ in corpore & extra, dubitationem ingerit nobis verbum Augustini, epistola ad Volusianum *, vbi sic dicit: *Certè sentire non potest homo, nisi viuat: viuit autem in carne antequam vtrumque morte dirimatur: quomodo igitur anima, quæ sunt extra carnem, sentit, quæ non nisi in sua carne viuit?* Et statim subdit: *Sensus esse non potest vbi vita non est.* Ex his habetur quòd anima vbi viuit, ibi sentit. Sequitur ibidem, quòd anima videt stellas in cœlo, quæ longissimè absunt à carne: & similiter dicit de auditu, qui audit extra: ergo si non sentit, nisi vbi viuit, anima viuit extra corpus: sed *viuere viuentibus est esse*: ergo habet *esse* extrà. Dubitationem etiam ingerit verbum Bernardi de præcepto & dispensatione, cap. 27. vbi sic dicit: *Neque præsentior est spiritus noster vbi animat, quàm vbi amat*; sed vbi animat est præsens per substantiam: ergo est substantialiter extra corpus. *epist. 3.

Hoc etiam concedunt aliqui, dicentes, quòd existens in corpore, capacitatem transcendit corporis, & attingit locum, quem corpus non attingit. Quod probant ex hoc; primò, quia cùm puer crescit, & est in completa quantitate, anima est tota in qualibet parte illius corporis: cùm ergo anima non crescat, dum corpus erat paruum, attingebat anima ad aliquẽ locum, ad quem non attingebat corpus. Secundò, quia anima est perfectio corporis, & est motor: quamuis autem in quantum perfectio non possit attingere locum, quem corpus attingit; tamen vt motor attingit: quia sicut Angelus mouens corpus, est in loco, quem non attingit corpus nostrum: ita anima separata habet maiorem locum, quàm suum corpus: & ille locus, qui debetur animæ separatæ, debetur ei vnitæ, vt est motor. 2. *Prima ratio.* *Secunda ratio.*

SCHOLIVM.

Resoluit Doctor animam dum corpus viuificat, extra corpus non posse euagari. Aliqui tamen mouent difficultatem in iis qui ecstasim, & raptus patiuntur, in quibus videtur animam euocari extra corpus, & à sensibus abstrahi ad sublimiorem, & perfectiorem Dei cogni

cognitionem; in qua alienatione licèt cessent operationes naturales, & animales, attamen corpus viuit, & non est penitus exanime. S. Paulus similem passus ecstasim ita absorptus est in contemplandis arcanis cœlestibus, vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit, ipse nescierit. De Restituto Presbytero refert S. Augustinus 14. de Ciuitate Dei, cap. 24. sæpissimè ita à sensibus alienatum, & profundissima ecstasi actum, nullum tormentorum, quæ adhibebantur, genus sensisse, neque halitum emisisse. De Platone, Mercurio Trismegisto, & Socrate refertur, sopitis sensibus in contemplatione naturæ dies integros hæsisse cogitabundos. Quidquid verò sit, an huiusmodi ecstases possint dari facultate naturæ? vel an sola diuina contingant virtute? Aliqui indicant perfectas ecstases, in quibus tam interni, quàm externi sensus omnino sopiuntur, alienare animam à corpore. Alij putant probabilius quoad substantiam in corpore permanere, illúdque viuificare; quoad operationes verò, sensuum commercia destituere, & à naturali illa phantasmatum dependentia liberari. De raptu Pauli, vide Scotum in 2. dist. 3. quæst. 9. num. 8. & in 4. dist. 49. quæst. 12. num. 1.

3. *Pars negatiua verior.* Est ergo sciendum, quòd anima dum est in corpore, sic est in toto corpore, quòd nullo modo est extra. Et potest hoc declarari, primò, ex proportione formæ ad materiam. Sicut enim agens, & patiens sunt proportionata, ita quòd aspectus vnius non excedit aspectum alterius, vt patet de potentia, & eius obiecto: sic & multò maior proportio est inter materiam, & formam. Ostensum est autem suprà *, quòd sensitiua, & intellectiua verè habent rationem formæ respectu corporis humani: ergo aspectus, vel ambitus vnius non excedit ambitum alterius: sed excederet, si dum est in corpore, esset extra; sicut Deus excedit ambitum cuiuslibet creaturæ: quia quamuis sit intra quamlibet, etiam est extra: ergo nullo modo dum est in corpore potest esse extra. (* quæst. 9.)

Secundò, ex limitatione substantiæ; anima enim, & omnis creatura, habet limitatos, & determinatos, & certos limites substantiæ, intra quos habet esse, extra quos non potest esse: iam enim si extra limites naturæ suæ esset, ibi terminus non esset. Ita dicit Augustinus 4. super *Genesim ad lit.* * *Creata natura certis suis initiis, & finibus continetur.* Nunc autem cùm anima sit simplex dum est in corpore, necessariò est ibi tota: vbi autem aliqua res est tota, necessariò sunt sui termini: ergo anima cum suis terminis necessariò intra corpus continetur: ergo, &c. (* cap. 1.)

4. *Ordo seruatus in creatione.* Tertia ratio sumitur ex vniuersi perfectione, & ordine: vt enim appareret Dei sapientia multiformis, varietatem, & numerositatem creaturarum voluit producere. Creauit igitur in primis operibus duarum creaturarum differentias, ad quas modo aliquo omnis multitudo creata habet reduci, quasi ad duo extrema creaturarum, scilicet, spiritualem, & corporalem. Omnis autem creatura, vel ad hanc, vel ad illam, vel ad compositum ex vtraque reducitur. Et sub istis gradibus, ordine admirabili per immediatos gradus à creatura, quæ est prope se, ad illam, quæ est prope nihil, coniungendo infima superiorum supremis inferiorum, processit, quasi rectam lineam pertrahendo. Sed quia linea recta est imperfecta, ideò in fine operum, scilicet sexta die lineam rectam in circulum reflexit, dum illo die faciens hominem, creaturam spiritualem, & corporalem in vnitate suppositi vniuit. Et vt esset ordo per immediata à Deo ad alias creaturas, creaturam quandam spiritualem, scilicet Angelicam, corpori non vnitam reliquit. Post quam ordine immediato sequitur anima rationalis, corpori vnita, tamen separabilis: post hanc formæ materiæ vnitæ, sed non separabiles. Sicut ergo substantia Angeli suis terminis continetur, vt existens in vno loco, non sit simul in alio: sic anima, cui secundùm sui gradum debetur, quòd sit in corpore (sicut Angelo, quòd sit in loco extra) dum est in corpore, nullo modo erit extra.

Nec authoritas Augustini concludit contrarium. Cùm enim dicitur quòd sentit extra corpus; ergo viuit, & est extra corpus. Respondeo, *sentire extra corpus* potest intelligi multipliciter. Vno modo ratione illius sentientis, quòd scilicet anima sentiens sit extra corpus: & ita nullũ sentiens sentit extra corpus, quia non sentit, nisi vt coniuncta organis; alioquin organis non indigeret. Secundo modo potest intelligi ratione illius, cuius informatione sentit, quod est ipsa species: & nec isto modo aliquod sentiens, sentit extra; quia species oportet quòd informet organum & potentiam, siue compositum ex his. Tertio modo potest intelligi *extra* ratione obiecti, quod sentitur: & isto modo anima sentit extra corpus aliquãdo prope, aliquando longè: & isto modo non accipitur; *sensus esse non potest, vbi vita nõ est:* sensus enim ibi accipitur primo modo, scilicet, pro *sensatione*. (*Respondetur ad argumenta partis affirmatiuæ. Ad Augustinum. Sentit anima extra corpus multipliciter.*)

5. *Ad authoritatem Bernardi.* Authoritas etiam Bernardi non concludit: quia intelligitur de præsentialitate, non actu, sed in potentia, vt sit sensus, quòd si anima diligit aliquid plus quàm diligat corpus suum, ibi, & cum illo præsentialius cupit esse, secundùm quod dicebat Apostolus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* (Philip. 1. v. 23.)

Ratio etiam prima procedit ex falsa imaginatione; sicut enim potentiæ animæ habẽt aspectus terminatos in maius, vt vsque ad tantum spatium possit videre, & non plus, potest tamen in minori spatio: sic anima secundùm substantiam, quâ est forma, habet certum gradum in quantitate corporis, infra quem potest informare; & istum respicit anima in generali. Diuersæ autem animæ habent diuersos gradus, secundùm quòd participant gradus actualitatis differenter. Potest autem vnius corpus, hoc est suum corpus sub minore quantitate informare, quàm sit illa quantitas ei debita in suo complemento: vnde eadem anima non aucta informat maius, & minus corpus. (*Ad primam rationem.*)

Nec debet dici, ergo dum informat corpus paruuli, est extra: quia vt est in corpore, nunquam est per se, nisi vt forma, extra autem corpus paruuli nihil informat; ergo per se non est extra corpus paruuli: nec per corpus paruuli est extra, quia tunc corpus paruuli esset extra se. Eadem igitur anima, quæ in ratione formæ tota clauditur in corpore paruuli, informat idem corpus factum magnum, non aucta, non priùs existens extrà.

Secunda ratio non valet; quia dato, quòd animæ separatæ non respondeat maior locus, quàm sit locus sui corporis (quod non affirmo) tamen dum est in corpore, nusquam est per se, nisi vt forma; & non est extra corpus. Est autem dum est in corpore in loco non per se, sed per corpus: corpus autem, si est ratio applicandi eam ad locum, non potest esse sibi ratio, quòd applicetur, nisi ad locum, in quo est corpus: ergo vt est in corpore, nec inquantum forma est in loco, potest esse extra locum corporis: & sic nullo modo est extra corpus secundùm substantiam. (*Ad secundam rationẽ.*)

ARTICVLVS II.

Vnamquamque animam vni soli corpori appropriari.

6. *Animas non reiterari in corporibus.* SEcundum, scilicet, quòd anima sic est in suo corpore, quòd per hoc, quòd est in eo, sic sibi ipsum approprietur, quòd non potest esse etiam separata in alio corpore. Patet quòd multi circa hoc errârunt, ponentes quòd animæ hominum dum separantur à corporibus suis, cùm secundùm rationem vniuersi sint substantiæ corpori vnibiles secundùm vnumquemque gradum naturæ suæ, non possunt esse sine corpore: sicut nec Angelus forma corporalis materiæ. Ideò dum separantur à suis corporibus intrant iussu Dei corpora diuersorum animalium, vbi secundùm sua demerita agant pœnitentiam donec resumant propria corpora. Et ideò non audent interficere aues, nec bestias, timentes quòd animæ parentum suorum, & charorum ibi sint, & ampliùs affligantur, si intrent alia corpora. Sed hæc ratio plus habet de fatuitate, quàm de apparenti ratione, pro eo, quia propria forma est in propria materia, & actus actiuorum est in passo & disposito; nullum autem corpus præter proprium habet talem gradum mistionis & complexionis, qualem requirit rationalis anima: ideò in nullo alio potest esse.

SCHOLIVM.

Multos in hanc transanimationis amentiam prolapsos dicit hîc Scotus; idque mirum, quòd homines aliàs docti, in tantam abierint insaniam. Attamen Empedocles, Pythagoras, Plato, Apollonius Tyaneus, & alij absurdissima hæc commenti sunt. Eundem errorem tribuit Augustinus Manichæis in lib. de hæresibus, cap.46. & lib.5. contra Faustum, cap.10. Albanensibus, Diuus Athanasius lib.6. de Beatitudine filij Dei, & ab Ægyptiis ad Græcos emanasse scribit Herodotus. Vide Augustinum lib.10. de Ciuitate Dei, cap.20. & Tertullianum in Apologetico aduersus Gentes, cap.40.

7. Est ergo dicendum, quòd anima vnius nullo modo potest esse in corpore alio: & quia suum dum est corruptum, non potest idem reuerti per naturam, quia corruptum, & generatum non sunt idem numero, 5. *Physicor. & 2. de Generatione, text.* 70. ideò sola diuina virtute anima separata corpori vnietur.

Quòd autem non possit esse in alio corpore, patet primò ex modo suæ productionis. Anima enim rationalis, etsi non educatur de potentia materiæ corporalis, vt per hoc efficiatur tali materiæ propria, tamen creando infunditur, & infundendo creatur, & istud *esse* suum, etsi de nihilo, tamen in corpore tali determinato ipsum accepit. Quæ autem insunt alicui à sua creatione, insunt ei connaturaliter: vnde ex tali modo, quo non extrà, sed in corpore creatur, quandam singularem appropriationem, & proportionem videtur ad illud corpus habere, quam non habet ad aliud, vt istius solius dicatur forma & perfectio, quia in isto *esse* accepit.

Confirmatur autem hæc ratio, quia si forma appropriat sibi materiam, quantò aliqua forma plus habet de ratione formæ, tantò plus sibi appropriat materiam: sed anima rationalis est illa, in qua consummatur omnis ratio formæ: ergo, &c.

Secundò, arguitur ex parte perfectionis animæ: vt enim dicit Augustinus 12. *super Genesim ad literam, c.*31. anima per hoc, quod existit in corpore, habet perfectum suæ naturæ modum; sicut igitur natura animæ est vna numeralis, sic modus suæ naturæ est vnus singularizatus & totalis: ergo si in duobus corporibus posset successiuè esse, sequeretur quòd eadem natura animæ perficeretur duplici modo naturali, quorum vnus non haberet ordinem ad alterum, sicut nec illa corpora habent ordinem inter se, quod est impossibile, cùm etiam anima ad illum modum perfectionis, quem habet à corpore, sit in potentia passiua, nullum autem tale seipsum perficit, sequeretur quòd anima nulli corpori se posset de se vnire. 8.

Tertiò, ex modo creationis: forma, quæ habet aspectum ad diuersas naturas de se est indifferens, vel æqualiter se habens ad illas: ergo si anima posset esse in duobus corporibus successiuè, in nullo creata fuisset, sed extra omne corpus: vt ex hoc appareat, quòd hoc, vel illud indifferenter posset informare: sed secundùm veritatem in vno corpore determinato terminatur: ergo, &c.

Quartò patet hoc, quia ostensum est *, quòd simul non potest duo corpora informare; sed hoc sequeretur, vt ostendam; ergo, &c. * supr. art. 1.

Probatio minoris, anima in corpore meretur, vel demeretur; cùm igitur in hac vita de lege communi, non puniantur mala, nec bona remunerentur, fiet hoc in alia vita: ergo si in duobus corporibus meruit, vel demeruit, vtrumque simul in iudicio resumet, vt in illis remuneretur, vel puniatur.

ARTICVLVS III.

Animam esse totam in toto corpore, & totam in qualibet parte.

SEquitur tertium, scilicet quòd existens in corpore tota est in eo, & tota in qualibet parte eius: quod quidem patet ex authoritate, & similitudine, & ratione. Authoritate patet, per verbum Augustini, lib. de Spiritu, & Anima, cap. 20. *Habet* (inquit) *anima vires, quibus corpori commisceatur, quarum prima est naturalis, secunda vitalis, tertia animalis: & per totum corpus his tribus viribus diffunditur, non locali distentione, sed vitali intentione.* Item, de immortalitate animæ, cap. vltimo in fine, dicit: *Anima non modò vniuersæ moli corporis sui, sed etiam vnicuique particulæ illius tota adest simul.* Item, lib. contra epistolam Fundamenti, cap. 16. *Anima verò natura etiam si non illa eius potentia consideretur, quâ intelligit veritatem, sed illa inferior, quâ continet corpus, & sentit in corpore, nullo modo inuenitur locorum spatiis aliqua mole distendi; nam singulis sui corporis particulis tota præstò est, cùm sentit tota in singulis.* Item, de origine animæ ad Hieronymum, epistola 28. *Per totum quippe corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur: nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, nec maior in maioribus; sed alicubi intentiùs, alibi remissiùs, & in omnibus tota, & in singulis tota est.* Et sequitur: *Vnde ergo ad totam mox peruenit quod non in tota fit, nisi quia & ibi tota est, vbi fit: nec vt tota ibi sit cætera deserit? Viuunt enim & illa ea præsente, vbi tale nihil factum est: quod si fieret & vtrumque simul fieret, simul vtrumque totam pariter non lateret.* 9.

Simili

Similitudine patet hoc, quam ponit Augustinus *lib. de Spiritu & Anima, cap.28.* quòd sicut Deus est in maiori mundo, ita anima in minori mundo suo, scilicet, in corpore humano: Deus autem sic administrat totum mundum, vt totus sit vbique, & totus in qualibet creatura.

10. Ratione etiam hoc declaratur: & primò oportet falsam imaginationem circa modum existendi animæ in corpore excludere, & secundò rationem ad confirmandum propositum inducere. Circa primum est sciendum, quòd vnitas & simplicitas animæ non est punctalis, seu ad modum puncti; cuius, scilicet puncti, simplicitas non est fundata in aliqua actualitate naturæ; sed in quadam entitatis priuatione: vnde non habet eius substantia aspectum virtualem, nec in se, nec in potentia, nisi indiuisibilem. Simplicitas autem animæ est simplicitas cuiusdam actualitatis, secundùm quandam similitudinem ad actualitatem diuinam, quamuis distet in infinitum. Et ideò, quia actus est se communicare tale simpliciter, & quantùm ad substantiam se communicat, vt patet in essentia diuina in tribus suppositis; & quantùm ad operationem ad multos effectus: immò quantò magis simplex tali simplicitate, tantò magis communicabile: & dico *magis* non in numero, sed in modo perfectiori.

Anima non est in corpore per modum puncti.

Nec sicut clauus in rota.

Non est etiam imaginandum animam existere in corpore sicut clauus in rota fixus; nec potest esse in maiori, vel minori situ, quàm sua materia, vel substantia requirat: anima enim, vt dixi suprà, * quantùm ad actum primum, quem dat per suam substantiam, habet aspectum ad maius, vel minus corpus, idem tamen valens informare: vnde motus animæ in corpore à talibus debet excludi.

* num.3.

SCHOLIVM.

Mira & varia fuerunt Philosophorum deliramenta circa anima in corpore modum existentia & locum residentia. Quidam animam in capite veluti in arce constituerunt, alij in cerebro, alij in pectore, alij in corde, alij in arteria cordis concaua, alij in abdito quodam loco, è quo, quasi aranea, opportunè pro rerum exigentia ad singulas functiones possit prodire: de quibus legi possunt Tertullianus lib. de Anima; & Cicero lib.1. Tusculan. quæstionum. Hi itaque indicabant animam ita in illis præcipuis partibus totam perfectè esse, vt in aliis per sua operationis & virtutis communicationem duntaxat, existat. Catholica & communis est Theologorum sententia, quam hîc docet Scotus, & in 4. dist.1. quæst.5. illámque eadem fide, qua credimus animam esse immortalem & spiritualem, tenendam esse aliqui docent. Vide Durandum 1.dist.8.quæst.3.in 2.parte distinctionis.

11. Ostendo igitur quòd tota sit in toto corpore, & tota in qualibet parte; & primò ducendo ad impossibile sic: Cùm anima sit forma corporis organici Physici, tale autem corpus dicat quoddam integrum ex omnibus partibus organicis, cùm perfectio sit in eo, cuius est perfectio, necesse est animam esse in toto corpore, & in qualibet eius parte: quia quælibet eius pars est de integritate huius corporis. Si igitur anima est aliquo modo in qualibet parte corporis, tota est ibi, aut pars eius: non pars, quia indiuisibilis est per essentiam; vt est perfectio substantialis, vt dictum est in præcedenti quæstione * de potentiis animæ: ergo est tota in qualibet parte.

* quæst.11.

Item, si anima est in corpore, aut est tota in qualibet parte, & habet propositum; aut tota in puncto, quod non potest esse, cùm sit indiuisibilis; aut tota in aliqua parte diuisibili, & ideò est tota in puncto, quia punctus non est informabilis, cùm non sit corpus, nec pars corporis: nec est in puncto vt motor, quia punctus non agit, nec patitur, nec mouet, nec mouetur; ergo est tota in parte diuisibili. Tunc quæro: aut est tota in qualibet parte illius partis diuisibilis, & si sic, eadem ratione potest esse tota in qualibet parte corporis totius. Si est in vna parte illius partis diuisibilis tantùm, quæro, vtrùm in parte diuisibili, vel indiuisibili, sicut priùs.

Ostensiuè arguo sic; albedo est forma albi; sed de qualibet parte albi est verum, quòd est alba: ergo in qualibet parte albi est albedo: sed non possum dicere, quòd tota albedo sit in qualibet parte albi, quia tunc esset simplex: ergo si imaginemur albedinem denudari quantitate, necessariò tota simul est: cùm igitur anima sit indiuisibilis, & sit in corpore, necessariò vbi est, ibi tota est.

Item, sicut se habet forma elementi, quæ est simplex, ad totum vniforme, & ad omnes eius partes; sic forma, quæ est multiplex virtutibus ad totum corpus, quod est multiplex in organis: sed forma elementi ad materiam vniformem sic se habet, quòd per suam substantiam est præsens cuilibet parti; alioquin quælibet pars ignis non essent ignis: ergo anima, quę forma est perfectior, toti & cuilibet eius parti, erit præsens per suam substantiam: sed simplex vbi est, ibi totum est: ergo, &c.

Item, forma dat *esse* materiæ, & terminat eius fluxum & possibilitatem, vt est ei vnita per substantiam; sed anima rationalis totaliter & consummatè quantum excogitari potest, dat *esse* & perficit materiam in modo singulari: ergo necessariò erit præsens suæ materiæ.

Ad prædictorum autem euidentiam est sciendum, quòd cùm dicitur quòd anima est tota in 12.
qualibet parte, anima, vt dictum est suprà * potest dupliciter considerari. Vno modo, vt vnitur corpori in ratione formæ substantialis, dans ei *esse* simpliciter; & sic est tota in toto, & in qualibet parte æqualiter & vniformiter in omnibus partibus, tam organicis, quàm non organicis. *Organicis* dico, modo suprà exposito; in quantum, scilicet, omnia organa habent vnum & vniformem modum dispositionis, vt anima eis tanquam forma vniatur: secundùm quem modum, vt dixi suprà *, est eadem dispositio in oculo, in pede; & sic de aliis membris. Alio modo consideratur, vt habet respectum ad corpus, vt est motor eius, vel vt habet respectum ad operationem generalem; & sic adhuc potest dupliciter considerari; vel vt habet respectum ad operationem intellectualem, seu voluntariam, & tunc cum ipso respectu ipsa substantia animæ est potentia intellectiua modo suprà prædicto. Accipiendo animam secundùm hanc considerationem, scilicet, vt eius potentia, non est per se, nec in toto corpore, nec in aliqua parte, est tamen per accidens, scilicet per substantiam, cùm qua realiter idem est in toto, & in qualibet eius parte, secundùm quòd expositum est in præcedenti quæstione de modo essendi potentiæ intellectiuæ in corpore, vt patet ibi: ergo eadem res simul est corpori vnita, & non vnita, quia cùm potentia realiter sit idem quod substantia animæ, sicut anima quamdiu est in corpore, est ei

Anima dupliciter consideratur in corpore.

* quæst.11.

* quæst.11.

vnita, sic potentia realiter, vt est res absoluta: (quia sicut est illud, quod anima) semper est corpori vnita: sed secundùm quòd recipit rationem respectus, seu potentiæ intellectiuæ, ratione illius potentiæ, seu respectus, non est vnita corpori. Si autem consideretur, vt vnitur corpori tanquam motor, vt est, scilicet, in corpore ad operandum, sic sortitur, vt expositum est, rationem sensitiuæ; & tunc si potentiæ considerantur, vt sunt res absoluta, sic omnes in toto corpore sunt, & in qualibet eius parte. Si autem considerentur sub ratione talis potentiæ, vel talis auditiuæ, vel visiuæ, & sic de aliis; cùm talis potentia determinetur in anima per dispositiones proprias organorum modo superiùs dicto; sicut vna dispositio organi non est eadem, nec similis alij, & vbi est vnum organum, non est aliud: sic dicitur, quòd vna potentia non est alia inquantum potentia; & vbi est vna, non est alia, sed quælibet in proprio organo.

Articvlvs IV.

Vtrùm animæ brutorum sint totæ in qualibet parte corporis?

13. *Quid dicendum de forma brutorum. Prima opinio quòd sit diuisibilis.* Vide Argentin. in 1. d. 8. q. 2. artic. 1. Ægid. ibid. q. vltima.

De anima sensitiua brutorum, vtrùm tota sit in qualibet parte, dicunt aliqui quòd non, quia est forma extensa per extensionem corporis, & sic est tota in toto, sed non tota in qualibet parte. Et quia, vt dicunt, quamuis sit forma extensa, est nobilior inter formas extensas, habens quandam totalitatem per accidens, sicut totum corpus per se, propter quam totalitatem sibi corpus totum, vt materiam adæquatam, determinat: ideò propter extensionem operationem suam communicat cuilibet parti; nam quælibet pars sentit: sed propter totalitatem suam, & totalitatem propriæ materiæ, *esse* quod dat, soli toti communicat, quia totum compositum est animal; & non aliqua pars, vt est in toto. Et sic respondent ad diuisionem animalis annulosi; quòd verè sunt ibi duæ animæ, quæ factæ sunt duæ, non à generatione, nec à creatione, nec ab animæ multiplicatione, sed per diuisionem, & à soluente prohibens, sicut diuidens continuum, & soluens vnitatem, est causa multiplicationis. Quòd autem aliqua animalia diuidantur, aliqua non diuidantur, dicunt, non esse causam quòd in aliquibus diuidatur anima, in aliquibus non diuidatur: sed quia diuersæ sensitiuæ diuersas habent dispositiones, quibus saluantur in materia. Animalia igitur perfecta, vt equus, & similia, indigét aliquibus dispositionibus, quæ non sunt in qualibet parte: ideò anima, etsi sit diuisa, statim perit in illis partibus, quæ dispositionem illam non habent: animalia autẽ annulosa sunt valdè imperfecta: quod ostendit vniformitas materiæ, & defectus organorum: & in partibus diuisis anima aliquo tempore remanet, & sensum retinet, & modica dispositione in sua materia indiget, quæ in partibus diuisis manet. Sed quia illæ dispositiones imperfectæ non sunt sicut erãt in toto, nec partes habent illa imperfecta organa, quę habèbat totum, ideò non diu viuunt, quia illæ dispositiones corrumpi incipiunt in partibus diuisis.

14. Vide eũdem cap. 31.

Hoc dicunt sensisse Augustinum, qui in libro de *Quantitate Animæ, cap.* 32. loquens de partibus vermiculi multipedis, quæ diuisæ viuunt; & inquirens vtrùm anima talium animalium diuidi possit? in fine concludit sic: *Animus*, (inquit) *ad hæc intuenda & perspicienda percolendus est, vt possit intelligere liquidissimè, vtrùm quod à quibusdam doctissimis viris dicitur, ita sese habeat, animam nullo modo per seipsam, sed tamen per corpus posse partiri.* Certum est autem quòd per corpus ad diuisionem corporis non diuiditur, nisi per corpus extendatur, & in corpore. Hæc, vt dicunt, est sententia Auicennæ 6. *naturalium, part.* 1. *cap.* 2. vbi loquens de annulosis, *Anima,* (inquit) *istius vnius animalis vna est in effectu, sed multiplex in potentia.* Et subdit, *Instrumentum conseruandi in istis diffusum est per corpus, ideò manent animæ.*

Huius opinionis dicunt fuisse Aristotelem. Vnde in 1. *de Anima, in fine, text.* 93. ponens similitudinem inter negatiua, & animalia annulosa, dicit sic: *Videntur,* (inquit,) *& plantæ diuisæ viuere, & quædam animalium insectorum tanquam eandem habentia animam specie, etsi non numero: vnaquæque igitur perfectum sensitiuum habet, ac mouetur secundùm locum in quoddam tempus* *: *si autem non permanent, nullum inconueniens est; instrumenta enim non habent quibus saluent naturam.* Sequitur; *Et eiusdem speciei sunt ad inuicem & toti, sicut quæ non separatæ sunt.* Et subdit ad propositum, *Tota anima tanquam indiuisibili existente.* Hoc idem habet 2. *de Anima, in fine* 2. *cap. text.* 20. vbi expressiùs dicit, quòd ita est in his animalibus, sicut in plantis. *Sicut,* (inquit,) *in plantis quædam diuisæ videntur viuere separata ab inuicem, tanquam existente in his anima, actu quidem vna in vnaquaque planta, potentia autem pluribus: sic videmus in contrarium alteras diuisas animas animæ accidere; & circa alteras differentias animæ accidere: vt in entomis decisis; etenim sensum vtraque partium habet, & motum secundùm locum: si autem sensum, & phantasiam, & appetitum.* 15.

* text. 93.

Et nota quòd non potest esse sensitiuum sine appetitu, & minùs intellectus potest esse sine appetitu, vt dicebam in quæstione præcedenti, in solutione vnius argumenti. Si autem vnus, vel alius, ponat sensitiuum indiuisibile, dicunt quòd intelligitur solùm de humano, quod fundatur in materia spirituali. Addunt tamen ad hoc quandam iam tactam rationem: cùm enim forma perficiat materiam, vt est ei præsens per substantiam, sola illa forma, quæ consummato modo perficit, & terminat, qualis est anima rationalis, & sensitiua, quæ est idem cum ipsa, sola illa consummato & completissimo modo se facit præsentem suæ materiæ: perfectissimus autem modus est, quòd tota sit in toto, & tota in qualibet parte: ergo nulla sensitiua brutorum hoc habebit.

Scholivm.

Quatuor, vel quinque opiniones circa qualitatem animæ brutorum, videlicet, an sint diuisibiles, vel potiùs insectibiles, refert hîc Scotus; & primam, nimirum, quòd omnes animæ siue perfectorum, siue imperfectorum animalium, excepta rationali, sint extensæ & diuiduæ, iudicat probabiliorem; eámque indicat in 4. dist. 1. q. 5. vbi habet, solam rationalem esse totam in toto, & in qualibet parte: & dist. 44. quæst. 1. vbi dicit, quòd sola intellectiua informat nouas partes materiæ, sine eo quòd ipsa partes nouas accipiat.

Alij dicunt, quòd anima sensitiua brutorum est indiuisibilis & per se, & per accidens; & tota est in toto, & tota in qualibet parte. Et dicunt hoc Augustinum sensisse. Vnde dicit contra epistolam Fundamenti: *Anima,* inquit, *natura etsi,* &c. 16. *Secunda opinio quòd sit indiuisibilis.*

quære

* num.9. Simplic. lib. 1.de Anima, text. 47. & lib.2.text. 20.[& alij.

quære eam suprà *. Ratio autem horum est; quia dicunt, quòd Deus seminaria non solùm ratione formarum extensarum, sed etiam spiritualium & indiuidualium per omnem modum indidit materiæ; ex quo fit anima sensibilis omnino indiuisibilis. Et hoc dicit Augustinus in lib. de Mirabilibus sacrę Scripturæ cap.29. *Vitam* (inquit) *sensibilem terram habere indubitanter dignoscitur, per quam in se crescentia arborum, & olerum fruteta moueri videntur.* Per hunc autem modum in animali annuloso, seu insecto, & eius partibus multæ sunt animæ.

Tertia opinio. Vide cursum Conimbr. 2. de An.cap.1. q 8. art.1. & 2.

Alij dicunt, quòd quia materia in qualibet parte est summè disposita ad talem formam propter conformitatem cum toto, sicut Deus corpori disposito in vltimo instanti dispositionis infundit animam: sic Sol, & alia corpora cœlestia non sinunt materiam aliquam summè dispositam, quin statim in eodem instanti educant formam naturalem de potentia materiæ. Nec est inconueniens ipsam educere in instanti, quia quælibet pars materiæ est in vltima dispositione ad talem formam, si ab alia parte diuidatur.

Quarta opinio. Alij dicunt, quòd sicut vnus punctus fit duo puncta, vt patet in diuisione lineæ, vbi punctus continuans per diuisioné fit duo: ita in proposito.

Quinta opinio. Alij dicunt quòd non est anima, sed effectus derelictus ab anima, sicut in lapide dum proiicitur: durat autem in illis animalibus propter viscositatem, & quandam imperfectionem, quæ sufficit ad motum imperfectum. Ista quantum modicum capio, habent de probabilitate; & fortè quòd vnum indiuisibile fiat duo, quocunque modo, implicat contradictionem. Teneatis quod vultis: primus modus videtur mihi ad præsens probabilior.

QVÆSTIO XIII.

Supposito quòd anima intellectiua, in quantum intellectiua, sit forma corporis, Quæritur vtrùm intellectus coniunctus intelligat singulare?

Auerroës 3. *de Anima, com.* 9. Mirandulan. *lib.* 23. *de euersione singular. certaminis à sect.* 4. Thom. 1. *part. quæst.* 86. *art.* 1. Aureolus 1. *d.* 35. *quæst.* 4. *art.* 1. Ægid *quodlib.* 1. *q.* 9. Gregor. 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 1. Richar. *in* 2. *d.* 24. *quæst.* 4. Duran. *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. Iandun. 3. *de Anima, quæst.* 11. Toler. *quæst.* 12. Conimbr. 3. *de Anima, cap.* 8. *quæst.* 5. Suarez *lib.* 5. *de Anima, cap* 3. Anton. Andr. 7. *Met. q.* 13. Auersa *tom.* 1. *Philos. quæst.* 58. *sect.* 4. Complut. *disput.* 7. *de Anima, quæst.* 1. *&* 2. Vide Doct. *quæst.* 12. *de Anima, & quodl.* 13. *art.* 2. *&* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. *ad vlt. &* 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. *num.* 9. *& dist.* 9. *q.* 2. *num.* 35. *& in* 4. *dist.* 45. *q.* 3. *num.* 21. *&* 7. *Met. q.* 15.



1. RESPONDEO; circa hanc quæstionem tria ostendo. Primum est quomodo se habeat cognitio sensitiua ad intellectiuam? Secundum, quomodo intellectus animæ corpori vnitæ singulare cognoscat? Tertium est, quomodo ipsum apprehendat, vtrùm directè, vel per reflexionem.

ARTICVLVS I.

Qualiter se habeat cognitio sensitiua in ordine ad intellectiuam?

CIrca primum, primò est ostendendum, quòd in homine est alia cognitio à sensitiua. Secundò, quòd in homine est omnis cognitio ab intellectiua. Tertiò, quòd in homine est omnis cognitio sensitiua. Quartò, quòd istæ duæ cognitiones, sensitiua & intellectiua, sint in homine naturaliter ordinatæ, ac per hoc secundùm prius & posterius, secundùm superius & inferius. Quintò, quòd inter cognitiones sensitiuas illa est vltima & infima, per quam apprehenditur & cognoscitur actualis existentia rei corporalis sensibilis. Sextò, quòd talis cognitio, quæ experitur actualem existentiam rei, est in homine. Septimò, quòd huiusmodi cognitio non est scientialis. Octauò, quòd huiusmodi cognitio experimentaria actualis existentiæ rei, est principium, & fundamentum, & seminarium omnis scientialis cognitionis. Nonò, quòd in omni creatura habente scientialem cognitionem, oportet ponere huiusmodi vim seminariam, vtpote in homine & Angelis, vel saltem vim aliquam proportionem sui habentem; qualem oportet ponere in Angelis; & in his nouem primus articulus apparebit.

ARTIC. I. SECT. I.

Vltra sensitiuam dari in homine cognitionem intellectiuam.

PRimum, scilicet quòd in homine sit alia cognitio à sensitiua, satis patet: primò, quia ostensum est in alia quæstione *, quòd appetitus humanus non quietatur, nisi per adeptionem boni infiniti; cùm autem bonum infinitum sit finis altissimus, vt ibi dictum est, non potest ipsum consequi nisi per altissimum actum; altissimus actus est altissimæ potentiæ, talis est potentia libera, quæ est ratio: sed nihil possumus velle, vt ibi dictum est, nisi cognitum; non potest autem cognosci sensu, cùm sit substantia spiritualis; ergo intellectu. 2. * q.4.n.16.

Item, potentia consequitur substantiam, quantùm ad gradum nobilitatis & actualitatis, vt patet in omni gradu entium: sed homo est nobilius ens omni substantia purè sensibili, quia est finis earum: ergo habet nobiliorem potentiam, quàm sit sensitiua: sed intellectiua immediatè fundatur supra sensitiuam: ergo habet intellectiuam.

Item, intellectiua anima, in quantum intellectiua, est forma hominis, vt patet in quæstione de hoc disputata *: omnis autem forma communicat actum suum materiæ; vel saltem composito; vt ibi fuit ostensum: ergo necessariò quod est actus intellectiuæ toti coniuncto cómunicabitur. * quæst.9.

Item, homo cùm sit fibula omnium naturalium, coniungit superiora inferioribus; & per hæc medium est inter substantias purè naturales & purè spirituales, continens in vnitate essentiæ corpus perfectum naturaliter, & animam supernaturaliter: & sic secundùm Dionysium * coniungit infima supremorum, supremis infimorum: sed vltima notitia eorum quæ producuntur à natura, est sensitiua cognitio, supremorum est intellectiua: ergo istæ duæ sunt in homine. * cap.7. de diuin nomi.

ARTIC. I. SECT. II.

Vltra intellectiuam dari in homine cognitionem sensitiuam.

SEcundum, scilicet, quòd in homine sit alia cognitio ab intellectiua, patet ex ratione statim 3.

ſtatim immediatè præfata, quia de vtraque cognitione concludit.

Item, in rebus ordinatis vniuerſaliter ſecundum claudit primum, ſeu vltimum; primum, ſicut poſterius prius, vt animal ſubſtantiam & corpus; ſed homo eſt vltimum omnium rerum naturalium, cùm ſit finis omnium rerum naturalium, 2. *Phyſicor. text. comm.* 24. cognitio ergo ſenſitiua, cùm ſit de numero primorum & imperfectorum, erit in homine.

Item, homo in quantum homo, cadit in aliud genus à ſubſtantiis ſpiritualibus purè: ſicut ergo per ſuam formam, quâ pertinet ad genus ſpiritualium, participat intellectiuam; ita per hoc quod cadit ab illis, neceſſariò participat inferius genus cognitionis; hoc autem eſt ſenſitiua cognitio.

Item, ſuperius prædicatur de inferiori neceſſariò, & eſt de eius eſſentia; ergo animal de homine; ſed ſenſus facit animal, 2. *de Anima*, *text.* 16. ergo neceſſariò homo eſt ſenſibilis.

Artic. I. Sect. III.

Dari in homine omne genus cognitionis ſenſitiuæ.

4. Circa tertium, ſcilicet, quòd in homine ſit omne genus cognitionis ſenſitiuæ. Hoc autem, quòd habeat omnes ſenſus tam inferiores, quàm ſuperiores, patet. Primò, quia in omni operatione anima intenta intendit de imperfectiori ad perfectum procedere per ſe; quod dico propter corruptionem, quam per ſe non intendit: ſed homo eſt perfectiſſimum ſuper omnia alia naturalia, quia finis eorum, & continet animal: ergo eſt perfectiſſimum animal: ſed, vt dicitur 3. *de Anima, text. comm.* 59. *& ſeqq.* perfectum animal continet omnes ſenſus: ergo, &c.

Item, poſterius præſupponit ſuum prius, & illud adhuc ſuum prius, & ſic vſque ad vltimum, vt patet in numeris, & in linea Prædicamentali; ſed cognitio ſenſitiua eſt in homine ſuprema reſpectu illius cognitionis, quæ in proceſſu totius naturæ eſt poſterior & vltima: cuius ratio eſt, quia in homine coniunguntur infima ſupremis, ſuprema infimis: ergo illa eſt ſuprema cognitio, quæ in homine præſupponit aliam inferiorem, & illa aliam vſque ad infimum: ergo in homine eſt omne genus cognitionis ſenſitiuæ.

Item, tota linea cognitionis in ſenſu inchoatur, & in intellectu terminatur; nec poteſt dici quòd non ſit vna linea, quia vis cognitiua, & ipſum cognitum correlatiuè dicuntur; nunc autem eadem res ſecundùm diuerſam cognitionem eſt ſenſibilis & intelligibilis, ſicut idem eſt, Socrates & homo. Ex hoc arguo: Vbi eſt terminus, ibi eſt id, cuius eſt terminus; vt vbi punctum, ibi linea: ſed in homine eſt terminus lineæ cognitionis, ſcilicet intellectus; ergo tota linea; ergo ſenſitiua, atque ita Ariſtoteles 3. *de Anima, text.* 59. *& deinceps*, probat quòd animal perfectum habet omnes ſenſus, ſumens rationem ex *eſſe*, & *benè eſſe*, vt patet ibi. Videtur mihi, quòd rationes ſuæ ſint à poſteriori, quare omitto eas.

Artic. I. Sect. IV.

Dari ordinem in cognitionibus humanis.

5. *Eſt ordo in cognitionibus humanis.* Qvartum, ſcilicet quòd hæ cognitiones habeant ordinem naturalem in homine; ita quòd intellectiua poſterior eſt ſenſitiua. Patet primò ſic: Iſtæ cognitiones de ſua ratione ſunt fundatæ ſuper vnum, quod cõſequitur hominem, inquantum homo, quod eſt verius ens vnum, quàm aliquod compoſitum in natura; vt patuit in quadam quæſtione ſuprà*: conſequuntur autem hæ cognitiones, vt patet ex dictis, ſecundùm quòd eſt medium coniungens inferiora cum ſuperioribus: habent ergo cognitiones hæ ortum ab vno, inquantum vnum. Sed omnis multitudo fundata in vno, inquantum vnum, habet ordinem ſecundùm rationem prioris & poſterioris inter ſe. Vnde quamuis inter perſonas diuinas non ſit prius & poſterius, quia tamen in vna ſubſtantia vniuntur, & ab alio procedunt Filius & Spiritus ſanctus, neceſſariò in eis ordo ſecundùm aliquem modum inuenitur. Ita eſt in ramis, qui ab vna virtute oriuntur; ita eſt in flore & fructu: & breuiter quantò illud, in quo fundatur multitudo, eſt magis vnum, tantò inter illa verior & firmior ordo inuenitur. Si igitur in homine, in quantum homo, vt oſtenſum eſt, eſt multiplex cognitio, ſenſitiua ſcilicet, & intellectiua, in homine ſunt duæ naturæ, ſcilicet, corporalis & ſpiritualis, ad quam corporalis, ſiue corpus ordinatur, ſicut imperfectum ad perfectum: ergo pari ratione cùm ſint duæ cognitiones in eo, vna ſcilicet ſenſitiua, quæ eſt imperfecta, & tenens ſe ex parte corporis, ordinabitur ad eam, quæ ſe tenet ex parte animæ tanquam ad perfectum.

* quæſt. 9.

Item, quantò effectus eſt perfectior, tantò natura circa ipſum eſt diligentior: ſed natura in omnibus effectibus procedit ordinatè, vt patet in ſituatione membrorum in corpore, & ramorum in arbore: nunc autem ita eſt, quòd homo eſt perfectiſſimus effectus naturæ: ergo, &c.

Item, ſicut ſe habet cognitio imperfecta, & confuſa ſenſitiua reſpectu determinatæ & diſtinctæ, ſic tota intellectiua reſpectu intellectiuæ: ſicut enim homo proficit à prima ad ſecundam, ſic, vt per experientiam patet, à ſecunda ad tertiam proficit: ſed inter primam & ſecundam eſt naturalis ordo, quia pueri primò vocant omnes homines patres; & proceſſu temporis diſtinguunt: hoc patet etiam reſpectu loci, dum aliquem video confuſè à longè, & diſtinctè de propè: ergo ſimiliter naturali ordine procedemus à ſenſitiua ad intellectiuam. Hoc etiam patet per Ariſtotelem 2. *Poſteriorum*, *text. comm.* 104. *Ex pluribus ſenſibus fit vna memoria; ex pluribus memoriis vnum experimentum; ex pluribus experimentis vnum vniuerſale, quod eſt principium artis & ſcientiæ.*

Artic. I. Sect. V.

Cognitionem ſenſitiuam rei ſenſibilis, actualiter exiſtentis, eſſe infimam omnium cognitionum.

Circa quintum, quòd inter potentias & cognitiones ſenſitiuas, illa eſt vltima & infima in deorſum, ſecundùm quam, & per quam ſolùm cognoſcitur exiſtentia actualis rei ſenſibilis. Arguitur primò ſic: Senſibile inquantum ſenſibile, actu exiſtens, eſt vltimum omnium entium naturalium, quia vltra rationem ſenſibilis nullam rem, aut intentionem addit, ſeu componit natura: ergo ſi actualis exiſtentia rei eſt nullius, aut minoris abſtractionis inter omnia entia naturalia, 6.

ſequitur

sequitur quòd potentia, quæ tale *esse* apprehendit, & nullum aliud, vel rem secundùm alium modum, erit inter omnes potentias cognoscitiuas infima, & minoris abstractionis: talis est sensus particularis: ergo, &c.

Item, potentia quantò superior, tantò paucioribus indiget, & minùs composita est, & magis abstracta; ergo cùm opposita istorum sint in potentia sensus particularis, indiget enim organo actuali, præsentia obiecti, certa distantia, & certa excellentia, & dispositione, & determinatione medij, & sic est compositior, & quasi nihil abstracta, erit necessariò infimior omnibus; sensus enim communis, nec phantasia, vt patet, non tot indigent.

Item, illa cognitio est omnium infima, respectu cuius fiunt omnes abstractiones, & ipsa à nullo abstrahit; sed omnis abstractio fit ab actuali existentia, & tale *esse* à nullo abstrahit, nec re, nec intentione, cùm de se dicat omnem signationem & determinationem vltimatam, tam secundùm rem, quàm secundùm intellectum: ergo sensitiua particularis, quæ de se habet aspectum ad tale, & non aliud, erit cognitio infima.

Artic. I. Sect. VI.

Dari in homine cognitionem, quæ terminatur ad actualem rei existentiam.

7. Circa sextum; quòd talis cognitio infima sit in homine, quamuis satis sit probatum suprà, patet nihilominus sic. Primò, quia finis suo aspectu claudit omnia, quæ sunt ad illum finem: ergo cùm homo sit finis omnium, suo aspectu claudit omnia: ergo cùm in homine, inquantum vnitur supremis substantiis, sit suprema virtus, vel potentia supremi cognoscibilis, qui est Deus, inquantum vnitur infimis, erit in eo infima cognitio respectu infimi cognoscibilis, quale est existentia actualis rei.

Item, secundùm Aristotelem 2. *de part. animal. cap.*8. sensus tactus est fundamentum omnium aliorum sensuum, & omnes ipsum præsupponunt; sed in homine est supremus sensus; aliter in homine non vnirentur infima supremorum supremis infimorum: ergo necesse est in eo sensus tactus.

Item, homo ordinatur ad finem suum per bonum vsum creaturarum, & deordinatur per abusum earum, sed omnes creaturæ factæ sunt propter hominem; ergo omnibus potest vti, vel abuti: hoc autem non faceret, si *esse* actuale non cognosceret: ergo habet vim cognoscitiuam respectu eius.

Artic. I. Sect. VII.

Cognitionem hanc actualis existentiæ rei non esse scientificam.

8. Septimò, scilicet quòd hæc cognitio infima sensitiua particularis non est scientialis, patet primò sic: Scientia post sui acceptionem permanet, quia est eorum, quæ semper sunt, 1. *Poster. text. comm.*7. sed cognitio sensitiua particularis de existentia actuali rerum de ratione sua non permanet. Si enim nunc video lapidem, si claudam oculum, vel lapis remoueatur; non manet apud me visio lapidis. Aristoteles enim dicit 6. *Ethicorum, cap.*3. quòd particularia contingentia, si extrà speculari fiant: iam non scimus, vtrùm sint, an non sint: talis etiam cognitio est de actuali existentia rei, quæ de ratione sua non manet; cùm super tale *esse* cadat per se generatio & corruptio: ergo non est scientialis.

Item, scire est veritatem rei apprehendere, quam sensus non apprehendit, sed solùm apprehendit ratio, quod est verum: alioquin posset apprehendere omnem veritatem; & tunc apprehenderet vniuersalem; sicut potest apprehendere *esse* sensibile, quia apprehendit sensibile, inquantum sensibile.

Item, in omni processu, in quo proceditur de imperfecto ad perfectum, primum de ratione sua priuatur omni actualitate eorum, quæ ab ipso procedunt: sicut patet in cera respectu figurarum; in materia respectu formæ: ergo cùm sensitiua particularis sit infima in toto processu cognitionis, & fundamentum, nullam actualitatem sequentium cognitionum habebit; ergo non erit scientifica.

Artic. I. Sect. VIII.

Huiusmodi cognitionem experimentalem actualis existentiæ rei esse originem & fundamentum omnium aliarum cognitionum.

Octauum, scilicet, quòd huiusmodi cognitio infima particularis sensitiua sit scientiarum 9.
omnis cognitionis origo, & principium scientiæ, & scientificæ cognitionis; patet sic: *esse* actualis existentiæ taliter requiritur, quòd sine eo non contingit scire; & loquor de ente actualiter existente: tale enim est verum solum ens: ergo impossibile est, quòd aliàs linea naturalis habeat scientiam, nisi cognoscat huiusmodi *esse*; sed huiusmodi *esse* saltem originaliter & primordialiter non attingitur, nisi sensu particulari; ergo fundamentum omnis scientiæ, humanitus acquisitæ, est particularis sensitiua.

Sed contra prædicta instatur, quòd de non ente, vt de eclipsi Lunæ, est scientia, & de rosa, & similibus. *Obiectio.*

Respondeo; non valet, quia loquimur hîc de scientia, quantum ad suam primam generationem; nunquam autem de non ente, quod nullo modo fuit sub sensu particulari, est scientia: quod patet per Aristotelem dicentem, 1. *Posterior. text.*134. quòd *deficiente sensu, deficit scientia, quæ est secundùm illum sensum.* Vnde cœcus à natiuitate non potest habere scientiam de coloribus 2. *Physicor. text. comm.*6. verum est ergo quòd sensitiua particularis est fundamentum omnis scientiæ. *Solutio.*

Item, si quod non est actu, nec fuit, posset humana inquisitione inuestigari, tunc omnia futura possent cognosci; quia inquantum non sunt, vnum non habet plus de ratione cognoscibilis, quàm aliud.

Item, ostensum est suprà, quòd inter has cognitiones est verus ordo: sed cognitio intellectiua non præcedit sensitiuam: sed sensitiua communior est, cùm sit in brutis, & ideò prior: tum, quia intellectiua certior est, actualior, perfectior; tale autem est naturaliter posterius: sed in talibus imperfectum est radix, origo, & seminarium respectu perfecti, vt patet in semine respectu

respectu membrorum corporis; igitur sic erit sensitiua respectu omnis cognitionis.

Artic. I. Sect. IX.

In omni creatura intellectuali dari huiusmodi cognitionem, & vim seminariam aliarum cognitionum.

9. NOnum, scilicet quòd in omni natura habente intellectualem cognitionem, sit huiusmodi seminarium, seu virtus infima, quæ est experimentatiua, & primò cognoscitiua *esse* actualis, vel aliqua vis ei proportionata: patet, quia vt iam dicetur, intellectus humanus, & Angelicus, tale *esse* cognoscit; sed hoc non facit humanus nisi primo sensu particulari; nec Angelicus, nisi præuia aliqua vi huic proportionata. Ostensum est autem, quòd expressio huius *esse* actualis est origo & fundamentum omnis scientiæ, quod etiam verum est in Angelis, & eadem ratione, quia possent aliter habere scientiam naturaliter de omni futuro scibili à Deo, sicut dicebatur de homine, & etiam de omni præterito; non enim loquimur hîc de cognitione in Verbo, nec de cognitione Prophetarum; sed de cognitione acquisita modo naturali.

10. *Obiectio.* Si fortè dicas, quòd per causas possunt multa futura cognoscere, quorum tamen actualem existentiam non nôrunt.

Solutio. Dico, quòd habent notitiam de actuali existentia solùm, vt est in hac causa actualiter existente; & ita illa cognitio adhuc fundatur super aliquam existentiam actualem rei. Verum est, quòd nulla creatura possit habere scientiam alicuius rei, nisi eius actualem existentiam aliquo modo nouerit: ergo sicut in homine de ratione sua, quâ cadit à nobilitate Angeli, virtus primò attingens illud actuale *esse*, est vis sensitiua; sic oportet quòd in Angelo, & in anima separata, sit aliqua vis, per quam cognoscatur, & apprehendatur primò actualis existentia rei; non tamen est sensitiua, nec corpori alligata; nec sic obtusa, vel breuis aspectu, vt sensitiua; sed est infima, & quodam modo alia ab intellectiua scientifica, quæ inquantum talis, idem est scientiæ fundamentum, vt quæ est proportio substantiæ hominis ad substantiam Angeli, & intellectus discursiui in homine ad intellectum Angeli, & eius substantiam, eadem sit proportio sensitiuæ particularis in homine ad infimam intellectiuam Angeli, quâ experitur primò existentiam actualem rei; & est illa in Angelo radix, & origo omnis cognitionis scientialis, sicut sensitiua in homine.

11. Item, si Angelus non habet vim infimam experimentatiuam, primò actualis existentiæ rei, aut nullo modo cognoscit tale existere actuale, quod omnino falsum est; quia tunc nihil posset operari, nec nos custodire, nec Dei iussa implere; & esset imperfectior homine, qui vim talem habet; aut per intellectum, attingit huiusmodi existentiam actualem per se, & immediatè, (quod quamuis teneatur communiter, & fortè non sit verum, nec rationale) quia non ponimus Angelos habere concreatam omnem scientiam, quam possunt acquirere lumine naturali; & ita sit in eis acquisitio scientiæ. In talibus autem necessarius est processus de imperfecto ad perfectum: & ideò sicut in homine isti duo modi sunt distincti, ita oportet in Angelis, quòd illa vis, quâ primò & immediatè attingunt *esse* actuale rei, sit distincta secundùm rationem potentiæ, ab illa, quâ apprehendunt quiditatem.

Item, Deus vnico intellectu attingit omne intelligibile sub omni modo sub quo est intelligibile; homo autem *esse* actuale rei per potentiam sensitiuam multiplicatam in quinque sensus: ergo Angelus Deo inferior, homine superior, attinget omnem quiditatem intellectu superiori; *esse* verò actuale non vi sensitiua, nec pluribus viribus, vt homo; sed aliqua inferiori suo intellectu superiori.

SCHOLIVM.

In nouem his sectionibus primi articuli id potissimùm conatur Scotus, vt probet dari in homine præter cognitionem intellectiuam, aliam sensitiuam, quæ versetur circa singularia, & actualem rei existentiam, quæ sit etiam prima & infima cognitionum humanarum, & earundem origo ac veluti seminarium. Vocat autem hanc cognitionem vim quandam infimam animæ, cognitione intellectiua inferiorem. Eandemque vim & ordinem cognitionum ponunt quidam in Angelis, & consequenter in eis discursum admittunt, & per eandem vim illos se mouere, & ad corpora applicare asserunt; nécnon dæmones & animas separatas ardorem ignis experiri. Aliqua ex his non probat Scotus; licèt in 2. dist. 3. quæst. 11. asserat Angelos cognoscere singularia actualiter existentia, ab eisdem species accipere, accipiendo cognitionem à rebus proficere; & ibid. dist. 7. quæst. 1. num. 7. dicit Angelos cognoscere discursiuè; & dist. 5. quæst. 2. num. 17. Angelum non habere omnem perfectionem sine discursu. Videtur tamen oppositum sentire in Metaph. lib. 12. quæst. 26. Circa virtutem loco motiuam, alterius est opinionis in 2. dist. 2. q. 10. & circa sensum cruciatus ignis, in 4. dist. 44. q. 2.

Dicunt ergo isti, quòd hæc vis in Angelo est principium, & fundamentum, & origo omnis cognitionis scientialis, sicut dictum est de sensitiua particulari in homine: & sicut intellectus humanus, qui sensibus percipiendo componit, & diuidit secundùm artem Aristotelis in lib. 2. *Posteriorum, text.* 35. donec habeat, *quod quid est*, distinguendo & formando habitum scientiæ, sicut natura digerendo & alterando semen, format effectum suum; sic intellectus Angeli illud quod præacceptum est à vi sua infima explicat, explicando in se format habitum scientiæ, multò clariùs, altiùs, certiùs, acutiùs, quàm intellectus humanus, secundùm proportionem substantiæ ad substantiam. 12.

Nec habent isti pro inconuenienti Angelicum intellectum esse aliquo modo collatiuum. Adducunt etiam isti, quòd Angelus per hanc vim infimam applicat se ad corpora; & non per intellectum & voluntatem; non enim intelligendo & volendo possunt mouere corpus; propter quod oportet dare vim infimam in eis. Dicunt etiam quòd dæmones & anima separata per illam vim experiuntur ardorem ignis.

Si quæritur ab eis, quo nomine vocatur ista vis in Angelo? Dicunt quòd sicut in homine appellatur sensus, & non intellectus, sic in Angelo non vocatur intellectus, neque voluntas, sed potest dici vis cognoscitiua particularis, vel motiua corporis. Propter tamen substantiam, in qua fundatur, potest aliquo modo dici intellectiua; non autem sic sensitiua hominis; quamuis fundetur

fundetur in essentia, seu substantia intellectiua, quæ indiget organo sensibili corporali: & eodem modo secundùm modum suum esse dicunt in anima separata. Vtrùm autem hoc quod dictum est de vi infima in Angelo, sit verum, non assero, nec video necessitatem ponendi talem vim in cognoscendo, quamuis ad mouenda corpora Doctores eam ponant multi, eo quòd intelligendo, & volendo, non possunt habere rationem motoris. Sed ad propositum saltem est verum, quòd sensitiua particularis in homine est origo, & radix omnis scientialis.

ARTICVLVS II.

Intellectus humanus corpori coniunctus, intelligit singulare.

13. Circa secundum principale, quòd scilicet intellectus coniunctus corpori intelligat singulare. Primò est sciendum, quòd singulare duobus modis accipitur: primo modo, vt dicit actualem rei existentiam, ad quam sequitur; & non secundùm quòd singulare dicit terminum operationis. Alio modo secundùm quòd singulare dicit gradum distinctum naturalem vnius indiuidui, à gradu naturæ alterius indiuidui eiusdem speciei: eo quòd, sicut aliàs * fuit ostensum, nunquam natura generat duo indiuidua eiusdem speciei secundùm eundem modum, & gradum participantia illam speciem: sicut nec duæ species vnquam æqualiter participant naturam generis.

Singulare duobus modis accipitur.

* quæst. 8. num. 37.

SCHOLIVM.

Distinctionem hanc singularis *dupliciter sumpti, habet etiam Scotus lib. 7. Metaphys. quæst.* 15. §. De primo, *& quod hìc subiungit de cognitione singularis sub primo modo, & negatione eiusdem cognitionis sub secundo modo, docet quæst. 22. in libros de Anima.* §. Secundò dico. & §. Tertiò dico. *Et licèt videatur sibi contradicere, dum illic ait singulare sub propria tantùm ratione singularis, sine adiumento externorum accidentium, neque ab anima sensitiua, neque ab intellectiua posse cognosci; hic tamen admittit ab intellectu cognosci posse; imò ait intellectum corrigere errorem potentiæ sensitiuæ non apprehendentis differentiam inter duo singularia, aliàs per omnia similia. Sed respondendum est Scotum illic loqui de cognitione per propriam speciem, hìc autem arguitiuè ex aliis principiis vniuersalibus, vt ipse ait,* syllogizando concludit *aliquam differentiam inueniri.*

Si enim indiuiduum accipiatur primo modo, dico, quòd cognoscitur à sensu particulari, & sensus suam actualitatem experitur. Cognoscitur etiam ab intellectu, sed tamen intellectus suam actualitatem existentiæ non experitur: hæc enim duo multùm differunt, vt patebit infrà *: Si autem accipiatur secundo modo, dico quòd sensus ipsum non cognoscit, nec apprehendit. Si enim proponas duo obiecta æquè calida, vel duo gustabilia multùm suauia, sensus eorum differentiam non apprehendet; imò iudicabit ea æqualiter participare naturam illam; eo quòd non apprehendit nisi differentias magnas, & notabiles. Intellectus autem, quasi syllogizando concludit, quòd natura se explicat in agendo, quòd omnia indiuidua naturaliter producta, indiuiduo modo, & singulari participant naturam speciei: sicut etiam duo poma in vna arbore nunquam habent eundem aspectum ad cœlum.

* art. 3.

Hoc supposito, dico ad propositum, quòd cùm, vt ostensum est in quadam quæstione de potentiis animæ *, tota anima audiat, & videat, & sic de aliis potentiis animæ; intellectus non per oculum, nec per extra oculum, sed in oculo intelligit hoc album, & hanc visionem albi: & in aure, non per aurem intelligit hunc sonum, & cognoscit hanc sensibilem apprehensionem soni: & sic de aliis sensibus.

* q. 11. n. 15.

Sunt ergo duo hìc inquirenda. Primum est, quòd intellectus sensuum particularium apprehendit ipsa particularia, quæ sunt secundùm actualem existentiam in re extra; & hoc dico, quòd intellectus terminat suam operationem in organis ipsis. Secundum ostendendum, quòd quamuis intellectus coniunctus non intelligat, nec cognoscat, quantùm ad primam apprehensionem, & primam cognitionem, ipsa singularia, vt actualiter existentia, nisi in organis sensuum, nihilominùs illa actio intellectus, quæ non est, nec esse potest nisi in organis sensuum, quantùm ad certitudinem actualis existentiæ rei particularis sensibilis; nihilominùs, dico, illa intellectualis actio non est ab organis. 14.

ARTIC. II. SECT. I.

Intellectum in organis sensuum particularium apprehendere obiecta singularia secundùm actualem existentiam.

Circa primum, quatuor sunt videnda. Primum est, quòd potentia intellectiua est præsens organis omnium sensuum. Secundum, quòd non solùm per influentiam præsens, sicut Sol his inferioribus; sed secundùm substantiam, sicut anima corpori. Tertium, quòd intellectus naturali ordine non solùm per influentiam, potentiam, & substantiam est præsens omnibus sensibus, & eorum organis, sed etiam in ratione perficientis in ordine cognitiui. Quartum, quòd licèt potentia intellectiua sit vniuersalis de se; tamen vt est cognoscens in organis huiusmodi actualem existentiam rei, est contracta, & determinata in vno numero organo cum actione. 15.

Primò igitur ostendo, quòd intellectiua sit præsens omnibus sensibus, & eorũ apprehensionibus in homine. Et suppono, quòd hæ duæ cognitiones habeant firmissimũ ordinem in ordine, quod probatum est supra *: imò tantus est ordo, quòd maior excogitari non potest: quia quantò fundamentum ordinis est firmius, tantò ordo est firmior, & certior; sed fundamentum potentiarum animæ, est substantia incorruptibilis ipsius animæ: ergo, &c. Est etiam iste ordo completissimus, quia nulla vis cognoscitiua inferior potest cognoscere ipsam sensitiuâ particulari, quæ ostensa est in homine; nec est alia superior intellectiua, de qua etiam ostensum est, in homine. Tunc ad propositum sic. In omnibus ordinatis ad inuicem, virtus supremi attingit, vel attingere potest omnes aspectus inferiorum, secundùm Arist. 7. Physic. * Virtus primi motoris est cum virtutibus omnium inferiorum mouentium; sed intellectus est suprema vis cognoscitiua in homine: ergo attinget omnes vires cognoscitiuas hominis.

Intellectiua virtus præsens est omnibus sensibus.

* num. 4.

* text. com. 8.

Item, quamuis, vt iam dicetur, intellectus in

intelligat singulare, & cognoscat, tamen proprium obiectum eius, ratione cuius à sensu distinguitur, est vniuersale. Sed sicut se habet obiectum ad obiectum, sic & potentia ad potentiam. Ratio autem entis, quod est obiectum intellectus, attingit, & intimat se calido, & sic de aliis sensibilibus; ergo potentia intellectiua attingit, & intimat se potentiis.

Item, homo, inquantum homo est compositus ex tali anima, & tali corpore; qualis ergo est proportio substantiæ animæ ad partes corporis, talis est potentiæ intellectiuæ, quæ consequitur animam, ad potentias sensitiuas, quæ consequuntur corpus; sed anima secundùm sui substantiam tota est præsens omnibus partibus corporis: ergo, &c.

16. *Per influentiam, & substantiam.* Circa secundum, quòd scilicet potentia intellectiua est præsens sensitiuis, non solùm per influentiam sicut Sol, sed etiam per substantiam: ita quòd quantò maior est vnio in homine, quàm in toto vniuerso, tantò maior est præsentialitas virium superiorum ad inferiores, quàm causarum vniuersalium ad particulares, vtpote Solis ad has virtutes particulares naturæ in vniuerso. Ostendo primò sic; Distantia causæ vniuersalis ad causam particularem, vtpote Solis ad plantam, est distantia secundùm situm, & etiam distantia duorum sensuum inter se est secundùm situm ex parte organorum: sed potentia intellectiua, vt patuit in quadam quæstione *, est idem quod substantia animæ: substantia autem animæ tota præsens est cuilibet parti corporis: ergo, &c. (*q 11. art. 2.)

Item, ostensum est in quæstione de potentiis animæ *, quòd potentia intellectiua situm non habet in corpore, quia nullo organo vtitur: sed est in omni parte corporis, vt ibi ostensum fuit; quia illud in quo est, scilicet substantia animæ, est in toto corpore: ergo, &c. (* ibid. art. 3.)

Item, sicut arguebatur in præcedenti articulo; sicut se habent rationes obiectorum, sic & rationes potentiæ: sed ratio entis, quæ est obiectum intellectus (imò secundùm Auicennam, illud quod primò cernit intellectus, est ens, & ideò habet rationem formalem obiecti) est præsens cuilibet: ergo potentia intellectiua omnibus præsens est potentiis sensibilibus, & organis.

17. *Et per modũ perfectiui.* Tertium patet, scilicet quòd non solùm intellectus sit præsens sensibus, & eorum apprehensioni, secundùm influentiam, & secundùm substantiam, sed in ratione perfectiui sub ratione agnoscentis, vt ex cognitione actualis existentiæ per sensum, & ex cognitione intellectus eiusdem existentiæ fiat vna perfecta cognitio, sicut ex actione Solis, & seminis, vna perfecta actio, suo modo. Patet, & dico primò sic; suppono quòd in homine sunt plures formæ, & quòd posterior respicit omnia præcedentia in ratione materiæ, non enim anima rationalis est forma materiæ primæ, sed, vt ostendi in quæstione *vtrùm intellectiua sit forma corporis humani*, secundùm omne *esse* quod præcedit etiam rationem intellectiui, seu rationalis; non quidem dando illa *esse* præcedentia formaliter; sed quod corpus sub illis omnibus est sicut materia animæ intellectiuæ. Sicut ergo *esse* humanum in ratione perficientis, est præsens omni alij *esse* in homine, sic potentia, quæ consequitur hominem, inquantum homo est præsens in ratione perficientis omnibus aliis potentiis, quæ consequuntur hominem secundùm alios modos essendi: ergo omnibus sensitiuis.

Si dicas; ergo in ratione perficientis est præsens generatiuæ, & motiuæ secundùm locum, & augmentatiuæ. 18. *Obiectio.*

Solutio. Respondetur, quòd secundùm substantiam est præsens omnibus cùm sit idem, quod substantia animæ: sed cùm sit suprema cognoscitiua, præsens est omnibus cognoscitiuis potentiis in ratione perficientis, respectu quarum, vt suprà * patuit, ordinem naturalem habet. (* num. 3.)

Item, terminus motus habet aspectum perfectum ad omnes partes illius motus; sed intellectiua terminus est omnis cognitionis, & perfectio: ergo potentia, cuius actus in isto motu acquiritur, habebit respectum sub ratione informantis ad eius potentias apprehensiuas: sicut albedo ad omnes gradus dealbationis, per quos acquiritur.

Item, forma quantò magis immaterialis, & minùs materiæ immersa, magis diffundit actum suum, sicut patet per oppositum; sed forma intellectiua est altissima, & perfectissima; ergo per potentiam, quæ consequitur ipsam inquantum talis, diffundet se super actus omnium virium inferiorum cognoscitiuarum.

Confirmatur autem ratio, quia, vt dicitur 2. de Anima *, omnes sensus particulares vniuntur in sensu communi, & organorum in organo sensus communis radicantur, & eorum mutationes apprehendit: sed in linea virium cognoscitiuarum sensus non tenet supremum, sed intellectus: ergo multò fortiùs habebit rationem perficientis; & maiorem perfectibilitatem ad vires alias, quàm sensus communis: imò tota ratio præsentialitatis, & perfectionis superiorum ad inferiora ibi terminatur. (* text. com. 149.)

Fortè instabitur contra omnia prædicta, quia intellectus non videtur se habere ad sensus, sicut causa vniuersalis ad particulares; quia causæ particulares sine influxu, & aspectu causæ vniuersalis non agunt; homo enim generat hominem, & Sol; sed sensus aliquis potest apprehendere intellectu animæ non concurrente, vt patet in imaginatiua tempore dormitionis, cùm intellectus tunc ligatus sit. Hoc etiam patet in sensibus, & imaginatione phreneticorum. Respódetur quando dicitur, quòd intellectus omnibus potentiis cognoscitiuis in sua actualitate tanquam causa vniuersalis creata influit, præsens est, cooperatur causis particularibus, non est intelligendum, quin causæ particulares sine influxu superioris aliquid operarentur, dummodò in sua actualitate conseruarentur, & patiens approximatum esset. Vnde damnatus est semper hic articulus Parisiis, vbi sic dicitur, quòd *stante cœlo ignis non posset adurere stupam*; *error.* Sed verum est, quòd actiones agentium particularium non sunt perfectæ, nec completæ, nisi ex influxu superioris, & eius præsentia, & contactu virtutis; propter quod nec fructus maturarentur, aut corpus humanum organizaretur à virtute particulari, si subtraheretur influentia cœlestis. 19. *Obiectio.* *Solutio.* *Cognitiones sensuum iudicio intellectus, sunt imperfecta.*

Sic dico, quòd omnes apprehensiones sensitiuæ, seu sensuum particularium, seu phantasiæ, omnes sunt imperfectæ in genere cognitionis; seu monstruosæ, nisi per intellectum perficiantur. Iudicat enim Solem bipedalem visus, quod iudicium falsum est, & monstruosum; cui si coniungatur iudicium intellectus, qui dicit ipsum octies maiorem tota terra, erit cognitio perfecta. Et hoc patet in phreneticis, in quibus, quia non coniunguntur actio (Vide Scot. in 1. d. 3. q. 4. 5. *Sed quòmodo habetur certitudo.*)

actiones sensuum, cum actione ipsius intellectus, omnes sunt indebitæ, incompleræ, nec in debitum finem ordinatæ. Hoc patet in dormientibus, in quibus ipsa similitudo rei, vera res iudicatur. Et hoc est, quod dicit Augustinus *9. de Trinitate, c. 11. Non enim omnino ipsa corpora in anima sunt, cùm ea cogitamus; sed eorum similitudines. Itaque cùm eas pro illis approbamus, erramus: error namque est alterius pro alio approbatio.*

Videtur etiam intellectus illas perficere, quia cognitionem inchoatam in sensu perducit ad rationem cognitionis scientificæ, quæ est vltima. Sicut ergo Sol perficit actiones virium inferiorum, sic intellectus perficit præsens actiones omnium virium cognoscitiuarum; cùm in toto minori mundo sit causa vniuersalis in cognoscendo, sicut Sol in generando. Sed sicut Sol non perficit actiones artificiales, quia non habet ordinem ad causam agentem per artem, sic intellectus cùm sit virtus cognosciriua, habet solùm ordinem naturalem in ratione causæ vniuersalis ad virtutes cognoscitiuas; non ad naturales, cuiusmodi sunt nutrire, digerere, generare: imò istæ vires impediuntur quodammodò in suis operationibus ex vehementia operationis intellectus.

20. *Intellectus operatio determinatur in sensibus.* Quartum, scilicet quòd quamuis intellectiua sit vniuersalis in cognoscendo, quia ad nullum determinatum genus cognitionis arctatur; in oculo tamen videt, siue cognoscit album, & in aure hunc sonum, & sic de aliis sensibus. Vnde sicut virtus Solis dum coniungitur agentibus particularibus, contrahitur, & determinatur, vtpote virtute huius arboris, vel illius, applicatur actioni particulari; & efficitur vna act onumero cum ea: sic virtus intellectiua, quæ est vniuersalis in cognoscendo, dum coniungitur, & applicatur virtutibus particularibus sensitiuis. Quod fit dum cognoscit, & intelligit actualem existentiam rei sensibilis extrinsecè, particularizatur, & determinatur, & contrahitur. Et quantò intellectus est intimior, & magis vnum cum sensibus, & præsentialior, quia secundùm substantiam, & virtutem, quàm Sol; tantò sua operatio magis est contracta, & determinata, dum in ipso sensu, seu ipsa sensatione apprehendit sensibile, quàm operatio Solis, dum in ipsa arbore vnita virtuti huius arboris contrahitur generando talem fructum. Ideò magis est vna actio sensus, & intellectus dum apprehendunt hoc sensibile, quàm Solis, & huius arboris, dum generant hunc fructum, sicut & illæ causæ, quæ sunt sibi inuicem magis vnitæ.

21. Ex hoc patet ad istam conclusionem fortior ratio, quia omne quod recipitur in alio, recipitur per modum recipientis, non recepti; sed impossibile est, quòd intellectus intelligat, & cognoscat actualitatem alicuius particularis sensibilis extrà, nisi sensus particularis actu cognoscat, & apprehendat illud extrinsecè. Hoc enim patet manifestè per experientiam. Si enim video aliquod album actu, intellectus potest dicere: hoc album actu est: sed si claudam oculum, & desinat visio, nullo modo possum scire vtrùm illud album actu sit; quia possibile est ipsum esse corruptum, vel annihilatum.

Ex quo apertè patet, quòd impossibile est, quòd intellectus cognoscat *esse* actuale rei sensibilis extrà, nisi dum vnitur, & coniungitur sensui particulari; sicut nec Sol potest generare pomum, nisi dum sua virtus coniungitur virtuti talis arboris: ergo si quod recipitur, recipitur per modum recipientis, & virtus sensitiua particularis est determinata, & particularizata, necesse est, quòd actio intellectus contrahatur, & determinetur, dum cognoscit actualem existentiam rei sensibilis extrà. Et intelligo hanc determinationem, & contractionem primò ex parte organi; nam intellectus in cognoscendo veritatem, vel rationem vniuersalis, non cognoscit eam in pede, nec in aure, sed in se, & per se absque determinatione ad aliquod organum: sed dum intelligit *esse* actuale extrinsecum huius rei sensibilis, singulariter contrahitur ad organum, non quòd vtatur organo sicut virtus visiua; sed non cognoscit ipsum, nisi vt est sub sensu, seu in ipsa sensatione. Vnde intellectus cognoscendo hanc particularem visionem huius singularizati albi, vt actu est, cognoscit hoc album singularizatum, vt actu est in re extrà: nec aliter, nec alibi, quàm in ipsa visione, vel per ipsam visionem potest intellectus speculando cognoscere, aut scire hanc rem significatam sensibilem actu esse in re extrà; vt patet in ratione præcedenti: & quia visio est in organo determinato, intellectus sic cognoscens non erit nisi in hoc oculo. Et idem dico respectu omnium aliorum sensuum particularium.

Est etiam hæc determinatio, & contractio respectu operationis; quia sicut actio Solis in generatione fructus per actionem huius arboris contrahitur, & efficitur vna numero, sic actio intellectus quamuis sit vniuersalis, vt tamen coniungitur actioni sensus, vt dictum est, in prædicta cognitione contrahitur, & efficitur vna numero cum ea, à sensus actione denominata, vt magis dicatur sensatio, quàm intellectio, quamuis sensatio non sit actus proprius talis actionis compositæ, sed potest dici cognitio particularis: & tamen est vna actio sensus, & intellectus in prædicta apprehensione actualitatis existentiæ rei, quia actio intellectus circa huiusmodi existentiam rei actualem, non potest à sensu particulari separari. Sicut nec Sol potest generare pomum, nisi vt vnitur virtuti huius arboris. Et sicut cessante actione arboris circa fructum, vtpote quia est in termino maturationis, de illo fructu potest multa facere virtus Solis, ad quæ non se extendebat virtus arboris, licèt ad gubernationem fructus fuerit necessaria: sic cessante cognitione sensus circa actualitatem existentiæ rei superioris signatæ, ad quam intellectus non pertingebat, nisi vt coniunctus sensui, potest de illa intellectus multa facere; vtpote, componendo, diuidendo, cognoscendo, cuius sit quiditatis, cuius generis, cuius proprietatis. Et ista potest facere, non habendo cognitionem de eius actuali existentia, quæ cessauit in intellectu, quum cessauit in sensu: sicut Sol generat vermes, vel alia, ex fructu consummato. 22.

Ex quo patet, quòd ipsa cognitio rei sensibilis particularis exterioris, est radix omnium cognitionum vniuersalium; & per consequens omnis scientiæ, modo superiùs dicto.

Fortè fiet instantia, quia sicut actio sensus, & intellectus est vna numero, ergo, vel actio intellectus erit organizata, vel eadem actio erit 23. *Obiectio.*

Solutio. Actio intellectus an dici possit organica. organica, & non organica, quia sentire est per organum. Ad quod est dicendum, quòd actio intellectus circa actualem existentiam rei pro tanto potest dici organica, quia fit in organo, nec extra organum; & loquor de intellectu coniuncto. Aliter autem, & aliter fit visio, & quæcumque alia sensatio per organum; quia primò, & per se; quia in ratione talis potentiæ alligatur organo. Intellectio autem rei singularizatæ actualiter existentis fit per organum solùm per accidens: quia non potest habere hanc cognitionem intellectus sine cognitione sensitiui in actu; quia fit in organo. Fit etiam per organum, non quia sit in ratione potentiæ alicui organo alligata; sed quia non fit nisi per sensum in actu, & ille per organum. Nullum autem inconueniens est, quòd vna, & eadem actio composita, sit secundùm vnam sui partem organica, & per se in tali subiecto; & secundùm aliam organica per accidens solùm, & secundùm accidens in tali subiecto. Hoc enim ad sensum patet: quia actio, quæ est generatio, est composita ex virtute huius seminis, & Solis, seu ex actione vtriusque (quia in ratione, quâ est virtus talis seminis, per se est in tali semine) sed ex ratione, quâ est Solis per accidens, est in illo semine. *num.21. Ostensum est etiam suprà *, quòd licèt potentiæ animæ sint idem re; quia tamen est ibi multitudo in genere potentiarum, non est inconueniens secundùm modum expositum ibi, vnam esse organicam, aliam non.

*n.17.& 18. Item, ad propositum ostensum fuit suprà * quòd potentia intellectiua, est præsens omnibus sensitiuis per influentiam, & per substantiam; & etiam sub ratione perficientis eas in genere cognitionis: ergo cùm perfectio proportionetur perfectibili, necesse est, vt potentia intellectiua proportionetur, quoad actum, seu actui particularis sensitiuæ, & contrahatur ad eam, aliter non perficeret, vt patet in prædicta cognitione actualis existentiæ rei extrà.

24. *Magna vnitas causarum in homine.* Ex prædictis patet, quòd sicut sunt in maiori mundo causæ vniuersales, vt motus cœlestes, & particulares; sic in minori mundo (scilicet in homine) sunt causæ particulares, virtutes sensitiuæ inferioris, & vniuersalis, sicut intellectus. Et sicut ibi actiones particularium perficiuntur ex coniunctione causarum vniuersalium, sic hîc. Et tantò maior est vnitas agentium vniuersalium, & particularium in homine, & maior præsentialitas inter se, quantò maior est vnitas in homine, qui est vnus per essentiam, quàm in vniuerso, qui est vnus per collectionem. Vnde etsi ibi sunt multa agentia vniuersalia in generando, Sol, & Stellæ, & Luna, non sequitur quòd in homine sint multæ virtutes in cognoscendo: imò sequitur oppositum propter maiorem vnitatem.

Intellectus tripliciter versatur circa rei existentiam. Est autem attendendum, quòd intellectus tripliciter versatur circa cognitionem actualis existentiæ rei. Vno modo speculando ipsum actu esse in ipsa sensatione; & sic est vna actio intellectus, & sensus, modo iam dicto. Alio modo reflexiuè, intelligendo se intelligere illud esse actu: & quia non est eadem actio directa, & reflexa, ista actio intellectus non est eadem cum actione sensus, nec contracta, nec in organo determinata. Tertio modo comparando illud ad vniuersale, intelligendo, quia hæc albedo non solùm est actu, sed etiam est color; & neque ista contracta est, nec eadem cum actione sensus.

Artic. II. Sect. II.

Eandem virtutem intellectiuam, quæ pro hoc statu est contracta, & organizata in sensibus, esse incorruptibilem; & permanere in anima separata.

Circa secundum principale secundi articuli principalis quæstionis, scilicet, quòd virtus intellectiua, quæ per accidens est contracta, & determinata, & organizata, est incorruptibilis; & per consequens remanet in anima separata; est sciendum, quòd circa hoc sunt duo declaranda. Primum est, quòd illa virtus non est organica, nec corruptibilis. Secundum, quòd intellectus verè per eam cognoscit *esse* singulare, & *esse* sensibile. Ad primum arguitur sic; Virtus, quæ perficit omnes sensitiuas, & in eis vnitur modo dicto, non est pertinens ad sensitiuam; nam in omnibus sensitiuis, & in imaginatione cadit error: & omnibus sensitiuis actu existentibus in actu suo, prædicta vis potest ligari; vt patet in phreneticis: ergo pertinet ad intellectiuam: sed secundùm rationem intellectiuæ potentiæ non est anima organica, vt suprà patuit in quadam quæstione *: ergo quantumcumque ista virtus per suam actionem contrahatur ad organa, est nihilominùs non organica, & separabilis: & per consequens manet in anima separata. 25. *2. Pars principalis 2. art.* *Virtus intellectus per se non est organica.* *q.11.art.3.

Item, est causa incorruptionis: & vbi maior est vnitas, ibi minùs de corruptione: & ideò Deus solus per se est incorruptibilis, quia habet vnitatem actualis essentiæ, quæ creaturæ communicari non potest. Nunc autem, vt suprà * patuit, maior est in homine vnitas, quàm in toto vniuerso: sed in vniuerso corruptis agentibus particularibus remanent agentia vniuersalia: ergo multò fortiùs in homine: intellectus autem est agens vniuersale in cognoscendo: ergo erit incorruptibile. *Neque corruptibilis.* *q.9.n.72.

Et notandum, ad confirmationem huius rationis, quòd agētia particularia, cuiusmodi sunt sensus particulares, non corrumpuntur quantùm ad virtutes; sicut ostensum fuit in quæstione de potentiis animæ *: sed quantùm ad organa, & quantùm ad vsum: agentia verò particularia in vniuerso corrumpuntur quantùm ad virtutes, & quantùm ad organa; cùm tota arbor, & tota virtus corrumpatur. *q.11.

Item, illa potentia, quæ perficit sensitiuas, perficit eas in ratione cognoscentis virtutis: vt Sol iudicatur bipedalis à visu: huius autem virtus perfectiua indicat, quòd est maior tota terra, & ita perficit sensum in ratione cognitiuæ virtutis. Ratio autem obiectiua virtutis est omnino abstracta: quia veritas vt habet rationem obiecti, reperitur in corporalibus, & spiritualibus, & in Deo: ergo illa potentia, quæ ipsam apprehendit, est omnino abstracta, & inorganica.

Ex quo patet, quòd quamuis illa potentia, vt est animæ coniunctæ, non attingat ad cognitionem actualitatis existentiæ rei sensibilis, nisi mediante sensu, & per consequens non nisi in organo, & per accidens; non propter hoc est per se organica, nec corruptibilis, nec sensibilis: & ideò manet in anima separata.

Ergo

26. *Attingit singulare sensibile.* Ergo articulus; quòd talis vis sensitiuam perficiens, verè cognoscit *esse* singulare sensibile, vt est in anima coniuncta, patet primò, quia quæcumque potentia respicit aliquam formalem rationem, habet aspectum ad omnia, quæ illam rationem participant: vt visus ad omne coloratum, quia color est formale obiectum eius. Sed si intellectus aspicit ens, vt ens; seu verum, vt verum: ergo vbicumque inuenitur ratio veri, sub intellectus cadet apprehensioné; sed omnis differentia entis, vel veritatis rationem participat veritatis, sicut entitatis; & rationem simplicis veritatis sicut entitatis; & rationem compositæ veritatis, in quantum de quolibet est verum dicere, *hoc est hoc*; & *hoc non est illud*, vt *hic homo est animal*, & *hic homo non est lapis*: ergo omnis differentia entis cadit sub apprehensionem intellectus.

Item, actiuum attingit passiuum, aut contactu corporali, & virtuali, vt in actiuis, & passiuis corporalibus; aut virtuali tantùm, vt in spiritualibus: sed sola potentia intellectiua est scientifica, scientia enim est habitus intellectiuus; illud autem vnde originatur scientia, est res sensibilis, & eius existentia actualis: res enim non sensatæ, nec sensu vnquam apprehensæ, non possunt esse scientia, vt patuit suprà: ergo oportet virtutem scientificam actiuam, & quasi generatiuam scientiæ attingere primum seminarium, seu passiuum, seu materiale generationis scientiæ, & hoc est *esse* actuale rei sensibilis exemplaris.

27. Item, in potentiis ordinatis, quidquid potest inferior, etiam superior potest, & magis: & saltem habet hoc veritatem, quòd ad nihil se extendit virtus inferior, ad quod non contendat superior, vel per se, vel per vt perficiens suum inferiorem. Quamuis enim Sol per se non generet asinum, tamen generat asinum vt perficiens virtutem inferiorem: sed potentiæ cognoscitiuæ sunt ordinatæ naturaliter; quia primò est sensus particularis, postea imaginatiua, vel phantasia, postea ratio, vel intellectus: ergo cùm particularis sensitiua cognoscat huius actualem existentiam rei sensibilis exterioris, intellectus agnoscit eam. Et hoc est, quod dicit Boëtius 5. de Consolatione Prosa 4. *Superior* (ait) *comprehendendi vis amplectitur inferiorem; inferior verò ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel vniuersales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam: sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma, quæ subsunt, cuncta diiudicat.*

Item, inuisa possumus diligere, & incognita nequaquam: sed experimur nos diligere appetitu voluntario particularia, aliter peccatum non esset, cũ sit abusus alicuius rei ex inordinato amore, cuius rei vsus, seu abusus, est in potestate nostra: sed appetitum voluntarium necessariò præcedit cognitio intellectiua: ergo cognoscimus singularia.

Item, consiliare, & disponere de agendis, cùm dicat quandam collationem præsentium ad præterita, & futura, necessariò spectat ad partem intellectiuam practicam; sed operatio, & agenda, sunt circa singularia 6. Ethicorum *: ergo, &c.

* cap. 7.

Item, impossibile est cognoscere medium, nisi cognoscantur extrema: sed veritas, quam cognoscit, & apprehendit intellectus, fundatur super duo extrema, seu affirmatiuè, seu negatiuè sumpta, quæ quidem sunt particularia; vt Petrus non est Paulus, vel Petrus est homo: ergo, &c.

Confirmatur autem ratio, quia habitu scientifico syllogisticè acquisito, sola potentia scientifica potest syllogizare, vt contingit assumendo alterum terminum singularem; & hoc in omni figura; vt patet 1. Priorum *. Cùm enim vniuersale sit quoddam opus intellectus, & sit per abstractionem à singularibus; omne agens per artem oportet necessariò, quòd cognoscat singularia.

* c. 5 & deinceps.

ARTICVLVS III.

Quomodo intellectus cognoscat singularia?

28. Circa tertium articulum Quæstionis, scilicet, quis modus sit cognoscendi singularia? Varius est modus dicendi. Est enim opinio quorumdam, quòd singulare ab intellectu modo distincto non apprehenditur, nec primò, sed indirectè, & per quandam lineam reflexam. In hoc autem concordant duæ solemnes opiniones. Ratio autem vnius, quæ hoc ponit, est, quia principium indiuiduationis, & singularis in rebus naturalibus, est materia; intellectus autem humanus coniunctus intelligit abstrahendo speciem intelligibilem à materia, & conditionibus materialibus; vtpote *hic*, & *nunc*, quæ sunt conditiones concernentes rationem singularis; quia hæc species non potest repræsentare indiuiduum. Ratio alterius est, quia ratio singularis necessariò aliquid addit supra rationem vniuersalis, vel re, vel intentione; alioquin duo indiuidua non differrent inter se, sicut nec differunt in communi ratione speciei.

Themist. 3. de Anima, n.10. D. Thom. 1. p.q.86.art.1. ad 3. *Opinio asserens singulare non cognosci directè.*

Ex hoc igitur patet, quòd singulare non apprehenditur ab intellectu, nisi per quandam determinationem factam in intellectu correspondentem determinationi vniuersalis, factæ in ipso singulari: sed intellectus talem determinationem non patitur, quia impediret receptionem formæ vniuersalis: quia determinatum non potest esse indeterminatum; & sic nullo modo intellectus apprehendere posset vniuersale si talem determinationem haberet. Sic ergo isti duo in positione conueniunt, licèt habeant aliud, & aliud motiuum.

Istum autem modum reflexionis, quo intellectus (vt dicunt) solùm intelligit singulare, declarant sic: dicunt enim, quòd sensitiua exterior, vtpote color, vel huiusmodi, multiplicat speciem suam naturalem ad sensum, ex cuius impressione fit visio, & apprehensio rei vt præsentis: ab illa autem generatur similitudo in vi memoratiua, quæ est specierum retentiua: ab illa autem in vi imaginatiua; post istam apprehensionem sequitur apprehensio intellectiua: & quia illa non est organica sicut præcedentes, non potest similis modus intellectionis esse, vt species, inquantum erat sub conditionibus particularibus, & materialibus, sub quibus repræsentabat singulare, vt determinatum est, multiplicat similitudinem suam vsque ad intellectum; propter duas rationes immediatè tactas.

29. Est igitur in parte intellectiua duplex differentia intellectus, agens & possibilis. Agens intellectus speciem, quæ determinata erat in phantasia, vel in imaginatione, habet denudare, & abstrahere à conditionibus materialibus, & indiuiduan

duantibus: quæ species dum sic est accepta, & denudata, habet rationem vniuersalis in repræsentando. Tali autem specie sic abstracta, repræsentata intellectui possibili apprehendit primò, & per se, & directè vniuersale: & sic cognitio vniuersalis fit secundùm modum cuiuslibet lineæ rectæ: cuius principium à quo, est ipsum singulare vt cognitum in phantasmate: punctus finalis est vniuersale, vt cognitum in ratione vniuersali abstracta. Sicut autem linea recta, si reflectatur à puncto ad punctum, & finis principio coniungatur, finis, & principium sunt idem re, differentia solâ ratione, in ratione scilicet finis, & principij: sic intellectus possibilis vniuersale reflectens (quod aspiciebat in ratione abstracta) ad singulare, quod repræsentatur in specie determinata, seu in phantasmate, dicit, & cognoscit, quòd idem re est vniuersale, & particulare, differens sola ratione, vt scilicet secundùm quòd concipitur sub determinatis conditionibus, habet rationem singularis, vel vt concipitur absque illis, habet rationem vniuersalis. Nec talis consideratio est falsa; quia non est abstractio, vel determinatio realis, sed secundùm considerationem solùm.

30\. Secundùm autem istum modum abstrahendi, priora, & vniuersalia abstrahuntur à posterioribus; quia posterius etsi sit idem re cum priori, & vniuersale cùm particulari; non tamen posterius, vel singulare, est de ratione prioris, vel vniuersalis. Et secundùm istum modum potest considerari Socrates inquantum homo, & inquantum Socrates; quia potest considerari inquantum homo, quamuis non consideretur inquantum Socrates, & non è contrario. Sic dicit Aristoteles 2. *Physicorum, text. com.* 18. quòd *Abstrahentium nō est mendacium.* Sic igitur intellectus reflectens vniuersale cognitum in ratione vniuersali, non sibi impressa, sed expressa, ad singulare cognitum in instanti, cognoscit ipsum singulare in phantasmate per ipsum vniuersale; vt sic verum sit dicere, quòd idem est res, quòd intellectus possibilis per se intelligit, quod est vniuersale cum eo, quod imaginatiua cognitio per se, & directè apprehendit; quod est ipsum singulare. Differunt autem secundùm modum considerationis; quia illud, quod cognoscit imaginatio directè, vt singulare, & sub determinatis conditionibus, illud idem cognoscit intellectus, vt vniuersale, & abstractum ab illis conditionibus materialibus: quemadmodum magnitudo naturalis, & magnitudo re sunt idem, sed considerata inquantum Mathematica, abstrahitur secundùm considerationem à conditionibus naturalibus. Ex quo patet, quòd obiecta prima imaginatiuæ sunt idem re, & ratione differentia, obiectum autem secundarium intellectus, & principale imaginatiuæ sunt idem re, & ratione: nam secundariò, & per reflexionem cognoscit singulare, vt singulare, sicut & ipsa imaginatiua, seu phantasia.

31\. Ex his patet, quòd non possumus discernere, nisi sola ratione, quando imaginamur singulare, vel quando intelligimus: cuius ratio est, quia non differunt imaginari, & intelligere singulare, nisi ex parte medij; quia imaginatio cognoscit ipsum per speciem singularem non abstractam, sed intellectus per ipsum vniuersale non sibi impressum, sed expressum: & esset quasi omnino simile, si visus speciem intentionalem sibi impressam primò, & per se videret coloratum extrà: sic est in intellectu cùm reflectit se mediante specie vniuersali supra phantasma. Nunc ergo secundùm istam positionem intellectus in hac vita non aliter cognoscit singulare, nisi vt est intrà, id est, in imaginatione; & hoc est particulare tanquam per medium.

Est autem alius modus cognoscendi singulare, scilicet, vt est actu existens extrà; sicut cognoscimus per sensus corporis: qui modus cognoscendi est proprius naturaliter intellectui separato; vel fortè coniuncto, pro statu gloriæ, non pro statu viæ. Hic est modus, quem ponunt magni viri.

SCHOLIVM.

Relata, & clarius explicata opinione Sancti Thomæ, quam Ægidius, Aureolus, Capreolus, & alij sequuntur, suam statuit Scotus; quæ etiam est Richardi, Durandi, Gregorij, aliorúmque veterum Theologorum, necnon recentiorum Fonseca, Suarez, Conimbricensium, & quæ communior est in scholis, nimirùm intellectum coniunctum, & pro statu isto non solùm per reflexionem, & per conuersionem ad phantasmata, sed directè, & immediatè cognoscere singularia actualiter existentia. Deinde, solutis argumentis pro sententia contraria, subtilissimè, & clarissimè explicat modum, quo intellectus in sensu particulari, seu in organo, & per organum actualitatem existentiæ rei sensibilis attingit. Et licèt multis in locis insinuet intellectum cognoscere singularia directè, vtpote in 2. dist. 3. quæst. 11. & dist. 9. quæst. 2. & in 3. dist. 14. quæst. 3. ad vltimum, & quodl. 13. art. 2. imò & expressam de hac re instituerit quæstionem in commentariis ad libros de Anima, vigesimam secundam in ordine; nullibi tamen adeò ex professo, aut clarè de hac re egit, sicuti hoc in loco, vbi nihil fermè reliquit indiscussum.

Omisso modo cognoscendi per speciem, quia de hoc intendo disputare, modum istum benè non capio esse verum; nec concordat articulis suprà positis. Ostensum est enim quòd intellectus præsens est omnibus sensibus, & organis eorum per influentiam, per substantiam, & etiam in ratione perficientis, sub ratione cognitiui: sicut Sol attingit omnem actionem inferiorum agentium, & intimiùs, & præsentialiùs, vt patuit: ergo cùm sensus cognoscendo attingat existentiam actualem rei exemplaris, necessariò intellectus attingit eam, non solùm separatus, nec solùm in statu gloriæ, sed etiam in statu viæ: quod tamen negat hæc positio, vt patet in fine. 32. *Refellit Doctor prædictā sententiam.*

Item, imaginatiua inquantum talis, non cognoscit rem singularem, sed actualitatem suam, vt est extrà; nec sensu præsente, nec absente: non sensu absente, quia cæcus natus non iudicat de coloribus vtrùm actu sint; & tamen habet imaginatiuam; nisi fortè per auditum aliquid ex eis percipiat; nec sensu præsente in actu suo, quia non est necesse ponere in anima duplicem vim apprehensiuam simul circa sensibile, vt est extrà, nisi quia vna dirigitur, & perficitur ab alia in cognoscendo, vel altera superflueret. Sed imaginatiua non habet rationem perficientis ipsum sensum, cùm tam in vigilando, quàm in dormiendo plus deficiat circa iudicium singularium, quàm sensus particularis, vt de se patet. Non sic autem est de intellectu, cùm se habeat in ratione perficientis actionis sensuum particularium, quibus coniungitur; cùm sit semper rectus, phantasiâ quoque non rectâ: ergo

si intellectus in via nullam habet notitiam de existentia actuali rei extrà, nisi vt præsentatur sibi in phantasmate, seu imaginatiua, nunquam in hac vita, vt dicit hæc positio, cognoscit aliquid de ea: quod planè est hæreticum, non solùm falsum.

33. Quòd sit autem falsum, patet, cùm solus intellectus cognoscat veritatem, inquantum veritas: multæ autem veritates possunt fieri de actuali existentia rei sensibilis, vt est extra. Quòd sit hæreticum, patet, quia certum est, quòd idem est actus intellectus: certum est autem, quòd Apostoli actualem hominem, quem videbant actu existentem, Deum esse credebant; quem palpabant, Deum credebant: *Palpate*, inquit, *& videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet: Quia*, inquit, *vidisti me Thoma, credidisti: infer*
* Lucæ 24. *digitum tuum huc*, &c.* Ergo quod manus palpabat, quod digitus pertractabat, quod visus aspiciebat; quod verè est actualis existentia rei sensibilis, visibilis, palpabilis, hoc intellectus Deum esse credebat: *Dominus*, inquit, *meus, & Deus meus*. Ergo attingebat intellectus necessariò actione sua (quæ est credere) ad existentiam rei: intellectus enim credendo asserit de re, quam manus palpat: *Dominus meus, & Deus meus*. Non ergo videtur sanum dicere, quòd intellectus coniunctus non attingit singulare; nisi vt est in imaginatione: imò secundùm fidem, dato quòd non apprehendat, nisi per reflexionem, oportet quòd fiat reflexio non super singulare, vt est in imaginatione; sed etiam vt est actu existens extrà.

34. Item, de modo huius positionis, cùm intellectus agens abstrahit speciem, seu rationem vniuersalis, à conditionibus indiuiduantibus, & materialibus, vtrùm hæc positio sit casualis in anima, vel ab alio intenta? Non casualis, cùm sit à virtute animæ ad hoc determinata: ergo ab alio intenta: non à visiua cùm non apprehendat illud, quod abstrahitur, scilicet vniuersale: ergo ab intellectiua: non ab intellectu agente secundùm positionem, quæ se habet ad possibilem, sicut lux ad medium, vel ad sensum; & se habet ad phantasmata, sicut lux ad colores, seu colorata. Sicut igitur non videt oculus, sine adiutorio lucis; sic intellectus agens non intelligit (secundùm quod dicit positio) sed possibilis auxilio agentis: ergo dum intellectus agens abstrahit speciem à conditionibus materialibus, necessariò intellectus possibilis præcognoscit à quo abstrahit, antequam ei offeratur, quod abstrahitur, vniuersale. Præterea, non magis abstrahit speciem hominis, quàm asini, nisi intellectus præcognoscat, quod à specie huius hominis, vult abstrahere speciem hominis vniuersalem.

Item, implicat positio contradictionem, vt patet in ratione; quia sicut singulare addit supra vniuersale; sic singulare apprehendi non potest, nisi determinatione aliqua facta in intellectu correspondente determinationi singularis supra vniuersale; & hæc sunt vera: ergo cùm vniuersale non habeat illam determinationem, quam addit singulare supra vniuersale (aliter non esset vniuersale, seu species vniuersalis,) nullo modo vniuersale poterit ducere in cognitionem singularis, cuius oppositum ipsi dicunt.

35. Si dicas, quòd vniuersale non in se, sed provt per reflexionem applicatur ad phantasma, facit hoc, scilicet, vt singulare in intellectu sit cognitum. Quamuis hoc non dicat positio; imò contrarium, vt patet, dum ponit differentiam inter apprehensionem singularis ab imaginatione, & ab intellectu: adhuc non habeo, quòd vniuersale inquantum tale, imò potiùs ipsum phantasma, faciens determinationem in cognitione, est principium cognoscendi singulare.

Item, sicut aliqua per illud, & in illo, quo conueniunt, nullò modo differunt: sic impossibile est, vt per illud, in quo omnino conueniunt, inquantum sunt differentia, cognoscantur: sed singularia differunt inter se per aliquod additum vniuersali, vt dicit etiam positio; ergo, &c.

Item, Deus cognoscit hunc hominem, & illum, per distinctas ideas, vt expresse dixit Augustinus in epistola * ad Nebridium, quæ incipit: *Recentissimis literis tuis*, &c. non ergo videtur, quòd intellectus coniunctus per vnam solam speciem vniuersalem possit eam cognoscere. * epist. 115.

Ratio autem prima huius positionis falsum supponit: cùm enim dicitur, quòd intellectus per speciem abstractam ab omnibus conditionibus materialibus intelligit; si intelligit, quòd nihil intelligat, nisi per huius speciem, falsum est omnino; quia etiam per species sub talibus conditionibus intelligit. *Respondetur ad rationes positas, n. 27.*

Si dicas, quòd verbum Philosophi in contrarium est, dico, quòd verum est; & intelligendo per tales species, aliqua intelligit vt vniuersalia: & per hoc differt à virtutibus sensitiuis, quæ hoc non possunt facere. Non tamen propter hoc vult Philosophus, quin per species non abstractas ab his conditionibus possit singularia apprehendere. Sed per istum modum non differt à modo, quo sensus cognoscit: & quia intendebat dare differentiam apprehendendi istius sensus, & intellectus, ideò aliud dixit, & illud non. 36.

Ratio secunda non valet. Quod dicitur, quòd singulare non, &c. concedo. Quod dicitur in minori, quòd intellectus talem determinationem, &c. dico quòd falsum. Quod dicitur, quòd impediret, &c. dico, quòd ratio soluat se ipsam: quia non ponit quòd determinatio aliqua fiat in intellectu impressiuè, sed expressiuè solùm.

Quamuis autem possis dicere quòd prima determinatio impediret, non autem secunda: si enim materiâ aliquod determinatum exprimatur; nihilominùs quodcumque aliud potest materiâ exprimi. Primò certum est quòd ratio hominis addit suprà rationem animalis, corporis, & substantiæ: ergo nullum horum poterit intelligi; quia quâ ratione impedit determinatio singularis, etiam ratio speciei specialissimæ respectu generis. Dato etiam quòd intellectus intelligeret per speciem impressam (de quo fortè adhuc disputabimus *) talis determinatio non impediret rationem formæ vniuersalis, si enim species albi, & nigri non impediunt se in eodem puncto aëris, quia intentionales sunt; multò minùs determinatio singularis, & vniuersalis in intellectu, cùm sint magis intentionales, & spirituales. Sed de hoc inquirere spectat ad quæstionem; *Vtrùm intellectus intelligat per speciem?* de qua nihil ad præsens intendo. * quæst. 14.

Reuertendo igitur ad ea, quæ superiùs inchoaui, dico quòd intellectus coniunctus, actu existente 37.

ſtente ſenſus particularis, apprehenſione attingit actualitatem exiſtentiæ cuiuſlibet rei ſenſibilis ſingularis: vel ſaltem ſi conuertat ſe, attingere poteſt. Sed aliter huius actualitatem apprehendit ſenſus particularis; quia cognoſcendo, & exprimendo ipſam actualitatem; non ſolùm vt eſt per ſpeciem in oculo, vel in alio ſenſu; imò etiam attingit eam, vt eſt extrà in natura propria, quaſi quodam contactu ſpirituali: & hoc notitia experimentali. Intellectus autem directè eandem actualitatem, vt eſt in ſenſu, attingit; pro eo quòd apprehendit directè ipſam ſenſationem, ſeu motionem, quam facit ſenſibile, vt præſens, & actu exiſtens in ſenſu particulari, & in illa, & per illam, quæ non poteſt eſſe niſi à ſenſibili præſente, actu cognoſcit actualitatem ſenſibilis extrinſeci: non tamen extendit aſpectum (quomodo tactum eſt ſuprà) ad illam actualitatem ſenſibilem, vt eſt extrà; ſed ſolùm ſecundùm quòd eſt in ipſo actu ſenſus: & ideò ſenſus cognoſcit, & experitur huius actualitatem; intellectus autem ſolùm cognoſcit. Et hoc eſt verum, ſeu ſenſationes fiant per ſpeciem, ſenſum informantem; ſeu fiant aſpectu viſuales directi ſupra ſenſibilia.

38. Quòd autem ſenſus ſic experiatur, & cognoſcat, intellectus autem ſolùm cognoſcat, oſtendo. Ordo cognitionis tam ex parte obiectorum, quàm ex parte virium cognoſcitiuarum eſt ſtabilis, & firmus: non enim poteſt conſiderari infimiùs cognitione, quàm actualis exiſtentia rei; quia nullum participat genus abſtractionis; nec ſuperius, quàm ens, inquantum ens; vel verum inquantum verum: quia participat omnem modum abſtractionis: nec poteſt vis naturalis, inferior cognitiua inueniri, quàm ſenſus particularis, nec ſuperior, quàm intellectus. Nunc autem, quia intellectiua habet rationem cauſæ ſuperioris, attingit actus omnium cognitiuarum virium inferiorum, ſicut Sol omnem actionem agentium naturalium. Sed certum eſt, quòd poſteriori debetur aliquid inquantum poſterior; quod non debetur primo inquantum primum; vel inferiori, inquantum inferius, debetur aliquid, quod non debetur ſuperiori, inquantum ſuperius: ergo ſenſui particulari, quia infima virtus, debetur modus agendi, qui non debetur intellectui: ſed non alius quantùm ad cognitionem, quâ vterque hanc actualitatem cognoſcit: ergo neceſſariò modus experimentatiuus; cùm non ſint niſi iſti duo modi circa huiuſmodi actualitatem exiſtentiæ rei. Et ita eſt in Sole, & in omni cauſa particulari; quia Sol attingendo, & fortificando eam, calefaciendo, & digerendo materiam, cooperatur. Sed aliquem modum habet cauſa particularis, cuius eſt ille modus, qui proprius modus eſt in digerendo, & organizando materiam, quem Sol non attingit per ſe: & ideò quia cauſa particularis modum proprium habet in agendo, ſecundùm quem appropriatè reſpicit effectum, effectus magis ab illa denominatur, quàm ab vniuerſali.

39. *Obiectio.* Si dicas, ergo habitus ſcientialis debet dici ſenſibilis, & non intelligibilis: cùm apprehenſio ſenſus particularis in genere ſcientiæ ſit cauſa particularis contrahens intellectum: qui intellectus circa huius apprehenſionem cauſat, & generat ſcientiam.

Solutio Patet reſponſio; quia ſenſitiua actio non ſpecificat intellectum, niſi ſolùm reſpectu illius, ad quod aſpicit ſola ſenſatio, quæ eſt ſolùm apprehenſio actualitatis exiſtentiæ rei extrinſecæ; & reſpectu huius termini actio ſenſus, cui adiungitur actio intellectus, eſt vna actio numero: & ideò denominatur ſenſatio, & non intellectio. Aliæ autem actiones hanc ſequentes, vtpote quòd hic color eſt color, conferendo vniuerſale ad particulare, tribuuntur ſoli intellectui; apprehendere autem hunc colorem actu exiſtentem, potentiæ viſiuæ, ſicut productio fructus denominatur ab arbore, quæ eſt cauſa particularis, non à Sole, quæ eſt vniuerſalis: ſed ſi quid fiat poſtea ex hoc fructu, vtpote vermis, vel aliquid tale, non denominatur ab arbore, quia ad vlteriorem effectum non ſe extendit; ſed erit actio Solis. Verbi gratia, facio ſtylum per artem, agit ergo vis motiua per modum artificialem: omnis autem vis confortans, & actuans virtutem meam motiuam maximè ſi eſſet virtus ſuperior ſecundùm ordinem, & confortando vniretur ſibi, vt eſſet vna cauſa compoſita, & vna actio reſpectu ſtyli, certum eſt, quòd ſtylus ab vtraque eſſet: ſed virtus operans per modum artis aliquem modum in operando haberet, quem illa virtus de ſe non haberet, niſi per accidens, vt ſcilicet eſt vnita illi: & hoc maximè eſſet verum, ſi virtus motiua per modum artis de ratione ſua agit in ſenſibile experiendo.

Cognitio rei ſingularis, vt exiſtentis magis tribuitur ſenſui, quàm intellectui.

40. Item, oſtenſum eſt in quæſtione de primitate materiæ *, quòd in vnoquoque genere, in quo fit proceſſus de imperfecto ad perfectum, primum illius generis caret omni imperfectione, quæ per illum proceſſum in illo genere introducitur. Et propter hoc dictum fuit ſuprà *, quòd omnis cognitio ſcientifica fundatur in actuali exiſtentia rei extrà: deficiente enim ſenſu, deficit ſcientia, quæ ſecundùm illum eſt: ergo cognitio rei ſenſibilis, ſecundùm rationem ſuæ totalis primitatis, non poteſt eſſe cognitio ſcientifica: ſicut nec ſemen ſub ratione ſeminis, poteſt eſſe manus, vel pes: nec per conſequens huiuſmodi cognitio actualis exiſtentiæ rei ſenſibilis, habet rationem veritatis, inquantum veritas: ſed cognitio, quam habet intellectus de actualitate rei, eſt ratio natiua, ac per hoc ſcientifica: & etiam cognitio veri non ſolùm inquantum verum, ſed veritatis inquantum veritas: intellectus autem actualitatem huius albedinis cognoſcens, cognoſcit eius veritatem; ergo neceſſe eſt, quòd aliquis modus in agendo cognoſcens prioritatis, qui eſt primus, imperfecta materia, ſemen totius generationis ſcientiæ, præcedat cognitionem intellectiuam de illa actualitate: ſed ille modus non poteſt dici cognitio rei ſenſibilis extrinſecæ, vt actu exiſtit; quia hoc contingit intellectui: ergo erit modus experimentatiuus. Et hic modus eſt proprius ſenſui particulari, inquantum infimus in genere virium cognoſcitiuarum, & eſt ſeminarium, & origo omnis ſcientiæ: non eſt cognitio veritatis, ſicut nec ſemen eſt manus; ſed eſt cognitio veri, inquantum verum; ſicut ſemen omnium membrorum eſt materia, & fundamentum.

* q 8.n.7.& ſeqq.

* num. 8.

Item, apertè patet, quòd intellectus non attingit ad actualitatem rei extrà, niſi per ſenſum, & mediante ſenſu: ſenſus autem attingit aliquando ad ipſam ſine intellectu; vt patet in phreneticis, quamuis talis cognitio ſenſus ſit imperfecta; vt patuit ſuprà *. Sed cùm aliquid duobus con

* num. 20.

conuenit, vni per se, alteri per accidens, secundùm aliquem modum immediationis, debetur illi, cui debetur per se; secundùm quem non conuenit ei, cui debetur per accidens: ergo immediatiùs fertur sensus in obiectum suum extrà, quàm intellectus: quia obiectum suum est inquantum tale; intellectus autem solùm per accidens, vt dixi *: quia non vt est extrà, sed vt est
* num. 40.
actu in sensu per sensationem, vt dixi. Immediatior autem modus agendi in sensibile est experimentatiuus: ergo sensus particularis experitur hanc actualitatem, non intellectus.

41. Dixi autem, quòd actualitas existentiæ rei sensibilis per sensationem est obiectum sensus, intellectus autem non, nisi est in sensu per speciem: quia benè posset esse species in sensu, & tamen non esse apprehensa actu, seu sensata actualitas rei exterioris: vt patet in his, qui diu aspexerunt aliquem colorem, & postea clauso oculo videtur eis, quòd videant colorem: sicut patet per exemplum Philosophi de somniis *; sensatio autem actu non potest esse, nisi sensibile sit præsens: sicut nec possum videre album, vel tangere calidum, nisi sint actu.

* de Somno, & Vigil. c. 2.

Item, experimentatio de actualitate rei dicit quemdam contactum ipsius actualitatis rei sensibilis, qui non potest esse nisi virtus, quæ experitur, tangat actualitatem rei, vel ipsa actualitas sit in virtute. Nunc autem illud attribui non potest intellectui respectu actualitatis rei sensibilis; quia non ex hoc, quòd sensibile actu sit in intellectu, lapis enim non est in anima; nec quòd intellectus tendat, & quasi quodam aspectu immergatur in ipsum sensibile extrà: quia *intelligere* est motus ab intrà ad animam, sensus autem tendit ad extrà per suos aspectus; quod docet experientia: quia quando diligenter intueor, tunc sentio, quòd non sit visio per attractionem; imò per fortem directionem, & protensionem visus super rem: ergo solus sensus habet actualitatem rei sensibilis extrinsecè experiri, & cognoscere, cùm sit infimum in genere virium cognoscitiuarum: intellectus autem cognoscit ipsam certitudinaliter in ipsa, & per ipsam sensationem: sed non experitur.

42. Et est hîc aduertendum, quòd sicut accipiendo totum ordinem virium cognoscitiuarum, vis sensitiua experitur actualitatem rei: sic accipiendo totum ordinem sensuum particularium, tactus cùm sit infimus, intimiùs, & certiùs experimentatur suum sensibile, quàm aliquis aliorum. Gustus enim secundùm Philosophum, quidam tactus est: vnde Saluator post resurrectionem, postquam ostenderat discipulis corpus suum, ad magis experimentandum veritatem dixit *: *Palpate*: & Thomæ, *Infer digitum tuum*, &c. Vnde Gregorius super illo, *Ioannis, cap. 20.* † *Cùm esset serò die illo*, &c. *Corpus quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, palpandam carnem præbuit, quam clausis ianuis introduxit.* Sicut igitur sensus tactus est certior cæteris sensibus circa suum sensibile, sic sensus particularis circa actualitatem existentiæ rei extrà, quàm intellectus, vel quæcumque alia vis; quia solus eam experitur.

Tactus certius experitur suũ obiectũ, quàm alij sensus.

* Lucæ 24.
† Gregor. Hom. 26.

Si instes; ergo intellectus non vnitur sensibus in ratione perficientis in cognoscendo: quod tamen suprà fuit ostensum *. Dico, quòd intellectus dicitur perficere sensum in sua cognitione, eo quòd cognitio sensitiua præcisè consistit in apprehendendo illud, quod est verum; non ipsam veritatem: & quia talis cognitio potest perficere, vt id quod cognitum est, inquantum verum, solùm cognoscatur inquantum habet rationem veritatis, quod sit per intellectum: ideò intellectus dicitur perficere cognitionem sensitiuam; sicut agens dicitur perficere materiam; non in genere materiæ; sed eleuando ad altiorem actum perfectionis.

* num. 18. & seqq.

Dico ergo, quòd singulare modo prædicto apprehenditur, & cognoscitur à sensu, & ab intellectu: & loquor de singulari corporali; de quo dicit Philosophus * quòd si singularia contingentia extrà speculari fiant, nescimus, vtrùm fuit, vel non fuit. Vnde sicut imago Petri repræsentat Petrum, non viuum, nec mortuum, sed simpliciter, ac per hoc est ratio cognoscendi; sed non perfectè: quia per illam non experior, vtrùm sit viuus, vel mortuus: sic etiam ipsum nomen Petri significat Petrum, non vt viuum, vel mortuum; sed simpliciter. Sic species rei ducit in cognitionem rei, sed non in actualitatem existentiæ. Propter quod oportet dicere, quòd sensus aliquo modo vltra, seu præter speciem, attingit sensibile; cùm ipsum sensibile secundùm actualitatem suam non sit in sensu. Semper autem tale singulare fertur in intellectu, non solùm per speciem rei sensibilis, vt est à sensibili, nec per illam vt est in sensu, quia inquantum species, nullam certitudinem facit de actualitate existentiæ; nec fertur super ipsam, seu in ipsam, per experientiam, vt sensus; sed fertur in ipsam per ipsam sensationem, per quam habetur certitudo de actualitate existentiæ, vt ostendi. Si autem accipiatur singulare non pro ipsa actualitate existentiæ, sed pro re quadam particulari; secundùm quod repræsentatur imaginatione, vel specie; vel significatur à nomine, secundùm quem modum de ratione singularis non est actualis existentia: sic dico, quòd intellectus cognoscit directè singulare in actu, & per actum imaginationis, aut etiam per cognitionem derelictam in eo, dum coniungebatur cum sensu: non dico vtrùm per speciem impressam, vel expressam: nam de hoc intendo quærere. 43.

* Ethicor. 6. c. 3.

Et dico concludendo, quòd quocumque modo istorum accipiatur singulare, priùs cognoscit intellectus singulare, quàm vniuersale. Impossibile est enim quòd rationem vniuersalis ab aliquo abstrahat, nisi id, videlicet à quo abstrahit, præcognoscat. Vnde cognitio actualitatis existentis præcedit omnem aliam rationem, vt patet, & loco, & tempore. Loco, quia cùm video aliquid à remotis, & nescio vtrùm sit bos, vel asinus, primum quod cognosco est illud, quod video, aliquid est actu; postea cognosco quòd est animal. Tempore, patet idem: quia puer non vocaret hunc, vel illum *patrem*, nisi priùs perciperet quemlibet actu esse: vnde fundamentum originale, à quo mouetur omnis cognitio (dico radicaliter) est esse actuale. Et dico *radicaliter*, quia facta apprehensione actualitatis rei, ipsâ destructâ re ipsa remanet cognitio secundùm aliquem modum, tam in intellectu, quàm in imaginatione. 44.

Prius cognoscit intellectus per organa singulare, quã vniuersale.

Si verò dicatur, quòd magis confusa sunt priùs nota in intellectu; qualia sunt vniuersalia; dico, quòd si cognitio accipiatur ex parte cognoscibilium, cùm intellectus sit nudus, primò habet aspectum, vt perficiatur confusis; cuiusmodi sunt

Quomodo dicuntur confusa prius cognosci ab intellectu.

ſunt vniuerſalia. Si autem cognitio referatur ad modum, quo intellectus perficitur, cùm vniuerſale inquantum tale omnino non ſit in re, ſed fiat actione animæ per abſtractionem à ſingularibus; neceſſe eſt, vt actio intellectus priùs attingat ſingulare, ex quo per actionem quaſi de quadam materia faciat vniuerſale, & poſteriùs vniuerſale attingat, & ſic materialiter loquendo priùs cognoſcit particulare.

45. Vel poteſt dici, quòd quamuis hæc actualitas in re extrà ſit ſingulariſſima, & nullius abſtractionis, ſecundùm quòd per ly *hæc* intelligimus eſſe rationem actualis exiſtentiæ in tali re ſignata: tamen ipſa actualitas exiſtentiæ quanquam ſit *hæc* & *ſignata*, vt diuiditur ab aliis rationibus, quæ ſunt in ea, habet rationem confuſi & indeterminati, & in ſe, & reſpectu ſenſus, & reſpectu aliarum rationum ſingularium, quæ ſunt in ea. Quod patet: ſicut enim ratio animalis, hominis, & huius hominis, præſupponunt rationem entis, tanquam magis vniuerſale, & confuſum; ſic in hoc homine particulari exiſtente actu hæc humanitas, hæc animalitas, quæ actu exiſtunt, primò ſupponunt hanc entitatem actualem, & in ſe, & reſpectu cognitionis ſenſus. Nunquam enim puer vocaret hunc, & illum *patrem*, niſi ipſe actuale eſſe priùs naturali ordine cognoſceret. Dum enim rem video à longè confuſè, primò occurrit mihi quòd eſt actu, ſecundò quòd eſt hoc animal; poſtea quòd eſt aliquis homo. Vnde dum dicitur, quòd cognitio noſtra incipit à magis confuſis, & magis vniuerſalibus, talis confuſio, & vniuerſalitas, non excludit ſingularitatem, & ſignationem actualis exiſtentiæ in re extrà: nec tale confuſum, & vniuerſale, eſt illud, à cuius ratione excluditur *hîc*, & *nunc*, immò in eo includuntur: quia nunquam cognoſcerem, quòd ſit homo, vel animal, vel hic homo, & hoc animal, niſi priùs ſenſus naturali ordine apprehenderet ipſum eſſe ens actu ſignatum. Vniuerſale autem, de quo quæris, alterius generis eſt; quia de ratione ſua excludit *hîc*, & *nunc*, & ſignationem & actualitatem exiſtendi. Iſtud autem, quod ſenſus priùs naturali ordine apprehendit, quamuis in ſua ratione includat ſignationem & actualitatem exiſtentis, dicitur tamen pro tanto confuſum, quia hæc entitas naturali conceptu præcedit hanc animalitatem, & hanc humanitatem; & ſecundùm ſuam rationem, & reſpectu cognitionis ſenſus: vnde patet quòd in inſtantia æquiuocatur *vniuerſale*.

46. *Recapitulatio totius quaſt.* Patet igitur ex dictis, quomodo intellectus actualitatem exiſtentiæ rei ſenſibilis apprehendit; quia apprehenſionem, vel ſenſationem, quæ fit in organo, & per organum, attingit. Et per hoc potentia intellectiua, cùm faciat cum illa ſenſatione vnam actionem numero, cùm ei coniungitur, vt patuit ſuprà, poteſt dici per accidens organica, modo ſuprà declarato; & per conſequens eius actio organica. Actio autem reflexiua, quâ ſcilicet intelligit ſe huius actualitatem exiſtentiæ intelligere, & actio collatiua, quâ confert illam actualitatem ad vniuerſale; dicendo, quòd illa albedo eſt color: iſtæ duæ, inquam, actiones intellectus, nullo modo ſunt organicæ, nec per ſe, nec per accidens.

Eodem modo dico de actione intellectus intuitiua, reflexiua, collatiua ad actum imaginationis, quantùm ad vnitatem & differentiam, ſicut dixi, reſpectu ſenſus. Et quia reflexio & collatio præſupponunt ſimplicem apprehenſionem, dico, quòd naturali ordine intellectus primò apprehendit actualitatem exiſtentis rei ſenſibilis; & ab iſta poteſt abſtrahere vniuerſale ante actum imaginationis ratione vniuerſalis. Secundò naturali ordine apprehendit actum imaginationis, & rem imaginatam; & ab iſto poteſt abſtrahere vniuerſale per conſiderationem: & ſic ſit verum, quod apprehenſio vniuerſalis ſemper eſt poſterior apprehenſione particularis. Sed poteſt eſſe prior apprehenſione particularis facta ab imaginatiua; quia poteſt abſtrahi ab ipſo ſenſibili in ſenſu particulari: ita quòd antea cognoſco ſingulare in intellectu, quam imaginemur particulare per imaginationem; & antequam intellectus intelligat ſingulare in phantaſmate. Sed nunquam apprehenſio vniuerſalis poteſt eſſe ante apprehenſionem ſingularis per ſenſum aliquo modo originaliter. Et ſic comparando intellectum ad imaginationem, aliquando cognoſcitur vniuerſale priùs quàm particulare: & hoc eſt verum, dum intellectus abſtrahit vniuerſale à ſenſibili apprehenſo per ſenſum particularem. Aliquando priùs cognoſcitur particulare: quod quidem fit, dum abſtrahitur ratio vniuerſalis à phantaſmate, ſeu à re particulari, vt eſt in imaginatiua. Comparando autem intellectum ad ſenſum particularem, prior eſt notitia ſingularis, & à ſenſu, & ab intellectu, quàm notitia vniuerſalis.

QVÆSTIO XIV.

Suppoſito quòd intellectus coniunctus directè intelligat ſingulare, ſecundùm modum in præcedenti quæſtione expoſitum, vtrùm talis intellectus intelligat vniuerſale, vel particulare, per ſpeciem aliquam in intellectu impreſſam?

Auguſt. 12. *de Trinit. c.* 14. *& lib.* 13. *c.* 4. *& lib.* 15. *c.* 7. *&* 21. D.Thom. 1. *p. q.* 24. D. Bonau. *in* 2. *diſt.* 3. *ar.* 2. *q.* 1. Richard. *art.* 5. *q.* 1. Albert. *art.* 15. Capreol. *q.* 2. *art.* 3. Caiet. 1. *part. q.* 55. Ferrar. 3. *de Anim. q.* 13. Apoll. *q.* 6. Iand. *q.* 15 Ægid. *quodlib.* 5. *q.* 21. Durand. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 6. Godfred. *quodlib.* 9. *q.* 19. Conimb. 3. *de Anima, c.* 3. Tolet. *q.* 21. Compl. *diſp.* 18. *de Anima, q.* 1. Auerſa *tom.* 2. *Philoſ.* Vide Doctorem *q.* 7. *de Anima, & in* 1. *diſt.* 3. *q.* 6.



IRCA iſtam quæſtionem tria ſunt declaranda. Primum eſt, quis eſt modus eorum, qui dicunt intellectum non intelligere per ſpeciem impreſſam, & rationes, & motiua. Secundum eſt, ſoluere rationes, & motiua illorum. Tertium eſt, oſtendere quòd intellectus intelligit per ſpeciem impreſſam in anima, tam in illa, vt eſt coniuncta corpori, quàm quando ſit in patria. 1.

ARTICVLVS I.

Refertur opinio negans intellectum cognoſcere per ſpeciem impreſſam.

Circa primum, ſciendum, quòd quidam Magiſtri dicunt, quòd intellectus in nullo ſtatu indiget ſpecie impreſſa. Ad cuius euidentiam ſic procedunt. Dicunt, quòd circa progreſſum naturalem humanæ notitiæ, talis modus attenditur. Primò ſenſibile extrinſecum in ſubſtantia actua *Henricus quodl. 4. q. 7. 8. & 23. & quodlib. 5. q. 14. Gotfr. in 1. d. 3.*

actualiter fundatum (puta color) primò habet *esse* naturale in substantia, & est in potentia actiua, vt similitudinem suam in medio generet, & à medio in organo visus; & hoc secundùm actum luminis, quod ad generationem talis speciei, & organi ab ipsa informati, requiritur propter tria: vnum est propter medium, vt scilicet fiat medium necessarium ad susceptionem huius speciei, quam nisi mediante lumine, non est natum recipere, dicente Aristotele 2. de Anima *: *Color est motiuus lucidi, inquantum lucidum.* Secundum est propter ipsum colorē, qui non agit, se, seu similitudinem suam generando in medio, nisi virtute luminis, quo præsente color facit suam similitudinem in medio sibi contiguo. Tertium est ex parte videntis, quia, vt probatur in Perspectiua, color non videtur nisi admistus luci vsque ad organum visus, in quo recipitur ab aëre sibi contiguo, vt formetur per ipsam visus, hoc est, actus videndi; quo sensus visus videt colorem extrà, qui est in substantia modo exposito in præcedenti quæstione *.

Ad actū visus requiritur medium luminosum propter tria.

* text. com. 67.

* num. 24. & seqq.

2. A sensu verò particulari per neruos opticos, quasi per medium, intrà generatur similitudo illius speciei, seu sensibilis in organo memoriæ; in qua conseruatur ad absentiam sensibilis extrà; quod non contingit in sensu particulari; & à specie, vt est in memoria, generatur, & multiplicatur similitudo illa, quæ est exterioris sensibilis vsque ad organum imaginationis. Ita quòd sicut se habet sensibile extrà respectu sensus, vt ipsum immutet suâ specie, sic memoria ad imaginatiuam immutando ipsam ad actum imaginandi: ita quòd est idem particulare quod percipit sensus, vt est actu præsens, & imaginatiua, vt est succedens.

Et hoc est quod dicit Augustinus *de Trinitate, cap. 3. Pro illa* (inquit) *specie corporis, quæ videbatur extrinsecus, succedit memoria retinens illam speciem, quam per corporis sensum combibit anima. Próque illa visione, quæ foris erat cùm sensus ex corpore visibili formaretur, succedit intus similis visio, cùm ex eo quod memoria tenet, formatur acies animi, & absentia corpora cogitantur.* Et vocat cogitationem imaginationem. Et sunt similes modi transmutationum, quibus scilicet transmutatur sensus particularis à sensibili extrà, & imaginatiua à specie in memoria existente; excepto quòd extra immutationem sensus particularis obiectum immutat sensum, tanquam primum, & proximum immutans: non autem idem obiectum extrinsecum, quod imaginatur, immutat imaginatiuam, tanquam proximum immutans, sed tanquam primum; quia quamuis sit idem omnino obiectum, tamen est obiectum ipsius sensus, vt est præsens, imaginationis, vt est absens: & in hoc terminatur, vt dicunt, opus imaginatiuæ, comprehendendo sub ea omnes vires sensitiuas, cognoscitiuas, & earum operationes.

3. Post imaginatiuam sequitur virtus intellectiua; de qua est quæstio: Vtrùm specie informetur, vel ei species imprimatur? Ad cuius intellectum oportet scire, quòd secundùm Philosophum 3 de Anima, secundùm Commentatorem* intellectus noster possibilis est de genere virtutum passiuatum quoquo modo, inquantum scilicet est in potentia ad recipiendum in ratione cognoscentis obiectum, quod apprehendit. Omne autem quod est in potentia, reducitur ad actum per aliquid existens in actu; & ideò necesse est dare intellectum agentem, cuius operatione possibilis ad actum intelligendi deducitur; sicut operatione lucis sensus deducitur ad actum sentiendi. Modus autem, quo intellectus agens facit possibilem intelligere, est talis. Dicunt enim, quòd cùm possibilis sit in potentia ad intelligendum, sicut sensus ad sentiendum; sicut sensibilia extrinseca mouent sensum suo modo, sic necesse est, quòd phantasmata moueant intellectum. Quomodo autem sensibilia moueant sensum, ostendunt, quia dicunt, quòd ipsa sensatio passio quædam est, non formali prædicatione, sed quòd sine passione aliqua sensus sentire non potest.

* com. 3. & deinceps.

Est autem illa passio duplex. Vna, quæ est ipsius organi corporalis, quæ est supradictæ speciei receptio. Alia, quæ est ipsius virtutis sensitiuæ, ad sentiendum inclinatio. Et quantumcumque organum sit informatum specie, sic vis sensitiua non inclinatur ad sentiendum, quod fit dum est impedita, vt dum eius operatio est ligata; vel dum retardatur per aliam virtutem superiorem, vt patet dum aliquis vigilans apertis oculis vehementer cogitat, non percipit transeuntem, vel sonum campanæ, quia illo modo non fiet sensatio, nisi dum sit potentia excitata; & quasi forti vocatione inclinata per speciem organo fortiter impressam, vt conuertat se virtus sensitiua ad percipiendum. Vnde qui alium vocat submissè, licèt organum auditus informetur specie soni; vt patet in illis, qui aliquantulùm sunt surdi, vel quibus præsentatur debile sensibile, & non videtur ab illis, quamuis pupilla informetur specie; quia talis species ex defectu sui, vel organi, vel virtutis insufficienter potentiam visiuam, vel auditiuam vocat: sed præsentato magno, & forti sensibili, statim inclinantur potentiæ, & percipiunt. Et iste est secundus modus passionis, quo scilicet potentia patitur à specie, vt est in organo, dum per eius actum inclinatur ad percipiendum; & sic fit in memoria, & in imaginatione, modo superiùs dicto.

Ex his omnibus concludunt, quòd ad actualem sensationem quatuor requiruntur; scilicet, 4.
sensibile extrà, medium, organum, vis sensitiua. His sic dispositis, ad hæc sequuntur alia quatuor. Primum est, quòd obiectum generat suam similitudinem in medio vsque ad organum. Secundum est, quòd medium tangit organum immediatè; ideò sua specie, quâ informatur, generat speciem in organo. Tertium, quòd species existens in organo, si est sufficiens, & virtus non sit impedita, inclinando eam, faciat eam esse intentam ad percipiendum. Quartum est, quòd ipsa sensatio, seu actus sentiendi formatur in composito ex vi sensitiua, & organo specie informato; quam operationem vis sensitiua inclinata principaliter elicit, organum informatum specie instrumentaliter, totum compositum per se.

Ex his patet, quòd species rei sensibilis est impressa respectu organi. Sic secundùm aliquem modum in aliquibus similem causatur ante intellectionem in intellectu, vt dicunt. Sicut enim sensibile extrà mouet sensum, sic phantasia intellectum; & sicut lux corporalis dat vim colori, vt moueat sensum; sic intellectus agens incipit operari cum phantasmatibus, dando eis vim, vt moueant intellectum possibilem; non sic intelligendo, quòd det vim speciei, quæ est in phantasmate

tasmate, vt suam similitudinem imprimat in possibili, cùm nulla species in eo imprimatur, sed quia obiectum imaginatum cognoscebatur ab imaginatiua sub conditionibus particularibus, quæ sunt *hic*, & *nunc*, sub tali figura, & tali quantitate. Et huiusmodi intellectus agens considerat illud idem re absque huiusmodi conditionibus. Idem enim re quod imaginatur sub dictis conditionibus, est singulare, & vniuersale, vt intelligitur absque his: & tunc tale obiectum præsentatum intellectui possibili per intellectum agentem habet vim motiuam, & inclinatiuam intellectus possibilis ad intelligendum se; & habet rationem speciei expressæ ex tali mutatione facta ab intellectu agente repræsentata possibili. Ex ipsa, dico, & intellectu fit vnum, non sicut ex subiecto cùm accidente, vel sicut ex specie impressa cum organo: sed sicut ex cognito, & cognoscente; ita quòd compositum ex eis non est vnum tertium, sicut ex materia, & forma; sed sicut ex cognito, & cognoscente.

5. Cùm enim (vt dicunt) tria sint in virtute imaginatiua, scilicet, species impressa à specie, quæ est in memoria, sine qua nihil posset imaginari propter suum *esse* materiale, & organicum: secundum, actus imaginandi: tertium, ipsum obiectum imaginatum; species est in imaginatiua, vt forma accidentalis in subiecto; actus imaginandi est in ea, sicut motus in moto: imaginatum est in ea, sicut obiectum in cognoscente: cùm hæc tria, dico, sunt in imaginatiua, abstractio non fit à specie impressa; quia intellectus speciei materialis impressionem non recipit; quia esset naturæ alterabilis, & transmutabilis, sicut sensus: cuius contrarium vult Philosophus 7. Physicorum *: Nec ab actu imaginandi, eadem ratione, sed solùm ab obiecto imaginato; vt scilicet est vnum re vniuersale, & particulare, illud idem re, quod est in vi imaginatiua cognoscente vno modo, scilicet. sub ratione particularis, sub *hic*, & *nunc*, & similibus conditionibus; sic cognitum ab intellectu, vt natura quædam vniuersalis denudata per considerationem à prædictis conditionibus. Et secundùm hoc idem fit obiectum visus, imaginationis, intellectus re, differens solùm per considerationem, vel modum, vt hic color, inquantum præsens, est obiectum visus; inquantum absens imaginationis sub ratione signati, & singularis; vt verò absens re, præsens autem in ratione cogniti non singularis, est obiectum intellectus possibilis, non per speciem impressam, sed expressam: quæ quidem species est ipsa intentio obiecti vniuersalis ab intellectu agente producta.

* text. 20.

6. Ex quo apparet, quòd differt illa immutatio, quæ fit in sensu ab obiecto intrinseco, ab illa, quam facit phantasma, seu intentio vniuersalis à phantasmate accepta in intellectu possibili; quia illa est tantùm immutatio per speciem impressam in organo: hîc autem non est talis mutatio, vel alteratio, quia nulla fit impressio; sed solùm præsentatio vniuersalis per intellectum agentem. *Vniuersalis obiecti*, dico, inclinantis possibilem ad sui perceptionem. Et ipse actus magis assimilat intellectum rei intellectæ, quàm faceret species, quia species solùm assimilat in ratione speciali; actus autem in ratione cognoscentis: quia in intellectu non fit talis transmutatio, sicut in sensu, per speciem impressam, est: quia cùm obiectum in ratione cogniti debeat esse præsens vi cognitiuæ, obiectum autem sensibile secundùm substantiam non potest esse in sensu, vt ipsum moueat; oportet quòd sit præsens per suam speciem modo exposito: intelligibile autem sub ratione intelligibilis, benè potest esse præsens intellectui. Quod patet per Commentatorem suprà 12. Metaph. * *Balneum*, ait, *duplex habet esse, vnum in materia, & aliud in intellectu: & nisi esset materia balnei, verum balneum esset in anima*; & esset eadem forma principium motus desiderij, & finis. Quòd si verum balneum esset sine materia, adhuc non esset in anima, vt forma, vel species impressa; sed sicut cognitum in cognoscente: & isto modo species rei est in anima ipsa, sed vt cognitum in cognoscente.

* Com. text. 36.

Nunc autem ita est, quòd quando obiectum est præsens, vt esse potest, multò meliùs mouet, quàm sua species, & est maioris virtutis, & actualitatis ad agendum, & inclinandum potentiam: & ideò in intellectu non requiritur species impressa sicut in sensu, sed obiectum existens, in phantasmate acceptum, tamen non à phantasmate præsentatum; quia secundùm hoc est singulare; sed absque conditionibus indiuidualibus, vt est quædam intentio vniuersalis facta per agentem intellectum, & oblata possibili, inclinat ipsum possibilem ad ipsum percipiendum, quæ inclinatio est vltima dispositio possibilis intellectus ad intelligendum, tanquam ad suam propriam operationem, non tanquam ad aliquam mutationem, quæ sit actus imperfecti, secundùm quod imperfectum est. 7.

Et sic patet, quòd sicut se habent sensibilia ad sensum, sic phantasmata ad intellectum: primò, quia vtrumque mouet vtrumque, non tamen omnino similiter: quoniam sensibile, quod mouet sensum, est materiale, & in materia: & quamuis species, per quam mouet, sit sine materia, non tamen sine conditionibus materiæ: phantasmata autem, siue phantasma hîc appellamus speciem rei in imaginatione, seu ipsam rem imaginatam, vt est in imaginatione in ratione cogniti. Talia verò phantasmata non habent materiam, habent tamen conditiones materiales, quæ consequuntur rem, vt est in materia: sed phantasma acceptum pro specie in imaginatiua, non mouet intellectum; nec ab ipsa, vt dictum est, fit abstractio: sed phantasma acceptum pro re imaginata, in quantum in ratione cogniti erat in imaginatiua, id mouet intellectum, vt est abstractum tamen à materia, hoc est, à conditionibus materialibus, sine quibus non apprehendit ipsum imaginatiua. Et quia intellectus possibilis, vt est coniunctus corpori, non potest intelligere sine phantasmate, indiget aliqua virtute, qua phantasmata, seu imaginata, quæ sunt in potentia intelligibilia, faciat vniuersalia, & intellecta. Et talis virtus dicitur intellectus agens, vt dictum est, quæ vniuersale habeat ponere in actu, moueat possibilem, & inclinet ad se percipiendum.

Et quia idem est, quod imaginatur sub conditionibus, scilicet, particularibus, & quod intelligitur sub ratione vniuersalis, & ita idem re, ratione solùm differens: & vniuersale realiter idem est, quod particulare, & est in ipso: ideò tale vniuersale non est præsens intellectui sub ratione vniuersalis, nisi ad ipsum sit præsens imaginatiua sub ratione cogniti: ita quòd 8.

quòd intellectus possibilis nihil intelligit, nisi imaginatiua sit coniuncta suo actui, cogitando particulare sub conditionibus particularibus. Vt si intellectus speculetur albedinem sub ratione albedinis, necesse est quòd imaginatiua apprehendat hanc albedinem sub ratione figuræ, loci, & temporis. Propter quod benè dixit Auicenna libro suo de Anima, *quinta parte cap.6.* quòd in intellectu possibili non manet intelligibile, nisi dum actu intelligit: sed solùm manet in potentia in phantasmatibus existentibus in vi imaginatiua, à quibus iteratò abstrahitur per actum agentis intellectus, si possibilis debeat iterum intelligere: qui intellectus agens in abstracto se habet ad possibilem, sicut lux ad diaphanum, & ad oculum: ad phantasmata autem se habet sicut lux ad colores extra: ad actum intelligendi se habet, sicut lux ad visionem. Quomodo autem lux est necessaria coloribus, vt moueant oculum & medium (illuminat enim lux colores in pariete, dando eis vim motiuam ad mouendum medium, & medio vim receptiuam, & speciei in oculo, vt adiuncta luci videatur) sic lux spiritualis, scilicet intellectus agens, existens in eadem substantia animæ cum possibili, & vi imaginatiua (vt ostensum est suprà in quæstione de potentiis animæ) dat vim phantasmatibus, vt absque consideratione singularis, moueant possibilem intellectum modo superiùs dicto. Et hæc abstractio à singularitate non est abstractio realis; nec fit per migrationem, vel multiplicationem alicuius rei, vel speciei, quæ priùs erat in imaginatiua, in intellectum possibilem, inquantum nulla species imprimitur, quæ non erat priùs imaginata sub ratione singularitatis, sub ratione vniuersalis; sub qua ratione mouet possibilem intellectum: quòd quidem vniuersale est in phantasia, vt in subiecto; in intellectu autem possibili, vt mouens in moto solùm. Dum autem sua actione generat in esse intellectionem, per illam assimilatur obiectum intellectui completè modo superiùs dicto: & per illam efficitur in intellectu possibili, vt cognitum in cognoscente, & intellectum in intelligente. Et quia agens quasi lumen est possibile, phantasma mistum cum lumine agentis mouet intellectum possibilem, sicut species coloris mista luci mouet visum.

9. Est autem hîc & ibi differentia: quia lux est forma accidentalis & inhærens; intellectus autem agens non est forma accidentalis possibilis, sed solùm vis actiua, & potentia consubstantialis ei: sicut etiam vterque, scilicet agens & possibilis est consubstantialis animæ intellectiuæ.

Est etiam alia differentia; quia lux non solùm immutat diaphanum, sed etiam facit quòd recipiat eius speciem impressam; sed possibilis nullam speciem impressam recipit à phantasmate, sed solùm mouetur ab eo, vt factum est vniuersale, lumine agentis.

Secundò, dixi, quòd lux spiritualis, scilicet intellectus agens, se habet ad phantasmata, sicut lux corporalis ad colores: quia sicut lux dat colori quandam actualitatem vt moueat medium & visum, sic intellectus agens dat phantasmatibus quandam actualitatem vniuersalitatis vt moueant possibilem. Est autem differentia; quia quamuis lux det colori vt moueat visum per speciem separatam à materia; tamen hoc est per speciem impressam organo: phantasma autem mouet intellectum vt à conditionibus particularibus abstractum; & nullo modo ei per se, vel per speciem impressam, sed solùm in ratione cognita coniunctum.

Tertiò dixi, quòd sicut se habet lux ad visionem, sic agens ad intellectum: quia sicut lux dat organo specie informato, vt inclinet potentiam ad sui perceptionem: sic intellectus agens phantasmatibus dat vim, vt inclinent possibilem ad sui perceptionem, modo superiùs dicto. Sed est differentia; quia datur speciei, vel organo specie informato, vt manet sub conditionibus particularibus; phantasmatis autem nunquam datur sic, sed vt per considerationem factum est vniuersale. Est etiam, vt dicunt, differentia ex parte visus, & intellectus ex vna parte; & ex parte lucis & intellectus agentis ex alia: quia lux est de se quoddam visibile, ex se natum videri: etsi non videatur, cùm est permista colori propter eius maiorem simplicitatem: intellectus autem agens non est per se intelligibile, sed solùm dat efficaciam intelligibili vt intelligatur; hoc est tantùm arguitiuè, inquantum scilicet, per rationem concludimus tale lumen esse in nobis.

Iam ergo patet, quòd ad hoc terminatur tota actio sensus, imaginationis, intellectus agentis, vt intellectus possibilis rem intelligat sub ratione vniuersalis: qui sic motus ab obiecto apprehendit simplicem quiditatem rei; qua apprehensa vim habet in se negotiandi multa circa huiusmodi quiditatem, & ei inhærentia; sicut & quiditas in simplici inhærentia apprehenditur: & componendo, & diuidendo inuestigat *quod quid est* perfectè. Habet deinde verbum simplex de re: inuento autem propter quid talis passio est in subiecto, habet quòd mediante demonstratione habet verbum de re composita; & ita generat in se scientiam per inuentionem. Et sic patet quomodo à sensu oriatur scientia; & habet se totus processus à sensu ad imaginationem, sicut granum seminis ad arborem, quamdiu est in terra. Cùm autem percipitur ab intellectu, est sicut semen quod iam germinat super terram; dum autem actione intellectus inuenitur *quod quid est, & propter quid*, est sicut fructus maturus & completus. 10. *Qualiter procedit sciētia à sensu in hac sententia.*

Ecce fundamentum positionis, quæ dicit, quòd intellectus noster nullam habet speciem impressam. Quamuis autem ratio huius dicti vna sit tacta, quia, scilicet obiectum intellectus, quod est vniuersale, præsens est, vel esse potest intellectui in ratione cogniti; ideò magis potest mouere intellectum, quàm eius species; sensibile autem esse per se non potest in sensu, quia oportet quòd imprimatur species; alia est etiam ratio, quæ in parte tacta est, quia scilicet, intellectus magis assimilat obiectum potentiæ, quàm faceret ipsa species; & hoc in ratione cogniti; quia species solùm assimilat in ratione speculi; speculum enim per speciem est obiecto simile in ratione speculi, non in ratione cognoscentis; & ideò non oportet dicere, quòd ratione assimilationis intellectus aliqua specie informetur. *Fundamentum & probationes prædictæ sententiæ.*

Adhuc habet ista positio præter istas, multiplicem rationem: arguit enim sic: Intellectus de se est quoddam intelligibile nullo alio informatus, nihilóque sibi addito: ergo eadem ratione erit intelligens absque aliqua informatione, seu apprehensione. Consequentia patet: quia eadē est 11. *Primum argumentum.*

eſt ratio intelligibilis,& intelligentis, ſcilicet,ſeparatio à materia.

Secundum. Item, ſi de ratione intelligentis, inquantum intelligens, eſt per informationem intelligere; ergo omnis intelligens per informationem intelligit: ergo intellectus diuinus, quod eſt falſum. Patet præterea; ſi quidquid intelligit, per informationem intelligit; ergo ſe ipſum: quod eſt falſum, cùm ſpecies non requiratur, niſi propter abſentiam obiecti: intellectûs autem eſſentia ſummè præſens eſt ſibi.

Tertium. Arguunt etiam ex parte obiecti, accipiendo tres conditiones eius reſpectu potentiæ. Prima eſt, quòd ex obiecto & intellectu debet fieri vnum. Secunda eſt, quòd obiectum intellectus intelligitur eſſe quid vniuerſale. Tertia eſt, quòd obiectum intellectus in ratione cognoſcibilis, eſt præſens intellectui. Ex prima conditione arguunt ſic: Si ſpecies requiritur, vt obiectum cum intellectu fiat vnum in ratione cognoſcibilis; ſpecies autem impreſſa in intellectu faciet vnum, ſicut materia cùm forma: quæ vnitas eſt multùm aliena & diuerſa ab vnitate, quam debet facere cognitum cum cognoſcente: & per conſequens, ſi non ſuppletur vna, nec fit per aliam; nullo modo videtur quòd propter vnionem cognoſcibilis cum cognoſcente debeat poni ſpecies impreſſa.

Quartum. Item, ex ſecunda conditione arguunt ſic: Obiectum intellectus non cognoſcitur ab eo, niſi ſub ratione vniuerſalis: ſed ſpecies, quæ ponitur impreſſa, nihil poteſt repræſentare, niſi ſub ratione ſingularitatis. Probant minorem ſic: Obiectum vniuerſale non eſt in rerum natura, niſi ſub ratione ſingularitatis: non eſt enim in natura homo, niſi ſit iſte homo: ſed vnumquodque ſuam ſimilitudinem gignit, & imprimit ſecundùm quòd eſt in rerum natura; ergo ſolùm poterit imprimere ſpeciem particularem, & quæ ſit repræſentatiua particularis, & nullo modo vniuerſalis: ergo hæc ſpecies non facit obiectum vniuerſale, quale requirit potentia intellectiua.

12. *Quintum.* Item, ex tertia conſideratione, ſcilicet ex ratione præſentialitatis obiecti, arguunt ita: Species non eſt cauſa præſentialitatis obiecti, ſed ècontrario, ſicut patet in ſenſu; præſentia coloris extrà eſt cauſa quòd ſpecies coloris ſit in oculo; & non ècontrario: quod patet in illis, qui fortiter Solem reſpiciunt, & poſtea clauſo oculo remanet ſpecies propter fortem impreſſionem, & tamen poteſt eſſe, quòd res non ſit præſens. Vel ſi per agens ſupernaturale imprimatur ſpecies in oculo, vel ſi ſupernaturaliter conſeruetur abſente re, non faceret rem præſentem. Sic dico quòd ſpecies impreſſa in intellectu non facit obiectum eſſe præſens, ſed ècontrario: ergo cùm propter nullam aliam cauſam ponatur, fruſtrà ponitur.

Sextum. Ex parte etiam ſpeciei arguunt tripliciter; ſpecies enim poteſt tripliciter conſiderari: vno modo, vt comparatur ad obiectum, quod repræſentat: ſecundo, vt comparatur ad potentiam, quam informat: tertio, vt conſideratur in ſe. Ex primo arguunt ſic: Natura nihil agit fruſtrà, nec deficit in neceſſariis; vt dicitur 2. *Cæli & Mundi*, *text*.50. quod extra rationem eſſet, quòd natura dediſſet ſtellis, vt poſſent moueri, etiam motu progreſſiuo; & non dediſſet eis organa ad talem motum apta: ergo videtur quòd ſimiliter inconueniens ſit dicere, quòd intellectus intelligat per ſpecies, & natura non dedit ei omnes ſpecies rerum intelligibilium: & tunc cùm ſint infinitæ ſpecies numerorum & figurarum, habebit infinitas ſpecies actu, non ſolùm reſpectu ſingularium, ſed etiam reſpectu obiectorum ſpecie differentium, cùm ſit in potentia ad omnia intelligibilia.

Item, ex ſecunda conditione arguunt ita, ducendo ad inconueniens, ſcilicet, quòd intellectus 13. *Septimum.*
nunquam aliquid intelligit. Certum eſt, quòd intellectus aliquando non intelligit quidditatem lapidis; ergo oportet quòd reducatur ad actum intelligendi lapidem: non per ſpeciem, quia cùm illa ſemper informet, ſemper ad actum intelligendi reduceret; nec per ipſam rem, quia non oportet, quòd lapis ſit actu ad hoc, quòd intellectus eum intelligat: ergo ſi ſpecies eſt ratio intelligendi, nec eſt dare quomodo ducatur intellectus de potentia ad actum, & ſic nec intelliget.

Tertiò, arguitur ex parte ſpeciei in ſe conſide- *Octauum.*
ratæ, ducendo ad hoc inconueniens; quòd intellectus fortè poſſet hanc ſpeciem intelligere; ſed per illam nihil aliud poſſet intelligere, ſic: Ratio intelligendi poteſt ſumi actiuè, vel paſſiuè. Actiuè ſumendo, eſt illud per quod intellectus elicit extrà operationem, quod eſt potentia ipſa intellectiua in anima. Paſſiuè ſumendo, ſcilicet ex parte eius, quod intelligitur, eſt id, quo intelligibile intelligitur. Potentia enim intellectiua eſt cauſa actiua, quia anima rationalis ſe ipſam, & alia intelligit; ſed, paſſiuè loquendo, ipſa ſubſtantia animæ non poteſt eſſe ratio intelligendi alia; ſola enim diuina eſſentia, quia eſt creatiua omnium rerum, eſt cauſa, & ratio diuino intellectui intelligendi omnia, id eſt, modo paſſiuo. Sed ſubſtantia animæ, quia non eſt aliorum cauſa, non poteſt eſſe paſſiuo modo cauſa, ſiue ratio, ſeu medium intelligendi, vel cognoſcendi alia à ſe: ergo eadem ratione eadem ſpecies, quæ ponitur in intellectu non poteſt eſſe cauſa, ſeu ratio paſſiuè cognoſcendi, niſi ſe.

Ex parte actus arguunt etiam tripliciter, ſecun- 14.
dùm tres conditiones actus intelligendi: eſt enim *Nonum.*
talis actus quid voluntarium, quid de genere intellectualium, quid etiam relatum. Ex primo ſic: Si ſpecies impreſſa requiritur tanquam ſimilitudo eſſentiæ cognoſcendæ, à qua inhærente intellectui actus eliciatur intelligendi; ſequitur (vt dicunt) quòd actus intelligendi non eſt voluntarius, ſed de neceſſitate ſemper intelligeret illam ſpeciem, quamdiu eſſet in intellectu impreſſa. Intelligere enim eſt actus manens intrà, non tranſiens extrà, & eſt perfectio agentis. Ideò non comparabitur hic actus intelligendi ad hanc ſpeciem; ſicut illuminare aërem, quæ eſt actio extrinſeca ad lucem Solis, vel alterius corporis luminoſi; ſed ſicut lucere, qui eſt actus intrinſecus corporis luminoſi ad lucem, quæ ipſum formaliter perficit. Quia ſicut corpus luminoſum habens in ſe formã lucis naturaliter, & de neceſſitate lucet, & non poteſt non lucere: ſic nec intellectus, quamdiu habet illam ſpeciem, non poterit non intelligere, & omnia, quorum habet ſpecies, ſimul intelliget.

Ex ſecundo ſequitur, quòd actus intelligendi *Decimum.*
non eſt de genere intelligibilium, ſed ſolùm eſt de genere entium: quod ſic oſtendunt: Cùm ſpecies intelligibilis ſit informans intellectum, non patitur ab ea, niſi ſicut ſubiectũ ab accidente in recipiendo ſpeciem; ſed talem modũ patiendi inuenimus in rebus naturalibus, & aliis rebus; ergo talis

paſſio

passio non erit ab obiecto intelligibili, vt intelligibile, seu vt est in genere intelligibilium.

Vndecimum. Ex tertio arguunt ita, scilicet, quòd *intelligere* est actus relatus ad aliud. Si actus intelligendi à specie causatur, sequitur quòd non est motus, nec motus ad animam: sicut actus lucere, qui est actus à luce informante corpus luminosum, non est aliquid vt emanans à corpore luminoso. Eodem modo erit de actu intelligendi, quod potest esse falsum; cùm *intelligere* sit motus rei ad animam. Sic ergo dicunt quòd intentio vniuersalis per intellectum agentem facta præsentata ipsi possibili, non imprimitur ei, nec fit vnum cum eo; sicut ex forma cum materia; vel ex accidente & subiecto; sed sicut ex cognoscente & cognito; vel ex mouente, & moto. Nec hæc intentio vniuersalis potest dici species impressa, sicut in viribus sensitiuis; sed expressa, quia veram rei quiditatem exprimit.

15. *Triplex species.* Ad prædictorum autem euidentiam distinguunt triplicem speciem. Vno modo vocatur *species* forma naturalis rei, quâ res est illud, quod est per essentiam suam; vt humanitas est forma naturalis rei, quâ res est per essentiam suam: vt humanitas est forma & species tua. Et isto modo species Dei dicitur diuinæ essentiæ forma, siue ipsa essentia formaliter accepta: secundùm quem modum dicitur, quòd videndo Deum facie ad faciem, videbis per speciem: & sic loquitur Augustinus 1. *de Trinitate, cap.* 8. *Omnes*, (inquit,) *iustos, in quibus nunc regnat, ex fide viuentibus mediator Dei & hominum homo Christus, producturus est ad speciem.* Hæc est illa species, de qua dicitur 2. *de Trinitate cap.* 27. *Illa* (inquit) *species rapit omnem animam rationalem desiderio sui.* Secundo modo dicitur *species*; similitudo rei naturalis, informans impressiuè partem subiectiuam, non intellectiuam: de hac dicit Augustinus 10. *de Trinitate, cap.* 8. *Imagines in parte quadam sunt animæ, quam habent & bestiæ*, scilicet in sensitiua particulari, & in qualibet alia sensitiua. Tertio modo dicitur *species*, res cognita obiectiuè, vt existens in cognoscente subiecto sub ratione cogniti, dans formam actui intelligendi, non autem impressa. De hac dicit Augustinus 8. *de Trinit. cap.* 5. & similiter de specie primo dicta: *Cùm alicuius species* *, *vel loci, vel hominis, vel cuiuslibet corporis eadem occurrerit oculis nostris, quæ occurrebat animo, cùm eam prius, quàm videremus cogitabamus, non paruo miraculo mouemur.*

* al. facies.

Potest etiam dici super istam positionem, quòd species potest dici quarto modo ipse actus intellectionis: quia magis assimilat potentiam cognitiuam obiecto, quàm species: quia in ratione cognoscentis species solùm se habet in ratione speculi: & species non est necessaria, nec quâ assimilat, quia hoc facit actus, nec quâ obiectum præsentet in ratione cogniti; quia hoc non facit species, sed ècontrario obiectum; vt suprà patuit *.

* num. 10. & 11.

S C H O L I V M.

Diffusissimè, & ad nauseam vsque explicauit, & rationibus corroborauit sententiam Henrici, & Gotfredi, negantium species intelligibiles impressas in intellectu possibili; de qua etiam latè tractauit quæst. 7. in lib. de Anima, & sub finem quæstionis mite protulit iudicium, soluendo rationes, quæ in contrarium possent afferri, & lectori relinquendo optionem, vt eam, si mallet, sequeretur, licèt contrariam iudicauerit veriorem. At in 1. dist. 3. quæst. 6. acerrimè eam impugnat; vbi etiam præcipua & potissima eorum quæ hîc habentur, grauiori trutina examinantur; præsertim de distinctione intellectus agentis à possibili, & de diuersis eorundem functionibus.

ARTICVLVS II.

Mouentur aliqua dubia contra prædictam opinionem, & soluuntur omnes rationes pro eadem adducta.

HÆc est positio cum suo modo, & fundamento. Sunt tamen duo dubia in isto modo ponendi. Primum est circa assignationem, & differentiam intellectus agentis & possibilis. Quod enim dicitur, quòd intellectus agens facit vniuersalitatem abstrahendo à conditionibus particularibus, apertè dicit hæc positio, quòd intellectus agens non intelligat, sed possibilis tantùm. Nunc igitur quæro cùm dicit, quòd intellectus agens illustrat phantasmata, quid intelligit per *illustrare*, nisi cognoscere? Sicut de corpore luminoso dicimus, quòd clarè illustrat, dum clarè suo lumine manifestat. Ita in substantia spirituali nihil aliud videtur *illustrare*, quàm per notitiam, vel per intellectionem clarè & intimè cognoscere. Illustrare enim in substantia spirituali non potest pertinere nisi ad cognitionem; ergo necessariò intellectus agens intelligit: ergo si actio intelligendi requirit intellectum possibilem & agentem, non sunt duæ potentiæ, nec duæ vires, agens & possibilis. 16.

Obiectiones contra istam positionem.

An intellectus agens intelligat.

Item, dicit quòd intellectus agens abstrahit intentionem vniuersalem: quæro quid vocatur *abstractio*? Apertè patet, quòd non est aliud, quàm consideratio rei secundùm vnum modum; absque hoc, quòd consideretur secundùm alium; vt considerare hominem, vt est homo. Sed hoc nihil aliud est, quàm intelligere; ergo intellectus agens intelligit: & per hoc consequens continet totam intellectiuam potentiam.

Item, agens & possibilis se habent ad actum intelligendi, sicut potentia & organum ad actum sentiendi: organum autem non sentit, nec potentia, sed compositum: ergo à simili hîc.

Item, intellectus non semper intelligit quiditatem hominis, & asini actu, quorum species habet in memoria, vel in imaginatiua. Quæro, per quid possit dirigere aciem cogitantis ad vnum, & non ad aliud? quia hoc patet, cùm vna earum non dependeat ab alia. Et certè non potest dari causa nisi ipsa phantasmata antè cognoscat, quàm abstrahat: non ergo per abstractionem distinguendus est agens à possibili.

Item, omnis actio egrediens ab actiuo, vt actiuum, videtur aliquo modo denominare secum principium; vt actio egrediens à calore, est calefacere: ergo actio egrediens ab intellectu, est intelligere: ergo talis actio est intelligere. Non videtur, mihi quòd *agens & possibilis* distinguantur vt duæ potentiæ; cùm vnus sit actus intelligendi, vna ratio formalis obiecti; sed vna & eadem potentia, quæ necessariò differt ab actu intelligendi, dicitur *possibilis & passiua*, non passione obiectiua, sed subiectiua; inquantum est passibilis ad determinationem, & conseruationem actus, receptionem speciei, vel habitus informationem; illa eadem inquantum habet vim per quam iudicat, comparat, & inquirit, considerat, 17.

ſiderat, & ſimilia exercet opera, dicitur *agens*. Et ſi vis in his facere diſtinctionem, potiùs debent dici duæ vires, vel virtutes vnius potentiæ. Non ergo capio poſitionem eſſe veram, quantùm ad diſtinctionem intellectus agentis & poſſibilis; nec quantùm ad operationes, quæ eis attribuuntur.

Alia quæ in hac opinione difficultatem mouent. Probatur recipi ſpecies in intellectu.

Deficit etiam poſitio eo quòd videatur contraria eſſe doctrinæ Sanctorum, Philoſophorum, & rationi; dum negat ſpeciem in parte intellectiua poſſe imprimi. Ponit enim Auguſtin. 11. *de Trinitate cap.9.* quatuor ſpecies per ordinem ſe habentes: quarum duas ponit in intellectu, vnam memoratiuam, aliam formatiuam. Dicit etiam in quadam epiſtola * ad Nebridium; vbi loquitur de ſpecie ſic: *Imago*, (inquit) *mi Nebridi, nihil aliud eſt, quàm plaga inflicta per ſenſus; quibus, non vt tu ſcribis, commemoratio quædam fit vt talia formentur in anima; ſed ipſa huius falſitatis illatio, ſiue, vt expreſſiùs dicatur, impreſſio.*

*epiſt.72.

Ariſtoteles hoc videtur ſentire dicens, 2. *de Anima, text.comm.* 150. quòd *intelligere eſt quoddam pati*; & oportet intellectiuum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum. Item, intellectus locus eſt ſpecierum. Item, ſpecies lapidis non eſt in anima.

Item, Auicenna videtur eſſe huius opinionis 3. *Metaphyſicæ ſuæ*, *cap.*8. dicit enim quòd corpora indigent abſtractione, donec abſtrahatur ſpecies, quæ poſſit intelligi: ſubſtantiæ autem ſeparatæ non indigent, niſi vt intelligantur eſſe vt ſunt, & ſigilletur anima per eas. Ecce dicit *ſigilletur*. Et in eodem dicit; illud quod ſcimus de ſubſtantiis ſeparatis eſt, quia imprimimur.

Item, Commentator 3. *de Anima, com.*14. dicit, quòd intellectus recipit formas vniuerſales, ſicut materia indiuiduales. Item, ſic 12. *Metaph.com.*36. dicit; *Balneum duplex habet eſſe, vnum in intellectu, aliud in materia: & niſi eſſet materia, balneum verum eſſet in anima.* Item, 10. propoſit. de Cauſis dicitur, *Omnis Intelligentia plena eſt formis.* Et propoſ.7. dicitur, quòd omnis intellectus eſt plenitudo ſpecierum.

18. Fortè reſpondebitur ad omnes has authoritates & ſimilitudines, quòd *ſpecies* accipiatur pro ipſa intellectione, ſeu pro ipſo actu intelligendi, qui aſſimilat modo ſupradicto. Et hoc, vt videtur, ſtare non poteſt. Videtur enim Ariſtoteles ponere ſpeciem in anima; quia ipſæ res eſſe ibi non poſſunt. Vnde dicit 3. *de Anima, text.*38. *Neceſſe eſt autem, aut ipſa, aut ſpecies eſſe: ipſa quidem igitur non ſunt, non enim lapis in anima eſt, ſed ſpecies:* ergo ſunt ibi ſpecies lapidis: ſed ſi res eſſent in anima, conſtat, quòd non ſunt ipſæ intellectiones, ſiue actus intelligendi, immò per actum intelligendi illæ res cognoſcerentur: ergo cùm ſecundùm Philoſophum, & etiam ſecundùm quòd hæc poſitio dicit, ſpecies ad hoc ponantur, quia res ineſſe non poſſunt; planum eſt, quòd ſpecies non plus faciunt, ſi ponantur in intellectu, niſi quia ſupplent vicem rei abſentis: ergo ſi præſente re adhuc eſſet neceſſaria intellectio, eodem modo præſente ſpecie adhuc eſt neceſſaria intellectio. Non ergo ſuperfluit ponere ſpeciem in intellectione. Immò poſitio implicat contradictionem: quia dicere, quòd actio intelligendi, ſiue intellectio eſt neceſſaria cum præſentia obiecti; eſt dicere, quòd eſt ſuperflua cum præſentia ſpeciei, concedendo, quòd ſpecies nihil aliud facit, niſi quòd præſentat obiectum, nec propter aliud requiritur; eſt contradictio; cùm idem ſit præſentia obiecti & ſpeciei, vel æquipollent.

Si fortè dicatur, quòd ſpecies lapidis dicitur eſſe in anima, quia eſt in parte ſenſitiua: hoc eſt expreſsè contra Philoſophum, *vbi ſuprà*: Anima enim eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectus. Nec intelligendum quòd Ariſtoteles intelligat, ſpecies tantùm eſſe in potentia intellectiua, & non in ſenſitiua: ſed ideò hoc dicit, quia potentia intellectiua fundatur in eſſentia animæ: potentiæ autem ſenſitiuæ inquantum tales fundantur in organis corporalibus; in quibus ſenſibilium ſpecies recipiuntur; intelligibilium autem in intellectu, & per conſequens in anima, in qua intellectus fundatur. 19.

An phantaſma poſſit ſupplere vicem ſpeciei.

Quòd verò dicitur in poſitione, quòd fruſtrà ponuntur ſpecies, eo quòd ſicut color mediante luce habet vim mouendi oculum; ſic phantaſma mediante intellectu agente, habet vim mouendi intellectum poſſibilem: & ſic res de ſe hæc in phantaſmate præſens eſt, quoniam non oportet dare ſpeciem ad repræſentandum ipſam.

Et ad prædicta omnia videtur nobis fidem facere, quòd in intellectu poſſibili nulla ſit ſpecies, ſed ſolùm actus, ſeu intellectio, ſeu modus intelligendi à phantaſmate factus. Quia quanquam habeamus ſcientiam de aliquo, ſemper tamen oportet phantaſma ſpeculari. Si autem eſſent ſpecies in intellectu poſſibili, abſque conuerſione ad phantaſma poſſemus intelligere, ſaltem illa, quorum ſunt ſpecies.

Ad hoc autem facile eſt reſpondere. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quòd eadem cauſa, vel ſimilis, videtur, quare phantaſma non moueat intellectum poſſibilem, niſi priùs cauſet in eo ſpeciem; & quare ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem. Videamus ergo hanc cauſam primò circa ſenſum; & poſtea ad propoſitum applicemus. Cùm autem commune ſit omni ſenſui, quòd ſenſibile ſupra poſitum non faciat ſenſationem, oportet quòd cauſa huius ſit communis in omnibus recepta; quia hoc eſt de natura propriæ paſſionis. Eſt autem commune ſenſui, quòd ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia. Habet enim ſpecies ſenſibilis *eſſe* tripliciter, ſcilicet, in obiecto extrà, quod eſt *eſſe* materiale. In medio, & hoc *eſſe* eſt quodammodo ſpirituale & immateriale. Habet *eſſe* in organo; & hoc adhuc magis ſpiritualiter & immaterialiter, quàm in medio: & ſic aſcendendo ad vires ſuperiores, ſemper habet *eſſe* magis ſpirituale. Nunc autem quia agens, & patiens ſemper oportet eſſe proportionatum; ſpecies, quæ eſt in ſenſu, nullo modo à reipſa cauſari poteſt, cùm ſit ſpiritualis & ſpiritualiter recepta; ſed cauſatur ab illa, quæ eſt in aëre, quæ quodam modo ſpiritualis eſt: quæ non potuit cauſari à forma omnino materiali ipſius obiecti, propter maiorem conuenientiam, quam habet cum ea, quæ eſt in ſenſu, quàm cum illa habeat ſpecies obiecti extrà. Cùm ergo ſenſus non poſſit immutari niſi à ſpecie, iſta eſt cauſa, quare ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non faceret ſenſationem; quia illam ſpeciem non poteſt generare, niſi mediante illa, quæ eſt in medio. Vnde dico, quòd ſi immutaretur ſenſus à ſenſibili ſupra ſe poſito, non eſſet immutatio, ſed corruptio. Sicut ergo non venitur ab extremo ad extremum niſi per medium, 4. *Phyſicor. text.*76. ideò nec ſpecies in ſenſu generatur, niſi mediante illa, quæ eſt in aëre; quæ medium tenet inter ſpeciem omninò corporalem & ſpiritualem. 20.

Quare ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem.

Triplex eſſe ſpeciei ſenſibilis.

Ex

21. *Species intelligibilis mediat inter intellectum & phantasma.* Ex his patet qualiter phantasma habet *esse* quoddam materiale respectu eorum, quæ sunt in sensu, seu rerum sensibilium. Ergo sicut dictum est in sensu, sic in intellectu non potest deueniri ab extremo, scilicet, à phantasmate in extremum, scilicet in intellectum, seu in actum intelligendi; qui est purè spiritualis; nisi per medium inter spirituale & corporale; huiusmodi autem medium est species intelligibilis; quæ non habet adeò *esse* materiale sicut phantasma, nec adeò spirituale sicut intellectus.

Obiectio. Sed fortè instabis contra dicta; quia si non itur de extremo in extremum, nisi per medium; ergo oportet dare vnam virtutem mediam inter phantasma & intellectum, in qua recipiatur illa species media, à qua causatur actus intelligendi.

Responsio. Respondeo, inter affirmationem & negationem nullum est medium; ergo inter virtutem organicam & non organicam non oportet, nec potest dari media, quæ nec sit organica; nec non organica. Species igitur quamdiu est in virtute organica, habet *esse* materiale respectu intellectus, & non perfectum. Si igitur debet fieri transitus ab extremo in extremum, vt à phantasia ad actum intelligendi, necesse est, quòd species media recipiatur in virtute non organica, qualis est in nobis solus intellectus possibilis, qui est virtus cognitiua; & in hoc differt à voluntate: & virtus receptiua, & in hoc, vt dixi, differt ab intellectu agente: & virtus non organica, & in hoc differt à sensu. Hæc autem species intelligibilis, per quam, vt dictum est, fit huiusmodi transitus, non est in alio subiectiuè, vel informatiuè, quàm ipse actus intelligendi: sed ideò habet rationem medij respectu actus intelligendi, quia in genere intelligibilium non habet sic *esse* perfectum, sicut actus intelligendi.

22. *Quare intellectus indiget phantasmate.* Quod etiam in prædicta ratione tangebatur; quare scilicet intellectus noster indiget phantasmate ad intelligendum illa, quorum iam species primò accepit? videtur enim quòd non indigeat phantasmate, si tales species habet; vel si indiget, tales species non habet. Ad hoc *Vna ratio.* potest facilè responderi; quia multiplex est causa, quare oportet intellectum conuerti ad phantasma. Et potest dici, quòd vna causa est, quòd intellectus coniunctus corpori, maximè corruptibili (quia fortè in statu innocentiæ esset aliud) non potest reflexione integra, & simplici, & aperta super se se reflectere; & per consequens super species, quæ sunt in eo, nisi quodammodò reptando per sensus, & per imaginationem. Et quia per huiusmodi conuersionem datur actualitas speciebus, quæ sunt in intellectu, sine qua actualitate intellectum non possent mouere ad actionem intelligendi, ideò oportet quòd anima conuertat se supra phantasmata, vt per talem conuersionem species intelligibiles accipiant actualitatem, qua mediante moueant intellectum ad intelligendum. Inde est, quòd quanquam anima habeat species, necesse tamen est phantasmata speculari. Et hanc causam tangit Sapiens in libro Sapientiæ, cùm dicit: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animum.* *Sap. 9.*

SCHOLIVM.

Rationem hanc, & alias, quare intellectum, vt intelligit, speculari oporteat phantasmata, habet in 1. dist. 3. quæst. 6. §. De secundo membro. *&* §. Quod addi-

tur de Philosopho: *& in 4. dist. 45. quæst. 1.* §. Ad tertium dico. *Vbi ait phantasma tribuere talem perfectionem intellectioni, quòd intellectio animæ separatæ esset minùs perfecta, quàm coniunctæ, nisi esset aliquod reformans, quod sufficeret pro æquali perfectione restauranda.*

Est autem alia ratio huic similis. Species in intellectu reposita non est in tanta actualitate, dum non est coniuncta actui; sicut dum actu mouet in intellectu: si ergo per speciem vult intelligere aliquid, quod priùs non intelligebat, non poterit per illam speciem, nisi fiat in maiori actualitate, quâ possit etiam mouere intellectum: quam maiorem actualitatem recipit species, vt phantasmati comparatur. Cuius ratio est, quia à phantasmate recipit *esse*, & generationem. Certum est autem quòd ab eo, à quo recipit res *esse*, & generationem, ab eodem recipit etiam perfectionem. Clarum autem est, quòd sicut quælibet res, ita & maximè species, vt est coniuncta suo principio, scilicet, phantasmati illustrato lumine intellectus agentis, fortius & perfectius *esse* habet ad mouendum intellectum ad actum suum. 23. *Altera ratio.*

Nec oportet, quòd cùm phantasma esse in phantasia desinit, quòd propter hoc species desinat esse in intellectu possibili; cùm sit locus specierum, & per consequens conseruator earum. Nec tamen oportet, quòd remaneat in illa actualitate, in qua erat, dum actu actuabat intellectum. Et inde est, quòd non potest ex se generare actum intelligendi, nisi iterum fiat phantasma in phantasma; & ipsa species per huiusmodi phantasma fiat iam in *esse* perfecto. Sed si anima haberet *esse* separatum, vt posset se liberè per lumen intellectus agentis conuertere supra speciem absque phantasmate, posset species illius in virtute illius vnionis generare actum intelligendi; nec anima separata indigeret, quòd ad phantasma conuerteretur. Prædicta tamen intelligenda sunt de his, quæ generant species in phantasmate, seu in imaginatiua: cùm tenere liceat, quòd habitus infusi, seu ipsa anima, & similia per phantasma non intelligantur. Quamuis aliqui dicant, quòd quamuis non generant speciem in phantasmate de se, seu in imaginatione; tamen quia non cognoscuntur intuitiuè, sed per suos actus, qui habent speciem in phantasmate; ideò adhuc talia non cognoscuntur sine conuersione ad phantasmata. Sed hoc non est ad propositum, ideò omittatur. *Vide Scotum in 1 d. 3. q. 6. & n. 17. & in 4. d. 10. q. 3. ad 3.*

Quando dicit positio, quòd sicut *singulare addit aliquam determinationem supra vniuersale*, &c. Satis patet responsio in præcedenti quæstione. Posset enim dici, quòd sicut eadem res est homo, & hic homo; nec ratio huius hominis impedit rationem hominis: sic nec species huius hominis, seu determinatio facta per talem speciem, in nullo impedit receptionem speciei hominis: immò inducit. Dicunt etiam aliqui, quòd virtus intellectiua non debet cogitari aliquid indiuisibile in recipiendo; sed habet quandam latitudinem virtualem; vt sicut in diuersis partibus esse possent, & recipi diuersæ impressiones; sic in intellectu possibili possent esse diuersæ impressiones. Vel potest dici, quòd sicut species albi & nigri possunt simul esse in eadem parte aëris propter spiritualitatem: sic & multò fortiùs duæ species contrariorum sensibilium particu- 24.

particularium & vniuersalium simul sunt in eadem parte intellectiua; non dico in animæ intellectione.

Refelluntur rationes adducta pro opinione supradicta. Duæ rationes primæ huius positionis facillimè soluuntur. Quod enim dicitur, quòd eadem est ratio intelligentis & intelligibilis; quæ scilicet est separatio à materia: ergo cùm intellectus de se absque abstractione habeat rationem intelligibilis, absque additione habebit rationem intelligentis.

Respondetur ad primam & secundam. Respondeo: potest dici, quòd ratio modicam habet apparentiam: non enim eodem est actu sensibile, aut quidquid actu sentitur, actu sentit, aut est sentiens; ergo à simili, nec hîc sequitur. Deficit etiam ratio, quia quamuis diceretur, quòd intellectus de se habet, quòd possit intelligere absque addito; & sic non indigeret specie ex parte sui, adhuc tamen indigeret ratione obiecti: quod non est præsens in ratione cogniti, nisi per speciem. Quod dicunt, quòd fortiori ratione intellectus diuinus intelligeret per informationem; patet quòd deficit. Intellectus enim Dei non indiget specie vt actuetur; nec etiam vt obiectum sibi præsens fiat, cùm sit actus purus, & sua essentia sit sibi ratio intelligendi se, & omnia. Quæ duo deficiunt in quocumque intellectu creato; cùm de ratione intellectus creati sit intelligere per informationem non solùm alia, sed & seipsum; quod non est inconueniens. Immò videtur sententia Sanctorum; ait enim Anselmus in Monologio cap. 31. *Nulla ratione negari potest, cùm mens rationalis se ipsam cogitando intelligit imaginem ipsius nasci in sua cogitatione, immò ipsam cogitationem sui esse imaginem.* Posset etiam dici, quòd non est simile; nam intellectus sibi primò ipsi præsens est per suam substantiam; alia autem non. Quare in illis indiget specie, ad cognitionem autem sui non indiget.

25. *Ad tertiam.* Restat igitur soluere alias rationes, quas faciunt ex parte obiecti, ex parte speciei, ex parte actus. Quod primò dicitur, quòd species vnitur intellectui, vt forma materiæ; obiectum autem non, sed sicut cognitum cognoscenti, &c. Respondeo: Primò dico quòd hæc ratio destruit propositum arguentis: si enim species, quia facit vnum cum intellectu, non supplet vicem obiecti, quantùm ad præsentiam; ergo nec actus intelligendi, cùm sit intrà manens in intellectu; vt in subiecto existens, non supplet præsentiam obiecti; cùm alia sit vnitas actus & intellectus ab vnitate obiecti, & intellectus.

Secundò dico, quòd deficit, quia videmus, quòd ad hoc quòd sensibile sit præsens sensui in ratione cogniti, non ponitur supra organum; immò sic non faceret sensationem; sed species tantùm eius est in organo, & facit sensibile esse cognitum. A simili dico hîc; vnde non videtur valere; alia est ista vnitas speciei & intellectus ab vnitate obiecti & intellectus: ergo ista non supplet, vel non facit eam, sicut patet in sensu.

Tertiò, dico quòd deficit ratio propter illos, qui dicunt, quòd species non est necessaria intellectui ex parte intellectus, sed solùm ex parte obiecti. Quia secundùm istos, quod facit species, hoc faceret obiectum, si præsens esset; & ècontrario, quod faceret obiectum, hoc faceret species. Vnde præcisè de specie, vt est necessaria solùm ex parte obiecti, non plus requiritur, nisi quòd sit præsens intellectui. Vnde quòd ei inhæreat, sicut forma materiæ, hoc est per accidens: quia scilicet, est verum accidens, & ideò oportet, quòd sit in subiecto; sicut in tertio articulo declarabitur. Non ergo sunt diuersæ vnitates inquantum species requiritur ad supplendum vicem obiecti.

Quod secundò dicitur, quòd obiectum intelligibile non est cognitum ab intellectu, nisi sub ratione vniuersalis speciei: sed species impressa est necessariò particularis, &c. Dico primò, quòd ratio destruit propositum principale; quia actus intelligendi est res quædam singularis: ergo nunquam assimilabit obiectum in ratione vniuersalis, cuius contrarium dicit prædicta positio. 26. *Ad quartam.*

Secundò dico, quòd secundùm prædicta in præhabita quæstione supponitur primum; quia ostensum est, quòd intellectus primò apprehendit singulare, quàm vniuersale, & directè.

Tertiò dico, quòd quamuis species, quæ est in intellectu, in se, & in comparatione ad obiectum, sit res quædam particularis; in repræsentando tamen est vniuersalis, & respectu obiecti; quam vniuersalitatem non habet ex re vnde oritur; sed ab intellectu considerato actiuè, considerando hominem inquantum homo, non solùm vt hic homo, cùm sit virtus non organizata. Et similiter considerat speciem inquantum species hominis, non vt huius hominis. Et est simile: quia quamuis intellectus meus sit particularis, intelligit tamen quiditatem vniuersalem. Nec dico, quòd sit eadem species in intellectu *hominis*, & *huius hominis*; quamuis in re extrà, eadem res sit *homo*, & *hic homo*; & tamen consideratio *hominis*, & *huius hominis* præcisè, est alia, & alia: & quia consideratio fit per speciem, oportet aliam & aliam esse speciem *hominis*, & *huius hominis*.

Quod dicitur tertiò, quòd species non facit obiectum esse præsens, sed èconttario: primò dico, quòd argumentum destruit seipsum: quia actus non fit nisi obiectum sit præsens in ratione cogniti: & ordine naturæ videtur præcedere; sicut passiuum, vel actiuum rationem actus: ergo si non requiritur species, vt obiectum fiat præsens, nec actus. *Ad quintam.*

Est ergo sciendum, quòd facere rem esse præsentem, conuenit dupliciter; vel in genere entis, & sic res magis facit præsentem speciei, quàm èconttrario, quia causat eam; vel in genere repræsentationis, & isto modo est èconttrario: quia cùm species sit spiritualior & formalior, magis habet rationem repræsentantis. 27. *Duplex præsentia rei.*

Vlteriùs, sciendum, quòd duplex est præsentia obiecti: vna actualis existentiæ in re extrà, sub determinata distantia, & hanc requirit omnis sensus: nec ad positionem talis speciei in sensu requiritur præsentia huiusmodi extrà: sicut patet, si Deus supernaturalem imprimeret speciem in oculo. Alia est præsentia sub ratione cogniti, vel speculati: & hæc præsentia compatitur absentiam prædictæ præsentiæ, vt patet in actu imaginatiuæ, & maximè intellectus, qui non requirit præsentiam rei. Et dico, quòd species in imaginatiua & intellectu, vel facit talem præsentiam, vel nunquam potest esse sine tali præsentia. Vnde si Deus imprimeret in imaginatiua, vel intellectu, speciem alicuius rei, necessariò res esset præsens in ratione cogniti: & ita ex parte intellectus ratio nihil concludit. *Duplex præsentia obiecti.*

Quod quartò arguunt; quòd sicut natura nihil facit frustrà, sic nec deficit in necessariis; ergo dedit 28. *Ad sextam.*

dedit intellectui omnes species, per quas potest intelligere: potest autem infinita cognoscere: ergo actu habet species infinitas.

Dico, quoad primam partem, quòd natura etiam minùs deficit in necessariis circa animam, quàm circa alia inferiora: ergo dedit species. Quoad aliam partem dico: *necessarium* quoad actum est multiplex, scilicet, ex parte actualitatis potentiæ, à qua elicitur actus: caliditas ignis generat caliditatem, quamuis per caliditatem:& tale *necessarium* est de perfectione rei essentiali,& in tali natura non deficit: dedit enim intellectui, seu animæ rationali, quo est omnia facere, & quo est omnia fieri, scilicet, intellectum agentem & possibilem. Etiam alio modo est aliquid *necessarium* ad eliciendum actum, vt medium, vel organa, seu instrumentum, & tale est duplex. Quoddam vnitum, ac per hoc de integritate naturæ rei: sicut pedes, & alia organa hominis, respectu actionum debitarum: & natura in istis non deficit, cùm sint de complemento rei: est enim homo animal bipes naturâ. Aliud est *necessarium*, sine quo non, extrinsecum, vt martellus ad fabricandum: & tale non est de integritate rei, sed requirit ordo naturæ, vt tale agens sit in re, non tamen vnitum, nec actu applicatum; sed applicabile. Tale agens est species intelligibilis; vt videbitur in 3. articulo: & ideò non oportet quòd natura huiusmodi *necessarium* dederit: sic enim oporteret quòd sensus haberet actu species omnium sensibilium. Nec sequitur vlteriùs, quòd sint simul infinitæ; quia per successionem acquiruntur: nunquam autem per successionem attingitur infinitum.

Necessarium quoad actum est multiplex.

29. *Ad septimã.*

Quod quintò obiicitur; quòd si sint ibi species impressæ, semper informent intellectum; cùm ergo aliquando non intelligat lapidem, cuius tamen habet speciem, quæris per quid intellectus educatur de potentia ad actum? Constat quòd non ex natura rei, quia non requiritur ad actum intelligendi; nec ab ipsa specie, quia cùm semper informet, semper ad actum duceret: ergo ponendo speciem, non habemus quomodo intellectus reducatur ad actum.

Respondeo: dico quòd hæc ratio incurrit idem inconueniens, si attendatur vis positionis: quia, vt dicit, intellectus agens abstrahit intentionem vniuersalem à phantasmate, quæ intentio non est alibi, quàm in phantasmate subiectiuè, quia est idem re cum phantasmate; & in intellectu, vt mouens in moto, & cognitum in cognoscente.

Inter varia phantasmata cur intellectus magis abstrahit ab vno quàm ab alio? Vide Scotũ in 4. d.45.q. 2. §. *Ad primum, difficultas.*

Quæro, cùm varia phantasmata sint simul in imaginatione, quare plus abstrahit ab illo? Et non poterit dari causa. Hęc ergo ratio non concludit. Si solutionem huius difficultatis quæris; dico, quòd talis determinationis non est causa intellectus agens, qui indifferenter irradiat; nec possibilis, cùm indifferenter recipiat; nec ipsa phantasmata, quæ æqualiter sunt in imaginatione; nec ipsa imaginatio, quia indifferens est sicut intellectus; nec consuetudo, quia quandoque cogitamus de inconsuetis, dimissis etiam consuetis; nec voluntas, quia præsupponit cognitionem.

30. Dico ergo, quòd non est in potestate animæ, quòd aliquando de isto, aliquando de illo consideret, dicente Augustino 3. de Libero arbitrio, circa finem. *Sed quia (inquit) voluntatem non alliciat ad faciendum quodlibet, nisi aliquid visum: quid autem quisque vel sumat, vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur nulla potestas est.* Prouenit autem talis determinatio ex diuersis causis: quandoque enim prouenit à causa prima, id est, à Deo, magis radiante super vnum phantasma, quàm super aliud, quæ simul sunt: vt dum homo incipit cogitare de vno peccato sine aliis: hoc dico ex tali irradiatione; non dico quin possit esse ex aliqua causa. Aliquando fit ex aliqua causa inferiori, vtpote, ex apprehensione sensibilis excitantur vires ad cogitandum de simili, vel de contrario, vel de antecedente, vel consequente. Aliquando prouenit ex consuetudine, quia mens quodam pondere inclinatur ad consuetum. Aliquando ex indigentia, vt famis, vel sitis, &c. Aliquando ex minima spe. Aliquando ex minima voluntate, vel amore: ista enim, vt dicit Philosophus in *libro de problematibus* * faciunt visiones somniorum magis de vno, quàm de alio. Certè eodem modo faciunt in vigilando, magis animam ad hoc, quàm ad illud conuerti: & plus etiam, quàm in somniis. * sect.30. Probl.vlt.

Ad octauam.

Quod verò tertiò dicitur, quòd diuina essentia, quia est creatiua omnium rerum, est ratio quodam modo passiuo intelligendi se, & alia; substantia autem animæ hoc non potest esse; cùm non sit creatiua aliorum; ergo similiter & species. Primò dico, quòd ratio concludit oppositum; si enim species non potest esse ratio cognoscendi; quia non causat ea: ergo nec actus, nec phantasma, nec species expressa, siue intentio; cùm non causent cognita obiecta, cognitionis ratio possunt esse: cuius oppositum dicit positio.

31. *Species quomodo est ratio cognoscẽdi.* *Duplex causa cognoscendi aliquid.*

Argumentum ergo concludit oppositum, & petit sibi quoddam dubium solui, scilicet, quomodo species sit ratio cognoscendi illorum, quorum non est causa? Dico igitur, quòd dupliciter potest aliquid esse causa cognoscendi aliud. Vno modo, quia est rei cognitæ causa; & hoc modo essentia diuina est ratio intellectui diuino intelligendi omnia. Alio modo è contrario, sicut dicimus, quòd causa cognoscitur per effectum. Primus modus est proprius modus cognoscendi Dei. Secundus, est proprius modus cognoscendi creatura, quia cognoscunt per species; non quia sunt causæ rerum, sed quia causatæ à rebus: & ita secundo modo cognitionis ordinantur.

Ad nonam.

Septimò arguitur; quòd si à specie illa procederet *intelligere*; tunc se haberet illa species ad intellectum, sicut lux ad luminosum; & tunc sicut corpus luminosum de necessitate, & naturaliter lucet semper, licèt non illuminet; sic intellectus semper intelligeret; quod non esset verum, cùm sit actus voluntarius.

Respondeo; dupliciter deficit ratio. Primò, quia species non est forma naturalis intellectus, sicut lux Solis. Secundò, quia, vt statim patebit, secundùm aliquos solùm requiritur hæc species ex parte obiecti, vt scilicet ipsum repræsentet, non autem vt potentiam intellectiuam actuet: quare nullam violentiam potest inducere. Quia secundùm Aristotelem 9. *Metaphysica, text.com.* 3. potentia naturalis determinata est ad vnum tantùm; sed rationalis valet ad opposita: igitur voluntas libera facta actu, per finem repræsentatum, mouet se liberè ad omnia, quæ sunt ad finem. Vnde cùm intellectus non se conuertat ad actum, nisi cùm voluntas vult, patet quòd species, quæ sunt in intellectu, subsunt

voluntati in modo ad intelligendum.

32. *Ad decimã.* Quod octauò dicitur; quòd actus intelligendi non esset de genere intelligibilium, sed solùm de genere entium: quia non patitur ab ea intellectus, nisi inquantum recipit eam sicut accidens; & hic modus patiendi reperitur in rebus naturalibus: ergo talis passio non est de genere intelligibilium, sed de genere entium.

Respondeo, quòd hæc ratio destruit propositum argumentantis: primò, quia sequitur, quòd cùm species in sensu, seu organo, sit sicut accidens in subiecto, actus, quem facit, non erit actus sentiendi, sed erit solùm ens.

Item, actus intelligendi etsi sit in intellectu, sicut accidens in subiecto, non erit de genere intelligibilium, sed tantummodò entium: & sic sibi contradicet.

Ad formam autem argumenti facilè est respondere, quia illa species dupliciter potest sumi. Vel in ratione repræsentatiua obiecti, propter quod, secundùm aliquos, est in notitia speciei. Vnde quòd inhæreat, hoc accidit ei, quia aliter non posset repræsentare. Loquendo secundùm hanc acceptionem est de genere intelligibilium. Vel potest considerari in ratione informatiua; & quia hoc habet commune cum aliis naturalibus, scilicet inhærere passo, ideò secundùm hoc potest dici de genere entium. Sed quia hoc accidit, principalius dicitur intelligibilius, quàm ens, licèt vtrumque sit.

Ad vndecimam. Ad nonum arguitur, quòd si intellectus intelligit per speciem intrinsecùs, sicut lucere est à luce: ergo sicut lucere non dicit motum ad extra, nec motum ab extra ad intra; sic nec *intelligere* est motus ad animam, cuius contrarium dicit Commentator *de Animâ, text. com.* 18. ergo. Huius rationis solutio patet ex solutione octauæ rationis. *Intelligere* enim, vt est actus entium, causatus à specie, vt impressa, & inhærens est, est motus ab obiecto ad animam: aut est de genere entium intelligibilium, hoc est, vt causatur à specie, vt repræsentatiua est obiecti; est motus ab anima extra, scilicet, ad obiectum. Sic igitur patet, quòd illa, quibus innituntur contrarium opinantes, omnino non concludunt. Et sic patet primus articulus quęstionis, & secundus.

ARTICVLVS III.

Variis adhuc rationibus probatur dari in intellectu species impressas.

33. Circa tertium, & vltimum, quòd, scilicet, species impressa, & informatiua requiritur ad actum intelligendi, puto quòd satis patet ex authoritatibus Sanctorum, & Philosophorum, & quibusdam rationibus iam tactis*. Potest nihilominùs iterum suaderi. Et primò aduertendum, quòd ponentes esse necessariam speciem impressam in intellectu possibili, non ponunt hoc ex similibus causis. Quidam enim dicunt, quòd non solùm requiritur species ad repræsentandum obiectum, sed etiam ad actuandum intellectum, sine qua actualitate, quam dat sibi huiusmodi species; non posset prodire in actum intelligendi. Et secundùm hanc positionem, quantumcunque obiectum sit præsens intellectui, vtpote quando intelligit seipsum, vel suos habitus, semper oportet, quòd priùs specie informetur.

* suprà n.17. & seqq.

Variæ assignantur rationes.

Alij dicunt, quòd solùm requiritur ad repræsentandum obiectum, quod de se præsens non potest esse. Quòd inhæreat, vel sit informatiua, non accidit sibi per hoc, quòd est obiecti repræsentatiua; cùm ipsum obiectum, si per se præsens esset, vel si species esse posset præsens, absque hoc quòd in intellectu imprimeretur, æquè benè, immò meliùs daret actum intelligendi; sed hoc accidit sibi, quia est accidens, quod est impossibile existere per se secundùm naturam. Et secundùm hanc positionem habitus animæ, & ipsa, & quæcunque obiecta, quæ per se sunt præsentia absque impressa specie, cognoscerentur.

Et hoc patet; quia sicut ignis de se dat sufficientem actualitatem ad agendum, & graue, & leue ad mouendum; sic intellectus ex vi sua actiua, & natura ad intelligendum: sed sicut ignis requirit præsentiam combustibilis, quod secundùm substantiam potest esse ei præsens, & graue, & leue medium, ad hoc quòd moueant; sic intellectus præsentiam obiecti in ratione cogniti: & quia non potest esse præsens secundùm suam substantiam, requirit speciem, per quam sibi repræsentetur: non ex aliquo alio.

Addit etiam ista positio, quòd actus intelligendi non attribuitur speciei, quia ipsa agat: sicut nec calor calefacit, sed est ratio calefaciendi; nec etiam attribuitur ei, sicut calefactio calori. Inter causas enim agentes, talis est distinctio, quòd vna agit aliquid principaliter; alia autem solùm virtute alterius. Hanc etiam distinctionem possumus assignare inter rationes agentium, siue inter illa, quæ sunt rationes agendi: quòd scilicet vnum sit ratio agendi per se, aliud solùm in virtute alterius. 34. *Quomodo species mouet intellectum.*

Dupliciter ergo in talibus potest esse defectus, vt scilicet non agant, sed solùm sint ratio agendi, non per se, sed per virtutem alterius; vterque autem defectus est in specie intelligibili. Primus, quia non agit; nulli enim rei conuenit agere, cui non conuenit per se existere: sed hoc nulli accidenti conuenit. Si enim est huius speciei existere per se, multò meliùs causaret actum intelligendi; quod non facit. Secundò, deficit etiam huiusmodi species in ratione agentis, quia non solùm non agit, immò nec est ratio agendi per se, sed solùm in virtute alterius, scilicet obiecti, cuius est repræsentatiua. Vnde si obiectum præsens esset in natura sua, perfectiùs se repræsentaret; & perfectiùs actum intelligendi causaret: quomodo facit species causando actum intelligendi; vt est solùm comparata ad obiectum, & non vt inhæret intellectui, nisi per accidens: non enim causat, nisi vt est eius repræsentatiua.

Ex hoc soluitur difficultas, quomodo species agat in intellectum, cùm sit accidens, & nullum accidens agat in suum subiectum? non enim mouet intellectum, vt est accidens ei inhærens, sed vt habet in se vicem obiecti, inquantum ipsum repræsentat; & per consequens quasi vt substantia mouet, non vt accidens inhærens. Iste est modus ponendi speciem in intellectu secundùm aliquos.

Vide Scot. in 1. d. 3 q. 7. §. *Respondeo ad primam.*

Vtrùm autem intellectus se, & suos habitus intelligat per speciem, ad præsens non intendo discutere; quia fortè adhuc disputabitur: sed solùm sufficit ad propositum, quòd siue species requiratur propter obiecti repræsentationem tantùm, 35.

tantùm, vel propter obiecti repræsentationem, & propter intellectus perfectionem; propositum habemus, quòd scilicet intellectus intelligit per speciem inhærentem: quod potest sic persuaderi:

Vlterius probatur intellectum intelligere per speciem.

In genere passiuorum est ordo secundùm receptionem perfectionum, quòd semper passiuum per illud, quod est magis fixum & permanens, accipit fluxibilia & transmutabilia. Hinc est, quòd materia per formam corporis, vel substantiæ, recipit formas generabiles, & transmutabiles; & per actum formæ substantialis, qui est de se fixus & permanens, recipit accidens: subiecta enim materia cum forma causa est omnium accidentium. Et idem ordo etiam seruatur in accidentibus inter se; aër enim mediante diaphanitate recipit lumen. Nunc autem ita est, quòd actus intellectus est transiens accidens, seu transmutabile; intellectus autem substantia permanens: ergo sicut aër mediante diaphanitate, quæ est accidens permanens, recipit lumen, quod est accidens transiens: sic etiam intellectus recipiet intellectionem per accidens permanens, quales sunt habitus scientiales: item veritates conclusionum, & ipsæ species respectu actus intelligendi quiditates simplicium.

36. Item, sicut materia recipit formas indiuiduales, sic intellectus formas vniuersales, secundùm quod dicit Commentator *. Si vocas formas vniuersales ipsas species, habeo propositum; si vocas vniuersales, vniuersalia obiecta cognita: ergo sicut materia per dispositiones ei inhærentes recipit formas particulares, sic intellectus obiecta per species impressas.

* 3. de Anima, com. 14.

Item, sicut *velle* est motus ab anima ad rem animatam; sic *intelligere* est motus à re ad animam; sed voluntas verè attingit per actum volendi rem, quam amat: ergo res cognita verè attingit intellectum, quem excitat.

Item, phantasma mouet aliquo modo intellectum: sed impossibile est quòd mouens actu, moueat aliquid, nisi aliquo modo tangat, vel tactu substantiali, vel per influxum, vel per speciem: sed impossibile est, quòd phantasma tangat intellectum, nisi per speciem aliquam ex se genitam: ergo, &c.

Item, secundùm positionem istam phantasma excitat intellectum, quia se habet ad eum, sicut sensibilia ad sensum: sed sensibile positum supra sensum non facit sensationem; quare nec intelligibile: ergo oportet, quòd ponatur eius species.

Item, intellectus non cognoscit veritatem complexam, nisi per habitus impressos: ergo nec veritatem incomplexam, nisi per aliquod impressum, quod non potest esse nisi species.

37. Ex hoc apparet, quòd species intelligibilis requiritur in intellectu propter duo. Vnum est, si res intellecta sit corporalis, quia species sensus, nec imaginatiuæ, cùm ambæ sint corporales, propter suam materialitatem, & improportionem non possent mouere intellectum; & ideò est necesse; vt fiat ab ea abstractio, seu (vt meliùs dicam) multiplicatio speciei intelligibilis virtute luminis intellectus agentis: & tali specie rei corporalis sic abstractâ, seu multiplicatâ â specie, quæ est in imaginatiua, indiget intellectus coniunctus ad intelligendum. Secundò, requiritur species propter obiecti absentiam: & tali specie indiget intellectus coniunctus, tam respectu materialium, quàm immaterialium: tali etiam specie indiget intellectus separatus ad cognoscendum materialia, & immaterialia; saltem alia à se, & ad cognoscendum alia, quæ non sunt in eo. Vtrùm autem ad cognoscendum se, vel suos habitus, fortè disputabitur.

Species hæc requiritur propter duo.

Dico ergo quòd intellectus per speciem informantem, intelligit tam vniuersalia, quàm particularia, & alia specie particularia, & alia vniuersalia: vt ostensum fuit in præcedenti quæstione. Quam quidem speciem tam respectu vniuersalis, quàm respectu singularis intellectus colligit, quando ex ipsa sensatione, & per illam intelligit rem extra particularitatem esse actu re extra: desinente autem actu sentiendi in sensu particulari, benè remanet species in intellectu ipsius sensationis corporalis: sed non facit certitudinem intellectui de actualitate existentiæ rei extra; sed benè scit intellectus apprehendisse actualitatem. Vtrùm autem sit, non potest aliter scire, nisi per sensationem existentem actu.

Quid intelligit intellectus per speciem.

Colligit etiam speciem intelligibilem ab ipsa specie rei singularis, vt est in sensu ad cognoscendum: sed per illam speciem non cognoscit rem actu esse in sensu præsentem, sed solùm singulare absolutè: sicut imago Petri, non ducit me nisi in cognitionem Petri; similiter nec hæc dictio, *Cæsar*, significat Cæsarem actu esse; sed Cæsarem absolutè. Sic nec species, quæ est in sensu particulari, nec illa, quæ est imaginatione, vel intellectu, certificat inquantum species de actualitate existentis rei: sicut est ostensum in præcedenti quæstione. 38.

Colligit etiam tertiò intellectus speciem, ad cognoscendum singulare ab ipsa imaginatione; & hoc dum sensus actu non est, vel dum intellectus sensationem non aduertit, vt sic ex tribus radicibus intellectus colligat speciem ad cognoscendum singulare. Vno modo ab ipsa sensatione; si sensatio, seu actus sentiendi actu existat: & per illam speciem cognoscit intellectus esse singulare actu existere. Secundò, à specie vt informat sensum: & per illam nunquam cognoscit singulare esse actu, sed solùm sicut imago ducit in cognitionem rei absolutè: sic etiam ista species ducit in cognitionem singularis simpliciter, vt singulare est. Verum quia aliquando intellectus non se conuertit ad sensationes, nec species remanent in sensu, ideò à memoria sensitiuæ, vel ab ipsa imaginatione etiam colligit intellectus speciem, si sensus actu non fuerit ad cognoscendum singulare.

Ab omnibus istis speciebus puta sensationis; à specie rei sensibilis vt est in sensu, & vt est in imaginatione, colligit speciem rei vniuersalis intellectus communis, cognita ipsa sensatione immediatè: cùm sit virtus reflexiua, & collectatiua, cognoscit quiditatem sensationis vniuersalis, videlicet, cognita re particulari per speciem, quam colligit ex sensu, vel imaginatione, immediatè considerat illam rem sub ratione vniuersalis: vt intelligendo hunc colorem, considerat colorem absolutè per speciem coloris in eo factam: sic enim potest virtute intellectus multiplicari, species intelligibilis in intellectu à specie, quæ est in sensu, sicut à specie, quæ est in imaginatiua. 39.

QVÆ

QVÆSTIO XV.

Vtrùm intellectus cognoſcat ſe, & habitus ſuos per eſſentiam, vel per actus, vel per ſpeciem; & hoc eſt quærere: *Vtrùm eſſentia animæ, & ſuorum habituum ſit ei ratio cognoſcendi, ſicut actus; vel requiratur ſpecies aliqua genita cognoſcentis ſui intellectus; quæ ſit ratio, & medium cognoſcendi eam.*

August. 5. *Trinit. cap. 7. & lib. 10. cap. 10. & lib. 14. cap. 4.* D. Thom. 1. *part. quæſt. 89. art. 2.* Caiet. *ibid.* Linconien. *in libros de Anima, quæſt. 28.* Henric. *Quodlib. 5. quæſt. 15. & 26. & Quodlib. 8. quæſt. 13. & Quodlib. 15. quæſt. 9.* Valentia 1. *par. diſp. 6. quæſt. 7. puncto 2.* Suarez *lib. 4. de Anima, cap. 5.* Auerſa *tom. 2. Philoſ. quæſt. 49. ſect. 4.* Vide Doct. *in 2. diſt. 3. quæſt. 8. §. ad argumenta principalia, & Quodlib. 14.*

1. *Res tripliciter cognoſcitur.* AD huius quæſtionis euidentiam, eſt ſciendum, quòd (ſicut dicitur communiter, & benè) contingit rem quamlibet tripliciter cognoſcere; ſcilicet, arguitiuè, intuitiuè, & ſpeculatiuè. *Arguitiuè*, ſicut cognoſcendo ignem eſſe, videndo fumum: arguit enim intellectus, quòd ſi effectus eſt, cauſa eſt. *Intuitiuè*, ſicut dum rem viſibilem directo aſpicio actu. *Speculatiuè*, ſicut dum intelligo quiditatem vniuerſalem rei per ſpeciem eius, quam habet apud ſe; non vt hæc eſt, vel illa, vel vt eſt in illo, vel in iſto; ſed ſimpliciter naturam rei ſpeculando: vt dum cogito quòd ſit roſa, non cogito quando eſt, vel vbi eſt.

Cognoſcimus animam noſtram arguitiuè. Loquendo igitur de cognitione modo arguitiuo, verè cognoſcimus animam eſſe, vel quia eſt; & aliam eſſe vegetabilem, aliam ſenſibilem, aliam rationalem, in planta, in bruto, in nobis. Hanc autem cognitionem habemus de anima, ſeu noſtra, ſeu aliorum; & quòd ſit, in quo, vel vbi ſit, ſine aliqua ſpecie, ſed à poſteriori per effectus ſuos, & operationes: ſicut per fumum cognoſcimus ignem eſſe, & vbi eſt: ſed per talem cognitionem non intuemur naturam rei. Hunc modum cognitionis de anima tradit Auguſtinus, de Spiritu, & Anima, cap. 32. dicens: *Nihil tam nouit mens quàm id quod ſibi præſtò eſt; nec magis menti quicquam præſtò eſt, quàm ipſa ſibi.* Nihil ergo tam nouit, quàm ſe. Quomodo autem cognoſcat ſe eſſe, ſubdit: *Cognoſcit* (inquit) *ſe viuere, ſe meminiſſe, ſe velle, ſe intelligere, ſe iudicare*, &c. Iſtum modum cognoſcendi tradit Ariſtoteles 1. *Phyſicorum, text. 2.* dicens: *Innata autem eſt ex notioribus nobis via, & certioribus in incertiora natura & notiora.*

2. Iſto modo non ſolùm cognoſcimus animam noſtram eſſe, & in nobis eſſe; ſed animas aliorum eſſe, & in aliis eſſe, & varias in variis eſſe. Cùm enim in plantis videamus aliqua opera communia quibuſlibet, vt nutrire, & generare; quædam communia animalibus, & hominibus, in quibus non conueniunt cum vegetabili, vt ſentire, imaginari, moueri de loco ad locum; quædam propria hominibus, vt ratiocinari, & intelligere, diſcutere, conſiliari, liberè agere: ex primis operationibus cognoſcimus aliquam formam communem eſſe animalibus & plantis, quam dicimus vegetatiuam: & illam non eſſe in illis, quæ non poſſunt talia opera exercere. Ex ſecundis actionibus aliquam communem eſſe animalibus, vt ſenſitiuam, quæ non eſt in illis, quæ non poſſunt talia exercere. Ex aliis dicimus aliquam ſpecialem formam eſſe in hominibus, quam dicimus intellectiuam; quæ in illis, quæ talia opera non poſſunt facere, non inuenitur. Sic ergo de anima noſtra cognoſcimus quia eſt, & quòd in nobis eſt: & de aliis ſimiliter per operationes à poſteriori ſine aliqua alia ſpecie.

Sed per iſtum modum ita parum cognoſco animam meã intuitiuè, ſicut tuam: quamuis quodam modo cognoſcam certiùs animam meam eſſe, & in me eſſe, quàm tuam eſſe, & in te eſſe ſiue quòd experimentatio intrinſeca certior eſt, ſiue quòd actus mei ſunt tales, quòd de illis maiorem certitudinem habeo, quàm de tuis: immò de nulla alia anima poſſem certitudinem habere per actus, vtrùm ſit, vel vtrùm in tali corpore ſit, niſi de mea. Poteſt enim Angelus bonus, vel malus, ſimilia opera in aſſumpto corpore exercere, vt patet in Angelo Tobiæ, qui ex actibus putabatur homo eſſe. Ideò coniectura de aliis per actus certitudo hæc non habetur: de me autem experimento intrinſeco, & infallibili ſenſu interiori, hoc eſt, in intellectu experior actus tales meos eſſe; vtpote me velle deliberare, & ſimilia. Et ideò talis cognitio arguitiua de anima mea eſt certiſſima: ſicut dicit Auguſtinus in authoritate *ſuprà* citata: immò eſt principium certitudinis, quam de omni alio habeo; & centrum immobile veritatis, circa quòd voluitur, & cui innititur mobilitas, & fluxus omnium aliorum, quæ æſtimantur, vel opinantur; & etiam eorum, quæ creduntur, quantum eſt ex parte noſtra. Non enim aliunde ſcio me credere, nec certus ſum me velle credere, & velle articulis aſſentire. Sic ergo animam noſtram per actus ſuos cognoſcimus arguitiuè; quæ tamen cognitio de ſe non eſt intuitiua: terminatur tamen finaliter ad intuitiuam: vt *infrà* patebit. 3. *Non tamen intuitiuè.*

Si verò loquamur de cognitione ſpeculatiua, quæ eſt cognitio tertio modo ſumpta, prout ſcilicet cognoſcitur res, non hæc, vel illa, mea, vel tua, ſed abſolutè; iſte modus communis eſt omni animæ rationali; nec plus reſpicit meam, quàm tuam; cùm ſint eiuſdem quiditatis: ac per hoc qui nouit vnam, nouit reliquam. Quid igitur ſit anima quiditatiuè, partim cognoſcimus naturali impreſſione: quoniam ſecundùm Auguſtinum 9. de Trinit. cap. 10. Anima habet impreſſam naturæ hominis notitiam. 4. *Benè tamen ſpeculatiuè.* August.

Item, habet omnes virtutum, & habituum notiones; vt dicit 2. de libero arbitrio, cap. 3. & in lib. de Spiritu, & Anima, cap. 10. dicit: quòd habet impreſſam notitiam boni perfecti, per ſubtilem inueſtigationem, dum per actus ſpirituales inquirendo à poſteriori deuenit anima in notitiam talis naturæ: ſicut aliquando per notitiam accidentium deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ. Conſummatur autem hæc notitia, quid ſit anima, ſub irradiatione lucis æternæ ſuper mentem noſtram: ſub qua, ſecũdùm Auguſtinum, quid ſit iuſtus animus, & iniuſtus, anima cognoſcit. Vnde videtur mihi, quòd cognitio arguitiua, quæ eſt per actus, & operationes, inquirendo ad iſtam, ſcilicet, quid ſit res, viâ inquiſitiuâ terminatur. Sicut dum per propria accidentia intellectus fodiendo, & inueſtigando deducitur in cogni

cognitionem substantiæ rei; quamuis cognitâ substantiâ rei, viâ inquisitiuâ per ipsam substantiam argumentando à posteriori cognoscantur accidentia. Sic similiter à parte ista, cognitâ ipsâ animâ, quòd est à posteriori, per actus, & operationes, à posteriori per ipsam animam cognoscimus, quòd tales debet habere operationes.

5. *Quomodo cognoscitur causa per effectus, & substantia per accidentia.* Si verò instet, & rationabiliter, quòd impossibile est quòd aliquid cognoscam per suum actum, nisi sciam quòd talis actus est suus; & quòd cognoscam quòd talis actus est eius, nisi cognoscam illud, cuius est actus; sicut ponit Commentator exemplum *super primum Posteriorum, com.5.* quòd si insequerer seruum fugitiuum, & ipsum non cognoscerem, & viderem multos fugientes, nunquam illum apprehenderem, nisi eius aliqualem notitiam præhaberem. Similiter ponit exemplum Augustinus *lib. de Magistro, c.10.* quòd nunquam signum ducit in notitiam signati, nisi priùs habitâ notitiâ de signato: & ponit exemplum, vt si viderem aliquem retia portantem, nescirem quid significaret: sed si viderem quomodo parat, & extendit, & aues capit; ex tunc scirem quòd talia instrumenta tale quid significant. Ponit etiam exemplum de velo mulieris, quod si ipsa tenet in manu, nescio quid significet; sed si viderem quòd velaret caput, ex tunc scio quid signat. Propter quod concludit quòd originaliter signatum deducit in cognitionem signi, quoad primam cognitionem. Ergo videtur, quòd non per actus, & operationes cùm sint signa substantiæ, possimus in cognitionem substantiæ deuenire, nisi substantiam prænoscamus.

6. Et est dicendum, quòd, sicut dicit Augustinus *libro prædicto*, ad hoc quòd cognoscatur causa per effectus, signatum per signum, anima per operationes, & similia; necesse est aliquam cognitionem de signato, de causa, de anima, præcedere: quæ scilicet sufficit quòd sit indeterminata, & generalis, & quasi habitualis; quæ cognitio specificatur vsque ad *quod quid est* per essentiam propriam. Talem autem notitiam habet quilibet innatam de anima; quæ specificatur vsque ad *quod quid est* per operationes proprias: verbi gratiâ, video motum, statim ex generali notitia scio, quòd aliquid mouet: postea inuestigo donec inueniam quod mouet, & quod mouetur. Et ista est sententia Augustini de Spiritu & anima, c.32. dicentis: *Cùm enim quærit mens, quid sit mens, profectò nouit, quòd seipsam quærat; & nouit, quòd ipsa sit mens quæ seipsam quærit, neque enim aliunde se quærit, quàm se ipsa: cùm ergo quærentem se nouit, se vtique nouit.* Vnde patet, quòd prima cognitio præcedit istam. Hæc est sententia Augustini 10. de Trinit. cap. 3. circa finem. *Quo* (inquit) *pacto igitur se aliquid scientem scit, quæ seipsam nescit, neque enim alteram mentem scientem scit, sed seipsam scit, scit igitur seipsam. Deinde cùm se quærit vt nouerit, quærentem se iam nouit.* Et sequitur ad propositum. *Quapropter non potest omnino nescire se, qui dum se nescientem scit, se vtique scit.* Idem indicat in principio sequentis capituli. De isto autem modo, quo causa cognoscitur per effectum, & è contrario, dicetur in sequenti quæstione.

7. Vel dices, quòd effectus ducens in notitiam causæ, aut est per se subsistens, non quidem conterminatus cum causa, & in facto esse: vt domus ducit in cognitionem causæ, non quòd sit, sed quòd fuit: & in cognitionem quid sit causa, quanta, qualis; sed non in cognitionem intuitiuam; vt cognoscendo domum, cognosco artificem fuisse. Et etiam ex natura operis cognosco quid sit, licèt incompletè, quantus, qualis, ex quantitate, & qualitate operis: quia ex manu artificis opera laudabuntur. Si sit effectus in *fieri*, & in *esse* continuatus, cognosco per ipsum causam actu esse: & considerando naturam effectus, arguitiuè cognosco & apprehendo, quòd sit causa. Vt dum experior me velle, scio animam meam certissimè esse; & dum considero, quòd *velle & intelligere* sunt actus spirituales, & immateriales; concludo quòd anima est substantia spiritualis, & immaterialis: & sic procedendo quidquid sciri potest per effectum. Talis inquisitio terminatur ad inquisitionem substantiæ, sicut via ad terminum: vt si prosequerer fumum finaliter venirem ad intuitionem ignis. Et iste est modus acquirendi omnem scientiam modo naturali: sic ergo patet in vniuersali.

Si verò quæramus, quomodo cognoscitur anima secundo modo, scilicet intuitiuè, & sui habitus etiam: quantùm enim ad prædictas duas cognitiones, quod dictum est de anima, intelligendum est de habitibus eius. Circa hoc sunt variæ Doctorum opiniones; dicunt enim quidam, & multi, quòd anima quamdiu est coniuncta corpori, nec se, nec suos habitus, nec breuiter aliquam rem spiritualem potest aspicere directo aspectu, seu intuitiuè; sed tantùm modo superiùs dicto, per actus, & operationes: non quòd actus intueatur tanquam obiectum visionis; cùm sint ita spirituales sicut ipsi habitus: sed cùm omnis sua cognitio à sensibus incipiat, dum percipit species à phantasmatibus abstractas, percipit actum suum, quasi quodam experimento: & percipiendo actum, arguit potentiam esse, & per consequens substantiam; secundùm doctrinam Aristotelis 2. *de Anima, text. com.*33. quòd actus cognoscimus per obiecta, & per actus potentias, & per potentias essentiam: vt sic sit verum, quòd nunquam intellectus coniunctus intuetur se, nec habitus suos, nec actus suos; sed semper posteriori per sensibilia. 8.

An anima cognoscat se, suos habitus, & actus intuitiuè. Quidam negant.

Modus autem huius positionis talis est; dicunt enim quòd de anima duplex modus cognitionis haberi potest à quolibet. Vna cognitio est, qua vniuscuiusque anima se cognoscit, quantum ad illud, quod est ei proprium: secundùm quem modum cognoscitur à me anima mea, vt mea in me est solùm, non quid est anima. Alia est cognitio de anima, quâ cognoscitur quantum ad ea, quæ habet communia cum omnibus animalibus: & per hanc cognitionem cognoscitur de anima, quid est, & quæ sunt eius proprietates.

Si ergo quæras de anima, quantùm ad primam cognitionem quomodo cognoscat se, distinguendum est: res enim cognoscitur actu, vel habitu. Si quæras quomodo cognoscitur à me anima mea actu esse, & in me esse; dicunt, quòd per actus suos: ex hoc enim percipio te animam habere in te viuere, & esse, quia percipio in te sentire, viuere, intelligere, & alia opera vitæ exercere. Vnde dicit Philosophus 9. Ethicor. *c.9. Sentimus vtique quoniam sentimus*, intelligimus quoniam intelligimus; *hoc autem quoniam sentimus, vel intelligimus quoniam sumus.* Certum est autem, quòd nullus percipit se intelligere, nisi ex hoc, quòd intelligit aliquid: quia prius est intelligere aliqiud, quàm intelligere se intelligere: ideò peruenit anima ad percipiendum 9.

dum se esse per illud, quod actu intelligit, & sentit.

Si verò loquamur de cognitione habituali, quâ cognoscit se anima habitualiter esse, dicunt quòd per essentiam suam, videlicet, quia eo ipso, quòd habet essentiam talem, est potens cognoscere se esse, & in tali corpore esse. Sicut ille, qui habet aliquem habitum, est per illum habitum potens percipere omnia, quæ subsunt illi habitui; licèt nullum percipiat, nisi per actum elicitum ab ipso habitu; & ita dicitur scire solùm habitualiter: sic etiam hîc. Vnde ad hoc quòd anima cognoscat se esse, vel habitus tales habere habitudinaliter, non requiritur species, sed sola præsentia habituum, & suæ essentiæ. Ad actualem autem cognitionem & sui, & suorum habituum, requiritur conuersio super se, & super suos habitus, quæ conuersio est actus, ex quo actu se, & habitus suos actualiter cognoscit.

10. Si verò loquamur de secunda cognitione, quâ scilicet anima cognoscitur absolutè, quantum ad quiditatem, & proprietates communes omni animæ; iterum est distinguendum. Ad cognitionem enim de re quid sit, duo concurrunt, scilicet, apprehensio, & iudicium de re. Si consideretur ergo cognitio animæ, quantum ad apprehensionem, dicitur *quod quid est*, seu natura causæ apprehenditur per species, quas abstrahimus à sensibus. Ratio autem huius dicti est, quia sicut materia prima est in potentia ad omnes formas materiales, sic intellectus ad omnes formas intelligibiles. Vnde in ordine intelligibilium sic est potentia pura, vt materia in ordine sensibilium: & ideò sicut materia non est sensibilis, nisi per formam superuenientem; sic nec intellectus, nisi per formam super inductam, quam *speciem* communiter appellamus. Vnde, vt dicit hæc positio, mens nostra non potest se apprehendere, ita quòd seipsam immediatè apprehendat; sed ex hoc quòd alia apprehendit, deuenit in sui ipsius cognitionem: sicut & naturam materiæ primæ cognoscimus ex hoc, quòd est talium formarum susceptiua.

Cognoscere per apprehensionem.

Veritas autem ista, vt dicunt, patet, attendendo modum, quo Philosophi naturam animæ inuestigârunt. Ex hoc enim quòd anima veritates rerum, seu vniuersales naturas cognoscit, percipit quòd species, per quam intelligit, est immaterialis; nec ad hoc se extendit per potentiam sensitiuam. Et ex hoc quòd species est immaterialis, arguit potentiam esse immaterialem: & ex hoc substantiam animæ, in qua radicatur illa potentia, esse immaterialem per consequens. Et sic ex proprietatibus, & speciebus, & actibus arguit de se ipsa, quid sit. Hunc modum confirmat Aristoteles 3. *de Anima*, *text*. 7. 8. *&* 15. dicens, quòd intellectus est intelligibilis.

11. Si autem loquamur de cognitione animæ quoad iudicium, quo scilicet imaginamur de anima quid sit, vt apprehendamus, & concludamus deductione prædicta quid est in anima: sic cognoscit, vt dicunt, se ipsam, inquantum intuetur immutabilem veritatem; quæ est quædam regula menti nostræ impressa; ad quam reducimus, & per quam examinamus omnia esse recta, quæ iudicamus, secundùm doctrinam Augustini 9. de Trinit. cap. 6. vt sic secundùm hanc positionem mens nostra cognoscatur esse habitualiter per seipsam; sed per actus suos actualiter quòd ipsa sit, arguitiuè, nunquam intuitiuè in hac vita per species aliarum rerum, & per actus suos apprehensiuè; iudicatiuè verò, & definitiuè, per radium diuinum, qui super mentem nostram irradiat.

Cognoscere per iudicium.

De habitibus verò, quos in se habet, quasi simili modo, eorum duplex est cognitio. Vna, quâ anima cognoscit, an habitus sibi insit; alia, quâ cognoscit quid sit. Hæ tamen duæ cognitiones aliter se habent circa habitus, aliter circa animam. Cognitio enim, quâ quis cognoscit se habere habitum, præsupponit notitiam, quâ quis cognoscit, quid sit habitus. Non enim possum scire me habere castitatem, nisi sciam quid est castitas: sed ex parte animæ est è contrario. Multi enim sciunt se habere animam per actus, quos experiuntur in se, & à se, qui nesciunt quid sit anima. Huius autem diuersitatis causa est, vt dicunt, quia nec animas, nec habitus percipimus in nobis esse, nisi percipiendo actus, quorum anima & habitus sunt principia. Habitus autem per essentiam suam est causa talis actus, & actus est causa, quòd cognoscatur habitus, qui est eius mediatum principium. Si autem cognoscatur habitus inquantum est principium talis actus, cognoscitur habitus: vt si sciam quòd castitas est, per quam quis cohibet se ab illicitis cogitationibus in Venereis, sic scio de castitate, *quid est*. Anima autem non est principium operationum per essentiam suam, sed per vires suas: vnde perceptis actibus animæ, percipitur inesse principium talium actionum, vtpote motus & sensus; non tamen ex hoc natura animæ scitur.

Loquendo igitur de cognitione, quâ cognoscitur de habitibus quid sint? oportet duo considerare, apprehensionem & iudicium. Secundùm apprehensionem oportet, vt habeatur eorum notitia ab obiectis & actibus; quia non possunt per essentiam suam apprehendi. Cuius ratio est, quia cuiuslibet potentiæ animæ virtus est determinata ad obiectum suum vnum; & eius actio primò, & principaliter in obiectum tendit: in ea verò, quibus in obiectum dirigitur, non potest nisi per quandam reductionem. Sicut videmus, quòd visus primò dirigitur in colorem, sed in actum visionis suæ non reducitur, nisi per quandam reductionem; dum scilicet videndo colorem, videt se videre. Quæ reductio, vel inflexio incompletè est in sensu, completè autem in intellectu, quia reductio completa redit ad cognoscendum essentiam suam: intellectus autem coniunctus hoc modo comparatur ad phantasmata sicut visus ad colores: vt habetur 3. *de Anima, text.* 30. *& seqq.* non quidem vt cognoscat phantasmata, sicut visus colores; sed quia cognoscit illa, quorum sunt phantasmata: ad illa enim cognoscenda primò, & directè fertur; deinde redit ad cognoscendum actum suum; & vlterius in species & potentias, & substantiam ipsius mentis. Non enim hæc comparantur ad intellectum, vt obiecta prima; sed vt illa, quibus tendit in actum. 12.

Iudicium autem de vnoquoque habetur secundùm illud, quod est mensura illius: mensura autem habituum est illud, ad quod ordinantur: quod quidem ad nostram cognitionem se habet tripliciter. Quandoque enim est à sensu acceptu, visu, vel auditu, vel simili: sicut cùm videmus vtilitatem medicinæ, vel ab alio audimus; & ex hac vtilitate scimus, quid est medicina. Quandoque est naturaliter iudicium, quod maximè

mè apparet in habitibus virtutum, quarum fines naturaliter conieĉtat: vt patet de iuſtitia, quæ eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt. Quandoque verò eſt diuinitùs infuſum, vt in ſpe, & charitate, & fide. Et quia etiam in nobis naturalis cognitio ex diuina illuſtratione deducitur, veritas in vtroque in creatura conſulitur. Vnde iudicium, in quo completur cognitio de natura habitus, vel eſt ſecundùm illud, quod à ſenſu accepimus; vel ſecundùm illud, quod in creatura veritatem conſulimus.

13. *Habitus in nobis eſſe quomodo cognoſcamus?* In cognitione autem, quâ cognoſcimus, an habitus in nobis ſint, eſt duo conſiderare; ſcilicet, habitudinalem cognitionem, & actualem. Actualiter autem cognoſcimus nos habitus habere ex ipſorum actionibus, quas in nobis experimur: vnde Philoſophus dicit 2. *Ethicor. cap.* 3. quòd *Signum oportet facere habitum, ſuperuenientem voluptatem, vel triſtitiam.* Tunc autem ad habitualem cognitionem habitus ſeipſam cognoſcit, quia per hoc, quòd anima habet habitus, poteſt progredi in cognitionem actualem ipſorum: tale autem per quod potentia poteſt progredi in actum cognitionis, dicitur habitualiter cognoſci.

Affectiua, & cognoſcitiua potentia differunt. Sed differentia eſt inter habitus potentiæ cognoſcitiuæ, & affectiuæ, quòd habitus cognoſcitiuæ eſt principium, & ipſius actus, quo cognoſcitur habitus, & etiam cognitionis, quâ percipitur: quia ipſa actualis cognitio ex habitu cognoſcitiuæ potentiæ procedit. Sed habitus affectiuæ partis eſt principium illius actus, quo cognoſcitur habitus; ſed non eſt principium cognitionis, quâ percipitur, vt habitus cognoſcitiuæ ſit principium proximum, vel remotum; quia non niſi per hoc, quod cauſat actum; vnde cognoſcitur non cognitione, quâ percipitur.

14. Et hoc eſt, quod dicit Auguſtinus 10. de Trinit. per totum conſequenter; quòd artes cognoſcuntur per ſuam præſentiam, ſicut affectiones animæ per ſuas notiones. Sic igitur anima cognoſcit ſe eſſe actu per ſuos actus; ſe autem eſſe habitu per eſſentiam ſuam; quia vt actu ſe cognoſcat, nec habitu, nec ſpecie indiget. Quid ſit autem apprehendit per ſpecies rerum, quas cognoſcit; ſicut ſenſitiua per formas, quas recipit: nunquam tamen apprehendit intuitiuè quid ſit. Iudicat autem quòd ſit lumine inuiolabilis veritatis, cuius ſimilitudo eſt mentibus noſtris impreſſa, & quam aliqualiter cognoſcimus per ſe notam, atque omnia alia examinamus ſecundùm eandem in omnibus iudicantes, vt ſic pateat, quòd cognoſcit ſe habitualiter per ſuam eſſentiam, ſe verò eſſe per ſuos actus, quid ſit per ſpecies aliarum rerum: quòd ſit iudicat per lumen diuinum, nec aliquo modo intuetur ſe, quòd ſit. Et habent ſe per ordinem iſtæ cognitiones; quia primò ſe eſſe cognoſcit habitualiter per eſſentiam ſuam; ſecundò actualiter per actus; tertiò apprehendit ſe, apprehendendo ſpecies rerum, & iudicat modo dicto.

15. *Qualiter cognoſcimus habitus, qui nobis inſunt.* Similiter eſt ex parte habituum, quia cognoſcuntur in nobis eſſe habitualiter per ſeipſos; actualiter autem per actus ſuos. Sed quid ſint quantum ad apprehenſionem, cognoſcuntur ex obiectis, & actibus propriis. Quantum ad iudicium, iudicamus quid ſint ex fine, & ex lumine veritatis increatæ, ſub quo fit certum iudicium de quolibet: & rationes cuiuſlibet iſtarum cognitionum dictæ ſunt *ſuprà.* Et nullo modo cognoſcimus de ipſis, nec quia ſunt, nec quòd in nobis ſunt, nec quòd ſunt intuitiuè. Non eſt autem ordo inter has cognitiones habituum; ſicut inter cognitiones animæ; quia priùs cognoſcimus, quid eſt habitus, quàm ſciamus, quòd in nobis eſt, modo ſuperiùs dicto.

SCHOLIVM.

Opinionem, quæ negat intellectum, aut animam ſe ſuóſque habitus, & actus directè, & intuitiuè cognoſcere, in aliquibus reputat probabilem, in aliis refellit, multiſque probat per actus cognoſci habitus, & intellectum intuitiuè, reflectendo tamen ſuper ſe, & per ſpeciem expreſſam; actus autem abſque vlla ſpecie, per ipſorum immediatam experientiam cognoſci; idque clariùs explicat inferiùs num. 25. *& ſequentibus. Aliter tamen videtur ſentire in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 8. §. Ad argumenta principalia: *per totum diſcurſum, vſque ad* §. Ad ſecundum: *vbi ait animam non poſſe cognoſcere ſe directè, & ex aliis obiectis cognitis deduci in cognitionem ſui reflexiuè:* [Non autem, *inquit,* poteſt ſtatim intelligere ſe nullo alio intellecto; quia non poteſt ſtatim moueri à ſe propter ordinem potentiarum eius neceſſarium pro ſtatu iſto ad imaginabilia.] *Et paulò ſuperiùs.* [Reſpondeo, *inquit,* intellectus noſter pro ſtatu iſto non eſt natus moueri immediatè, niſi ab aliquo imaginabili, vel ſenſibili extra prius moueatur.] *Et Quodlib.* 14. §. Ad duo alia argumenta: *problematicum reputat, animam poſſe naturaliter cognoſcere ſeipſam. Vide opus poſthumum Suarez de Anima; & ſupplementum illius lib.* 4. *cap.* 5. *vbi eius reſolutio valde conformis eſt doctrinæ in hac quæſtione tradita.*

Hæc opinio videtur probabilis, & benè declarat ſua fundamenta, præter hoc quod dicit, 16. *Tria diſplicent in ſuperiori opinione.*
quòd anima nec ſe, nec ſuos actus cognoſcit intuitiuè. Secundò quoad hoc, quod dicit, quòd intellectus nec ſe, nec ſuos habitus per ſpecies originatas ab eis apprehendit: & ad id ſequitur primum, & è contrario: nam ſi ſe intuetur, videtur quòd per propriam ſpeciem ſe cognoſcat, & è contrario. Idem dico de habitibus. Tertiò quoad differentiam ordinis, quam ponit inter cognitionem *ſi eſt,* & *quid eſt* animæ & habituum.

Quantum ergo ad iſta tria, non videtur aliquibus, quòd poſitio contineat veritatem. Quòd *Probatur animam ſe intuitiuè videre.*
autem anima ſuper ſe reflectendo, ſe intuitiuè cognoſcat, & ſi eſt, & quid eſt: & ſimiliter reflectendo ſuos habitus, cognoſcat & in ſe eſſe, & quòd ſunt, videtur expreſsè ſentire Auguſtinus in epiſtola ad Paulinum, cap. 2. de videndo Deo *: & eſt in numero epiſtolarum 62. diſtin- * Aliàs 112.
guens duplicem ſenſum, corporis, ſcilicet, & mentis, vbi ait: *Planè forſitan ſatis eſt ſi præſentia illa hoc in loco intelligamus dicta, quæ præſtò ſunt ſenſibus, ſiue animi, ſiue corporis: vnde etiam ducto vocabulo præſentia nominantur: ſenſuum mentis ſpiritualia, quæ intra nos ſunt, ſenſibus mentis videamus vitam noſtram, voluntatem, inquiſitionem, ſcientiam & habitus: hæc enim intuitu mentis conſpicimus.* Sequitur: *Sicut enim hanc lucem corporis ſenſu, ſic & meam voluntatem planè video, quia præſtò eſt animi mei ſenſibus, atque intus mihi præſens eſt.*

Quòd etiam intellectus non ſolùm per actus, 17. *Et ſuos habitus.*
ſed etiam intuitiuè videat ſuos habitus, expreſsè dicit Auguſtinus 13. de Trinit. cap. primo: *Fidem porrò*

porrò ipsam, quam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter nouimus: non sicut corpora, quæ videmus oculis corporeis, & per ipsorum imagines, quas in memoria tenemus, etiam absentia cogitamus: nec sicut ea quæ non videmus, & ex iis quæ vidimus cogitatione vtrumque formamus, & memoriæ commendamus, quo recurramus cùm voluerimus: vt illic ea, vel potiùs qualescunque imagines eorum, quas ibi fiximus, similiter recordatione cernamus: nec sicut hominem viuum, cuius animam etsi non videmus, ex nostra coniicimus; & ex motibus corporalibus hominem viuum, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde, in quo est ab eo, cuius est: sed eam tenet certissima scientia, clamátque conscientia. Cùm itaque propterea credere iubeamur, quia id, quod credere iubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem quando inest in nobis, videmus in nobis: quia & rerum absentium præsens est fides, & rerum, quæ foris sunt, intus est fides; & rerum, quæ non videntur, videtur fides, & ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum.

*ep.72. *Intellectus cognoscit se non per species immediatas.* Item, Augustinus in quadam epistola * ad Nebridium, videtur dicere contra illud, quod dicit hæc positio, scilicet, quòd intellectus non apprehendit se, nisi per species abstractas à phantasmatibus rerum corporalium. Dicit enim, quòd intelligere non fit in nobis ex coniunctione sensuum, sed intrinsecus ipsa mente, atque ratione nostrum intelligimus intellectum. Item 7. super Genesim cap. 14. loquens de sensibus corporis ait: *Cùm igitur his quasi nuntiis accipiat anima quicquid eam corporalium non latet: ipsa verò vsque adeò aliud quiddam sit, vt cùm vult intelligere, vel diuina, vel Deum, vel omnino etiam seipsam suásque considerare virtutes, vt aliquid veri, certique comprehendat, ab hac ipsorum quoque luce oculorum se auertat: eámque ad hoc negotium, non tantùm nullo adiumentò, verùm etiam nonnullo impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis attollat.* Sequitur: *habétque ipsa innumerabilia longè dissimilia cum cuncto genere corporum, quæ non nisi intellectu, atque ratione conspiciat; quò nullius carnis sensus aspirat.* Planè patet, quod dicit quòd anima nec se, nec virtutes suas aliqua specie corporali aspiciat.

18. Experimentum etiam videtur ad hoc facere; nam dum in voluntate nostra oritur ipsum *velle*, experior inde *velle*, & quòd sensu interiori sentio inde *velle*: ergo tale *velle* sensus interior intuetur.

Item, si anima est in corpore, quo nullo modo posset vti, non apprehenderet species sensibiles. Vt enim dicit Augustinus 6. *Musica, cap.* 11. impossibile est cæcum à natiuitate fingere imagines coloris. Certum est autem, quòd talis anima in tali corpore se apprehenderet: vt patet per Auicennam 6. *Naturalium tractat.* 1. *cap.* 1. in fine; vbi dicit; quòd si crearetur vnus homo, & poneretur per impossibile in aëre, ita quòd eius membra non sibi cohærerent, sed omnia essent distincta, nec aliquod de suis membris perciperet, nec de aliis, non dubitaret, sed affirmaret se esse.

Ex quo patet, quòd anima in corpore apprehendit se esse, & nulla specie recepta indiget: & quia apprehensio *quia est*, quærit *quid sit*, non necessariò indiget specie alicuius exterioris corporis, sed per actus suos intimos, quos experitur in se, vt se viuere, velle, desiderare, & similia, dum venit in sui notitiam, & *quia est*, & *quid est*: potest etiam idem per actus, quos exerceret de rebus intrinsecis: sed non sunt ad hoc necessarij, vt dicebat positio.

Exemplum quod inducit de materia & formá, falsum præsupponit; scilicet, quòd sicut se habet materia in ordine sensibilium, quòd scilicet est pura potentia: ita mens nostra in ordine intelligibilium: hoc enim est, si intelligatur de potentia receptiua; quòd sicut materia potest recipere formas omnium sensibilium; sic intellectus omnium intelligibilium. Sed isto modo nihil est ad propositum. Sed si intelligatur, quòd sicut materia nullam formam, vt actum habet de se, vnde possit obiectiuè sentiri, nisi vt induitur formis aliis, sic intellectus speciebus intelligibilibus: hoc omnino falsum est: cùm plus habeat de entitate, veritate, & immaterialitate, quàm aliqua naturalis quiditas; ac per hoc magis est intelligibilis de ratione sua obiectiua. Non sic autem habet materia de se vnde sit obiectiuè sensibilis: quare si in isto falso sensu accipiatur similitudo, nulla est.

Est igitur alia positio, quæ dicit, quòd anima coniuncta cognoscit se, quia est, & quod in tali corpore, & quid est; & etiam intuitiuè sensu interiori, hoc est, oculo intellectuali se intuetur, & habitus suos. Est tamen aduertendum, quòd de cognitione ista possumus loqui dupliciter; vel quoad huius inquisitionis initium, & inchoationem, quâ anima inquirit de se, si est, & quid est: vel quoad huius cognitionis terminum, & consummationem. Si loquamur primo modo, sic anima priùs cognoscit actus suos; vtpote velle, intelligere, desiderare, & similia: & ex notitia actuum sine aliqua alia specie cognoscit se esse, & de actibus suis, quia sunt, & qui sunt. Vnde impossibile est quòd anima se, vel habitus suos intueatur; nisi priùs etiam habitâ notitiâ de actibus suis sensu interiori, quo experimentatur actus suos interiores spirituales; sicut sensu corporali particulari experimentatur res corporales exteriores, secundùm modum suprà expositum in quadam quæstione *. Vt sicut cognitio intellectiua, quam habet anima de rebus exterioribus, à sensu particulari corporali oritur; vt alibi expositum *: sic cognitio intellectiua, quam habet de se, & suis habitibus à sensu interiori spirituali experimentatiuè per actus interiores nostros oritur. Talem autem sensum frequenter ponit Augustinus, vtpote, in præallegatis authoritatibus: & 8. de Trinit. cap. 6. *Quid enim*, inquit, *tam intimè scitur, séque ipsum esse sentit, quàm id quo etiam cætera sentiuntur, id est, ipse animus.* Nota de sensu totum illud Capitulum.

19. *Alia opinio circa prædicta.*

*q. 11. n. 21.

* ibid. n. 5.

Si quæratur quid sit iste sensus? æstimo, quòd omnis natura creata habet infimum & supremum: vt secundùm hoc in genere virtutis, & actiui aliquo modo sit quid compositum omne actiuum citra primum; sicut virtus sensitiua habet suum infimum sensum particularem, & suum supremum, id est, imaginationem: vel quæcunque sit illa sensitiua superior, per quam coniungitur intellectui. 20. *Quid sit sensus spiritualis.*

Sed fortè est intellectiua animæ nostræ; quæ quamuis se tota sit non organica; habet tamen suum infimum, quod tenet se ex parte portionis inferioris. Et illa est, quæ exigitur ad cognitionem, & experimentationem actuum nostrorum interiorum; sicut sensus particularis corporalis ad cognitionem, & experimentationem actualitatis

tatis

tatis existentiæ rerum sensibilium. Et sicut nulla potentia apprehendit rem extrà existentem, nisi sensus particularis, vel ipso mediante, & in suo actu existente: sic vis intellectiua, non cognoscit actus nostros intimos; vtpote, velle, amare, & similia; nisi ille sensus interior intellectualis, & spiritualis, vel ipso mediante, & in suo actu existente, vt anima, sic seruiat intellectui quoad cognitionem sui, & habituum sicut sensus particularis corporalis exterior, quoad cognitionem rerum sensibilium.

Ex quo patet, quòd sicut deficiente isto sensu, quo experimur actus interiores, deficeret omnis scientia animæ & habituum; & hoc tam ex parte animæ, quàm ex parte habituum. Et hoc videtur tangere Augustinus *suprà* rationem huius, dicti 14. de Trinit. cap. 5. *Ipsa* (inquit) *se nosse credenda est; sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tantò maiore, quantò nouiore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare se non potest.* Æstimo autem, quòd hæc ratio Augustini tangit causam, quare anima non potest se ignorare; eo quòd habet in se vnde se potest cognoscere; quia habet vnde possit velle, & actus interiores elicere; ac per hoc non potest se ignorare. Tangit etiam causam, quare potest se non cogitare; quia si nimia delectatione fertur super res exteriores, & super lucem corporalem: sicut patet in exemplo, quod ponit de pueris, quando efficiuntur strabones propter vehementem attentionem ad lucem corporalem.

Anima non potest se ignorare.

21. Sed nihil prædictorum est causa, quare non possit intueri se, vel quòd sit, cogitare, nisi priùs cognitis actibus suis. Huius ratio iam est in parte tacta. Quia omnis cognitio, quæ animæ conuenit, procedit de imperfecto ad perfectum; & hoc, seu cognitio illa habeat ortum à rebus interioribus, vel exterioribus. Et hoc conuenit animæ maximè coniunctæ, quia infimum gradum tenet inter formas, seu substantias spirituales. Et ideò sicut cognitio de exterioribus incipit ab infimo gradu cognitionis, qui est sensus particularis; sic etiam cognitio interior de se, vel de suis habitibus, ab isto sensu interiori modo supradicto; vtraque enim cognitio discursiua, est inquisitiua de se, quia est. Tenet similitudo, quia & vtraque procedit de imperfecto ad perfectum.

Ratio huius est etiam; quia in quolibet processu naturali principia sunt certa, fixa, & notoria; sicut etiam in scientiis. Patet hoc in naturalibus, quia certum est principium, & certò sciri potest seminarium ex quo fit bos, asinus, faba, triticum, vel homo: & in se habet euidentiam maiorem, & priorem, quàm illa, quæ ex tali semine fiunt. Igitur illud, ex quo procedit scientia, oportet quòd sit prius, & magis notum in se; sicut sensus circa sensibile extrinsecum est certissimus; & habet rationes notiores respectu omnium aliorum: sicut se habet materia in artibus, & sicut se habet fundamentum in quolibet processu ordinato: ergo similiter in notitia, quam acquirit de se anima, & de suis habitibus, oportet quòd incipiat à priori, euidentiori, & notiori. Actus autem nostri interiores sunt huiusmodi respectu animæ, & habitus, quia certiùs intueor me velle, & intelligere, quàm cognoscam voluntatem meam, & intellectum: & ideò cognitio ipsorum præcedit omnem cognitionem. Et non intelligo (vt dicunt aliqui) quòd actus, quibus quælibet anima deducitur in sui ipsius notitiam, solùm sint actus eliciti ab imaginatione, vel à sensibus, quia tam per actus exteriores, quàm per interiores (vt dixi suprà *) anima potest deuenire in notitiā sui. * num. 16. & seqq.

22. Quod autem dicit prædicta positio, quòd cùm de anima duplex cognitio habeatur, videlicet, *quia est*, & *quid est*; similiter duplex cognitio est de habitibus: quia vna, quâ cognoscit quis, an habitus insit ei: alia, quâ cognoscit quid sint, & quòd hæ duæ cognitiones aliter ordinantur circa animam, aliter circa habitus: nam cognitio, quâ quis cognoscit se habere habitum, præsupponit cognitionem, quâ cognoscitur quid sit habitus: non sic est de anima. Quia multi sciunt se habere animam; & tamen nesciunt quid sit anima. Ratio ad hoc patuit suprà * in quæstione. * num. 1.

Hoc totum videtur esse falsum: primò, hoc est contra experientiam: nam actus castitatis potest duobus modis à me cognosci; vel in ratione actus, quæ est quædam notitia confusa; & sic cognoscendo actum, cognosco etiam aliquem habitum in me esse modo confuso: vel inquantum talis actus, vtpote, abstinere ab omni delectatione circa Venerea: & isto modo cognoscendo actum perfectè, cognosco similiter quid sit talis habitus. Tamen notitia de actu, quòd sit, præcedit notitiam etiam de habitu, quòd sit ordine naturæ: cùm enim *quod quid est*, cognoscitur de habitu per actus & obiecta (vt dicit positio illa) videtur, quòd priùs sciatur de actu ordine naturæ, quia est: secundò ex hoc scitur de habitu quia est, & quòd in nobis est: tertiò scitur quid sit actus: quartò quid sit habitus. Non ergo plus scitur de habitu, quòd est, vel quid sit; quàm quòd in nobis sit.

An priùs cognoscitur habitus quàm actus ab illo procedens.

Quod autem dicit, quòd non possum scire, nec habere castitatem, nisi sciam, quid sit castitas; dico, quòd hoc non est ex hoc, quòd priùs sciam, quid est castitas, quàm quòd sciam me habere castitatem; immò est è contrario. Sed hoc ideò est, quia non possum scire me habere castitatem, inquantum est talis habitus, nisi sciam, quid sit actus castitatis, inquantum simul sciam, quid sit habitus castitatis. Ideò, quòd non possum scire me habere castitatem, nisi sciam quid est castitas; hoc non est, quia notitia de habitu, qui est, præcedit notitiam de actu, qui est; sed quia sunt simul. Eodem modo, & eodem ordine intelligo esse per omnia in notitia, quam de se habet anima.

Ex ratione etiam positionis hoc patet: dicit enim, quòd si cognoscam habitum, inquantum est principium actus talis, cognosco de ipso habitu quid est. Similiter ego dico, quòd si cognoscam essentiam animæ, prout est principium actus essendi, & viuendi; & de potentia, prout est principium operandi, cognoscam de ipsis, quid sunt. 23.

Quod verò addit, quòd habitus sunt per suam essentiam principium actus; dico, quòd etsi anima non sit per suam essentiam principium actuum secundorum, tamen per suam essentiam est principium primorum, vtpote viuendi, essendi: quæ sunt principium, quo anima coniuncta naturali ordine in se, & de se, est ex principiis, inquantum principia extrinseca sunt, quòd sum, & viuo. Et dico, quòd possum me scire esse, & viuere quodammodò in ratione indeterminata; & tamen nescio, quid est anima: ita possum scire me habere habitum castitatis per cognitionem sui actus, in ratione quâ actus, & tamen nesciam, quid sit castitas. Et sicut cognoscendo actum casti

castitatis in me esse, scio castitatem in me esse, & cognoscendo castitatem in me esse, perfectè cognosco, quòd est castitas, quæ est per suam essentiam principium suorum actuum: sic sciendo me esse, & viuere, quorum anima est principium per suam essentiam, scio aliquid in me esse; & in ratione, quâ est principium essendi, & viuendi, scio quòd est anima. Similiter dico de potentiis respectu actuum suorum, quorum sunt principium.

24. *Notitia animæ, & habituum procedit ab actibus.* Ad propositum igitur reducendo, dico quòd animæ (si loquamur de notitia, quam habet anima de se, quoad huiusmodi notitiæ inceptionem) notitia de se, à notitia actuum suorum incipit; & notitia, quam habet de habitibus suis, à notitia actuum illorum habituum: & sic cognoscendo actum, vtpote *velle*, cognoscit arguitiuè aliquid, discernendo se esse: & postea cognoscendo naturam, & modum actuum, vtpote quòd actio intelligendi est immaterialis, reflexiua, & similia, arguit potentias tales esse; & per potentias quid sit substantia. Dum autem intellectus quid sit apprehendit, determinatur ad intuitionem, quâ mens ab exterioribus sequestrata, & super se reflexa, se, & suos habitus intuetur per speculum intellectuale, per actum fixum super essentiam animæ & habituum.

Obiectio. Nec valet, si instes, quòd multi decipiuntur circa animam, dicentes, eam esse ignem, aërem, corpus, & similia; vt per Aristotelem patet 1. *de Anima, text.* 20. *& seqq.* & per Augustin. 10. de Trinit. cap. 7. *Responsio.* Hoc enim ideò fit, non quin possit se intueri, si diligenter se inquireret, séque à rebus corporalibus abstraheret: sed sicut aliqui diligendo carnalia, sic sunt depasti carnalibus, quòd nullum spirituale conuenit eis simpliciter: sic in cognoscendo sunt imbuti formis, & imaginibus carnalibus, quòd nihil aliud, quàm corporalia esse credunt.

Obiectio. Si instetur contrà prædicta, quòd si anima potest per actus habituum argoitiuè ipsos habitus in se esse cognoscere, & tandem ipsos intuetur; sicut dicit Augustinus in loco prææallegato de ipsa fide, quæ est in nobis: ergo possumus scire nos habere charitatem, & ipsam esse in nobis, & ipsam intueri; cùm habens charitatem verè exerceat opera charitatis.

SCHOLIVM.

In responsione ad istud argumentum, admittit per actus fidei, à nobis elicitos, nos cognoscere posse fidei habitum nobis inesse, non tamen posse similiter deuenire in cognitionem habitus charitatis; quia potuisset quis suspicari, aut indicare, actus elicitos charitatis procedere ex habitu amoris naturalis Dei super omnia. Similiter in 1. *dist.* 17. *quæst.* 5. §. Quantum ad primum articulum, *apertè asserit ex nullo actu, quem experimur, neque ex substantia actus, neque ex intentione, aut circumstantia vlla, nos posse concludere habitum supernaturalem charitatis nobis inesse. De fide tamen supernaturali, & infusa in* 3. *dist.* 23. *quæst.* 1. §. Sed quid de fide infusa, *admittit scire nos posse eam nobis inesse per actus credendi, & per inclinationem ad verum. Peculiaris tamen est difficultas, An fidelis credat fide diuina se habere fidem supernaturalem? quod negat Scotus lib.* 14. *artic.* 7. *neque contrarium docet in illa distinct.* 23. *lib.* 3. *vt aliquibus placet. Vide Vegam lib.* 9 *in Tridentinum cap.* 37. *& Vasquez* 1.2. *disp.* 201. *cap.* 2.

Est dicendum, quòd varij actus ducunt in notitiam distinctorum habituum. Cùm igitur charitas sit habitus, quo Dominum diligimus, naturalis etiam inclinatio inducat nos ad Dominum diligendum super omnia, quamuis alio modo, quàm charitas, propter confortationem actus dilectionis naturalis, & charitatis; non potest quoad certitudinem ex notitia actuum charitatis in eius notitiam deuenire. Non sic de fide; quia naturalis cognitio non sic dictat credere Dominum trinum & vnum. Et sic de aliis articulis fidei. 25. *Solutio.*

In hoc igitur residet huius quæstionis inquisitio, quòd anima humana cognoscit se esse, & corpori inesse per actus suos intrinsecos, & extrinsecos absque specie; illos autem actus cognoscit absque specie, sola mentis experimentatione. Vt dum volo, sensus ille interior mentis certissimè cognoscit, & experitur me velle: nec anima in hac vita naturali cognitione potest habere tantam certitudinem de aliquo, quantam habet de illis actibus suis intrinsecis: scit enim se velle certissimè dum vult: & quia per experimentum istorum actuum scit se esse; ideò dicit Augustinus, vt patet in prææallegata authoritate de Spiritu & anima, quòd nil tam nouit anima, quàm se: nil dico tantum nouit, quantum se esse. Quid autem fuerint illi actus, non tam certitudinaliter nouit anima, sicut certò nouit quòd sunt, vel insunt: & quia per cognitionem quòd sunt actus sui, venit in cognitionem sui quòd est, non ita certitudinaliter nouit anima quid est, sicut quòd est, vel in suo corpore est. Cognoscit ergo primo aspectu suos actus interiores esse, & inesse, ita quòd isti actus absque omni specie sunt ratio cognoscendi, quòd ipsa est etiam in corpore. Postea considerat conditionem actuum, quid sint, quo cognito, cognoscit quid sit potentia, à qua actus procedit, quia spiritualis, & immaterialis, sicut est actus: ita vt prima notitia quid sit actus, sit sibi ratio absque omni specie cognoscendi, quid ipsa sit. Quid etiam sint actus, etiam cognoscit arguitiuè, per conditiones absque omni specie: in sola enim cognitione intuitiua de se indiget specie expressa de se, vt statim dicetur. *Quomodo anima cognoscit se per actus suos?*

Cognito ergo quid sit potentia, cognoscitur substantia animæ quid sit: intuitiuè se aspicit, dum se à formis, & imaginibus corporalibus abstrahit. Hanc autem intuitiuam cognitionem sui, & habituum eius (quæ est finis totius inquisitionis inceptæ ab actibus) puto fieri per speciem differentem ab actu; ita quòd anima vnica cognitione intuitiua se, & suos habitus cognoscit per speciem, non impressam propriè (nam illa dicitur respectu rerum extrinsecarum secundùm modum tactum in præcedenti quæstione) sed per expressam, quam ex reflexione suiipsius supra se exprimit. Sicut intellectus agens ex conuersione sui supra phantasmata, abstrahit speciem intelligibilem, & in intellectu possibili ponit. Et hoc videtur sentire Anselmus in Monol. cap. 31. *Nulla (inquit) ratione negari potest, cùm mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem ipsius nasci in cogitatione; immò ipsam cogitationem sui esse imaginem.* 26. *Quomodo se cognoscit anima intuitiuè.*

Huius positionis est Aristoteles in 3. *de Anima, text. com.* 15. vnde ait Commentator supra illud. *Et intelligibilis sicut intellecta: dubitauit Aristoteles de intellectu materiali, vtrùm intellectus ex eo est ipse*

intel

intellectus, an aliquo alio modo, & incipit declarare: quod est intellectum per intentionem in eo; sicut alia res intellecta.

27. *Obiectiones.* Si verò dicatur quòd anima est sibi præsens, & habitus sunt sibi præsentes: ergo non oportet quòd ponatur species. Item, est sibi similis, quare non oportet ponere speciem ad assimilandum. Item, est lux spiritualis; ac per hoc specie non eget; sicut nec corporalis.

Solutiones. Dicendum ad rationem de præsentia, quòd licèt anima, & habitus ipsius animæ sint sibi præsentes, pro eo quòd non distant ab ea, tamen non sunt sibi præsentes in ratione cognoscibilis, nisi eam moueant; quod quidem non possunt facere, nisi per aliquid immissum, vel expressum, quod est species, vt statim dicetur. Quod dicitur, quòd est sibi similis; dicendum quòd est sibi similis, licèt impropriè: quia similitudo est rerum differentium eadem qualitate; anima autem non differt à se. Nullo modo tamen est similitudo propriè; quia similitudo procedit ab eo, cuius est similitudo per modum generationis: nihil autem seipsum gignit, vt ait August. 1. de Trinit. cap. 1. Quamuis autem sit sibi similis, quia non dissimilis, vel differens à se: non tamen est similis in ratione cogniti, & cognoscentis, quæ est similitudo fundata in expressione rei cognitæ, quæ est per speciem, non per essentiam. Quod dicitur de lumine corporali falsum est; eo quòd lux sumpta in ratione obiecti, vtpote, in Sole, vel in alio corpore luminoso, nunquam est in oculo; nisi per speciem lucis. Vt autem est in medio, est ratio videndi alia; & sic non habet rationem obiecti: quare non eget specie isto modo; sicut nec alia, quæ sunt rationes actionum: & tamen secundùm veritatem lumen ipsum speciem sui habet: nam clauso oculo, vel in tenebris, recordor me vidisse lumen: quod non poneret memoria, nisi per speciem.

28. *Anima cognoscit se, & suos habitus per speciem expressam. Probatur primò:* Anima ergo se, & suos habitus per speciem non propriè impressam, sed expressam de se, vel de suis habitibus cognitionem intuitiuam habet, quod potest declarari septem rationibus. Prima ratio sumitur ex operatione obiecti ad potentiam. Cùm enim *intelligere sit quoddam pati*, secundùm Aristotelem 3. *de Anima*, *text.* 12. oportet, quòd potentia intellectiua aliquo modo ab obiecto patiatur. Licèt autem agens sit nobilius passo, de quo aliquid agit; vt visum fuit in alia quæstione *; non tamen oportet, quòd sit nobilius passo, in quo agit: quare obiecta benè agunt in intellectum immittendo speciem; maximè cùm hoc fiat in virtute intellectus agentis, vt dictum fuit †. Nunc autem ita est (vt patebit) quòd nullum agens agit in passum, nisi per aliquam immissionem in ipsum: ergo si anima modò intelligit se, vel suos habitus, quod priùs non faciebat, necessariò aliquid immittitur ab his in ipsam, quod priùs non immittebatur, aliter priùs se intelligebat æquè benè: ergo si passio non est nisi per aliquam immissionem, oportet quòd immittatur species ipsius animæ; seu habituum in ipsam potentiam passiuam, scilicet, in intellectum passibilem; non potest autem aliquid immitti, nisi species ab ipsis impressa, quod oportet, quantumcunque sint præsentia: ergo, &c. Nec potest dici quòd illud immissum ab agente, sit actus; quia *intelligere* non est actus transiens; nec *intelligere* istum actum immittit, cùm sit potiùs ab intellectualitate, quàm ab intellectu elicitus: ergo si *intelligere*, inquantum tale, aliquid immittit, illud erit species.

* quæst. 11. num. 19. & seqq.

Obiecta immittunt species in animam.

† suprà n. 26.

29. Ad declarationem minoris est sciendum, scilicet, quòd agens aliquid immittat in passum (quia hæc poterit esse ratio generalis ad omnia creata agentia, & passa) quòd agens priùs attingit passum per aliquod accidens superadditum, quàm per suam substantiam. Et voco hîc *accidens*, siue sit verè accidens, vt caliditas in igne; siue sit substantia sub modo accidentis, sicut dictum fuit de potentiis animæ *. Dico etiam *priùs*, sicut instrumentum priùs attingit passum, quàm agens principale; sic eodem modo ex parte patientis, quod priùs recipit formam accidentalem, quàm substantialem; vt aqua efficitur calida, magis quàm ignis. *Priùs* dico naturali ordine, quo agens priùs attingit passum per accidens suum, quàm per substantiam, non autem tempore. Omne igitur agens naturale, naturali saltem ordine, priùs inducit similitudinem sui accidentis impressi, quàm substantiæ suæ: ergo necessariò idem ordo erit in agentibus, & patientibus secundùm intentionem. Sicut enim se habent agentia ad agentia, ita actiones ad actiones. Sicut igitur intentiones à rebus dependent, & ad res ordinantur, ita oportet quòd actiones intentionales ab actionibus realibus mensuram sumant: ergo necessariò omne agens intentionale, quale est obiectum intelligibile, priùs assimilat sibi intellectum modo quodam accidentali, & imperfecto; & in fine, modo quasi substantiali, hoc est, perfecto. Dum autem actu intelligit perfectè secundùm perfectionem actus, formam obiecti in ratione cogniti recipit: ergo priùs recipiebat eam sub ratione similitudinis, quasi imperfectè.

* q. 11 num. 14. & 39.

30. *Probatur secundò.* Item, sicut dictum est, actiones, & agentia intentionalia sumunt mensuram ab agentibus, & actionibus realibus; sed in illis agens necessariò priùs immittit aliquam dispositionem in materiam, quàm introducit formam: ergo & hîc antequam perfecta intellectio fiat, erit dispositio; quamuis sit dissimilitudo; quia illic est forma naturalis effectiuè ab agenti naturali eius: actus verò cognitionis non est ab obiecto effectiuè, sed dispositiuè, ratione speciei immissæ; à potentia verò est effectiuè, & causatiuè.

Tertiò. Item, omne illud, quod de potentia tendit ad actum, necessariò de nouo aliquid recipit; si enim nunc intellectus intelligit, necessariò se habet aliter, quàm priùs. Hoc est secundùm Aristotelem 8. *Physicor. text. com.* 7. Quòd omne mobile, quod nunc mouetur, & priùs non mouebatur, necessariò aliqua noua dispositio in eo facta est. Ad actus autem intelligendi videtur intellectus reduci per intelligibile se habens ad ipsum nunc aliter, quàm priùs, & quasi connaturaliter potentia ad obiectum: ergo intelligendo suam essentiam se habet aliter nunc, quàm priùs; sed priùs erat sibi præsens per substantiam: ergo oportet, quòd nunc sit sibi præsens in ratione cogniti, quod non potest nisi per speciem.

Quartò. Item, si præsentia sibi esset causa, quòd obiectum moueret ad intelligendum, semper se intelligeret, cùm semper sibi sit præsens: non ergo mouet essentia nuda intellectum: ergo per aliquid aliud: sed non potest nisi per speciem.

Quintò. Item, si secundùm Aristotelem 3. *de Anima*, *text.* 12. *Intelligere est quoddam pati*, impossibile est passum pati ab agente, nisi ab eo aliquid recipiat;

piat; ergo necessariò intellectus aliquid de nouo recipit; sed non recipit de nouo essentiam: ergo necessariò essentiæ speciem.

31. Nec potest dici, quòd de nouo recipiat actum, quia ille ab obiecto non est; immò potiùs & principaliùs ab intellectu: & mens nostra est ad Dei imaginem; ratio autem imaginis attenditur in potentiis actui coniunctis *, & hoc maximè dum anima intelligit se vt Deo similẽ: Sed Deus intelligendo se, intelligit suam similitudinem, quæ est prima similitudo, prima expressio, prima æqualitas: ergo anima intelligendo se, exprimit suam similitudinem, & perfectiorem, quàm quando intelligit alia; aut non repræsentat Trinitatem increatam; quod est falsum. Nec potest dici, quòd illa similitudo sit actus: quia in diuinis actus sumptus sub ratione actus, vt generare, non habet rationem similitudinis expressæ, sed potiùs terminus actus, vt filius.

* Vide Scotum in 2 d. 16 q. vnica, §. *Ex hoc dico ad formã.*

Sextò. Item, actiuum inquantum actiuum; & mouens inquantum mouens, est actualius ipso patiente & moto; quantò verò aliquid est actualius ipso patiente & moto, tantò est spiritualius, & simplicius: si ergo intelligere est quoddam pati, quoquo modo agit in intellectum, & mouet ipsum: ergo necessariò obiectum habet aliquam spiritualitatem respectu intellectus, vt patitur ab eo: sed essentia animæ non est seipsa actualior: ergo oportet, quòd sit ibi ratio alicuius actionis, intentionalis multiplicationis, propter quam, & per quam habeat respectu sui rationem actiui, inquantum vt nuda, & inquantum ad intelligibilia habet rationem passiui.

32. *Septimò.* Quòd hæc sit intentio Augustini patet in multis locis 14. de Trinit. cap. 6. *Cùm* (inquit) *verò non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtutus, sed tamen nouerit se, tanquam ipsa sit sibi memoria sui.* Sequitur: *ideò Trinitatem sic commendabamus, vt illud vnde formatur cogitantis obtutus, in memoria poneremus; ipsam verò conformationem, tanquam imaginem, quæ inde imprimitur.* & sequitur: *Nam ita sanè gignit istam suam notitiam mens, quando cogitando intellectam se conspicit, tanquam sibi antè incognita fuerit: sed ita sibi nota erat, quemadmodum nota sunt res, quæ memoria continentur, etiamsi non cogitentur.* Hæc Augustinus. Si præterita cogitantur actu, hoc fit per hoc, quòd species cogitantis in anima causatur à specie, quæ est in memoria. De habitibus, quòd cognitio causatur per speciem, apertè dicit Augustinus 14. de Trinit. cap. 3. vbi ostendens, quomodo fides, quæ est in nobis, intelligitur, ponit exemplum, quomodo corpus videtur; & sic dicit: *Nempè ab inferioribus ad superiora ascendentes, vel ab exterioribus ad interiora ingredientes, primam reperimus trinitatem in corpore, quod videtur, & acie videntis, quæ cùm videt, inde formatur; & in voluntatis intentione, quæ vtrumque coniungit: huic trinitati similem constituamus, cùm fides, quæ nunc inest nobis, tanquam corpus illud in loco, ita in nostra memoria constituta est, de qua informatur cogitatio recordantis; sicut ex illo corpore acies intuentis. Quibus duobus vt trinitas impleatur, annumeratur tertia voluntas, quæ fidem in memoria constitutam, & quandam eius effigiem in contuitu recordationis impressam connectit, & coniungit: sicut in illa corporalis trinitate visionis, formam corporis quod videtur, & conformationem, quæ fit in cernentis aspectu, coniungit intentio voluntatis.* Hanc doctrinam asserit Augustinus 9. de Trinit. cap. vltimo circa medium. *Liquido* (inquit) *tenendum est, quòd omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui; ab vtroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito: itaque mens cùm seipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ: cognitum enim, & cognitor ipsa est.*

Ex hoc apparet falsum esse, quòd res cognita, seu obiectum nihil agat in potentias animæ; cùm dicatur, quòd ipsa notitia ab vtroque est, scilicet, cognoscente & cognito. Si autem à cognito vt ab obiecto in intellectu non potest esse, nisi quia specie informatur; vt patet in authoritate prædicta. Et hoc expresse dicit 8. de Trinit. cap. 6. quòd quando aliquam rem vidi, vt Alexandriam, ipsa phantasia eius in memoria mea, verbum eius est productum: & de re, quam non vidi, si mihi nominetur, talem imaginem in acie mentis formo, sicut mihi res describitur. Sic igitur efficit anima sensu interiori, dum abstracta est ab imaginatione rerum corporalium per arguitiuam. 33.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm numerus differat re absoluta à rebus numeratis? vt ternarius, quo numeramus tres lapides, ab ipsis tribus lapidibus?

D. Thom. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 2. *& in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 1: *quæstiuncula* 3.. Occam *in* 4. *quæst.* 4 *& Quodlib.* 4. *quæst.* 30. *in Prædicam. cap. de Quantitate.* Gabriel. *in* 4. *dist.* 10. *quæst. vnica, & dist.* 12. *quæst.* 1. Capreol. *in* 1. *dist.* 24. *quæst.* 1. Durand. *dist.* 12. *quæst.* 1. Richard. *art.* 1. *quæst.* 1. Argent. *quæst.* 1. Ægid. Rom. *Theorem.* 36. *&* 38. Maior. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. Henric. *Quodl.* 1. *quæst.* 15. Sonc. *in* 10. *Metaph. quæst.* 7. Suar. *tom.* 2. *Metaph. disp.* 41. *sect.* 1. Fons. 5. *Metaph. cap.* 13. *quæst.* 2. *sect.* 1. Vide Doct. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. *& in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2.

RESPONDEO, tria sunt hîc tractanda. Primò, est quæstionis veritas declaranda. Secundò, rationibus confirmanda. Tertiò sunt dubia aliqua dissoluenda. 1.

ARTICVLVS I.

Multa præponuntur circa vnitatem numeri, & circa varias eiusdem numeri proprietates.

CIrca primum, sciendum, quòd cuiuslibet rei suæ causæ notitia, antecedit: vnitas autem est causa, quia principium est numeri; ideò volentes inquirere aliquod vnum, ab vnitate est vera inquisitio inchoanda. Et igitur numeri vnitas inuestiganda: secundò numerica proprietas exponenda: tertiò proposita dubia explicanda. Circa quod est sciendum, quòd alia est natura *vnius*, quâ substantia cuiuslibet rei est vna; alia autem *vnius*, quod est principium numeri, propriè dicti; & est in genere quantitatis, & est *vnum*, quod conuertitur cum ente. Sed credentes, quòd eadem sit vtriuslibet ratio vnitatis, diuisi sunt in contrarias opiniones: quia dicunt *vnum* quod vertitur cum ente, non addit rem aliquam super *ens*; sed signat substantiam entis sub ratione indiuisionis. Tamen crediderunt, quòd

Ratio vnius dupliciter sumitur.

Ægid. 1. d. 24. q. 1. Ad 2. quæsitum.

quòd *vnum*, quod est principium numeri, non addit aliquid supra substantiam rei, nisi sola ratione: & quia numerus componitur ex numerantibus, crediderunt, quòd numeri essent substantiæ omnium rerum. Econtrario autem credens, quòd eadem sit omnino natura *vnius*, quod vertitur cum ente, & *vnius*, quod est principium numeri: videns quòd *vnum* quod est principium numeri addit aliquid supra substantiam rei (alioquin numerus compositus ex vnitatibus, non esset species quantitatis) tradidit eodem modo, quòd *vnum* quod vertitur cum ente, addit aliquid super substantiam entis; sicut album dicit rem absolutam super substantiam; & ita ex eodem falso fundamento contrariæ opiniones supersunt.

Thom. 5. Metaph. lect. 2. & lib. 10. lect. 2.

SCHOLIVM.

Distinguit Scotus vnitatem in transcendentalem, & numeralem; seu in vnum *quod conuertitur cum ente, & in* vnum *quod est principium numeri. Primum latè probat, nihil addere reale super ens, sed modum quendam significandi priuatiuum, aut negatiuum, qua ratione obuiam agit de propria significatione nominis oppositi* multitudo. *vide de his multa apud ipsum lib.* 10. *Metaph. quæst.* 1. 5. *& 6. Secundum etiam post longam discussionem variarum acceptionum, & specierum* vnitatis *ac* numeri *in rebus aliorum Prædicamentorum à quantitate, quatenus est numerus* accidentalis, *ait aliquid addere positiuum: in iis verò, quæ sunt de genere quantitatis. Vide eundem* 5. *Metaphys. q.* 9. *& Fonsecam ibidem cap.* 13. *quæst.* 3.

2. Est igitur sciendum, quòd alia est natura *vnius*, quo dicitur res vna, quod conuertitur cum ente: & alia ratio *vnius*, quod est principium quantitatis. Natura enim *vnius*, quo est esse, quod est, ideò est, quia vnum numero est: vel illud quod dicitur, quòd *ens* & *vnum* conuertuntur, non dicit rem, vel distinctionem aliquam absolutam supra naturam entis, siue rei, quæ dicitur vna, sed essentiam entis, & rei sub alia, & alia ratione & consideratione. Propter quod dicit Aristoteles, & eius Commentator 10. *Metaphys. cap.* 4. *in fine, comm.* 6. quòd idem est modus consecutionis *entis*, & *vnius* ad Prædicamenta; & æqualiter diuiduntur Prædicamenta secundùm ea. Sicut enim dicimus quòd *ens* diuiditur per substantiam, quantitatem, &c. ita dicimus, quòd *vnum* est substantia, quantitas, qualitas; & sic de aliis. Et ratio huius est, quia, vt dicit Aristoteles, eodem loco Metaphys. in prædicatione, *vnus homo* non addit aliquid aliud, quàm *homo*; sicut nec ipsum *esse* præter *quid est*, aut quale, aut quantum. Et ideò tale *vnum*, quo res dicitur vna, & conuertitur cum ente, non dicit rem aliquam super substantiam rei, vt albedo supra subiectum. Et ita substantia cuiuslibet rei est vna per se, non per aliquam rem additam super ipsam: vt sic sit verum dicere, quòd omnino eadem est ratio *realis rei*, & *vnius rei*; sicut *hominis*, & *vnius hominis*: sicut dicitur in Elenchis, quòd eadem est ratio propositionis, & vnius propositionis.

Alia consideratio vnius.

Vnum quod cum ente cõuertitur, nihil dicit reale superioris.

3. Huius rei est aperta ratio, quia si res esset vna per aliquod additum super eam; iterum de illa quærerem, vtrùm sit vna per se, vel per aliud, &c. & erit processus in infinitum. Vel est sistendum in aliquo, quod per suam substantiam sit vnum; & eadem ratione quodlibet per suam substantiam est vnum. Et hoc est, quod dicit Boëtius super Porphyrium, editione secunda, circa medium, quòd *omne quod est, ideò est, quia vnum est*: & idem dicit libro de Consolatione, *lib.* 3. *Prosa* 11. *Nostine igitur*, inquit, *omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit vnum, sed interire, atque dissolui cùm vnum esse desiterit?* Et idem libro de Vnitate & Vno, *cap.* 1. *tamdiu est quidquid id quod est, quamdiu in se vnitas est: cùm autem desinit esse vnum, desinit esse id quod est.* Veritas autem verborum Boëtij sic patet; quia omne quod est, aut simplex, aut compositum est: quod autem simplex est, tamdiu solum est, quamdiu vnum est: quod patet in domo, & in quolibet composito; quia tamdiu est, quamdiu quoddam vnum est, & non amplius.

Ex prædictis patet, quòd eadem est realiter ratio entis, & *vnius*, quod conuertitur cum ente: nec tale *vnum* dicit aliquid absolutum supra substantiam rei; sicut album dicit quid absolutum supra substantiam.

Est tamen sciendum, quòd licèt *vnum* non dicat rem absolutam super ens, siue super substantiam rei; tamen *vnum* istud dicit aliam rationem, & alium modum significandi ab ente, vt dicit Commentator supra 4. *Metaphys. comm.* 3. Modus enim significationis enti imponitur à ratione simpliciori, quàm modus significationis *vnius*: ita quòd quamuis *ens*, & *vnum* idem significent; tamen significatio *vnius* præsupponit significationem *entis*. *Ens* enim imponitur ab actu essendi absoluto & positiuo. *Vnum* autem in significato suo includit rationem entis cum determinatione: non dico cùm determinatione addente rem supra rationem entis; sed addit quendam modum se habendi. Ille autem modus, quem addit, non est positiuus, sed priuatiuus solùm: non priuando aliquod positiuum; alioquin *vnum* non diceretur de Deo; sed priuat aliquid negatiuè tantùm. Cuius priuatio, quamuis significet illam priuationem modo positiuo, sicut ècontrario hoc nomen, *incorporeum*, significat positiuum modo priuatiuo, & hoc nomen *corporeum* significat priuationem modo positiuo. 4.

Vnum aliter significat quã ens.

Vt igitur videamus quid est priuatio importata per hoc nomen, *multitudo*, quam quidem priuatione de suo significato priuat hoc nomen *vnum*, vt conuertitur cum ente; est sciẽdum quòd (vt patuit ex 8. *Metaphysic.*) nullus potest imponere nomen rei, nisi qui nouit rem: & hoc dicitur 1. *Perihermenias, cap.* 1. quia *Voces sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ.* Nunc autem aliquando contingit, quòd nominaliter aliquid multis positiuum est, quod secundùm veritatem est priuatio, quamuis significetur nomine positiuo; quia habitus sibi contrarius dicit naturam positiuam. *Corporeum* enim dicit secundùm rem priuationem, *incorporeum* positiuum *; & cùm notiora sint corporea naturaliter, quàm incorporea, in compositis ex materia & forma, *vnum* secundùm veritatem habitus quidam est à forma rei partes continente causatus: & ille habitus significatur nomine *vnius*. Diuisio autem eorum secundùm veritatem est priuatio illius habitus, & significatur nomine *multitudinis*: vnde *multum* est ens aliquo modo in se diuisum: *vnum* autem est ens in se indiuisum. Et ideò dicit Boëtius, de Vnitate & Vno cap. 1. *Cùm autem forma materiæ vnitur necessariò ex coniunctione vtriusque aliquid vnum constituitur, in qua constitutione illud vnum non permanet, nisi quamdiu vnitas formam cum materia tenet*: ergo secundùm hoc destructio rei omnino est illud, quod separatio à forma & materia, quæ est ei causa non contraria. 5.

Vnum & multitudo quid significent.

Quomodo percipiuntur priuatiuum & positiuũ.

* Vide q. 24. num. 2.

6. Ex quo patet, quòd cùm multitudo surgat ex diuersitate vnitatis, & compositionis, *multitudo* dicit priuationem habitus importatam per vnitatem & compositionem. Et quia (vt dixi) secundùm quòd res nouimus, eis nomina imponimus; ideò cùm compositiones, causæ, & partes sint nomina magis nota; ideò etiam illud quod importatur nomine *multitudinis*, etiamsi dicat priuationem respectu illius, quod importatur nomine *vnitatis*: quia nomina positiua magis sunt nobis nota, ideò illud significamus nomine positiuo, quod est *diuisio*; & illud, quod significatur nomine *compositi*, seu *vnius*, quia est nobis minùs notum, significamus nomine priuatiuo per indiuisionem; quia *multitudo* est quædam diuisio: *vnitas* autem est quædam indiuisio; sicut iam dixi: quia substantia incorporea dicit habitum positiuum respectu substantiæ corporeæ, & hæc respectu eius dicit priuationem. Etenim, quia substantia corporea est nobis magis nota, quàm incorporea, illam nominamus per modum positiuum; aliam per modum priuatiuum. Sic etiam quamuis entitas creaturæ, quæ est finita & limitata, dicat priuationem respectu entitatis diuinæ, quæ est infinita; tamen quia nobis est magis nota entitas creaturæ, quàm entitas diuina, ideò nominamus eam nomine positiuo, cùm dicimus, quòd est *finita & limitata*; & entitatem Dei nominamus secundùm modum significandi priuatiuè, cùm dicimus, quòd est *infinitus*, *illimitatus*, & *incircumscriptus*: quamuis ista nomina dicant realem positionem, tamen quantùm ad modum significandi dicunt priuationem.

7. Patet igitur ex dictis, quòd *multum*, etsi significetur nomine positiuo, quod est *diuisio*, dicit tamen priuationem realiter illius habitus, qui causatur à forma totius, quod partes continet. *Vnum* autem etsi significetur nomine priuatiuo, quantùm ad modum significandi, quod quidem nomen est *indiuisum*, realiter dicit positionem; quæ positio de ratione sua priuat illam priuationem, quæ importatur nomine *multitudinis*: quia *indiuisio* est negatio diuisionis; *diuisio* autem est priuatio positionis. Sic fortè caueatis totum: & ideò indiuisionis ratio, quam includit *vnum*, est ratio priuatiua, non priuatiua affirmationis; quia tunc *vnum* non diceretur de Deo, sed priuatiua priuationis; & sic secundùm rem, vnum significat positiuum: secundùm verò modum significandi, qui sequitur modum intelligendi, significat priuationem. Et quia *vnum* dicit priuationem priuationis importatæ per *multum*, *multum* dicit priuationem habitus importati per *vnum*, habitum est quòd *vnum* definitur per *multa*: &ècontrario. *Vnum* enim est, quod est principium multitudinis; *multitudo* item, quæ numeratur per *vnum*. Quia enim priuatio cognoscitur per habitum, cùm *vnum* sit priuatio multitudinis secundùm rem; & *multum* sit priuatio vnius secundùm modum; ideò *vnum* habet per alterum definiri; & ècontrario.

Ex prædictis patet, quòd *vnum*, quod conuertitur cum ente, tem non addit super *ens*, sed solam rationem in modo significandi: quæ ratio dicit priuationem priuationis, non alicuius positionis, quia tunc Deus non esset vnus. Cùm autem *vnum* sit principium numeri quod est accidens, principium autem accidentis, necessariò sit accidens; necesse est dicere quòd si secundùm prædicta, *vnum* quod conuertitur cum ente, non dicit accidens: ergo aliud est *vnum*, quod est principium numeri ab illo *vno*, quod conuertitur cum ente.

Ex quo igitur vidimus naturam *vnius*, quod conuertitur cum ente; quærenda est natura *vnius*, quod est principium numeri. Est igitur sciendum, quòd cùm omne *vnum* ab vnitate oriatur, necesse est, quòd vnitas, à qua oritur numerus, virtute & primò, & per se contineat omnes numeri vnitates. Et hoc est quod dicit Dionysius, *cap.5.* de diuinis nominibus: *In monade enim*, (inquit,) *omnis numerus vno modo ante constat: continétque omnem numerum monas in se vno modo, & numerus omnis coniunctus est quidem in monade: sed quatenus à monade proficiscitur, eatenus distinguitur & crescit.* Est igitur sciendum, quòd *monas* sicut *vnitas*, quæ est principium numeri, à qua numerus, & eius vnitates oriuntur, dicitur potentiâ continere numerum, & eius vnitates; vno modo secundùm formam, vel entitatem; alio modo secundùm substantiam & materiam. Primo modo adhuc *monas* virtualiter, & in potentia continet in se numerum, & eius vnitates dupliciter: vno modo virtute, & potentiæ actione; alio modo quasi passiuè *monas* continet numerum, & eius vnitates. Virtute & potentiæ actione, est vnitas potentiæ diuinæ essentiæ, à qua omnis multitudo creaturarum procedit: quia sicut centrum circulorum, Sol radiorum, fons riuulorum; sic Deus est causa, & principium omnium prædictorum: quia *Sine ipso factum est nihil.* Et hoc est, quod dicit Dionys. *de diuinis nominibus, cap.2. Deus est essentia, quæ omnem essentiam superat: iis autem quæ sunt, statum dat, omnémque essentiam profert in lucem.*

Quid est vnitas, principiũ numeri. 8.

Vnitas virtute continet totum numerum.

Virtute & potentia.

Ioan.1.

Et huius ratio est, quia constat in omni genere semper imperfectum, & diminutum, oriri ab illo, quod est perfectum simpliciter in illo genere: sicut calor in rebus calidis est à primo calido, quod est ignis; vt dicitur 2. *Metaphys. text.* 4. cùm ergo quælibet res, & quidquid est in rebus, quocunque modo *esse*, vel rationem entis participet aliquo modo sit imperfectum & admistum, oportet quòd omnis res secundùm illud totum, quod in ea est, à primo & perfecto ente oriatur: hoc autem ens non est, neque intelligi potest, nisi vnum solum infinitum.

Omnes vnitates & numeri habent originem à Deo.

9. Ab hac igitur vnitate oritur totus numerus, & omnes vnitates creaturarum, non per huius vnitatis diuisionem, vt de ipso vno fiant duo, & pereat eius vnitas ex hoc, quòd numerus & vnitas exoriantur, sicut in diuisione quanti, vt iam dicetur; hic enim numerus, qui procedit ab vno in quantis, multiplicatur, quia vnum fit duo; sed ab ista vnitate oritur numerus, & vnitates, vt ab ipso principio calidi omnium primo procedit primum, & item secundum, & iterum tertium; & sic deinceps vsque ad infimam creaturam. Non sic intelligendo, vt dixit Auicenna 9. *Metaph. cap.4.* quòd ab ipso procedit vnum solum immediatè, quia ab ipso procedunt omnia immediatè, vel totaliter illa producendo, vt sunt illa, quæ sunt à creatione: vel cooperando, vt sunt illa, quæ producuntur arte, vel naturâ. Sed prædicta mediatio, quòd scilicet, vnum producat immediatè, & secundum mediatè sit vsque ad infimum, hoc debet intelligi, quoad mediationem in genere dignitatis, quia primum causatum immediatè participat diuinitatem, secundum non ita immediatè. Et istum modum mediationis intelligit author de Causis, quando dicit, quòd Deus creauit animam mediante Intelligentia:

Intelligentia: & hoc est, quod dicit Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus: *Per omnia viuens perfectissima bonitas, non solas implet circa se optimas essentias, extenditur autem vsque ad nouissimas; his quidem magis adueniens, his autem minus, aliisque nouissimè: sicut vnumquodque participare potest excellentiam.*

10. Et sic patet quòd vniuersalitas rerum est numerus quidam constans ex vnitatibus particularitatis in essentiis, eæque omnes ortum habent ab vnitate prima Dei, quæ non est participata, sed quam omnis creata vnitas participat, per quam dat imitationem; quæ totum rerum numerum, & eius vnitates virtute continet & potentiâ actiuâ: quæ vnitates oriuntur ab ipsa, non per sui diuisionem, sicut accidit in numero, qui procedit ex diuisione quanti, sed per sui communicabilitatem.

Et isto modo multitudo rerum procedit ab vnitate prima ad modum numerorum: quia sicut in processu numeri, in diuisione quanti (vt iam videbitur) si multiplicentur vnitates per diuisionem primæ vnitatis, tertia vnitas procedit ab illa, quæ est principium numeri mediante secunda; & quarta, mediante tertia; & semper posterior plus elongatur à prima: sic in creaturis vna expressiùs participat primam Dei vnitatem, quàm alia.

Et sicut ex numero procedente ex diuisione quanti, non est dare duas species numerorum per æqualem approximationem ad primam vnitatem quanti, à qua oritur numerus: sic dicunt aliqui quòd in tota vniuersitate omnium creaturarum, non possunt duo diuersa, maximè secundùm substantiam & essentiam specificam, per æqualem distantiam se habere ad primum. Et secundùm hoc posset verificari, quòd ab vno non procedit immediatè, id est, immediata partitione, nisi vnum: quia duæ essentiæ specificæ non possunt se habere ad illam vnitatem, per immediatam, & æqualem partitionem, sicut nec duæ species numerorum (vt iam dictum est) non possunt se habere per æqualem immediationem ad vnitatem.

11. Alia est vnitas, à qua oritur numerus, & omnes vnitates, quas ipsa continet potentiâ & virtute, quasi modo specificato, & ex ista oritur tota multitudo, non per sui communicabilitatem, vt dixi de vnitate diuina; sed per sui diuisionem; non quidem in partes quantitatiuas, sed in partes subiectiuas. Et ista vnitas est vnitas generis Metaphysici, cuius communitas consistit in analogia: ita quòd res importata nomine talis generis, per se principaliter, & veraciter dicitur solùm de vno; de aliis per quandam attributionem ad illud.

Ens quomodo est genus Metaphysicum. Et isto modo ens communissimè sumptum, est genus Metaphysicum ad creatorem & creaturam; & eius vnitas diuiditur in ens, quod est in se *esse*, & in ens habens *esse*: siue cui conuenit esse ens, & habens *esse*, siue cui conuenit esse ens; quod est genus commune Metaphysicum; & diuiditur in decem Prædicamenta. *Ens per se, & ens alicuius.* Et prima diuisione diuiditur in ens, quod est per se, secundùm quod ly *per se* opponitur ei, quod est *aliter se habere*: & in ens, quod est alicuius, quod continet nouem Prædicamenta accidentis. *Ens alicuius per se, & alicuius per aliud.* Et similiter ens, quod est alicuius, est genus Metaphysicum, & diuiditur in ens, quod est alicuius per se, vt est quantitas; & in ens quod est alicuius per aliud, qualia entia sunt omnia accidentia alia à quantitate, quia mediante quantitate insunt sobstantiæ naturaliter. Et quodlibet genus Prædicamentorum, quæ sunt decem, diuiditur per subalterna genera: & sic vsque ad indiuiduum: & sic causatur numerus ex diuisione vnitatis, non in partes quantitatiuas, sed subiectiuas.

SCHOLIVM.

Problematicè tractat, an creaturarum infinita species dari possint, vel an Deus habeat infinitos gradus imitationis, vel infinitas perfectiones ideales, secundùm quas infinita creatura possint produci specie distincta. Dari in Deo ideas non solùm rerum productarum, sed etiam possibilium, docet Alensis part. 2. quæst. 3. de causa exemplari, membro 3. art. 1. probátque ex Augustino secundùm eas res formari, aut creari, & vniuscuiusque rei dari propriam ideam; Non enim, *inquit Augustinus lib. 83. qq. quæst. 46.* eadem ratione exemplari conditus est homo, qua equus: *Scotus autem in 4. dist. 13. quæst. 1. num. 31. & 32. in eam sententiam magis propendet, non dari scilicet infinitatem extensiuam perfectionum in Deo.*

Numerus autem causatus ab vnitate, quæ non actu, sed virtute, vel potentiâ continet vnitates; cuiusmodi est vnitas Dei, videtur aliquibus, quòd possit procedere in infinitum; & quòd Deus habeat rationes imitationis in infinitum, nec aliqua creatura exhauriat infinities infinitum, dictam perfectam causam imitando: quia datâ quacumque, est adhuc alia. Quia cùm Deus perfectus infinitè, infinitos gradus imitationis continet intensiuè, & extensiuè: & sic cùm creaturæ procedant secundùm gradus imitationis, videtur quòd numerus creaturarum etiam secundùm species procedat in infinitum; nec habeat statum in ascendendo, & descendendo. 12. *An Deus habeat rationes imitationis in infinitum.* *Quidam asserunt.*

Aliis videtur, quòd numerus procedens à tali vnitate, non procedat in infinitum, sed habeat statum in ascendendo, & descendendo: quorum est ratio, quia processus ille secundùm gradum specierum in imitando diuinam perfectionem in infinitum, est per additionem ad formam, quoniam omnis perfectio est à forma: & ita gradus superior imitandus est forma perfectiori: ergo talis processus in infinitum ascendendo, esset possibilis in infinitum: ergo in forma per additionem actuum potest procedi in infinitum: sicut & diuisio in quantitate secundùm materiam potest procedere in infinitum; quod est contrà Aristotelem 3. *Physicor. cap. 1. de Infinito, text. comm. 59.* quia tunc esset dari in potentia aliquod infinitum; & tunc, vt dicit, necessariò esset actu: quia, vt dicit, quantam conuenit dare magnitudinem in potentia, tantam conuenit dare actu. Vbi dicit Commentator, *Essentia enim materia & infiniti, est in potentia; forma autem & finis sunt in actu.* Finitas ergo similis est formæ, & infinitum materiæ. Quoniam si posuerimus, quòd magnitudo possit crescere in infinitum, tunc infinitum exibit in actu: & cùm posuerimus, quòd diminutio procedit in infinitum, non accidit impossibile. *Alij negant.* *Prima horũ ratio.*

13. *Secunda.* Est etiam eorum ratio, quòd essentiæ vniuersi habent inter se ordinem essentialem, cùm sint partes vnius totius, scilicet vniuersi: qui quidem ordo continet vnum, non solùm per aggregationem, sed per mutuam influentiam, secundùm

secundùm genus causæ mouentis, ad constituendum vnitatem vniuersi; non solùm per aggregationem partium. In causis autem mouentibus essentialiter ordinatis non est processus in infinitum, sumendo vnum post aliud descendendo, vel vnum ante aliud ascendendo: quia tunc productio effectus dependeret ab infinitis causis, quæ non possunt pertransiri: vt si anima moueret manum, manus autem martellum; si essent talia media infinita, ex quibus deductio cultelli dependeret, nunquam cultellus fieret, quia vnus non veniret nisi necessariò ab alio. Vnde dicit Aristoteles *lib. 5. Physicorum, text.* 34. quòd si infinitæ reuolutiones præcessissent istam, nunquam deuentum fuisset ad istam. Et hoc sentit Aristoteles 2. *Metaphys. text. 5.* vbi dicit; in causis efficientibus, quòd hoc moueatur ab illo, & illud ab alio, non est processus in infinitum.

Tertia. Tertiò, quia in ordine essentiarum quantò superior, tantò est maioris perfectionis, & sic necessariò si in talibus est processus in infinitum, necesse est dicere, quòd in natura sit aliqua essentia possibilis ad infinitam perfectionem. Quamuis enim procedendo ab vna essentia in alteram ascendendo, nunquam sit deuenire ad infinitam aliquam, sed talis processus semper vadit in infinitum: necessariò tamen esset ponere, quòd possibilitas in forma creata esset ad perfectionem infinitam: & si esset possibilitas talis formæ infinitæ perfectionis, esset in actu, secundùm determinationem Aristotelis 3. *Physicor. text. comm.* 59. Vnde dicit Commentator, excellentissimum secundùm appositionem, nec potentia possibile est esse, siue non est secundùm actum infinitum. Et hoc ideò videtur, quia quod est infinitæ perfectionis, à nullo dependet; & in tali non differt *esse*, & *posse esse*. Et ideò, si aliquod creatum esset in potentia ad infinitam perfectionem, necessariò esset actu.

14. Secundùm istam viam volunt aliqui, quòd quamuis Deus sit infinitæ perfectionis, non tamen est imitabilis à creaturis secundùm infinitos gradus; quia non est ex parte sua, quasi passiuè, secundùm aliquem gradum perfectionis; nisi secundùm illam creatura sit apta nata ipsum imitari actiuè: ita quòd quantumcunque sit infinitas in diuina perfectione, si tamen sit finitus respectus, seu terminus in forma creaturæ, vltra quem creatura ex parte sua Deum non potest imitari, Deus vltra illum non dicetur imitabilis à creatura: non propter defectum infinitatis suæ perfectionis, sed solùm propter defectum, vel limitationem creaturæ.

Et secundùm istum modum dicitur, quòd numerus oriens à tali vnitate, virtute, & potentiâ actiuâ continente vnitates numeri, non procedit in infinitum, saltem in essentiis. Et eodem modo numerus, qui surgit ex diuisione vnitatum in partes subiectiuas, secundùm modum iam dictum, non procedit in infinitum, quia hæc vnitas in partes subiectiuas diuiditur; & numerus, qui ex tali diuisione causatur, oritur à prædicta vnitate, & à prædicto numero: etsi ille numerus non procedit in infinitum, nec iste.

15. *Vnitas integralis.* Alia est vnitas continens numerum, qui ab ea oritur, & eius vnitates secundùm substantiam & naturam: ita quòd per diuisionem illius vnitatis, non in partes subiectiuas, sed integrales, oritur numerus ab illa vnitate. Et isto modo vnum magnitudine habet in se omnem numerum, qui per diuisionem magnitudinis potest inde procedere. Et quia talis vnitas, quæ est quantitas, accidit rebus, quæ sunt de genere substantiæ per ipsam quantitatem, quæ est accidens substantiæ; ideò etiam talis diuisio, & talis numerus ex diuisione talis vnitatis continuitatis procedens, accidit rebus, quæ sunt de genere substantiæ, & etiam rebus aliorum Prædicamentorum, quibus accidit quantitas, vt albedini. Sicut autem quantitati non accidit continuitas, sed continuitas est idem re, quod quantitas continuati, vt linea, & sua continuitas; ita talis diuisio & numerus ex ipsa procedens, non est accidens rei, quę de se est in genere quantitatis.

Talis autem vnitas, quæ est continuitas, quæ rebus aliorum Prædicamentorum accidit, sed quantitati est essentialis, potest accipi vel actu, vel potentiâ. *Vnitas continui.* Actu, si diuidamus aliquod continuum; vtpote, lignum existens sub continuitate; tunc talis numerus procedit ex diuisione illius vnitatis. Vel in potentia, vt si dicamus quòd omnia corpora, seu corruptibilia, seu incorruptibilia sumantur ex diuisione vnius quanti in potentia. Quia omne continuum, quantùm est ex parte sua, natum est esse vnum, & vna magnitudo, & vna continuitas, nisi esset diuersitas formarum distinguentium: & ideò numerus omnium corporum, seu corruptibilium, seu incorruptibilium procedit ex diuisione vnius potentialiter sumpti. Immò non differt vnitas talis à numero, & eius vnitatibus, nisi sicut vnitum & congregatum à diuiso & disgregato, secundùm quòd dicit Boëtius *de Vnitate & Vno*; *cap.* 2. *Quidquid est* (inquit,) *vel vnum, vel pluralitas: pluralitas autem non est, nisi ex congregatione vnitatum; quæ vnitates, vt sunt disgregatæ, faciunt multitudinem: si verò sint congregatæ in materia & continuo, faciunt magnitudinem:* nihilque interest, nisi quòd illæ disgregatæ, sunt isto modo continuæ.

Sic ergo numerus, qui est ex genere quantitatis, oritur ex vnitate continuitatis acceptæ in potentia: non sic intelligendo numerum oriri ex ista vnitate, quasi in constitutione numeri, illa vnitas, à qua numerus habet ortum, primò accipiatur; & deinde illi toti vnitati alia diuersa vnitas addatur, vt fiat binarius; & sic deinceps per nouarum vnitatum, quæ non fuerunt in prima vnitate, additionem; sed quia prima vnitas continuitatis, quæ erat vna in se actu, vel materia, prima diuisione, fit duo, secunda diuisione fit plura: & sic accipitur talis numerus in infinitum, per diuisionem primæ vnitatis, seu continuitatis. 16.

Igitur ex prædictis patet, quòd talis numerus ex diuisione vnitatis continui surgens, nullam rem positiuam addit super ipsam vnitatem continuitatis, à qua illæ vnitates numerum constituentes, oriuntur. *An numerus addat aliquid reale rei numeratæ.* Nec discreta quantitas, sicut numerus in genere quantitatis, dicit aliquam formam positiuam, aliam à forma continuitatis. Vt si dicamus, quòd continuum & discretum solùm differunt secundùm respectum, siue secundùm alium, & alium ordinem partium inter se: vt patet in præmissa authoritate Boëtij; quia partes numeri vt constituant vnitatem continui, vniuntur & copulantur ad vnum communem terminum: in discreto verò non vniuntur, nec copulantur ad vnum communem terminum. Et hoc quòd, scilicet, non vniantur, vel copulentur ad vnum communem terminum, non conuenit discreto ex

natura

natura alicuius positiui, quod addit supra continuum; sed potiùs ex natura priuatiui.

Ex quo patet, quòd quantitas continui in rei veritate plus habet de entitate, quàm discreta: quia numerus, vt est quantitas discreta, non est, nec intelligi potest sine priuatione continui, quia numerus nihil addit supra continuum, nisi negationem continui, seu alium respectum, qui est potiùs priuatiuus, quàm positiuus.

SCHOLIVM.

Numeros inuicem differre specie, docet hîc Scotus per maiorem vel minorem accessum ad vnitatem, à qua originantur; & quia iuxta Philosophum 8. Metaphys. text. 10. Formæ sunt sicut numeri, vel numeri sicut formæ, quidquid additur numero praexistenti, quod natum est esse pars numeri, vel detrahitur à numero, quod in eo praexistebat, mutatur species numeri: sicut illud quod additur formæ acceptæ secundùm rationem quiditatis, alterat speciem, vt videtur in anima intellectiua addita sensitiuæ. Si verò illud, quod additur, non habet rationem quiditatis, aut speciei, sed differentiæ dumtaxat indiuidualis, vel gradus additi quiditati, & non est nata esse pars quiditatis, non alterat speciem. Similiter in numero, si illud, quod additur, non est natum esse pars numeri, verbi gratiâ, aliquod accidens, puta si intelligeretur vna vnitas ternarij intensior fieri, quam priùs fuerit in se, non mutaretur species. Ita Scotus in 1. dist. 17. num. 7. & in 2. dist. 3. quæst. 7. num. 8. Vide eundem in Reportatis 1. dist. 24. quæst. vnica, num. 6.

17. *Obiectio. An diuersitas numerorũ cõstituat varias species.* Si verò dicas, quòd priuatio essentiam, seu speciem essentialem non constituit; numeri autem sunt diuersarum specierum, vt ternarius, & quaternarius; ergo si totam realitatem habent ab vnitate continuitatis, à qua deciduntur, & non addunt nisi priuationem continuitatis, nullo modo aliquis numerus ab alio differt specie & essentia.

Solutio. Respondeo, & dico, quòd entitas numeri est ipsa entitas continuitatis primæ vnitatis diuisæ, & varia elongatio ab illa vnitate, quæ fit per maiorem, & minorem diuisionem, facit in numeris diuersitatem in specie. Vnde cùm in prima diuisione fiat prima elongatio, ideò prima diuisio causat primum numerum; quia per secundam diuisionem accipitur tertia vnitas, quæ secundo respectu distat à prima ipsa vnitate: ideò tertia vnitas causat aliam speciem numeri. Et quia semper vnitas vltimò accepta per diuisionem primi continui in determinato gradu, distat à prima vnitate, & ampliùs quàm vnitatis primò acceptę; ideò vnitas vltimò accepta semper constituit certam speciem numeri; & maiorem numerum, quàm præcedentes: & quantò maior numerus, tantò maiorem includit priuationem primæ vnitatis.

Ex quo patet, quòd ordo distantiæ vnitatis vltimò acceptæ, est à prima vnitate, à qua oritur numerus, quia est definita, & certa, & vnam certam speciem facit numeri: & facit vnitatem in numero, inquantum numerus. Et quia omnes vnitates acceptæ à prima, distant secundùm magis, & minùs, nec possunt accipi duæ æqualiter distantes: ideò quælibet constituit certam speciem, & vnam speciem ab alia distinctam: nec sequitur, ergo priuatio constituit numerum; inquantum numerus dicit entitatem, quia totam illam habet à quantitate: sed maior & minor participatio primæ vnitatis causat in numeris distinctionem in specie: & ideò tota realitas specierum numeri est ex illo positiuo, quod participatur; non ex priuatiuo. Sed distinctio speciei à specie est ex alio modo procedendi.

Si quæras, quare in continuo *magnum & paruum, magis & minus*, non variant speciem; in numero autem variant? Respondeo, quia in continuo, inquantum continuum, *magnum & paruum*, seu *magis & minùs*, sub vna forma continui continentur; & vt non discontinuata, nec diuersa accipiuntur: in discreto autem, seu discontinuo *magis & minùs* accipiuntur, non vt sunt sub vna forma, nec vt sunt inter se vnita; sed vt sunt sub diuersis respectibus omnino distinctis; & varias rationes habentibus respectu vnius formæ, seu respectu vnitatis, à qua descendunt. Et ideò, quia in discretis *magnum & paruum*, seu *magis & minùs*, vt *primus & quartus*, accipiuntur secundùm oppositas, seu omnino distinctas rationes respectu primæ vnitatis (vt dixi) ideò constituunt diuersas species: in continuo verò accipiuntur prædicta secundùm vnam rationem, scilicet, vt continuantur ad communem terminum. Trigonum enim vt per se est, & tetragonum sunt diuersæ species figuræ: vt autem trigonum est in tetragono, sunt idem non solùm specie, sed etiam numero. Similiter sensitiuum, vt est animal vegetatiuum, à planta differt genere subalterno; vt autem sunt sub eadem forma, vnum clauditur sub altero. Similiter magis calidum, & minùs calidum, vt sunt seorsum accepta, & vt consequuntur diuersas naturas, vel substantias, habent diuersas proprietates: vndè secundùm medicos calidum in vno gradu, & calidum in alio, sunt diuersæ species: cùm autem minùs calidum continuatur cum magis calido, non sic differunt. 18. *Quare in continuo partes non variant speciem sicut in discreto.* Vide Scotum in reportatis 1 d. 24 q. vnica, n. 6. & 7.

19. *Vnitas vno modo est prior numero, alio modo posterior.* Ex prædictis patet, quòd numerus vno modo prior est vnitate, à qua oritur; alio modo posterior est ea: multitudo enim, seu numerus secundùm imaginationem, prior est vnitate continuitatis, à qua descendit; quia partes priores sunt toto: continuum autem integratur ex illis partibus, in quas diuiditur: sed secundùm intellectum, cuius est apprehendere vnitatem aliquorum in toto, vnitas continuitatis est prior, etiam secundùm veritatem. Quia etsi imaginata dissoluantur, vel diuisione partes habeant totum integrale; secundùm rem tamen & veritatem, multitudo partium ex diuisione vnius continui procedit. Vnde dicit Auicenna 3. *sua Metaphysica; cap. 3. Videtur autem quòd multitudo notior sit apud imaginationem nostram, quàm vnum; & videtur quòd vnitas & multitudo sit de his, quæ priùs formamus: priùs autem imaginamur multitudinem; & priùs intelligimus vnitatem.* Et sequitur ibidem, *Vnum est causa & principium multitudinis; & multitudo est id, quod numeratur per vnum.* Vnitas enim in intellectu discernitur, & concipitur vt habitus, cuius priuatio est multitudo: apud autem imaginationem, quæ est principium intellectus, contingit ècontrario. Et ideò subdit Auicenna ibidem, *Faciliùs cognosci multitudinem per vnitatem cognitione intelligibili: faciliùs autem eam cognosci per multitudinem in inueniendo in hoc intentionem imaginatiuam; ad hoc, vt inducat nos ad id, quod tunc poterat nobis esse per se notum; sed non formabatur præsens in intellectu.*

Hic ergo numerus, qui surgit, & oritur ex diuisione vnitatis, quæ & numerum, & eius vnitates continet secundùm substantiam & naturam, qualis

qualis est vnitas continuitatis, procedit in infinitum. Et ideò Aristoteles 3. *Physicor. text. com.* 68. De infinito quasi innuens differentiam inter istum numerum, qui surgit ex diuisione continui, & alios numeros, qui surgunt vel ex partitione primæ vnitatis, vel ex diuisione vnitatis generis Mathematici, vel generis Logici, vel prædicabilis in partes subiectiuas, quæ non procedunt in infinitum, maximè secundùm numerum corporum & specierum, dicit sic, loquens de diuisione continui: *Semper excellit acceptam omnem determinatam multitudinem; sed non separatus est hic numerus à diuisione, neque manet infinitus; sed fit, sicut & tempus, & numerus temporis.*

20. *Numerus est multiplex. Numerus essentialis.* Ex dictis patet, quòd in rebus inuenitur multiplex *numerus*, etenim quidam numerus *essentialis*, qui surgit ex partitione primæ vnitatis diuinæ, secundùm varios gradus essentiarum, qui dicitur essentialis; quia sicut quælibet res essentialiter per suam substantiam, vt essentiam, est vna, & non per aliquod absolutum super essentiam (vt superiùs est probatum) sic earum numerus non dicit rem aliam absolutam super res, vt sunt essentialiter distinctæ; siue distinctio accipiatur secundùm regulam generalem: vt cùm dicimus, quòd decem sunt genera Prædicamentorum: siue accipiatur illa distinctio in eodem genere prædicabili secundùm numerum generum subalternorum, & specierum specialissimarum: vt cùm dicimus, quòd homo, asinus, & leo, sunt tres species: vel albedo, & rubedo, & nigredo, sunt tres species: vel cùm dicimus, linea, superficies, & corpus, sunt tres species. Et eodem modo in quolibet genere omnes species numerantur numero *essentiali*, qui non addit aliquid absolutum super res numeratas; sicut nec vnitas, quâ quodlibet in suo genere est vnum, addit aliquid super illam rem.

21. Vnde sicut in genere substantiæ vnitas, quâ res secundùm suam substantiam est vna, nihil addit absolutum, sed solam rationem super substantiam solam rei: sic vnitas, quâ hæc natura est vna, & hęc albedo est vna, & hæc relatio est vna; & sic de rebus cuiuslibet generis, nihil absolutum addit super substantiam illius rei. Et quia sicut se habet vnitas ad quamlibet rem numeratam, sic se habet numerus compositus ex illis vnitatibus ad res numeratas: ideò numerus essentialis, quo res numeratur in suo genere, secundùm numerum essentiarum, siue secundùm numerum indiuiduorum, nihil addit super res numeratas absolutum; sed solam rationem. Sicut vnitas dicit aliam rationem ab ente; res autem omnium Prædicamentorum; inquantum habent quantitatem continuam vltra numerum essentialem, quo in suo genere numerantur, & recipiunt diuisionem, vt sunt sub quantitate continui, secundùm diuisionem quantitatis continuæ; vt tres homines, vel tria ligna, vel tres albedines; non solùm diuiduntur, vel distinguuntur, diuisione, vel distinctione essentiali: sed etiam secundùm distinctionem quantitatis continuæ, ratione materiæ quantitatis continuæ, quam habent, vel in qua sunt.

22. *Numerus accidentalis.* Et sic rès aliorum Prædicamentorum à Quantitate, numerantur duplici numero, scilicet numero essentiali, qui nihil addit supra res numeratas: sicut nec vnitates illius numeri: quia componuntur ex vnitatibus quæ conuertuntur cum ente & substantia rei. Vt etiam habent quantitatem continuam numerantur numero, qui causatur ex diuisione continui: & sicut quantitas continui addit aliquid super substantiam, & super res aliorum Prædicamentorum: sic iste numerus, qui est eis accidentalis, addit rem aliquam absolutam super numerata, quæ sunt aliorum Prædicamentorum. Sed res quæ per se sunt in Prædicamento Quantitatis, non numerantur nisi numero essentiali, quia quælibet pars quantitatis per se est vna; non per aliud absolutum ei additum: sicut res aliorum Prædicamentorum per se habent vnitatem, non per aliud absolutum superadditum: & ideò numerus, qui surgit ex diuisione continui, est accidentalis rebus aliorum Prædicamentorum; & addit aliquid absolutum super numerata: sicut ipsa quantitas continua est eis accidentalis; & addit aliquid super illa numerata. *Numerus accidentalis.*

Iam ergo patet, quòd numerus, qui oritur ex vnitate, quæ virtute & potentiâ continet omnes vnitates numeri; qualis est vnitas diuinæ essentiæ: & numerus, qui oritur ex vnitate, quæ continet virtute & potentiâ quasi passiuâ vnitates numeri; ex cuius diuisione in partes subiectiuas causatur numerus, qualis est vnitas generis Metaphysici, vel Logici; seu prædicabilis, est numerus essentialis. Numerus verò, qui oritur ex diuisione vnitatis, quæ secundùm substantiam, & naturam, & materialiter continet vnitates numeri, ex cuius diuisione in partes integrales, & quantitatiuas, causatur numerus, qualis est vnitas continuitatis: talis, inquam, numerus est accidentalis rebus aliorum Prædicamentorum, quæ habent continuam quantitatem, vel sunt in continua quantitate: & est essentialis rebus, quæ de se sunt in genere Quantitatis. Sed talis numerus, qui causatur ex diuisione continui, & est accidentalis rebus aliorum Prædicamentorum, non conuenit rebus, quæ non habent quantitatem continuam, vel sunt in continuo: talia enim solo numero essentiali numerantur; vt tres Angeli, vel tres animæ. 23.

Si quæras quomodo tria puncta numerantur? Dico, quòd numero essentiali; vt sunt tres res: & numero accidentali, vt sunt in tribus lineis.

Est alius numerus qui dicitur *formalis*, secundùm quem aliqua numerantur sub aliqua vnitate formali, quam participant, sicut indiuidua eiusdem Speciei. Talis enim numerus oritur ex diuisione vnius formæ specificæ in partes subiectiuas, qui formam aliquam non addit super naturam speciei: ideò differt à numero essentiali: quia numerata illa, quæ sunt genera, vel species subalternæ, addunt formam aliquam, quæ importatur per differentiam super vnitatem importatam per genus. 24. *Numerus formalis.*

Numerus autem accidentalis, qui causatur ex diuisione continui; qui (vt dixi) *accidentalis* dicitur, respectu cuiuslibet aliorum Prædicamentorum à quantitate, quæ tamen habent quantitatem; vel sunt in quantitate: adhuc diuiditur in numerum *Mathematicum*, & numerum *naturalem*: nam in rebus numeratis tali numero, est considerare & rationem vnitatis, & substantiam vniti, quæ est vna; sicut in ligno est considerare & rationem continuitatis, & id quod est continuum, cuiusmodi est substantia ligni. *Numerus* igitur *Mathematicus* dicitur *multitudo aggregata ex rationibus vnitatis, vt participant quantitatem*; vt ternarius, numerat tria quanta, siue sint ferra, siue lapides, siue ligna, vel albedines, vel quæcunque quantitatem participant: *Numerus Mathematicus & naturalis.*

&

& hic eſt numerus, quo numeramus. *Numerus naturalis* dicitur *multitudo aggregata ex ipſis rebus, quibus conuenit ratio vnitatis*; quæ ſunt ipſæ res numeratæ; vt tres lapides, vel tres albedines: & iſte eſt numerus, qui numerat per numerum Mathematicum. Et hoc eſt, quod dicit Boëtius *de Trinitate, cap.* 4: *Numerus enim duplex eſt, vnus quidem, quo numeramus; alter verò, qui in rebus numeralibus conſtat.* & Ariſtoteles 4. *Phyſic. text. comm.* 31. *Numerus eſt aut quo numeratur, aut numerabile:* quorum (vt dixi) alter eſt rerum ſubiectarum, ſiue ſint ſubſtantiæ, ſiue accidentia: alter verò eſt vnitatum ipſarum, ſuper quem numerantur. Et ideò iſte numerus abſtractus non ſolùm abſtrahitur à numero reali accidentali; ſed etiam à numero eſſentiali, naturali, & reali: quia cùm dico tres Angelos, eſt hîc vnitas numerata, & ratio vnitatis abſtracta. Quamuis vt abſtrahitur à numero eſſentiali, poſſit dici numerus Mathematicus; ſecundùm quòd de iſto duplici numero, Mathematico & reali, loquitur Auicenna 3. *Metaphyſ. cap.* 3. vbi ait: *Si quis autem dixerit, quòd multitudo componitur ex rebus, quæ non ſunt vnitates, ſicut ex hominibus & beſtiis, dicemus quòd ſicut hæ res non ſunt vnitates, ſed res ſubiectæ vnitatibus, ſic non ſunt multitudo; ſed res ſubiecta multitudini: & ſicut res illæ ſunt vna, non vnitates; ſic hæc ſunt multa, non multitudo.*

25. Accipiendo iſtos duos numeros, ſcilicet numerum Mathematicum abſtractum, & numerum realem, qui conuenit rebus aliorum Prædicamentorum, vt habent quantitatem, vel vt ſunt in quantitate, ſeu numerum numeratum, & numerum, quo numeramus; ſic connumerando cum iſtis numerum eſſentialem, ſunt tres ſpecies numerorum. De quibus loquitur Commentator ſuper 3. *Metaphyſ. text. comm.* 38. *Tres (ait) ſunt ſpecies numerorum; eſt enim numerus Mathematicus, qui non multiplicatur per multiplicationem numeratorum, & eſt numerus formalis, qui diuerſatur per numerationem entium, & eſt numerus, cuius iſte numerus eſt forma; & ſunt ſenſibilia.* Ex quibus verbis patet differentia numeri Mathematici, ad numerum realem: ſiue numeri, quo numeramus, ad numerum connumeratum, quia numerus Mathematicus non multiplicatur ad multitudinem numeratorum, quantumcunque ſint diuerſæ naturæ; dummodò habeant quantitatem continuam, vel ſint in quantitate. Numerus autem realis, ſiue numerus numeratus, multiplicatur, & diuerſificatur ſecundùm diuerſificationem rerum numeratarum. Et iſtam differentiam numeri Ariſtoteles ponit in fine 4. *Phyſicor. text.* 132. *Si enim (inquit) & hi ſint canes, hi autem equi, vtrique autem ſeptem, idem numerus eſt, tempus autem vbique idem, quia & numerus vnus, & idem vbique eſt, qui eſt æqualium, & ſimul*; & ibidem, *text.* 134. *Dicitur autem rectè quòd numerus quidem idem eſt, & ouium, & canum, ſi æqualis vterque ſit: decem autem non idem, neque decem eadem ſunt*, &c.

Tres ſpecies numeri.

Differentia inter numerū Mathematicum & realem.

26. Sed aduertendum quòd inquantum forma numeri Mathematici eſt in numeris ſenſibilibus & naturalibus, ibi neceſſariò multiplicatur ſecundùm numerum ſenſibilium, & multitudinem naturarum. Vnde quòd numerus Mathematicus non multiplicetur ſecundùm multitudinem numerorum realium, hoc contingit ei propter maiorem abſtractionem & ſimplicitatem, quam habent numeri ſuper magnitudines. Ratio autem huius maioris & minoris abſtractionis eſt differentia inter vnitatem, quæ eſt principium numeri, & punctum, quod eſt principium magnitudinis. Vnitas enim de ratione ſua eſt maioris abſtractionis, quàm punctum; quia punctum eſt ſubſtantia poſitiua; vnitas autem de ratione ſua non dicit poſitionem, ſeu ſitum. Et ideò ſicut vnitas per additionem ſitus induit rationem puncti; ita numerus per additionem ſitus cadit in continuum: & quia abſtracta habent maiorem vnitatem, ideò numerus Mathematicus eſt vnus; quamuis numeri reales multiplicentur.

Numerus Mathematicus eſt magis abſtractus.

Ex prædictis patet, quòd cùm, ſecundùm prædicta, omnis numerus ab vnitate oriatur, omnium numerorum eſt quodammodò idem principium, & radix. Et hæc eſt ipſa materia, quæ cùm diuiditur ſecundùm diuerſas formas ſpecificas, eſt radix numeri eſſentialis; & dum diuiditur ſecundùm diuerſas actualitates in diuerſis indiuiduis eiuſdem ſpeciei, eſt principium numeri formalis: & dum diuiditur in diuerſas partes integrales ſecundùm diuiſionem continui, eſt principium numeri accidentalis. Et vt comparatur ad res aliorum Prædicamentorum à quantitate, eſt numerus eſſentialis; vt comparatur ad res, quæ per ſe ſunt in genere quantitatis, eſt numerus naturalis: dum autem vna pars eius quantitatis, vel vna ſubſtantia ſub quantitate intelligitur replicari ſine ratione vnitatis, eſt principium numeri Mathematici. Et hæc de prædicto articulo ſufficiant; ſicut ſufficere debent, ſi prædicta intelligantur.

Numerorum omniū radix.

ARTICVLVS II.

Variis rationibus probatur numerum nihil reale addere ſuper res numeratas.

Circa ſecundum, in quo eſt prædicta declaratio rationibus confirmanda, eſt ſciendum, quòd nullus numerus eſſentialis addit aliquid ſuper numerata: quia inquantum talis componitur ex vnitatibus, quæ conuertuntur cum entitate, & ſubſtantia rei: & ſicut vnitas talis nihil addit ad id, cuius eſt vnitas; ſic nec numerus ex illis vnitatibus conſtitutus, aliquid addit ſuper numerata. Sicut etiam omne actuale, quod eſt cauſa indiuiduitatis, nihil addit ſupra eſſentiam abſolutam, vt aliàs declaraui, ſic nec numerus formalis, qui eſt numerus indiuiduorum ſub vna ſpecie, nihil addit ſupra numerata. 27.

Numerus eſſentialis nihil addit ſuper res numeratas.

Item, ſicut vnitas, quâ quodlibet indiuiduum ſub vna ſpecie eſt vnum in ſubſtantia, & natura, nihil addit abſolutum ſuper actum exiſtentiæ, & ſubſtantiam rei: ſic nec numerus eorum formalis ex talibus vnitatibus conſtitutus, addit aliquid ſuper illas res numeratas.

Neque formalis.

Numerus autem accidentalis, qui ſurgit ex diuiſione continui, vel poteſt comparari ad res, quæ per ſe ſunt in genere quantitatis; vt ternarius ad ternarium: & iſto modo, vt dictum eſt, eſt numerus eſſentialis, & conſtituitur ex vnitatibus, quæ conuertuntur cum entitate, & natura linearum: quia quælibet linea per ſuam ſubſtantiam & naturam eſt vna; namque ſi per aliud, eſſet proceſſus in infinitum. Et ideò talis numerus ex talibus vnitatibus conſtitutus, vt comparatur ad res quantitatis, nihil abſolutum addit ſuper illas. Vt autem comparatur ad res aliorum Prædicamentorum, quæ habent quantitatem, &

Neque accidentalis ſuper res Prædicamenti Quantitatis.

Maximè verò ſuper res aliorum Prædicamentorū.

& sunt in quantitate; vel aliquo modo diuiduntur secundùm diuisionem quantitatis, dicitur numerus eorum accidentalis: sicut quantitas est eorum accidens. Et sicut quantitas continui dicit aliquid absolutum super illa, vt super substantiam trium lignorum: sic ille numerus accidentalis, qui est in eis per diuisionem continui, dicit aliquid absolutum super numerata.

28. *Quid de numero Mathematico.* Numerus autem Mathematicus non dicit aliquid absolutum super res, sed solùm secundùm considerationem super numerum realem, & sensibilem ipsarum magnitudinum numeratarum: sed respectu rerum aliorum Prædicamentorum dicit aliquid absolutum; sicut & ipse numerus realis magnitudinum, siue partium quantitatis.

Probatur nullũ numerum addere aliquid absolutum. *Prima ratio.* Quòd igitur nullus numerus secundùm modum prædictum aliquid absolutum addat super res numeratas, arguitur multiplici ratione. Primò, quia si numerus differat à rebus numeratis, vt triangulus à tribus lineis; vel vt corporeus ab ipsis corporibus; tunc Deus posset separare numerum à rebus numeratis, & essent numerata; & ideò nullam distinctionem numeralem haberent, nec aliquem numerum constituerent, quod est impossibile, cùm necessariò essent multa. Item, quòd posset numerus etiam seorsum fieri sine numeratis, & vtrumque est impossibile.

29. Hæc ratio concludit de essentiali numero & accidentali, vt est essentialis rebus, quæ sunt de genere Quantitatis: non autem concludit quòd numerus accidentalis rebus, quibus est accidentalis, non addat rem absolutam; namque tunc Deus numerum posset separare à rebus numeratis, vt triangulum à tribus lineis; & tamen remanerent numerata, & distinctionem numeralem habentia, non numero accidentali, sed essentiali; & haberent distinctionem essentialem, non accidentalem, quæ est per quantitatem: & talem numerum posset Deus facere seorsum præter numerata; sicut potest facere quantitatem continuam, vel tres partes quantitatis continuæ sine substantia, vt est in tribus hostiis consecratis: concludit tamen necessariò in numero essentiali: vt patet.

Secũda ratio. Secundò, quia si numerus addit rem absolutam super numerata, ita quòd illa vnitas, quâ numerus dicitur vnus trium lapidum, sit aliqua res realis non consistens, tunc ille numerus necessariò haberet realem vnitatem, quam non haberent numerata, inquantum sunt numerata: quia nullum accidens absolutum habet realem vnitatem formaliter à subiecto, nisi per accidens, sed ab actu existentiæ; alioquin accidentia separata, vt in Sacramento altaris, non essent eadem numero, quæ fuerunt in subiecto: sed numerus istam realem vnitatem habere non potest, quia nullum totum potest ex suis partibus fieri vnum, vel vnum ens, nisi partes ad se inuicem vniantur; nec quacunque vnitate, vt aceruus lapidum; sed naturali vnitate: alioquin illud totum non haberet formalem vnionem; sed vnitates constituentes numerum non sunt ad inuicem vnitæ naturali vnione in vno; imò potiùs discretæ inter se inuicem & distinctæ: ergo non posset constituere aliquam vnam formam. Non ergo numerus habet realem aliquam vnitatem aliam à rebus numeratis. Hæc ratio etsi concludit, quòd numerus non dicat rem absolutam, multùm tamen deficit; quia numerus habet aliam vnitatem à numeratis, vt videbitur in solutione cuiusdam dubij.

Tertiò, quia quæcunque partes vniantur ad constituendum vnum ens, vel vnam formam, tunc semper constituunt vnitatem, vt patet, dum corpus & anima constituunt hominem: ergo si partes numeri vnirentur ad constituendam vnam formam, constituerent quandam vnitatem, aliam à seipsis, & sic numerus ex tribus vnitatibus constitutus excederet illas vnitates in veritate. Et hæc ratio tertia deficit; quia certum est, quòd numerus habet propriam vnitatem, aliam ab vnitate partium, vt videbitur. 30. *Tertia ratio.*

Quartò, quia omnes partes concurrentes ad vnius constitutionem faciunt vnum solùm numero: omnes etiam sic concurrentes ad vnius constitutionem, amittunt actualem diuisionem, quam priùs habebant: quia partes in toto sunt potentia, non actu: quia ex pluribus partibus actu, non fit vnum: non ergo numerus habet aliquam vnitatem, quam tamen haberet si supra numerata rem aliquam adderet. *Quarta ratio.*

Quintò, quia cùm partes concurrunt ad faciendum vnum tertium, tunc non faciunt plura numero, sed faciunt vnum numero, vt patet in quolibet toto integrali: ergo quando tres vnitates concurrunt ad faciendum vnum tertium, tunc non facerent plura numero, sed facerent vnum numero; & sic in numero tertio non essent tres vnitates, sed solùm vna: vnitas autem numeralis non facit numerum: & sic tres vnitates non facerent numerum. Nullam ergo vnitatem haberent vnitates in numero, quam tamen haberent, si numerus à rebus numeratis differret; & sic in numero tertio non essent tres vnitates, sed solùm vna. *Quinta ratio.*

Item, species numeri est alia à speciebus partium per se sumptarum; ergo oportet, quòd præter essentiam partium omnium suarum sit ibi quædam tertia essentia. Ex quo viderentur sequi aliqua inconuenientia, quorum primum est; quia illa essentia est tota essentia numeri; & ita vnitates, ex quibus constituitur, non erunt partes essentiæ suæ. Secundum inconueniens est, quòd illa essentia est vna numero, & cum hoc est quædam pluralitas: ternarius enim est vna essentia, & tamen est trinitas, siue trium rerum pluralitas. Tertium inconueniens est, quòd aliquis poterit separare illam essentiam à partialibus vnitatibus, ex quibus constituitur, ita quòd faciet essentiam tertij, vel binarij præter tres vnitates. Quartum inconueniens est, quia oportebit, quòd ad hoc vt numerus sit vnus, habeat vnum subiectum; quia *esse*, & vnitas accidentis est ab vnitate subiecti; & non è contrario: vnum autem subiectum numeri dari non potest, nisi ipsa numerata faciant vnum numero: vt sic tres homines, qui sunt subiectum tertij, sint vnus homo. 31. *Sexta ratio.*

Si fortè dicatur, quòd omnia illa subiecta sunt vnum subiectum respectu talis formæ numeralis, (vt dicunt isti) hoc non est probabile: quia subiectum priùs naturaliter habet vnam vnitatem naturalem, antequam vni accidenti numero subiiciatur: sed res annumeratæ non possunt vnam vnitatem naturalem habere.

Septimò, quia certum est, quòd aliqua, inquantum faciunt numerum, siue inquantum sunt numerata, non sunt vnum numero; sed potiùs plura numero: vnde dicere, quòd aliqua inquantum habent 32. *Septima ratio.*

habent vnum numerum, sunt vnum subiectum numero, est contradictio. Primò, quia forma numeralis quâ diuiditur *vnum*; aut est tota in qualibet vnitate; aut vna pars eius in vna vnitate numerata, alia pars eius in alia. Si tota est in qualibet vnitate; ergo quælibet vnitas est plures vnitates, & quælibet vnitas ternarij, est ternarius: quia forma numeri ternarij, & cuiuslibet, claudit plures vnitates: & ita quilibet homo de tribus hominibus numeratis, erit tres homines. Si autem vna pars formæ numeralis sit in vna vnitate, alia pars in alia; tunc partes numeri non sunt in vno subiecto, sed potiùs in diuersis: & sic numerus non est vnus. Secundò, quia videmus quòd ex concursu rerum in aliquo loco, vel in vno tempore, surgit numerus certus in eis; & ex solo recessu earum ab inuicem, ille numerus destruitur: etsi sola vnitas adueniat prioribus vnitatibus, prior species numeri destruitur, & noua generatur; & è contrario fit, si vna sola de eis recedat.

33. Si igitur quæratur, quæ sit causa efficiens immediata huius generationis, & corruptionis speciei numeri? & quod sit subiectum recipiens talem vnitatem numeri? & quis modus generationis? vtrùm scilicet per motum generationis, vel in instanti? Quæ omnia cùm non possint assignari, non videtur quòd numerus dicit aliquam rem vnam, nec rem aliam ab vnitatibus numeratis, sed eius realitas est idem cum realitate numeratarum. Ratio tamen formalis, à qua numerus sortitur vnitatem, fit ab anima, quæ format vnum conceptum de his, quæ realiter sunt multa.

Planè patet, quòd omnes istæ rationes, exceptâ primâ, habent vim vnius rationis; quæ talis est: Si numerus adderet aliquid super numerata, rem scilicet aliquam; tunc necessariò haberet aliquam vnitatem realem, quam non haberent numerata: sed numerus nullam vnitatem realem habet aliam à rebus numeratis, sed solùm vnitatem rationis, quam mens concipit: ergo numerus nullam rem super numerata addit. Minorem huius syllogismi probant prædictæ septem rationes; quæ omnes etsi concludant conclusionem vnam, quòd scilicet numerus secundùm prædictum modum non addit rem aliquam ad numerata, procedunt ex falsa imaginatione: quia supponunt, vel nituntur probare, quòd numerus non sit vnus reali vnitate, aliter quàm res numeratæ: quod omnino est falsum; vt patebit in solutione cuiusdam dubij. Dato enim quòd rem non addat ad numerata, nihilominus (vt videbitur) dicit realem vnitatem; & non quam habent numerata.

34. Ideò ad propositum arguitur sic: Sicut se habent vnitates ad res numeratas, vt singulæ accipiuntur, sic totus numerus ad res numeratas, vt sunt numeratæ; sed vnitas non dicit rationem absolutam super rem cuius est vnitas (& loquor de vnitate, quæ constituit numerum essentialem) quia remota tunc vnitate, re, vel intellectu, res non esset vna. Quærerem etiam de illo, vtrùm esset vnus per se, vel per aliquid? & esset processus in infinitum, vel esset dare aliquid, quod per se est vnum: ergo eadem ratione standum est in primo; igitur numerus essentialis rem non addit super numerata: nec accidentalis respectu eorum, quæ sunt in Prædicamento quantitatis; quia respectu illorum dicitur essentialis.

Vnde notandum est, quòd vnitas, quâ res de genere Substantiæ, vel aliorum Prædicamentorum à Quantitate, dicuntur vna secundùm illam quantitatem, quam habent, benè addit super substantiam, & alias res aliorum Prædicamentorum: ideò numerus qui surgit ex talibus vnitatibus, addit super illa numerata, quia respectu illorum dicitur numerus accidentalis.

Secundò, quælibet res potest intelligi absque accidente absolutè: ergo si triangulus trium linearum est eis accidens, posset intelligi sine triangulo: & tunc non sunt vna linea, quia non est vnde sunt multæ, & per consequens in aliqua specie multitudinis & numeri.

Tertiò, quia si numerus addit, ergo eadem ratione vnitates ipsum componentes addunt super vnitates numeratas: ergo datis tribus lineis necessariò sunt sex vnitates: ergo tertius est senarius.

Quartò, quia vnitates illæ, quæ addunt super vnitates numeratas (vt dicis) necessariò numerantur; & hoc per alias vnitates eadem ratione, qua primæ, & illæ per alias, & sic dato quocunque numero, necessariò est numerus infinitus, etiam actu. Hæc dicuntur de secundo articulo, & sufficiant.

ARTICVLVS III.

Soluuntur aliqua dubia quæ ex prædictis oriuntur.

SCHOLIVM.

Resoluit hìc, quod in 1. dist. 24. quæst. vnica, num. 1. sub dubio reliquit, an scilicet numerus habeat naturam specificam, siue vnitatem formalem, respectu cuius formalitatis vnitates numeratæ sunt materiales, & sunt veluti materia illius formæ? An verò numerus sit vnus aggregatione vnitatum, sicut aceruus lapidum dicitur vnus per aggregationem, de quo se acturum dicit aliàs cùm de numeris tractaretur. Hic autem locus ille est vbi ex professo, & diffusiùs quàm alibi de eisdem sermonem instituit. Vnde post scriptum Oxoniense quæstionem hanc disputasse licebit suspicari. Sequitur autem hìc primam partem, numerum scilicet esse vnum vnitate formali, in quam etiam sententiam propendit in 3. dist. 22. quæst. vnica, num. 18. sed largiùs & clariùs lib. 5. Metaphys. quæst. 9. num. 7. & 8. nullibi tamen clariùs & doctiùs, quàm hoc loco, dubium istud dissoluit.

Circa tertium: quomodo scilicet ex prædictis alia dubitabilia sunt dissoluenda. Dubitatio 35. autem ista ex dictis oritur, Quomodo scilicet potest esse, quòd numerus nihil addat super numerata? numerus, dico, essentialis; cùm tamen numerus sit vnus, numerata verò realiter sint plura: quia etiamsi numerus sit vnus, & componatur ex vnitatibus; cùm vnitates, vt sunt numerata, sint actu distinctæ partes in toto dicuntur esse actu distinctæ. Quòd verò numerus realem vnitatem non habeat, declarant rationes iam factæ. Circa quod est sciendum, quòd nihil prohibet idem re diuersas rationes habere, etiam reales & oppositas. Vnde numerus, inquantum numerus, est vnus, & habet rationem realem vnitatis; vt verò est numeratus, non habet rationem realem vnitatis. Binalitas & trinalitas, quæ dicunt rationem vnitatis numerorum, inquantum includunt proprietatem vnam

Res potest esse simul vna & plures diuersimodè.

vnam indiuisibilem, quæ conuenit omnibus numeris suæ speciei, vnitatem habent: inquantum verò multitudo quædam est, non habent nisi proprietatem oppositam numeri. Et hoc potest esse possibile in omni numero creato; quia quod est vnum & indiuisibile vno modo, est multum, & diuisibile alio modo: & secùdùm quod est vnum, habet vnam proprietatem; & secundùm quòd multa, & diuisibile, habet oppositam proprietatem. Vnde dicit Dionysius *de diuinis Nominibus, cap.13. Neque enim est multitudo, quæ non sit vnius particeps*, ita enim vidimus per singula discurrendo, quod enim multa est secundùm partes, est vnum toto: nam multa accidentia sunt vnum subiecto; multa numero, vnum specie; multa specie, vnum genere. Sic igitur quod est multa secundùm res numeratas, est vnum secundùm rationem numeri: non solùm secundùm conceptum mentis, sicut in prædictis exemplis: sed ratio vnitatis speciei est verè realiter vna; & ratio multitudinis indiuiduorum est verè realiter vna, & tota domus realiter est vna, & partes domus realem habent multitudinem. Nunc dicit Auicenna 3. *Metaph. cap.5. Vnusquisque autem numerorum specie, est per se, & in se vnus.*

36. Non restat igitur, nisi vt quæratur ratio huius vnitatis in numero, quæ non inest rebus numeratis, vt sunt numeratæ. Hoc enim dicit Auicenna 3. *Metaphys. cap.5. Inquantum est denarietas, est cum proprietatibus, quæ conueniunt omnibus decem; sed inquantum habent multitudinem, non habent proprietates, nisi multitudinis, quæ est opposita vnitati: & propter hoc decem non diuiduntur secundùm denarietatem in decem decimas; quarum vnaquaque habeat proprietatem denarietatis. Nec debet dici quòd decem sint nouem & vnum; nec quòd est compositio ex quinque & quinque; neque ex sex & quatuor; vel ex tribus & septem; vel ex duobus, & octo: sed ex vno, & vno, & vno quousque peruenias ad illum.*

Ratio autem huius est, quia quælibet istarum considerationum diuersa est ab alia; essentia verò vnitatum, quam includit species numeri, non habet diuersos intellectus certitudinis suæ: & ideò dicit Aristoteles 5. *Metaphys. text.19.* quòd sex, non sunt tres, & tres; sed solùm sex. Est ergo vnitas, quòd quilibet numerus, in quantum constat ex pluribus numeris, qui sunt partes eius numerales; vt tres & tres, & quatuor, & duo, senarij; vel ex pluribus vnitatibus inquantum plures sunt, & partes materiales, multus est & diuisibilis: ita quòd tales partes, vt sunt multæ, & non vnum, sunt in numero materialiter materiales; inquantum verò multitudo istorum numerorum materialium, & multitudo vnitatum aggregatur sub ratione indiuisibilitatis, difficile est inuenire; ideò negant aliqui numerum realiter esse vnum.

37. Dico igitur, quòd ratio indiuisibilitatis in numero vno, sicut quaternario, vel ternario, sub qua vniuntur vnitates, vtpote, quæ inter se sunt diuisæ; sub qua etiam vniuntur numeri materiales constituentes vnum numerum, vt sex, quatuor, decem; illa, dico, ratio indiuisibilis & vna, quæ est ratio formalis vnius numeri, est identitas in specie vnitatum replicatarum, illum numerum constituentium; vt sic dicamus, quòd quælibet species numeri ex eo est vna, quia constat ex vno, & vno eiusdem rei vsque ad certum numerum replicationis talis numeri: ita quòd vna species numeri ab alia situ rectè distinguatur, propter maiorem, vel minorem replicationé talium vnitatum. Sed quælibet species in se indiuisibilis, est vna propter indiuisibilem rationem speciei, inquantum est species, quam omnes illæ vnitates participant: non enim tales vnitates inter se distinguuntur, inquantum participant naturam speciei, imò potiùs vniuntur, quia participatione vnius speciei plures homines sunt vnus homo; sed potiùs distinguuntur per aliud, quod est extra rationem speciei. Et ideò numerus habet vnitatem ab vnitate speciei, quam participant vnitates illum numerum cóstituentes. Non ergo numerus est vnus ex quibuscunque vnitatibus constitutus; sed ex vnitatibus participantibus eandé speciem. Et quantò magis vnitates participant eandem naturam, tantò ille numerus habet vnitiorem rationem vnius numeri. Vt veriùs tres personę diuinæ, sunt tres, quá quęcunque tria creata: & ille numerus est veriùs numerus, & magis vnus omni alio.

SCHOLIVM.

Intrepidè hîc asserit Doctor, dari veram rationem numeri *in diuinis, quod verebatur concedere in scripto Oxoniensi, & Parisiensi 1. dist.24. quæst. vnica, instituta speciali quæstione circa hanc difficultatem; præmisisque variis* numeri *acceptionibus, admittit dari* numerum *in diuinis, dummodo numerus habeat esse in intellectu: vel si habeat esse in re, dicit non dari simpliciter in diuinis, sed secundùm quid, vel cum determinatione personarum, abstrahendo ab imperfectionibus potentialitatis, aut diuersitatis, quas numerus videtur includere. Ex alio capite quidam Doctores ablegant à diuinis, & ab Angelis, & ab omnibus rebus spiritualibus veram rationem numeri, quia ex propria entitate sua, & quatenus species est quantitatis, importat molem corpoream. Alij tamen defendunt cum Augustino contrarium, asserentes nomine quantitatis discreta significari tantum quamcunque rerum multitudinem. De quo vide Suarem tom.2. Metaphys. disp.41. sect.2. Scotus autem in hac quæstione, num. 27. Angelos & animas ait numerari numero* essentiali, non accidentali, seu quantitatiuo. *Vide ipsum in Metaph. lib.10. quæst.14.*

Et quia numerus accidentalis consequitur res aliorum Prædicamentorum per eandem naturam specificam, vtpote, per quantitatem continuam; ideò ille numerus veriùs est vnus, quàm numerus essentialis, qui est diuersorum generum, & diuersarum specierum: vt cùm dicimus decem Genera generalissima; & vt homo, asinus, leo, sunt tres species. Et ideò verum est, quòd non omnis multitudo causat numerum simpliciter: nam illa quæ differunt genere; vel generalissimo, vel subalterno; vt decem prima Genera, etsi sint multa secundùm quòd habent diuersas essentias; quia tamen non habent vnitatem formæ specificæ, ideò constituunt multitudinem, sed non numerum simpliciter, nec vnum. Et ideò si nomina numerorum de talibus multis, vel de tali multitudine prædicátur, dicendo, decem sunt Genera generalissima; sicut dicimus decem homines, vel decem lineas, æquiuocè quodammodò numerus prædicatur de istis: homines enim, & lineæ, & talia sunt decem à denario dicto ab vnitate aliqua vnius formæ specificæ; à cuius vnitate denarius in eis existens, dicitur vnus numerus. 38.

Similiter & numerus Mathematicus, qui est vnus ratione vnitatú eiusdé speciei, scilicet quantitatis continuæ. Prædicamenta verò dicuntur decem, non à denario dicto ab vnitate alicuius 39.

vnius

vnius formæ specificæ, sed à denario dicto ab vnitate aggregationis, non sub vnitate formæ specificæ numerorum. Propter quod decem genera non dicuntur numerus simpliciter, nec æquiuocè, nec dicuntur multitudo, sed multa per aggregationem solam numerata. Et hinc est propter istam vnitatem quòd decenarius decem hominum, vel decem linearum, non dicit bis quinque, vel sex & quatuor: binarius autem decem Prædicamentorum è contrario non est solùm decem, sed potiùs bis quinque. Ex quo patet quòd numerus accidentalis, qui causatur ex diuisione continui, propriè est numerus; similiter est numerus vnus: non autem omnis numerus essentialis est numerus simpliciter, nec vnus.

Multa ergo, quæ sunt distincta numero actualis existentiæ, & sunt vnum numerositate, conueniunt in vno numero, vel in vna forma numeri, propter vnitatem, quam illa multa habent à forma. Sicut ergo quæ sunt multa specie, sunt vnum genere, quæ sunt multa numero, sunt vnum specie: sic quæ sunt discreta, & distincta & diuisa numero, sunt vnum in forma numerali. Et sic patet quòd numerus non solùm est vnus aggregatione, sicut aceruus lapidum. Nec potes arguere, sicut rationes arguunt superiùs positæ; ergo sunt vnum numero, & multa numero: quia æquiuocas *vnum numero*, ad vnum numero, quod diuiditur contra vnitatem speciei, & est indiuiduum: & ad vnum numero, quod est vnicus numerus. Ex his patet quòd omnes rationes supradictæ sunt sophisticæ, & fallunt lectorem per æquiuocationem, & applicationem intẽtionis, vt potest quilibet videre, & nos facilè solueremus, sed omittimus, propter prolixitatem vitandam.

40. *Nõ reperitur numerus in differentibus specie, vel genere.*

Oritur secundum dubium, quod facit ad prædicti dubij declarationem: quomodo scilicet non omnis multitudo est numerus, sed multitudo mensurata vno sui generis: tunc enim diuersa genera prima non habent numerum, cùm non habeant vnum genus, quo mensurentur.

Dico ergo quòd multitudo, vel replicatio vnitatum differentium specie, vel genere, numerum non constituit: quoniam secundùm Aristotelem 10. *Metaph. text.* 21. non est numerus, nisi multitudo mensurata per vnum: vnum plura mensurare non potest, nisi sint eiusdem speciei; sicut est vnitas numeri accidentalis, quæ est in quantitate continui, vel numeri formalis indiuiduorum sub vna specie, secundùm quòd vno homine mensuramus plures homines, & vna oue, plures oues: *vnum* enim & *multa* opponuntur, sicut album, & alba; quia, vt dicitur eodem 10. *Metaph. text.* 20. & 21. *Multa sunt plura vna.* Respondeo igitur quòd vnum, quòd est eiusdem speciei, est mensura vnitatum integrantium numerum, & est vniformitas vnitatis specificæ in eis. Propter quod ratio vnitatis indiuisionis, quæ est in vna vnitate, est in qualitate. Vnde si vnitates essent diuersarum specierum, ratio indiuisionis, quæ est in vna vnitate, non esset in alia. Ideò nullo modo vnitas, quę est vnius speciei, mensuraret vnitates alterius speciei; quia non habent conformes rationes indiuisibilis, nec per consequens vnitatis. Et ideò dicit Auicenna 3. *Metaph. cap.* 2. *Ea quæ sunt multa numero, non dicuntur vna alio modo, nisi propter conuenientiam, quam habent in intentione aliqua:* eo quòd in eis sunt vnitates, plus quàm vna: quod nõ conuenit in vnis diuersis secundùm speciem: propter quod vni istorum plura ex illis mensurare, vel numerare non conuenit: & ideò talium vnitatum realitas numerum non constituit. Et hoc est quod dicit Commentator *supra* 1. *Met. cap.* 4. *com.* 37. Si vnaquæque vnitas numerorum formaliter fuerit diuersa ab alia, non est vna: diuersa enim ad se inuicem numerantur, numeri autem numerant se ad inuicem, aut per numerum, aut per vnitatem.

41. *Vnitates dupliciter numerantur.*

Est aduertendum, quòd vnitati conuenit numerus, siue vnitates, mensurare duobus modis. Vno modo, secundùm quòd tales vnitates natæ sunt vniri in vno continuo, vt partes integrales; velut natæ sunt vniri in vno secundùm formam specificam, vt partes subiectiuæ. Primo modo habent vnitates plures mensurari vna vnitate sui generis dupliciter. Vno modo, ipsa vnitas, quæ est in toto continuo, mensura est omnium vnitatum, quæ ab ipso continuo sunt diuisæ & decisæ, inquantum tale vnum continuum continet, vel natum est continere tot partes, quot partes continentur, vel natæ sunt contineri in tali vno continuo. Alio modo omnes tales vnitates habent mensurari per quamlibet illarum vnitatum, & quælibet potest accipi pro mensura aliarum: quia in qualibet est eadem ratio indiuisibilitatis & vnitatis: & ideò quælibet toties replicata, vtpote decies, reddit denarium, qui est simpliciter numerus, quia reddit denarium vnitatum suæ speciei.

Similiter multitudo partium subiectiuarum, quæ eandem formam specificam participant, duplici vnitate mensuratur. Vno modo, ipsa vnitas formæ specificæ est mensura omnium indiuiduorum, quæ sub ipsa continentur; vt homo omnium hominum singularium, inquantum quilibet est homo, & naturam speciei participat. Alio modo, istæ vnitates partium subiectarum habent mensurari vnitate, quæ est in qualibet illarum partium: vt decem homines, vnus homo, qui potest esse quilibet illorum decem: quia ratio indiuisibilitatis, & vnitatis, quæ est in vno homine, simul est in quolibet: ideò quilibet potest per illum mensurari, & omnes, inquantum vnus homo decies sumptus facit decem homines.

42. *Vnde habet numerus vnitatem.*

Ex dictis patet, quare numerus est vnus, vt dictum est in præcedenti dubitabili; quia sicut non est numerus simpliciter, nisi mensuretur vnitate suæ speciei, sic non est numerus nisi ab vnitate formæ specificæ, quã est in vnitate illius numeri. Ex prædictis patet, quòd ab aliquibus quæritur, quare scilicet si numerus nihil addat super numerata, numerus tamen est idem specie, numerata autem sunt diuersa specie: vt denarius numerus mensurat decem albedines, & decem homines. Et iam dixi, quòd numerus realis est diuersus secundùm diuersitatem naturarum: numerus Mathematicus idem, quia respicit numerum numeratum numero abstracto, sicut dixi: quia etiam non respicit illa numerata, nisi vt participant aliquam eandem rationem specificam; vt denarius respicit decem lineas ligneas, & aureas; non vt sunt ligneæ, vel aureæ, sed vt sunt continuæ.

An motus ponatur in aliquo Prædicamento.

Si quæratur, quare numerus est in determinato Prædicamento, cùm numeret res omnium Prædicamentorum; cùm motus non ponatur in determinato Prædicamento? Dico, quòd motus consequitur res diuersorum Prædicamentorum per diuersa: vt prædicamentum Qualitatis, quia est idem re cum qualitate, quæ per motum acquiritur: & sic in aliis: sed numerus accidentalis est primò vnius rei, scilicet quantitatis continuæ, quæ est solùm in genere Quantitatis; ideò

ideò numerus accidentalis est solùm in genere Quantitatis.

43. Nunc verò occurrit dubium circa prædicta; quia dictum est quòd numerus accidentalis, qui causatur ex diuisione continui, procedit in infinitum, accipiendo vnitatem post vnitatem. Dictum est etiam, quòd quælibet vnitas mutat speciem numeri; ergo secundùm hoc sunt infinitæ species numerorum, quæ quamuis non sunt actu, sicut nec continuum etiam diuisum est actu, tamen sunt in diuina notitia, vt sic necesse sit dicere, quòd Deus cognoscit infinitas species numerorum. Et hoc est, quod dicit Augustinus 12. *de Ciuitate Dei, cap.* 18. *Eos quippe* (ait) *infinitos esse, certissimũ est, ita verò suis proprietatibus vnusquisque numerus terminatur, vt nullus eorum par esse cuicumque alteri possit; ergo & dispares inter se, atque diuersi sunt, & singuli quique finiti sunt, & omnes infiniti sunt:* & sequitur; *Itane numeros propter infinitatem nescit omnipotens Deus, & vsque ad quandam summam numerorũ scientia Dei peruenit, cæteros ignorat? quis hoc etiam vel dementissimus dixerit? Absit itaque vt dubitemus quòd ei notus sit omnis numerus cuius intelligentia, sicut in Psalmo canitur, non est numerus.* Hæc Augustinus.

An possint esse infinita species numerorum.

SCHOLIVM.

Mouet hîc dubium, an possint dari infiniti numeri, seu infinita numerorum species, saltem in potentia? & an possint à Deo cognosci actu? & resoluit affirmatiuè ex Augustino; deinde obiicit plura inconuenientia, quæ ex vtraque assertione possent inferri, & solutiones adhibet ex aliis, quas non probat, sed propria ipsius Doctoris responsio desideratur; vnde mutila & manca videtur hæc dissertatio. Quoad tamen primam partem, dari scilicet posse numerum infinitum in potentia, nullatenus tamen in actu, docet in 3. *dist.* 13. *quæst.* 4. *num.*2.§.Sed contra illam propositionem: *& quoad secundam partem, cognosci scilicet à Deo infinitas species numerorum, licèt sint in potentia, ita habet expressè in* 1.*dist.*3.*quæst.*2.*num.*20. §. Ad tertium dico: *vbi ait,* Infinitum potentiale est ignotum; quia vnumquodque est cognoscibile inquantum est in actu; non tamen ita est ignotum, quod repugnet sibi intelligi ab intellectu infinito.

44. Sed hoc est valde dubium; quia omnia inconuenientia, quæ sequuntur, si ponantur actu infinita in re extra, videntur sequi, si ponantur infinita à Deo esse cognita: vt quòd pars sit æqualis toti; & quòd sit maior toto: si enim Deus cognoscit infinita, amoueantur centum, illa quæ remanent adhuc sunt infinita: quia sicut additio finiti non facit infinitum; sic nec ablatio de infinito facit finitum. Cùm igitur illa quæ remanebant simul sumpta cum illis, quæ amouebantur, sint totum respectu illorum, quæ remouebantur solùm, pars est æqualis toti; & tot millenarij sunt in numero infinito, quot binarij: & breuiter omnia inconuenientia eadem videntur sequi ex parte diuinæ cognitionis, sicut ex parte rei, si ponantur. Hæc omnia videntur sequi, quia ponitur, quòd numerus accidentalis procedit in infinitum.

An Deus possit cognoscere infinitas species numerorum.

Respondeo, quòd ex parte cognitionis Dei non sequũtur illa inconuenientia, quæ sequerentur, si infinita actu ponerentur: quod aliqui sic declarant: numeri ab vnitate non distinguuntur secundùm speciem, nec determinantur in specie per ipsas vnitates, vt sunt vnitates: quantum enim est ex parte vnitatum, vt sunt vnitates, non habet numerus, quòd sit vnus, vel determinatæ speciei, & definitæ speciei ab omni alio; sed solùm ab vnitatibus, vt sunt vnitæ, habet quòd sit vnum aggregatione plurium. Sed sicut tactum est in solutione dubitabilis, quilibet numerus habet vnitatem numeralem, id est, quòd sit vnus; & idem vnus numerus numero ab vnitate vnius rationis indiuisibilis, sub qua eius vnitates, quæ sunt partes eius numerales; & etiam numeri, qui sunt partes eius materiales, clauduntur, & vniuntur: & illa est ratio formæ specificæ, in qua tam vnitates, quàm numeri, qui sunt partes eius integrales, vniuntur: vt decem homines, vel sex, & quatuor homines, qui sunt partes denarij, vniuntur in vna formà specifica, quæ secundùm speciem est indiuisibilis. Quòd autem numerus sit determinatæ speciei, secundùm quòd sit alterius speciei ab alio, hoc habet per determinatam distantiam vltimæ vnitatis ad primam, à qua omnes vnitates per eius diuisionem accipiuntur.

Et hoc dicitur de numero accidentali, qui propriè est numerus; propter quod quælibet vnitas 45.
apposita numero variat speciem: quia per appositionem, vel subtractionem cuiuslibet vnitatis semper fit certa, & noua distantia à prima vnitate: & secundùm conformem & æqualem, vel inæqualem distantiam vltimæ vnitatis à prima, numeri numerati sunt eiusdem, vel diuersæ speciei. Ex hoc concludunt, quòd si ponantur infinitæ vnitates actu, vel infinitæ species numerorum, quia tunc non est accipere vltimam vnitatem, quæ certam distantiam dicat à prima: ideò ex vnitatibus infinitis, vel ex numeris infinitis non constituerentur aliquis numerus formaliter vnus, seu secundùm speciem vnus; vt cognoscendo illum numerum ex infinitis compositum per suam vnam speciem, possit dici quòd per illam cognoscuntur numeri infiniti, ex quibus sumitur: immò in illo numero infinito (qui solùm est numerus secundùm materiam, & vnus tantùm aggregatione secundùm suam infinitatem materialem, inquantum illi numeri infiniti, vel infinitæ vnitates sunt materia eius) nulla est ratio vnitatis speciei, vel numeri simpliciter: quia illa infinitas numerorum, vel vnitatum materialium, ad nullam certam formam specificam reducitur: quia (vt dixi) forma specifica numeri ex certa distantia vltimæ vnitatis surgit: in infinitis autem non est vltima vnitas; ideò nulla certa scientia: ideò Deus etsi cognoscat infinitos numeros, siue infinitas species numerorum; non tamen cognoscit infinitum; quia infinitas non est numerus secundùm speciem (vt dixi) immò ex diuisione continui surgit infinita species numerorum, sed non infinitus numerus.

Sed adhuc stat argumentum; quia quamuis 46.
species numerorum non faciant numerum vnum secundùm speciem, tamen faciunt infinitam multitudinem; & sequitur, (siue ponatur talis multitudo actu existentiæ, siue solùm in diuina cognitione,) idem inconueniens. Propter quod dicunt isti, quòd non est simile de infinitate in existentia, & diuina notitia, quia res habent esse actu per suas proprias naturas inter se distinctas: Deus autem non cognoscit res, quasi feratur eius aspectus super res, quamuis cognoscat ipsas veras res: cognoscit res per seipsum, vt sunt in eo: nã res etsi à Deo cognoscantur, cognoscuntur tamen à Deo vt sunt in eo, potiùs quàm vt sunt in se; quia ratio cogni

cognitionis est ipse sibi, & res habent *esse* in cognitione Dei, non secundùm naturas rerum, sed secundùm ideas, vel exemplar Dei: entitas autem non conuenit rebus, nisi secundùm naturam ipsarum. Non est autem inconueniens, quòd aliquid conueniat naturæ creaturarum, secundùm naturam Dei, siue vt sunt in Deo, & idem quod Deus; quod tamen non potest conuenire rei creatæ, secundùm naturam propriam: ideò ratio infiniti, vel infinitorum, etsi non possit conuenire rebus, vt sunt actu existentes, potest tamen conuenire rebus vt sunt in Deo, siue in diuina cognitione. Sed adhuc videtur stare inconueniens; quia non comparando res ad Deum, adhuc ponunt quamcunque infinitatem numeralem in Deo, siue in ideis, siue in attributis, siue in quibuscunque rationibus: quod videtur claudere idem inconueniens quod prius. Et ideò dicitur aliter. *Desunt aliqua.*

Deest hìc propria responsio Doctoris.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm vnum accidens numero possit esse in diuersis subiectis?

Aristot. 5. *Met. cap.* 10. *text.* 15. D.Thom. *lect.* 12. *&* 3. *p. quæst.* 35. *art.* 5. *&* 1. *p. quæst* 85. *art.* 1. *& quæst.* 8. *de veritate, art.* 14. Gabr. & Durand. 3. *dist.* 8. Heruæus *ibid. q.* 1. *& Quodl.* 3. *quæst.* 9. Capreol. *in* 1. *dist.* 7. *quæst.* 2. Caiet. 3. *p. quæst* 35. *art.* 5. Soncin. 7. *Metaphys. quæst.* 4. Iandun. 5. *Metaph. quæst.* 36. Anton. And. *quæst.* 8. Fons. *cap.* 10. *quæst.* 1. *sect.* 1. Suar. *in Metaph. disp.* 5. *sect.* 8. Vide Doct. *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 6. §. *ad quæstionem igitur, & in* 3. *dist.* 8. *quæst. vnica.*

1. RESPONDEO, duo sunt hìc videnda. Primò, causa vnitatis accidentis est vniuersaliter inquirenda. Secundò, vnitatis ipsius causa declaranda, & proposito applicanda.

ARTICVLVS I.

Vnde desumenda est vnitas accidentium?

Ab eodem res habet esse & vnitatem.

Circa primum est sciendum, quòd ab eodem res habet *esse*, & vnitatem, quia *res* & *vnum* conuertuntur, vt patet: nam *esse* quod est, aut simplex est, aut compositum. Quod autem simplex est, quamdiu est, semper vnum est; quia indiuisibile est. Quod autem compositum est, tamdiu, & non ampliùs est, quamdiu vnum est: nam si diuisum, iam non est, vt patet in domo; & in quolibet toto integrali: omne ergo quod est, tamdiu est, quamdiu vnum est. Ex quo patet quòd ab eodem res habet *esse*, & vnitatem: accidens autem à substantia habet *esse*, quia accidentis *esse*, est in alio esse: propter quod dicit Aristoteles 2. *Metaph. text. comm.* 2. quòd non sunt entia, sed entis. Causa ergo vnitatis cuiuslibet accidentis vniuersaliter videtur esse subiectum.

SCHOLIVM.

Monet Doctor accidens habere multiplex esse, *videlicet* essentiæ, existentiæ, & subsistentiæ, *& postremum ait habere à subiecto, medium verò, seu* esse existentiæ *habere à suo actu formali, non à subiecto, vti contendunt Thomistæ ad* 1. *part. quæst.* 85. *art.* 5. *qui existentiam ab essentia realiter distinguunt. Scotus autem existentiam rem aliam ab essentia actuali esse inficiatur; & conformiter ad ea, quæ hìc docet, ait in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *num.* 3. §. Contra hoc vnumquodque: *illa quæ sunt extra causam suam, & intellectum, sicut habent entitatem propriam, ita & proprium* esse, *& consequenter si accidens habet propriam entitatem essentialem extra subiectum & intellectum, ita etiam habere proprium* esse, *atque ita non esse formaliter per esse subiecti. Vide Meurisium lib.* 1. *Metaphysica quæst.* 20. *conclus.* 3.

Ideò est hìc aduertendum, quòd accidens multiplex habet *esse*, videlicet, esse *existentia*, per quam, scilicet actu existit in re, inquantum est terminus creationis, vel alicuius actionis: & tale *esse* nullum accidens habet à subiecto. Quod patet primò, quia si accidens haberet *esse* existentiæ à subiecto, tunc omnium accidentium existentium in subiecto eodem esset idem *esse* existentiæ. Cùm igitur per actum suæ existentiæ, quâ est aliquid in rerum natura, accidens sit talis, vel talis naturæ, vtpote albedo, vel dulcedo, & per illum denominet subiectum, sequitur quòd idem est actus, quem dat subiecto albedo & dulcedo: & tunc idem erit subiecto esse album & dulce, quod omnino falsum est. 2. *Accidens à quo habet existentiam.*

Secundò sic; quia si accidens actum existentiæ haberet à subiecto, tunc nullo modo compositum esset vnum ens per accidens: sicut enim compositum ex materia & forma substantiali est natura vnum per se, non per accidens; quia forma substantialis communicat suum *esse* materiæ, & toti composito; nec habet aliud *esse*, ab *esse* compositi: sic si compositum *esse* suum existentiæ communicaret accidenti, vt aliud esse non haberet, esset natura vnum per se.

Tertiò hoc patet, quia cuilibet rei acquiritur *esse* existentiæ per generationem, vel creationem, vel per aliquam actionem; nunc autem diuersarum creationum, generationum, vel actionum, diuersi sunt termini: ergo cùm alia sit generatio subiecti, & alia accidentis, saltem illius, quod subiecto inhæret post generationem, & alia generatio diuersorum accidentium, in diuersis temporibus generatorum, quæ tamen simul manent in eodem subiecto: alia, & alia habent *esse* accidentalia, & ipsa accidentia inter se, & à subiecto, in quo simul sunt.

Item, de accidente in Sacramento altaris, quod est idem numero separatum propter idem *esse*.

Item, de humanitate Christi, quæ intimiùs inhæret supposito, quàm accidens subiecto, & tamen *esse* existentiæ non habet à supposito.

Item, si aliquid sit calidum, & postea fiat frigidum, & iterum calidum, planum est quòd idem manet subiectum secundùm actualem existentiam; sed caliditas corrupta, & iterum generata, habent diuersum esse existentiæ: ergo, &c.

Est autem aliud esse *subsistentia* quod distinguitur contra *inhærere*, & hoc per se conuenit substantiæ & accidentibus per substantiam; ideò tale *esse* habent accidentia à subiecto: & omnia accidentia, quæ sunt in eodem subiecto, habent idem *esse* subsistentiæ, quod communicatur eis à subiecto; in quo sunt: & sicut subiectum est vnum & idem, sic accidentium subsistentia est eadem numero. *Esse subsistentiæ à quo habent.*

Viso ergo; quòd accidens habet *esse* subsistentiæ à subiecto; *esse* verò existentiæ ab actu suo formali, per quem essentialiter (vt aliàs * visum est) 3. *Per quid numerantur accidentia?*

* Suprà n. 2.

est) habet *esse*, ita quòd subiectum accidentis non dat actualitatem existentiæ, sed ipsam conseruat & sustentat. Videndum est igitur per quod istorum *esse* accidens numeretur. Et si de accidentibus diuersis specie quæratur? planum est, quòd non numerantur per se, & primò per numerum subiectorum existentium: quia tunc in eodem subiecto non possent esse simul diuersa accidentia numero diuersatum specierum, quod patet esse falsum: nec numerãtur per subiectum vnum, quia per illud cùm sit vnum, potiùs haberent vnitatem, quàm numerationem: non ergo accidentia diuersa specie numerantur per *esse* subsistentiæ per se, & primò, sed potiùs per *esse* existentiæ, secundùm quòd sunt termini diuersarum generationum. Et quia, vt præmisi, non habent hoc *esse* à subiecto, sed potiùs efficiuntur à suis agentibus, vel à generantibus, formaliter verò habent *esse* hoc ex actualitate existentiæ; ideò accidentia diuersa specie non multiplicantur, nec numerantur per numerationem subiectorum, sed per sua *esse* actualia. Et dixi *primò, & per se*, quia cùm diuersa accidentia specie actualiter sint in diuersis subiectis, necesse est quòd in eis numerentur secundùm numerum subiectorum: non ideò quia subiecta sunt diuersa; sed ideò quia non habent idem *esse* existentiæ in diuersis subiectis. Et ideò, quòd diuersa accidentia specie numerentur in diuersis subiectis, hoc est per se, quia in illis non habent, nec habere possunt idem *esse* existentiæ. Et ideò per accidens, & non primò, nec per se diuersitas subiectorum est causa diuersitatis diuersorum accidentium in specie. Causa autem vnitatis numero, non est quærenda in accidentibus diuersis specie secundùm vnitatem subsistentiæ, quia eam habere non possunt, nec habent ab vnitate subiecti.

SCHOLIVM.

Etsi Doctor hic videatur absolutè loqui, & velle docere nullatenus posse duo accidentia eiusdem speciei simul esse in eodem subiecto, non tamen absolutè intelligendus est de omnibus accidentibus, sed de solis formis absolutis, quæ fiunt, vel introducuntur per motum; etenim ipse 5. Metaph. quæst. 9. num. 11. & in 1. dist. 3. quæst. 6. num. 29. §. Ad argumentum primum: & in 3. dist. 8. quæst. vnica, num. 6. docet accidentia intentionalia, vt species sensibiles, & intelligibiles multiplicari posse in eodem subiecto, & ibidem in Metaph. & in 3. loco citato, num. 7. & 8. & in 4. dist. 44. quæst. vnica, num. 10. asserit accidentia, quæ fiunt sine motu, vt lumen, & relationes, posse esse plura simul in eodem subiecto. Deinde docet in 3. loco citato, num. 7. quod hic asserit, non posse scilicet eandem quantitatem alterari ad plures qualitates eiusdem rationis simul habendas; & rationem reddit ibidem quare id non possit fieri per virtutem agentis naturalis. Virtute tamen diuina fieri dicit non repugnare, quod etiam hic num. 6. manifestiùs affirmat. Circa difficultatem hanc varia sunt Doctorum opiniones, quædam extremæ, aliæ mediæ, quas ad quinque, vel sex reducit Suarez tom. 1. Metaph. disp. 5. sect. 8.

4. *Duo accidentia eiusdem speciei nõ possunt esse simul in eodem subiecto.* Si verò quæramus de vnitate & numerositate accidentium eiusdem speciei, tunc dico, quòd eorum numerositas, & multitudo non potest accipi secundùm diuersitatem, & multitudinem actuum existentiæ in eodem subiecto: vt dicamus duas albedines in eodem subiecto, quasi duos terminos duarum generationum: hoc enim est impossibile, saltem agenti naturali: tum, quia sicut duæ lineæ, si simul applicentur secundùm illam partem, quã habent similem dimensionem, faciunt vnam lineam; sic duo accidentia eiusdem speciei, si applicentur simul cum simili modo, vt perficiant subiectum, non faciunt nisi vnam perfectionem. Tum, quia si corpus habens albedinem actu, esset secundùm idem in potentia ad albedinem, tunc simul esset actu, & potentiâ respectu eiusdem, & sic actu, & non actu. Tum, quia agens naturale non agit, nisi per transmutationem & motum; nec generat vnum, nisi corrumpendo aliud: nec corrumpit vnum, nisi generando aliud. Propter quod omnes corruptiones & generationes naturales sunt ex contrariis, & in contraria: vt dicitur 1. *Physic. text.* 33. Album enim secundùm quòd huiusmodi, generatur ex nigro, vel ex non albo: vnde corpus habens albedinem, non est in potentia simul ad aliam albedinem.

Nec est instantia, quòd species duarum albedinum simul sunt in puncto aëris: quia, vt probatur in Perspectiua, quodlibet punctum cuiuslibet coloris multiplicat se ad quodlibet punctum medij: quia tales intentiones etsi numerantur, hoc est per origines, à quibus continuè dependent, non propriè à subiecto. Nec intendo dicere hoc de Deo; quoniam Deus, qui non agit per transmutationem, nec inducit vnum corrumpendo aliud, fortè duas albedines n mero differentes posset simul facere in eodem subiecto: sed de agente naturali, quòd in principio est dissimile & contrarium passo, in fine actionis simile, hoc dico. *Obiectio. Solutio.*

Item, videmus, quòd duo puncta nón possunt esse simul in eodem subiecto, quin sint vnum punctum, nec duæ lineæ: ergo similiter nec duæ albedines. Imò sicut nec duæ qualitates contrariæ possunt esse simul in eodem subiecto, nisi misceantur, sic nec duæ eiusdem speciei: imò oportet quòd misceantur, & faciant vnam magis intensam. 5.

Item, hoc patet per communem opinionem, quã habitus infusi ponuntur augeri, vt charitas: quia ponitur, quòd augeatur per additionem alicuius eiusdem speciei: ergo si talis additio, vel augmentatio, est possibilis, manifestum est, quòd non potest intelligi, nisi simul quod additur, cum eo cui additur, faciat vnum numero; quamuis intensiùs: quod non esset necesse si duo habitus distincti eiusdem speciei possent simul esse in eodem subiecto. *Hãc opinionem vocat communem, vide cum 1. d. 17. q. vltima.*

Item, accidentia eiusdem speciei secundùm eandem rationem habent esse in subiecto ratione vnius potentiæ; & non habent perficere subiectum ordine aliquo, nec ordine situs, nec ordine naturæ: quæ autem talia sunt, simul esse non possunt in eodem subiecto, quin sint vnum numero.

Nec est instantia de corpore glorificato, quod simul est cum alio non glorificato: quia talia duo corpora simul existentia non habent eundem existendi in loco in quo sunt: quia vnum est per se ibi, & localiter; & ipsum locum occupat: aliud autem non sic, sed solùm in eodem loco est cum alio corpore, inquantum dimensiones suæ positæ sunt, vel situatæ iuxta dimensiones alterius corporis, non inquantum sunt occupantes locum, & aliis resistentes. Vnde nec vnum est in alio, vt in

in subiecto, nec ambo in tertio, vt in subiecto, sed sunt simul in eodem loco: & vnum corpus vtitur omnino suis dimensionibus, aliud verò non: & ideò simul possunt esse. Sed duo accidentia si ponantur in eodem subiecto simul, habent eundem modum essendi, ideò non possunt plura simul esse in eodem subiecto.

6. Verum autem est argumentum in oppositum; quia sicut duo corpora non glorificata, vel etiam glorificata, quia habent eundem modum essendi in loco, non possunt simul esse: sic nec duo accidentia eiusdem speciei simul in eodem loco.

Nec est accipienda eius numerositas, vel multitudo per *esse* subsistentiæ solùm, non intelligendo, quòd diuersitas *esse* existentiæ ad eius numerositates hoc faciat, vt dicamus, quòd ideò duæ albedines numero differunt, quia sunt in diuersis subiectis solùm. Cuius ratio est, quia priùs res naturaliter habent *esse*, quàm dent *esse* aliis formaliter: quia semper absolutum præcedit relatum: & ideò naturali ordine albedo priùs est actu, quàm det *esse* album subiecto: illud autem *esse*, quo albedo est, conuertitur cum ente. Ideò dico, quòd accidentia eiusdem speciei primò, & per se numerantur per *esse* actualis existentiæ: sed quia (vt ostendi) in eodem subiecto non possunt habere accidentia eiusdem speciei varia *esse* existentiæ, sed solùm in diuersis, ideò per accidens numerantur per subiecta.

Et huius signum est, quia accidentia diuersarum specierum in eodem subiecto non solùm specie, sed etiam numero distinguuntur, quia habent in eo diuersa *esse* existentiæ: & eodem modo si accidentia eiusdem speciei possent habere in eodem subiecto diuersa *esse* existentiæ, simul numerarentur cum eo. Hoc patet de albedinibus separatis in Sacramento altaris, quæ distinguuntur per *esse* existentiæ, non subsistentiæ. Causa ergo numerositatis numeralis accidentium eiusdem speciei per se, est diuersitas actuum existentiæ, & causa vnitatis numeralis eorum per se, est vnitas actus existentiæ, licèt aliquando sit varius: sicut etiam actiones & motus, quibus generantur illi actus existentiæ, sunt diuersi numero. Propter quod generatum & corruptum, & iterum generatum non est idem numero; vt dicitur 5. *Phys. text.* 36. *& in fin.* 2. *de Generat. text.* 70. quòd actus existentiæ est varius, &c. Causa autem numerositatis illorum per accidens est diuersitas subiectorum: causa verò vnitatis numeralis per accidés est vnitas subiecti. Hæc de primo articulo sint ostensa.

Articvlvs II.

Statuitur pars negatiua quæstionis.

7. Circa secundùm videndum est, an idem accidens simul possit esse in duobus subiectis? & si non; quare non? Circa quod est sciendum quòd (sicut dictum est*) duo accidétia eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto. Similiter videtur dicendum, quòd sicut duo accidentia eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto; sic nec idem accidens in duobus subiectis. Nam sicut vnitas subiecti excludit necessariò distinctionem numeralem accidentium eiusdem speciei, nisi accidentia differant specie: ita diuersitas subiectorum excludit vnitatem numeralem; & facit necessariò distinctioné secundùm numerum, saltem per accidens, vt dixi: accidentia autem sibi insunt, etsi sint accidentia diuersa in specie.

* Suprà n. 4. *Idem accidés non potest esse simul in duobus subiectis.*

Si obiicias, quòd duo corpora, saltem glorificatum, & non glorificatum, sunt simul: cùm autem ex adiacentia corporis ad locum derelinquatur quoddam accidens, quod dicitur, *vbi*, ergo videtur quòd duo accidentia eiusdem speciei sunt simul in eodem subiecto: nam quamuis corpus non sit in loco, vt in subiecto, *vbi* tamen accidens est in loco, vt in subiecto: vel ex hoc sequitur quòd vnum accidens erit in diuersis subiectis, scilicet accidens quod est *vbi*, & tenet se ex parte loci, erit in duobus corporibus locatis. *Obiectio.*

Sed non valet, nam cùm vnum illorum corporum sit in loco propriè (vt dixi) *vbi* derelictum ex tali adiacentia ad talia corpora, est vnum numero; & non est nisi in illo corpore, quod per se, & localiter, est in loco subiectiuè; non sic autem est in alio corpore subiectiuè, quod non est in loco localiter, quia secundùm illum modum, quo ibi est, potest maius corpus esse in minori loco: quod non esset, si ibi esset localiter. *Solutio.*

Ex quo patet (vt dicunt aliqui) quòd si *vbi* vnum non potest esse in duobus subiectis simul, 8.
sicut nec alia accidentia, quòd vnum corpus non potest esse simul localiter, & dimensiuè in duobus locis, nec conuersione eius in aliud, nec conuersione alterius in ipsum. Nam cùm illud, quod est in loco localiter, habeat vnum accidens, quod est *vbi* derelictum ex adiacentia partium in loco, quod est in illo corpore vt in subiecto, cùm non possint duo accidentia eiusdem speciei simul esse in vno subiecto, ideò non potest aliqua determinata quantitas alicuius corporis commensurari simul pluribus quantitatibus locorum diuersorum: ideò vnum corpus non potest esse localiter simul in pluribus locis: sic nec vnum accidens simul in diuersis subiectis.

Scholivm.

Docet hîc, idem numero accidens non posse inesse simul duobus subiectis, probátque tribus rationibus ex vnitate, dependentia, & limitatione, quas hoc accidens habet ab hoc subiecto. Aliam rationem addit in 3. *dist.* 1. *quæst.* 2. *num.* 4. *&* 8. *ex inconuenienti, quod sequeretur, videlicet accidens simul existens in duobus subiectis esse illimitatum & infinitum, vnde concludit, quòd ita impossibile videtur vnum accidens esse in duobus subiectis, sicut vnam formam substantialem in duabus materiis.*

Quod potest ratione triplici declarari. Primò, 9.
quia accidens cùm à subiecto vnitatem habeat, à subiecto dependet, & per subiectum limitatur; & secundùm hoc potest triplex ratio accipi, quare idem accidens non potest esse in diuersis subiectis. Prima ratio sumitur ex parte vnitatis sic; Ex subiecto, & accidente fit vnum, sicut ex potentia & actu: ideò dicitur 2. *de Anima, text. com.* 7. quòd non oportet quærere quomodo ex figura ceræ & cera, fiat vnum: eo enim ipso, quòd vnum se habet vt potentia, aliud vt actus, fit ex eis vnum: & 2. *Metaph. cap.* 2. dicit Commentator, quòd corpus calidum agens in aliud corpus, non immutat calorem ab extra, sed fit calidum in potentia calidum actu. Si ergo accidens existens in vno subiecto, possit fieri esse in alio subiecto, non educetur de potentia illius subiecti; nec fiet idem subiectum potentiâ tale, actu tale: sed vnum adaptaretur alteri, scilicet accidens illi secundo subiecto: & sic quodlibet eorum se haberet respectu alterius, vt existens in actu. Ex duobus igitur in actu, *Probatur* 1.

vt

vt sunt in actu, fieret verè vnum, quod est inconueniens. Esse enim non potest naturaliter, quòd accidens præexistat suo subiecto: quia tunc quodlibet esset aliquid in actu. Si igitur vnum coniungitur alteri, oportet dare medium coniungens, cùm aliquid potentia tale, sit actu tale, vt potentia album, sit actu album. Ita illa albedo non præexistebat suo subiecto, quia tunc albedo fuisset actu, & similiter subiectum: & tunc ex duobus existentibus actu, fieret vnum: quod est impossibile. Ergo similiter cum secundo subiecto, in quo per accidens posset esse, non faceret vnum; & sic non erit in eo vt in subiecto.

10. *Probatur 2.* Ex secundo sic arguitur: Vt dicitur 5. *Metaph. text. com.* 3. vniuersalium sunt vniuersalia principia, particularium etiam particularia. & 2. *Physic. text. com.* 38. dicitur quòd vniuersalium vniuersales sunt causæ, particularium particulares: vt si pater est causa, vel principium filij; & hic pater est principium, & causa huius filij. Sed generale est quòd accidens dependet à subiecto; ergo verum est, quòd hoc accidens dependet ab hoc subiecto: & si generale est, quòd accidens non est nisi entis; particulare verum est, quòd hoc accidens non est nisi huius entis: ergo non est hoc accidens ens, nisi quia est in hoc subiecto: si ergo hoc accidens tollatur ab hoc subiecto, tolletur ab eo sua entitas. Sed cùm sit in alio subiecto, renouatur sibi sua entitas: ergo cùm possit vnum subiectum perire alio remanente, idem accidens numero simul potest esse, & non esse.

Probatur 3. Ex tertio, scilicet ex limitatione, hoc idem patet sic: quia sicut locatum limitatur per locum, sic accidens per subiectum: vt sicut de locato nihil est extra locum, sic nec de accidente extra subiectum. Vnde dicit Gilbertus ille, *in lib. de sex Principiis. Quanta est superficies, tantum album esse dices.* Sed aliter corpus locatum limitatur per locum; & aliter accidens per subiectum: quia accidens non solùm limitatur per subiectum, sed etiam per hoc subiectum, vt extra istud subiectum hoc accidens esse non possit. Corpus verò locatum etsi non sit extra locum, potest tamen esse in alio, & in alio loco. Et hoc est, quia sicut corpus locatum plus habet de entitate, quàm accidens; sic quamuis ab eo dependeat, minùs tamen dependet ab eo, quàm accidens à subiecto. Ideò cùm corpus non possit esse simul in diuersis locis localiter per limitationem, minùs tamen potest accidens esse in duobus subiectis propter limitationem. Sic ergo vnũ accidens non potest esse simul in diuersis subiectis.

Gilbertus Porretan. cap. 8.

Artic. II. Sect. I.

Vtrùm idem accidens possit esse successiuè in diuersis subiectis? Variæ referuntur sententiæ.

11. Si verò quæratur, vtrùm successiuè in diuersis subiectis possit esse: hoc est dubium. Sũt enim quædam accidentia, quæ videntur non posse esse sine subiecto determinato: in talibus autẽ si subiectum non est, nec accidens esse potest. Vnde talia perimi possunt, sed trãsmutari non. Vnde si albedo non potest esse sine superficie, tunc eadem albedo, quæ est in vno corpore, non potest nec simul, nec successiuè habere esse in alio corpore, in quo eadem superficies non esset. Sed illa accidentia, quæ virtute cuiuslibet agentis possent habere esse sine subiecto, possunt virtute istius agentis habere esse successiuè in diuersis subiectis. Verbi gratiâ, supponimus, quòd in Sacramento altaris remaneat quantitas cum aliis accidentibus per se sine subiecto; & supponitur quòd postquam desierint esse sine subiecto, quando scilicet desinit esse substãtia panis, posset Deus creare aliam substantiam panis sub eisdem accidentibus, quibus substantia panis primò afficiebatur, & tunc secundò panis substantia afficitur, & sic idem accidens numero diuersis subiectis inest successiuè. Hoc maximè apparet si sanguini Christi misceatur tantum de vino, vel aqua, quòd desinat esse Sacramentum: quia tunc species vini, quæ priùs fuerunt sine subiecto, nunc afficiuntur in subiecto alio, ab eo in quo fuerunt ante conuersionem.

Sed vtrùm actione alicuius agentis naturalis hoc possit fieri de aliquo accidente? hoc est dubiũ: hoc enim videtur possibile de quãtitate, & de accidentibus, quę in ipsa fundantur; vt figura, & huiusmodi. Hoc idẽ videtur in qualitatibus symbolicis, quæ sunt communes generato & corrupto. 12.

Quidam negant. Ad hoc respondent aliqui, dicentes, quòd quædam sunt accidentia fundata in materia, vt quantitas, cuius immediatum subiectum est materia. Licèt enim, vt dicunt, materia non possit esse subiectum quantitatis, nisi vt simul est subiecta formæ alicui substantiali: sicut nec ipsa materia nunquam habet esse, nisi sub aliqua forma substantiali virtute agentis naturalis; tamen naturali ordine quamuis sit simul tempore, priùs intelligitur materia induta quantitate, quàm forma substantiali: quia forma substantialis non aduenit nisi materiæ extensæ, & de potentia materiæ extensæ educitur.

Tunc dicunt, quòd sicut vna & eadem materia numero, successiuè est sub diuersis formis substantialibus, item eadem quantitas numero habet *esse* successiuè in diuersis subiectis, non solùm numero, sed etiam specie differentibus. Diuersum tamen modum essendi habet illa eadem quantitas in diuersis subiectis specie; quia diuersimodè extenditur & terminatur, secundùm diuersitatem & exigentiam formarum substantialium: quæ diuersitas non mutat identitatem numeralem.

Si verò sunt accidentia, quæ consequuntur formam sicut sunt qualitates elementares, dicunt, quòd sicut quantitas quia consequitur materiam; & quia materia manet eadem numero in diuersis subiectis, scilicet generato & corrupto; ideò quantitas manet in ipsis eadem numero: sic è contrario modo, sicut in generato & corrupto non manet eadem forma, sic nec manet in eis idem accidens numero, sed solùm specie. Propter hoc dicunt, quòd qualitates symbolicæ remanent eædem specie, non numero: & quamuis tales qualitates non corrumpantur à contrario, corrũpuntur tamen corruptione subiecti, siue corruptione formæ, super quam insunt subiecto.

Sed dictum istorum non continet, vt videtur aliquibus, veritatem. Primò de hoc, quod dicitur de quantitate, quòd eius subiectum immediatè sit materia; nullum enim accidens primò & immediatè, vt scilicet prima perfectio ordine naturæ, potest perficere materiam, vel primò ei inesse. Cuius ratio est, quia cùm materia sit potentia in genere substantiæ, intentio eius prima est perficere actus in genere substantiæ, & hæc est forma substantialis: nec habet materia ordinem ad aliquod accidens, nisi mediante actu & forma substan- 13. *Ab aliis improbatur.*

ſubſtantiali. Propter quod Philoſophi communiter dicunt, quòd ens in pura potentia, hoc eſt, materia omnino nuda, eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis, & tranſmutationis ad ipſam: quæ tranſitio dicitur generatio propriè & ſimpliciter. Materia autem ſub forma ſubſtãtiali dicitur ens actu ſimpliciter: dicitur autem ens in potentia ſecundùm quid; vt ſcilicet eſt ens in potentia ad aliquod accidens, & ad eius generationem; quæ eſt generatio ſecundùm quid, ex eo quòd accidens non dat *eſſe* niſi ſecundùm quid. Et dicitur talis tranſſumptio eſſe à ſubiecto in ſubiectum, quia ab ente in actu (ſcilicet ſub forma ſubſtantiali) ad tale ens in actu, ſcilicet variatum ſolùm ſecundùm quid, ſiue ſecundùm formam accidentalem, quam ſemper præcedit in materia, ſaltem ordine naturæ forma ſubſtantialis, quâ ſubiectum eſt ens in actu ſimpliciter. Et ſecundùm iſtum modum cùm materia non per ſe, ſed vt ſubiecta formæ ſubſtantiali ſit ſubiectum accidentium omnium, & quantitatis, non poteſt poni aliquod accidens numero eſſe in diuerſis ſubiectis: quia quamuis materia remaneat eadem, non tamen forma.

14. *Alij affirmãt de accidentibus communibus & ſymbolicis.* Et ideò aliter dicunt alij, quòd quædam ſunt accidentia, quæ non determinant, ſeu non appropriant ſibi formam aliquam ſubſtantialem, de quorum numero maximè eſt quantitas; quia nulli formæ ſubſtantiali, vel naturali, eſt propria; ſed omnibus communis: nec aliqua poteſt eſſe in materia ſine illa. Quædam etiam ſunt qualitates communes; vt humiditas, aquæ & aëri; caliditas, igni & aëri. Similiter quædam etiam ſubiecta, quæ accidentia ſibi non determinant; vt lignum non determinat ſibi albedinem: imò poteſt eſſe, & non eſſe ſine albedine.

De talibus dicunt, quòd quamuis materia non ſit ſubiectum quantitatis, niſi vt eſt ſub forma ſubſtantiali; talia, inquiunt, accidentia, quæ non determinant ſibi formam ſubſtantialem, & habent ſubiectum materiam & formam ſubſtantialem, poſſunt eſſe ſucceſſiuè in diuerſis ſubiectis: quod ſic declarant: cùm enim talia accidentia non determinent ſibi aliquam formam ſubſtantialem; nec determinant ſibi vnum ſolum compoſitum: vt caliditas non determinat ſibi ignem; cùm ſit in aëre: planum eſt quòd quælibet formarum ſubſtantialium, ſiue materia ſub iſtis formis, quæ ſibi talia accidentia non determinant, nata eſt eſſe ſubiectum cuiuſlibet talis accidentis, & tale accidens natum eſt eſſe in quolibet tali ſubiecto, licèt ſecundùm aliam, & aliam determinationem, cùm accidens ſit in aëre, & in igne; ſecundùm quòd aliam & aliam determinationem exigit forma aëris & ignis. Vnde quamuis aër requirat aliam determinationem, quàm ignis; nihilominùs quilibet iſtorum poteſt eſſe ſubiectum eiuſdem caliditatis numero, vt eadem numero, quæ fuit in aëre, fiat in igne ſub alia determinatione, dum ex aëre fit ignis.

15. Vnde dicunt, quòd omnes tales ſubſtantiæ ſecundùm ſe conſideratæ, indifferenter ſunt talibus accidentibus quaſi pro vno ſubiecto: & ſi materia poſſet eſſe ſimul ſub talibus formis ſubſtantialibus, vtpote ignis, & aëris, vnum tale accidens numero, vtpote caliditas, poſſet eſſe quantum eſt ex ſe, in talibus diuerſis ſimul. Et dico *quantum eſt ex ſe*; quia adhuc in illis ſimul eſſe non poſſet propter diuerſitatem terminationum, quas oporteret ipſum habere ſub forma ignis, & aëris: quas diuerſas terminationes ſimul non poſſet accidens habere: & hoc ſufficienter impediret ipſum ne ſimul eſſet in igne & aëre.

Cùm ergo, vt dicunt, materia cùm tranſmutatur de forma in formam; vtpote ab aëre in ignem, in nullo inſtanti ſit ſine aliqua illarum formarum ſubſtantialium, quarum quælibet, vt dixi, eſt ſubiectum indifferenter illius accidentis communis; ſiue ſit quantitas, ſymbolica qualitas, videtur eis quòd ſucceſſiuè idem accidens numero per actionem naturalem poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis.

Et iſto modo dicunt quòd eadem caliditas numero eſt in generato & corrupto, licèt ſecundùm diuerſas terminationes, per quas perficitur, ſecundùm exigentiam formæ corruptæ & generatæ, ad quas terminationes ſecundùm ſe eſt in potentia imperfecta, quia de ſe eſt perfectibilis ſecundùm exigentiam formarum: ſicut materia prima ex ſe eſt in potentia ad diuerſas terminationes formales ſubſtãtiales: & talem quantitatem de ſe imperfectam reſpectu prædictæ terminationis oportet ſupponi in materia, quæ eſt ſub aliqua forma ſubſtantiali in omni tranſmutatione ad formam.

Et hoc idem dicunt de qualitatibus ſymbolicis, quòd manent eædem numero; ſed mutant terminationem ſecundùm magis & minùs, ſecundùm exigentiam formarum; vt ſic ſit eadem caliditas numero in aëre, & in igne ſucceſſiuè, dum ſcilicet ex aëre fit ignis; vel è contrario, magis & minùs intenſa.

Sed iſtud aliis non videtur verum: quamuis enim ex dictis iſtorum benè appareat, quòd talia accidentia communia, quantum eſt de ſe, benè poſſent eſſe in diuerſis ſubiectis ſucceſſiuè; pro tanto, quòd illud accidens nullum iſtorum ſubiectorum ſibi determinat, & ideò quantum eſt de ratióne accidentis, non oportet, quòd in tali tranſmutatione corrumpatur, quia nullum ſubiectorum repugnat ei, nec aliquid, quod ſit in aliquo illorum: neque enim ignis, nec aër, nec aliquid, quod ſit in eis, repugnat caliditati; ac per hoc quantum eſt de ſe, nata eſt ſucceſſiuè eſſe in vtroque: non ſic autem de frigiditate in aëre & aqua; quia natura aëris repugnat frigiditati; ideò frigiditas neceſſariò corrumpitur, dum ex aqua fit aër. 16. *Aliorum opinio circa accidentia communia.* Thom. 1. p. q 75. art. 1. & cap. 6. lib. de Gener. lect. 10.

Quamuis verò caliditatem ſymbolicam, vel quantitatem non oporteat corrumpi per aliquam contrarietatem, quam inueniat in aliquo ſubiectorum, conuenit tamen ſecundùm prædicta, cùm talia accidentia non ſint in materia, nec materia ſit eorum ſubiectum, niſi mediante forma ſubſtantiali. Sicut naturaliter corrupta forma ſubſtantiali oportet naturalia corpora corrumpi; ſic corruptâ hac formâ ſubſtantiali, oportet quòd hoc accidens numero corrumpatur: & non ſolùm quòd talis, vel talis terminatio corrumpatur; quia non ſolùm ex hoc quòd talis formæ eſt, materia habet *eſſe* terminatum, imò & ex hoc habet *eſſe* ſimpliciter; quia non differt realiter terminatio talis accidentis, & ſuum *eſſe*.

Vnde patet, quòd ſicut tale accidens ſecundùm ſe, & ſecundùm rationem indeterminationis, quam de ſe habet, non determinat ſibi aliquam formam ſubſtantialem; ideò præter quamlibet ſigillatim eſſe poteſt, quia cùm non eſt niſi in vna, poteſt eſſe inde in alia: quia cùm vt ſit, determinat ſibi aliquam formam ſubſtãtialem in compoſito, 17.

posito, per quam habet suum *esse*, & etiam tale *esse* indeterminatum; ideò non potest habere *esse*, præter talem communem formam.

Item, etiam hoc accidens indeterminatum, non solùm ratione suæ determinationis determinat sibi hanc formam, secundùm quam sic determinatur; sed etiam in ratione suæ entitatis singularis; scilicet, vt hoc accidens in genere entis, eam sibi sic determinat: quia non habet hoc suum esse, nisi ex esse formæ signatæ huius: ideò illa forma substantiali corrupta secundùm suum esse signatum, oportet quòd huiusmodi accidens corrumpatur secundùm suum inesse, quod est suum tale esse. Sicut enim forma substantialis simpliciter accepta, non solùm dat indeterminationem quantitati, quasi ab alio habeat *esse*, ab alio indeterminationem; imò dat sibi *esse*, & indeterminationem: & ideò cum forma substantiali corrupta, corrumpitur quantitas, inquantum ad indeterminationem talem, & quantum ad *esse*. Sicut etiam ab hac forma substantiali singulari non solùm est hæc determinatio huius quantitatis; imò etiam sua tota entitas signata: & ideò hac formâ substantiali corruptâ, oportet eam secundùm id quod est, corrumpi. Corrupto enim eo quod est prius, oportet corrumpi posterius, quando posterius non inest, nec est nisi per prius: & ideò priori corrupto, corrumpitur posterius, licèt non per se, sed per corruptionem prioris. Et ideò quia hæc forma substantialis prior est in materia, saltem ordine naturæ, quàm hæc quantitas, vel aliud accidens; ideò non potest corrumpi realitas formæ substantialis, quin corrumpatur realitas formæ accidentalis.

18. Sicut ergo prædicta supponunt, quòd in generatione fit resolutio vsque ad primam materiam, ita quòd nihil pertinens ad formam substantialem remanet in generato & corrupto; illud vel idem habent dicere de forma accidentali, & de quantitate: vt sicut dicitur, quòd generans per se substantiam, generat ex consequenti quantitatem, & omnia accidentia illam concomitantia; etiam corrumpens per se substantiam; corrumpit ex consequenti omnia accidentia, quæ illi inhærent: & quidquid dicitur de generatione & corruptione per se substantiæ, dicitur ex consequenti de generatione omnium accidentium, quæ sunt in generato & corrupto. Quædam enim accidentia corrumpuntur per corruptionem substantiæ solùm, vt accidentia symbolica; ideò manent eadem specie, non numero, in generato & corrupto, propter actionem naturarum, & formarum substantialium. Quædam autem corrumpuntur à contrario; vt accidentia, quæ habent contrarietatem in corrupto: & hæc nec eadem numero, nec specie possunt manere in generato & corrupto, propter diuersitatem formarum secundùm speciem & naturam.

Cùm ergo dicunt aliqui, quòd accidentia, quæ sunt in composito ratione formæ, eadem manere non possunt in generato & corrupto, quia non manet eadem forma; quæ verò insunt composito ratione materiæ manent eadem numero in generato & corrupto; quia manet eadem materia, quæ est subiectum illorum, ideò res corrupta & generata non ponit aliud, & aliud subiectum; sed idem numero respectu talium accidentium, quæ insunt composito ratione materiæ; & tale accidens consequens compositum per materiam, etsi sit idem numero in generato & corrupto, non est in eis, vt in duobus subiectis, sed in vno: quia in vno subiecto materiali conueniunt generatum & corruptum. Hoc, inquam (vt dicunt isti) non est verum: quia vniuersaliter conuenit tam quantitati, quàm omni accidenti quòd sunt in composito mediante forma substantiali. *Accidentia omnia insunt cōposito mediāte forma.*

Vnde sicut generale est omni accidenti, quòd conueniat composito (quod non potest dici, quòd vnum verè sit compositum per solam materiam, aut per formam solam; sed esse accidentis ordine naturæ, saltem præsupponit inhærentiam formæ substantialis in materia) sic verum est, quòd accidentia, quæ insunt subiecto, quædam dicuntur inesse ratione formæ, quædam ratione materiæ: non sic, vt illi intelligunt, quòd quædam sint in materia primò & per se, vt illi dicunt de quantitate; & ex consequenti in composito, vel in forma, inquantum est in materia: alia verò sint in forma primò & per se, & ex consequenti in composito, & materia inquantum est in ipsa forma: sed sic, quòd quædam accidentia dicuntur esse in composito ratione formæ, vt consequuntur formam; quia ex propria ratione formæ compositum est determinatum ad talia accidentia entis: & talis forma accidentalis inest ei per talem formam substantialem; quia talis forma talem formam accidentalem in suis actionibus sibi determinat: non quòd forma sit subiectum illius accidentis; sed totum compositum. 19. Vide qu. 8. art. 3. n. 16. & seqq.

Quædam autem dicuntur inesse composito ratione materiæ, vel consequi materiam: quia sicut materia ex se non determinat sibi formā aliquam substantialem, nec aliquam accidentalem immediatè, sed mediante quadam forma substantiali determinat sibi quædam accidentia, & ideò non dicuntur consequi materiam, sed formam; ita etiam sunt quædam accidentia, quæ sicut sibi materiam secundùm se non determinant; ita etiam nec illa sibi determinat, nec sibi appropriat mediantibus formis substantialibus: sed existens sub formis substantialibus diuersis secundùm speciem, potest esse mediantibus illis formis sub eisdem accidentibus secundùm speciem, differentibus tamen numero.

Ideò illa non dicuntur consequi formam hanc, vel illam, determinatè, sed materiam: quia cùm insunt alicui composito ex materia & forma, secundùm aliquam substantiam, secundùm aliquā speciem determinatam, inquantum tale compositum adhuc est in potentia ratione materiæ, vt ex illo fiat aliud compositum secūdùm aliquam formam specificam; & illi alteri composito nata sunt inesse eadem accidentia secundùm speciem: ideò quia in materialibus omnis potentialitas ex materia oritur: sicut ex potentialitate materiæ est, quòd ipsa existens vna secundùm rem, non determinat sibi hanc formam, vel illam substantialem. 20.

Item, etiam quòd existens sub vna forma substantiali tali, ipsum totum compositum ex materia & forma tali substantiali, est in potentia, vt ex illo fiat aliud compositum: quæ potentialitas procedit ex materia: ita totum compositum vnum ex materia & forma tali non determinat sibi tale accidens sic, quin idem accidens secundùm speciem possit esse in composito ex eadem materia numero, & eadem forma.

Hoc autem quòd ex vno composito possit fieri aliud cōpositum, prouenit ex potentialitate materiæ: pro tanto dicuntur talia accidentia inesse ratione materiæ, quia sicut materia ratione suæ

suæ indeterminationis secundùm se potest transitum facere de vna forma substantiali ad aliam; ita etiam existens sub vna forma substantiali cum aliquo tali accidenti, potest transitum facere ad aliam formam substantialem, manente eodem accidente secundùm speciem, sicut ipsa manet eadem secundùm rem.

Sicut etiam compositum vnum & idem secundùm materiam potest variari secundùm accidentia diuersa specie, scilicet, secundùm album & nigrum; ideò dicuntur consequi materiam, & non formam: quia ipsum totum compositum, vt est sub vno tali accidenti, manens vnum & idem, non solùm secundùm speciem, sed etiam secundũ materiam est in potentia ad contrarium accidens.

Nec est dicendum, quòd tale accidens consequitur materiam modo prædicto; sed sic, quòd consequitur compositum ratione potentialitatis, quæ est in eo priuatiuè ratione materiæ. Vnde, quia talis forma non sic determinat materiam, quòd materia existens sub tali forma, non possit esse sub contrario accidente: ideò tale accidens dicitur conuenire tali composito; non ratione formæ, sed ratione materiæ.

Similiter etiam est dicendum de accidentibus symbolicis: quia etiam in forma substantiali non sic determinant materiam ad tale accidens, quòd materia non possit esse sub eodem accidente secundùm speciem: ideò tale accidens dicitur conuenire tali composito; non ratione formæ, sed ratione materiæ. Sicut enim conceditur quòd accidentia, quæ habent rationem formæ, non insunt tanquam in per se subiecto, nisi composito ex materia & forma tali, secundùm speciem sic determinata (& ideò illo composito corrupto, & alio ab illo regenerato, corrumpuntur etiam per se alia accidentia) propter contrarietatem ad aliud compositum; & non solùm propter corruptionem subiecti) ita etiam accidentia, quæ insunt ratione materiæ, non sunt tanquam in subiecto per se, nisi in composito ex materia & tali forma, discurrendo per tales formas in entibus, quibus possunt esse.

22. Et secundùm hoc etiam verum est, quòd quia compositum ex talibus formis partialibus est quasi pro vno subiecto alicui tali accidenti secundùm speciem, non oportet quòd corrupto tali subiecto secundùm formam substantialem, corrumpatur tale accidens secundùm speciem: quia regeneratum ex corrupto potest esse talis speciei, cui conuenit tale accidens: & sic remanet, tali accidente vno secundùm speciem manente, conueniens subiectum.

Vnde non corrumpitur per se, scilicet, propter contrarietatem ad aliud compositum: sed manet vnum accidens secundùm speciem, quia etiam omnia talia subiecta sunt ei quasi vnum subiectum secundùm speciem; sed quia ad hoc quòd aliquod accidens diuersificetur secundùm materiam, & dicatur esse corruptum & generatum, & aliquid aliud secundùm materiam, sufficit quòd eius *esse*, vel entitas accidentalis interrumpatur, non obstante, quòd maneat eadem materia, vel idem subiectum. Vnde si aliquid sit calidum in manè, frigidum in meridie, & iterum calidum in vespere; constat quòd est alia & alia caliditas in numero: ita etiam cùm facta interruptione in *esse*, & entitate subiecti, oporteat fieri interruptionem in *esse* & entitate omnium illorum, quæ subiecto insunt, & non habent *esse* tanquam in per se subiecto, nisi in composito ex materia & forma, cùm ex vno subiecto corrupto aliud generatur; oportet quòd variatio fiat, non solùm secundùm formam substantialem, sed etiam fiat variatio in omnibus, quæ composito insunt; siue sit qualitas, siue alia accidentia.

Sed verum est, quòd (sicut dictum est) quædam sit variatio, & transsubstantiatio per se, scilicet, ratione contrarietatis, quæ est inter illa: quædam autem ratione interruptionis in entitate subiecti, per consequens interrumpente omnia, quæ sunt in subiecto. Manifestum est ergo, quòd vnum & idem accidens secundùm speciem potest esse in diuersis subiectis, quorum vna forma est ex alia generata: & ex hoc propriè non dicitur in duobus subiectis; sed quod albedines ambæ tales subiectatæ sint quasi in vno subiecto secundùm speciem. 23.

Et similiter verum est, quòd idem accidens, quod est idem & vnum secundùm speciem, non est in talibus, vt duo sunt, & vt differunt; sed vt sunt vnum, & conueniunt, secundùm quòd idem accidens secundùm numerum est in pluribus subiectis, non solùm differentibus secundùm speciem, sed eiusdem speciei; quorum vnum priùs habet *esse*, aliud verò posteriùs ex priori generatum: & sic oportet totam entitatem & actualitatem corruptam fuisse: & hoc est impossibile. Licèt enim talia non sint plura subiecta respectu talis accidentis, vt considerantur per se, & secundùm rationem speciei, scilicet, subiecta corrupta, & generata considerantur secundùm se; non vt verum subiectum respectu talis accidentis secundùm se, & secundùm suam speciem; tamen vt considerantur hæc secundùm *esse* reale, facta est in eis interruptio.

Et verum est dicere de corrupto, quòd aliquando fuit, & modò non est; & de generato, quòd aliquando non fuit, & nunc est: ideò illa oportet esse plura subiecta ratione interruptionis, secundùm corruptionem & generationem. Et ideò licèt humiditas aquæ generatæ ex aëre non dicatur esse alia ab humiditate aëris, propter repugnantiam aquæ & aëris per se, & secundùm suas formas; quia humiditas vtrique contingit; dicitur tamen alia propter eius interruptionem, & corruptionem, quam habet in corruptione aëris. Et ideò humiditas existens in aqua, & aëre, est alia, & alia, propter alietatem subiecti secundùm interruptionem.

Artic. II. Sect. II.

Quantitatem & qualitates symbolicas easdem remanere in generato & in corrupto.

Ecce quanta sylua verborum & opinionum in ista quæstione, de modo saluandi vnitatem accidentium symbolicorum; & de quantitate, quæ videtur communis generato & corrupto. Sed videtur mihi secundùm veritatem, quòd aliter potest saluari veritas rei, ostendendo quòd eadem quantitas numero, & etiam eædem qualitates symbolicæ remanent in generato & corrupto. 24.

Ad huius rei euidentiam est sciendum, quòd prędicta opinio ponit pro toto fundamento, quòd accidentia contrarietatem habentia, corrumpuntur

puntur dupliciter. Vnum est à suo contrario, vt dum ex aëre fit ignis, humiditas aëris corrumpitur à caliditate ignis, & à tota natura ignis, quæ ei contrariatur; & sic corrumpitur per se. Alio modo corrumpitur à corruptione subiecti, à quo habet *esse*, scilicet per corruptionem aëris, quia subiectum dat *esse* accidenti: & quia subiectum accidentis non solùm est materia, sed totum compositum ex materia & forma, ideò corrupto illo composito, corrumpuntur omnia accidentia, quæcunque ei insunt; tam quantitas, quàm alia, quæ habent contrarium, vel non habent contrarium. Isto secundo modo corrumpuntur solùm accidentia symbolica, & quantitas, quę est corpus, per accidens; primo & secundo modo corrumpuntur accidentia, quæ habent contrarietatem. Et tota ratio est, quia omnia accidentia habent esse à subiecto, quo corrupto necessariò corrumpuntur.

25. Item, argumentor sic: quia accidentia symbolica non determinant sibi formam secundùm speciem; quia possunt inesse diuersis secundùm speciem; vt caliditas aëri & igni: nullum tamen eorum est per nudam materiam, sed forma substantiali indutam istâ, vel illâ: ergo sicut vniuersaliter corrupta forma substantiali, oportet vniuersaliter talia accidentia corrumpi: sic corruptâ hac formâ substantiali, vtpote forma ignis, necesse est hanc qualitatem, vtpote eius caliditatem corrumpi. Et est virtus rationis, sicut primæ: non enim corrumpitur vniuersaliter tale accidens, corruptâ vniuersaliter forma substantiali, nisi quia tale accidens habet *esse* vniuersaliter à toto composito ex materia & forma substantiali.

Itèm, innuit aliam rationem; quia non est aliud re terminatio, siue gradus talis accidentis, vel etiam res ipsius accidentis; & ideò sicut tale accidens à tali forma habet terminationem, siue gradum; ita etiam habet ab eo suum *esse*, vt dicamus, quòd tale accidens & determinationem, & *esse*, quæ sunt illi idem, habet à forma: ergo sicut corruptâ formâ, vel toto composito ex materia & forma, tale accidens admittit terminationem, sic saltem per accidens, per subiecti corruptionem amittit suum *esse*, & inducit similem.

26. Ad probationem maioris: quia sicut forma substantialis simpliciter accepta, non solùm dat indeterminationem formæ simpliciter, siue vniuersaliter acceptæ, quasi ab alio habeat *esse*, & ab alio indeterminationem; immò dat sibi *esse* & indeterminationem; ideò causâ formali substantiali corruptâ, corrumpitur vniuersaliter tale accidens; vtpote quantitas, & omnia alia accidentia, tam symbolica, quàm non symbolica; non solùm quantùm ad determinationem, sed etiam quantùm ad *esse*. Ita etiam hæc forma non solùm dat huic accidenti determinationem; sed etiam *esse*. Ideò istâ formâ corruptâ, corrumpuntur omnia accidentia quoad determinationem, & quoad *esse*.

Item, corrupto priori corrumpitur posterius, quando posterius non inest, nec est nisi per prius. Accidens autem tale non inest materiæ, nec habet *esse*, nisi per formam. Ideò quando forma non inest materiæ, nec habet *esse*, vt est, dum res corrumpitur, necesse est, vt omne accidens corrumpatur; licèt illa, quæ non habent contrarium, non corrumpantur per se, sed per subiecti corruptionem. Omnium istarum rationum virtus est, quia accidentia habent *esse* à subiecto, non solùm secundùm gradum, sed & terminationem.

Alia est opinio, quæ dicit, quòd quantitas remanet eadem numero in generato & corrupto; nec propter hoc est in duplici subiecto. Similiter accidentia symbolica remanent eadem numero; sed non possunt propter hoc omnino dici in subiecto duplici. 27.

Ad quod aduertendum; cùm pura materia (vt benè dicit positio prædicta) non sit subiectum alicuius accidentis, sed totum compositum; ideò primò est hìc videndum quid sit subiectum generationis, quod est commune generato & corrupto. Secundò resoluendæ sunt rationes prædictæ positionis.

Circa primum est sciendum, quòd positio negat, quòd quantitas & accidentia contrarietatem non habent; ideò eadem remanere non possunt, quia subiectum eorum idem non remanet. Vt ex hoc apertè pateat, quòd intendunt dicere quòd vltra formam substantialem, generabilem & corruptibilem, non est aliquid, quod possit esse subiectum accidentium; quia nihil remanet, nisi pura materia communis generato & corrupto. *Quodnam est subiectum generationis.*

Quòd igitur materia omnino nuda non sit subiectum generationis, sed sub aliqua forma substantiali corruptibili, potest ostendi; vt id vocetur subiectum generationis, in quo stat vltima resolutio, quæ potest fieri per agens naturale, nec in ipsum, inquantum tale, potest aliquod agens naturale; sed est fixum signum, stabile, vel immutabile, per naturam; & est commune generato & corrupto.

Et hoc patet, primò, simile inducendo: videmus enim artem sua operatione semper præsupponere formam aliquam naturalem, & ab agente naturali introductam: vt ars faciendi pannos, etsi facit pannos, etsi fieri facit filum, natura tamen lanam præsupponit: & sic de omni arte. Sed, vt dicitur 2. *Physicor. text.* 22. *&* 79. ars imitatur naturam; ergo natura in suo opere similiter procedit, formam aliquam in materia supponendo. Hoc enim dicit Aristoteles 2. *Physic. text.* 78. quòd si natura faceret domum, eam faceret sicut ars. 28. Hæc eadem habet in q 8. art. 3. n. 16. & seqq.

Confirmatur hæc ratio: quia cùm sint tria agentia in vniuerso, Deus, natura, & ars; hic est ordo eorum inter se, quòd secundum præsupponit primum, & tertium secundum; & vbi desinit primum, incipit secundum; & vbi secundum, incipit tertium, vbi autem causa prima desinit appropriatè loquendo. Hoc dico, quia in omni actione subiectum agentis non potest esse materia pura, nec inueniri potest in operatione naturæ: tum, quia actio causæ primæ non terminatur, nisi ad ens in actu: tum, quia actio agentis naturalis non est nisi mediante influxu, qui est de genere actionum, cuius subiectum non potest esse materia nuda: ergo necesse est, vt subiectum agentis naturalis sit aliquod compositum ex materia & forma.

Item, generationem formæ substantialis præcedit necessariò alteratio, cuius terminus est generatio formæ accidentalis, saltem quoad actum completum: tum, quia agens generando semper agit mediantibus qualitatibus, quæ sunt instrumenta naturæ, quibus mediantibus disponit subiectum ad formæ substantialis introductionem: tum, quia forma substantialis non est nisi in materia sibi disposita. Ideò, vt dicitur 1. *de Anima*, *c.* 7. non quælibet forma est in quaelibet materia,

sed

ſed talis in tali. Cùm ergo alteratio ſit motus, cuius ſubiectum non poteſt eſſe materia prima: ergo neceſſe eſt vt materia, quæ eſt ſubiectum generationis, ſit alicui formæ incorruptibili per naturam, ſubiecta.

29. Sed ſi dicatur, quòd materia ſubiecta alicui formæ ſubſtantiali, vtpote elementi, vel alterius, recipit alterationem, vt ſubiectum ſuum accidens, nihilominùs neceſſe eſt ſimiliter corrumpi.

Contrà: quia ſubiectum in aliqua actione non corrumpitur, ſed ſaluatur, & manet commune, ideò vtroque termino: ergo cùm materia ſub forma corruptibili communis non maneat, cùm etiam illa forma per motum corrumpatur, neceſſe eſt vt ſub aliqua forma incorruptibili ſit ſubiectum.

Item, non videtur probabile, quòd qualitates ſymbolicæ corrumpantur, etiam per primi ſubiecti corruptionem: non enim hoc concedit litera Ariſtotelis, dicentis 2. *de Generatione, text. comm.* 25. *Quæ cauſam habent ſymbolicam, veloces ſunt eorum tranſmutationes; quæ verò non habent, tardæ ſunt; quia facilius eſt vnum tranſmutare, quàm multa.* Nec rationi videtur conſonum eſſe; quia videmus, quòd ignis agens in aërem, ſtatim augmentat eius caliditatem.

Nec poteſt dici quòd tunc ſint in aëre duæ qualitates, vna, quæ eſt primò in aëre; alia quæ ſit actualitate ignis educta. Tum, quia iſtæ qualitates eſſent ſimul in eodem ſubiecto, nec habent per quid diſtinguantur. Tum, quia tunc non fieret augmentatio qualitatis, ſaltem in termino actionis: quod ad ſenſum patet eſſe falſum. Si igitur ignis caliditatem auget vſque ad terminum introductionis formæ ignis, cùm tunc caliditas ſit ſumma, qualis competit igni, non videtur, quòd tunc debeat corrumpi; quia tunc natura fuiſſet operata, etiamſi illa intenſa caliditas periret per ſubiectum, ſcilicet aëris corruptionem.

30. Item, conſtat, quòd dum de aëre fit ignis, & ante aëris corruptionem caliditas incipit tendere ad gradum ignis intenſum, poſt motum alterationis gradus ille caliditatis, qui eſt terminus huius alterationis, non datur niſi per introductionem formæ ignis perfectam. Quod patet per Commentatorem in libro de Subſtantia orbis, cap. 1. dicentem, quòd, *Quælibet forma habeat propriam quantitatem terminatam:* & loquitur de formis corporalibus; loquitur etiam de terminatione quantitatis dimenſionalis, quam ſecundùm varios gradus requirit quælibet talis forma; & de quantitate gradus formarum accidentalium; quia aliam quantitatem, ſeu gradum qualitatis requirit ignis, aliam aër. Et ſequitur in Commentatore (loquitur Commentator de ipſo Ariſtotele) *Ideò ſciuit dimenſiones terminatas vltimo actu non poſſe, niſi poſtquam forma ſubſtantialis eſt in eo; ſicut eſt diſpoſitio de aliis accidentibus in actu.* Ergo ſi ordine naturali priùs eſt forma ignis perfectè introducenda, quàm huius qualitatis completio; ſi motus alterationis finem ſuum conſequitur, caliditatem ad ſummum deducendo, ſequitur, quòd aut illa caliditas ſic augmentata manet, aut per introductionem formæ ignis corrumpitur, quod eſt impoſſibile.

Item, quando aliqua paſſio ineſt communiter aliquibus, ineſt eis per aliquid commune, vt dicitur 2. *Phyſicorum, text. comm.* 5. Cùm igitur quantitas inſit communiter & vniformiter corporibus, & ineſt eis per aliquod commune: hoc non eſt materia nuda, vt dicit prædicta poſitio; igitur hoc eſt materia, vt eſt ſub aliqua forma. Quam formam voco formam corporalem in genere ſubſtantiæ, per quam ineſt quantitas omnibus corporibus. Cùm igitur ſub forma corporis materia poſſit remanere, eo quòd ad nullam formam contrarietatem habet, vt ſic per ſe corrumpatur, & præcedat in materia omnem formam generatam; & ſic non oporteat ipſam corrumpi per corruptionem ſubiecti, videtur quòd eadem quantitas numero propter ſubiecti identitatem remaneat in generato & corrupto.

Eſt igitur iſtorum opinio, quòd Deus creauit primam materiam ſub forma ſubſtantiali & incorruptibili, de genere Subſtantiæ, quam inſeparabiliter ſequitur quantitas, ſiue corpus de genere Quantitatis, quæ eſt per ſe ſubiectum generationis & corruptionis; cuius corruptio, vel eductio nulli agenti ſubeſt naturali, & eſt communis terminus manens idem numero in generato & corrupto, & ſic quantitas manet eadem, quia ſuum immediatum ſubiectum manet numero idem. 31.

Sed de qualitatibus ſymbolicis eſt dubium, quomodo poſſunt eædem remanere numero: non enim earum ſubiectum poteſt dici materia ſub forma corporali, vel etiam ſubſequente, vt per hoc ponamus illas eaſdem remanere, quia materia ſub forma corporali remanet eadem. Subiectum enim talium qualitatum, non eſt niſi compoſitum ex materia & forma naturali, vel elementari, quod idem numero non manet in generato & corrupto.

Et dicunt aliqui, quòd quando duo ſubiecta ſic ſe habent, quòd vnum ſecundùm ſe totum ſuccedit ad aliud, tunc neceſſe eſt, vt omnia accidentia primi ſubiecti ipſo corrupto corrumpantur. Et quamuis in ſequenti ſubiecto ſimilia ſpecie generentur, quia tunc fit interruptio in eſſe, ideò illa accidentia, etſi ſint eadem ſpecie in illis duobus ſubiectis; tamen non ſunt eadem numero, quia generatum & corruptum, & priùs generatum, non eſt idem numero.

Vnde ſi fiant duo ignes, ita quòd primò conſumantur ligna vnius, & illis conſumptis ſuccendantur alia, impoſſibile eſt quòd eadem caliditas numero, quæ fuit in primo igne, remaneat in ſecundo. Si autem duo ſubiecta ſic ſe habeant, quòd ante primi corruptionem totalem ſecundùm ſibi permiſceatur, vt quodammodò fiat vnum, ſequitur tunc, quòd qualitas, quæ fuit in primo ſubiecto eadem numero, poteſt in ſecundo ſubiecto remanere, quia per quandam continuationem factam, eſt vnum ſubiectum. Verbi gratia, incenduntur ligna, & fit ignis; & antequam illa conſumantur omnino, adduntur alia ligna primis; & ſic eadem eſt qualitas, quæ fuit in primis lignis, & quæ remanet in ſecundis: quia non ſunt ſubiecta ſecunda, niſi per primi ſubiecti totalem interruptionem, & ſecundi ſucceſſionem, vt per hoc oporteat caliditatem primi & ſecundi interrumpi; ſed hic quodammodò ſunt vnum ſubiectum: & in quolibet nata eſt eadem qualitas numero conſeruari per continuationem. 32.

Ita dicunt, quòd cùm de aëre fit ignis, paulatim, & per gradus forma ſubſtantialis ignis generatur, & quòd etiam quodammodò vnum cum aëre efficitur, quia non opponuntur ſibi inuicem, reſpectu eiuſdem materiæ, forma ignis, & forma aëris, niſi

nisi vt quælibet est in suo gradu specifico; & ita cùm caliditas intendatur & sustentetur non solùm in materia, vt est sub forma aëris; sed etiam vt est sub forma ignis; ideò inter corruptionem aëris, & generationem ignis non est omnino successio cum interruptione, sic videlicet vt forma aëris totaliter corrumpatur, & postmodùm tota forma ignis introducatur. Secundùm autem totalem corruptionem formæ aëris, fit per gradus introductio formæ ignis, vt sic quasi vnum sit aër & forma ignis, sub gradu incompleto, ac per hoc cùm caliditas nata sit consequi tam ignem, quàm aërem, cùm in illis non sit propriè interruptio, nec in caliditate fiet propriè interruptio.

33. Et si dicas, quòd aliud fuit subiectum, in quo primò fuit, scilicet aër; aliud in quo est completa generatio, scilicet ignis; dico, quòd caliditas symbolica non est in illis duobus, vt propriè duo sunt, quasi numerata per interruptionem, sed vt sunt vnum per quandam continuationem.

Vlteriùs dico, quòd prædicta positio insufficienter quærit accidentis corruptionem, vel mutationem, per mutationem, vel corruptionem subiecti: quia, vt visum est in primo articulo, non numeratur accidens per se, & primò per numerationem subiecti, sed per numerationem sui *esse* actualis; quod non habet à subiecto, nisi per accidens, vt dictum est. Ideò cùm *esse* qualitatis symbolicæ sit idem in igne & aëre, secundùm gradum magis & minùs intensum, quod quidem idem remanet etiam per quandam continuationem actualis *esse* aëris & ignis, ideò illa qualitas remanet eadem numero.

34. Et per hoc soluuntur omnes prædictæ positiones, quæ omnes vni innituntur fundamento, quòd scilicet, accidens habeat à subiecto non solùm *inesse* & terminationem, sed etiam *esse* simpliciter; ideò corrupto subiecto corrumpitur *esse* omnium accidentium.

Adhuc enim videtur, quòd accidentia (vt ostensum est) non habent illud *esse* à subiecto, per quod habent vnitatem, & per quod numerantur primò & per se, quod est *esse* actualis existentiæ, sed solùm habent à substantia *esse* subsistentiæ communicatum, & per hoc non numerantur, nec vnitatem habent accidentia diuersarum specierum. Non quidem vnitatem, quia accidentia diuersarum specierum simul sunt in vno subiecto. Nec pluralitatem, quia tunc à pluralitate subiectorum solùm haberent pluralitatem & numerositatem, quod est falsum: quia in eodem subiecto habent numerositatem & pluralitatem; sed per accidens habent pluralitatem à pluralitate subiectorum, quia in pluribus subiectis habent plura *esse* actualia.

35. Similiter accidentia eiusdem speciei nec vnitatem, nec pluralitatem habent ab vnitate, vel pluralitate subiecti. Et hoc dico per se & primò, sed benè per accidens. Non vnitatem ab vnitate subiecti; quia quod per se & primò inest alicui, est de eius essentia, nec virtute aliqua potest ab eo separari: & ita idem accidens numero, etiam virtute diuina non posset esse in pluribus subiectis, nec simul, nec successiuè: cuius contrarium etiam asseruit prædictorum opinio in speciebus Sacramenti, quòd possunt aliam substantiam panis afficere, si Deus eam crearet; & esset idem accidens numero propter vnitatem *esse* actualis in duobus subiectis. Nec etiam habent pluralitatem à pluralitate subiecti; nam, vt ostensum est, idem accidens continuat suum *esse* actuale idem numero in duobus subiectis; vtpote in aëre & in igne: & ideò est illis idem numero. Et si natura posset conseruare *esse* actuale accidentis sine subiecto, idem accidens numero esset in diuersis subiectis; quantumcunque vnum succederet alteri per vnius totalem corruptionem, & alterius totalem generationem media interruptione: sed quia natura non potest conseruare *esse* actuale accidentis sine subiecto, ideò corrupto subiecto corrumpuntur accidentia: nisi fiat per quandam, vt ita dicam, successionem continuam subiectorum: sicut dixi de aëre, & de igne.

SCHOLIVM.

Hoc idem asserit Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. n. 12. & 15. nimirum eandem quantitatem, & accidentia, quæ erant in priori substantia panis, remanere in Sacramento Eucharistiæ, eadémque perseuerare in alia substantia de nouo introducta, si per creationem, aut alio quocumque modo subintroducatur, & afficere posse hanc secundam substantiam, non secus ac primam.

Et hæc solutio soluit omnes rationes præcedentis positionis. Quod enim accidens simpliciter & vniuersaliter corrumpatur corrupta omni forma substantiali, non solùm quoad *inesse* & interminationem, sed etiam quoad *esse* & simpliciter: dixi quòd hoc est per accidens, quia corruptâ formâ substantiali in composito, & hoc in speciali, corrumpitur *esse* actuale, quo corrupto per se corrumpitur *esse* accidentis, tam compositi, quàm huius accidentis numeralis: sicut dicit Commentator 8. *Metaphys. comment.* 5. quia corrupta caliditate corrumpitur forma substantialis ignis, sed corrupta forma substantiali, non corrumpitur *esse* actuale accidens, etiam per accidens; nisi propter interruptionem. Et si hoc fiat sine interruptione, vt dixi de qualitatibus symbolicis, patet quòd ibi non habet locum. De quantitate patet in speciali quòd non concludunt; quia eius subiectum non est materia nuda, sed sub forma corporali: & idem semper manet eius subiectum non interruptum. 36.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm tempus, & motus, sint idem re? vel, Vtrùm tempus sit aliquid extra animam?

Aristoteles 4. *Physic. cap.* 10. *text.* 94. & *cap* 12. *text.* 118. August. 11. *Confession. cap.* 23. & 24. D. Thom 4. *Physic. lect.* 11. Richard. *in* 2. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 1. Mayron. *q.* 2. Argent. *quæst.* 1. *art.* 1. Bassol. *art.* 3. Gabr. *quæst.* 1. Occam *quæst.* 10. Suar. *in Met. disp.* 50. *sect.* 9. Conimbr. *lib* 4. *Physic. c.* 14. *q.* 2. Vide Doct *in* 2. *dist.* 2. *q.* 2. & *in quodl.* 6.

RESPONDEO: Cùm tempus sit accidens quoddam, eò quod est in genere Quantitatis; vnitas autem accidentis ab vnitate causatur subiecti, saltem per accidens, (vt visum est in præcedente quæstione) ideò ad videndum temporis vnitatem, necesse est videre, in in quo sit tempus tanquam in subiecto. Ad cuius euidentiam tria sunt inquirenda. Primò, oportet inquirere temporis vniuscuiusque cum motu identitatem, & diuersitatem. Secundò, oportet inquirere animæ ad tempus causalitatem. 1.

Tertiò,

Tertiò, temporis ad motum primi mobilis singularem conformitatem. Et demùm quartò respondendum est ad rationes contrarias.

ARTICVLVS I.

Variæ referuntur sententiæ.

2. *Quidam asserunt tempus realiter differre à motu.* *lib.4.5.&6. Physic.

Circa primum est sciendum, quòd opinio multorum videtur esse; quòd tempus à motu realiter differat, vt sit accidens inseparabiliter ipsum motum concomitans; sicut caliditas ignis. Tractat enim hoc Aristoteles in diuersis capitulis de motu & tempore *: & vnum dicit esse alterius mensuram. Rabbi etiam Moyses in 2. lib. suo videtur sentire quòd tempus à motu differat.

Primum argumentum. Hoc etiam videtur; quia si tempus sit idem quod motus, & quantitas temporis idem quod quantitas motus, tunc quantò motus esset velocior & intensior, tantò tempus esset maius: tunc etiam tarditas & velocitas conuenirent tempori; sicut conueniunt motui, quod est contra Philosophum 4. *Physic. text.* 109. *&* 110.

Secundum. Item, secundùm Commentatorem super princip. 3. *Physic. comm.* 4. motus per se non est in distincto Prædicamento, sed est in illo Prædicamento, in quo est res acquisita per motum: vt motus ad qualitatem, est in genere Qualitatis, & sic de aliis. Nunc autem tempus non ponitur in genere Qualitatis, nec in alio genere quàm in genere Quantitatis: ergo tempus non est motus.

Tertium. Item, impossibile est duo tempora simul esse, nisi vnum sit pars alterius: non enim sunt simul duo dies, vel duæ horæ, vel duo anni; sed dies, & hora, & annus simul sunt; sed duo motus & plures sunt simul, & æqualiter fluunt, quorum vnus non est pars alterius, quia simul currimus ego & tu; simul mouentur circulus, vel cœlum & homo: ergo motus non est tempus.

3. *Quartum.* Item, certum est, quòd omnes partes cœli simul mouentur, ita quòd ex partialibus motibus omnium partium cœli integratur vnus totalis motus totius cœli: ergo si tempus est motus, similiter fieret vnum totale tempus ex partialibus temporibus simul coëxistentibus, sicut coëxistunt motus partium, vt sic imaginetur tempus, quod mensurat motum primi mobilis, non solùm esse quantum secundùm suam successionem, sed etiam extensè diffusum secundùm distinctionem partium mobilis, quæ simul mouentur.

Aut dicatur, quòd sicut substantia spiritualis est indiuisibilis, & tota simul in omnibus partibus loci, sic tempus sit quædam mensura simplex, tota simul existens in qualibet partium cœli dum mouentur: & hoc dato, vel illo, patet quòd tempus non est motus.

Quintum. Item, tempus de se est causa antiquitatis, & senectutis, & corruptionis in rebus corporalibus, vt patet 4. *Physic. text.* 117. motus autem, inquantum motus, non est huius causa, quia tunc omnis motus in rebus temporalibus esset eis causa senectutis, & quantò motus maior, tantò res esset senior, quod patet esse falsum in motu augmenti & in motu locali.

Sextum. Item, videmus motum maiorem, vt per vnam leucam, quandoque fieri breuiori tempore, quàm motum minorem, vt per mediam leucam: quia citiùs mouetur equus per leucam, quàm homo per mediam: quod non esset verum si motus & tempus essent idem. Item, Augustinus hoc dicit 11. *Confessionum cap.* 24. *Nam etsi variè corpus aliquando mouetur, aliquando stat, non solùm motus eius, sed etiam statum tempore metimur, & dicimus tantum stetit, quantum motum est, aut duplo, vel triplo stetit, ad id quod motum est, & si quid aliud nostra dimensio, siue comprehenderit siue existimauerit, vt dici solet plus minùs. Non est ergo tempus corporis motus.* hæc Augustinus.

Quorundam autem opinio est, quòd motus & tempus non dicunt diuersas res absolutas, sicut quantitas, & qualitas ei inhærens, sed omnino dicunt eandem, secundùm diuersas rationes denominatam, aliquando tempus, aliquando motus: vt idem sunt re, vnum, verum, bonum; & eadem res sub vna ratione. Sub ratione scilicet temporis est suiipsius mensura; sub alia ratione, scilicet, sub ratione motus, est mensura alterius: & eidem rei conueniunt aliqua sub vna ratione, quæ nullo modo conueniunt eidem rei, sub alia ratione: sicut concludunt prædicta argumenta; in quibus concluditur, quòd aliquid dicitur de motu, quod non dicitur de tempore, velècontrario. Quòd autem motus & tempus duas rationes absolutas non dicant; vide rationes in quæstione de æuo *. Tamen istud probatum est in quadam quæstione †, vbi probatum est quòd numerus essentialis non differt à numeratis. Sed tempus est essentialiter mensura prioris & posterioris non manentis; ista sunt essentialiter in quolibet motu: ergo, &c. 4. *Alij asserunt esse eandem rem absolutam.* * infrà q. 19 † q. 16. n. 16. & seqq.

Item, ostensum est in quæstione præcedenti *, quòd duo accidentia eiusdem speciei simul esse non possunt; longitudo autem, siue dinumeratio motus, & temporis, simul sunt, & constat quòd sunt eiusdem speciei; cùm duratio cuiuslibet sit secundùm quod priori succedit posterius per corruptionem prioris, & posterioris generationem. 5. * num. 8. & seqq.

Eodem modo sicut de numero videtur aliquibus, quòd tempus cùm sit numerus & mensura motus, ita intimè & inseparabiliter se habens ad motum sicut numerus ad numerata, non dicit aliam rem absolutam à motu, quamuis dicat aliam rationem.

Et ista videtur esse sententia Augustini 5. *super Genesim ad literam, c.* 5. vbi sic dicit: *Potiùs ergo tempus à creatura, quàm creatura cœpit à tempore; vtrumq; autem ex* DEO. *Ex ipso enim, & in ipso, & per ipsum sunt omnia. Nec sic accipiatur quod dictum est, tempus à creatura cœpit, quasi tempus creatura non sit, cùm sit creatura motus ex alio in aliud, consequẽtibus rebus*, &c.

SCHOLIVM.

Etsi multis in locis dubium hoc attigerit, immò etiam ex professo proposuerit Doctor, vtpote 5. *Metaph q.*10. *& in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. *num.* 8. §. Respondeo si oportet tempus. *Et in* 4. *dist.* 48. *quæst.* 2. *num.* 12. §. Ad primum dicitur sic: *Nullibi tamen adeò clarè resoluit sicuti hîc; tempus & motum non distingui realiter. In Metaphysica disputat de hac re diffusiùs, sed obscurissimè quidem, nihil resoluens. In illo loco secundi Sententiarũ respondet iuxta opinionem contrariam in casu, quo oporteat tẽpus à motu distingui: & in postremo loco quarti Sententiarum, solùm ait, tempus vltrà motum, prout motus includit propriam successionem, non addere nisi rationem mensuræ formaliter, & fundamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum. Verum est hinc inferri, non dari inter vtrumque distinctionem realem, ex illo enim generali principio, quòd duratio in re non distinguitur ab illo esse, cuius est* duratio;

duratio; rectè sequitur in Scoti sententia non distingui tempus à motu realiter, cùm nihil aliud sit formaliter, nisi eius duratio, vel mensura. Vide Suarem tom. 2. Metaph. disp. 50. sect. 9. vbi etiam latè respondet ad primum & sextum argumenta adducta hîc pro opinione contraria; quibus etiam alias adhibet responsiones Scotus hîc, articulo quarto.

Neque tempus, neque numerus dicit rem aliam absolutam vltra numerata.

Et hoc firmiter existimo esse verum, scilicet, neque numerum, neque tempus dicere rem aliam absolutam vltra numerata, vel vltra motum: sicut qualitas dicit aliam rem à quantitate, sed eandem rem simpliciter, sed tempus addit rationem, quam format mens supra motum, sicut iam manifestabitur. Et similiter numerus dicit solam rationem supra numerata, quam rationem format sibi in anima, & si aliquando inueniatur, quòd tempus non est motus, verum est secundùm rationes suas formales, à quibus fit denominatio; sed res benè est eadem. Ad rationes superiùs in oppositum factas alibi quære responsionem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm tempus habeat esse reale extra animam?

6. CIrca secundum, quomodo tempus se habeat ad animam, quantum ad causalitatem? quod est quærere; *Vtrùm tempus sit extra animam?* Respondeo: & quamuis quidem ex dictis satis appareat, quòd si numerus & numerata sint idem re; & tempus & motus sunt idem secundùm rem, differentia sola ratione; satis patet, quòd tempus & numerus quantùm ad suam realitatem sunt extra animam, sicut numerus motus & sicut lapides numerati: sed sunt in anima, & ab anima quantùm ad suam rationem formalem.

Probatur pars negatiua.

Sed vt pleniùs hoc videatur, est sciendum, quòd de *esse* temporis in anima, vel extrà, magna apud authores antiquos fuit dubitatio. Aristoteles 4. *Physicor. text.* 88. *& seqq.* videtur suadere tempus extra animam nihil esse. Cùm enim tempus sit quoddam continuum, ac per hoc ex partibus constitutum, sed partes eius non sunt aliquid extra animam, nec ipsum est aliquid extra animam. Quòd partes non sint, patet: si ergo ipsum est aliquid, est ab actione animæ simul concipiente præteritum & futurum, vt copulantur ad præsens instans, & fluens. Hanc autem rationem videtur Philosophus deducere in 4. *Physic. text. comm.* 97. *Quia,* (vt dicit ibi,) *cùm nihil ipsi mutamur secundùm intelligentiam, aut latet nos mutari, non videtur nobis fieri tempus, sicut neque his, qui in Sardo fabulantur dormire apud Heroas, cùm expergiscuntur. Copulant enim primum nunc posteriori nunc, & vnum faciunt remouentes propter insensibilitatem medium.* Putabant enim idem esse numero tempus, quo dormire cœperunt, & in quo euigilabant; & remouebant tunc tempus medium propter insensibilitatem. Vnde etiam dormientes in obscuro loco, non perpendentes aliquid de motu cœli per lucem Solis, quando euigilant, quærunt quæ hora sit. Propter quod etiam de nocte non perpendimus tempus, nec scimus, quę hora sit certitudinaliter, nisi referamus nos ad alia signa.

Videtur esse ad mentem Philosophi.

7. Videmus etiam, quòd si quis percipiat motum, solummodò sentiendo motum in ratione motus secundùm defluxum eius, quo mouetur; & non secundùm rationem defluxus à priori in posterius, non percipitur tempus; sed tunc solùm percipitur tempus, cum motu, vel actione animæ distinctè. Percipimus enim discursum motus venire à priori in posterius. Prius autem & posterius secundùm rationes prioris & posterioris, vt sunt partes temporis, non sunt in re extrà, sed solùm in animæ perceptione simul concipiente præteritum & futurum, & copulante ea ad præsens, & sic formante & faciente ipsum tempus, & sic mens facit suo conceptu partes esse simul, quæ natura & re simul esse non possunt.

Huius opinionis videtur fuisse Aristoteles: vnde dicit ipse *, *Si sint tenebræ*, &c. & postea subdit †, *at verò & tempus cognoscimus*, &c. Hoc idem videtur concedere motâ principaliter quæstione cùm dicit *, *Vtrùm autem cùm non sit anima*, &c. & determinando quæstionem, dicit quòd tempus sit numerus, & anima numerans, &c. Vide ibi rationem. Tota autem virtus suæ rationis (vt patet ex suo textu) videtur esse, vt cùm tempus mensuret motum, non solùm vt motus dicit quendam defluxum, sed vt dicit defluxum à priori in posterius; cùm non perpendamus defluxum à priori in posterius, nisi per animam numerantem, & distinguentem prius à posteriori; non erit tempus, nisi per animam, sic numerantem partes motus, & diuidentem hoc esse prius, & hoc esse posterius.

* citat. text. comm. 98. † text. com. 100. * text. 131.

8. Et si dicamus contra Aristotelem, quòd ipse non concedit, quoniam tempus sit sine anima; quòd prius & posterius sunt in motu sine anima, vel non sunt sine anima: sed concedit quòd tempus à nobis non perpenditur, nisi prius & posterius in in motu ab anima perpendatur. Non est autem bona argumentatio: non perpendo tempus, vel motum; ergo tempus & motus non sunt. Dicit enim Aristoteles quòd sicut prius & posterius sunt in motu sine anima, vel non sunt sine anima, sic tempus est, & non est sine anima. Et hoc expressè ipse dicit sic: *Quandoquidem igitur ipsum nunc sentimus*, &c. Ex hoc apertè patet intentio sua; quòd sicut prius & posterius sunt, & non sunt in motu sine anima: sic tempus est, & non est sine anima. Nunc autem est intentio sua, quòd prius & posterius sub istis formalibus rationibus, etiam non sint in motu, nisi vt ab anima concipiuntur: ita quòd partes motus habent istas rationes formaliter ab anima; concipiendo partem posteriorem & priorem, & partem futuram & posteriorem, ita quòd prius & posterius, id quod sunt, sunt in motu sine anima; sed non inquantum sunt. Tempus autem sequitur prius & posterius in motu, non secundùm id quod sunt, sed inquantum sunt sub istis rationibus.

Et hoc expressè dicit ipse Aristoteles ante literam supradictam, vbi sic dicit *: *Est autem prius & posterius ipsorum in motu*, &c. Hîc alia translatio sic habet: *In esse autem ipsorum sunt aliud à motu.* Et Commentator dicit *: *Prius & posterius, quæ sunt in motu, habent quiditatem aliam à quiditate motus, licèt idem sint cum motu in subiecto.* Ex tota illa litera elicitur, quòd prius & posterius, vt sunt partes motus, id quod sunt, sunt idem cũ motu, sed inquantum sunt tales rationes, differunt à motu.

* text. com. 99. * com. 99.

Ex quibus videtur, quòd partes motus secundùm istas rationes relatiuas, scilicet, prioris & posterioris, vt ad se inuicem comparantur, secundùm quandam continuationem fluxus, & copulantur ad præsens, habent ab anima, quæ de ipsis partibus motus concipit istas rationes; vt comparando hanc ad illam, dicat istam esse priorem, illam verò posteriorem.

Quòd

9. Quòd autem iſtæ rationes, quæ ſunt prius, & poſterius, ſint intentiones animę fundatę actione intellectus ſuper ipſas partes motus, patet per Auicennam 3. *Metaphyſicæ ſuæ, cap.* 10. vbi oſtendit, quòd quædam eſt relatio realis, & habet *eſſe* in ſingularibus ſecundùm rem: quædam verò ſecundùm dici ſolùm, quæ non habet *eſſe* niſi in intellectu. *Relatio ſecundùm rem*, quæ habet *eſſe* in ſingularibus eſt illa, quæ conuenit eis, quæ ſunt ſimpliciter, & abſolutè ad aliquid: de quibus relatiuis dicit idem Auicenna citatus: *Ad aliquid abſolutè eſt, cuius quiditas dicitur reſpectu alterius: & quidquid hoc modo fuerit in ſignatis, vt ſecundùm quiditatem ſuam non dicatur, niſi reſpectu alterius, illud eſt ad aliquid.* Hæc autem intentio non intelligitur, niſi reſpectu alterius rei, quæ ſit alia res à ſe, vt ſcientia ſecundùm quiditatem dicitur ad ſcibile; & pater, inquantum pater, dicitur per talem eſſentiam, non per aliquid ſuperadditum ei ad filium: & ſic talis relatio, quæ fundatur in quiditate rei, non habet eſſe propter conceptum intellectus in ipſa re; ſed potiùs è contrario, quia habet eſſe in re, ideò eam concipit intellectus.

Relatio realis.

Relatio ſecundùm dici.

Relatiua verò ſecundùm dici definit Ariſtoteles in Prædicamentis, cap. 8. dicens: *Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque id quod ſunt, aliorum dicuntur.* Et iſta ſunt relatiua, quorum quiditas, & natura id quod eſt abſolutè, non dicitur ad aliquid. Sed ideò dicuntur relatiua, quia intellectus concipit aliquam rationem de talibus per hoc, quòd comparat vnum ad alterum: vt rationem dexteræ concepit de columna, vel in columna, non quòd eſſentia columnæ, vel quiditas dicatur dextera; ſed hanc rationem concipit circa ipſam, vt eam comparet ad dexteram partem hominis.

10. Quòd autem talis relatio ſolùm ſit in intellectu, non in re, declarat Auicenna, ponens exemplum de relatione, quæ eſt inter prius, & poſterius, dicens ſic: *Scias quòd res in ſe non eſt prius res niſi eo, quòd eſt ſimul in intellectu cum ea, quæ eſt poſterius; & hæc ſpecies prioris, & poſterioris eſt, cùm vtraque ſimul ſint in intellectu.* Cùm enim præſentatur intellectui forma prioris, & forma poſterioris, intelligit anima hanc comparationem incidere inter duo, quæ ſunt in intellectu. Sèd ante hæc res in ſe non eſt prior: quomodo enim erit prior in ſe, quæ non habet *eſſe*. Concludit ergo ibi Auicenna, dicens: *Quæ fuerint de relatiuis ſecundùm hunc modum non erit eorum relatio, niſi in ſolo intellectu, nec intelligentur exiſtere in eſſe ſecundùm hanc prioritatem, & poſterioritatem, hoc enim prius, & poſterius eſt certè, de intentionibus intelligibilibus ex comparationibus, quas ponit intellectus ex reſpectibus, qui acquiruntur rebus, cùm comparat ea inter ſe intellectus, & deſignat eas.*

Hanc digreſſionem feci, ne fortè videatur alicui, quòd non poſſit contradici, quòd tempus omnino, & ſecundùm omnem modum ſit extra animam; quia ſequuntur prius, & poſterius in motu, quæ videntur eſſe in motu abſque omni actione animæ, quod verum non eſt: immò, vt iam oſtenſum eſt, nec ipſæ partes motus habent rationes prioris, & poſterioris, niſi ex actione animæ comparantis vnam partem ad aliam, & formantis in ipſis, & de ipſis iſtas intentiones.

11. Ergo reſumendo iſtum ſecundum articulum, patet quòd ſecundùm opinionem Ariſtotelis, & Auicennæ, tempus habet rationem formalem ab anima: & quòd iſta intentio, quæ eſt tempus, fundatur ſuper motum, vt in partibus motus inuenitur ratio prioris, & poſterioris, quæ non inueniuntur in eo niſi ab anima.

Huius opinionis fuit Beatus Auguſtinus, vt patet in lib. 11. Confeſſionum, cap. 13. & ſeqq. vbi diuerſis locis expreſsè vult, quòd tempus ſit in anima; & quòd tempus ſequitur motum, tanquam menſura eius. Non quidem ſequitur motum extrinſecus, vt immediatum menſuratum; ſed motum, ſiue conceptum animæ: vt patet 11. Confeſſionum, cap. 28. vbi videtur velle, quòd tempus nihil aliud ſit, quàm conceptus intellectus, vel tranſitus rerum pertranſeuntium ſimul manens in anima. Vult etiam quòd tempus *futurum* nihil aliud ſit, quàm actualis, & præſens conceptus in anima ſecundùm expectationem alicuius prætereundi in re extra. *Præteritum* nihil aliud eſt, quàm præſens, & actualis conceptus ſecundùm recordationem alicuius iàm pertranſiti in re extra. *Præſens* nihil aliud eſt, quàm præſens, & actualis conceptus in anima ſecundùm actionem iam præſentis. Et ſicut de aliquibus vnitatibus diſcretis in re, intellectus format ſibi vnum conceptum, vnius ſpeciei numeri; ſic de partibus in re non exiſtentibus, vt de præterito, & futuro, cum præſenti exiſtenti ratione durationis, quæ eſt tempus: & ſecundùm tales conceptus dicitur, ſecundùm Auguſtinum, tempus longum, vel breue, non ſecundùm aliud, quàm ſit in re extra.

Et ponit ipſe Auguſtinus exemplum 11. Confeſſ. cap. 25. & ſeqq. vbi videtur tota ſua deductione ad hoc tendere, quòd ex parte rei extrinſecæ non poſſit longitudo, aut breuitas attendi in tempore; quia quod non eſt, nec longum, nec breue dici poteſt: præteritum non eſt, futurum non eſt; præſens autem ſtatim pertranſit: ideò non eſt aliud loquendo de tempore longè præterito; niſi quidam conceptus intellectus longæ præteritionis. Et nihil aliud eſt à longè futurum, niſi quidam conceptus longæ futuritionis. Vnde ſic dicit Auguſt. citatus, cap. 28. *Quis igitur negat futura nondum eſſe? ſed tamen iam eſt in animo expectatio futurorum. Et quis negat præterita iam non eſſe? ſed tamen adhuc eſt in animo memoria præteritorum. Et quis negat præſens tempus carere ſpatio? quia in puncto partitur; ſed tamen perdurat attentio, per quam peragat abeſſe quod aderit. Non igitur longum tempus futurum, quod non eſt: ſed longum futurum, longa expectatio futuri eſt: neque longum præteritum tempus quod non eſt; ſed longum præteritum, longa memoria præteriti eſt.* Et tunc ponit exemplum dicens ſic: *Dicturus ſum canticum, quod noui, antequam incipiam, in totum expectatio mea tenditur; cùm autem cœpero, quantum ex illo in præteritum decerpſero, tenditur in memoria mea, atque diſtenditur vita huius actionis meæ in memoriam propter quod dixi, & in expectationem propter quod dicturus ſum, præſens tamen adeſt attentio mea, per quam traiicitur, quod erat futurum, vt fiat præteritum. Quod quantò magis agitur, & agitur, tantò breuiata expectatione prolongatur memoria, donec tota expectatio conſumatur, cùm tota illa actio finita tranſierit in memoriam. Et quod in toto cantico, hoc in ſingulis particulis eius ſit, atque in ſingulis ſyllabis eius hoc in actione longiore cuius fortè particula eſt illud canticum, hoc in tota vita hominis, cuius partes ſunt omnes actiones hominis, hoc in toto ſeculo filiorum hominum, cuius partes ſunt omnes vitæ hominum.* Hæc Auguſtinus. 12.

Vide dicitur tempus longũ vel breue.

Patet ergo quòd hæc fuit eius opinio, tempus 13.

habere esse in conceptu animæ; & non extrà. Vnde dicit idem 11. Confess. cap. 14. *Fidenter tamen dico scire me, quòd si nihil præteriret, non esset præteritum tempus, & si nihil adueniret, non esset futurum tempus, & si nihil esset, non esset præsens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum & futurum, quomodo sunt, quando & præteritum iam non est, & futurum nondum est? præsens autem si semper esset præsens, nec in præteritum transiret, iam non esset tempus, sed æternitas. Si ergo præsens, vt tempus sit, ideò fit, quia in præteritum transiit, quomodo & hoc esse dicimus cui causa, vt sit illa, est, quia non erit, vt scilicet non verè dicamus tempus esse, nisi quia tendit in non esse.* Quia dicit Augustinus: præteritum tempus non est, futurum non est, nec præsens dicitur esse præsens; nisi quia transiit in præteritum; & sic in non ens. Ergo cùm id, quod dicitur esse, ex non entibus, sit non ens: tempus vt dicitur constare ex rebus extrà, sic transeuntibus in non ens, est non ens: ergo tempus vel est nihil, vel est in re extrà. Et est simile argumento Aristotelis in principio cap. de Tempore: sed tamen Augustinus, sicut ibidem, cap. 17. dicit: cùm negari non possit tempus esse, quærit, vbi est? & respondet: *Sunt ergo & futura & præterita*, cap. 18. *Si igitur sunt futura, & præterita, nolo scire vbi sunt: quòd si nondum valeo; scio tamen vbicunque sint, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia: nam si & ibi futura sunt, nondum ibi sunt; si & ibi præterita sunt, iam non ibi sunt: vbicunque ergo sunt, quæcunque sunt, non sunt ibi præsentia.*

14. Ex hoc aperte paret, quòd si tempus secundùm quòd est, non habet partes præteriti, aut futuri, vt dicit, sed eius partes sunt actu existẽtes, & præsentes, cùm præsentes non sint nisi in anima; quod ipse vult dicere, quòd tempus non est nisi in anima: vt nihil aliud sit præteritum, nisi memoria præsens de re præterita: nihil aliud sit tempus futurum, nisi actualis mentis conceptus de re futura; & de præsenti sicut priùs. Et hoc euidentiùs ipse concludit in 11. Confessionum, cap. 20. *Quod autem nunc liquet, & claret, nec futura sunt, nec præterita: nec propriè dicitur, tempora tria sunt, præsens, præteritum, & futurum: sed fortasse propriè diceretur, tempora tria sunt, præsens de præteritis, præsens de præsentibus, præsens de futuris: sunt enim in anima tria quædam, & alibi ea non video: præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris expectatio.*

Ecce igitur positio Augustini de tempore, quòd non sit nisi in anima; & quòd etiam eius partes præsentes sunt, ac per hoc sunt. Vnde & ratio sua tota est, vt frequenter patuit, quòd partes eius, vt sunt in re extrà, non sunt: igitur nec tempus fit ex talibus, sed conceptus: ergo conceptus præsens in anima de præterito, & conceptus præsens de futuro, & de præsenti isti conceptus durant, & perseuerant in anima, & sunt actu entia, & mensurant motum intrinsecus, aut extrinsecus, secundùm modum iam dictum, & ideò tempus solùm, vt dicit, est in anima. Et planè hoc concludit 11. Confess. cap. 25. ibi, *Confiteor ignorare*, &c. Et in cap. 26. sequenti: *Visum est nihil*, &c. Et infrà: *Non enim metior futurum, quia nondum est; non metior præsens; quia nullo spatio tenditur: non metior præteritum, quia iam non est. Quid ergo metior? An prætereuntia tempora non præterita?* Et sequenti capitulo 27. *Non ergo*, inquit, *ipsa, quæ iam non sunt, sed aliquid in memoria mea metior, quod infixum manet. In te anime meus tempora metior, in te, inquam, affectionem, quam res prætereuntes in te faciunt; & cùm illæ præterierint, manet.* Tempus autem dicit, cap. 28. esse breue, vel longum, secundùm expectationem longam, vel breuem rei præteritæ, vel futuræ, vt suprà dictum est.

Si opinio ista Augustini intelligatur secundùm quòd aliqui eam exponunt, quòd tempus omnino *esse* habeat in anima, & nullo modo in re extrà: quia secundùm suam rationem partes eius non sunt, igitur nec tempus erit; eadem ratione omnino concederetur, quòd motus nullum *esse* habet in re, sed solùm in anima: quia partes motus ita sunt in continuo fluxu, & deperditione, sicut tempus: & ita posset dici, quòd pars præteriti motûs, non est pars futuri, nisi dum est: pars præsens transit statim in præteritum, & sic in non ens. Dicere autem quòd motus non sit in re extrà, sed in anima, extra sensum, & extra rationem omnino videtur esse. 15.

Item, quia tunc motus, & tempus essent intentiones logicales, & non res naturales.

Item, nec causæ alicuius rei naturalis, quod est apertum mendacium.

Ideò dixerunt alij quòd tempus omnino habet *esse* in re extrà, & non in anima; nisi sicut alia intelligibilia sunt ibi per suam speciem: sicut dicit Aristoteles 3. *de Anima, text. comm.* 38. quòd *lapis non est in anima, sed species lapidis*. Et eorum ratio est ista; quia tempus sequitur motum, & eiusdem rationis est cum eo: motus autem cùm sit actio naturalis, totum suum *esse* habet in re mota extrà, & absque animæ perceptione, nisi sicut cognitio terminorum cognoscibilium; vel esse, est in cognitione per suam speciem; & hic inuenitur, scilicet motus, in rebus animatis, & inanimatis. Sic igitur volunt quòd nec tempus sit in anima, nisi per suam speciem.

Quidam dicunt motum, & tempus habere esse reale extra animam.

SCHOLIVM.

Relatis duabus extremis opinionibus, mediam Doctor amplectitur, dicens tempus secundùm suum esse materiale esse in rebus extra animam; secundùm rationem verò formalem, prout ex partibus secundùm prius, & posterius, vel ex præterito, præsenti, & futuro conflatur vnum totum per intellectum, illas coniungentem, asserit solùm in anima inueniri. Similiter videtur sentire lib. 5. Metaph. quæst. 8. num. 2. atque in sequenti articulo omnia hæc clariùs expendit.

Alij dicunt magis realiter, vt credo, quòd tempus cùm sit idem re, quòd motus, differens formali ratione (per quam rationem vocatur verè tempus) secundùm suum *esse* materiale est in rebus extrà: secundùm suam verò rationem formalem est ab anima, & est in ea. 16.

Alij media incedũt via.

Huius opinionis videtur fuisse Commentator, cùm dicit super caput de Tempore, quòd tempus est de numero entium, quorum actus completur per animam. Et ista est doctrina Aristotelis, cap. de Tempore, vbi *text. comm.* 130. vult, quòd tempus inest omnibus rebus per motum in terra, in mari, & in cœlo, cùm sit passio, & mensura motus, nec possint ab inuicem separari. Motus autem est aliquid reale præter actionem, & conceptum animæ. Quòd autem aliquem modum essendi habeat ab anima immediatè, concedit, arguens quòd tempus est numerus; ergo numerans: hoc autem est anima; ergo, &c.

Ad videndum igitur quomodo tempus habet *esse*

esse reale sine anima, & eius *esse* formale ab anima; à motu, cuius est passio, est incipiendum, quia motus est nobis notior, & à notioribus est via nobis innata ad veritatis inquisitionem. Et hanc materiam exprimit Aristoteles 4. *Physicor. cap. de Tempore, text. comm.* 95. dicens, quòd cùm quæritur quid sit tempus, incipiendum est ab hinc, quid sit motus?

17. Est igitur aduertendum, quòd hæc tria, scilicet, tempus, motus, forma introducta per motum, videntur dicere eandem rem absolutam; sed differentes dicunt rationes, à quibus rationibus eadem res sortitur hæc tria nomina. Forma enim per motum introducta, aut albedo, potest dupliciter considerari. Vno modo, vt habet *esse* quasi quiescens, & permanens, & est in facto *esse*; & vt respicit subiectum per modum informantis, denominantis, & dantis quoddam *esse* perfectum: & isto modo nominatur nomine *formæ*, vt albedo, vel quantitas. Alio modo considerari potest, vt est in continuo *fieri*, non dicens rem quiescentem, nec permanentem; & vt habet respectum non solùm ad subiectum, vt ad mobile; sed etiam ad agens, respectu cuius dicitur actio & motus: & isto modo illud idem, quod est forma, vt est quiescens, dicitur realiter motus, vt est in *fieri*.

Ratio igitur istorum est diuersa: quia forma dicit essentiam suam per modum cuiusdam absoluti inhærentis, & quiescentis; motus autem dicit essentiam suam per modum respectiui continuè fluentis, non quiescentis.

Et si dicas, quòd tunc eadem res fluit, & quiescit: manet, & præterit; & est, & non est; quod est impossibile. Respondeo, quòd res eadem simul non fluit, & quiescit; sed res eadem, quæ dum fit, fluit; dum facta est, quiescit, & manet: & sicut idem sunt re, quod fit, & quod factum est: sic idem sunt re, forma per motum introducta & motus. Motus ergo, quo forma introducitur, non est aliud, quàm successio, & continuitas formæ, introductio, & eductio, & continuum *fieri* ipsius formæ. Et eadem res ab ipso actu informandi, & inhærendi, & perficiendi, dicitur forma: ab actu verò, qui est fluxus, & *fieri* dicitur motus.

18. Ex quo patet, quòd si Deus introduceret formam aliquam, quæ per motum nata est acquiri; tunc non esset ibi ratio motus; sed benè esset ibi res motus; id est, res, super quam nata est fundari ratio motus. Sed tali introductione subita mutatio, & forma esset idem secundùm rem, differens sola ratione: sicut quando forma per motum introducitur, est idem re, differens ratione, forma & motus. Quòd autem sit verum, hoc potest suaderi sic: quia si *fieri* formæ, per quod, vt dixi, inest ei ratio motus, addat aliquam rem super ipsam formam, tunc ab agente non fit per se, & immediatè forma, sed potiùs fit illa res, quam addit, vt dicis, ipsum *fieri* super ipsam formam: & tunc à caliditate non fit principaliter calor; sed aliud, quod non est calor, quod est falsum: quia agens principaliter producit, per quos assimilat sibi passum. Tunc etiam ipsum *fieri* non est aliud, quàm nouus exitus in *esse* illius rei, per quam ipsum fieri addit super formam: & tunc cùm *fieri* vnius rei non sit per se *fieri* alterius rei differentis, sequitur quòd per tale *fieri* non sit forma per se: & dico *per se*, quia vnum *fieri* benè potest ad duas res terminari, quamuis non per se, vt ad rem, & suam qualitatem.

Item, si *fieri* albedinis dicat aliquam rem super albedinem; quæro vtrùm illa alia res ab albedine, fiat? si non, ergo est quid ingenerabile. Nec est dare quòd sit idem. Et etiam alterius generis, quàm ipsum *fieri*; quia *fieri* est motus: motus autem fit non per alium motum, vel per aliud *fieri*, quia tunc esset processus in infinitum. Si autem res illa, quam addit *fieri* albedinis super albedinem, fiat; quæro; vtrùm suum *fieri* sit idem re secum? si sic; ergo & *fieri* albedinis eadem ratione: si non, est processus in infinitum.

Item, si *fieri* albedinis, addit rem aliquam ad albedinem; illa res est aliqua forma: ergo vna forma est *fieri* alterius, quod est extra ipsam: & sic oportet dicere quòd *fieri* illius formę, est quędam essentia formalis, & diuersa re ab essentia formæ. 19.

Item, si forma aliqua fieret à Deo in instanti, forma & suum *fieri* non differrent re, sicut nec creatura, quæ creatur, & creatio pura: sed sicut in factione instantanea forma accipit simul totum suum *esse* per *fieri* instantaneum: sic in factione, quæ est motus, forma accipit suum *esse* successiuè per motum: ergo sicut *fieri* instantaneum non addit ad formam simul acceptum, sic nec motus addit rem ad formam successiuè sumptam; maximè cùm idem sit, formam accipere essentiam, & essentialia sua.

Item, motus de ratione sua includit infinitos terminos in potentia, quia in quolibet *fieri* sunt infinita *facta esse* in potentia: terminus autem motus est ipsa res formæ, quæ per motum educitur: ergo omnis forma per motum educta de ratione suæ essentiæ secundùm sui *esse* habet infinitas partes in potentia. Tunc quæro, quomodo se habent ad inuicem illæ infinitæ partes? aut enim de ratione suæ essentiæ habent hoc, quòd ad inuicem continuentur, aut non: si non continuantur, sed quælibet stat in se ab alia discreta, tunc sunt infinita actu, non solùm potentia. Tunc etiam quæram, quomodo illæ partes actu infinitæ constituant vnam formam? hoc enim est impossibile: quia sicut in partibus motus est ordo, vt vna naturaliter præcedat aliam, sic etiam in partibus formæ per motum eductæ. In talibus autem sic est, quòd cùm infinita non possint pertransiri, nunquam vltima pars formæ generatæ potuit generari: non ergo sunt partes ab inuicem discretæ, sed continuæ infinitæ potentia, non actu; habentes intra se naturalem ordinem prioris, & posterioris; sed motus est id, quod includit infinitas partes potentiâ, non actu, habentes naturalem ordinem cum successione: ergo res motus, & res formæ idem sunt: non enim in aliquo inuenitur differentia, nisi quòd partes motus dicunt rem in *fieri*; partes verò formæ dicunt eandem vt factam: eadem autem res est, quæ aliquando fit, & postea facta est.

Sed fortè instabis, quòd partes motus non sunt simul; quia adueniente posteriori, prima corrumpitur, sed partes formæ simul sunt. 20.

Respondeo, sicut dixi, soluendo illam aliam instantiam, quòd idem re, & quiescit, & fluit: sed dico quòd res motus manet; nec adueniente secunda parte, prima perit, sed manet. Sed cùm ratio motus fundetur in illis partibus, non vt sunt, sed vt fluunt, & fiunt, & cùm fit secunda pars, non fit prima, immò periit suum *fieri*; non autem periit ipsa: ideò quod partes motus tales sunt, quòd adueniente secunda, pereat prima; hoc non vt sunt res, sed habent vt subsunt rei formali motus,

tus,per quam secundùm rationem formalem differt motus à forma. Hinc est,quòd quamuis realiter motus non sit aliud re,quàm acquisitio partis post partem eius,quod per motum acquiritur, non tamen pars motus inquantum motus est idē, quòd pars illius,quod acquiritur, inquantum acquiritur: quia partes rei acquisitæ,& partes motus accipiūtur secundùm rationes formales proprias; secundùm quas, quod conuenit vni, non conuenit alteri:immò per differentiam rationum formaliter opposito modo se habent,& opposita dicuntur de illis,vt iam appareat ferè solutio omniū argumentorum, quibus probatur, quòd motus & forma per motum introducta non sunt idem. Hoc enim concludunt quòd nō sunt idem, nec eis conueniunt eadem, sed opposita secundùm rationes suas formales, quæ sunt oppositæ: sicut fieri & factum esse:fluens & manens:habere partes simul,& non habere partes simul,

21. Ex quo etiam aduerte, quòd ipsa forma per motum introducta, vt albedo, inquantum est res quædam denudata à ratione propria formali,quæ est *factum esse, quiescere, partes simul habere*, & talia, quæ opponuntur motui; talis dico res formæ, à talibus tamen rationibus propriis denudata,quæ opponuntur rationi formali motus, est materialiter in constitutione motus: vt sic motus componatur ex ipsa re formæ, vt est ab illis rationibus propriis denudata sicut ex materia,& ex propria ratione formali, & continua successione partium, quasi ex forma.

Patet ergo ex prædicta ratione, quòd partes formæ,quæ sunt infinitæ potentia,non sunt aliud re absoluta, quàm partes motus. Verius exemplum potest dari in motu locali:motus enim localis non videtur esse aliud, quàm continua successio mobilis per loca, sibi secundùm ordinem successiua. Vnde si omnia loca, per quæ mobile transiit continuè, possent remanere, vt in omnibus simul coëxisteret ipsum mobile,sicut existens in vltimo ad quod motus terminatur, tunc motus localis non esset aliud secundùm rem ab illis locis, in quibus mobile simul coëxisteret; & non differret ab eis secundùm rationem, quia motus diceret eorum continuam, & successiuam acquisitionem; loca autem ipsa dicerent quid continuum ipsius mobilis. A simili in proposito, motus alterationis, qui est acquisitio partis post partem formæ acquisitæ, non differt re, sed sola ratione ab ipso motu alterationis.

22. Item, terminus intrinsecus cuiuslibet rei non videtur addere aliquam rem absolutam supra id, cuius est terminus; quia tunc essent res distinctæ; & Deus posset vnum ab altero separare: vnde punctum à linea separari non potest, vt est terminus lineæ, vt instans à tempore, vt etiam terminus eius, vel principium: alioquin esset linea infinita, & tempus infinitum. Cùm ergo forma per motum introducta, sit terminus intrinsecus motus; ergo non dicit hîc rem aliquam diuersam à motu: alioquin si diceret res diuersas, Deus posset facere motum alterationis, absque hoc quòd aliqua qualitas generaretur.

Item, si forma non est idem re cum motu, potest quæri, vnde est ratio, quòd necessariò introducta forma sequitur ad motum inseparabiliter? & vnde est, si differunt, quòd motor non possit facere formam absque intrinseco motu? & non potest alia causa reddi,nisi quòd idem sunt.

Item, si motus dicit aliam rem cùm sit accidens mobilis, & in eo sit tanquam in subiecto; quæro ex quo fit? non ex nihilo, quia est vnum accidens naturale: si ex aliquo, videtur quòd est in subiecto; & sic quòd post actionem, & influxum agentis adhuc debeat remanere:quia formæ naturales de potentia materiæ eductæ manent cessante influxu agentis. Nec est instantia de lumine,quia est res intentionalis;nō sic autem motus:nec etiam lumen de potentia medij educitur.

Secundùm istum modum potest dici,quòd motus vt est res, cùm sit eadem res cum forma educta, de potentia materiæ educitur; sed inquantum motus,hoc est secundùm rationem,quam addit supra formam, cùm illa ratio sit continuus fluxus; quæ quidem ratio continuationis res alia non est à re continua, nec habet rationem seminalem vnde educatur, sed hoc habet à continuo influxu agentis, & obedientia mobilis. 23.

Ex his patet motum, & formam per motum eductam esse idem re absoluta,non autem secundùm rationem. Et quia modi prædicandi variantur secundùm varietatem rationum,maximè realium, non solùm secundùm diuersitatem rerum: ideò, vt supradictum est, aliqua dicuntur de forma, quæ non dicuntur de motu; & è contrario: immò aliquando dicuntur opposita de eadem re secundùm rationes reales oppositas,quæ fundantur in eadem re absoluta.

Ex his patet, quòd sicut est dare vnam albedinem, cùm sit forma naturalis, sic est dare vnum motum,& indiuisibilem; vt est idem re cum forma; quamuis secundùm rationem formalem motus,quę est continuus fluxus,non sit ibi vnum: quia secundùm istam rationem, dicit solùm rationem continui. Et idem dico de tempore.

ARTICVLVS III.

In quibus conformantur motus, & tempus?

Est tertiò videndum, quomodo motus se habet ad tempus; sic enim se videtur habere motus ad tempus, sicut se habet forma quodammodò ad motum: motus autem nihil aliud est, quàm continua successio transmutationis ipsius mobilis, à priori in posterius eius, secundùm quod mouetur: cuius quidem motus nihil est actu, nisi simplex mutatio, & per eam totus motus est in actu. In hac igitur transmutatione continuè successiua, quæ *motus* apppellatur, tria est considerare. Primum est ipsa continuatio, quâ fluxus ipse,qui motus est,non cessat,nec sistit,nec deficit absque omni ratione alia. Secundum est, quòd de ea acceptum est, vt distinctum per rationem prioris ab eo, quod de eo accipiendum est, & ab illo distinguitur per rationem posterioris: & vtrumque secundùm se distinctum ab eo,quod de ipsa translatione instat, à prædictis duobus distinguitur secundùm rationem præsentis. Tertiò est considerare in tali translatione vtrumque dictorum, scilicet, prius, & posterius; siue acceptum,& accipiendum; vt continuantur secundùm rem ad id,quod instat de ea,siue ad præsens, & simul cum hoc, vt distincta secundùm rationem prioris, & posterioris. 24. *Qualiter motus se habeat ad tempus.* *Variè consideratur motus.*

Primo modo considerando ipsum motum;ipse motus est res quędā in re extrà, absq; omni actione animę,vel cōceptu de eo;quia dato quòd nulla mens conciperet cœlum, vel rotam figuli moueri,vel herbam crescere,vel alterari,aut mutari,adhuc est cōtinuatio, siue fluxus cōtinuus in reipsa. 25.

Secun

Secundo modo, vt scilicet in potentia sunt istæ rationes distinctæ, scilicet, prioris, & posterioris, & præsentis absque consideratione continui isto modo, siue secundùm dictas rationes, motus est in conceptu mentis tantùm, quia distinctio partium motus à termino media continuitate non est in re extrà; sed talem discretionem secundùm rationem prioris, & posterioris format intellectus de re, quæ in se non est discreta, sed continua. Vnde dixi suprà secundùm Auicennam, quòd relatio prioris, & posterioris, est relatio secundùm *dici*; siue secundùm actum intellectus.

Tertio modo, ipse motus partim, siue vt est sub vna ratione, inquantum scilicet quod acceptum est, & quod accipiendum est, continuantur ad id, quod instat, est in re extrà partim; siue secundùm aliam rationem, vt scilicet illa, quæ realiter continuantur cum præsenti, distinguuntur inter se, & ab illo secundùm rationem præteriti, præsentis, & futuri. Isto modo est in conceptu animæ.

26. *Et similiter tempus.* Cùm igitur tempus claudat in se rem motus (vt patet in primo articulo) oportet videre, quam rationem addit tempus supra motum: quia ex hoc quòd tempus est idem re cum motu, oportet dicere quòd tempus secundùm quòd est idem cum motu, sit in re extrà absque conceptione animæ. Ex hoc autem, quòd addit supra motum rationem aliquam, si illa ratio est ex ipso conceptu mentis in motu, non ab ipsa re: quemadmodum in ipso motu est ratio prioris, & posterioris, non ab ipsa re, sed ab actione intellectus, & tunc tempus secundùm rationem suam formalem est in anima, & ab ea, vt sic dicatur, quòd tempus partim est in re, scilicet materialiter; & partim in anima, scilicet secundùm rationem formalem. Quòd autem ita se habeat tempus secundùm intentionem Aristotelis suprà citati, *com.* 104. patet, vult enim quòd tempus inseparabiliter sequatur motum: ergo secundùm totalem considerationem prædictam motus, potest tempus ad motum tripliciter comparari. *Qualiter dicitur tempus esse in re extra animam.* Si comparetur ad motum secundùm primam considerationem motus, tunc tempus habet rationem continui, sicut & motus, éstque tale in re, sicut & mobile, quod mouetur per ipsum motum; non autem in anima nisi sicut cognitum in cognoscente per suam speciem, sicut alia, & ipse motus, & reliqua intelligibilia. De isto modo essendi dicit Aristoteles cap. de Tempore, *text. comment.* 130. quòd tempus est in terra, in mari, & in cœlo: & quæcunque argumenta concludunt, quòd tempus est in re, maximè quæ sumuntur ex parte motus, isto modo intelliguntur. Sed nunquid isto modo acceptum, propriè est tempus, vt dicatur quòd verè tempus est in re? Dico quòd non: quia tempus inquantum tempus, est mensura motus secundùm prius, & posterius. Prius autem & posterius, sicut suprà ostendi, vt dicunt rationes inter se discretas, non sunt in aliquo continuo, nec permanenti, nec successiuo, nisi per animam; & ideò tempus vt sequitur motum, secundùm rationem continuitatis solùm, non habet perfectam rationem temporis.

27. *Qualiter in anima?* Sciendum verò, quòd tempus sequitur motum, iuxta secundam considerationem motus præcisam, scilicet, secundùm rationem prioris, & posterioris: cùm istæ rationes, vt sic acceptæ, dicant puram distinctionem, & solùm sint in continuo ab actione animæ. Sic tempus verè & totaliter est quantitas discreta, & est totaliter etiam solùm in anima, non in re extrà: sicut illæ rationes, vt tales sunt, sunt solùm in conceptu mentis. Quod enim præterit, vt præcisum ab instanti præsenti, & futuro sequenti (quam præcisionem habet per rationem præsentis, siue prioris; vt illa habent rationem præsentis, vel præteriti) talem, inquam, præscisionem non habet, nisi ab anima.

Sed nunquid tempus secundùm istam considerationem est propriè tempus, quod est mensura motus continui. Dico quòd non: quia dato quòd nullus motus esset in re extrà, adhuc in conceptu mentis apprehendo distinctionem prioris, & posterioris: & cessante motu extrà, remanet actu in mente mea discretio, & distinctio prædictarum rationum. Nunc autem tempus non est sine motu: immò, vt ait Aristoteles, *cap. de Tempore, text. com.* 130. tempus, & motus simul sunt, & non sunt, potentiâ. Vnde secundùm istam considerationem, quòd tempus est quid discretum omnino, & solùm in anima, locutus est Augustinus de tempore 11. *Confess. cap.* 20. *& seqq.* Et isto modo procedit argumentum suum, & Aristotelis *in principio, cap. de Tempore, text. com.* 88. cùm dicunt, quòd præteritum non est, futurum non est; ex non entibus, non fit ens. Ideò si sit tempus, non erit nisi in anima; quia partes eius non sunt nisi in anima: *Partes temporis quare dicuntur non entia.* scilicet præsens consideratio, & memoria de præterito, præsens consideratio, & expectatio de futuro. Ideò tempus constituitur ex entibus, quia illæ partes, vt sunt in anima, verè existunt, & non habent præteritum, & futurum aliam existentiã, nisi in anima, secundùm Augustinum, vbi suprà.

28. Et similiter patuit de *esse* instantis, siue præsentis, quòd non aliter habet *esse* nisi vt statim transeat in præteritum, & sic in non ens. Et, vt dicit, si ista est ratio præsentis, quòd statim transeat in non ens, ex hoc non habet *esse* reale: ideò vult quòd instans, vel præsens, non habet *esse*, nisi in anima, vt scilicet non sit aliud, quàm præsens cogitatio eius, quòd statim transit. Et similiter vult Augustinus *citat. cap.* 28. quòd longum, & breue, *An propriè dici possit tempus est longũ, vel breue.* non dicantur de præterito, & futuro, vt sunt in anima: vt enim talia accipiuntur in re extrà, non dicimus, quòd præteritum sit longum, vel breue, sed quòd fuit longum, vel breue: & vt sunt in anima dicimus, præteritum, & futurum est longum, & breue: quia in anima, vt dicit, sunt entia; in re verò extrà non sunt entia: ideò vt sunt in re extrà, non possunt de eis dici, *est*, sed *fuit*, vel *erit*.

Sed alia est consideratio de tempore vera, secundùm quam præsens, præteritum, & futurum habent esse in re extrà, & verum tempus constituunt; & verè de eis dicitur; *est longum*, *vel breue*: *Qualiter possit dici partes temporis in re verè copulari.* illam enim entitatem, & omnia alia, quæ Augustinus dat præterito, & futuro, possumus eis dare ex natura instantis præsentis: quamdiu enim durat tempus, tamdiu in ipso est verè, & realiter dare aliquod præsens, vel instans indiuisibile; licèt illud instans sit semper aliud, & aliud; & partes ipsius temporis sint aliæ, & aliæ. Quæ quidem partes etsi sunt non entia, ex cõtinuatione tamen, & copulatione ad instans præsens, quod verè est actu ens in re extrà, habent illæ partes sufficientem entitatem, nec alium modum entitatis requirunt partes continui successiui, nec ipsum totum.

29. Partes igitur temporis, quas Augustinus ponit in anima, & habere *esse* ab anima, Aristoteles ponit habere sufficienter *esse*, ex ipsorum continuatione cũ præsenti, quod verè & actu est. Nec præsens ideò est præsens, quia tendit in non ens, vt

hoc

hoc sequatur, quod vult Augustinus, quòd scilicet præsens non sit ens, nisi in anima, immò est ens in re: quia actu est influxus quidam præsens ab agente; quamuis talis naturæ sit, quòd statim transit in non ens: non enim sequitur, qualibet creatura corruptibilis tendit in non ens; ergo non est ens, nisi solùm in anima.

Quod etiam dicit Augustinus quòd *longum*, & *breue* non sunt in præterito & futuro, nisi ab anima: quia, vt dicit, quod non est, nec longum, nec breue est: non sic videntur sumi in tempore *breue* & *longum*: immò ab ipso præsenti, vel instanti, à quo, vt dixi, præteritum, & futurum habent suum *esse*, quamuis valde debile; quod tamen sufficit ad naturam continui successiui, ab ipso, inquam, præsenti sumitur in eis *breue* & *longum*: vt dicatur de præterito non solùm fuit longum & breue; sed est longum, vel breue. Secundùm enim distantiam maiorem, vel minorem ad instans indiuisibile; cui præteritum, & futurum copulantur, accipimus in eis *breue* & *longum*. Vnde accipiendo *nunc præsens* dicimus, quòd tempus, quod fluxit à principio mundi vsque nunc, est valde lõgum, & magnum: tempus quod fluet ab isto *nunc*, vsque ad finem mundi est valde longum; & tempus quod fluxit à manè vsque in *nunc*, est breue; & quod fluet ab isto *nunc* vsque ad noctem, est breue. Ait enim Aristoteles *citat. com. 120. Prius enim & posterius dicimus secundùm ad ipsum* nunc *distantiam, ipsum autem* nunc *terminus præteriti & futuri est: quare, quoniam ipsa* nunc *in tempore sunt, & prius, & posterius in tempore erunt; in quo enim est ipsum* nunc, *& ipsius* nunc *distantia*. Ergò probatum est, quòd præteritum & futurum per quandam continuationem ad ipsum *nunc*, quod est præsens, & verè in re extrà actu existens, quãuis semper aliud, & aliud habẽt *esse*, & dicũtur longa & breuia per ipsam: & quãuis hoc *esse* sit debile, tamẽ sufficit ad cõstitutionẽ rei, cuius *esse* est valde debile, quale est tempus motus.

30. Aduertendum quòd Augustinus considerat *præteritum, & futurum*, quasi quodlibet stet fixum inter duo instantia non continua ad aliud; sicut sunt duæ lineæ continuæ in longum protensæ: & isto modo verum est, quòd *præteritum* & *futurum* non sunt, nisi in anima. Sed Aristoteles imaginatur *præteritum* & *futurum* nõ vt sunt fixa inter duo instantia; sed vt sunt in fluxu, & in præteritione, in qua semper stat aliquid prætereundum; & similiter in sua futuritione, in qua semper stat aliquid accipiendum. Et sic non vt stant inter duo instantia, quasi fixa, & non ad aliud continuata, sed vt fluentia, & ad præsens continuata. Vnde Augustinus nõ posuit præteritum & futurum ad præsens continuari: Aristoteles autem hoc posuit, quia in rei veritate ipsum *nunc* per cuius entitatem, & existentiam præteritum & futurum habent *esse*, est tota substantia temporis: quia per copulationem ad instans quod verè est ens, ipsa habent entitatẽ, & non per aliud. Per ipsum igitur instans, siue præsens, quòd verè actu est in re, quamuis semper sit aliud & aliud, totum tempus habet *esse*: & per eius fluxum secundùm aliud & aliud *esse* eius, causat vnũ tempus continuũ compositũ ex præterito & futuro ab initio motus primi vsque ad finẽ eius.

Vide Scot. in 2. d. 2 q. n. 6. 5. & ad hoc declarXdum.

31. Si autem tempus consideretur, vt sequitur motum, secundùm triplicem eius considerationem; vt scilicet, partes eius, quæ sunt præteritum & futurum continuantur ad præsens realiter: & cum hoc, vt sunt inter se discreta secundùm rationem prioris & posterioris ab ipso *nunc* medio, in quo realiter continuãtur: sic tempus habet perfectam rationem temporis. Rationes enim prioris & posterioris, vt accipiuntur in durando, non vt accipiuntur in situ, complent rationem & naturam successiui. Non enim consistit natura successiui in ratione continuationis; quia hoc conuenit permanentibus; sed consistit in ratione prioris, & posterioris sub istis rationibus, quæ sunt ab anima. Et ideò dico, quòd sicut res formæ per motum introductę est quasi materiale in constitutione motus; ipsum autem *fieri*, siue fluxus continuus, est ratio formalis cõstituens ipsum motum; sic dico, quòd ipse motus sub ratione, quã est fluxus quidã continuus, existens in re extrà, absque constitutione animæ, est materiale in constitutione temporis; ipsæ autem rationes prioris, & posterioris, quas rationes anima format de partibus motus; secũdùm quas rationes numerat & mensurat ipsũ motum per comparationem ad *nunc* præsens: vt cùm dico, quòd prior est illa, quæ plus distat à præsenti *nunc*; & posterior est illa, quæ minùs distat à præsenti *nunc*; Hæ, inquam, rationes prioris & posterioris, quæ sunt in conceptu intellectus, complent rationem formalem temporis: cuius signum, & probatio est, quia solùm per illas habet (sicut iam patet) quòd sit mensura temporis secundùm longitudinem, & breuitatem; siue secundùm prius & posterius: ita quòd per prius, & posterius, vt formãtur ab intellectu, & sunt formales rationes temporis, mensurãt prius & posterius, vt sũt in motu in re extrà, quasi quædã materialia, & rationẽ prioris & posterioris imperfectè habẽtia.

Et sic patet, quòd motus secundùm suam rationem formalem non includit prius & posterius, nisi in potentia, seu potentialiter intellecta: tempus autem secundùm suam rationem formalem includit prius, & posterius, vt sunt rationes formaliter, & perfectè distinctæ ab anima. Et ex hoc potiùs tempus est mensura motus, quàm è cõtrario; quia mensura est magis actu, & magis distincta. Et ex hoc patet, quia motus secundùm suam rationem formalem magis est quid reale, & in re extrà, quàm tempus; quia ratio motus non est nisi cõtinuus fluxus, qui nõ est ab anima, sed est in re. Ex hoc patet, quòd tẽpus habet debilius *esse*, quàm motus, quia minùs reale: & sic patet quòd tempus esse materiale habet in re, formale verò ab anima, & in anima. Et hæc est natura vniuersalis, cuius realitas est in re, sed ratio formalis ab intellectu abstrahente. Est tamen differentia inter formam & motum; & inter motum & tempus, secundùm quòd vnum est materiale respectu alterius: quia quamuis res formæ, vtpote albedo, sit materialis respectu continuationis motus; tamen ratio formæ, quæ scilicet constituit ipsam formam, non est materialis respectu motus, nec è contrario: quia sunt rationes oppositæ, & incompatibiles; vt fieri, & factum esse; fluens, & quiescens. Sed in constitutione temporis non solùm res motus est materialis, immò & ipsa ratio formalis motus, quæ est *fieri*, siue fluxus continuus est, materialis; quia opponitur rationi formali temporis, quæ est secundùm prius & posterius. 32.

Si verò dicas, quòd cùm quodlibet à forma denominetur; ergo si *prius* & *posterius*, quæ sunt intentiones formatę in anima secundùm supradicta inter se distinctæ, formaliter constituunt tempus, tẽpus debet dici quantitas discreta non continua. Debet etiã dici accidens intẽtionale, potiùs quàm reale, siue naturale: quorum vtrumque falsum est. 33. *Obiectio.*

Dico,

Solutio. Dico, quòd in rebus constitutis ex materia & forma, siue ex materiali & formali; cùm tam materia, quàm forma sint veræ res, denominatio fit à forma, quia plus habet de realitate, quàm materia: in quibus autem materia, vel materiale est verè res; forma, vel formale, sola intentio, denominatio potest fieri à materia, quia plus habet de realitate, quàm forma, siue formale: sicut 2. *de Anima, text. com.* 8. dicitur, quòd materia artificialium est tota substantia eorum: vbi dicit Commentator, *In rebus naturalibus non est iudicandum vnum hoc aliquid, nisi per formam suam; in rebus verò artificialibus nullum est hoc aliquid nisi per suam materiam*; quia igitur tota realitas temporis est motus, & eius realis continuitas; formalis verò ratio est discretio prioris & posterioris: ideò magis dicitur quantitas continua, quàm discreta, & magis accidens naturale, quàm intentionale: sicut res artificialis magis dicitur substantia, quàm accidens, quamuis forma sit accidens.

ARTICVLVS IV.

Respondetur ad argumenta posita in principio quæstionis.

34. Rationes, quę videntur probare quòd tempus & motus non sunt idem, iam apparet in generali solutæ; quia non sunt idem secundùm rationem formalem, propter quod aliquid dicitur de vno, quod negatur de altero: sicut dixi de forma educta per motum, & de motu; sunt autem idem secundùm rem; vt iam patet. Et ita intelliguntur omnes authoritates ad hoc adductæ.

Ad primum. Ad rationes illas, cùm dicitur; quòd si idem essent, quantò motus intenditur, &c. Respondeo, potest dici quòd motus sit intensior & velocior, & hoc conuenit ei ratione continuitatis, non ratione prioris & posterioris: vnde si à manè vsque ad tertiam quis moueatur per vnam leucam, & alius eodem tempore solùm per mediam; maior est velocitas in primo motu, quàm in secundo; sed prima pars motus vnius tantùm distat ab vltima parte sui in vno motu, sicut in alio, quia distantia vnius ab altero in motu non est, nisi secundùm tempus: ergo maior velocitas & minor insunt motui per id, quod motus dicit reale: non per rationem prioris & posterioris, quam addit tempus supra motum; ideò quamuis ista dicantur de motu, non oportet quòd dicantur de tempore.

35. Vide Scot. in 2. d. 2. qu. 2. §. Respondeo. Potest etiam dici, quòd sicut formæ extensæ duplicem habent contrarietatem, vnam secundùm intensionem, aliam secundùm extensionem: sic & motus duplicem videtur habere; vnam secundùm durationem; aliam secundùm partium motus accelerationem, siue quandam condensationem, siue secundùm partium motus celeriorem generationem. Quantitas motus, quæ debetur ei secundùm durationem, vocatur nomine *temporis*; quantitas, quæ debetur ei secundùm celeriorem partium generationem, vocatur nomine *velocitatis*. Prima debetur motui secundùm rationem temporis, & secundùm illam non est vnus motus alio tardior, vel velocior; quia si tu iueris per decem leucas à manè vsque ad tertiam, & ego eodem tempore per mediam solùm leucam; comparando vtrumque motum ad tempus, æquè citò finiui motum meum ego, sicut & tu; & æquè velociter. Secundùm quantitatem secundo modo acceptam, quæ est quasi intensiua vbi est partium motus celerior generatio: quæ quantitas dicitur *velocitas*, secundùm istam vnus motus est alio tardior, & alio velocior: & secundùm istam rationem quantitatis non ponimus, quòd idem sit motus & tempus, sed secundùm primam.

Exemplum est de duobus corporibus, quorum quodlibet est eiusdem extensionis, vtpote palmi; sed non eiusdem densitatis, vtpote ferrum & lignum: eadem enim est quantitas extensiua vtrobique, sed non intensiua. Vnde si velles argumentari, quòd quantitas, quæ intrinsecè mensurat vtrumque palmum, non sit idem re cum his, quæ mensurat, vtpote cum ligno & ferro; quia ferrum est densius ligno: quantitas autem vnius non est densior, nec maior, quàm alterius; cùm sit eadem, scilicet vnius palmi: dicam quòd non concludit; quia quantitas extensiua benè est eadem in vtroque, non tamen quantitas intensiua. Propter primam dicuntur corpora æqualia; propter secũdam vna dicitur maior & densior alia: non dico, quòd sint duæ quantitates, sed vna, sub duplici ratione. Nec propter hoc sequitur, quin quantitas intrinsecè cuiuslibet dictorum corporum sit idem cum illis secundùm rem. Ita vnus motus est alio velocior, secundùm quantitatem, vt intensiuè, & quasi consideratiuè acceptam: non tamen secundùm quantitatem extensiuè acceptam.

Per hoc patet responsio ad vtramque rationem, 36.
primam scilicet, & sextam, cùm dicitur, quòd motus maior fiat in minori tempore, quàm minor; iam patet quòd motus ille, qui dicitur maior, vtpote per leucam, & fit in mediâ, vel dimidiâ horâ, non est maior alio, qui est per mediam leucam in vna hora quantitate extensiua durationis; quæ est maior & minor secũdùm rationem prioris & posterioris in duratione: imò potiùs è contrario, motus per mediam leucam in vna hora, minor est illo, qui est per leucam in dimidia hora, secundùm rationẽ huius quantitatis, quæ est quantitas propriè, quæ est tempus: sed benè est maior quantitate intensiua, quæ est non in durando, sed in partium aggregatione; quæ reducitur ad quãtitatem intensiuam, vel extensiuam in situ, non in duratione. Et isto modo secundùm quantitatem durationis, sicut vnus motus est maior alio: sic tempus vnius motus, est maius tempore alterius.

Ad aliud; quòd sicut motus est in diuersis Prædicamentis, sic & tempus secundùm suum materiale, quod est motus: sed secundùm suam rationem formalem est in solo genere Quantitatis. *Ad secũdum.*

Ad aliud; quòd sicut duo motus sunt simul, sic etiã duo tempora è diuersis motibus sumpta, quorum vnum non est pars alterius, simul sunt. Sed duo tempora ab vno motu sumpta, qualia sunt dies, annus, hora, & sic de aliis, quæ sumuntur à motu tali, ista simul non sunt, nisi vnum sit pars alterius: similiter nec duo motus simul sunt, nisi vnus sit pars alterius. Sed hoc meliùs habetur in quæstione de Vnitate temporis *. *Ad tertium.* *Vide q. 20.

Ad aliud, quòd tempus non sequitur motum secundùm multitudinem partium, siue secundùm earum extensionem in situ, vel etiam secundùm intensionem in veloci generatione; sed solùm secundùm extẽsionem in duratione, quasi in modo. Et ideò cùm omnes partes cœli simul moueantur, non respondet tempus motui earum, vt sunt multæ, sed vt habent durationem in suo actu: & ideò nõ aliter respõderet motui multitudo earum partium, etsi corpus esset infinitum, quàm motui alicuius indiuisibilis. Ad aliud, quo dicitur, quòd tempus 37. *Ad quartum.* *Ad quintum.*

tempus est causa corruptionis, & senectutis, per motum, & non aliter: & si motus longus non sit causa corruptionis; nec tempus longum illi rei est causa corruptionis. Ad aliud patet solutio. *Ad sextum.*

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm sint solùm duæ mensuræ durationis creaturarum?

Aristot. 4.*Physic.cap.*12.*text.*117. *&* 118. Alensf. 2.*p. q.*9. *memb.*9. S.Bonau *in* 1.*dist.*3. *in* 2.*p. circa litteram Magistri.* Albert. *in summa de quatuor coæquæuis* 1.*p. qu.*3. *art.*11. D.Thom. 1.*p.quæst.*10. *art.*4. *&* *quæst.*58. *art.*3. vbi Caiet.& recentiores. Capreol. *in* 2.*dist.*2. *q.*2.*art.*3. Durand. *quæst.*6. Argentinas *in* 4 *dist.*48. *art.*4. *q.vnica.* Vasq. *in* 1.*p. disp.*36. Fonseca 5 *Met.cap.*13. *q.*12. *sect.*3. Suar *disp* 50.*sect.*11. Conimb. 4.*Physic. cap.*14. *quæst.*3. Vide Doct. *in* 2. *dist.*2.

1. ESPONDEO, quòd innata est nobis via à communibus ad particularia: ideò quia de mensuris creaturarum sermonem debemus aggredi, à mensura in communi debemus nostrum propositum inchoare.

ARTICVLVS I.

Qualis & quotuplex sit rerum mensura?

EST ergo sciendum, quòd in qualibet re existente in actu, duo est considerare; vnum, scilicet eius essentiam; aliud, eius existentiam: & secundùm vtrumque eorum respondet ei varia mensura. Ex parte enim essentiæ mensura Dei est sua immensitas, quæ sola ratione differt à sua essentia. Ex parte verò suæ existentiæ Dei mensura est æternitas, quæ modum suæ existentiæ simplicem inuariabilem actu, & potentiâ, carentem fine & principio mensurat. Et hæc quidem mensura in se est indiuisibilis, nec habens partem, & partem; virtute tamen & per coëxistentiam infinita: vnde si totum tempus secundùm omnes partes suas simul esset, æternitas, & eius *nunc*, omnibus coëxisteret; & adhuc in infinitum excederet. Non sic est æuum indiuisibile; quia quamuis de se sit indiuisibile, non tamen coëxisteret partibus temporis, si simul essent. Vnde indiuisibilitas æternitatis quodammodò est sicut indiuisibilitas animæ rationalis, quæ tota coëxistit omnibus partibus corporis indiuisâ eius essentiâ; sicut puncti. *In Deo mensura essentiæ & existentiæ.* *Æternitas infinita & indiuisibilis: Æuum nõ est indiuisibile.*

In essentia autem creaturæ est duplex mensura. Vna secundùm quòd est essentia simplex. Alia secundùm quod est extensa, vel multiplicata secundùm partes. Primo modo quælibet creatura duplicem habet mensuram. Vnam intra, quæ est limitatio in gradu naturæ & essentiæ: aliam extra; & illa mensura est id, quod est principium dignissimum, verissimum ens; cui non inest *esse* per participationem, sed est ens per se. Hæc enim est mensura vniuersaliter omnium entium, vt sunt essentiæ quædam; & istud est diuina essentia. Sicut autem diuina essentia, quia ei competit entitas per se primò, summè & perfectissimè, est vniuersaliter mensura omnium entium. Sic accipiendo mensuram, quælibet creatura habet mensuram extrinsecam suæ essentiæ propriam in suo genere; id in quo nobilissimè, veracissimè, & perfectissimè reperitur natura illius generis: sic quòd in illis est illa natura generis primò, & per se, perfectè; in aliis autem ab illo mensuratis per quandam defectionem, & sub quodam gradu inferiori, & minùs perfecto. Et per hoc mensura isto modo est principium cognoscendi quantitatem rei mensuratæ; non quidem quantitatem molis, quæ cognoscitur per mensuram extrinsecam respicientem extensionem; sed est principium cognoscendi quantitatem perfectionis naturalis; quia secundùm Augustinum 6. *de Trinit. cap.*8. *In iis quæ non sunt mole magna, idem est maius esse, quod melius esse,* non bonitate moris, sed bonitate naturæ: quod est *esse* perfectius in illa natura. *Mẽsura creaturarum.*

Per talem autem mensuram cognoscitur de *esse* cuiuslibet creaturæ, in quanto gradu dignitatis, seu perfectionis sit: quia in tanto gradu est, secundùm quantum, vel in quanto participat id, quod est mensura. Quod enim id magis participat, est melius, perfectius, & dignius atq; maius: propter quod dicitur, quòd mensura est vnigenea mensurato; id est, vnius generis. Et debet mensura esse aliquid vnum in natura singulare, in qua natura illius generis habet *esse* perfectissimè; & in quo est status omnium communicantium illam naturam; vt in quolibet supremo, dignitate, & perfectione: & quòd omnia illa contineat virtute & eminentiâ quadam in natura simplicissima illius, à cuius simplicitate etiam alia procedant per aliquam comparationem: propter quod dicitur vnum, id est, simplicissimum in illo genere. *Mensura est vnigenea mensurato.* Vide qu. 3. n.10.

2. Et est aduertendum, quòd cùm mensura sit id, per quod cognoscitur quantitas rei, seu dignitatis essentia, siue molis, seu durationis; ideò nomen *mensura*, quòd tali rei vni attribuitur, translatum est ab *vno* numerali, quòd est mẽsura numerorum: & non solùm transsumptum est ad id *vnum*, imò ad omnia, quæ aliquo modo dicuntur mensuræ: sicut est transsumptum hoc nomen *quantitas* à quantitate numerali, ad omnia alia, quæ aliquo modo dicuntur *quanta*. Vnde, sicut iam dixi, quantitas numeranda in gradu essentiæ rei, appellatur gradus naturæ, vel essentiæ in perfectione & dignitate: & mensura talis gradus in quolibet genere appellatur id, in quo natura illius generis per se primò & perfectè inuenitur; & quod est per se cognitum in quantitate perfectionis naturæ, & essentiæ suæ, & ratio cognoscendi gradum quantitatis perfectionis essentiæ & naturæ omniũ aliorum sui generis. Quemadmodum in mẽsuris quæ sunt ab humana institutione, quantitas vnciæ nota est ex se; & ideò est mensura omnium ponderum: & inter mensuras, quæ sunt à natura rei, *vnitas*, cuius quantitas est notissima in discretis, mensura est omnium discretorum. Vnde si aliquid ponatur mẽsura, quod habet aliquid notius eo, quod habet mensurare, semper illa mensura reducenda est ad illud primum notius: & sic semper vsque ad aliquid simplicissimum, & notissimũ in suo quanto. Et hoc est quod dicit Aristoteles 5.*Met. cap. de Vno, text. com.*12. *Prima enim mensura est primum, quo namque primo cognoscimus, est apud nos prima mensura in quolibet genere.* Vbi dicit Commentator, *Oportet igitur, vt omne mensurans primum sit principium, scilicet in omni genere in quo inuenitur primum; in esse & cognitione, cùm per id cognoscamus mensuratum.* *Vnde sumitur prima mensura.* Vide Scot. in 2.d.2. q.2. §. *Ad secũdam partem.* Vide Scot. in Met. text. lib. 5. summa vnica, cap.6. n.58.

Et quamuis in singularibus sit singulare talis mensuræ, tamen vniuersaliter in genere entium est mensura omnium aliorum vnum ens primum, & prima substantia, quæ, vt dicit Commentator, intendebat Aristoteles esse primum motorem; qui *An Deus sit mẽsura vnigenea creaturarum.*

qui non solùm est primum sicut motor; sed sicut forma, & finis. Sed cùm, vt dictum est, mensura, & mensuratum sint vnigenea; Deus autem non cadit in vllo genere, ergo non est vnius generis cum aliqua creatura: non ergo videtur quòd sua entitas sit numeralis mensura omnium entium.

3. *Genus vnigeneum duplex.* Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd genus vnum, in quo habent esse vnigenea mensuratum & mensura, est duplex: & sicut est duplex genus; sic est duplex vnigenietas mensuræ, & mensurati: de qua scilicet mensura nunc loquor, de mensura, scilicet, gradus perfectionis essentiæ. Et per hoc est duplex ratio mensuræ, quarũ vna habet magis rationẽ mensuræ, quàm alia, vt statim videbitur. Est enim quoddam genus Metaphysicum, quoddam Logicũ. Ratio generis Metaphysici cõsistit in communitate nõ vniuoca, sed purè analoga: continet enim aliquid, cui principaliter nomen conuenit; & est omnium, quæ sunt in toto illo genere mensura; & aliis conuenit id, quod nomine generis significatur per quandam attributionem, & participationem illius, cui principaliter conuenit: & ideò illa, quibus conuenit participatiuè, sunt mensurata; & illud cui per se conuenit, est mensura. Et sic accipiendo genus, ens, communissimè acceptum, vt continet creatorem, & creaturam, est genus; non quidem genus de illis decem Prædicamentis; quia illa sunt genera logicalia, vt iam dicitur, sed genus Metaphysicum; quod non dicit rem aliquam communem, sed dicit aliquid per se, & primò conuenire alicui; aliis autem per quandam participationem illius.

Genus Metaphysicum. Vide q. 1. n. 15.

SCHOLIVM.

Diuersis in locis varias ponit Scotus primas entis diuisiones; in 1. dist. 36. q. vnic. n. 9. §. Tunc ad formam argumenti: *ait videri sibi primam distinctionem entis esse* in ens extra animã, & in ens in anima; *& deinde ens extra animam posse distingui in actum, & potentiam, essentia, & existentia. Hac ipsa docet ex Philosopho in Metaph. textuali summa vnica, c. 7. n. 67. dicens, ens diuidi prima diuisione in* ens reale, & rationis, & deinde in ens actu, & ens in potentia; *& in 1. dist. 8. q. 3. n. 18. §.* Sed tunc est dubium. *dicit ens primò diuidi in* finitum, *&* infinitum, *& quodl. 5. n. 27. §.* Dico ergo breuiter, *dicit ens prius diuidi in ens* quãtum, & non quantum, *quantitate virtutis, vel perfectionis, & ens quantum diuidi in finitum, & infinitum; & in 2. dist. 3. q. 3. n. 7. §.* Secundò sic; *ait ens sufficienter diuidi tanquam in illa, quæ includunt quiditatiuè ipsum in ens* increatum, *&* creatum, *quod diuiditur in decem genera, atque in partes essentiales decem generum. Demum hic, & in additione ad 1. dist. 1. q. 1. n. 12. 2. §.* Ideò dico, *asserit ens communissimè sumptũ prima diuisione diuidi in* ens purum, *&* ens quod habet esse, *siue in ens quiditatiuè, & in ens habens quiditatem, & contrahens illimitatam perfectionem illius puri, & absoluti esse primi entis. Sed secundùm varios respectus, & considerationes entis, consideranda sunt etiam hæ variæ primæ entis diuisiones; vt si consideretur ens in tota sua latitudine, prima diuisio est in* ens reale, *&* rationis, *quia sub alterutro omnis ratio entis comprehenditur: deinde ens reale subdiuiditur in* actuale, *&* potentiale: *diuisio in* finitum, *&* infinitum, *est prima quoad nos, quia conceptus perfectissimus, & simplicissimus quiditatiuus, quem formare possumus de Deo via naturali, est conceptus infiniti; diuisio in* quãtum, *&* non quantum, *est primus quoad se, vt abstrahit à modo intelligendi imperfecta, & naturali huius status. Aliæ duæ posteriores diuisiones videntur coincidere: & considerantur à parte causæ, vel principij entis, ita vt vnum à nullo habeat esse, sed in se sit purum, & actualissimũ esse: reliqua aliunde recipiant, & ab alio suam quiditatem deriuent.*

Secundum hoc, hoc nomen *ens* sic communissimè acceptum, quod dicitur ab actu essendi, siue ab *esse*, diuiditur prima sui diuisione in ens, quod non est nisi *esse* purum, quia nihil dicit præter *esse*: & per hoc est primum, vnum, & simplicissimum, cuiusmodi est Deus; qui est extra omne genus Prædicamenti, quod est genus Logicum; & in ens, cui conuenit *esse*, siue quod habet *esse*, quod in suo significato includit aliquid præter *esse*; ita quòd res cuiuslibet Prædicamenti, etiam in generalissimo considerata, nominat quid compositum ex *esse* latissimo, & communissimo; & ex aliquo peculiari. Nam ens creatum est habens *esse*, & est ens, cui conuenit *esse*; quia sua essentia, per hoc est essentia, quòd est ab alio extracta, & de se non habet *esse*, sed ab efficiente; & ita necessariò cadit etiam in compositione quodlibet genus generalissimum. 4.

Ens prima diuisione in quæ diuidatur.

Et sic patet, quòd genus quod est analogum, & Metaphysicum, continens creatorem, & creaturam, non dicit rem aliquam communem istis, nec æquiuocam, nec vniuocam, sed analogam: cuius natura est, quòd natura rei significatæ per nomen talis generis, per se, & primò dicatur de vno, & per attributionem, & participationem illius dicatur de aliis; vt patet in Deo, & creaturis. Et ideò tale genus in primo membro suæ diuisionis stat pro mensura, in secundo pro mensurato. Et sicut ens in sua communissima acceptione, vt continet ens, quod non est, nisi *esse*, & ens quod habet *esse*, non est genus Prædicamenti; sed genus Metaphysicum: sic ens vt stat pro ente, quod habet *esse*, & est secundum membrum diuisionis, est illud ens, quod cadit sub genere Prædicamenti: nam tunc habens *esse*, est in aliquo genere Prædicamenti; & hoc est omnis creatura.

Ens primum principium communissimum est mẽsura omnium reliquorũ entium.

Ens igitur, vt stat in primo membro diuisionis huius generis, quod non est, nisi *esse*, & necessariò *esse*, est vnum simplicissimũ, & indiuisibile: ens verò, vt accipitur in secundo membro, diuiditur in decem genera Prædicamẽti. Et sicut ens communissimum, vt genus Metaphysicum, cuius communitas consistit in analogia, diuiditur in ens, quod non est, nisi *esse* purum, & simplicissimum, ac per hoc mensura; & in ens, quod habet *esse*, ac per hoc compositum, & mensuratũ: sic ens, vt est in secundo membro, & claudit creaturam, & est quoddam commune ad decem Prædicamenta, dicit communitatem analogiæ respectu decem Prædicamentorum; & diuiditur in ens, quod non est, nisi ens habens *esse*; & in ens, quod est alicuius. Vt sicut Deus, qui est purum *esse* absque omni compositione, est mensura omnis *esse*, quia mensura est summa: sic in diuisione entis creati, vel creaturæ, ens quod non est, nisi ens habens *esse*, nullam aliã claudens in se compositionem, & hoc est substantia, fit mensura omnium aliorum entium, quæ dicuntur non solùm entia; sed entia alicuius, vel in aliquo; & sic claudunt quandam compositionem. Et sicut in diuisione entis communissimi *ens* stat in prima diuisione pro ente per se; in secũdo verò membro pro ente, quod nõ est ens, nisi illius participatione: sic in diuisione illius entis, quod cadit sub genere Prædicamenti, & continet omnẽ creaturã, *ens* stat in primo membro pro illo, quod est ens per se, vt 5.

Substantia est mensura omnium entium, quæ continentur in reliquis prædicamẽtis.

vt *per se* opponitur ei, quod habet esse per inhærentiam, vel respectiuè: & in secundo membro stat pro ente, quod est ens participatione illius: sicut accidentia sunt entia per attributionem ad subiectum, quia non sunt entia, sed sunt entis, & illorum *esse* est in alio esse. Et ideò in genere illo Metaphysico, cuius communitas consistit in analogia, & est commune ad decem Prædicamenta, substantia est mensura, quia simplicior; accidens verò mensuratum.

6. *Quantitas est mensura reliquorum accidentium.* Sicut autem *ens*, cui conuenit *esse*, est vnum genus Metaphysicum ad decem Prædicamenta; sic *accidens* vniuersaliter acceptum est genus Metaphysicum ad nouem Prædicamenta accidentium: & hoc genus diuiditur sicut alia duo iam dicta, in accidens, quod est alicuius simpliciter absque alio addito; & hoc est Quantitas; & in accidens, quod est alicuius per aliud, & sic per additum; vt sunt omnia alia accidentia à Quantitate, quæ non insunt Substantiæ, nisi per quantitatem: & hoc loquendo secundùm Philosophos, qui non posuerunt accidentia nisi in substantiis corporalibus habentibus quantitatem, & sic in genere accidentium mensura est quantitas; alia verò sunt mensurata.

SCHOLIVM.

Dum assignat hîc Doctor rationem mensuræ, & mensurati in vnoquoque genere, ait illud esse mensuram reliquorum sub illo genere, quod simplicius, & perfectius est in illa ratione, siue vniuoca, siue analoga talis generis; & propterea ait Deum in ratione generis Metaphysici, siue entis communissimè sumpti, esse mensuram omnium aliorum entium, quia est ens purum, & simplicissimum, à quo reliqua entia habent esse; & substantiam esse mensuram omnium, quæ continentur sub reliquis nouem Prædicamentis, quia in genere entium creatorum, vel quæ habent ab alio suum esse, *minorem claudit compositionem, quàm reliqua entia. Et in genere accidentium ait quantitatem esse mensuram eorum, quæ continentur sub reliquis octo Prædicamentis, quia est primum in accidentibus, & non inhæret substantiæ per aliud accidens, sicut reliqua, quæ non insunt nisi per quantitatem. Et in genere accidentium, quæ sunt alicuius per aliud, ait relationem esse mensuram reliquorum accidentium, quæ continentur sub sequentibus Prædicamentis, & accidunt per aliud distinctum realiter ab illo, per quod accidunt; relatio verò nihil reale addit supra suum fundamentum; quod tamen difficultatem ingerit in doctrina eiusdem Doctoris, qui in 2. distinct. 1. quæst. 4. num. 5. & sequentib. & in 3. distinct. 1. quæst. 1. num. 14. §.* Ad illud in oppositum, *affirmat, & largè probat relationes Prædicamentales, videlicet æquiparantiæ, similitudinis, æqualitatis, distinctionis, & identitatis, realiter distingui à fundamento, & tanquam quid obliquum, & connotatum respicere suum terminum. Verum est, quòd in 1. distinct. 17. quæst. 3. num. 7. §.* Tenendo: *& in 2. dist. 1. quæst. 4.* § Ad quæstiones: *& dist. 1. quæst. 2. in fine; & in 3. dist. 1. quæst. 1. num. 14. §.* Ad aliud: *& Theoremate 19. num. 14. dicit relationes aliquas identificari cum suo fundamento: & ponit exemplum in creatura, cui adeò intrinsecum esse ait dependere à creatore, vt nullo modo possit esse sine dependentia, & respectu ad Deum, & propterea respectum hunc identificari cum absoluta entitate creaturæ. Cùm autem hîc loquatur de relatione Prædicamentali, vel censendus est aliter sensisse, quàm in libris Sententiarum, vel quòd hîc loquatur ex sententia aliorum, quorum discursum refert; vt indicare videtur paulò inferiùs num. 8. Vbi aliqua impugnat in ipso discursu relata.*

Similiter dico, quòd accidens per aliud est vnum genus Metaphysicum, cuius communitas consistit in analogia, & continet octo Prædicamenta: & diuiditur in accidens per aliud simpliciter absque addito alio, & hoc est Relatio, quæ nihil reale addit supra suum fundamentum: & in accidens, quod accidit per aliud; & est aliud reale ab illo, per quod accidit; qualia sunt alia septem Prædicamenta: quia Qualitas præter hoc, quod accidit per aliud, vt per Quantitatem, habet rem aliam propriam absolutam differentem à Quantitate: & sic inter alia accidentia, quæ accidunt per aliud, Relatio est mensura propter simplicitatem in accidendo per aliud. Propter quod sicut Quantitas, quia est mensura omnium accidentium, immediatè ordinatur post Substantiam; sic Relatio, vt dicit Commentator, & Simplicius, tertium locum tenet post Substantiam, & sic procedendo semper in quolibet genere Metaphysico, est inuenire vnum primum immediatum, quod est mensura omnium aliorum. 7. *Relatio est mensura reliquorũ septem prædicamentorum.*

Et ita patet solutio ad dubium; quòd licèt Deus non cadat sub genere Prædicamenti, cuius communitas consistit in aliqua re communi illis, quæ sub genere sunt: Deo autem, & creaturæ nihil reale est commune; Deus tamen est in genere Metaphysico, quod non dicit rem aliquam communem vniuocè, sed analogicè: & hoc est summæ nobilitatis, quia in tali genere vnitas rei dicitur simpliciter de primo, de aliis verò non, nisi per attributionem ad illud, & per eius aliqualem participationem. Sicut autem in genere Metaphysico, quod non habet communitatem aliqualem, nisi analogam, in qua est solum nomen commune, & nulla res, nec naturæ, nec rationis, nec considerationis; quia natura rei, nec natura considerationis, nec rationis est communis Deo, & creaturis, sic in genere Logico, siue Prædicamentali in quolibet, secundùm Philosophum, 7. Phys.* latitat æquiuocatio aliqua; eò quòd semper in diuisione talis generis per differentias contrarias alter ex terminis contrariis est nobilior; vt dicitur 10. Metaph.* Est tamen in ipso vniuocatio, & de speciebus vniuocè prædicatur, inquantum est in eo aliquid commune suis speciebus secundùm considerationem; & est propter speciem, quæ constituitur per nobiliorem differentiam mensura in illo genere: vt cùm diuidendo genus substantiæ, dicendo, *Substantia alia corporea, alia incorporea*, natura substantiæ per prius, & nobilius, & perfectius descendit ad substantiam incorpoream, quàm ad corpoream.

* text. com. 31.

* text. com. 13. & deinceps.

8. Et ideò loquendo de mensura in genere Substantiæ, vt genus Prædicamenti, vel Logicum, vniuocè se habens secundùm considerationem ad sua inferiora, substantia incorporea est aliarum substantiarum mensura. Et similiter accipiendo genus subalternum, vt substantiam corpoream cùm diuiditur in animatam, & inanimatam, semper illa, quæ constituitur nobiliori differentia, vt animata, est mensura: & sic vsque ad indiuidua.

SCHOLIVM.

Asserere animas æquales esse in perfectione substantiali; & propterea vnam non posse esse alterius mensuram

ram, non solùm falsum, sed & erroneum putat hic Scotus, non aliunde, quàm à multorum Doctorum authoritate, & propter articulum Parisiensem, ita ab Academicis conceptum : Si quis dicit omnes animas ab origine esse æquales; errat, quoniam aliàs anima Christi non esset perfectior, quàm anima Iudæ. *Etsi verò articuli Parisienses infirmioris nunc sint authoritatis, quàm vt propter eos solùm afficiendæ sint censuris Theologicis Scholasticæ opiniones; attamen tantæ Scholæ, illustriúmque virorum nomen, & pondus sufficere deberet Toleto, quin minùs lib. 2. de Anima, cap. 3. temerariam appellaret, & periculosam sententiam affirmantem, indiuidua distingui inter se penes gradus substantiales perfectionis. Eum meritò reprehendit Bannes in prædictum locum librorum de Anima; & lib. 1. de generat. cap. 4. quæst. 3. Porrò hanc doctrinam multi post Magistrum in 2. dist. 17. absque vlla difficultate tuentur. Vide Conimbr. lib. 2. de Anima, cap. 1. quæst. 5. & Rumium in cap. 3. quæst. 3. num. 69. & seqq. Hic tamen ita plures animas inæquales esse dicit, vt alia reperiantur æquales: Scotus verò hic negat duo dari indiuidua, quæ secundùm æqualem gradum perfectionis participent naturam speciei. Vide eundem hic num. 16. & quæst. 9. num. 76. & quæst. 11 num. 39.*

9. *An vnũ indiuiduũ sit mẽsura aliorum.* In indiuiduis autem, vt dicunt aliqui, non est quærendum, quòd vnum sit mensura alterius, quia, vt dicunt, nihil reale addunt indiuidua super speciem, nec in ipsis est ordo dignitatis naturalis; ideò dicunt quòd vnum non est mensura alterius: quod omnino æstimo esse falsum, & fortè erroneum, quia anima Christi nobiliori modo participat naturam speciei, quàm aliqua alia. Et semper indiuidua eiusdem speciei, secundùm diuersos gradus maioris, & minoris perfectionis, naturam speciei participant: nec sunt duo indiuidua secundùm æqualem gradum perfectionis participantia naturam speciei. Ideò puto, quòd anima Christi sit mensura omnium animarum; & sic in qualibet specie illud indiuiduum, quod perfectiùs speciem participat, vel natum est participare, est mensura aliorum. Et dico *natum est participare*, quia dato, quòd mensuratum sit actu, non oportet quòd mensura extrinseca suæ essentiæ, de qua modò loquor, actu existat; sed quòd in natura rei sit possibilis. Quod autem exemplificaui de genere substantiæ, idem dico de genere accidentium, quòd nobilior differentia, vel species differentiam constituens, est mensura aliorum: vt si dico colorum alius albus, alius niger, albedo est mensura nigredinis, & sic in omnibus generibus.

Anima Christi est mensura aliarum. Vide infrà q. 21. n. 1.

10. *Ratio mensuræ perfectiùs inuenitur in genere Metaphysico.* Quamuis autem secundùm prædicta, tam secundùm genus Metaphysicum, quàm secundùm genus Logicum, sit accipere mensuram, & mensuratum; sciendum tamen est, quòd ratio mensuræ, & mensurati magis perfectè, & propriè inuenitur in genere Metaphysico, quàm in genere Logico. Quod sic patet; in genere Metaphysico, id quod est mensura in simplicitate quadam naturæ, cadit in primo membro diuisionis illius generis; & in illa simplicitate stat, quòd naturam simplicem principaliter, & per se, & immediatè signat nomen illius generis; & à simplicitate illius naturæ differt, vel deficit natura, quam signat mensuratum in illo genere. Vnde sunt diuersæ naturæ omnino mensura, & mensuratum, ita quòd mensurati natura, quæ cadit à simplicitate naturæ mensuræ, cadit semper in rationem compositi: vt sic verum sit, quòd in tali genere nihil commune, nec re, nec ratione habent mensura, & mensuratum. Sed ratio, & nomen generis conuenit mensurato per quandam attributionem, & imitationem naturæ mensurati ad naturam mensuræ: & non est vnigenietas inter talem mensuram, & mensuratum, nisi vnigenietas imitationis: & hoc est propter quendam nimium excessum naturæ generis, vt signatur per mensuratam respectu eius, & signatur per mensuratum; propter quod natura mensuræ in tali genere perfectissimè continet in virtute totam mensuratum.

11. Et ista est ratio perfectæ mensuræ, quòd scilicet virtute contineat totum mensuratum, sicut entitas diuina respectu entitatis creaturæ. Propter quod in solo Deo saluatur perfectissimæ mensuræ ratio respectu omnis creaturæ, vt sua entitas omnem entitatem; sua potentia omnem potentiam; sua sapientia omnem sapientiam includit. Vnde in primo genere latissimo Metaphysico, quod est *esse*, vel *ens*, mensura in illo genere est sola habens perfectissimæ mensuræ rationem: vt Deus, qui in se toto est mensura omnis mensurati: non sic de mensura alicuius alterius generis verè Metaphysici. Deus enim, qui nihil aliud est, quàm *esse*, videlicet sub ratione quâ non est aliud, quàm *esse*, est mensura cuiuslibet *esse* creati, inquantum est *esse*; sed inquantum est *esse* creaturæ non consideratur sub ratione, quâ *esse*; sed sub ratione, quâ est aliquid; vtpote substantia, vel potentia. Isto modo Deus sub ratione, quâ est *esse*, non est mensura creaturæ, inquantum creatura est aliquid; sed inquantum Deus est aliquid, vtpote, substantia, vel potentia, differens secundùm rationem ab *esse*, est mensura cuiuslibet creaturæ, inquantum creatura est aliquid: sic est mensura substantiæ creatæ, inquantum ipse est omnium substantia: & sic de aliis, quæ ratione nobilitatis, quam important, transferuntur ad diuina; vt sunt nomina attributorum. Substantia autem etsi inquantum est ens secundùm totalitatem entitatis suæ, quæ ens, quod diuiditur in decem Prædicamenta primò signat, est mensura omnium entium aliorum inquantum sunt entia, non tamen est mensura omnium entium aliorum, scilicet accidentium ratione illius, quod addunt super rationem substantiæ; seu non est mensura eorum secundùm raiones proprias; quamuis sit mensura eorum, vt habent rationem entis: & sic mensura ista non continet omnino totum mensuratum: & ideò cadit à ratione perfectæ mensuræ.

12. *Ratio mensuræ quomodo inueniatur in genere Logico.* Mensura autem accepta in genere Logico, de qua dictum est, quòd est illa species, quæ constituitur per nobiliorem differentiam diuisiuam; illa mensura non stat in simplicitate naturæ generis; siue non stat in simplicitate omnino importata naturæ generis. Cùm enim dicitur, substantia alia corporea, alia incorporea; *incorporeum*, quod est mensura, non stat in simplicitate naturæ importatæ nomine *substantia*, nihil addendo super id quod primò significat nomen *substantia*; sicut stat id, quod est mensura in quolibet genere Metaphysico. Nam cùm dicitur, entium aliud substantia, aliud accidens; *substantia* nihil addit supra id, quod significatur nomine *entis*: quia ens creatum, quod diuiditur in decem Prædicamenta, sicut analogicè dictum est de illis, nihil significat principaliter nisi

ens, quod est substantia. Et sic cùm incorporeum sit mensura corporeorũ, hoc quod est *incorporeum*, non secundùm se totum est mensura, nec *corporeum* secundùm se totum est mensuratum; quia *incorporeum* non est mensura corporeorum, nisi inquantum est substantia, non autem inquantum est talis substantia: non enim mensurat *corporeum* secundùm rationem illius differentiæ, quam addit *corporeum* supra genus. Similiter nec *corporeum* est mensuratum, nisi ratione qua est substantia, non ratione differentiæ suæ: ratione enim additæ differentiæ substantia corporea non est incorporea aliquo modo; nec secundùm esse nobilius, nec aliquo modo; licèt vna differentia non sit nobilior alia; sed solummodò est in illa virtute, vt in nobiliori, inquantum est nobilior ratio substantialitatis, descendens in speciem per differentiam nobiliorem, quàm per differentiam minùs nobilem. Nihilominùs accipiendo mensuram, & mensuratum in qualibet illarum specierum, in quas genus substantiæ diuiditur: contrario modo ratio mensuræ, & mensurati in illis inuenitur.

13. Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd cùm dico: *Substantia alia corporea, alia incorporea,* aliter diffunditur genus substantiæ in substantias corporeas, constituendo speciem per differentias additas; & aliter in substantias incorporeas. Nam ad constitutionem speciei substantiæ incorporeæ diffunditur genus substantiæ per formam incorporalem, & immaterialem, ad minus materia corporali; quam formam addit differentia diuisiua supra naturam generis, cùm dico, *substantia incorporea.* Ad constitutionem autem speciei substantiæ corporeæ descendit genus substantiæ per differentiam importantem formam materialem corporalem, scilicet materiæ inhærentẽ: & sic non diffunditur, vel descendit ad eorum constitutionem per solam formã; vel non solùm per formam spiritualem; sed etiam per materiam, quam includit differentia diuisiua, siue forma per illam differentiam designata; quæ facit quòd hoc, quod dico *corporeum,* sit genus subalternum, non solùm Logicum; sed etiam genus naturæ. Et sic patet, quòd nobilius *esse* habet genus subalternum in incorporeo, quod constituitur per formam immaterialem; quàm in corporeo, quod constituitur per formam materialem: propter quod *incorporeum* meritò est mensura corporei.

Propter istos diuersos modos, quibus genus quasi contrario modo diffunditur, vel descendit ad constituendum species in genere *corporei, & incorporei,* contrario modo sumitur ratio mensuræ, & mensurati in istis duobus generibus subalternis. Nam cùm genus substantiæ diffunditur, vel descendit ad constituendam substantiam incorpoream per differentiam, seu per formam immaterialem, quasi in illo genere subalterno manet forma immaterialis: & quantò species constituitur per differentiam priorem, & vniuersaliorem, tantò est nobilior, & perfectior, quia simplicior; & quantò tardiùs constituit speciem per differentiam inferiorem, tantò est imperfectior: ita quòd in genere incorporei species inferior, quæ plures differentias in se colligit, & in quam vltimò genus descendit, illa est imperfectior in toto illo genere; & illa species, in quam descendit genus per vnicam solam differentiam, illa est perfectior in illo genere, omnium illarum specierum illius generis perfectiones in se continens, inquantum sunt substantiæ, non autem inquantum differentia supra genus: quia isto modo nulla est in alia, vt iam dixi, & ideò species vna sola differentia constituta, est mensura omnium aliorum in genere incorporei.

In genere autem corporei est contrario modo; quia species, quæ per priorem differentiam constituitur, & pauciores differentias in se colligit, illa est imperfectior, & ignobilior: & species, quæ tardiùs constituitur, & per inferiorem differentiam, quæ colligit in se plures differentias, sic descendendo vsque ad specialissimam, illa est nobilior, & perfectior, perfectionem omnium aliarum specierum in se continens in vna simplici natura specifica, licèt plures contineat formas, vel saltem intentiones plures, secundùm pluralitatem differentiarum constituentium ipsam (quod dico propter negantes gradus formarum) & ideò illa species, quæ est mensura omnium aliarum specierum in genere corporearum, vt est species humana, quæ habet rationem mensuræ respectu omnium corporearum, inquantum est corporea; quia inquantum est corporea continet quodammodò omnium corporeorum rationes, videlicet rationem corporei misti, corporei animati, vegetatiui, & sensitiui, licèt secundùm rationem rationalis nullius sit mensura; quia per illius differentiam ab aliis distinguuntur; nec per illam claudit in se alia corporea. Et inquantum rationalis mensuratur per mensuram omnium incorporeorum; eo quòd anima rationalis secundùm rationem rationabilitatis, vel intellectualitatis, mensura est intelligibilium, vel Intelligentiarum, & per ipsam est consummatum corporeum, & incorporeum, quia creata est in vmbra Intelligentiæ. 14.

Species humana est mensura omniũ corporeorum.

Addunt autem aliqui, quòd indiuidua sub eadem specie non possunt habere rationem mensuræ, secundùm quòd indiuidua; quia nihil addunt supra speciem: ideò nullum indiuiduum habet rationem mensuræ, nisi ratione formæ specificæ, quia illa est in eis tota ratio perfectionis. Si verò ratio mensuræ inueniatur in vno indiuiduo respectu aliorum, dicunt, quòd hoc est solùm per accidens; quia species scilicet non subsistit, nisi in illo solo vno indiuiduo; vt patet in corpore orbis primi, quod est mensura omnium corporeorum simplicium, secundùm quòd sunt corporea: & in primo Angelo, si sit solùm vnicus, & sub vna specie, ille est aliorum mensura: & hoc per accidens, vt dixi, & hoc si ille Angelus ponatur primus, & supremus in toto genere Angelorum. Si enim esset aliqua substantia separata, quæ esset mensura aliorum, in ipsa esset status in ascendendo; & supra illam non esset factibilis superior: sed secundùm assertionem ipsorum, nullum genus creaturæ habet statum in supremo, quin superior ea alia possit à Deo fieri; eo quòd quælibet semper distat in infinitum à substantia increata. Et ideò secundùm sensum articuli nullus Angelus est simpliciter mensura omnium Angelorum factibilium, & factorum, quamuis qui modò est superior in natura, possit poni aliorum inferiorum mensura. Sed in infima creatura est status, scilicet in anima rationali: propter quod quia mensura est certa, alij posuerunt eam esse mensuram omnium substantiarum separatarum: quia, vt dicit Auicenna *, si ignoratur intellectus possibilis, tunc non scitur numerus substantiarum separatarum. 15. 5.Met.c.3.

Quod

Quod autem dictum est hîc, quòd in indiuiduis inquantum indiuidua, non potest accipi mensuratum & mensura, sicut suprà dixi, æstimo esse falsum: quia quamuis indiuiduum rem non addat supra speciem in latitudine, tamen speciei sunt multi gradus; quorum alij sunt magis perfecti aliis, secundùm quos ipsa indiuidua producuntur;& ideò vnum est mensura alterius.

ARTICVLVS II.

An, & qualiter Deus sit mensura rerum omnium creatarum?

16. *Dubium.* SEd adhuc occurrit dubitatio circa prædicta: cùm enim omnis mensura æquetur mensurato, vel æquet rem mensuratam, vel per se, vel per sui replicationem, videtur id non esse verum de Deo respectu creaturæ. Non enim videtur quòd diuina essentia illimitata, & infinita, habeat rationem mensuræ respectu essentiæ creatæ: cùm tamen dictum sit *, quòd ratio mensuræ perfectiùs saluatur in Deo, quàm in mensura alicuius generis.

* num. 11.

SCHOLIVM.

Omnia fermè, quæ hîc diffusè tractat Doctor, sub maiori compendio habet in 2.d.2.q.2.§. Ad secundam partem: *& in Metaphysic.lib.5.quæst.9.num.3.& in alia Metaph.textuali summa vnica,cap.6.num.57.& seqq. Vide quæ dicta sunt art.1.num.3.& seqq.*

17. *Triplex genus mensuræ perfectionis essentialis rei.* Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd cùm hîc loquamur de mensura extrinseca quantitatis perfectionis essentialis rei, non quantitatis simpliciter, nec durationis, talis mensuræ est triplex genus; & secundùm hoc triplex ratio mensurandi per talem mensuram. *Primũ quod exceditur à mensurato.* Est enim quædam mensura, quæ semper exceditur à mensurato, ideò ipsum non mensurat, nisi sui replicatione: verbi gratiâ, vnitas, quæ est principium, & simplicissimum in numeris, & ex se nota in sua quantitate, non mensurat numeros, nisi sua replicatione. Tantus enim cognoscitur esse numerus, quoties in eo cognoscitur vnitas replicari: ternarius enim cognoscitur tantæ quantitatis, quia ter in eo vnitas replicatur: & sic de aliis speciebus numerorum.

Secundũ, quod excedit, & exceditur, & aliquando æquatur. Est etiam mensura, quæ quandoque excedit, quandoque exceditur à mensurato, quandoque ei æquatur: & ideò quandoque mensurat sua replicatione, quandoque explicatione, quandoque adæquatione: verbi gratiâ, motus diurnus cœli est primus,& simplicissimus in motibus,quia vniformis est, & in termino quodam consistit sine additione, & diminutione ab eodem in idem; & ideò est notissimus in sua quantitate: qui motus inquantum includit mensuram sibi intrinsecam, quæ est tempus, alios motus, quos excedit, mensurat explicatione, & applicatione alicuius partis suæ, vel replicatione suiipsius supra se semel, vel pluries. Motus verò æqualis sibi mensurat seipsum simpliciter, suis scilicet adæquatione, & applicatione, absque replicatione, aut explicatione. Si enim videre voluerimus quantum motor,vel viator ambulauerit,cognoscendo quantitatem motus eius (quantitatem dico, quã mensuratur secundùm durationem, secundùm quam motus cœli diurnus est mensura aliorum motuum, aliam enim rationem mensuræ habet motus secundùm spatium, de qua nihil ad præsens) & tunc nos aspicimus ad motum cœli diurnum, applicando illum per intellectum motui, mensurando motum per tertiam partem, vel medietatem diei. Quemadmodum si quis velit mensurare pannum,applicat ei vlnam,& si inuenitur mensura excedens, mensurat explicando, & applicando ei aliquam partem mensuræ, quæ illi mensurato æquatur, & secundùm vlnam illam cognoscitur quantum sit mensuratum. Si verò mensura exceditur, tunc mensurat per se,& partes, & suiipsius replicationem: vt dicendo, iste tardauit venire duobus, vel tribus diebus, & tertiata vnius diei. Si verò æquatur mensura mensurato, mensurat sui adæquatione;& dicitur motus diurnus.

Est autem tertia mensura, quæ mensuratum semper excedit; & ideò mensurat sola explicatione. Isto modo Deus est mensura omnium entium; quia est primum, & simplicissimum; & inquantum est ex se notissimum in actualitate sua. Cùm igitur quantitas naturæ suæ perfectionis sit infinita, & illimitata, quantitas autem perfectionis naturæ creatæ cuiuslibet sit limitata, & finita; ideò est mensura excedens quantitatem perfectionis omnium aliorum entium:ergo si per Deum quasi per mensurã debeat cognosci quantitas, & gradus determinatæ perfectionis alicuius entis, hoc non potest esse seipso simpliciter, sed solummodò explicatione alicuius quantitatis, virtualiter contentæ in Deo, vt in mensura excedente; sicut vna hora continetur in die toto. Et illa quantitas perfectionis contenta virtualiter in Deo, propriè respondet quantitati perfectionis rei mensurandæ:& sic æquatur illi secundùm quandam correspondentiam, etsi non simpliciter: quemadmodum motus diurnus explicatione alicuius suæ partis æquatur alicui motui æquali illi parti secundùm modum iam dictum. 18. *Tertiũ quod semper excedit.* *Singulis creaturis correspondet quantitas perfectionis in Deo.*

Quantitas autem illa perfectionis virtualis, & quodammodò partialis in Deo, quæ æqualis debet esse quantitati rei mensurandæ, non est in Deo distincta à tota infinitate suæ perfectionis actu; quemadmodum in denario distincta sunt sex, & quatuor actu, & realiter; vt si denarius esset propria mensura numeratorum, senarij explicatione mensuraret aliqua, & quaternarij explicatione mensuraret alia. Nec etiam illa quantitas virtualis in Deo est distincta in eo secundùm intellectum; quemadmodum vna hora, vel duæ, distinguuntur in motu diurno. Oportet ergo si diuina perfectio sit mensura perfectionis creaturæ, cùm hæc non sit se tota per sui adæquationem,sed explicatione alicuius partis virtualiter contentæ in Deo, quòd illa pars sola consideratione intellectus distinguatur in eo. Quare cùm singulis gradibus in essentiis creaturarum debeant respondere singulæ rationes prædictæ in Deo,oportet ad hoc,vt Deus sit omnium mensura, per quam cognoscatur rei gradus, & quantitas in sua essentia, quòd sola intellectus consideratione habeant ibi *esse* illæ rationes diuersæ: & hoc tanquam propriæ rationes singulorum, & mensuræ propriæ, & propria principia cognoscendi quantitates eorum. Et sic Deus ipse simpliciter consideratus,sit mensura omnium communis, & excedens; rationes verò illæ singulæ sint mensuræ singulorum per quandam correspondentiam coæqualem. Et hæ rationes eædem sunt cum rationibus idealibus; sed differunt

ab eis sola ratione: nam dicuntur ideales, inquantum sunt rationes cognoscendi essentias creaturarum, vt sunt essentiæ simpliciter, & inter se distinctæ: dicuntur verò partibiles, vt sunt præcisæ rationes cognoscendi quantitatem, & gradum perfectionis in essentia, & natura cuiuslibet entis creati.

20. Sic igitur patet primum membrum præmissæ diuisionis, cùm dixi in principio, quòd *esse* creaturæ duplex debetur mensura: vna secundùm quòd est essentia simpliciter; alia secundùm quòd actu existit. Essentiæ autem, inquantum essentia, triplex debetur mensura: vna inquantum essentia, & hæc est duplex: vna intrinseca, quæ est limitatio in gradu naturæ: alia extrinseca, & id est ens dignissimum, & perfectissimum in suo genere; & de isto dixi vsque modò. Secunda mensura, quæ debetur essentiæ, est secundùm quòd est extensa: & sic mensura eius est quantitas corporalis, siue dimensionalis; quæ est quantitas continua, sub cuius partibus partes substantiæ materiales sunt extensæ: & per istam quantitatem accidentalem intrinsecam conuenit substantiæ quantitas dimensionalis extrinseca, quæ est locus. Tertia mensura, quæ debetur essentiæ, debetur ei vt est multiplicitas, vel multiplicata per indiuidua: & ista quantitas vocatur numerus. De istis mensuris nihil ad præsens.

Mensura essentiæ est triplex.

Mensura essentiæ vt est extensa.

Mẽsura essentiæ, vt est multiplex.

ARTICVLVS III.

Resoluitur titulus quæstionis.

21. SEcundùm verò actum existentiæ debetur rei aliud genus mensuræ, quæ vocatur duratio: & de ista mensura est inquisitio nostra. Est ergo sciendum, quòd est quoddam *esse* omnino simplex, & immutabile, & inuariabile actu, & potentia, re, & intellectu: & hoc est solum diuinum *esse*; cuius mensura est æternitas, de qua aliàs *disputabimus. Aliud est *esse* totum simul inuariabile actu, variabile tamen potentiâ: & hoc est *esse* æuiternorum, quorum mensura est æuum; de quo dicetur suo loco. Aliud est *esse* variabile actu, & potentiâ subiectum motui, & mutationi; quale est *esse* omnium generabilium, & corruptibilium. *Esse* autem talium rerum generabilium, & corruptibilium, est considerandum dupliciter. Vno modo, inquantum inter generationem, & corruptionem manet in toto, & in eodem *esse* suo substantiali, sine additione, & sine abiectione; & sic tempore non mensuratur, sed æuo, quamuis non ita propriè sicut substantiæ incorporales. Alio modo consideratur, inquantum ab instanti generationis continuè secundùm periodum currit motu alterationis, secundùm qualitates, id est, *esse* alterantes, & in eo impressionem facientes; per quarum actionem necesse est, quòd id *esse* in fine corrumpatur: & sic illud *esse* tempore mensuratur: sed minùs quàm accidentia, in quibus fit adiectio continua secundùm partes temporis, & motus.

Mensura existentiæ multiplex.
Vide infrà q. 21. num. 1. & seqq.
Æternitas.
* infrà q. 22. n. 6. & seqq.
Æuum.
Vide q. 20. n. 7. & seqq.
Tempus.

Partes autem illæ accidentium dupliciter considerari possunt. Vno modo aspiciendo ad partes continuè acquisitas, vel adiectas. Alio modo aspiciendo ad partes, vt simul habitas post adiectionem, aut ante adiectionem. Primo modo, illæ partes accidentium propriè tempore metiuntur; non autem secundo modo; quia secundùm illas partes simul habitas, inquantum huiusmodi *esse* eorum est stans, & fixum: & quæcumque habent *esse* stans, & fixum, inquantum huiusmodi, quodammodò æuo mensurantur.

Et vt videatur quomodo *esse* talium mensuratur tempore secundùm vnum modum, & æuo secundùm alium modum, generaliter est sciendum, quòd talis est ordo in *esse* rerum vniuersi, quòd est quædam res, quæ non habet *esse*, nisi in partium successione, vt motus: & talis secundùm se, & primò tempore mensuratur, & solo tempore; quia partes eius continuè moriuntur, & oriuntur cum tempore, & cum partibus eius. Est autem alia res, quæ habet in suo *esse* partium successionem; vt sunt illæ qualitates, & quantitates, in quibus sunt motùs alterationis, & augmenti, & retinent partes simul post acquisitionem; necessariò tamen periodialiter amittendas per actionem contrariorum in eis: & talia quoad partes successiuas per se, sed non primò, mensurantur solo tempore. Inquantum tamen tales qualitates, & quantitates simul habent illas partes in *esse*, non mensurantur propriè tempore; sed quodammodò æuo, tempore tamen inquantum partes, quæ simul sunt, necesse habent periodialiter quandoque suum *esse* amittere; & sic duobus modis mensurantur tempore tales partes, vno modo æuo. 22.

Quædam diuersimodè mensurantur tempore, & æuo.

Et est aduertendum, quòd cùm dico, quòd partes simul existentes mensurantur tempore, inquantum necesse habent aliquando periodialiter desinere esse, quòd tunc tempore mensurantur per accidens, inquantum scilicet quies, & quiescentia, quæ apta nata sunt moueri, dum tamen non mouentur, dicuntur tempore mensurari, & esse, siue quiescere in tẽpore. Cùm enim quælibet res naturalis per influxum corporum cœlestium generetur, non solùm Solis, sed etiam stellarum errantium, seu erraticarum, quarum influxus facit ad rerum generationem; quamuis ad hoc faciat maximè virtus Solis, vt dicitur circa finem de Generatione; & per recessum, vel subtractionem influxus, qui erat causa generationis, fit corruptio, & per contrarios aspectus aliarum stellarum. Periodus enim vocatur illa ætas, vel mensura, secundùm quam quælibet res generabilis, & corruptibilis nata est durare naturaliter, & non plus. Sicut videmus, quòd periodus aliquarum rerum non est nisi vnus annus, aliarum vnus mensis, aliarum dies vnus; vt illius piscis, qui vocatur ephemeron, cuius generatio quoad totam speciem, & omnia indiuidua eius perficitur in vna die artificiali, & respectu eius corrumpitur in nocte artificiali: vt in eodem die naturali, in quo piscis ille oritur, in eodem moritur. 23.

Rerũ periodi, siue ætates.

SCHOLIVM.

Doctor in 3. dist. 16. q. 2. §. Vltimum argumentum. *optimè probat rerum generabilium, & corruptibilium interitum non prouenire ex statutis sibi periodis, sed potius periodos sequi causas interitus. Atque has causas asserit esse intrinsecas ipsis rebus, maximè animatis, quia scilicet in talibus aliqua qualitas dominatur, vt calor, qui tamen continuò fouetur in humido tendente perpetuò in corruptionem, per actionem caliditatis, ex quo tandem sequitur corruptio humidi radicalis, eaque citiùs in vno, quàm in alio, iuxta actionis intensionem. Vnde ad rationem periodi determinata, ait, nihil facere extrinsecum corruptiuum; sed pendere ex causis intrinsecis naturalis complexionis. Quò etiam tendit*

hic eius discursu probans talem, vel talem complexionem, aut natura robur, vel infirmitatem in indiuiduis eiusdem speciei contingere ex variis aspectibus, aut influentiis Astrorum, aut Planetarum, non secludendo tamen aliarum causarum simul concurrentium occultos influxus. Et à causis intrinsecis prouenire periodos ipse hic paulò antè docuit num. 22. dicens, quòd rerum corruptibilium partes necessariò periodaliter amittuntur per actionem contrariorum in eis. Vide quæst. sequentem num. 7. & 8.

24. *Vnde sunt lõgiores, vel breuiores.* Ad hoc autem quòd periodus alicuius rei sit maior, vel minor, non solùm facit aspectus, & influxus stellarum; imò quia ex aspectu vnius stellæ concurrente cum aspectu alterius, secundùm quòd magis, vel minùs conueniunt, aliquando est fortior constellatio in vno ordine, aliquando debilior; & secundùm fortitudinem illius virtutis naturaliter firmiores sunt, & durationes; & maiorem habent periodum generata in vna hora, quàm in alia. Illa tamen, quæ sunt eiusdem speciei, & in vna hora, & sub vno aspectu generantur, habent eandem periodum; nisi sit diuersitas eis ex parte materiæ, ex qua generantur diuersa indiuidua eiusdem speciei in eadem hora. Nam quamuis duo, vel plura, eiusdem speciei, eâdem horâ, & sub eodem aspectu generentur; maior tamen est duratio periodialiter vnius, quàm alterius: quia diuersa est dispositio materiæ, ex qua generantur diuersa eiusdem speciei indiuidua in eadem hora: & materia secundùm dispositionem in vna parte est obedientior, & receptior virtutis cœlestis ei imprimendæ: ideò indiuidua eiusdem speciei, quæ generantur eâdem horâ, eiusdem fortitudinis non sunt, neque æqualis periodi. Nihilominùs *Res corruptibiles quomodo mensurantur.* omne, quod sic cadit sub generationem, necesse habet aliquam suam periodum terminare, & isto modo tempore mensuratur, sicut illa, quæ non mouentur, apta tamen nata sunt moueri: quæ propriè dicuntur quiescentia, vt patet 4. Physicorum *.

* text.c.118. & 6. Physic. text.com.32.

25. *Substantia, & accidentia fixa.* Post prædictas qualitates, & quantitates, quæ subsunt motui alterationis, & augmentationis, inueniuntur substantiæ, & accidentia, in quibus non est motus; sed sunt talis naturæ, quòd per mutationes in fine motuum generantur, & corrumpuntur: quæ inquantum habent *esse*, & essentiam suam simul in medio tempore, non mensurantur tempore, nisi sint quiescentia; & inquantum periodialiter necesse habent corrumpi sub tempore; sed necessariò mensurantur aliquo modo æui.

Corpora cœlestia. Post has formas generabiles, & corruptibiles sunt corpora cœlestia, quorum motus per se mensurantur tempore: substantia autem eorum nequaquam, nisi inquantum sunt possibilia corrumpi, Deo deserente; eo quòd non habent naturalem potentiam ad corruptionem periodialem sub tempore per transmutationes quascumque possibiles fieri in tempore: ideò & per accidens non mensurantur tempore, sicut illa quæ habent *esse* suum simul, cùm tamen periodialiter necesse habent desinere esse tempore: sed eorum substantia mensuratur æuo terminatiuo.

26. *Substãtia spirituales.* Post cœlestia corpora sunt substantiæ spirituales incorporeæ, quæ non mouentur motibus consimilibus motibus corporalium semper, sed aliter. Propter quod etsi mouentur motibus affectionum, vel intellectionum, tunc secundùm aliquos * tales motus mensurantur aliquo tempore, quod sit tempus verum, quod vocant aliqui tempus discretum; de quo dicetur suo loco †. Substantia autem earum, quia non recipit impressiones aliquas, per quas sit necesse eas corrumpi, non nisi *æuo* mensuratur.

* D. Thom. 1. p. q. 10. art. 5. ad 1. Henr. quodl. 12. q. 8.

† infrà q. 21.

SCHOLIVM.

Substantiam Angelorum iuxta communem opinionem, ait æuo mensurari, operationes verò, seu intellectiones eorum mensurari tempore, aliquorum refert esse sententiam, quam licèt apertè non probet, non tamen impugnat. Ea est sancti Thomæ, Henrici, & aliorum, quorum fundamenta, & rationes latè refert in 2. distinct. 2. quæst. 4. num. 2. & latissimè refellit probans multis argumentis intellectiones Angelorum æuo mensurari duntaxat. Quod autem hìc, & sub numerum 23. asserit esse rerum generabilium, & corruptibilium, siue substantiales sint, siue accidentales: prout habet omnes suas partes simul, licèt eas successiuè per motum acquisierit, & necessariò sint corrumpenda, æuo mensurari. Sed loco citato in secundum num. 9. & sequentibus videtur magis inclinare in illam sententiam, quæ asserit istud esse mensurari tempore: & mox proponit modum vtramque opinionem defendendi.

Ita quòd non dicimus propriè tempore mensurari; nisi illa, quæ succedunt secundùm partes iuxta successionem temporis, partium, & motus, quæ solummodò per se, quamuis non primò, dicuntur tempore mensurari. Vnde non solùm substantiæ spirituales, & corpora cœlestia; sed etiam *esse* generabilium, & corruptibilium, siue sit substantia, siue sit accidens (quamuis, vt dixi, non ita propriè accidens, sicut substantia) talia inquantum *esse* suum habent simul, *æuo* dicuntur mensurari. 27.

Vnde & propter hoc dicunt aliqui, quòd æuum est diuersum, vt mensurat substantias spirituales, & corpora cœlestia, & *esse* rerum generabilium, quod tamen totum est simul; eo quòd *esse* substantiarum spiritualium, quia non habent, vt dicunt, formam in materia, vel saltem non in materia corporali; ideò minùs tendunt ad *non esse*, quàm corpora cœlestia. Et ideò quia non habent formam in potentia materiæ corporalis, minùs tendunt ad *non esse*, quàm generabilia. Et illa vt habent totum *esse* simul, minùs tendunt ad *non esse*, quàm partes accidentium, quæ per motum acquiruntur, & corrumpuntur. Et partes talium accidentium, quæ successiuè acquiruntur, & corrumpuntur, magis tendunt ad *non esse*, vt sunt partes motus, quæ simul non possunt esse, sed continuè oriuntur, & moriuntur. Et ideò quia partes motus semper tendunt ad *non esse*, ideò nullo modo æuo mensurantur. Et sic dicunt, quòd sunt quinque modi æui secundùm prædicta æuo mensurata, scilicet, substantia, Angeli, cœli, *esse* corporalis rei, *esse* accidentis, vt est simul. *Quinque modi æui.*

Ex prædictis patet, quòd cùm mensura varietur secundùm variationem mensurati, mensurata autem inquantum durabilia, si considerentur secundùm *esse*, aut solo æuo mensurantur, vt substantiæ spirituales, & corpora cœlestia; aut quodammodò æuo, quodammodò tempore; vt dictum est * de esse rerum generabilium, & aliquorum accidentium, quod totum 28.

* num. 22.

totum est simul. Si verò considerentur secundùm motum, vel actiones, aut solo tempore mensurantur, vt corpora cœlestia, & illa quæ mouentur motu locali, vel augmentationis, aut alterationis secundùm qualitates generabiles; aut tempore discreto, sicut dicitur de motibus affectionum, & cognitionum Angelorum. Ideò accipiendo *tempus* largè ad continuum,& discretum, patet quòd creaturarum omnium non sunt nisi duo genera mensurarum.

Duo dumtaxat genera mensurarū in creaturis. Quòd sint solùm duæ mensuræ ostenditur sic: Sicut se habet tempus ad temporalia, sic æuum ad æuiterna; sed non est nisi vnum tempus temporalium: ergo nec est nisi vnum æuum æuiternorum. Cùm igitur æuum, & tempus sint duæ mensuræ omnium; & omne creatum sit tale, vel tale: erunt tantùm duæ mensuræ.

Item, sicut quæ sunt simul loco, non habent nisi vnum locum numero; sic quæ sunt simul tempore, vel duratione, non habent nisi vnum tempus, siue durationem vnam numero: sed omnia; quæ sic coëxistunt tempore, vel æuo, sunt simul tempore, & æuo: ergo si temporalia non habent nisi vnum tempus numero, nec æuiterna, nisi vnum æuum numero.

19. *Æui mensura est multiplex.* Quòd autem sint tot, quot durabilia, videtur; quia quot modis dicitur vnum relatiuorum, tot reliquum; sed mensura, & mensuratum, duratio, & durabile, sunt huiusmodi: ergo,&c.

Item, sicut non est nisi vnicum tempus omnium temporalium, cùm sit accidens, non habebit nisi vnum subiectum numero: & illud necessariò erit tale, quòd per suum tempus sit aptum natum mensurare, & continere omnia temporalia; sicut mensurans continet omnia mensurata sua, & sicut etiam locans: tale autem videtur solùm mobile primum. Sed in affectibus Angelicis est tempus, & id nullo modo subiectum motui primi mobilis, nec contineri, nec mensurari potest ab illo: ergo non erit solùm vnum tempus omnium temporalium.

Item, omne quod sequitur formam, multiplicatur secundùm multiplicationem formæ; sed æuum est propria passio sequens formam æuiternorum: nam sicut materia est causa variationis, sic forma est causa inuariationis, & consummationis: sed in æuiternis, & aliis plurificantur formæ, sicut res: ergo sunt ibi plura numero æua.

In omni genere est vna prima mensura. * *tex com.4. & 5.Metaph. text com.12.* Item, quòd sit vna sola mensura omnium durabilium, sic patet: 10. Metaph. dicitur; In quolibet genere est reperire vnum primum omnium simplicissimum, quod est mensura omnium aliorum; sed substantiæ creatæ sunt in vno genere: ergo habent vnam substantiam, quæ est mensura omnium substantiarum: & ita est in omni genere durabilium,& durationum.

Ista quæstio duos potest habere intellectus. Vnus est, vtrùm sint duæ mensuræ numero solùm, ita quòd non est aliud quærere, nisi vtrùm sit vnum tempus numero omnium temporalium, & vnum æuum omnium æuiternorum. Alius intellectus est, vtrùm sint duæ mensuræ specie differentes omnium durabilium creatorum, siue quælibet illarum habeat plura indiuidua, siue non: & isto vltimo modo quæstionem accipimus, & quatenus mensura vniuersaliter totam istam materiam comprehendit.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm tempus sit idem numero?

Arist.*lib* 4.*Phys.c.*14.*text.*133.*&* 134.Alens.2.*p.q.*9.*mem.*9. Albert.4.*Physic.tract.*3.*c.*4. S.Bonau *in* 1.*dist.*37.*num.*33. Thom.*in* 2.*dist.*12.*q.*1,*art.*5.*& opusc.*36.*c.*2. *& opusc.*48. *in explic Categoria Quando.* Argent. *in* 4.*dist.*48. *art.*4.*q.* *vnic.*Capreol.*in* 2.*dist.*2.*q.*2.*art.*3.Caiet.1 *p.q.*10.*art.vlt.* Iandun.4.*Phys.q.*28.Iauell.*q* 23.Conimbr.*in* 4.*Phys.c.*14. *q.*1.*art.*2.Compl.*disp.*11 *q.*6.Vide Doct.*in* 2,*d.*2.*q.*11.*& in* 4 *dist.*48 *q.*2.Vide *q.*21.*col.seq.*



RESPONDEO, circa istam quæstionem est Doctorum opinio multiplex recitanda. Secundò magis probabilis nostro iudicio eligenda. 1.

ARTICVLVS I.

Referuntur variæ sententiæ.

FVit igitur aliquorum opinio, quòd realiter tot essent tempora, quot sunt motus, siue quot sunt per tempus mensurata; & quòd tempus nullam habet vnitatem, nisi vnitatem intentionis, quam ei dat intellectus: quemadmodum dicimus, quòd homines sunt realiter diuersi; sed vnitatem hominis, vt dicit quid vniuersale, format sibi intellectus: quia vniuersale sub ratione vnitatis non est nisi in intellectu. Sicut enim si duæ lineæ; vel duo corpora omnino æqualia inter se essent, intellectus statim imaginaretur eis vnam mensuram communem, & vnum communem locum; quamuis etiam non essent sub exteriori locante: sic duobus durabilibus, vel duabus eorum durationibus sibi coëxistentibus, intellectus imaginatur vnam communem durationem. Et hoc maximè,quia cùm tempus sit mensura durationis rei,quæ est dimensio quasi in longum, duo durabilia simul protensa non faciunt aliquod maius: & ideò quantùm ad reputationem,& acceptionem intellectus,non reputantur nisi pro vno durabili,quamuis realiter sint duo durabilia. Sicut duo corpora inter se ex natura sua sunt duo realiter; quamuis ab intellectu, vt vna quantitas, vel vna dimensio accipiantur: in numeratione enim longitudinis temporum, non valent plus duæ,quàm vna. *Opinio negantium.*

Moti autem sunt prædicti Doctores ad hoc dicendum triplici ratione. Prima ex parte subiecti sic: quia cùm determinatum sit in quadam præcedenti quæstione *,& communis sit opinio, quòd saltem per accidens ad pluralitatem subiectorum sequitur plurificatio propriorum accidentium, & passionum: quia omne accidens contrahit vnitatem numeralem à subiecto suo; sicut etiam *esse*, vel existentiæ; & non è contrario. Vnde sicut substantia ex naturali ordine præexigitur ad existentiam accidentis; sic eius vnitas ad vnitatem accidentis. Vnde secundùm hoc ad vnitatem numeralem accidentis non sufficit ponere plura subiecta, quæ non essent aliter vnum, nisi quia subsunt eidem accidenti,vel vnitati conceptus mentis. 2. *Fundamenta huius opinionis.* * *quæst. 17. n.2.& seqq.*

Sicut etiam aliqui dicunt, quòd omnes motus simul existentes,& per modum linearum fluentes in longum,habent rationem vnius subiecti respectu temporis, & ab omnibus talibus motibus,

vt

vt vniformiter fluentibus dicunt haberi vnitatem: quia omnes motus sic accepti habent rationem vnius durationis, & vnius durabilis, scilicet in longum. Sicut ergo infinitæ lineæ simul esse possunt ex illa parte, quâ dimensione carent, scilicet à parte latitudinis (nec enim vt mensurantur in longum, ponuntur in numerum; sed eâdem mensura, & simul, vel simili mensurantur) ita motus omnes, qui fluũt per modum linearum in longum, simul sunt respectu eiusdem vnius temporis: & quia tempus mensurat omnes motus secundùm quòd sunt simul, ideò omnes habent rationem vnitatis respectu temporis.

3. *Refutatur hæc opinio.* Hæc tamen vnitas ficta, non realis, ad vnitatem veram & realem accidentis, de qua quærimus, non sufficit. Primò, secundùm modum istum, omne accidens posset poni in pluribus, imò in infinitis subiectis: & sic subiectum traheret vnitatem ab accidente; non è contrario.

Secundò, quia secundùm hoc cùm ab eodem res habeat vnitatem & entitatem, si tempus est sic vnum secundùm conceptum mentis, non habet vnitatem, nec per consequens entitatem, nisi solùm in anima; & sic est accidens purè Mathematicum, non naturale, quod est falsum.

Tertiò, quia tunc vnum accidens verum, & reale informaret diuersa subiecta naturaliter non vnita: propter quod dicunt isti, quòd quot sunt durabilia, tot sunt durationis subiecta: tum, quia duratio vnicuique ex hoc solùm conuenit, quòd est durabile; seu quia existentia habet in se prius & posterius, siue per eiusdem continuationem, siue per successionem, & mutationem variarum formarum, sicut est in motu. Non enim duratio per aliquam causam potest alicui durabili per se soli conuenire, etiam primo mobili: tum, quia quocunque durabili ablato, omne durabile manens habebit verè durationem, sicut si illa non essent ablata: & hoc esset impossibile; si duratio, seu tempus non maneret sufficienter in quolibet durabili, siue mensurato, sicut in proprio mensurato. Vnde amoto motu primi mobilis, vel quocunque alio, existente quocunque alio motu, existeret tempus primi mobilis: sicut amoto motu primi mobilis existere posset alius motus, vt dicit Augustinus 11. *Confess. cap.* 23. quòd cessante motu primi mobilis moueretur rota figuli. Tum, quia nulli durationi potest dari vnum primum subiectum, ita quòd in illo solo sit sicut in subiecto, & non in aliis durabilibus, cùm eadem ratio durabilitatis insit essentialiter omnibus durabilibus.

Nulli rei per se soli conuenit duratio.

Vide Scot. in 2. d. 2. qu. 11. §. Etsi obiicias.

4. *Sola quanta mensurãtur.* Secundò, hoc idem arguunt ex parte durationis sic; omnis mensura habet quantitatem aliquam aliam à quantitate mensurati; sicut enim nihil mensurat nisi quantitas, sic nihil mensuratur nisi quantum: quia tunc res dicitur mensurari, quando eius quantitas per aliam quantitatem nobiliorem, quanta sit, discernitur. Non enim pannus per vlnam mensurari posset de se, & per se, nisi aliquam quantitatem haberet. Si igitur tempus mensurat aliqua, in quibus non est tanquam in subiecto, oportet necessariò, quòd præter ipsum tempus mensurans detur in prædictis mensuratis à tempore aliqua alia quantitas, alia numero à tempore mensurante, consimilis tamen ipsi, quia aliter non posset mensurari ab eo: sicut de locante, & loco videmus.

Tertiò, ex parte durationis arguitur sic; Quælibet res sicut habet *esse* & *existere* proprium, sic habet propriam durationem: non enim aliud vocamus durationem, quàm permanentiam, & continuationem propriæ existentiæ; siue hoc fiat per continuam generationem propriarum partium, sicut est in motu; siue per partium earundem continuationem, vt est in permanentibus: ergo cùm quilibet motùs habeat propriam existentiam ab eo distinctam, habebit propriam durationem, & durationis mensuram, quæ est tempus: & sic ponunt isti tot esse tempora, quot motus.

Aliorum est opinio, quòd omnium temporalium est vnum tempus pro mensura; sed cùm tempus sit accidens, accidens autem habeat vnitatem à subiecto, diuersimodè assignant subiectum temporis. Dicunt enim aliqui, quòd prima materia est causa omnis mutationis & variationis in rebus, & ex potentialitate materiæ surgit in rebus mutatio: & quia materia prima est eadem in omnibus mutationibus, ideò ab vnitate materiæ primæ tempus dicitur vnum. 5. *Opinio dicentium vnum esse tempus omnium durabilium.*

Sed contra hanc opinionem arguunt alij; primò sic: Constat quòd materia prima non est vna in omnibus rebus materialibus vnitate reali, & signata, qualem vnitatem quærimus in tempore; sed si est vna in materialibus, est vna vnitate cuiusdam vniuersalitatis & rationis, quia eadem est ratio materiæ huius & illius: sicut eadem est ratio istius hominis & omnium hominum; non tamen reali vnitate omnes homines sunt vnus homo. Non ergo tempus, cùm sit accidens reale, potest esse vnum ab vnitate materiæ, nisi vnitate intentionali, quæ est solùm in anima; qualem non quærimus nunc in tempore. *Reiicitur.*

Item, tempus per se mensura est motus, & variationis actualis, non autem potentialis, nisi per accidens, & per comparationem ad motum: nam dicitur res quieuisse, quia motum est cœlum, vel tantum fuit illud mobile motum: actus autem motus & variationis in materia non est vnus, imò multiplex: non ergo tempus est vnum ab vnitate primæ materiæ.

Tertiò sic; tempus est numerus, ergo de ratione sua respicit aliquam multitudinem numeratam: in materiam autem primam secundùm suam essentiam non cadit numerus, sed solùm in *esse*; secundùm verò suum *esse* non est eadem materia omnium: ergo nec tempus est omnium vnum ab eius vnitate.

Aliqui autem istam positionem improbant in eo, quòd subiectum temporis inquirunt per naturam mutationis, vel variationis; dicunt enim quòd quies non solùm per accidens, sed etiam per se tempore mensuratur. Vnde dicunt, quòd non est benè dictum quòd temporalia dum sunt in quiete, per accidens sunt in tempore; eo quòd quies est priuatio motus; & ita non videtur ei competere duratio per se, sicut nec *esse*. Hoc, inquam, dicunt non esse verum, quia manentia, siue perseuerantia formæ per motum introductæ, qua hæc quies nominatur, plus habet de entitate essendi, & veræ existentiæ, quàm motus; vt manere, siue stare, in centro, perfectiorem dicit actum grauitatis, quàm motus ad centrum, quia finalem. Si etiam *esse* æuiternorum in sua continuatione, & non solùm in suis operationibus habet veram successionem, non minùs habebit de vnitate essendi, quàm res temporales habeant in suo *esse*: quia in sua permanentia & continuitate 6. *Aliter refellunt alij.*

tate

tate habebit veram successionem,& non solùm in suis transmutationibus. Aut igitur successio suæ continuationis est per se in tempore,siue est tempus; aut est in æuo. Amoto etiam omni motu, plus dicimus stetisse eum, qui stetit in vno loco tota die, quàm illum, qui stetit vna hora: ergo ipsa statura, siue quies,habet veram entitatem,& veram pluralitatem partium: aliàs statio diurna non esset maior realiter statione vnius horæ.

Nec potest dici, quòd temporalia nullum actum habent, nisi in continua transitione: quia negare quietem in rebus naturalibus temporalibus,est contra sensum.

7. Dicunt autem isti, quòd Aristoteles coactus fuit ponere quietem per accidens in tempore, & per se, quia posuit motum esse proprium subiectum temporis; & non ipsum esse actuale, siue existentiæ sub permanentia, vel continuatione, seu duratione.

Sed potest istis dici,quòd vnitas temporis,neque ex parte motus, nec quies aliqua inquantum quies, dicit priuationem motus in re, quæ apta nata est moueri: nec dicit maioritatem, vel minoritatem, vel partium pluralitatem: nec quies diurna est maior quàm illa, quæ est in vna hora, nisi per comparationem ad motum. Dicimus enim quietem diurnam maiorem, quàm est vnius horæ; vel quia res,quæ quieuit vna die, plus potuit in illo moueri, quàm res, quæ quieuit vnâ horâ: & sic semper secundùm doctrinam Aristotelis 4.*Physic. text.com.*118. quies mensuratur per comparationem ad motum.

Quod autem dicit, quòd plus habet de entitate, quàm motus; & quòd manentia rerum temporalium sit quies post introductionem formæ, vt mensuratur, & verè habet durationem; dico quòd æquiuocatur. Nam quies propriè accepta, non est nisi priuatio motus, de quo dixi quòd tempore mensuratur: quies autem vt dicit inesse rei generali, siue temporali, quo priuatur ipse motus generationis, non est priuatio, sed est idem, quòd manentia illius *esse*, quæ non est alia res ab ipso *esse* rei generabilis.De ipso autem *esse* manenti, & quieto rei generabilis, dixi in præcedenti quæstione *, quòd motus rei per se, & primò tempore mensuratur; non autem ipsa mobilia, nisi inquantum talis transsumptio aliquid abiicit ab eis, vel aliquid adiicit: quæ adiectio, vel abiectio, fit successiuè aliquid abiiciendo, & contrarium adiiciendo; vel totum fit simul. Primo modo quantitatis & qualitatis fiunt motus, à quibus per se tempore mensurantur, sed non primò; verbi gratiâ, cùm albedo continuè generatur motu augmenti secundùm intensionem, inquantum per partes motus continuè acquiruntur partes albedinis, album & albedo per se, licèt non primò, tempore mensurantur. Secundo modo *esse* rei substantiale,quod dicta positio vocat quietem, siue esse in quiete, quod mutatione generationis simul secundùm aliquorum opinionem acquiritur, & mutatione corruptionis corrumpitur in fine motus, augmenti, vel alterationis, tempore mensuratur, inquantum scilicet periodo temporali determinatur, & clauditur.

Quid est quies.

* num. 21. & seqq.

8. Item, quia per alterationem, quæ fit in eo per qualitates imprimentes, necesse est, tale esse in fine corrumpi: ita quòd *esse* talium rerum generabilium,& corruptibilium dupliciter considerari possit, inquantum inter generationem & corruptionem manent eadem numero in toto suo *esse* substantiali sine adiectione & abiectione; & sic tempore non mensurantur, sed æuo. Cuius contrarium dicit prædicta positio, concedens quòd talis quies, siue esse in quiete, tempore mensuretur. Alio modo consideratur *esse* substantiale; inquantum ab instanti quo est generatum, continuè currit secundùm periodum sibi debitam; aut sub motu alterationis secundùm qualitates ipsum alterantes, per quarum alterationem necesse est in fine corrumpi: & sic tale *esse* per se, sed non primò, tempore mensuratur; minùs tamen, quàm accidens, in quorum *esse* fit continua adiectio & abiectio secundùm partes iuxta partes temporis & motus: quæ dupliciter possunt considerari. Vno modo, accipiendo ad partes continuè adiectas, vel abiectas: alio modo, accipiendo ad partes vt simul sunt post adiectionem, seu generationem eorum. Primo modo propriè tempore mensurantur, & per se, sed non primò: primò enim, & per se solus motus tempore mensuratur; secundo autem modo, non mensurantur tempore; quia secundùm illas partes simul habitas inquantum eius, habent esse stans,quietum & fixum;& talia inquantum talia, æuo mensurantur;minùs tamen,quàm *esse* substantiale rei: sicut minùs est quietum, & minùs fixum.

Est & alia opinio circa temporis vnitatem, quòd est vnum per naturam, quâ est numerus; tempus enim est numerus motus. Sicut ergo idem est numerus, quo numerantur decem homines, & decem canes, vt dicitur *in* 4. *Physic. text. comm.* 134. sic est vnum tempus, quo numerantur omnes motus. 9.

Tertia opinio circa vnitatẽ temporis.

Sed istam positionem reprobat Commentator 4.*Physic.text.*134.& arguit sic:Vnitas enim numeri quâ decem homines, & decem canes numerantur, est vnitas numeri Mathematici, & quædam vnitas intellectualis, siue intentionis: tempus autem est accidens naturale, non Mathematicum.

Item, Mathematica numerantur, & multiplicantur secundùm *esse* quod habent in naturalibus;quamuis enim ratio lineæ vt lineæ,sit eadem in omni linea, non tamen est eadem linea de cupro & ferro: tempus autem semper est cum motu intrinsecè; nec ratio temporis est magis abstracta, quàm ratio motus: ratio tamen lineæ est maioris abstractionis, quàm lignum, vel ferrum. Nec sic se habent tempus & motus, sicut linea in generali: & ideò siue sit quid materiale, siue Mathematicum, cùm semper sit cum motu, videtur quòd sicut & motus multiplicetur.

Ideò est communis opinio philosophantium, Aristotelis, & sui Commentatoris, & communiter omnium,quòd tempus est vnum numero omnium, quæ tempore mensurantur: & quia tempus est accidens, accidens autem saltem per accidens, vt suprà * dixi, habet vnitatem à subiecto.

* in hac q. num. 2.

Item,dicunt,quòd subiectum temporis est motus primi mobilis, siue primum mobile mediante suo motu: vnde dicunt quòd tempus aliter comparatur ad istum motum; aliter autem ad alios motus. Ad motum autem primi mobilis comparatur, non solùm vt mensura ad mensuratum, quemadmodum solùm comparatur ad alios motus; sed etiam vt accidens ad suum subiectum: quod ponitur in eius definitione cùm dicitur:

dicitur: *Tempus est numerus motus, secundùm prius, & posterius*; motus enim ille intelligitur de motu primi mobilis: quamuis enim tempus mensuret omnes motus, hoc non facit primò & per se, sed per motum primi mobilis.

11. Hanc autem positionem aliqui declarant sic: Illud vocatur mensura alicuius, per quod anima potest certificari de quantitate alterius rei: vnde cannam vocamus panni mensuram; quia anima certificatur de quantitate panni, comparando ipsum ad cannam: certitudo autem habetur de re per cannam. Ratio ergo mensuræ respectu mensurati importat causalitatem. Causa autem simplicior est causato, quia videmus quòd ea, quæ vniuntur in causa, multiplicantur in causatis: ergo ratio mensuræ respectu mensurati importat maiorem simplicitatem. Difformitas autem repugnat simplicitati; vniformitas verò consonat cum simplicitate: & ideò ratio mensuræ importat vniformitatem respectu mensurati, quæ est maximè in motu primi mobilis respectu omnium motuum.

Item, cùm vnâ mensurâ possit certificari anima de pluribus mensuris, sicut per vnam vlnam de quantitate multorum pannorum; oportet quòd ipsa mensura respectu mensurati habeat rationem vniuersalioris.

Item, per mensuram certificatur anima de mensurato; id autem quo anima certificatur de aliquo, debet sibi esse certius: vnde oportet quòd mensura respectu mensurati habeat rationem certioris, & cognoscibilioris.

12. Sic igitur mensura respectu mensurati habet rationem causalitatis maioris simplicitatis, maioris vniformitatis, maioris vniuersalitatis, & maioris cognoscibilitatis. Cùm ergo tempus imponatur ad significandum nomen mensuræ respectu motuum, tempus autem non sit aliud, quàm cõtinuus motus, patet quòd illa sola continuatio motus habet rationem temporis, quæ respectu aliorum motuum habet rationem causalitatis, simplicitatis, vniformitatis, vniuersalitatis, & certioris cognoscibilitatis, & hæc est solus motus primi mobilis, ille enim motus aliquo modo habet rationem causæ respectu aliorum motuum, saltem respectu alterationis in motu generationis, & corruptionis. Per motum enim cœli est in hyeme mortificatio plantarum viuentium, & per eius motum iterum in vere renascuntur. Et ille etiam motus per delationem corporum cœlestium, elongationem scilicet, vel approximationem, quæ fiunt per motum, causat diuersas dispositiones in corporibus animalium, & in omnibus generabilibus, & corruptibilibus. Et quia per tales dispositiones in eis generatas, inclinantur animalia ad victum, & potum; & per consequens ad motum localem; sic habent aliquo modo causalitatem respectu motuũ localium in rebus inferioribus. Est etiam simplicior, quia per ipsum in minori tempore plus de spatio pertransitur, & ita ille motus est simplicior, qui est velocior: ille autem motus velocior est, qui est vniformior, & magis regularis; semper enim est æqualis velocitatis, & vniformitatis: sed motus inferiores in quadam sui parte sunt velociores, in alia tardiores. Est etiam eius quantitas nobis certior, quàm alicuius alterius: quia motus cœli ab omnibus cognoscitur. Habet etiam iste motus in suis partibus certiorem distinctionem per intellectum, vel imaginationem, propter mirabilia signa, quæ sunt in mobili, cuius est ille motus. Sicut enim in motibus inferioribus ille certiùs potest distingui per imaginationẽ in suis partibus, qui est super spatium, vbi sunt multæ districtiones, quàm ille in cuius spatio non sunt distinctiones: sicut si in vna leuca sint tres lapides, æqualiter inter se distantes, statim dum peruenio ad primum, vel secundum, sciam quantum motus fuit. In illa autem leuca, vbi nulla sunt signa, dum sum in vna parte, planè nescio quantum iui: ita est de motu cœli, quia in cœlo sunt multa signa certa, fixa, & apparentia; ideò ille motus, vel diurnus, vel annualis, certiùs potest ab imaginatione distingui in certas partes, quàm quicunque alius motus. Ideò dicitur, quòd ille motus habet cognitionem certiorem, quod intelligitur quantum ad distinctionem partium imaginabilem.

Motus primi mobilis est causa, & mẽsura aliorum motuum.

Est simplicior aliis motibus.

Est velocior.

Est certior.

Quia igitur conditiones mensuræ in sola continuatione primi mobilis inueniuntur respectu omnium motuum, non autem in aliquo alio, ideò dicunt isti, quòd sola continuatio, vel duratio illius motus, quæ continuò est in illo motu, sicut in subiecto, & habet rationem temporis, inquantum est numerata ab anima secundùm prius, & posterius, est causa vnitatis temporis; & illum motum respicit tempus, vt subiectum, à quo habet vnitatem, & vt mensuratum: alios motus solùm respicit vt mensura, non vt subiectum; ideò non multiplicatur per eorum multiplicationem. Non enim oportet quòd mensura sit vt in subiecto, in omni eo, quod mensurat; quia mensura tantùm est in vno solo subiecto, vtpote in ligno; & tamen mensurat omnes pannos. Et hoc expresè dicit Auicenna in 2. lib. suæ Philosophiæ *lib. 2. sufficientiæ, cap. 13. Id* (inquit) *quod mensurat aliud, non debet esse accidens illi, & existere in illo; quia aliquando separatum mensurat id, quod est separatum ab illo æqualitate, aut æquidistantia.* Et post pauca, *Nos non probauimus de tempore, nisi quia pendet ex motu, & est affectio eius; nec de motu, nisi quia omnis motus mensuratur tempore. Et propter has probationes non oportet, vt vnumquemque motum comitetur per se tempus proprium: nec oportet vt quidquid mensurat aliquid, sit accidens illi.* Ex quibus patet, quòd tempus mensurat omnes motus; & non est in aliquo vt in subiecto, nisi in vno, scilicet primi mobilis. 13.

An tempus sit in motu primi mobilis vt in proprio, & vnico subiecto.

Si obiiciatur ex Augustino 11. *Confess. cap.* 23. quòd si cessaret motus primi mobilis, adhuc motus fieret; & ille motus non mensuraretur, nisi tempore: ergo tempus non est in motu primi mobilis velut in subiecto; quia tunc illo cessante cessaret. Dicunt quòd cùm motus cœli sit causa omnium motuum inferiorum, & cessante causa, cesset effectus, iam nec rota figuli, nec res aliqua inferior posset moueri illo motu cessante, virtute inferiori, sed virtute diuina, vel Angeli, & mensuraretur ille motus tempore, non isto, nec simili, sed alterius generis. 14. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed ista responsio non valet: quia quamuis motus cœli per approximationem, & elongationem corporum cœlestium, sit causa motus generationis, alterationis, & corruptionis; non autem est causa motuum, qui procedunt à voluntate; quales sunt motus artificiales, & motus rotæ figuli.

Non satisfacit. Vide Scot. in 4 & d 42. q. 2. n. 11.

Secundò, quia motus localis à quocunque agente fiat, speciem non variat: ideò motus rotæ figu

figuli est eiusdem speciei, & per consequens eandem habet mensuram, siue moueatur à pede figuli, siue à virtute Angeli.

Secunda obiectio Si secundò obiiciatur, quòd est secundùm Aristotelem 4. *Physic.text. com.* 93. si essent duo mobilia æquè prima, adhuc esset tempus vnum, quod esse non posset, si tempus in illo tanquam in subiecto esset: quia, vt ostensum est in alia quæstione *, accidens saltem per accidens numeratur ad numerationem subiecti. Dicunt, quòd hoc non dicit Aristoteles: sed dicit sic circa principium de tempore, vbi ait, quòd tempus non est motus primi mobilis. Prima ratio talis est, *pars reuolutionis non est re*, &c. Secundam ad id ponunt sub istis intelligi ampliùs: *Si plures essent cœli, similiter esset tempus cuiuslibet ipsorum motus: quare multa simul tempora.* Dicunt isti, quòd ista litera non dicit, quia si essent duo mobilia æquè prima, adhuc esset tempus vnum. Immò Aristoteles dicit contrarium, intendens facere talem rationem; si plures essent cœli, plures essent reuolutiones simul; sed non possunt esse plura tempora simul: ergo tempus non est reuolutio.

q.17.n.3.

Responsio.

15. *Nec satisfacit.* Sed nec ista responsio videtur satisfacere: quia dato quòd Aristoteles hoc non dicat; nihilominùs nos dicimus, quòd Deus potest facere alium mundum, & aliud primum mobile extra istud. Nec tamen videtur possibile esse dari duo tempora simul omnino similia, sicut essent mundi: nam tempus, quod mensuraret motum vnius, eadem ratione mensuraret motum alterius; sicut canna, vel vlna potest esse æqualiter mensura omnis longitudinis, siue sit in panno, siue in ligno, siue in ferro: non ergo satisfacit ista ratio illis duabus rationibus.

Improbatur hac tertia opinio. Contra autem totalem positionem istam arguunt aliqui sic: Duratio, siue tempus, non conuenit alicui per hoc, quòd est in aliquo determinata species motus; sed per hoc, quòd habet generalem rationem motus secundùm prius, & posterius cum successione; sed hoc æqualiter conuenit omni motui: ergo tempus æqualiter habet omnem motum; ergo non magis est in motu primi mobilis, vt in subiecto, quàm in aliis: & sic numerabitur secundùm numerum motuum.

Item, Commentator supra 1. *Metaphysica, com.* 38. *Triplex est*, inquit, *numerus, scilicet, Mathematicus, formalis, naturalis*: & secundùm ipsum solus numerus Mathematicus non numeratur ad numerationem numeratorum: cùm ergo tempus non sit numerus Mathematicus, numerabitur ad numerationem numeratorum: ergo tot videntur esse tempora, quot motus.

ARTICVLVS II.

Statuitur vera sententia.

SCHOLIVM.

Asserit cessante motu cœli, quod possint dari alij motus; quod etiam docet in 2.dist. 2. quæst.11.num.5. §. Respondeo: *& in 4.dist.48.quæst.2.num.12.* §. Si arguatur: *Quod verò hîc ait ad numerum motuum multiplicari tempora, videtur dissentire in 2. dist.2. quæst. 3. num. 5. in fine, vbi supponit omnium temporalium esse vnum tempus. Vide eundem 5. Metaph. quæst.* 10.

16. PRopter quod aliter dicitur, concordando dicta Aristotelis, & dictorum cum veritate, & soluendo obiecta varia circa hæc, quòd tripliciter potest considerari tempus. Vno modo secundùm realem eius entitatem, secundo modo secundùm commensurandi proprietatem: tertio modo secundùm sensibilem variationem rerum sensibilium, vel ipsorum temporum immensitatem. Vt si dicamus, quòd tempus consideratur vt habet esse, vt habet mensurare, vt habet res sensibiles variare: sicut dicimus quòd in vere, autumno, æstate, hyeme, res sensibiles, & ipsa tempora variantur. *Temporis triplex consideratio.*

Tempus entitatiuè multiplicatur, vt motus. Si loquamur de tempore quantum ad eius realem entitatem; cùm secundùm quòd superiùs * aliqualiter est ostensum, tota realitas temporis sit motus; nec aliqua species, vel indiuiduum motus aliquid habeant vltra illud, propter quod magis habent rationem successionis, & prioris, & posterioris in se: ideò tota realitas temporis ita inuenitur in vno motu, sicut in alio; & quot sunt motus, tot etiam tempora realiter. Quod patet, tum attendendo ad eius definitionem; secundò ad eius cum motu adhæsionem; tertiò ad motus circularis circumspectionem; quartò ad motus breuioris durationis extensionem. *num. 12.*

Primum patet ex motus definitione sic: quia, vt patet ex 7. *Metaphysic.text.com.*17.*&* 18. passio debet recipere subiectum in sua definitione 8. *Physic.text. com.* 11. tempus autem est passio motus vniuersaliter, & secundùm naturalem considerationem definitur per motum; & ideò recipit subiectum sic absque contractione in sui definitione. Certum est autem, quòd cùm motus per se, & essentialiter sit quantus per se, & essentialiter, debetur sibi mensura, quæ est tempus: & item quilibet motus æqualiter respicit tempus, vt subiectum; quia nullus motus respicit ipsum, nisi vt mensuratum: ergo sicut quilibet motus à tempore mensuratur, sic quilibet est subiectum eius: comparationem enim habet in ratione entis, & sic in ratione entis plurificatur secundùm plurificationem motuum. *Probatur 1.*

Secundum sic patet, comparando tempus ad motuum adhæsionem: tempus enim etsi sit accidens, adhæret tamen motui, non tãquam aliquid accidẽtale, sed aliquid essentiale; quod patet, quia nec re, nec intellectu motus potest separari à tẽpore; nec è contrario: accidens tamen commune, saltem intellectu, est separabile. Non est autem tempus essentiale motui tanquam forma prædicabilis, vt superius de inferiori, nec tanquam pars integralis; nec tanquam principium, vel terminus; quia nec habet aliquam essentiam, nec causatur à motu: sed quidquid tempus est, in relatione ad motum est: non enim est aliud tempus quàm duratio motus mensurans eius essentiam, & successiuam permanentiam, & hæc eius duratio tempus est. Cùm ergo quilibet motus habeat propriam eius durationem ab alia distinctam, sequitur, quòd sicut durationes motuum realiter sunt distinctæ, sic tempora realiter inter se sint distincta. 17. *Probatur 2. Qualiter cõparatur tempus ad motum.*

Tertiò, attendendo ad motus circularis circumscriptionem. Circumscribamus cœli motum; sicut ponimus, quòd ille motus non erit post iudicium; certum est quòd adhuc potest esse motus, vel saltem intelligi potest: quod non esset verum si tempus à motu circulari cœli vt à subiecto dependeret. Cùm ergo quocunque motu dato, necessariò sit tempus, quia inseparabilia sunt re *Probatur 3. An ablato motu cœli adhuc esset tempus.*

re & intellectu; patet quòd tempus æqualiter dependet ab omni motu: ergo quot sunt motus, tot sunt realiter tempora.

18. *Probatur 4.* Quartò, considerando ad breuioris durationis motuum extensionem; nullus enim motus mensuratus à tempore primi mobilis potest esse velocior motu primi mobilis; ille enim ideò est simplicior, & omnium motuum prior, quia est inter omnes velocior: & ideò est mensura omnium motuum aliorum. Sed certum est, quòd aliquis motus potest esse velocior motu primi mobilis, illo existente & durante: potest enim aliquis Angelus, vel aliquis beatus resumpto corpore (ne fortè fiat instantia de Angelo, quòd non mouetur in tempore) citiùs pertransire totum spatium cœli, quàm aliqua pars cœli per motum primi mobilis pertranseat; ergo impossibile est, quòd ille motus velocior motu cœli mensuretur tempore, quo mensuratur motus cœli: & si ille motus habet proprium tempus, sic quilibet habebit proprium tempus.

Si verò loquamur de tempore quantum ad mensurandi proprietatem, sic de ipso possumus loqui dupliciter: aut per relationem ad motum simpliciter, aut per comparationem ad intellectum. Si per comparationem ad motum simpliciter, sic sunt plura tempora in ratione mensuræ, sicut plures motus, sicut patet ex prædictis: quia omne tempus, vt est mensura, consistit in commensuratione motus: vnde definitur, quòd *est mensura motus*, & *motus* ponitur vt mensuratum: & ideò quot sunt subiecta, tot sunt mensurata, & quot sunt mensurata, tot sunt mensuræ: omne enim tempus est mensura motus.

19. *Tempus respectiuè ad intellectum est vnum.* Si verò loquamur de motu per relationem ad intellectum, sic est vnum solum tempus: nam intellectus ponit in quolibet genere mensuram illorum, quæ sunt in illo genere, illud quod est primum simplicissimum, & notissimum in illo genere. Et ideò quia motus circularis cœli diurnus per se, & partes suas, secundùm imaginationem significatas, est prior simpliciter, & notissimus; ideò ponit intellectus ipsam mensuram omnium motuum: & quia tempus essentialiter sequitur motum, ideò tempus, quod est idem re cum motu circulari cœli, est in genere temporum primum, simplicissimum, & notissimum: & ideò intellectus ponit id esse mensuram aliorum motuum, & aliorum temporum: vnde vnitas temporis est in ratione mensuræ motus in comparatione ad intellectum.

Variationes anni sunt partes vnius temporis. Si verò loquamur de tempore, quantum ad variationem partium sensibilium, sic manifestum est, quòd istæ partes sunt partes vnius temporis, quod est in motu primi mobilis solùm vt in subiecto; quia æstas, hyems, ver, & autumnus, dies, nox, non sunt partes, nisi illius temporis; nec est in istis variatio, nisi secundùm varium situm corporum cœlestium: & ideò quantum ad istorum corporum variationem, non est nisi vnum tempus, cuius istæ partes sensibiles sunt partes.

20. Non aliter igitur potest dici, quòd tempus secundùm rem & in ratione entis, sit aliud, quàm ipsa continuatio, vel duratio, vel successio motus. Vt autem habet perfectam rationem temporis, accidit, vel addit supra motum rationem mensuræ; vt scilicet mensurat motum secundùm prius, & posterius; longius & tardius. Quam quidem apprehensionem prioris, & posterioris facit intellectus in motu continuo; vt in præcedentibus quæstionibus est ostensum*: ideò tempus propriè appellatur mensura illius solius motus, per cuius mensuram, siue quantitatem, intellectus discernit & diiudicat certiùs quantitatem aliorum motuum. Nam illi durationi maximè competit ratio mensuræ, quæ maximè est certa & nota; & ratio cognoscendi certitudinem quantitatis aliorum: & hæc est duratio motus cœli. * q. 18. & 19.

SCHOLIVM.

Quod hîc habet Doctor de tempore respectu motus primi orbis, quòd scilicet habeat rationem perfectæ mensuræ respectu illius, & sit in eo tanquam accidens in subiecto; in aliis verò motibus non sit tanquam in subiecto, sed se habeat respectu illorum tanquam mensura extrinseca, docet etiam lib. 5. Metaph. quæst. 10. num. 3. & lib. 7. quæst. 2. num. 8. in 2. dist. 2. quæst. 3. num. 4. & 5. & quæst. 11. num. 5. & in 4. dist. 48. num. 12. Vide de his Suarem 2. Metaph. disp. 50. sect. 10. num. 11. & sect. 11. per totam.

Ideò cùm tempus sit mensura motus, & ratio mensuræ perfectæ inueniatur in duratione illius solius motus, dico quòd tempus secundùm suam perfectam rationem est in illo solo motu, sicut in subiecto, & sicut eius mensura; in aliis autem motibus non sicut in subiecto, sed eos respicit vt mensura extrinseca. 21.

Sed quia, vt dixi in quæstione de mensuris*, quamuis in quolibet genere ratio mensuræ inueniatur principaliter in aliquo primo, quod est primum, & perfectissimum, & notissimum in toto illo genere, vt vncia in ponderibus; nihilominùs secundùm quòd natura illius reperitur in rebus illius generis secundùm magis, & minùs, secundùm hoc ratio mensuræ secundùm magis & minùs inuenitur in illis; sicut fuit dictum* in genere Metaphysico, & Logicali, vel Prædicamentali. Ideò si aliquando per durationem vnius motus mensuramus motum alterius, quicunque sit ille, tunc dico quòd in illo, quo mensuramus alium motum, est tempus istud quoddam, & particulare aliud à tempore, quod est mensura motus cœli, vt in subiecto. Sicut dum nec sensus, nec intellectus, vt patet in cæcis, vel de nocte dirigunt aspectum ad motum cœli, sed ad alium, & per illum mensuramus alios motus; vt de nocte per motum horologij mensuramus alios motus; immò per illum mensuramus durationem, & transitum noctis: & per consequens per illum mensuramus motum cœli; & cæcus per aliquam actionem, scilicet notam, mensurat aliam: vt si dicat: Nimis tardasti venire de tali loco, quia illo tempore dicta est longa Missa, quam audiui. Et sic quamuis tempus in ratione mensuræ primò, & principaliter, & perfectè sit in motu primi mobilis; nihilominùs tempus etiam in ratione mensuræ est in diuersis aliis motibus, vt in subiecto; in illis scilicet, quorum quantitas est nobis magis nota; & à quibus intellectus format sibi rationes mensuræ respectu aliorum motuum, secundùm priùs, & posteriùs, velociùs, & tardiùs, longiùs & breuiùs: quamuis hoc tempus sit aliud numero à tempore illo primo & perfecto, quod est in motu primi mobilis. * quæst. 19. n. 2. & seqq. * Ibid. n. 5. & seqq.

Et isto modo possunt concordare omnes opiniones. Nam cùm dicit Aristoteles, *text. com.* 101. quòd tempus est numerus motus; numerus autem idem est diuersorum numeratorum; planum 22.

num est, quòd accipit *numerum* in comparatione ad intellectum, scilicet Mathematicum. Et sic etiam dicimus tempus vnum, secundùm quòd intellectus in aliquo primo motu format sibi perfectè, & simpliciter rationem mensuræ, siue temporis: sed sicut non est idem numerus decem hominum, & decem canum, vt dicit Aristoteles in fine 4. *Physicor. text. com.* 134. sic tempus in ratione entis, & in ratione mensuræ, vt comparatur ad motum, diuersum est secundùm diuersitatem motuum.

Hoc etiam patet, quia indicat, quòd si essent plures cœli, adhuc esset vnum tempus ratione mensuræ; sed plura in ratione entis.

Hoc etiam patet, quia Aristoteles 4. *Physic. tex. com.* 133. in fine cap. de Tempore, dicit, quòd sicut motus circularis est mensura aliorum motuum; sic tempus, quod est eius mensura, est etiam aliorum omnium temporum. Non autem diceret tempus esse mẽsuram omnium temporum, si non esset nisi vnum tempus. Cùm enim dicitur quòd illud tempus est mensura omnium temporum; hoc non potest intelligi, quòd totum tempus sit mensura omnium temporum, id est, omnium partium temporis; quia mensura est id, quod est notissimum, pars autem notior est toto: mensura est id, cuius quantitas est magis nota, magis autem nota est quantitas partis, quàm totius: ergo totum non est mensura partium: sed è contrario. Nec potest intelligi propriè illud verbum, quòd *tempus sit mensura omnium temporum*; quia pars est mensura totius; mensura enim à mensurato distinguitur, quia est vnigenea; pars autem idem est toti. Nec potest intelligi illud verbum, quòd pars sit mensura partis, vt vna reuolutio alterius reuolutionis, quia quælibet est æqualiter nota, mensura autem est magis nota.

23. *Vide obiectiones num.* 3. Per hoc patet solutio ad alia, quæ obiici possunt: quia secundùm hoc verum est, quòd cessante motu primi mobilis, adhuc moueretur rota figuli, & mensuraretur tempore: quia apprehendimus durationem longam, vel breuem, comparando ipsam ad durationem alicuius motus alterius magis nobis noti, & magis certi. Et sic quamuis duratio motus cœli, quia inter omnes est omnibus hominibus communiter magis nota, magis simplex, & magis distinguibilis per partes ab imaginatione signatas; ideò tempus, quod est in illo motu, est communiter mensura, & certior ad mensurandum durationem aliorum motuum. Nihilominùs si ille motus non apprehendatur, vt
*num. 21. suprà * dixi, vel si mens non referat durationem ad illum, sed ad alium motum, vt suprà est exemplificatum; semper tamen accipiam rationem temporis ab illo motu, per cuius durationem mens iudicat durationem alterius.

Per hoc etiam patet responsio ad aliam instantiam, si essent duo mobilia æquè prima, quia tunc etiam essent multa tempora secundùm rem; & in ratione mensuræ comparatæ ad intellectum, vel cogitationem nostram, essent etiam duo: secundùm quòd aliquando dirigendo aspectum ad vnum, aliquando ad alium mensuramus durationem aliorum motuum. Et si solùm per vnum mensuramus, solùm esset vnum tempus, sicut mensura quantum ad intellectum.

24. Nec oportet ponere propter hoc, quòd licèt motus cœli sit mensura aliorum, & finis motus aliorum motuum, quòd propter hoc ille motus sit causa aliorum (sicut enim mensura oportet quòd habeat rationem causæ, etiam singularis respectu mensurati; hoc enim accidit sibi & est extra rationem mensuræ; quamuis istud sit de ratione mensuræ primæ, quia est simpliciter mensura, qualis est Deus) sed est causa mensurati in genere causæ formalis: quia actualitas, & vnitas naturæ illius generis, in quo sunt mensura, & mensuratum, perfectiùs, & actualiùs saluatur in mensura, quàm in mensurato. Ideò quia natura lucis, quæ est constitutiua colorum, magis saluatur in albedine, quàm in aliis coloribus, ideò est mensura omnium colorum. Etiam Deus habet rationem mensuræ, respectu omnium entium magis, quia est forma exemplaris omnium, quàm quia est causa efficiens. Ideò motus cœli est mensura aliorum, quia ratio motus perfectiùs saluatur in motu locali, quàm in aliis: & in illo magis, quàm in alio motu locali. *Deficit.*

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm sit dare tempus discretum?

August. *lib.* 8. *in Genes. ad lit. cap* 20. Alen. 2. *par. quæst.* 35. *mem.* 3. Thom. 1. *p. quæst.* 10. *art.* 5. *ad primum, & q.* 56. *art.* 3. S. Bonau *in* 1, *dist.* 37. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. Richard. *art.* 3. *quæst.* 3. Ægid. *eadem dist.* 2 *par. quæst.* 3. Henric. *Quodl.* 5. *quæst.* 18. *& Quodl.* 12. *quæst.* 8. Varro *in* 2. *dist.* 2 *quæst.* 4. Gabr. *quæst.* 3. *art.* 3. Capreol. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 4. Ferrar. 3. *contra gentes. c.* 102. Vasquez 1. *p. dist.* 197. Suar. *in Metaph. disp.* 50. *sect.* 7. *n*, 8. Conimbr. *in* 4. *Physic. c.* 14. *q.* 3 *art.* 2. Vide Doct. *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 4 *&* 11.

RESPONDEO. Cùm discretum ex vnitatibus indiuisibilibus componatur, priùs est hîc videndum, quòd indiuisibile non potest componere, nec pars potest esse alicuius continui. Posteriùs videndum est, quomodo tempus se habet ad rationem continui, & discreti, 1.

ARTICVLVS I.

Indiuisibile non posse componere continuum, nec pars esse continui.

Circa primum est sciendum, quòd sicut probatur 6. *Physic. cap.* 1. *text. comm.* 1. *& deinceps*, impossibile est continuum componi ex indiuisibilibus: vt tempus ex instantibus, aut lineam ex punctis: quod quidem duplici via ostendi potest. *Continuum non componitur ex indiuisibilibus.* Primò ostendendo, quòd nullum indiuisibile, vtpote instans, vel punctus, aliquid reale addit ad id, cuius est terminus. Vnde tempus cum suo instanti præcedenti, & antecedenti, non est maioris durationis, quàm ipsum tempus, si solùm per se imaginetur absque illis instantibus: & ideò vnum tempus additum alteri tempori, vt dies diei; nullo modo plus facit cum suis instantibus illi additum, quàm si imaginaretur addi absque suis instantibus. *Indiuisibile an addat aliquid reale.* Hoc videtur posse probari, quia si punctum dicit rem aliquam situaliter extra substantiam lineæ; sicut si imaginetur clauus fixus in capite virgæ: ergo punctum est vnitum partibus; sic quòd partes sunt vnum extremum huius vnionis, & punctus aliud extremum: ergo inter ipsos cadit vnio media; sed illa vnio plus accipit situaliter, quàm vnum punctum: ergo inter punctum, & partes lineæ est alius punctus: & illa vnio punctualis intermedia pari etiam ratione erit situaliter extra partes, & sic inter ipsam, & partes lineæ cadit aliud punctum: & sic in infinitum.

Item,

2. Item, amoto illo puncto, re, vel intellectu, à linea, quæro vtrùm linea sit finita, vel infinita? Non infinita, quia priùs existente puncto in ea erat finita; amotio autem alicuius positiui puncti non facit de finito infinitum; & dico infinitum positiuè: si est finita, ergo terminata: terminatio autem non est lineæ nisi in puncto: ergo si punctum dicit aliquid positiuum extra partes lineæ, amoto puncto remanet punctum: quod est contradictio.

Item, si punctus addit aliquid ad lineam existens situaliter, vel ordinaliter extra partes lineæ: ergo dum mobile mouetur super talem lineam, pertransita linea tota nondum quiescit, quia nondum punctum pertransiuit: ergo motus fiet in puncto, si terminatus non fuit supra totam lineam.

Item, accipiamus lineam continuam quatuor pedum, tunc diuidamus eam in quatuor partes, & partes diuisas contignando vniamus, tunc si punctum dicit aliquid situatum extra partes, plus occupabit linea diuisa, quàm faceret dum erat continua tantùm; quia tunc erunt illa quatuor puncta, situm (vt dicis) extra partes lineæ habentia: ergo si propter puncta, quæ sunt in linea diuisa, & non erant in linea continua, plus occupat diuisa, quàm continua; cùm posset diuidi in partes infinitas, & sic habere infinita puncta; sequitur quòd linea diuisa plus protenditur in infinitum, quàm ipsa eadem dum erat continua.

Item, corrumpatur albedo in tempore aliquo signato, quæro de vltimo instanti illius temporis, quod mensurat; & dices secundùm Aristotelem 8. *Physicor. text. com.* 69. quòd *non esse* albedinis; quia toto præcedenti tempore habuit *esse*, in vltimo instanti habet primò *non esse*, & contrarium generatum, habet primò esse: ergo cùm totus motus corruptionis mensuretur per illud tempus, si re, vel intellectu illud instans amoueatur, adhuc habebit esse illa albedo: & sic cùm totus motus corruptionis in toto fiat tempore completo toto motu corruptionis, adhuc albedo habebit *esse*: quod est contradictio. Quia sicut per partem motus corrumpitur pars, sic per totum motum tota est corrupta: hoc autem sequitur, quia ponis, quòd instans mensurans *non esse* albedinis sit aliquid reale extrinsecum existens extra partes temporis.

3. Item, secundùm hoc plus occupant de loco quatuor elementa, quia sunt contigua, & habent terminationes, quàm si essent vt vnum corpus continuum: & tunc tardior esset motus etiam in maiori tempore à cœlo vsque ad terram, quàm si essent vnum corpus continuum.

Item, omne additum alteri, re, vel intellectu potest amoueri: ergo Deus potest amouere à tempore instans inchoationis, vel à linea punctum: & tunc tempus esset æternum, & linea infinita, quia carent principio: & etiam fine, quia posset etiam à parte post punctum amoueri, quod est impossibile.

Item, si punctum non est intrinsecè initiatio lineæ, nec instans temporis, quæro vtrùm in linea, vel in tempore sit initium intrinsecum; si non, ergo de se sunt infinita: si sic, ergo cùm minimum lineæ sit punctum, & temporis instans; post punctum immediatè sequitur punctum, & post instans aliud instans, & sic sunt se inuicem contingentia.

Item, cùm fit signatio lineæ, tunc necessariò signantur duo puncta, quia vna linea necessariò duos habet terminos, siue puncta. Quæro vnde procedant ista duo puncta, de quibus dicis, quòd dicunt aliquid positiuum extra partes lineæ; non ex mera signatione quia vna est, & indiuisibilis. Non quòd aliquid existens vnum actu, & duo potentiâ, fiat duo in actu, quia punctum, cùm sit indiuisibile, nec actu, nec potentia est duo: ergo cùm constet, quòd vna signatio, vel realis, vel intellectualis, faciat duo puncta, hoc non est ob aliud, nisi quia duarum linearum necessariò sunt duo extrema: & sic illa extrema necessariò sunt intrinseca & re, & intellectu ab ea inseparabilia.

Item, quæro, quid addit continuatio lineæ ad lineam ipsam? Patet quòd nihil reale; quia illa continuatio quantitas est, non alia quàm linea: ergo diuisio nihil addit ad lineam vt est diuisa: diuisio autem est in puncto. 4.

Item, dies diuiditur in vigintiquatuor horas, quæro, vtrùm durent plus vigintiquatuor horæ, quæ accipiuntur, & per imaginationem diuiduntur in se, quàm duret dies, qui accipitur, vt vnum continuum: si non plus durent, sed æqualiter, ergo instantia, quæ accipiuntur in horis & non in die, nihil addunt: si plus durant, ergo partes simul sumptæ sunt maiores toto, & idem motus numero, longior seipso.

Item, accipiantur aliqui motus contigui, qui commensurent se partibus alicuius motus continui; vt quòd ille ibit à manè vsque ad tertiam, iste autem vsque ad sextam: & sic de aliis partibus diei, vel motus diurni: tunc tempus quod mensurat istos motus, vt sunt distincti, est maius tempus illo, quod mensurat motum diurnum, quia instantia, quæ sunt in illis motibus distinctis (vt tu dicis) aliquid addunt: sed planum est, quòd omnes isti motus fiunt infra tempus vnius diei; ergo tempus vnius diei est minus tempore vnius diei; & sic maius se ipso: non ergo punctum, vel instans, nec vt est principium, nec vt est finis, ponit aliquid reale positiuum extra realitatem partium temporis, vel lineæ.

SCHOLIVM.

Postquam largè docuit Scotus indiuisibile nihil reale positiuum addere extra partes continui, neque situ, aut subiecto distingui; Sicut, *inquit*, si imaginaretur clauus fixus in capite virgæ; *nunc descendit ad opinionem aliorum dicentium punctum, instans, & alia quæcunque indiuisibilia dicere solùm priuationem, quam licèt non impugnet, facit tamen in 2. distinct. 2. quæst. 9. num. 27. & 28. sed prætermisit ibi responsionem ad argumenta contraria, vti notauit Faber theorem. 37. in fine: quibus ipse respondet præmisso notabili, in quo dicit indiuisibile non esse quid subiecto diuisum, aut seiunctum à continuo, sed esse duntaxat terminum eius, & proinde quid positiuum, non realiter, sed formaliter à continuo, seu diuisibili distinctum. Addit tamen illud connotare carentiam, seu priuationem continuitatis & diuisibilitatis, & per hæc conciliari posse aduersas sententias, vel facilè responderi posse contrariis rationibus. In sequenti quæst. huius operis num. 10. 11. & 12. Problematicus est Scotus, & secundùm diuersas acceptiones dicit instans temporis importare vtrumque, & positiuum & priuationem.*

5. *Instans, & punctum dicunt priuationem.* Et idem dico de linea respectu superficiei, & superficie respectu corporis: sed solùm dicũt *, secundùm aliquos, priuationem, vt punctum dicit priuationem vlterioris, vel anterioris extensionis in linea: priuatio enim dicit negationem in subiecto; ideò punctum non est sine linea, nec instans sine tempore, sicut nec cæcitas sine oculo.

* Ita antiqui Nominales. quos sequitur Occam, tractat. de Eucharist. & quodl. 8 q 9.

Punctum in actu, & punctum in potentia. Si dicatur quòd punctum, vel instans continuant, & sic est causa vnitatis, quod non potest conuenire priuationi: Respondeo, quòd punctum in potentia continuat, quia non est aliud punctum in potentia, quàm ipsa continuatio, in qua potest signari actu punctum: nec est aliud punctum in actu, quàm priuatio continuationis: & quia priuatio in potentia est idem, quod habere habitum actu, ideò sicut habitus actu existens, aliquid dicit positiuè, & est causa alicuius *esse*, ideò punctum in potentia, quia est idem quod continuatio, est causa vnitatis continuæ. Sed quia punctum actu non est aliud quàm priuatio continuitatis in linea, ideò punctum in actu non est causa vnitatis. Idem dico de instanti.

6. Est ergo aduertendum, quòd sicut vltimum instans temporis, vel durationis rei nihil addit, quasi positiuum, & extrinsecum ad partes temporis, cuius est terminus, sic instans, quod est initium temporis, in quo res aliqua primò existit: vt dum corpus Christi existit in instanti sub specie panis; illud, inquam, instans nihil addit ad tempus, cuius est initium, nec ad durationem rei. Ita, quòd non debeat imaginari, quòd res incipiat esse in instanti, & tota duratio sua sit in tempore sequenti, quasi instans sit aliud per se à tempore, mensurans primum *esse*, & tempus sequens mensurat durationem. Sed quod *esse*, quod in instanti causatur, ponit infrà ipsum tempus; & quidquid est reale in tempore sit sui *esse*, & suæ durationis mensura. Sicut enim aliàs videbitur, quamuis tempus, vt habet rationem continui, sit in infinitum diuisibile, nec sit dare in eo minimum realiter; tamen in eo est minimum, quia, secundùm supradicta, idem sunt re forma naturalis per motum introducta, & motus, & tempus: ideò sicut est dare minimam albedinem secundùm naturam, sic & minimum tempus, & primum tempus.

7. *An instans sit aliquid positiuum separatum à tempore. Quidam negant.* Quòd autem instans creationis rerum, quæ in instanti fiunt, non sit aliquid quasi à tempore separatum, siue aliquid positiuum extra ipsum, & non de natura temporis, patet per rationes iam dictas. Hoc euidenter patet, quòd si illud instans, quod est temporis initium, dicat aliquid realiter & positiuum extra partes lineæ; ergo cùm linea, & tempus in sua realitate sint finita, habebunt post illud primum instans, & post primum punctum suum reale initium, initium autem temporis non est nisi instans, & lineæ punctum: ergo punctum sequitur immediatè punctum in linea, & instans sequitur instans immediatè in tempore: & ita erunt contigua.

Et vlteriùs: quâ ratione secundum instans, & secundum punctum ponit initium reale, & pars temporis, vel lineæ, eadem ratione & primum. Secundùm hoc posset Deus creare omne tempus sine instanti, & lineam sine puncto: si illa non sunt de substantia temporis, & lineæ, & superficiem angularem sine linea.

Alij asserunt. Sed quòd punctum dicat aliquid positiuè, aliud à partibus lineæ continuæ; & eadem ratione instans, quod ponitur finis, & principium temporis, videntur aliqui probare sic: Si instans non dicit aliquid extra tempus, sequitur quòd facere rem in instanti temporis, est eam facere in tempore, & sic quod fit in instanti, fit successiuè. *Probant primò.*

Respondeo, & dico, quòd res, quæ fit siue à Deo, siue ab alio agente, quando est talis, quòd de se dicit successionem, vt motus; & quòd talis fiat in tempore, & non in instanti, nullum est inconueniens: si sit res permanens, quæ fiat in instanti æui, illa fit in æuo: quia, secundùm communem opinionem, non differt quantum ad rem, instans æui ab æuo. Si fiat in instanti temporis, tunc illa res aut consideratur, vt est manens in suo *esse*, siue sit *esse* rei substantiale, siue sit *esse* alicuius actualitatis manentis, vt albedinis; & de istis dixi suprà *, quòd vt sunt manentia potiùs mensurantur æuo, quàm tempore. Et similiter si fiant simul, siue in instanti, potiùs fiunt in instanti æui, quàm temporis, & tunc non sequitur inconueniens: quia idem est facere rem in instanti æui, & in æuo; quamuis instans æui, & æuum differant ratione, vt iam videbitur. 8. *Respondetur.*

* quæst. 19. num. 22.

De re igitur quæ per se mensuratur tempore, qualis est motus, non habeo pro inconueniente, quòd idem sit ipsam facere in instanti, quod est aliquid temporis, & in tempore, siue in minimo tempore.

Quòd autem id sit verum, patet: vult enim Commentator *6. Physicor. comm.* 32. quòd agens naturale etsi dispositionem contrariam formæ introducendæ, successiuè abiiciat, partem tamen formæ introducendæ determinatam simul, & in instanti introducit: & illud, in quo illam partem inducit, vocat motum minimum, & instans, & tamen est pars temporis totius introductionis. Vnde ait sic: *Primum autem in generatione, & corruptione est minima pars, quæ potest inueniri de generato, minimum enim de omni generato est terminatæ quantitatis.* Verbi gratiâ, quòd minima pars ignis est terminata, scilicet, minima pars, quæ potest esse ignis. Vtrumque dicit supra 8. *Physicor. comm.* 23. forma est terminata magnitudine, & paruitate in vnaquaque rerum naturalium. Hoc enim modo sicut in cauatione lapidis, & tractu nauis, sit aliquid simul in virtute plurium, quod licèt in se sit diuisibile, totum tamen sit simul, vt alicuius determinatæ partis expulsio de lapide sit simul, & non pars eius, expellitur à parte guttarum cauantium in parte temporis; sed tota illa pars simul & in instanti expellitur. Et hoc est, quòd dicit Aristoteles de cauatione lapidis 8. *Physicorum, text. comm.* 23. *Non enim si tantum effodit,* &c. Et idem dico de alteratione, & augmentatione; quòd scilicet illud, in quo fit prima alteratio, & augmentatio fit subitò, & in instanti, secundùm aliquam portionem determinatam. 9.

Et hoc idem vult similiter Aristoteles ibidem. *Similiter autem est de alteratione qualibet,* &c. Vbi dicit Commentator; *Si prima pars, quæ fit ex transmutatione, non esset determinata, & agens transmutans ipsum non esset determinatæ virtutis, tunc omnia sicut illi fingunt, essent in continua transmutatione: sed prima pars in actu motuum, qui fiunt, siue fuerit transmutatio in loco, aut in qualitate, aut in quantitate, fit subitò, id est, in instanti, & non in tempore: & si non, tunc ante transmutationem esset transmutatio, & non inueniretur transmutatio noua omnino.* Ecce apertè & secundùm Aristotelem, & secundùm

Com

Commentatorem, quòd est dare primam, & mimimam, & nouam partem motus & temporis; inquantum ista sunt accidentia naturalia: sicut in ipsis qualitatibus per motum acquisitis, vel introductis est dare minimum naturale, vt habetur 1.*Physicor.text.com.*38.*& deinceps.*

10. *Obiectio.* Si ergo obiicias, vt suprà, quòd si instans nihil dicit absolutum ex parte temporis; ergo idem est facere rem in instanti, & in tempore: & sic idem est facere rem simul & facere successiuè.

Solutio. Potest dici, quod suprà dicebatur, quòd *esse*, quod fit simul & in instanti; sicut inquantum est manens, mensuratur æuo, non tempore: sic eius factio mensuratur ab instanti æui, non temporis; & ita non contradicit, quòd eadem res, quæ fit in instanti, fiat in tempore; vel quæ fit simul, fiat successiuè, quia illud instans non est instans temporis, vt supponis: quia accipiendo instans secundùm modum superiùs dictum, vt scilicet inquantum dicit principium, vel finem temporis, non dicit aliquid positiuum, sed solùm priuationem anterioris, vel vlterioris durationis. Isto modo nihil fit in instanti, nec motus, nec res aliqua permanens. Si autem instans accipiatur, vt dicit primam & minimam partem temporis, inquantum est accidens naturale, isto modo quod fit in instanti, fit in tempore. Nec tamen sequitur vlteriùs, quod fit in instanti, fit simul; quod fit in tempore, fit successiuè; ergo idem fit simul & successiuè: quia accipiendo *tempus* pro minima parte temporis, quod fit in tali tempore, non fit successiuè; vt patet per Aristotelem, & Commentatorem.

Patet ergo prima conclusio, quòd instans quocunque modo accipiatur, non est aliquid positiuè aliud à tempore: quia accipitur pro priuatione anterioris, vel vlterioris continuationis: & sic non dicit positiuum; vel accipitur pro minima parte temporis, & sic non dicit aliud à tempore. Ex talibus autem instantibus, id est, ex minimis temporibus; quia verè illud etsi sit minimum secundùm naturam, est tamen diuisibile vnde componitur continuum; sicut tota forma introducta componitur ex talibus partibus, id est, minimis secundùm naturam.

11. *Obiectio.* Adhuc obiicitur contra prædicta, ostendendo quòd punctum dicat aliquid positiuè extra partes lineæ, quia si punctum nihil positiuè dicat, tunc puncta linearum se contingentia non sunt simul. Sequitur etiam quòd sphæra non tangat aliam sphæram in puncto solo; ex quo punctum nihil dicit, nisi partem rei, & nihil extra partem.

Solutio. Vide Scotũ in 2.d.2.q.9. n.36. Ad quod potest dici, primò ad primum, quòd puncta duarum linearum se contingentium, vel lineæ duarum superficierum, vel superficies duorum corporum, non debent intelligi esse simul, quasi duo puncta illarum duarum linearum sint inter se: sicut corpus glorificatum est simul cum non glorificato, quia intra ipsum. Nam, vt dixi, punctum sic acceptum, non est nisi priuatio; sed pro tanto illa puncta linearum se contingentium dicuntur simul, quia nullum medium ponitur in medio. Non enim extrema duarum linearum se contingentium se habent ad inuicem; sicut se habent extrema duorum corporum simul existentium, vt corporis glorificati existentis cum glorificato; sed se habent sicut extrema duorum corporum se tangentium, quorum extrema sunt extra se, & collateraliter se respiciunt; sicut corpora, quorum sunt extrema. Et secundùm hoc (vt simul pateat solutio secundæ obiectionis) non est aliud dicere sphæram tangere sphæram in puncto, quàm dicere, quòd vna alteri immediatè adhæret; ita scilicet, quòd nulla pars illius sphæræ est intra partem alterius; nec aliud medium cadit intra partes earum. Patet ergo ex prædictis, quòd punctum, vel instans, vt dicunt rationem minimi, non dicant aliquid aliud à partibus rei, cuius sunt. *Quomodo sphæra tangit in puncto.*

12. *Obiectio. An possit dari instans post instans.* Adhuc obiiciunt sic aliqui, quòd cùm instans dicat aliquid positiuum, aliud à partibus temporis, & minimum, instans possit consequenter se habere ad aliud. Ponamus duos panes simul creari, & dum simul durant aliquo tempore, Deus conuertit vnum illorum in instanti in corpus Christi, alter verò remanet, & durat in suo *esse*: tunc planum est quòd duratio panis, qui in suo *esse* permanet, excedit durationem panis, qui conuertitur in solo instanti: ergo videtur quòd vnum tempus excedat alterum in solo instanti. Excessus autem non est nisi in aliquo positiuo. Et vltra hoc sequitur, vt videtur, quòd possit dari instans post instans: quia terminus desitionis panis videtur immediatè præcedere terminum, siue primum *esse* corporis Christi.

Solutio. Respondeo, quòd panis, qui remanet ratione instantis, in quo alius panis conuertitur in corpus Christi, & in illo non est panis, ratione, dico, illius instantis, non plus durat panis, qui non est conuersus.

Obiectio 5. Vnde si arguas sic; vnus panis illorum duorum, qui sunt simul creati, in instanti, est conuersus in corpus Christi, & ita in instanti alius non est panis, alter panis, qui simul fuit creatus secum, in illo instanti, alius est panis.

13. *Respondetur.* Respondeo, quòd, sicut dixi, instans vt est principium, vel finis temporis, non dicit nisi priuationem anterioris, vel vlterioris durationis: & ideò tale instans nullius rei est mensura. Nec potest dici, quòd in tali instanti panis sit conuersus in corpus Christi, siue quòd in illo primo habeat *esse* corpus Christi: sed dico quòd cùm Deus in instanti faciat *esse* alicuius rei, vel de nihilo creando, vel aliud in illud conuertendo, illa res necessariò dicit quid permanens, quia motus in instanti non fit. Omnis autem res permanens, inquantum talis, æuo mensuratur, sicut suprà * dixi etiam de *esse* substantiali rerum corporalium, & de albedine, & de aliis accidentibus permanentibus. * quæst.19. n.24.& seqq.

Instans æui, instans temporis. Et similiter instans, quo ista talia fiunt, est instans æui, non instans, quod est terminus temporis, cùm id sit priuatio: & ideò panis ille, qui in suo *esse* remanet in illo instanti, non debet dici plus durare vno instanti ratione illius instantis, quia non est de genere suæ durationis, quia non est instans æui, sed temporis. Propter quod cum tempore illius panis durantis non facit plus; sicut nec dies cum linea dicitur longior, quia sunt diuersæ durationes diuersi generis.

14. Quod etiam dicitur, quòd videtur sequi instans post instans; quia instans, quo primò est panis, videtur immediatè sequi illud instans, quo panis intrinsecè desinit esse; dico, quòd non concludit. Et dato, quòd instans, quo primò est corpus Christi, esset instans temporis, & aliquid positiuum; adhuc non est imaginabile, quòd vno instanti desinat esse panis, & alio instanti sit primò corpus Christi. Sed secundùm Aristotelem 8.*Physic. text.comm.*69.*& deinceps.* Totum tempus mensurat

esse panis, & instans vltimum illius temporis mensurat *non esse* primum panis, & primum *esse* corporis Christi. Ita quòd idem est instans, quo panis ille conuertitur; & primò est non panis, & primò est corpus Christi: nec est dare instans, in quo vltimò habeat *esse* panis, sicut arguens imaginatur. Secundùm autem veritatem instans intrinsecum, quo primò panis habet *non esse*, non est aliquid positiuum; sed idem est dicere, quòd in instanti intrinseco primò habet *non esse*; quàm dicere non habet ampliùs *esse*. Instans autem, quo id, in quo conuertitur, habet primò *esse*, aut est instans æui, in quo fiunt res permanentes, quæ in instanti fiunt; sicut earum *esse* æuo mensuratur: & sic non sunt duo instantia positiua consequenter se habentia. Aut est instans, quod non est aliud, quàm prima pars temporis, quæ est minima; & est quid naturale: & tunc adhuc non sequitur duo instantia indiuisibilia esse contigua, vel consequenter se habentia. Nunquam enim initium temporis, vel finis, debet imaginari in aliquo instanti reali positiuo indiuisibili, quod sit aliud à partibus temporis; sed *esse* quod est reale principium, vel finis temporis, est pars temporis: quæ pro tanto est indiuisibilis, pro quanto tempus est quid naturale; & in omni naturali est dare minimum, quod est finis; & minimum, quod est principium, & nihilominùs pars rei. Vt autem instans dicit principium, vel finem temporis indiuisibilem, non est aliud, quàm priuatio anterioris, vel vlterioris durationis.

15. *Obiectio.* Si adhuc obiiciatur, quòd instans dicat aliquid positiuum, & possit consequenter se habere ad aliud instans: quia si ponamus duos panes simul creari, & simul aliquo tempore durare; alter autem in instanti conuertitur in corpus Christi, & desinit esse panis, ponamus quòd in illo instanti, in quo ille panis conuertitur in corpus Christi, alius panis secum concreatus annihiletur: tunc oportet dicere, quòd duratio panis annihilati habuit aliquem terminum intrinsecum. Ex quo vlteriùs sequitur, quòd primum instans conuersionis sequitur immediatè post illum terminum intrinsecum, quo alius panis annihilatur.

Solutio. Iam patet èx dictis, quòd duratio panis annihilati non habet terminum intrinsecum positiuum, qui sit mensura sui *esse*, vel sui *non esse*; sed terminus intrinsecus positiuus est vltima pars temporis, quo habet *esse*, & vltrà non habet *esse*: terminus verò indiuisibilis & priuatiuus non est aliud, quàm priuatio, scilicet, non ampliùs habere *esse*: & ideò non debet imaginari quòd cum illo instanti, quo alius panis primò habet *esse*, siue dicatur instans æui, siue minimum temporis; quòd propter hoc duo instantia positiua, & indiuisibilia sint contigua, vel consequenter se habentia. Vnde si imaginetur, quòd aliqua res duret aliquo tempore, puta, vna die, alia verò duret sequenti; non debet imaginari, quòd hîc sint duo instantia consequenter se habentia; vnum, quod est finis præcedentis temporis, alterum, quod est principium sequentis. Finis autem huius & principium illius realiter non sunt, nisi vltima pars ipsius, & principium illius: quæ etsi sunt indiuisibiles, vt sunt res naturales, sunt tamen verè diuisibiles, & verè tempora: & ita vnum tempus continguatur alteri, non instans instanti.

16. *Obiectio.* Si dicas, quòd duo tempora Mathematicè considerata, possunt considerari consequenter se habere; & ita instans, quod est principium vnius, & instans, quod est finis alterius, sunt contigua.

Dico, quòd non, quia realiter non habent finem, aut principium, quæ non sint partes eorum. *Solutio.* Nec finis & principium, vt sunt instantia in actu, sunt aliud, quàm priuationes vlterioris & anterioris continuationis: & ideò tempora possunt imaginari contigua, non per aliqua indiuisibilia mathematica, sed secundùm se: quia inter illa nullum cadit mediũ, vt suprà dixi de lineis contiguis.

Sic igitur patet prima via, quòd scilicet nullum indiuisibile sumptum in ratione principij, vel termini, est aliquid positiuum in aliquo continuo: & ita tempus non potest dici quid discretum, quia indiuisibilia sunt partes eius, sicut est in numero. Hoc etiam patet secunda via, ostendendo quòd natura continui repugnat naturæ indiuisibilium, vt ex illis possit componi: & hoc potest ostendi primò in permanentibus: secundò in successiuis. In permanentibus sic: Dentur tria puncta, ex quibus tu dicis lineam posse componi; ordinentur sic, quòd vnum sit in medio duorum; tunc aut illa duo puncta extrema sunt ita sibi præsentia, sicut sunt præsentia puncto medio, aut non: si sic, ipsa sunt in eodem situ cum puncto medio; aut per consequens sunt simul, & ita nullam faciunt extensionem: si verò non sunt ad inuicem sibi ita propinqua, sicut medio, ergo oportet, quòd illud punctum medium secundùm aliquid sui sit propinquius alteri puncto, & secundũ aliquid sui sit propinquius alteri. Si enim secundũ illud idem secundùm quod est propinquius vni, esset propinquius alteri, tunc duo extrema puncta æqualiter essent sibi propinqua, sicut sunt propinqua medio: quia secundùm illud, secundùm quod vnum est propinquum medio, secundùm illud idem dices alterum eidem medio esse propinquum; & quæcunque per idem, & secundùm idem sunt propinqua, sicutècontrario; & tunc idem inconueniens, quod priùs: quia tunc essent simul, nec facerent extensionem.

Continua non possunt componi ex indiuisibilibus. Vide hæc diffusè in 2. d.2.q.9.n.10.

Item, si sunt tria puncta, aut sunt simul, & tunc nullam faciunt extensionem; aut non, & tunc inter illa semper ponitur vnio & diuisio media, siue in medio eorum erit diuisio & continuatio: sed hæc diuisio, vel vnio, non potest minorem situm occupare, quàm punctale: ergo inter punctum & punctum adhuc cadit punctum medium, & sic in infinitum. 17.

Item, demonstratur in Geometria, quòd diameter quadrati non possit esse æqualis costæ, vel lateri eius, nec etiam commensurabilis: sed si latera quadrati æquilateratim componantur ex punctis, tunc diameter est æqualis costæ eius: verbi gratiâ, sit quodlibet latus eius ex minoribus punctis, tunc illud quadratum non habebit infrà latera sua ex opposito se respicientia, nisi duas lineas ex quatuor punctis constantes, à duobus scilicet punctis, quæ sunt in medio laterum, inchoatas & terminatas: ergo diameter non habebit nisi quatuor puncta, quorum duo erunt in angulis laterum; alia verò duo in lineis intermediis.

Item, ponantur quinque puncta, quorum duo extrema per tria intermedia debeant vnum contra alterum moueri, vsquequo terminentur, & se contingant; constat quòd aliquo illorum trium stante in medio, non consequuntur, nec se contingunt, nec immediato situ se inuicem consequuntur, quia nec erunt in illo puncto medio, & non se consequuntur, nec se contingunt mediatè, immò erunt totaliter simul, & infra seipsa: nisi fortè illud

illud punctum medium haberet duas partes, ita quòd secundùm vnam occupetur ab vno, & secundùm aliam ab alio.

18. Item, ponantur septem puncta, quorum quatuor sint in linea superiori, & tria in linea inferiori, ita quòd istud punctum, quod est in dextro cornu lineæ inferioris, moueatur contra quartum punctum lineæ superioris, quod est in sinistro eius cornu, & cui nullum punctum correspondet subtus in linea inferiori, & consimili motu, & æquali, moueatur illud quartum punctum aduersus alterum, vsquequo illud directè sit sub alio: (oportet enim necessariò vt alterum directè sit sub altero, antequam se pertranseant.) Sed impossibile est quòd per æqualem motum vnum fiat sub altero, nisi aliquod de punctis, super quod currit, sit diuisibile.

Item, secundùm hoc impossibile esset dare vnum motum localem, velociorem altero, quia non potest pertransiri in vno motu plus quàm vnum punctum, nec minùs quàm vnum.

Item, quando sphæra composita ex punctis mouetur, tunc quando pars sui conuexi mouetur per punctum, oportebit necessariò quòd pars puncti conuexi sibi correspondens moueatur minùs, quàm per punctum. Patet ergo quòd impossibile est dicere, quòd tempus ideò sit quantitas discreta, quia sit composita ex discretis & indiuisibilibus.

ARTICVLVS II.

Quomodo se habet tempus ad rationem continui, & discreti?

19. Circa secundum, quomodo scilicet se habeat tempus ad rationem continui, & discreti, vt quærit quæstio, est sciendum, quòd dicunt aliqui, quòd cùm tempus sequatur motum, secundùm quòd potest inueniri motus continuus, vel discretus, sic etiam tempus. Dicunt ergo isti, quòd Angelus secundùm voluntatem suam potest se facere in loco diuisibili, vel indiuisibili, & ideò motus eius potest esse continuus, vel discretus. Continuus, quia dum recedit de loco diuisibili & subintrat alium locum diuisibilem, primò subintrat partem loci, quàm totum locum, recedendo priùs à parte loci, in quo erat, quàm à toto loco: & sic causatur continuatio in eius motu. Discretus autem motus eius causatur, vt dicunt, cùm Angelus est in loco indiuisibili, totum simul se potest facere in alio loco indiuisibili; & sic semper indiuisibile succedit indiuisibili, sic momentum momento, & instans instanti, ita quòd talis motus nullam habet partem continuam: & ex hoc oportet quòd totus sit discretus; & per consequens tempus, quod est eius mensura, sit discretum: sicut si quis imaginetur, quòd linea sit ex punctis composita. Sic igitur concedunt isti, quòd cùm motus sit subiectum temporis, & accidens continuum, non potest esse in subiecto discreto; ideò tempus mensurans talem motum, est tempus discretum compositum ex instantibus, sicut motus ille ex *mutatis esse*.

Quomodo assignatur tempus discretum?

An motus Angeli possit esse continuus & discretus.

Héric. quodl. 13. q. 7 & quodlib. 12. quæst. 8.

20. Sed contra istum modum ponendi faciunt suprà tacta: & vltrà videtur habere propria inconuenientia. Primum est, quòd sic se mensurando nec per palmum, immò nec per minimum spatium Angelus mouetur.

Item, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit intensionem, etsi infinita sibi addantur, vt probatum est in primo articulo *.

* num. 2. & seqq.

Tertium est, quia aut sic mouendo, Angelus non mouetur, sed semper est in eodem loco; aut necessariò medium, per quod transit, si est alicuius longitudinis, est compositum ex punctis.

Quartum, quia tunc in vno instanti potest esse per omnia loca mundi, etsi essent infinita: quia secundùm istum modum, in infinitis instantibus posset se facere in infinitis locis. Tunc quæro, vtrùm illa loca, in quibus se facit in infinitis instantibus, faciant aliquam loci extensionem: si nullam, ergo in infinitis instantibus per nullum spatium est motus; si aliquam faciunt, ergo quantò mouetur per plura instantia, tantò pertransiit maius spatium: ergo si moueatur per infinita instantia, mouebitur per infinita spatia: sed infinita instantia, vt probatum est, non faciunt maiorem extensionem, quàm vnum instans: ergo in vno instanti potest moueri; & per consequens esse per infinita loca.

Quintò patet, quòd Angelus si sic mouetur, necessariò diuidit actu magnitudinem in infinita, & sic consumit totam magnitudinem diuidendo: quod patet, quia cùm Angelus mouetur ab vno loco indiuisibili, ad alium locum indiuisibilem, & de illo ad alium, & sic immediatè per loca indiuisibilia immediata: quia cùm nulla sit actu diuisio facta in spatio, qua ratione alicubi potest signari locus indiuisibilis, eâdem ratione potest signari immediatè post illum; tunc, cùm sic mouetur per loca indiuisibilia, aut pertransit aliquod spatium, aut nullum; si nullum, ergo non mouetur; si aliquod spatium, ergo mouendo se per loca indiuisa immediata, potest consumere totum spatium: quòd non esset, nisi illud ex indiuisibilibus esset compositum, & in indiuisibilia resolubile quæ sunt impossibilia.

21. Ideò aliter assignant alij tempus discretum; dicunt enim, quòd cùm tempus sit mensura motus, motus duplex est: vel continuus secundùm partes connexas, sibi continuè succedentes; vel discretus secundùm partes non connexas, cuiusmodi sunt actiones Angelorum, tam interiores, quàm exteriores: exteriores cùm Angelus se applicat, vel aliquid operatur in loco: tunc enim dicunt, quòd in instanti se applicat alicui loco, vel rei, circa quam operatur: & in alio instanti se applicat alteri loco, vel alteri rei: & sic quælibet istarum applicationum fit in instanti nostri temporis, sed quia dum est applicatus vni loco, non est in alio, ideò dum de vno loco se facit ad alium, hoc non est in tempore, sed in instanti secundo loco se applicat. Et successio talium applicationum, quæ fiunt in instanti alio, & alio, vocatur motus eius localis: & ideò sicut applicationes consequenter se habent vna ad aliam circa diuersa loca, sic tempus, quod mensurat successionem talium applicationum, quarum successio est eius motus localis, est tempus discretum compositum ex instantibus, sicut eius motus localis est compositus ex *mutatis esse*, siue applicationibus instantaneis. Cùm enim tempus non habeat continuitatem, inquantum est numerus, sed ex parte motus, in quo est vt in subiecto; motus autem localis continuitatem habet ex magnitudine; ideò cùm motus Angeli non sit secundùm continuitatem spatij; sicut motus corporis, quod se commensurat partibus spatij motus eius continuus non est; sed est discretus ex *mutatis esse* compositus,

Alia opinio de tempore discreto.

D. Thom. 1. p. q. 53 art. 3. & quodl. 9. art. 9.

compoſitus, ex ipſis ſcilicet applicationibus inſtantaneis, in quibus nulla eſt continuitas: quia applicat Angelus ſe commenſurando partibus ſpatij, ſed ſe totum ſimul & in inſtanti vni loco applicando, & in alio inſtanti in alio loco. Ideò tempus, quod eſt menſura talis motûs, qui motus non eſt aliud, quàm varietas, & ſucceſſio operationum, ſeu applicationum, non eſt continuum, ſed eſt compoſitum ex *mutatis eſſe* ſibi ſuccedentibus, vt ſit numerus ipſarum operationum ſibi ſuccedentium, *tempus* vocetur, ſicut ipſa ſucceſſio operationum, vel applicationum dicitur *motus*. Non enim applicatio Angeli ad vnum ſolum locum, ſiue vna ſola applicatio Angeli, dicitur motus: cùm enim *eſſe*, quod mouetur, aliter ſe habeat nunc, & priùs, circa quod mouetur localiter; vel quod motum eſt localiter, in alio loco eſt, immò in alio fuit priùs, ita motus Angeli localis non eſt in vna ſola applicatione ad locum vnum, ſed eſt in hoc, quod de vno loco, in quo in inſtanti ſe applicat, ſe facit in alio inſtanti in alio loco.

22. Hoc etiam patet, quia omnis mutatio neceſſariò includit duos terminos, qui non poſſunt eſſe ſimul; & ita includit tempus, quod eſt numerus prioris & poſterioris, in quibus conſiſtit tota ſucceſſionis ratio. Sed tempus diuerſimodè includitur in diuerſis mutationibus: quando enim terminus motus *ad quem* eſt mediatus termino *à quo*, & hoc vel ſecundùm medium quantitatis dimenſiuæ, vt eſt in motu locali corporum, & in motu augmenti & diminutionis; vel ſecundùm medium quantitatis virtualis, cuius diuiſio attenditur ſecundùm intenſionem, & remiſſionem alicuius formæ, ſicut in genere qualitatum ſenſibilium; & dum ſic terminus *à quo* eſt mediatus termino *ad quem*, tunc talis mutatio per ſe tempore menſuratur, quia in talibus peruenitur ſucceſſiuè à termino *à quo* ad terminum *ad quem* ratione medij diuiſibilis inter vtrumque terminum.

23. Quando autem fit tranſmutatio, inquantum terminus *ad quem* non eſt mediatus, immò immediatus termino *à quo*, (ſicut eſt in illis mutationibus, in quibus eſt mutatio de priuatione ad formam, vel ècontrario, vt dicunt iſti in generatione formæ ſubſtantialis, & corruptione; & in illuminatione, & in omnibus, quorum productio, vel corruptio eſt in inſtanti) tales, inquam, mutationes tempore non menſurantur, ſed tempus habent annexum: in talibus enim ſubiectum non eſt annexum ſimul ſub forma, & ſub priuatione; nec aër eſt ſimul ſub luce & tenebris. Non autem habent tempus annexum, ita vt tranſitus de vno extremo ad alterum, vt de forma ad priuationem, & è contrario, tempore menſuretur; ſed alterum extremorum, ſcilicet primum, quod per mutationem obiicitur, eſt coniunctum motui, vel alterationi. Sicut cùm forma ſubſtantialis introducitur, præcedit alteratio, quæ fit in tempore, ſed in vltimo inſtanti illius temporis fit tranſitus à priuatione formæ, ſiue à non forma, in formam. Et eodem modo dum corrumpitur, præcedit alteratio; ſed & in vltimo inſtanti illius temporis fit tranſitus à forma ad eius priuationem. Similiter & in illuminatione Solis per motum localem peruenitur ad determinatum punctum cœli; & in vltimo inſtanti illius motus, in illo ſcilicet, quo peruenitur ad illud punctum, fit illuminatio ad certum aſpectum. Et ita iſtæ mutationes, in quibus terminus à quo, & terminus ad quem non habent medium, fiunt in inſtanti; habent tamen tempus annexum, quod menſurat motum aliquem præcedentem, cuius illæ mutationes ſunt terminus.

Cùm igitur Angelus mouetur, cùm eo modo moueatur, quo eſt in loco corporali, (non eſt autem, vt dicunt, in loco corporali, niſi per operationem) ideò dum ſe applicat vni loco corporali, in vno inſtanti hoc facit: & ſi vult ſe applicare alteri loco, hoc facit in alio inſtanti: & vna ſola applicatio non dicitur eius motus, ſed dum dimittit vnum locum & applicat ſe alteri, hoc vocatur eius motus localis; & ſicut illa loca ſunt diſcreta, ſic motus eſt diſcretus, & tempus menſurans motum eſt diſcretum ex inſtantibus compoſitum. Nec debet imaginari, quòd dum dimittit vnum locum, & ſe applicat alteri, tranſeat per locum medium, vt ex illo medio eius motus dicatur continuus: quia, vt dicunt, tranſit de loco ad locum ſi vult, non tranſeundo per medium; quia poteſt non operari in illo medio: & ſi non operatur in loco, vel in medio, non eſt ibi. 24.

Si verò dicas, quòd poteſt velle operari in toto medio, & in quolibet loco medio intra aliqua loca media, quibus ſe applicat: ergo tunc motus eius eſt continuus.

Dicunt, quòd cùm non ſit in loco niſi per operationem, poteſt tranſire de vno loco ad alium, vel operando in vno medio, vel in quibuſdam, vel in omnibus, vel in nullo: & ſic poteſt tranſire de loco ad locum, vel per vnum medium, vel per plura, vel per aliqua, vel per nulla. Differenter autem ab extremo in extremum tranſit per medium, & aliter quàm corpus: nam *mutatum eſſe* corporis non eſt pars motus corporis, ſed terminus eius: vnde in motu corporis totum moueri præcedit *mutatum eſſe* eius. Et ideò in motu corporis ante illud, in quo dicitur *mutatum eſſe*, oportet præſupponere aliquid, in quo primò moueatur: ſed in motu Angeli, qui non eſt continuus, *mutatum eſſe* eſt vna pars motus; quia vltima pars: & tamen talis pars non eſt motus: cùm nec vnitas ſit numerus, & prima pars eiuſdem motus, quæ etiam non eſt motus, eſt vnde incipit moueri: & neutra pars, vt dixi, eſt motus, ſed vtriuſque ſucceſſio eſt motus: vnde ſicut in motu continuo corporis motus præcedit *mutatum eſſe*, ſic totum in diſcretis partem.

Cùm ergo dicitur, quòd dum tranſit ab extremo in extremum per omnia media, tunc eſt motus continuus: reſpondent quòd non, quia non tranſit illa media omnia, vt habent rationem continui; ſiue vt commenſurantur eis ſecundùm rationem continui, ſicut corpus: ſed vt ſignant eius partes ſub ratione diſcreti: & quot loca media inter duo extrema per applicationem ſignat, tot ſunt partes in illo motu, & tot inſtantia in tempore illo, quod illum motum menſurat. In medio ergo illo, per quod Angelus tranſit, dum ſe toti medio, vel aliquibus partibus applicat, non eſt continuitas, vt refertur ad motum Angeli; quia tranſit ipſum medium: non tranſeundo vt corpus, ſed diſcretè partes eius ſignando. Et ideò dicunt, quòd tempus, quo mouetur Angelus, ſiue mutatur ab extremo in extremum, ſine medio, ſiue per plura, ſiue per omnia media, non eſt diuiſibile diuiſione continua, ſed diuiſione diſcreta in plura inſtantia finita numero: in tempore autem, quo mouetur corpus, ſunt inſtantia infinita in potentia: & ita nulla eſt proportio inter 25.

inter illa instantia, sicut nec finiti ad infinitum.

Est etiam sciendum, quòd, vt iam satis patet, omnis motus habet priùs & posteriùs; quia necessariò habet duos terminos, in quibus consistit successio aliqualis; sed diuersimodè, quia in motu continuo accipitur priùs & posteriùs, vel respectu duorum temporum ad vnum *nunc* applicatorum, vel copulatorum; vel respectu duorum *nunc* includentium vnum tempus. In mutationibus autem instantaneis est prius ipsum tempus mensurans motum præcedentem; cui adiungitur alterum extremorum;& est posterius ipsum *nunc*, quod mensurat terminum motus: & ideò inter duo extrema non cadit ibi medium; sicut nec inter tempus, & suum *nunc*,ad quod terminatur. In motu autem Angeli *prius* & *posterius* sunt duo *nunc* sibi successiua, vel duo *mutata esse*, vel duæ applicationes ad duo loca: inter talia autem *nunc* non est tempus medium continuum.

26. Sic ergo patet,quomodo illi dicant,quòd operationes Angeli exteriores, per quas loco se applicat,tempore discreto mensurantur. Cùm enim mensura durationis rei non sit aliud, quàm modus secundùm quòd res mensurata perseuerat in *esse*; necesse est dicere secundùm hoc, vt mensura mensurato proportionetur,& rei permanentis in suo esse sit mensura similiter permanens, & rei in suo *esse* fluentis, sit mensura non permanens, sed fluens.Nunc autem ita est,quòd intellectiones Angelicæ,& eius volitiones, cùm eius intellectus non sit distinctiuus, sunt totæ simul & indiuisibiles,non formatæ per successionem, sed in instanti transeuntes: tamen ordine quodam vna est prior alia, absque omni connexione illarum inter se. Quia vna earum non causatur, nec succedit ex alia; quia intellectus eius non est discursiuus,cogitando vnum ex alio: sicut intellectus noster cogitat conclusiones per præmissas; quia est discursiuus, benè tamen intellectus Angelicus cogitat,& intelligit diuersa,& sub ordine, quia vnum per aliud;sed non secundùm connexionem, vt per vnum cogitet aliud, & cogitatio vnius sit sibi ratio cogitandi, vel cognoscendi aliud: hoc enim nostro intellectui discursiuo ex debilitate luminis cogniti contingit.

Intellectio Angelica qualiter cõparatur ad nostram.

Vide Scotum in 2 d.2.q.4. n.2.& seqq.

27. Ex quibus patet, quòd mensuræ aliarum cognitionum, vel intellectionum, sunt singulæ,quæ singulis cogitationibus, vel intellectionibus correspondent, indiuisibiles, & totæ simul, absque diuisione, vel successione: sicut etiam ipsæ cogitationes, sed transeuntes vna post aliam, absque omni connexione illarum inter se: quia vno modo non oritur, nec connectitur alteri, sicut dixi de cognitionibus: quia tamen ordinem habent inter se, quamuis absque connexione, eo quòd vna est post aliam sicut cogitationes. Ideò per illum ordinem ex multis talibus mensuris indiuisibilibus, quæ totæ sunt simul, vna quædam mensura composita construitur,sicut ex discretis. Sicut enim dixi de operationibus exterioribus,quòd vna applicatio ad locum non est motus localis, sed successio talium applicationum est eius motus; & mensura talium successionum est tempus discretum: sic vna intellectio non est motus spiritualis, sed successio talium intellectionum est motus spiritualis. De quo dicit Augustinus 12. *super Genesim cap.*31. quòd Deus mouet spiritualem creaturam,non per locum, sed per tempus;& mensura talium intellectionum, vt sibi succedunt, est tempus discretum; sicut mensura applicationum, vel operationum in loco, est tempus discretum:& tale tempus discretum potiùs habet rationem numeri, quàm illius temporis, de quo loquitur Aristoteles.

Non tamen tale tempus discretum propriè potest dici numerus, quamquam sit quantitas discreta, sicut nec omnino quæ est quantitas discreta, est numerus: tale autem tempus discretum magis conuenit in natura cum oratione, quæ est quantitas discreta, quàm cum numero. Quia sicut partes orationis, vt est quantitas discreta, eius quantitas consistit in discreta prolatione principaliter vocalium; tales, dico, partes non permanent simul, sicut nec simul, sed secundùm quendam ordinem vna post aliam profertur: sic partes talis temporis discreti, quæ sunt instantia, simul non permanent; sed succedunt sibi ordine quodam, absque tamen connexione. Partes autem numeri simul permanent, quantùm est de ratione sua; & si non permanent,hoc est per accidens,ratione scilicet eorum, quæ numerantur, quæ aliquando non permanent. 28.

Vide Scotum vbi suprà num.3.

Quamuis autem tam exteriores operationes Angeli, quàm interiores, secundùm modum iam dictum, tempore discreto ex instantibus composito mensurentur, differenter tamen: quia actiones interiores Angeli, cuiusmodi sunt intellectiones, mensurantur tempore discreto, composito ex instantibus indiuisibilibus, quæ tota sunt simul, & inter se discreta, non continua; permanent tamen in mora, sicut moram habent in suo *esse*, durant, & permanent, vel durare possunt, quælibet intellectionum, vel cogitationum, quæ inter se sunt discretæ. Cùm enim Angelus aliquam veritatem totam & simul, & in instanti intelligat, aliqua mora illam intellectam continuat: sed verum est, quòd vna intellectio succedit alteri absque mora aliqua media. Cùm enim vna intellectio processerit per aliquantulum moræ nostri temporis, non dico quòd mora intellectionis nostro tempore mensuretur, sed eius durationi coëxistit in vltimo instanti nostri temporis, vel in aliquo instanti proprio, quod correspondet instanti nostri temporis, producitur simul tota illa intellectio, quæ similiter durat per aliquam horam nostri temporis, illi scilicet correspondendo. Similiter de aliis intellectionibus. Sed mora ista tam in intellectionibus, quàm in mensuris earum potest esse maior, vel minor, secundùm quòd Angelus plus, vel minùs vult perseuerare in ea intellectione, vel volitione.

Vides ergo, quòd instantia, ex quibus componitur tempus discretum, quo mensurantur actiones Angeli interiores, sunt instantia permanentia, moram longam, maiorem, vel minorem, secundùm voluntatem Angeli habentia, sicut ipsæ intellectiones, vel volitiones. Et ideò dixi, quòd hoc tempus discretum est simile orationi, quæ est quantitas discreta: partes enim talis orationis, quæ consistit principaliter in prolatione vocalium, cum quibus mixtim, sed quasi imperceptibiliter sonant consonanter, tales, dico, partes simul sunt, hoc est, simul proferuntur: sed tales partes, siue earum prolatio, non statim transeunt; sed totæ simul manent per aliquam moram temporis; & hoc maiori, vel minori mora, secundùm voluntatem proferen 29.

Oratio quomodo est quãtitas discreta.

proferentis : ſicut patet, ſi proferantur vocales ſigillatim *a, e, i, o, u* ; vel ſi proferantur indiſtinctè dicendo, *Domine Dominus*. Prolatio cuiuſlibet vocalis, ſiue per ſe, ſiue indiſtinctè proferatur, tota ſimul profertur : & poteſt homo morâ aliquâ eius prolationem tenere, ſecundùm quòd proferenti placet : & ſicut vocales ſunt inter ſe diſcretæ, ſic earum prolatio menſuratur menſura diſcreta. Tale ergo inſtans, quod eſt menſura intellectionis Angeli, & eſt pars temporis diſcreti, eſt ſimul, ſiue coëxiſtit cum aliqua parte temporis noſtri, maiore, vel minore, ſecundùm quòd Angelus in vna intellectione plus, vel minùs perſeuerat.

30. Sic ergo inſtantia temporis diſcreti, quo operationes interiores menſurantur, ſunt inſtantia permanentia, moram habentia, & exiſtentia cum aliqua parte temporis noſtri maiore, vel minore : ſed inſtantia, ex quibus componitur tempus diſcretum, quo menſurantur operationes exteriores, non ſunt talis conditionis : illa enim inſtantia ſunt indiuiſibilia, tota ſimul exiſtentia, inter ſe diſcreta ; ſicut inſtantia prædicti temporis ; ſed non ſunt permanentia, nec moram aliquam habentia, ſed ſubitò tranſeuntia ; ſicut ipſæ applicantur ad locum, & ſubitò in ratione applicationis tranſeunt. Quòd enim Angelus, poſt applicationem factam in inſtanti ad locum, in eodem perſeueret, talis perſeuerantia, vel talis quies coëxiſtit parti temporis noſtri, tamen non menſuratur, etiam per accidens per illam partem temporis noſtri, cui coëxiſtit. Cuius ratio eſt, quia illa parte temporis non fuit Angelus aptus natus moueri motū continuo : ſed illa quies propriè (vt dicunt iſti) menſuratur per accidens per inſtans permanens, quo menſuratur intellectio Angeli. Mora enim Angeli in vno loco ſequitur eius intellectionem, ſeu cogitationem, quæ menſura eſt, non mora ſucceſſiua, ſed permanentia, vt dixi. Inſtantia ergo, ex quibus conſtituitur tempus diſcretum, quo menſurantur operationes exteriores Angeli, ſunt indiuiſibilia, tota ſimul, non permanentia, ſed ſubitò tranſeuntia : in quo tempus diſcretum, quo menſurantur, differt ab inſtantibus, ex quibus conſtituuntur operationes interiores Angeli, quæ ſunt inſtantia permanentia, & moram habentia ; & ideò coëxiſtunt parti noſtri temporis ; illa autem coëxiſtunt ſolùm inſtantibus noſtri temporis.

Nec iſta inſtantia non permanentia habent continuationem inter ſe, quia inter duo inſtantia tales mutationes exteriores menſurantia, neceſſe eſt ponere moram aliquam Angeli in illo loco, cui ſe applicauit, per quam moram diſcontinuatur vna applicatio ab alia, ſicut motus diſcontinuatur per quietem mediam.

31. *Obiectio 1.* Si dicas quòd ſecundùm iſtam poſitionem, ſicut intellectio Angelica fit ſimul, & in inſtanti, ſic applicatio eius ad determinatum locum tota fit ſimul & in inſtanti. Et ſicut poſt intellectionem factam in inſtanti, Angelus perſeuerat in vna intellectione, propriè illa vna intellectio menſuratur inſtanti permanente, moram habente, quamuis ſucceſſio intellectionum tempore diſcreto compoſita ex inſtantibus permanentibus menſuretur : ſic poſt applicationem Angeli factam in vno loco in inſtanti Angelus perſeuerat, vel magis, vel minùs, ſecundùm quod vult in eodem loco. Et ideò videtur quòd ſicut inchoatio intellectionis, & tota mora intellectionis menſuratur vno inſtanti permanenti : ſic applicatio ad vnum locum, & mora ſiue perſeuerantia in eodem loco menſuretur vno inſtanti permanente.

Dico, quòd non eſt ſimile ; quia inceptio intellectionis & continuatio, ſiue mora eiuſdem, vel permanentia intellectionis, totum hoc eſt actio quædam continuata, ideò menſuratur eâdem menſurâ, quæ eſt inſtans permanens ; ſed applicatio ad locum eſt quædam actio ; mora, vel permanentia, in eodem, eſt quies : ideò applicatio iſta ſub ratione applicationis, fit in inſtanti tranſeunte ; quies autem in illo loco non habet menſuram per ſe, ſed fit per accidens in inſtanti permanente, quo menſuratur mora intellectionis, quæ coëxiſtit parti noſtri temporis. *Solutio.*

Si obiiciatur contrà prædicta, quòd inter duo indiuiſibilia cadit continuum medium, vt inter duo puncta, linea ; inter duo inſtantia, ſecundùm Ariſtotelem, tempus : ergo inter duo inſtantia, ſiue ſint permanentia, ex quibus componitur tempus diſcretum, quo menſurantur intellectiones, ſiue ſint non permanentia, ex quibus componitur tempus diſcretum quo menſurantur exteriores Angeli actiones, cadit continuum medium. 32. *Obiectio 2.*

Dicunt quòd non eſt ſimile : quia illud quod in motu continuo menſuratur ab indiuiſibili, non eſt, nec eſſe poteſt manens in ſe ; ſed ſemper eſt fluens in aliud, vt eſt prima mutatio in motu, vel aliquid tale, quòd terminat motum, & fluxum : tunc enim quod inſtanti noſtri temporis menſuratur, vel eſt tale, à quo de ratione ſua fluit, vt prima mutatio motûs ; vel eſt tale, quòd de ratione ſua eſt terminus motûs, vt vltima mutatio. Quia igitur fluxus dicit quid continuum, ideò duo inſtantia temporis noſtri actu ſignata, quæ non poſſunt actu ſignari, niſi in principio, vel fine temporis, includunt medium continuum, quod terminatur ad indiuiſibilia. In cogitationibus autem, ſiue intellectionibus Angeli menſuratum ab ipſo inſtanti, eſt manens in ſe, nec de ratione ſua quid fluit ab eo, nec eſt terminus alicuius influxus : quamuis enim vna cogitatio, vel intellectio, ſit poſt aliam, non tamen vna fluit ab alia, ſicut à ſuo principio ; nec vna eſt terminus alterius : propter quod nulla continuitas cadit inter illas.

Si dicas, quòd ſaltem iſtud non ſoluit de inſtantibus, ex quibus componitur tempus diſcretum, quo menſuratur ſucceſſio operationum exteriorum ; quia illa inſtantia non ſunt permanentia, ſicut nec inſtantia temporis noſtri. 33. *Obiectio 3.*

Dico quòd ſoluit : quia quòd inter duo inſtantia temporis noſtri cadat continuum medium, non eſt tota cauſa, quia non ſunt permanentia. Sed etiam quia menſuratur. Et illud inſtans, vel de ratione ſua eſt principium fluxus alicuius, vel finis ipſius fluxus, aut dicit continuum medium : inſtantia autem non permanentia illius temporis diſcreti, ſic ſunt inter ſe diſcreta, quòd nullum eſt principium, vel finis alicuius fluxus, ideò nullum cadit medium inter illa. *Solutio.*

Si adhuc obiiciatur, quòd Angelus poteſt continere vnam intellectionem toto tempore, quo ſibi ſuccedunt, vel poſſunt ſuccedere duæ, vel plures intellectiones ; quod non videtur poſſibile, niſi medium continuum interceptum eſſet inter plures intellectiones. *Obiectio 4.*

Reſpon

Solutio. Reſpondetur, quòd quælibet intellectio Angeli eſt tota ſimul in ſimplici duratione ſtans. Vnde ſecundùm illos, qui ponunt, quòd æuum eſt menſura ſimplex, quantumcumque Angelus duret, non eſt ibi alicuius continui partitio; ſed eiuſdem indiuiſibilis permanentia abſque aliqua partium ſucceſſiuarum compoſitione: ſic in menſuratis vnus intellectus Angeli eſt eiuſdem, & indiuiſibilis permanentiæ, abſque aliqua ſucceſſiuarum partium, vel permanentium continuatione: ſicut etiam ponunt in æuo, vt videbitur * dum de duratione eius diſputabitur. * quæſt. 22.

SCHOLIVM.

Diffuſiſſimè recitauit opinionem ſanctæ Thomæ, & Henrici circa motum Angelorum, circa menſuram operationum eorundem, & conſtitutionem, aut explicationem temporis diſcreti. Multa ait ſibi in illorum doctrina diſplicere, & tempus diſcretum omnino ablegat. Omnia exactè diſcutit, & refellit in 2. diſtinct. 2. quæſt. 4. & 11. Vide Suarem tom. 2. Metaph. diſp. 50. ſect. 7. num. 8.

34. *Reprobat Doctor aliqua ex ſuprà dictis.* Hæc eſt poſitio cum modo ſuo, quæ ponit tempus diſcretum. In hac autem poſitione multa ponuntur, quæ extra rationem videntur: ſicut quòd Angelus non eſt in loco, niſi per operationem: quod eſt articulus condemnatus *. Sicut quòd poteſt moueri ab extremo in extremum, quin tranſeat per medium; & iſta longiori per ſe indigent perſcrutatione: & multa talia, quæ in iſta quæſtione includuntur: de quibus non eſt præſens intentio diſputare. Quod autem dicitur, quòd applicatio Angeli ad locum fit in vno inſtanti, & applicatio in alium locum fit in alio inſtanti, ex quibus tempus diſcretum componitur, quod menſurat ſucceſſionem talium applicationũ: ad hoc ſunt inconuenientia ſuperiùs inducta multa in iſta quæſtione. *Quomodo mẽſuratur intellectio Angeli.* Quod autem dicitur quòd quælibet intellectio menſuratur vno inſtanti permanente, & durante, abſque omnium partialitate partium permanentium, vel ſucceſſiuarum; quorum inſtantium ſibi inuicem ſuccedentium, in ſe tamen permanentium, ſucceſſio eſt tempus diſcretum. Hoc non videtur habere aliquam rationem. Cùm enim, vt dicunt, intellectiones totæ ſint, & durent in ſe ſecundùm magis, & minùs, iuxta voluntatem Angeli, nec à ſe dependeant, nec variationem in ſe recipiant; non video quare non debeat dici, quòd quælibet intellectio æuo menſuratur: quia dato, quòd Deus crearet vnum Angelum vno ſolo die durantem, & poſt illum alium, alio ſolo die durantem, & ſic quolibet die crearet vnum Angelum, & quilibet duraret vno ſolo die, adhuc illi menſurantur æuo propter identitatem, & ſimultatem, ſiue *eſſe*, quod tunc eſſet ſimul abſque ſucceſſione; quamuis coëxiſteret parti noſtri temporis. Ita videtur quòd poſſet dici de intellectionibus, quæ ſunt ſimul, & durant, & parti noſtri temporis coëxiſtunt.

*In quo ſenſu ſit cõdemnata hæc doctrina, vide Henr. quodl. 2. q. 9. & Suarez lib. 4. de Angelis, c. 4. n. 3.

35. *Alia opinio de ratione tẽporis diſcreti.* Aliter dicunt alij dari tempus diſcretum. Dicunt enim, quòd tempus de ratione ſua menſura eſt, habens *prius*, & *poſterius*, & hoc cum ſucceſſione, ſicut ipſe motus, cuius eſt menſura: nunc autem ratio prioris, & poſterioris, vt ſunt in ſucceſſione, componunt formaliter naturam temporis. *Prius* autem & *poſterius* non ſunt in motu continuo numerata, niſi in potentia, & ab anima actu, imaginatione, vel intellectus manentis actu, ſecundùm quod in aliquo corpore continuo per imaginationem numeramus partes, vt tres, vel ſex palmos. Ex quo patet quòd ſecundùm, quod dicit Ariſtoteles * *cap. de Tempore*; quòd anima ſit numerans prius, & poſterius in motu, vt habeatur perfecta ratio temporis: vt ſic, ſicut in quadam quæſtione dixi *, motus componatur ex aliquo, ſcilicet materiali, quod eſt ipſe motus continuus, & ex aliquo quaſi formali, quod eſt prius, & poſterius, vt ſunt ab anima numerata, & ita componunt rationem temporis. *4. Phyſ. tex. com. 131. * q. 18. n. 6. & ſeqq.

Si autem conſiderentur ratione ſui materialis, quod eſt motus continuus; ſic eſt quantitas continua: ſi enim in aliquo ligno continuo menſurentur, vel imaginentur decem palmi; ſi quæratur de illa menſura decem palmorum, vtrùm decem palmi illius ligni ſint quantitas continua, vel diſcreta? Planè patet, quòd deberet dici, quòd in tali menſura eſt duo conſiderare: videlicet ipſos decem palmos, & ſubiectum, in quo ſunt illi decem palmi: quia ſunt in vno continuo ligno. Decem ergo palmi formaliter ſunt quantitas diſcreta; ſed decem palmi lignei, vel ligni ſunt quantitas continua. Sic in propoſito de tempore: quia tempus, vt eſt menſura quædam ex duobus numeratis, ex priori, & poſteriori eſt quantitas diſcreta; vt autem eſt res quædam numerata, id eſt, vt eſt motus continuus, in quo ſignificatur prius, & poſterius, eſt quantitas continua.

Quod autem dictum eſt, quòd prius, & poſterius in motu ſunt ipſum tempus; à quibus realiter non differt tempus, & motus; nec prius, & poſterius in motu, à priori, & poſteriori in tempore; & hoc exiſtimo eſſe verum: ſicut ſuprà patuit in quadam quæſtione *. * q. 18. n. 29. & ſeqq.

36. Alij autem dicunt, quòd tempus, & motus realiter differunt, & prius, & poſterius in motu, differt à priori, & poſteriori in tempore. Et cùm dicit Ariſtoteles, & Commentator *, quòd prius, & poſterius in motu ſunt ipſum tempus: reſpondent quòd eſſe in aliquo eſt duobus modis: videlicet, vt pars eſt in toto; vel vt accidens eſt in ſubiecto: prius autem, & poſterius in motu, vt pars in toto, ſunt ipſe motus; quia ſunt ambæ partes eius: prius autem, & poſterius in motu non vt accidens in ſubiecto ſunt, nec ſunt ipſum totum, nec partes eius; ſed ſunt accidentia, & menſuræ partium eius; & per hoc totius motus. Et iſto primo modo dicunt, quòd intellexit Ariſtoteles, & Commentator: tamen dicunt, quòd tempus eſt prius, & poſterius in motu: & ita dicunt, quòd tempus, & motus differunt vt duæ res; ſicut accidens, & ſubiectum. *4. Phyſ. tex. com. 131.

Sed contra hoc multa ſuperiùs fuerunt dicta: & ad hoc dici poteſt, quòd cùm in motu non inueniantur realiter prius, & poſterius, niſi illa, quæ ſunt partes motus; & ſecundùm hanc rationem prioris, & poſterioris, illa ſunt formata, vel imaginata ab anima: & tunc tempus non eſt accidens naturale, ſed Logicum, & intentionale; ſicut vniuerſale inquantùm vniuerſale: quod non eſt verum.

Ad argumenta, quæ volunt concedere, quòd ſit dare tempus diſcretum: menſurans actiones Angeli poteſt reſponderi, &c. *Deſunt aliqua.*

QVÆSTIO XXII.

Utrùm ſit idem inſtans æui, temporis, & æternitatis?

Ariſt.10.*Metaph.cap.*2.& 3. Alenſ.1.*p.q.*12.*mem.*9.*art.*2.& 3.Bonau.*in* 2.1.*p.art* 1.*q.*1.& 2. Thom.*Quodl.* 10. *art.*4. & 1.*par.q.*10.*art.*5.& 6. Richard.*art.*1.*q.*1.& 2.Argent. *q.*1.*art.*4. Capreol.*q.*2 *art.*1.*concl.*5 & 6. Albert.*de quatuor coæuis.q.*3.*art.*3. Ægid. *tract de menſura Angelorum, q.*2.Vaſq.1.*par.diſput.*33.34 & 35.Vide Doctorem *in hoc opere q.*19.

1. IN quæſtione iſta duo ſunt videnda. Primum eſt, quomodo inſtans ad illud, cuius eſt, comparatur? Secundò, quomodo ab inſtanti alio (vt quærit quæſtio) diſtinguatur?

ARTICVLVS I.

Quomodo inſtans ad illud, cuius eſt, comparatur?

* quæſt. 19. CIrca primum (quia de æternitate aliàs * diſputauimus, ideò eſt breuiter tranſeundum) videnda eſt ratio iſtarum menſurarum *æternitatis*, *æui*, & *temporis*; vt videamus, quomodo inſtantia iſtarum menſurarum ad eas comparantur.

* tex.com.2 Eſt igitur ſciendum, quòd hæc tria dicunt rationem menſuræ; quia ſecundùm Ariſtotelem 10. Metaphyſ. * menſura propriè eſt id, per quod cognoſcitur proprietas rei, ſeu quantitas; & vt idem dixit, debet eſſe vnigenea menſurato: & ideò ſecundùm diuerſam rationem quantitatis menſurandæ in rebus, diuerſæ menſuræ rebus correſpondent. Sicut autem apparet quæ ſit quãtitas rei menſurandæ, & cognoſcitur per quãtitatem menſuræ; ſic quantitas menſuræ cognoſcitur per quantitatem, & ſpeciem menſurati. Sicut enim ſcimus rẽ eſſe menſuratã, quia tanta eſt eius menſura: ſic è contrario ſcimus menſurã eſſe talis ſpeciei, & talis conditionis, quia ſcimus menſuratum eſſe talis conditionis, & talis ſpeciei. Propter

* text. com. 95. quod dicit Ariſtoteles 4. Phyſicor. * quòd cùm quærimus *quid eſt tempus*, ab hinc oportet incipere *quis eſt motus*; quia per qualitatem & ſpeciem motûs, qualitatem, & modum temporis cognoſcimus, ſicut per quantitatem temporis ipſius motus cognoſcimus quantitatem.

2. *Triplex acceptio quantitatis. Prima acceptio.* Accipiendo autem nomen *quantitatis* largo modo, triplex accipitur *quantitas* in rebus; aliquando pro vnitate, ſiue perfectione, & gradu naturæ, & eſſentiæ rei: ſecundùm quem modum dicimus, quòd illa res eſt maior, quæ habet verius & perfectius *eſſe* naturæ & eſſentiæ, vt Angelus, quàm homo; aqua, quàm terra; aër, quàm aqua; & ſic aſcendendo per gradus entium: & iſta maioritas, vel minoritas talis quantitatis, non ſolùm inuenitur in vna ſpecie reſpectu alterius; imò in vno indiuiduo reſpectu alterius. Propter quod dicitur inter articulos condemnatos, quòd error eſt dicere, quòd *anima Chriſti non ſit nobilior in naturalibus, quàm alia anima*: vel quòd omnes animæ ſint æquales in naturalibus.

Secundo modo dicitur *quantitas* rei extenſio, quam habet ex numero ſuarum partium, ſiue ſit continuum, ſiue diſcretum; ſiue continuum permanens, ſiue ſucceſſiuum: & ſecundùm iſtum modum accipiendo quantitatem, ſolùm inuenitur ratio menſuræ in habentibus quantitatem continuam, vel diſcretam; quibus propriè conuenit menſurari. Sic quantitas propriè accipitur pro quantitate continua, vel diſcreta; & talia variam habent menſuram, ſicut habent variam quantitatem. Et iſto modo quantitas continua menſurat illa, quæ habent quantitatem continuam. Quantitas diſcreta, vt numerus menſurat illa, quæ habent quantitatem diſcretam; & etiam illa, quæ habent quantitatem continuam. Nam diſtinctio partium facta per imaginationem, vel intellectum, cadit in continuis; vt lignum continuum ſex palmorum, etiam menſuratur menſurâ continuâ, vtpote ſuâ; per quam dicimus quòd tantò longius eſt; & in quantùm imaginatur in tot palmos, vtpote ſex, menſuratur menſurâ diſcretâ, vtpote ſenariâ: & motus diurnus in quantùm continuus die menſuratur; vt autem imaginantur ibi diuiſiones per vigintiquatuor partes, vel vigintiquatuor horas, menſuratur numero vigintiquatuor.

Et quia menſura dicit continuationem nobis notam & certam, per quam habemus notitiam de quantitate rei menſuratæ; ideò cùm ratio quantitatis ſit notior & certior in diſcretis, quàm in continuis; propter rationem & certitudinem maiorem quam habet vnitas, quæ eſt pars diſcreta, quàm pars continua & diuiſibilis, quæ eſt pars continua: ideò ratio menſuræ principaliter fundatur in quantitate diſcreta, & ab illa deſcendit in quantitatem continuam. 3.

Et hoc experimur; quia volentes ſcire quantitatem certam continuam, vel continui, reducimus eam ad quantitatem diſcretam: vnde menſuramus de ligno quot habet pedes: imò ideò, quod eſt menſura in continuis, eſt menſuratum in diſcretis, ſi comparetur ad diſcreta. Vnde quantitatem vlnæ, quæ eſt menſura continui, reducimus ad palmos; & dicimus, quòd vlna habet tot palmos. Propter quod etiam dictum eſt ſuprà, * quòd tempus non habet rationem menſuræ propriæ & perfectæ, in quantum menſurat ipſum ſub ratione prioris & poſterioris, quæ dicunt diſcretionem & numerum: propter quod dixi, quòd tempus quoad ſuum *eſſe* formale, eſt quantitas diſcreta. Vnde dicit Ariſtoteles * quòd *tempus eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius.* * q. præced. n.35.& ſeq. *4.Phyſ.tex. com.101.

Et ſecundùm illos, qui dicunt quòd tempus & motus ſunt idem re & materialiter, tempus eſt numerus numeratus, & non numerus ſimpliciter. Sicut enim dicimus quòd duo canes eſt numerus numeratus, & *duo* eſt numerus numerans: ita & numerus prioris & poſterioris in motu, eſt numerus numerans, quod eſt tempus: & ſecundùm hoc illud quod eſt materiale in tempore fundatur in motu ſecundùm prius & poſterius: quod autem eſt in tempore formale, completur in operatione animæ numerantis. Propter quod dicit Ariſtoteles *, quòd ſi non eſſet anima, non eſſet tempus; & ſic habet tempus continuitatem à motu, diſcontinuitatem ab anima, à qua habet rationem numeri, quam habet ab anima numerante, & diſtinguente prius & poſterius in motu: quia iſtæ rationes prioris & poſterioris non ſunt in motu, niſi ab anima. 4. * Phyſ.text. com.131.

Sic ergo ratio menſuræ in continuis reducitur ad diſcretum, & ratio diſcreti ad vnitatem, quæ

quæ est certissima & notissima. Quia igitur sic accipiendo quantitatem, illa solùm mensurantur, quæ habent quantitatem continuam, vel discretam, ideò in eo, in quo est talis quantitas, non inuenitur ratio talis mensuræ, quòd in eo non est quantitas; nisi virtute formæ & essentiæ, quæ est aliqua infinitas, & vniuersitas.

5. *Tertia acceptio.* Tertio modo dicitur *quantitas* pro duratione essendi: & secundùm istum modum inuenitur ratio mensuræ in omni ente; & talis quantitas est mensura omnis rei habentis *esse*, siue sit ens creatum, siue increatum. Quia verò omne ens secundùm quantitatem, & conditionem suæ naturæ, habet proprium modum durandi, qui respondet proprio modo essendi eius, diuersificatur ratio talis quantitatis, & per consequens mensuræ in omnibus rebus, accipiendo *rem* communiter ad creatorem & creaturam.

Cùm igitur, generaliter loquendo, omnis modus essendi ad istos tres modos possit reduci; ideò quantitas, siue mensura, quæ mensurat durationem cuiuslibet rei consequentis modos essendi, ad tres modos potest reduci. *Dei mensura æternitas.* Et est verum *esse*, quod non est aliud, quàm necesse esse, omnino independens, immutabile in substantia, & sine compositione, nec incipiens, nec desinens; quale non est *esse* nisi vnicum numero, vt aliàs * ostendi, & est *esse* omnium; ** quæst.19. n.4. & seqq.* & ideò duratio eius, siue quantitas durationis, quæ est mensura sui *esse* in durando, est quantitas, siue mensura vna sola indiuisibilis, inuariabilis, nec incipiens, nec desinens, nec actu, nec potentiâ, nec re, nec intellectu; vt sic sit conformis & vnigenea mensurato, quod est esse diuinum. Et ideò duratio eius, siue quantitas durationis, quæ est mensura sui *esse* in durando, & vocatur *æternitas*, (quæ quidem à Deo differt sola ratione, vt diuinum *esse*, nec *esse* ab actu existendi necessariò, æternum vt durans) vocatur inquam *æternitas* in abstracto, sicut entitas, vt est duratio quædam.

6. *Substantiæ separatæ mensurantur æuo.* Est autem aliud *esse*, quod etsi sit immutabile, quia nec contrarium habet, nec componitur ex contrariis, nec alterabile actione agentis creati, ac per hoc sit *esse* fixum, manens inuariatum: ex hoc tamen habet debilitatem; quòd sit ab alio ente, ab alio conseruatum, & incipere & desinere potest, si ab alio non continuò conseruetur. Habet itaque alium modum durandi à primo; & per consequens aliam quantitatem, seu rationem quantitatis, durationis & mensuræ: quæ quidem mensura conformatur suo mensurato, inquantùm est durans immutabilitate & fixione, sicut dicetur dum de æuo disputabitur. Nam talis mensura, est mensura substantiarum separatarum; & vocatur *æuum*.

7. *Res corruptibiles & motus mensurantur tempore.* Tertium *esse* est, quod incepit & desinet, non habens fixionem, aut perseuerantiam in durando; vnde non per hoc dicitur durare, quod idem, & secundùm idem permaneat; sed habet suum *esse* in fluxu, & continua innouatione: & per hoc durat, quasi semper secundùm aliud, & aliud sibi succedat; qualis est motus primò & per se, & *esse* generabilium & corruptibilium, vt subsunt motibus generationis & corruptionis: quorum duratio, siue quantitas, & mensura durationis in essendo propter eorum fluxum, & continuam innouationem & successionem, distinguitur contra æternitatem & æuum: sicut etiam *esse* successiuum distinguitur contra prædicta duo *esse*, vt iam patet.

In quo differant æternitas, æuum, & tempus. Nec intelligo, quòd per hoc æternitas differat ab æuo & tempore; quia *æternitas* nec habet principium, nec finem; *æuum* habet principium, sed non habet finem: *tempus* autem habuit principium, & habebit finem. Hæc enim differentia est per accidens, non per se, nec essentialis; quia dato quòd tempus, & æuum, nec finem, nec principium habuissent, adhuc æternitas ab aliis differret. *Æternitas* enim est tota simul, quod tempore non conueniret, dato, quòd semper fuisset, & nunquam desineret. *Æuum* etiam habet alium modum durationis (vt aliàs videbitur) vel saltem potest desinere esse, quod æternitati non conuenit. Si autem *habere principium & finem* accipiatur non actu, sed potentia, isto modo prædicta differentia aliqualiter valet: quia æternitas principio & fine caret actu & potentiâ.

Ex prædictis patet, quòd *tempus* ideò est mensura rerum temporalium, quia dicit quantitatem fluentem in continua successione; sicut *esse* talium rerum est in continuo fluxu, & successione. 8. Sed *æuum* est mensura substantiarum separatarum, quia dicit quantitatem, quæ incepit & potest desinere; quæ non est tota simul: vel fortè habet aliquam naturam successionis, scilicet, quale est *esse*, & modus essendi & durandi illarum substantiarum. *Æternitas* verò dicitur mensura essendi viui veri & diuini; quæ dicit quid simplex, immutabile, & inuariabile actu & potentiâ, non habens principium, aut finem, nec actu, nec potentia: sic *esse* diuinum has perfectiones de se habet.

Differt tamen *æternitas* à prædictis; quia in tempore & æuo mensura differt à mensurato, sicut accidens à subiecto, secundùm aliquos, qui ponunt, quòd *prius* & *posterius* in motu potest intelligi dupliciter: vel in motu, vt pars in toto: & isto modo *prius* in motu & *posterius*, non sunt idem, quod tempus, sed sunt partes motus. Eodem modo dicunt de æuo in æuiterno, quantùm ad inhærentiam accidentalem.

SCHOLIVM.

Quæ in hoc articulo tractat Doctor, maiori ex parte præmisit in quæst.19. quæ verò hîc, & infrà num.17. ait de distinctione attributorum per solam rationem, ita vt ex parte ipsorum attributorum, & essentiæ sit duntaxat fundamentalis, aut materialis ista distinctio, & formalis aut completa per intellectum; quo etiam modo aliqui Scotistæ interpretati sunt opinionem communem Scoti de distinctione formali attributorum, volentes eam conciliare cum expositione & opinione Caietani: de quo vide Fabrum in 1. disp.19. cap.3. & disp.20. cap.6. Sed verè minimè concordari possunt, quæ Scotus docet circa hanc distinctionem in 1. distinct. 2. quæst.7. & distinct. 8. quæst. 4. vbi expressè ait omnem formalem distinctionem relationum & attributorum ab essentia, præcedere ex natura rei omnem operationem intellectus. In hac autem quæstione videtur se referre ad ea, quæ dixit ex sententia aliorum, videlicet S. Thomæ & Henrici in 1. distinct.8. quæst.4. quæ conueniunt manifestè cum iis, quæ hîc dicit circa complementum, aut perfectionem huiusmodi distinctionis per actum intellectus. Et certè in toto hoc discursu eum ex aliorum loqui sententia patet, quod paulò pòst num.15. examinet, & refellat aliqua ex iis, quæ in hoc discursu continentur.

9. In Deo verò, vt iam dixi, æternitas differt ab *esse* diuino sola ratione, ad modum, quo alia diuina attributa, dicuntur differre à diuina essentia. Vnde sicut à diuina bonitate, vel sapientia differt sola ratione eius immensitas, aut infinitas, cùm dicitur, quòd diuina essentia, vel sapientia est immensa, vel infinita; cùm tamen immensitas, & infinitas dicant rationem mensuræ in secundo modo prædicto mensuræ: sic à diuino *esse* differt sola ratione eius æternitas, cùm dicitur, *Deus est æternus*: cùm tamen æternitas dicat mensuram diuini *esse* secundùm tertium modum mensuræ; vt iam non sit aliud æternitas, quàm *esse* diuinum conceptum ab intellectu, vt sic durans. Et ista diuersitas interuenit inter diuinum *esse*, & æternitatem solo respectu intellectus concipientis *esse* Dei, sic & sic durans: sicut dicitur de aliis attributis, quòd sunt idem, quod diuina essentia, vt sic, vel sic, ab intellectu concepta. Et sic secundùm hoc æternitas huiusmodi habet pro materiali ipsum diuinum *esse*, & rationem recipit formalem ab intellectu concipiente: sicut aliàs * dictum est de diuinis attributis. Et dato adhuc quòd *æuum* & *tempus* non sint accidentia realiter differentia à suis mensuratis (quod fortè verum est) sed fuerint realiter idem quod sua mensurata, & rationes formales habeant ab ipsa conceptione; inter ipsa mensurata, vt sic, vel sic durantia, adhuc sunt multæ differentiæ essentiales, vt visum est, inter æternitatem, & istas mensuras.

* Vide Scotũ in 1 d.8.q.4. n.1.& 9.

Qualiter se habent instãtia ad istas tres mensuras.

Ex quo igitur in summa patet harum trium differentia mensuratum, iam quodammodò patet, quomodo se habent earum propria mensura, siue propria instantia, scilicet differenter ad ipsas. Non enim potest dici, quòd in æternitate sit instans actu ad principium eius, sicut dictum est de tempore; nec sit instans principium actu, & terminus in potentia, sicut dictum est de æuo: quia nec re, nec intellectu, nec imaginatione potest habere principium vt æuum: nec potest dici quòd sit ibi instans præsens aliud, & aliud semper, vt dictum est de tempore. Propterea patet quòd in æternitate non est instans, sicut in tempore, vel in æuo: nec in æuo est instans aliud, & aliud, sicut in tempore; cùm *esse* rei mensuratæ semper sit idem in nullo variatum. Sed instans temporis est indiuisibile, tempus diuisibile, ideò non sunt idem: instans autem æternitatis, & ipsa æternitas, omnino sunt indiuisibilia, & coëxistunt toti tempori, quod non facit instans temporis.

10. Vt igitur videatur quomodo instans se habeat ad istas mensuras, est sciendum, quòd secundùm doctrinam Aristotelis, 4. *Physic. text. comment.* 103. & 104. quam aliqui sequuntur; sicut tempus est mensura motûs, sic instans temporis est mensura ipsius mobilis, quod fertur; non sicut est idem mobile secundùm substantiam in toto motu variatum secundùm *esse*, sed inquantum recipit rationem prioris & posterioris. Nunc autem sicut motus est actus ipsius mobilis, inquantum mobile est; ita & actualitas existentiæ est actus entis, inquantum existens, siue vt ens existens est. Sicut ergo tempus mensurat motum mobilis, qui est actus mobilis, & instans temporis mensurat *esse* mobilis, inquantum mobile: sic aliæ mensuræ mensurant actum rei existentis, qui est *esse*; & instantia eorum mensurant ipsam rem existentem, in vnaquaque mensura mensuretur *esse* alicuius rei existentis, & ipsi rei existenti respondet pro mensura *nunc*, siue instans mensuræ illius. Et ideò sicut per tempus mensuratur actus mobilis, qui est motus, & ipsum mobile subiectum illius actus per instans; sic per *nunc* æui mensuratur ipsa res actu existens, & *esse*, qui est actus eius, per æuum mensuratur: & per *nunc* æternitatis, mensuratur ipsa res æterna: vel *esse* illius rei, qui est actus eius secundùm modum, quo in Deo percipimus quòd existat, & quo existit.

Vnde si consideremus actum in communi, vt comprehendit motum, qui est actus mobilis, & ipsum *esse*, quod est actus rei existentis, ponimus, quòd sicut se habet actus quilibet ad id, cuius est actus, ita se habet quælibet duratio ad suum instans. Actus autem ille, qui mensuratur tempore, differt ab eo, cuius est actus, secundùm scilicet rem, quia mobile non est motus; & differt secundùm rationem successionis, quia mobile non habet subiectum numerorum successiuorum, sed permanentium. Et propter hoc eodem modo, quo differt mobile à motu, dicitur ita differre instans temporis, quod mensurat mobile, à tempore, quod mensurat motum. Differt primò secundùm rem, quia *nunc* non est tempus, sicut nec mobile est motus: secundò secundùm rationem successionis; quia tempus est successiuum, non autem instans. Actus autem, qui mensuratur æuo, scilicet ipsum *æuiternum*, differt ab eo, cuius est actus, non re, sicut aliàs declaraui, quia *esse* non est res alia ab essentia, nec successiuè, vt dicunt aliqui, quia vtrumque est sine successione. Sed ita differt instans æui ab æuo, sicut differt id cuius est actuale *esse*, ab ipso *esse*. Æternitatis verò differt à suo *nunc* sola ratione, sicut *esse* diuinum, quod mensuratur æternitate, differt à diuina essentia, inquantum æternitas respicit diuinum *esse*, vt *nunc* æternitatis quiditatem ipsius ad modum quo vnus differt à suo esse, & quiditas Angeli à suo esse. 11.

Quamuis ista differentia æternitatis, æui, & temporis ad sua instantia videatur vera sequendo doctrinam Aristotelis, 4. *Physicor. text. comm.* 103. & 104. dicentis, quòd instans est idem in toto tempore secundùm substantiam, differens secundùm *esse*: tamen secundùm prædicta in præcedentibus quæstionibus, quibus dictum est, quòd non est idem instans in toto tempore, in quo est multiplex *mutatum esse*, non videtur esse vera. 12.

Quod etiam dicitur, quòd sicut tempus sequitur, & mensurat motum, & instans mobile; sic æuum, & æternitas sequuntur & mensurant ipsum *esse* actuale: *nunc* autem æui, & æternitatis fundatur in eo, cuius est *esse*: hoc non videtur verum, quia sicut tempus præsupponit verum motum, sic instans temporis fundatur in tempore; & ita instans æui & æternitatis fundatur in æuo & æternitate: *esse* autem, cuius mensura (vt dicit ista positio) est æuum & æternitas, fundatur in eo cuius est *esse*; cuius mensuram dicit esse *nunc* æui & æternitatis.

Præterea *esse* est actus entis inquantum *ens* accipitur pro essentia, & pro illa entitate, de qua est scientia, quale est essentia, & hoc est ens, quod habet existentiam in Deo, per cuius oppositum id dicitur *non ens*, quod impossibile est esse, cuius *esse* non est actus. Si ergo æuum & æternitas sunt mensura

mensura ipsius *esse* rei æuiternæ & æternæ ; *nunc* autem æui, est mensura ipsius *esse* rei æuiternæ: *nunc* etiam æternitatis rei, cuius est *esse*, sequitur, quòd æuum & æternitas sunt mensura actus existentiæ, & earum *nunc* mensurant essentiam. Quod dico falsum est, quia essentiæ, inquantum essentia, nulla debetur mensura durationis; sed solùm ipsi *esse* actuali.

13. *Quale est instans æternitatis.* Secundò videtur dicendum, quòd instans æternitatis, & æternitas Dei, sunt idem re, & æqualis ambitûs; & vnum sit alterum, & dicuntur ad inuicem; non tamen instans quod est principium, & finis, vel generationis, vel corruptionis in *mutato esse*, cùm talia non sint in Deo: sed dicitur instans, sicut in tempore dicitur instans vt principium, diuinum esse, inquantum correspondet rei spirituali, vt præsentialiter existens dicatur mensura instans æternitatis: vt secundùm hoc æternitas vt coëxistit præsenti instanti temporis, sortiatur nomen instantis; vt *nunc* coëxistit toti tempori, claudens omnes differentias temporis, dicatur esse instans.

Et si dicas, quòd secundùm hoc nos concipimus in æternitate diuersa instantia fluxibilia, & transeuntia, ex quo instans accipitur in ea per correspondentiam ad instans præsens in tempore. Dico, quòd sicut diuinum *esse* in vnico indiuisibili complectitur omnes perfectiones creaturarum; & cum hoc mens concipit illas sub variis rationibus attributas; sic vnica mensura diuinum *esse* indiuisibile, quod est æternitas, comprehendit in vnico simplici indiuisibili omnes differentias, & fluxus temporum. Sed mens nostra comprehendit coëxistentiam eius ad diuersas partes temporis, secundùm conceptionem diuersorum æuiternorum. Quæ diuersitas est solùm in intellectu, non in ipsa æternitate, sicut aliàs dictum est * de attributis diuinis: & isto modo non est inconueniens in diuina mensura esse varietatem & fluxibilitatem, sicut non est inconueniens in Deo esse varietatem attributorum.

* suprà n.6. & 8.

14. *Nunc* autem æui ab ipso ampliùs videtur differre; quia non stante simplicitate, sicut æternitatis, si æuum habet aliquam successionem secundùm aliquos (de quo infrà videbitur) tunc instans æui dicitur, quo æuiternum nunc primò habet *esse*, vel in quo potest amittere suum *esse*; vel quod est aliud, & aliud in duratione, quæ est æuum. Quamuis non sit ita, possumus dicere, quòd instans æui acceptum secundùm rationem instantis, est indiuisibile & in se, & quantùm ad existentiam: vt dicimus, quòd instans æui est, quo æuiternum primò habet *esse*, vel quo debuit esse, si Deus annihilaret Angelum. Nunc enim primò esse, vel nunc primò non esse non habet rationem indiuisibilis, vt coëxistit tempori, sed solùm instanti temporis: quia accepto *nunc* præsentis temporis, non est verum dicere, quòd Angelus erit creatus, vel erit annihilatus, vel quòd in isto *nunc* temporis habeat primò esse, vel habeat primò non esse; sed solùm fuit verum in illo instanti temporis, cùm coëxistebat *nunc* creationis, vel annihilationis.

Propter quod nunc primò esse æuiterni, quamuis illud primum esse acquiratur in æuo, inquantum nunc est, primò, transit, & est indiuisibile in se, & quoad coëxistentiam, quia non existit, nisi vni instanti temporis, quod non manet. Et sic quamuis æuum, & *nunc* æui sint idem re, si sit mensura omnino simplex, cùm æuum accipiatur secundùm quod mensurat totam durationem, per quam æuiternum coëxistit tempori, vel partibus eius; instans verò eius accipitur secundùm quod idem æuum concipitur sub ratione indiuisibilis, & æui, & quantùm ad coëxistentiam: quia sub ratione instantis non coëxistit *nunc* æui parti temporis, sed solùm instanti temporis. Et secundùm hoc concipiuntur ab imaginatione diuersæ rationes diuersorum instantium in æuo, secundùm quòd coëxistit diuersis partibus temporis; quamuis illa instantia sint idem omnino, quòd æuum, solùm distincta & varia secundùm imaginationem. Nec tamen sunt ita eadem cum æuo, sicut instantia æternitatis cum æternitate, quia in æternitate tale quid figurabile non est ex parte eius, sicut in æuo; vt dicam æternum nunc primò est, vel nunc primò non est. Instans verò temporis est indiuisibile propter aliud, & aliud non discretum actu per propriam receptionem, sed in potentiâ: tempus verò est diuisibile idem semper inquantum ex partibus constitutum: & sic patet primus articulus quæstionis.

ARTICVLVS II.

Respondetur ad titulum quæstionis.

Circa secundum, ex quo visum est quomodo se habent instantia ad illa, quorum sunt instantia, videndum est quomodo se habent inter seipsa quantùm ad identitatem. Circa quod fuit multiplex modus dicentium. Vnus, quòd *nunc* æternitatis, æui, & temporis sunt idem *nunc* secundùm substantiam, differentia secundùm *esse*: cuius signum est quòd æternum, & æuiternum, & temporale in eodem *nunc* habent *esse*. Verum est enim, quòd simul *nunc* est Deus, Angelus, & motus; non tamen istæ tres mensuræ *æternitas, æuum, & tempus* sunt vna mensura. Licèt enim idem sit *nunc* in omnibus secundùm substantiam, tamen recipit *esse* diuersum, vt respicit *esse* æternum, æuiternum & temporale. Idem *nunc* est fluens à priori in posterius, & à præterito in futurum: & sic ipsum *nunc* fluens facit tempus. Vt autem respicit *esse* æternum, & *nunc* substat permanens, fixum; vt nec transeat actu, nec potentiâ, nec fertur, nec fluit, sed permanet, & sic facit æternitatem: vt autem respicit æuiternum, videtur se habere medio modo; quod licèt permaneat, & non fluat, est tamen in potentia vt esse desinat; & de se tendit ad *non esse*, sicut res æuiterna. 15. *Quomodo se habent instãtia ad ea, quorum sunt instantia.* *Quidam dicunt esse eadẽ secundùm substantiam, diuersa secundùm esse.*

Quia igitur ipsum *nunc*, vt est *nunc* æternitatis, æui, & temporis, accipit *esse* diuersum; ideò accidit, quòd tempus non est idem, quòd æuum, vel æternitas. Sicut ergo corpus mobile, vtpote cœlum, non variatur secundùm subiectum, sed est idem motum, & non motum, differens solùm secundùm *esse* & rationem, sic *nunc* est idem in istis tribus mensuris secundùm substantiam, differens secundùm *esse* & rationem. Quia vt latum, vel fluens, est *nunc* temporis; vt non latum, nec fluens actu, nec potentia deficiens, est *nunc* æternitatis; vt non fluens, sed in potentia, ad *non esse* tendens est *nunc* æui: ideò est idem secundùm substantiam, differens secundùm *esse*, vel rationem. Propter quod dicunt quòd circumscriptis istis differentiis entium *fluens & non fluens*, remanet vnum *nunc* secundùm substantiam & secundum *esse*. Vnde sicut idem corpus per essentiam potest esse delatum; sic idem *nunc* est recipiens fluxum

fluxum & non recipiens: vt sic dicamus in his tribus esse idem *nunc* secundùm essentiam, & quiditatem, differens secundùm actualitatem existentiæ; & per consequens secundùm rationem mensurandi.

16. *Improbatur hæc sententia.* Positio autem ista stare non potest, quia multùm non differunt *esse* & essentia: constat autem quòd æternitas sit mensura simplicissima, sicut patet ex natura mensurati, cùm est vnigenea. Patet quòd *nunc* æternitatis non est minùs simplex, quàm ipsa æternitas: immò, vt supradictum est *, non est aliud ipsa æternitas, & *nunc* æternitatis secundùm rem: & ita *nunc* æternitatis est simplicissimum:& quia simplicissimum est in termino, non differt in eo *esse* & essentia; sicut nec in Deo; & ita si differt secundùm *esse*, differt secundùm essentiam.

** num. 13. Probatur hæc instantia inter se differre.*

Item, sicut se habent mensuræ ad inuicem, sic se habent termini mensuratum: vt sicut tempus ad lineam, ita instans ad punctum: ergo sicut mensuræ istæ tres differunt secundùm essentiam, ita & termini.

Item, *nunc* æternitatis correspondet pro mensura ipsi essentiæ per aliquem modum suæ existentiæ: sed nec res, nec modus est in Deo, quin differat essentialiter à re,& modo cuiuslibet creaturæ: ergo instantia differunt necessariò secundùm essentiam.

17. Item, si idem *nunc* secundùm essentiam, differens secundùm *esse*, aut differt secundùm *esse* substantiale, aut accidentale: constat quòd non secundùm *esse* accidentale, quia quod est simplicissimum, vt Deus, non est alicuius accidentis susceptiuum; ergo *nunc* æternitatis non differt ab aliis *nunc* secundùm *esse* accidentale; quia tunc esset accidens: ergo si differt secundùm *esse*, differt secundùm *esse* substantiale; secundùm *esse* substantiale variatur substantia; ergo *nunc* æternitatis non potest differre à *nunc* æui & temporis secundùm esse substantiale, quin ab ipsis differat secundùm substantiam.

Item, duo indiuidua eiusdem speciei, vt Socrates & Plato, sunt idem in essentia, & differunt secundùm *esse* accidentale: quia autem talia sunt idem in specie, eâdem mensurâ mensurantur, & numero in eodem genere: quæ non possunt conuenire *nunc* æternitatis, & æui, & temporis, quia illud est incorruptibile actu & potentiâ; ista autem sunt corruptibilia, vel actu, vt *nunc* temporis; vel potentiâ, vt *nunc* æui: corruptibile autem & incorruptibile differunt secundùm genus; vt in fine 10. *Metaphys. text. com.* 26. dicitur.

Item, quamuis idem corpus secundùm essentiam possit esse delatum, & non delatum, motum & non motum; tamen impossibile est, vt idem corpus secundùm essentiam in suo *esse* sit mutabile, & non mutabile, fluens & stans. Cùm ergo temporale & æuiternum simul sint, scilicet, idem est instans eorum secundùm essentiam; & idem simul & secundùm essentiam est mutabile & immutabile, corruptibile & incorruptibile; fluens & permanens; quod est impossibile.

18. Præterea, non valet simile adductum de corpore moto, & non moto; quia moueri, & non moueri non insunt corpori illi secundùm essentiam, sed secundùm accidentia extrinseca: immutatione autem inest *nunc* æternitatis per essentiam; & mutatione inest *nunc* temporis per essentiam.

Item, *nunc* æternitatis, vt visum est, non differt ab æternitate, quamuis habeat aliquam rationem: ergo secundùm rem quidquid mensurat æternitas, idem mensurat *nunc* æternitatis; &ècontrario: sed tempus mensurat ipsum motum, *nunc* temporis mensurat *mutatum esse* tanquam propria mensura: ergo si idem est secundùm substantiam, videlicet *nunc* instans æternitatis, & tempus, *nunc* æternitatis mensurat *mutatum esse*, tanquam propriam mensuram, quod est impossibile: quia *mutatum esse*, sequitur motum; motus autem non est in Deo.

Responsio autem quâ dicitur, quòd Deus, & Angelica virtus, & motus, simul sunt in eodem instanti, ergo idem instans est horum trium: non valet, quia sicut *simul esse in loco* dicitur dupliciter, vel quia habent eundem locum propinquum, quo eorum quantitas mensuratur; sicut dicimus, quòd corpus glorificatum est cum non glorificato; vel quia simul quodlibet est in loco, quodlibet tamen in proprio; vt ego & tu simul sumus in loco, quia scilicet, dum tu es in tuo loco, ego sum in meo: & qui sic sunt in loco, non habent eundem locum proprium, sed dicuntur simul esse per coëxistentiam: sic simul in tempore, vel in instanti dicuntur aliqua duo simul durare, quia sunt simul in eadem mensura, quâ mensurantur: sicut dicimus te legente Sol oritur simul, quia eadem hora mensurat actum legendi & ortum Solis: & duo *mutata esse* simul sunt, quia sub eodem instanti temporis vbicunque duo motus terminati sunt.

Dupliciter aliqua possunt coëxistere. Respondetur tacitæ obiectioni.

Alio modo dicuntur aliqua esse simul tempore, vel instanti, per coëxistentiam, non secundùm mensuram: & isto modo dicitur quòd Deus, Angelus, est motus, simul sunt, quia quando vnum est, alterum est; non quidem quando vnum est in sua mensura, alterum est in eadem: sed quando vnum est in propria mensura, vt Deus in æternitate, Angelus est in sua, vtpote in æuo; & motus in sua, vtpote in tempore. Et quia æternitas coëxistit toti fluxui temporis, ideò Deus simul est cum omni ente temporali, & cum omni æuiterno: sicut ergo æternitas, æuum, & tempus sunt diuersæ mensuræ secundùm essentiam; sic *nunc* illarum mensurarum differunt ad inuicem secundùm essentiam. 19.

Quorum differentia aliqualiter potest colligi ex his, quæ dicta sunt in primo articulo; & potest hoc rationibus suaderi: Primò ex mensuræ & mensurati proportione sic; diuinum quippe *esse* est extra, & supra omne genus *esse*, ens creatum est in genere & intra genus: sed mensura est proportionata mensurato: ergo non potest ens in genere esse mensura entis extra genus; sed æternitas & *nunc* æternitatis sunt extra genus; ergo si mensura proportionatur mensurato, & ens extra genus non potest esse propria, & per se mensura entis in genere: ideò nec æternitas, nec *nunc* æternitatis potest esse mensura alicuius entis creati. Cùm igitur ea quæ naturam generis participare non possunt, non possint dici idem in essentia, si id, quod est extra omne genus, & id quod est in genere, non participat idem genus, quale est *nunc* æternitatis, & temporis, nullo modo sunt idem *nunc* in essentia.

Nunc æternitatis, æui, & temporis quomodo differant.

Secunda ratio sumitur ex entis creati & increati essentiali definitione. Quod enim est simplicissimum, ita est omne quod habet, vt nihil sit in eo, quod non sit ipsum vt est omne quod est in Deo, qui est simplicissimus, sed 20.

ſed æternitas eſt in eo; ergo eſt vt diuinum *eſſe:* ſed *nunc* æternitatis eſt in æternitate; ergo *nunc* æternitatis eſt id ipſum, quod *eſſe* diuinum; ſi ergo *nunc* æternitatis eſt idem per eſſentiam, quod *nunc* æui & temporis; ergo cui eſt eſſentiale *nunc* æui & temporis, eidem eſt eſſentiale *nunc* æternitatis: ſed *nunc* æui eſt eſſentiale ipſi æuo, *nunc* temporis ipſi tempori: ergo *nunc* æternitatis eſt eſſentiale tam æuo, quàm tempori; ſed *nunc* æternitatis non eſt aliud, quàm diuinum *eſſe*, & ipſe Deus: ergo Deus eſt eſſentia æui, & temporis: quod eſt apertè falſum: non ergo iſta *nunc* ſunt idem in eſſentia: tunc enim *nunc* temporis eſſet idem realiter, quod Deus; ſicut *nunc* æternitatis eſt idem, quod Deus.

Tertia ratio ſumitur ex finiti ad infinitum proportione. *Eſſe* infinitum inquantum infinitum, eſt improportionabile finito inquantum finitum: quæcunque autem habent aliquid idem eſſentiale commune, ſunt neceſſariò proportionabilia; ergo impoſſibile eſt quòd infinitum, & finitum habeat aliquid aliud commune eſſentiale, ſed æternitas de ratione ſua eſt infinita, quia debet eſſe vnigenea menſurato; æuum, & tempus eadem ratione ſunt finita eſſentialiter, ſicut omnis creatura: ergo impoſſibile eſt, quòd habeat aliquid commune eſſentiale: *nunc* autem æternitatis eſt eſſentiale æterno, *nunc* æui & temporis, æuo, & tempori; ergo impoſſibile eſt quòd iſtarum ſit idem *nunc* per eſſentiam. Similiter etiam *nunc* æui, & temporis conſequuntur æuum & tempus, & cùm in ipſis fundentur, neceſſe eſt, quòd *nunc* æui & temporis ad inuicem differant; ſicut differt æuum à tempore: quæ quidem differentia aliqualiter tacta eſt in primo articulo.

Quæstio XXIII.

Vtrùm ſit idem inſtans in toto tempore ſecundùm rem, diuerſum tamen ſecundùm eſſe?

Vide Doctores citatos *quæſt. antecedenti*, & Henricum *Quodl.* 5.*q.*13. *& Quodl* 9.*q.*2. Gregor. *in* 2. *diſt.*1.*quæſt. vlt.*Durand.*diſt.*2.*quæſt.*3. Suar. *in Metaph. diſp.* 50. *ſect.* 5. Vide Doct. *in* 2. *diſt.* 2.*quæſt.*1. *&* 2. *& de primo princip.c.*3.*& in Theorem.*§.*Conceſſis quatuor concluſionibus.*

1. Respondeo (ſicut dicit Commentator, *cap. de Vacuo text.com.*57.) in eis quorum obſcurum eſt *eſſe*; quale eſt *eſſe* temporis, inſtantis, & ſimilium, quæ modicam habent entitatem, priùs oportet ſciri quid ſint, quàm an ſint, & quomodo ſint? In quæſtione igitur iſta priùs oſtendetur, quid *inſtantis* nomine importetur. Secundò quomodo inſtans ad tempus comparetur.

Articvlvs I.

Aſſignatur propria ratio inſtantis.

Circa primum eſt ſciendum, quòd *inſtans* ſecundùm nominis rationem, poteſt dici quaſi *non ſtans*; vel quaſi *inſtans*, id eſt, *appropinquans.* Has autem duas rationes, ſcilicet inſtans, id eſt, *non ſtantis*, ſed tranſeuntis; & inſtans, id eſt, *appropinquantis*, inuenimus in aliquo, quod eſt in motu. Cùm enim, vt aliàs dictum eſt *, motus non ſit aliud, quàm ſucceſſio continua transmutationis à priori in poſterius eius rei, ſecundùm quá mobile mouetur, ſiue ſit qualitas, ſiue locus, cuius quidem motus nihil eſt in actu, niſi ſimplex mutatio inſtantanea, & per eam eſt totus motus, qua quidem mutatione id quod mouetur motu locali (in quo eſt euidenter ratio motus) mouetur ſemper ſuper ſpatium ſibi æquale, vt dicitur 6.*Phyſicor. text. com.* 89. Vnde apertè patet quòd ſi ſignificatio nominis, quod eſt *inſtans* in motu, vel in aliquo, quod eſt in motu, inuenitur, per naturam motus natura *inſtantis* poterit iudicari. Quia etiam inſtans, (vt iam videbitur) eſt aliquid temporis; tempus autem eſt paſſio motus: ſubiectum autem, quod cadit in definitionem paſſionis, ducit in notitiam paſſionis; ergo motus in notitiam temporis, & per conſequens inſtantis, quod eſt aliquid temporis.

* quæſt. 18. num. 18.

Nunc autem in motu videmus eſſe mobile, motum, initium motus, *nunc*, & eius continuationem, & vnitatem: & videmus quòd mobile in motu continuo ſemper habet aliud, & aliud *eſſe*, ſecundùm naturam illius rei, ſecundùm quam mouetur. Nam ſi in aliquo tempore, dum mouetur localiter, eſſet in eodem ſitu, vel in eodem gradu albedinis, vel illius rei, ſecundùm quam mouetur, tunc quieſceret: propter quod mobile ſemper variatur ſecundùm *eſſe*, quod recipit à variis gradibus rei, ſecundùm quam mouetur.

Ex his igitur, quæ videmus in motu, dicunt aliqui quòd quatuor modis accipitur *inſtans*: vno modo, vt eſt actu initium temporis, vel actu finis eius, ſecundùm quòd menſurat motum habentem initium & finem. Et iſto modo realiter in tempore ſunt ſolùm duo inſtantia, quorum primum fuit principium temporis; ſuppoſito quòd motus cœli non fuit æternus, vt modo ſupponimus, & quòd aliquando ceſſabit motus cœli, vt modò ſuppono. Hæc duo inſtantia ponũtur actu, & realiter in tempore, ſuppoſito quòd ſecundùm veritatem inceperit, & terminabitur: iſto modo *inſtans*, dicitur, quaſi *non inſtans*, quia illa inſtantia nullam moram habuerant. Iſta duo inſtantia quaſi ſimilantur duobus punctis, inter quæ ſtat linea finita; quæ ſunt actu in linea, & nullum aliud eſt in ea actu. 2.

Inſtans quatuor modis accipitur. Prima acceptio.

Eſt etiam aliud *inſtans* in potentia non actu; quod quidem ſignabile eſt per imaginationem, vel intellectum in quacunque parte temporis: tale autem inſtans non poteſt poni in tempore realiter, aut in eſſe continuo; quia ſicut inſtans quod actu ponitur in principio temporis terminat ipſum ex parte antè, & illud quod ponitur in fine, terminat, & interrumpit ipſum à parte pòſt: ſic ſi aliquod inſtans actu ponitur intra continuationem temporis, neceſſariò ipſum dirimeret, & diuideret: ſicut ſi in linea præter punctum initiatiuum poneretur punctum actu, neceſſariò ea interrumperetur, & diſcontinuaretur.

Secunda acceptio.

Inſtans quomodo eſt in tempore continuo & punctum in linea.

Tale autem inſtans ſumptum ſolùm in potentia, eſt inſtans commune ad illud, quo partes temporis copulantur, & continuantur: quia ex hoc dicitur continuum, quòd vbique ſignari poteſt inſtans. Vnde non eſt intelligendum, quòd à tali inſtanti trahat continuitatem: quia tunc ſicut inſtans non eſt niſi in potentia, ſic tempus non eſſet actu continuum, ſed ſolùm in potentia. Sed in continuo inſtans tale in potentia dicitur eſſe continuans, quia ſicut inſtans actu non eſt, niſi vbi eſt realis diuiſio; ita inſtans in potentia non eſt, niſi vbi eſt realis continuitas, & habet ſe ad 3.

continuitatem in ratione signi; quia est signum continuitatis, non causa.

Quòd autem illud instans continuitatis non sit actu in tempore, planè dicit Auicenna in lib. 2. *Physicor.** *cap.* 12. vbi loquens de instante continuante dicit: *Continuans autem non habet* esse *in actu, in eo quod habet distentionem rectam secundùm quod est continuans.* Et subdit: *non enim haberet* esse *in actu, nisi interrumperetur tempus aliquo modo interruptionis.*

* sufficientia. 2. lib. cap. 12.

Tale etiam instans dicitur, quasi *non stans*; quia sicut totus motus, & tempus est in successione, sic signabilia in eo sunt in successione sine permanentia.

4. *Tertia acceptio.* Est aliud instans non reale, sed imaginatum, vel intellectum; quod non imaginatur, vel intelligitur solùm in potentia, immò imaginatio accipit ipsum actu. Tale autem instans, quo tempus numeratur, & quo mediante tempus propriè acceptum, quod sequitur motum cœli, mensurat alios motus per aliquam sui partem, à nobis imaginabiliter acceptam, cùm dicimus quòd iste motus durauit vnâ horâ, vel die, vel anno. Non enim hora ab hora, vel dies à die, vel annus ab anno discontinuatur, quia totum tempus acceptum est vnum & continuum. Sed nos imaginamur diuisiones in illo tempore secundùm diuisiones reales, & actuales motuum realium. Et ideò, vt patet, nisi tale instans acciperetur ab anima, tempus non mensuraret motum; nec posset diuisio partium temporis imaginari.

Quarta acceptio. Est quartum genus instantis, de quo dicitur, quòd est idem in essentia in toto tempore, diuersum tamen secundùm esse.

Articvlvs II.

Qualiter instans ad tempus comparetur?

5. *Quidam asserunt vnum nunc esse in tempore.* Circa secundum: hoc instans, secundùm doctrinam Aristotelis 4. *Physicor. text. comm.* 105. sequitur mobile, sicut tempus motum; ideò est in mobili, vt in subiecto: & est mensura mobilis sub forma, quà mobile. Quamuis autem hoc instans habeat idem *esse* secundùm substantiam in toto tempore, tamen continuè renouatur, & variatur, quantum ad *esse* respectiuum; sicut ipsum mobile est idem in toto motu secundùm substantiam: sed variatur continuè quantum ad *esse*, quod recipit secundùm diuersos gradus illius motus. Sicut autem illa *esse* secundùm quòd variantur, non sunt actu in motu continuo, sed solùm in potentia; præter hoc, quod est in fine motus, quia sunt quædam *mutata esse*: sic *esse* aliud, & aliud ipsius instantis, non sumitur actu, sed potentia; quia si *esse* istius instantis, quod fit in toto tempore actu accipitur, tunc tempus actu diuiditur: sicut vbi accipitur *mutatum esse* in actu, ibi motus terminatur. Vnde erit instans initians, & terminans tempus siue realiter, siue secundùm veram imaginationem. Sicut igitur mobile idem est secundùm substantiam, habens aliud, & aliud *esse*; quæ *esse* non accipiuntur in actu, sed potentia, nisi in fine motus: secundùm quem modum dicimus, quòd res, quæ mouetur continuè quocunque motu, semper aliter, & aliter se habet: sic est idem instans secundùm substantiam in toto tempore consequens mobile, vt tempus motum, habens tamen aliud esse: quorum varietas, siue quæ varia *esse*, non sunt actu, nisi in fine motûs.

Hæc est sententia Aristotelis 4. *Physicor. text. comm.* 104. *cap. de Tempore;* vbi dicit: *Ipsum autem nunc est quidem sicut idem; est verò sicut non idem: secundùm quidem quod in alio, & in alio est, alterum est,* &c. Et post pauca. *Id autem quod fertur, sequitur ipsum* nunc, *sicut tempus motum.* Ecce igitur quòd secundùm ipsum idem est *nunc*, seu instans in toto tempore, fluens cum tempore secundùm aliud, & aliud *esse*. Videtur autem Aristoteles rationem huius dicti sumere: quia nisi idem *nunc* ponatur in toto tempore, sequitur, aut quòd *nunc* immediatè sequitur *nunc* in tempore; aut quòd ipsum *nunc* commetiatur se tempori in durando. Si item idem *nunc* non manet, oportebit quòd desinat esse, & hoc vel in seipso, & tunc simul est, & non est: vel in *nunc* sequenti immediatè, & tunc in tempore sunt plura *nunc* consequenter se habentia, quod est impossibile; vel in tempore, & tunc *nunc* idem, quod corrumpitur, commetitur se durando tempori diuisibili, quæ omnia sunt impossibilia. Oportet ergo vnum *nunc esse* in tempore toto. 6.

SCHOLIVM.

Fermè omnia, quæ hîc tractat Scotus, habet in 2. dist. 2. quæst. 1. & 2. vbi latè impugnat asserentes vnum nunc secundùm substantiam esse in toto tempore; & quæst. 1. num. 16. ex S. Bonauentura docet, quomodo nunc temporis corrumpatur, aut desinat: & quæst. 9. quòd instantia sint simul actu, & potentia in tempore, vti & indiuisibilia in continuo; instantia autem actu concedit duo, vnum in initio, aliud in fine temporis; quod etiam docet quæst. 2. num. 6. Vide Fabrum theorem. 51. circa dubium principale huius quæstionis.

Quomodo autem tale vnum *nunc* ponatur in tempore, non video esse verum. Primò quidem, quia nihil fluens inuenio in toto motu, nisi ipsum motum, siue formam, secundùm quam mobile mouetur continuè: ergo ex parte mensuræ non est fluens, nisi secundùm quòd respondet motui, vel formæ, vt est in motu: illud autem est tempus, non instans. *Non dari vnum nunc in toto tempore. Probant primò.*

Secundò, quia mobile vt est subiectum motus, manens idem secundùm formam, quodam æuo mensuratur, non autem à *nunc* temporis. *Secundò.*

Tertiò, quia cùm idem non fluat, nec alterationem siue aliud, & aliud *esse* recipiat, nisi immediatè per motum, vel per formam, vt continuo motu acquiritur, sicut illa alia, & alia *esse*, quæ sunt quædam *mutata esse*, & potentia fundantur immediatè supra motum, vel super formam, vt est in motu: non autem fundantur in mobili, nisi ratione motûs, seu formæ respondentis illis variis *esse*, siue diuersis *mutatis esse*, acceptis in potentia, fundantur verò immediatè super tempus, & non illa instantia sumpta in potentia, de quibus dicit Aristoteles, quòd sunt aliud, & aliud *esse* instantis, quod manet idem in toto tempore, non videntur fundari in tali vno instanti, sed solùm in continuo temporis, inquantum talia, vt suprà dixi, possunt signari. *Tertiò.*

Ex hoc etiam quòd Aristoteles ponit vnum tale instans in tempore, non videtur vitare talia inconuenientia, immò potiùs videntur sequi è positione talis instantis. Cùm enim idem instans non fluat, nec eius fluxus continuitates quantitatis. 7.

tatis habeat, nisi vt variatur secundùm *esse*, sequitur quòd vnum *esse* illius instantis immediatè sequatur ad aliud *esse* instantis; & sic indiuisibile consequitur indiuisibile.

Sequitur etiam secundùm hoc, quòd vnum instans, quod est fluens, secundùm aliud, & aliud *esse* coëxistat toti tempori.

Præterea quòd est aliud secundùm fluxum, manens idem secundùm successionem, & varium secundùm *esse*, ibi motus, tempus, & *nunc*, videtur esse aliud.

Nec valet, quod dicitur, quòd *nunc* sequitur illud, ad quod refertur, sicut tempus motum; quia videtur quòd potiùs *nunc* sequatur *mutatum esse*, quàm mobile. Vnde *nunc* in actu sequitur *mutatum esse* in actu; quod non est nisi in fine motus, vel in initio, quamuis in principio motus non sit propriè *mutatum esse*: & *nunc* in potentia sequitur *mutatum esse* in potentia, sicut tempus sequitur motum actu & potentia. Sicut enim *mutatum esse* diuidit actu partes motus alterationis, potentiâ tamen sumptum continuat partes eius, modo iam dicto, sic *nunc* actu sumptum partes temporis diuidit, sumptum verò in potentia eius partes continuat.

Si etiam est vnum *nunc* in toto tempore, sicut mobile est vnum subiectum motus; ergo sicut mobile, vtpote cœlum, quia vnum idem est secundùm substantiam, æuo mensuratur, eius autem fluxus, siue motus tempore mensuratur; sic idem instans mensurabitur æuo, & eius fluxus tempore: & ita æuum erit mensura substantiæ temporis, quia idem instans ponitur tota substantia temporis.

8. Nec valet ratio Aristotelis quando quærit, in quo corrumpitur instans? aut in *nunc*, aut in tempore, &c. Si enim accipiatur instans pro principio & fine, & dicat solam priuationem, secundùm modum iam dictum*, tunc propriè non corrumpitur, sed est terminus corruptionis, & desitionis temporis. Si autem instans, quod est principium temporis, & finis, dicat aliquid positiuum; vel si instans accipiatur pro præsenti *nunc*, quod dicit aliquid positiuum, si quæris, quomodo corrumpitur? Respondeo, quòd in instanti, id est, in seipso; nec tamen sequitur, ergo simul est, & non est in eodem instanti: quia qui sic arguit imaginatur quòd instans corrumpatur, & quòd sit aliud instans, quod mensurat *esse* instantis corrupti, & *nunc* mensuret eiusdem *non esse*: alioquin enim non sequeretur, ergo simul, vel in eodem instanti instans corruptum est, & non est. Debet enim imaginari, quòd instans corrumpitur, id est, desinit omnino esse in seipso; nec suum *non esse* habet aliquam mensuram, nisi tempus secutum, quod est mensura sui *non esse* per accidens: in quo quidem tempore sequenti habet suum *non esse*, & ideò in tempore sequenti corrumpitur, si corruptio vocetur *non esse*. Si verò vocetur *desinere esse*, in seipso corrumpitur: non etiam est mensura in suo *esse*, & in suo *non esse*.

*quæst. 21. num. 8.

Instans quomodo corrumpitur.

9. Dico igitur, quòd instans non est actu in tempore, nisi in principio & fine temporis, supposito, quòd tempus habeat principium & finem. Nec video, quòd talia instantia actu (vt dixi aliàs) dicant aliquid positiuè; sed instans in principio dicit priuationem durationis anterioris, & positionem posterioris; instans in fine dicit priuationem vlterioris durationis, & positionem prioris. Cùm enim instans & actu & potentiâ sequitur *mutatum esse*, in principio temporis & motus, non est instans positiuè dictum, quia in principio non est *mutatum esse*; in fine autem motûs *mutatum esse*, aut dicit idem, quod terminatum esse; & hoc vno modo significat idem, quòd non ampliùs durare, & sic non dicit positiuum; aut significat idem, quòd consummatum, & perfectum esse, quod non est aliud, quàm vltimam partem rei habere. Et isto modo *mutatum esse* dicit positiuum, & est pars vltima motûs, in quantum motus est accidens naturale. Et isto modo instans tali *mutato esse* correspondens est aliquid positiuum, tam in principio, quàm in fine, inquantum motus veræ rei, quæ per motum acquiritur, habet primum est vltimum; quia minimum.

Sed isto modo non accipitur propriè *instans*, quia sic acceptum non est aliud quàm minimum tempus, vt superiùs est ostensum, & secundùm istum modum in motu & tempore continuo, non est instans in principio & fine, nisi priuatiuè acceptum: in motu verò & tempore vt sunt quid naturale, est instans in principio & fine positiuè dictum, inquantum *instans* accipitur pro minimo. *Instans* autem acceptum potentiâ, vel significatum actu per imaginationem, habet rationem priuationis; quia non est aliud *instans* sumptum potentiâ, nisi priuatio continuitatis in potentia; & instans imaginatum actu, nisi actualis diuisio, siue priuatio continuitatis facta ab imaginatione.

Si autem *instans* dicatur, non ab instantia solummodò, sed quamuis sit instabile, dicitur tamen *instans* ab *instando & appropinquando*, quemadmodum indiuisibile præsens dicitur instans, quod tamen semper est aliud & aliud, quod quidem dicitur *instans*, quia instat, & appropinquat, & per eius naturam, & entitatem, quæ sufficit ad entitatem successionis, & per quod etiam tempus dicitur breue, vel longum, prius, vel posterius; vt ex parte priori, scilicet præteriti temporis, dicitur prius, quod plus distat à præsenti, & illud etiam breuius & posterius, quod minùs distat à præsenti ex parte posteriori, & à contrario quantùm ad prioritatem & posterioritatem: nam illud tempus est prius, quod plus appropinquat ad præsens *nunc*; & posterius, quod plus distat à præsenti *nunc*. Secundùm quod dicit Aristoteles cap. de Tempore: *Prius enim & posterius dicimus secundùm ad ipsum nunc distantiam*. Instans, dico, sic acceptum, quodammodò actu, quodammodò potentiâ, est in tempore. Est quidem in actu respectu præsentis, & futuri, quæ sunt non entia; est actu, quia mobile, quod mouetur, est sub aliqua parte motus præsentis: & quamdiu tempus durat, semper cum eo est aliqua pars eius præsens; sed semper alia, & alia. In potentia verò dicitur, quia non videtur præsens, quod semper est aliud & aliud, vt in toto tempore habet *esse*, siue discretum, vel discontinuum; nec habet propriam inceptionem & propriam desitionem. Quæ enim habent propriam inceptionem, & propriam desitionem discretam, & distinctam, sunt propriè actu, & necessariò habent aliquam inchoationem, vt ostensum est in præsenti quæstione*. Præsens autem nullam habet moram: quia si haberet aliquam moram, esset ibi signare duo instantia, intra quæ præsens fixum staret, & non flueret; & ideò, vt dicit Augustinus 10.

4. Phys. text. comm. 129. *Quomodo instãs est simul actu & potentia in tempore.*

* suprà n. 2.

Augustinus 11. *Confess. cap.* 14. tunc præsens non est præsens, sed æternitas.

11. *Instans* igitur sic acceptum pro *nunc* præsenti indiuisibili, non manenti, sed fluenti, est quodammodò actu; secundùm quod dicitur: de tempore non habemus, nisi *nunc*. Est quodammodo potentiâ, quia suum *esse* non habet propriam, & discretam inceptionem, & desitionem, sicut illa, quæ propriè actu sunt. Sed eius duratio est per hoc, quod semper est aliud, & aliud præsens, non ad inuicem distincta, vel discreta, nec proprias inceptiones, vel desitiones habentia.

Ex hoc patet, quòd quamuis de tempore non habeamus nisi *nunc* præsens, quod semper est aliud, & aliud, non tamen debet dici quòd tempus componitur ex multis *nunc*: quia ipsa præsentia, per quæ fluit tempus, non sunt inter se discreta, nec discontinuata; quia non habent proprias inceptiones, & desitiones, sed sunt continua: ideò tempus est continuum, non discretum, quamuis, vt suprà dixi, sub ratione, quâ est mensura motûs formaliter sit discretum propter rationem prioris, & posterioris, quas includit, inquantum mensura, quæ dicit discretionem.

12. *Dubium* 1. Sed fortè quæres; si de tempore non sit aliquid realiter nisi præsens, non quidem vnde præsens, continuè durans, & idem perseuerans, sed propter aliud, & aliud præsens; ergo cùm nullum præsens, inquantum præsens, habeat durationem, quia statim transit & est indiuisibile: mensurata autem indiuisibilia si essent, nullam faciunt moram, vel durationem: ergo tempus nullam habebit durationem.

Dubium 2. Item, cùm ista præsentia semper sint alia, & alia (vt tu dicis) & sint indiuisibilia, quomodo possunt esse continua, vel quomodo possunt esse actu in continuo, cùm secundùm quòd prædictum est, indiuisibile actu positum in continuo tollat continuitatem?

Dubium 3. Item, secundùm istam positionem de isto *nunc* præsenti, quod semper est aliud, & aliud, videtur reuerti ratio Aristotelis reprobata; quòd scilicet idem *nunc* secundùm substantiam est in toto tempore aliud, & aliud secundùm *esse*.

13. *Respondetur ad primum. Temporis duratio vnde sumatur.* Respondeo. Ad primum dico, quòd duratio temporis non accipitur à præsenti, inquantum præsens, cùm idem sit transiens indiuisibile non permanens: sed accipitur à præsenti, vt transit in rationem præteriti; vel futuri: tota enim mora & duratio temporis consistit in mora, & duratione præteriti, vel futuri. Quamuis igitur à præsenti *nunc* indiuisibili dicatur maior, vel minor duratio (vt iam dixi) secundùm quod dicit Aristoteles, quòd prius, & posterius in tempore, secundùm quòd ad ipsum *nunc* distantia accipitur, & respectiuè dicamus tempus longius, tam ex parte præteriti, quàm futuri, secundùm quod magis distat à præsenti *nunc*; tamen longitudo, vel breuitas temporis, non est in ipso *nunc* præsenti, sed in eo, quod distat ab eo: sicut signato puncto in linea, illud non est longum, vel breue, sed indiuisibile; sed longitudo lineæ accipitur secundùm maiorem, vel minorem distantiam ab illo puncto: & sicut linea cum puncto non est longior, quàm sine puncto imaginata, sic præteritum cum præsenti nunc indiuisibili non est longius, quàm per se sine *nunc* præsenti acceptum.

Si dicas, quòd nihil est præteritum, vel futurum, quod non fuerit præsens: sed præsens dum aderat erat indiuisibile; ergo præteritum & futurum sunt indiuisibilia, & sic adhuc præteritum & futurum non faciunt moram.

Respondeo, dico quòd præsenti, inquantum præsens, aliquid repugnat, vtpote mora, vel duratio; quod non repugnat ei inquantum præteritum, vel futurum: præsens enim manens præsens durationem habere non potest; nam tunc esset æternitas, vel æuum, vt dicit Augustinus 11. *Confess. cap.* 14. sed præteritum manens præteritum, vel futurum, durationem habet, nec ei repugnat longum, vel breue, quamuis hoc repugnet præsenti.

Vel potest dici ad primam obiectionem, quòd tempus habet durationem ab ipso præsenti durante; non quidem quod idem *nunc* præsens continuè duret; nam hoc esset æternitas, vel æuum; sed durat ipsum præsens per hoc, quod semper est aliud, & aliud. 14. *Alia responsio ad primũ dubium.*

Quòd si dicatur, quòd non est dare præsens in toto fluxu temporis quantumcunque aliud, & aliud, quod non sit indiuisibile: indiuisibilia autem non sunt continua; nec etiam durationem facerent, dato quòd consequenter se haberent.

Dico, quòd indiuisibilia accepta vt actu existentia ab inuicem distincta, vel discreta, consequenter se habere non possunt in aliquo continuo: & dato quòd sic se haberent, adhuc durationem non facerent. Sed in potentia accepta, nec ab inuicem discreta, vbique in continuo signari possunt, nec continuitatem tollunt, sed eam supponunt.

Per hoc patet solutio ad id quod postea quæritur: quia enim non sunt actu talia præsentia in tempore, quia inter se discreta, & propriam inceptionem, & desitionem habentia; sed sunt quodammodò actu, quodammodò potentiâ, ideò continuitatem non tollunt. 15. *Respondetur ad secundum dubium.*

Patet etiam ex prædictis, quòd sit ponere tempus durare per hoc quod ponitur, quòd præsens semper durat, quamuis aliud, & aliud, non propter hoc ponitur vnum instans in toto tempore, sed ponitur quòd ipsum tempus in sua duratione claudit semper aliud, & aliud præsens, quod quidem præsens dum transit, cadit à ratione præsentis, & transit in præteritum: quod etiamsi inquantum tale sit non ens, per hoc tamen quòd continuatur ad præsens *nunc*, habet quendam modum debilis entitatis, quæ sufficit successioni. Sed si præteritum imaginetur, vt discretum à præsenti *nunc*, & non continuatum ad ipsum, omnino est non ens. *Ad tertium dubium.*

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm instans, quod secundùm se est indiuisibile, possit diuidi secundùm rationem mensuræ; & per diuersos respectus possit opposita mensurare, & quodammodò naturam plurium signorum habere?

Vide Doctores citatos *quæst.* 22. & 23.

RESPONDEO: ad huius quæstionis euidentiam duo sunt inquirenda. Primum est, quomodo possit accipi in ratione continui? Secundò: quomodo potest accipi in ratione mensuræ propriæ, & specialis. 1.

ARTI

Articvlvs I.

Quomodo inſtans accipi poßit in ratione continui?

CIrca primum tria ſunt videnda. Primum eſt, quomodo ſe habent oppoſita quantùm ad ſimultatem? Secundum, quomodo ſe habent *eſſe ſimul*, & *eſſe in inſtanti* quantùm ad diuerſitatem? Tertium, quomodo ſe habet inſtans quantùm ad diuiſibilitatem,& indiuiſibilitatem.

Artic. I. Sect. I.

An oppoſita poßint eſſe ſimul?

Cõtraria mediata, & immediata. CIrca primum eſt ſciendum, quòd quædam ſunt oppoſita, quæ habent medium ſecundùm formam; vt contraria mediata, ſicut album, & nigrum; ſiue quæ habent formam mediam; quia inter illas duas formas contrarias cadit forma media, vt inter albedinem, & nigredinem, rubedo, & pallor. Quædam ſunt oppoſita, quæ non habent medium ſecundùm formam, ſed ſecundùm ſubiectum conſtans, ſiue actu exiſtens; & iſta ſunt contraria immediata, quæ determinant ſibi ſubiectum aliquod in genere, vt ſanum, & ægrum, quæ determinant ſibi corpus animalis, inter quæ non eſt forma aliqua media, quæ nec ſit ſanitas, nec ægritudo, ſed participat vtrumque, ſicut pallor participat album, & nigrum. Idem dico de iuſto, & iniuſto, quæ determinant ſibi animal rationale. Habent tamen talia contraria medium ſecundùm ſubiectum conſtans, ſiue actu in rerum natura exiſtens; quod non eſt ſanum, nec ægrum; nec iuſtum, nec iniuſtum, vt lapis.

2. Quædam ſunt oppoſita, quæ non habent medium ſecundùm formam, nec ſecundùm ſubiectum conſtans: ſed habent medium ſubiectum non conſtans, ſiue non exiſtens in rerum natura; ſed ſubiectum fictum, vel imaginatum, ſicut ſunt contraria generalia, vt bonum, & malum, quæ ſecundùm Ariſtotelem * in Topicis ſunt genera aliorum contrariorum. Si enim *bonum*, & *malum* largo modo accipiantur, in quolibet genere contrarietatis dicitur *bonum*, quod habet rationem perfecti, & *malum*, quod habet rationem priuationis, & incompleti. Nam, ſecundùm Ariſtotelem *, ſemper altera differentia habet rationem habitus, & per conſequens boni; altera rationem priuationis, & per conſequens mali: vt *incorporeum* dicit habitum, & bonum, *corporeum* dicit priuationem, & malum * per conſequens: ſimiliter de albedine, & nigredine. Cùm igitur tam habitus, quàm priuatio ſit præſupponens ſubiectum conſtans, ſiue exiſtens, impoſſibile eſt, quòd ſit in rerum natura aliquod ſubiectum actu exiſtens, quod ſit nec bonum, nec malum: quia nihil eſt actu exiſtens, quin habeat perfectionem ſibi competentem, vel perfectè, & ſic bonum; vel imperfectè, & ſic malum.

*lib.3.c.3. — * Met. text. com.15. — * Vide q 16. n.5.

3. Sed iſta contraria generalia, vel genera aliorum contrariorum, habent medium ſubiectum non ſtans, id eſt, non actu exiſtens: nam de ipſo albo verum eſt dicere, quòd nec bonum eſt, nec malum. Conſtat quòd non eſt bonum. Conſtat quòd non eſt malum; quia malum cùm ſit priuatio, non dicit negationem ſimpliciter, ſed in ſubiecto. Si tamen *bonum*, & *malum* accipiantur, non vt contraria generalia, ſed ſpecialia in aliquo genere, ſic habent malum, non ſecundùm formam, ſed ſecundùm ſubiectum conſtans, ſiue exiſtens. Et hoc eſt, quod dicit Commentator 10. Metaphyſ. * quia vir eremita cùm non ſit ciuis, nec pars ciuitatis; nec bonus eſt, nec malus, bonitate, vel malitia ciuis; non loquitur de bonitate, vel malitia generaliter ſumpta, de qua ſtatim ſuprà dictum eſt.

* com.16.

Quædam ſunt oppoſita, quæ nec ſecundùm formam, nec ſecundùm ſubiectum, nec cum conſtantia ſubiecti, nec ſine conſtantia ſubiecti habent medium: qualia ſunt contradictoria; quorum alterum, & non ambo, de ſubiecto, & præter ipſa nihil contingit verificari. Et ideò dicit Ariſtoteles *, quòd contradictoria ſunt, quorum ſecundùm ſe non eſt medium. Cùm igitur ex aliqua ratione ſequitur, quòd contradictoria ſunt ſimul vera, talis ratio debet mendicari ex aliquo impoſſibili, quia talia non poſſent eſſe vera affirmando; vt quòd currat, & non currat; vel negando, vt quòd neque currat, neque non currat; niſi ſit aliquod medium inter illa, cùm tamen nullum habeant medium, nec ſecundùm formam, nec ſubiectum; nec cum conſtantia ſubiecti, nec ſine conſtantia. Hoc de primo primi membri.

Vide Scot. in 1.d.2. q 2. n. 29. & ſeqq. & in 2.d.2.q.9. n.34. — * Met. text. com.15.

Artic. I. Sect. II.

An ſimul eſſe poßint in eodem inſtanti?

CIrca ſecundum, oſtendendum eſt, quòd non eſt idem dicere, quòd oppoſita ſunt ſimul, & quòd ſint in eodem inſtanti; ſi *inſtans* accipiatur non vt habens rationem propriæ menſuræ ſecundùm rationem menſuræ communis, quia oppoſita & contradictoria poſſunt eſſe vera in eodem inſtanti communi; non tamen propter hoc ſunt ſimul vera, quia non ſunt vera in eodem inſtanti proprio. Quod declarant ſic; cauſa quare duo contradictoria non poſſunt ſimul eſſe vera eſt, quia oporteret menſuram, in qua ſunt duo extrema contradictionis vera, eſſe maiorem, quàm menſuram, in qua altera pars eſt ſolùm vera: vt maius eſt tempus, quo nigrum eſt album, & nigrum, quàm tempus, in quo eſt ſolum album. Si ergo poteſt oſtendi, quòd non eſt maior menſura, in qua verificantur duo contradictoria, quàm in qua verificatur alterum ſolùm, cùm nihil aliud obſiſtat; ſatis patebit, quòd ſi in vno inſtanti poteſt eſſe verum alterum extremum, quòd in eodem ambo extrema poterunt eſſe vera; quia (vt dicunt) non reſpicit plus moræ amborum verificatio, quàm alterius ſolùm.

4. *An oppoſita poßint eſſe ſimul in eodem inſtanti.*

Quòd autem hoc ſit verum, patet; vult enim Philoſophus 8. Phyſic. * quòd ſi ex albo fiat nigrum (& ſimile eſt in aliis oppoſitis) quòd per totum tempus eſt ſub vno extremo, vtpote ſub albo; & in inſtanti alio, quod terminatur ad tempus, eſt ſub altero, vtpote ſub nigro: album autem, & nigrum ſe habent vt album, & non album; ergo ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, duo contradictoria vt album, & nigrum, ſiue non album, verificantur in tempore, & in inſtanti eiuſdem temporis. Cùm igitur tempus cum ſuo inſtanti, non ſit maius, quàm tempus tantùm: ſicut linea, & punctum non eſt aliquid maius, quàm ſola linea; ſi enim puncta facerent aliquid maius, tunc partes diuidentes totum, facerent aliquid maius, quàm ſit totum, quod eſt impoſſibile; quia totum eſt

5. * text. com. 69.

ex partibus æqualiter simul sumptis;& è contrario. Diuisa itaque linea in plures partes, vbi erat vnum punctum in potentia, post diuisionem fiunt postea duo puncta in actu: ergo si huius puncta facerent aliquid maius, illæ partes lineæ simul sumptæ essent plus, quàm suum totum: ergo non facit aliquid maius linea, & punctum, quàm linea sola; nec tempus, & instans, quàm solum tempus: ergo non sequitur aliquid maius ad verificationem duorum contrariorum, quàm vnum tantùm.

6. Sed (vt dicunt isti) benè ad eorum verificationem requiritur successio, quod non requirit alterius extremi verificatio. Si enim instans temporis immediatè succederet, non possent duo opposita verificari, vnum in tempore, aliud in instanti. Inter quæcumque autem est successio, illa non sunt simul: vnde si in eodem instanti posset esse successio illa, quæ essent in tali instanti, non essent simul. Si igitur aliquod tempus componitur ex instantibus (sicut isti ponunt) vt visum est suprà * de motu Angeli, vel de intellectionibus suis, quale etiam est tempus motûs, quo quis alio instanti esset sursum, & in alio immediatè deorsum; & tunc talis motus componeretur ex *mutatis esse*, quæ tempore discreto mensurantur: quia motus grauis, præsertim in vacuo non posset esse continuus, cùm non possit reduci ad motus cœli. Et de tali motu, & tempore, quo mensuratur, satis dictum est suprà in quæstione; *An sit tempus discretum* * ? Cùm igitur (vt dicunt) sit dare motum compositum ex *mutatis esse*, vt visum est in præcedentibus quæstionibus, cui respondet tempus compositum ex instantibus; dicunt, quòd cùm plura instantia non plus faciant, quàm vnum, quia sunt indiuisibilia; ideò non plus faciunt instantia multa propria, & infinita, quæ mensurant diuersa *mutata esse*, quàm vnum instans temporis nostri: ergo quidquid potest esse in diuersis instantibus propriis, totum id potest esse in vno instanti: si ergo potest esse sursum, & deorsum in diuersis instantibus, quæ mensurant diuersa *mutata esse*, graue potest esse in vno instanti sursum, & deorsum.

* quæst. 21.

* quæst. 21.

7. Cùm igitur secundùm prædicta ad hoc, quòd contradictoria sint vera, non requiratur maior mora, sed sola successio; ergo cùm in diuersis instantibus temporis proprij discreti sit successio, non tamen mora, cùm omnia sint indiuisibilia, patet quòd in diuersis instantibus temporis discreti contraria possunt esse vera; vt, Angelus hoc intelligit, & hoc non intelligit; graue potest esse sursum & deorsum. Et quia omnibus istis instantibus correspondet vnum, & idem instans temporis continui per coëxistentiam, sicut vni puncto centrali coëxistunt multa puncta linearum inde egredientium; quia non plus faciunt plura instantia temporis discreti, quàm vnum instans temporis continui, eo quòd quidquid potest esse in pluribus instantibus temporis discreti, tanquam in mensura propria, id idem, vel illa possunt esse in vno instanti temporis continui, tanquam in mensura communi propria. Et quia illa, quæ simul sunt in vno communi, non propriè sunt simul, sicut quæ sunt in loco communi, vt in domo, vel cœlo, non propriè sunt simul in illo, vt illa, quæ sunt in eodem loco proprio, vt corpus glorificatum, & non glorificatum: ideò contradictoria, vel opposita possunt esse simul in eodem instanti temporis continui, tanquam in mensura communi, non tamen propriè sunt simul; quia non sunt in eodem instanti, quod est eorum propria mensura, licèt in diuersis. Et huius ratio est, quia in diuersis instantibus mensuræ propriæ, quamuis non faciant plus quàm vnum instans. *Reliqua desunt.*

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm Christus sit vnum, vel plura?

Vide Doctorem *in 3. distinct. 6. quæst. 2.* & Doctores ibidem citatos.

RESPONDEO, primò declarando quòd est vnum secundùm suppositum, & plura secundùm naturam. Vnde Damascenus 3. *lib. Orthod. fidei c. 15. Vnus idémque est Christus, qui & hoc, & illud est.* Est ergo vnum, & plura Christus, vt dicunt aliqui, simpliciter, & sine distinctione, non secundùm quid: nec hoc, inquiunt, est inconueniens, referendo ad diuersa. Quòd sit plura simpliciter patet; sicut enim accidens est ens secundùm quid, & ideò vnum, vel multa per accidens secundùm quid, ita substantia est ens simpliciter: & ideò quod habet in se plures naturas perfectas, & actuales, est plura simpliciter. 1.

Christus est vnũ, & plura simpliciter.

Item, cùm substantia sit vera entitas, dicere aliquid esse duo secundùm substantiam, & naturam, non videtur diminuere de ratione pluralitatis simpliciter.

Sed videtur aliquibus quòd licèt in Christo sint duæ naturæ; quia tamen altera tantùm est diuina persona in abstracto, non debet dici duo simpliciter, sed cum determinatione, cùm non possit dici, *Christus est humana natura*, licèt possit dici, quòd *est diuina natura*. *Obiectio.*

Sed per hoc ita arguitur de quocumque ente per accidens, quòd non esset plura, cùm nulla natura prædicetur de ipso in abstracto immediatè, id non videtur impedire: quia sicut id in quo est, id est, natura, dicitur vnum, & non plura; licèt natura non prædicetur de ipso in abstracto: ita id in quo sunt plures, erit plures, licèt altera tantùm, vel etiam neutra prædicetur de ipso in abstracto. *Solutio.*

Nec sequitur, est plura, ergo plura supposita; sicut è contrario in diuinis non sequitur, sunt vnum, ergo sunt vnum supposito; licèt in creatis sequitur, est vna natura, ergo vnum suppositum, in diuinis tamen non sequitur, non propter hoc quòd natura prædicetur in abstracto, sed quia non multiplicatur. Vnitas enim, & pluralitas naturæ facit ad hoc, quòd aliquid sit vnum, vel plura, non talis, vel talis prædicatio, quæ conuenit ex diuerso modo significandi solùm; sed ex alia speciali ratione in alia, & alia natura, & respectu alterius, & alterius suppositi.

Est ergo vnus Christus simpliciter: nec oportet distinguere, quia vnum significat magis vnitatem suppositi: vnde non est alius, & alius; licèt sit aliud, & aliud. Vnde Augustinus contra Felicianum *; *Post partum Virginis, non alius Dei, & alius hominis, sed idem Christus Dei, & hominis filius fuit. Et sicut in vno homine aliud animus, aliud corpus, sic in mediatore Dei, & hominum aliud Dei filius, aliud hominis fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiæ, non aliud pro vnitate personæ.* 2.

Christus est vnus, est tamen aliud, & aliud.

* c. 11. in fin.

Verum

Verum est tamen, quòd ad hoc, quòd aliquid dicatur *plura* neutraliter simpliciter, & sine distinctione; oportet quòd sit plura secundùm supposita, & naturas; quia, vt dicitur 5. Metaphys.* *Substantia dicitur duobus modis, scilicet, suppositum, & forma, siue natura speciei.* Propter quod diuersitas vnius solùm non sufficit ad hoc, quòd aliquid debeat dici *plura* simpliciter, & sine distinctione. Vnde in omnibus talibus, in quibus sunt plura secundùm naturam, & vnum secundùm suppositum, semper respondendum est distinguendo; vt patet 1. Physic.

* text. 15.

Si autem quæratur, quid horum magis debeat dici, & quid horum simpliciter dicatur, & quid secundùm quid, cùm Christus dicitur vnum, vel plura? Potest dici, quòd ista sunt diuersarum rationum: & de vnaquaque respondendum secundùm propriam rationem. Et est quælibet vnitas simpliciter in genere suo: & similiter pluralitas: plura enim secundùm naturam sunt simpliciter: & vnum secundùm suppositum est vnum simpliciter.

Vide Scot. in 3. d. 6. q. 2.

3. *An in Christo sint plura esse.* Secundò sciendum est, quoad *esse*, quòd vnum, & ens conuertuntur: sicut Christus est vnum, vel plura; sic in ipso est vnum *esse*, vel plura.

Quidam tamen dicunt, quòd in Christo non est nisi vnum *esse*, scilicet *esse* substantiæ diuini suppositi, per quod existit humana natura, nullum aliud *esse* habens. Vnde si non caperetur à Verbo, communicaretur sibi aliquod *esse* creatum; & ita dicunt de accidentibus sacramentalibus remanentibus post conuersionem, quòd eis communicatur aliquod *esse*. Ponunt enim quòd sicut in vno subiecto sunt multa extensa vnica extensione; sic multa existentia in vno subiecto, vel vno supposito per vnum *esse* subiecti, vel suppositi.

Vide Scot. in 3. d. 6. q. 3. n. 2.

Sed hoc non videtur posse stare: cùm enim essentia, & *esse* existentiæ sit vna ratio; vbicumque reperitur ratio essentiæ, ibi reperitur & *esse* existentiæ: vnde in subiecto vbi sunt accidentia, quot sunt ibi res, quibus communicat rationem essentiæ, tot sunt existentiæ. Dato etiam, quòd secundùm istos *esse* sit aliud, cùm tamen sit quid actualius, & sit ipsa actualitas essentiæ, vnicuique autem conuenit propria actualitas. Subiectum autem non se habet in ratione formalis perfectionis respectu accidentis, oportet cuilibet essentiæ respondere proprium *esse*. Vnde quòd accidens dicitur esse, quod est entis: hoc non est quasi sit formaliter per entitatem alterius, sed quia sua entitas non est ens per se, &c.

Item, ex dicto illorum sequitur, quòd in subiecto, in quo sunt plura accidentia, non essent plures essentiæ: sicut enim accidentia existunt, quia sunt in existente: ita etiam secundùm Philosophum 7. Metaph.* non sunt entia nisi per entis beneficium.

* text. 14.

4. Exempla etiam quæ adducunt sunt contra eos; nam cùm aliquod vnum sit extensum sit formaliter, quantum ad continua in eo extensibilia: ita quòd omnia sunt extensa extensione vnius formali, & omnia alba vna albedine; & sic de aliis: cùm sit aliud esse album, siue extensum huius, & huius in hoc, ipsi ponunt plura *esse*. Quia ergo *esse* non est determinatum, sicut nec *ens*, sed comprehendit sub se omnes gradus entis, dicit plures illos: sicut patet, quod etiam dicitur esse aliud secundùm albedinem, & aliud secundùm diuisionem, &c. Ita debet dici plura secundùm *esse*.

Nec valet simile, quod inducunt, quòd dicunt multa *esse* extensa vna extensione: quia non sunt extensa formaliter, id est, non sunt ipsa extensio, sed participatiuè, &c. Plura autem entia non se habent ad *esse*, sicut ad aliquos gradus participatiuè; sed sunt id ipsum formaliter: ideò secundùm multiplicationem entium, & essentiarum necesse est *esse* multiplicari.

Inconueniens etiam est, quòd in Christo natura humana non habeat proprium *esse*, sed sit, vel existat per *esse* suppositi secundùm rationem formalis perfectionis: cùm enim forma det *esse* materiæ, in Christo autem fuit anima vnita corpori, videtur dicendum quòd habeat suum proprium *esse*. Sicut enim implicat contradictionem dicere, albedinem esse in aliquo, & non dare *esse* album: sic etiam animam Christi dare *esse* corpori, & non habere suum peculiare *esse*. Cùm etiam viuere viuentibus sit esse; in Christo autem duplex viuere, sequitur quòd habeat duplex *esse*. Sicut ergo impossibile est, plures essentias esse vnum secundùm *esse* essentiæ; ita ens, quod habet plures naturas, secundùm *esse* existentiæ. Ideò quia in Christo sunt plures naturæ, in ipso sunt plura *esse* existentiæ. Nec numerantur secundùm partes essentiales, quæ sunt materia, & forma: quia materia cùm sit pura potentia in genere substantiæ, secundùm se non habet *esse* supra illud esse formæ.

Sed dicunt aliqui, quòd non debet poni in Christo propriè duplex *esse*; quia *esse* naturæ, quæ 5.
non pertinet ad *esse* hypostasis subsistentis, non dicitur illius simpliciter; sicut si esse album secundùm pedem, vel manum adueniret supposito præexistenti, non constitueret aliud *esse*, sed noua tantùm relatio inde consurgeret: aliàs diceretur esse non solùm secundùm ea, quæ priùs habebat, sed secundùm illa. Hoc autem non valet. Natura enim humana, nec est accidens inhærens, nec substantiæ accidentaliter adueniens; quasi ex ea consurgat aliquod *esse* accidentale, sicut ex vestimento: sed dat *esse* substantiale, non secundùm se: & ideò non constituit nouam rationem suppositi; sed verum *esse* existentiæ alteri, cui vnitur. Vnde sicut non aduenit Christo nouum *esse* subsistentiæ, sic nec noua relatio filiationis realis: sicut tamen alia natura, & alia generatio, ita aliud *esse*. Omnis enim generatio terminatur ad aliquod *esse*; & si sit per se, est in subsistentia; si autem non est natum per se existere, est *esse* actuale; quod non cadit in *esse* hypostatico; cùm autem illud cui aduenit, sit natum existere secundùm se, tamen iungitur alteri perfectiori; & tale cadit cum eo in *esse* hypostatico. Et per hoc patet ad instantiam de accidente. Quòd ita sit in proposito patet per Damascenum lib. 3. cap. 8.* *Duæ enim, differentia ratione, ac modo, Christi naturæ sunt. Nam personæ ratione vnitæ, mutuóque inter se immeantes, citra confusionem vniuntur, suum interim naturale discrimen ambæ retinentes.*

* Orthod. fid.

Vnde non valet exemplum de manu, & pede: quia enim huiusmodi habent eandem formam cum illo, cui aduenniunt, à qua est *esse* existentiæ, & essentiæ: ideò sicut non aduenit nouum *esse*, ita nec existentiæ. Vnde non est talis relatio inter suppositum, & partem. Non sic autem est

est de humana natura, quæ habuit nouum *esse* existentiæ, licèt non subsistentiæ; quia alteri vnitum, vbi est realis relatio assumpti ad assumentem: licèt non noua realis relatio propriè fuit filij ad patrem propter vnitatem suppositi.

6. Vlteriùs est dicendum, quòd in Christo est vnum *esse* suppositi, quod est *esse* entis perfecti alij non innitentis: sic enim in vno non est nisi vnum *esse*, per quod omnia quæ sunt in illo, subsistunt? ipsum autem suppositum per se existit, & subsistit: vnde *esse* subsistentiæ vnum est. *Esse* tamen simpliciter, & absolutè acceptum, actum essentiæ, vel existentiæ importans, ab essentia realiter non differens, plurificatur secundùm multitudinem naturarum.

In Christo est vnũ esse suppositi.

Sed circa hoc est dubium: quomodo in Christo sit idem *esse* essentiæ, & existentiæ naturæ humanæ, quæ realiter differt ab essentia, & *esse* diuinæ naturæ? cùm *esse* existentiæ ipsius, non sit idem quòd *esse* existentiæ suppositi diuini. Cùm tamen videamus, quòd si natura humana haberet *esse* per se; ita tria *esse* essent in ea; vel aliquid videtur ei auferri per vnionem, & in ea fieri per separationem, si separantur. Non videtur autem tolli, vel causari subsistentia, nisi tollatur essentia, & existentia, cùm sint idem. Et dicit, quòd subsistentia addit aliquid extrinsecum; nam subsistere est non inniti alteri; & sic importat relationem ad aliquid extrinsecum, quod excludit. Ideò potest fieri variatio inter hoc *esse* per vnionem, vel separationem ab altero, non facta variatione circa existentiam, vel essentiam: sed *esse* essentiæ, vel existentiæ dicit simpliciter, & absolutè actum essentiæ: ideò non potest variari, nisi varietur *esse*, & natura. Vnitas enim suppositi, & accidentium cum subiecto, est verè quædam vnitas; & ideò aliquid causatur cùm fit talis vnitas, quia plura fiunt vnum; & aliquid discernitur cùm dissoluitur, & conuenit variatio: ad quam scilicet variationem secundùm *esse* subsistentiæ non sequitur *esse* essentiæ, vel existentiæ simplicis: nisi talis variatio fiat circa ea, quæ sunt vnum in essentia, &c.

7. Ex prædictis potest colligi, quòd in Christo ratione suppositi *esse* subsistentiæ est vnum simpliciter, non secundùm quid, & *esse* essentiæ, & existentiæ est plura; licèt non simpliciter, & sine distinctione: & est simpliciter plura ratione naturarum.

Ad argumentum quod ostendit esse plura secundùm suppositum, quia est prædestinatum, inquantùm hæc prædestinatio est respectu entis perfecti, cùm sit directio alicuius in salutem, quod non est nisi suppositi, cuius est agere propter finem. Concedo, quòd suppositum est prædestinatum, quod est idem in diuina natura; sed ratione humanæ, non diuinæ naturæ, conuenit ei prædestinatio. Vnde Apostolus cùm dixisset ad Romanos 1. *Qui factus ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute:* ostendit, quòd hoc sibi conueniat, inquantùm est ex semine Dauid. Quamuis enim illi sit naturale secundùm naturam humanam, sed sibi hoc competit per vnionis gratiam, &c.

Aliqua desunt.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm creatura rationalis sit capax gratiæ, vel alicuius accidentis, antequam sit in effectu.

Vide Doctorem *in 1. distinctione 36. quæstione 1.*

RESPONDEO: primò est ponenda quædam opinio, quæ ponit esse essentias ab æterno, &c. Sed hoc videtur inconueniens. Si enim res constituitur in *esse* essentiæ, & habet verum *esse* prædicamentale, acquisitum ab æterno, quia à Deo secundùm rationem idealem intelligitur, & est verum obiectum, quod debet esse distinctum ab intelligente; quod patet ratione, cùm ab æterno intelligat rem, quantùm ad *esse* existentiæ; secundùm Augustinum *. *Vniuersas creaturas, & spiritales, & corporales, non quia sunt, ideò nouit, sed ideò sunt, quia nouit. Non enim nesciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit sciuit.* Vnde ex hac sententia sequeretur omnia præsentia, præterita, & futura simul esse ab æterno, cùm omnia sint à Deo cognita. Item, arguitur, *esse* essentiæ, & existentiæ sunt diuersæ res, & ab inuicem separabiles: & tunc videretur posse fingi, quòd secundùm vnam esset ab æterno, & secundùm alteram in tempore. Tamen esset contradictio, quia creaturæ *esse* non potest poni, vt res quædam à Deo distincta, & manere sic realiter, & tamen non habere existentiam, nisi ponendo contradictoria. Si autem sunt inseparabilia, tunc magis patet contradictio. Si idem re secundùm *esse* addit respectum ad Deum sub ratione efficientis, non in ratione formalis exemplaris: ergo res producuntur secundùm solum respectum: quod est falsum.

1. *Improbantur, qui ponunt essentias ab æterno, secundũ esse reale.*

*15 de Triq. c. 13.

Ita Scot. in 1. d. 36. q vnic. §. *Contra ista arguitur.*

Si dicatur, quòd tota essentia primò constituitur secundùm illud *esse* respectiuum, & tota postea producitur secundùm *esse* existentiæ; & sic acquiritur realitas absoluta sub tali respectu: non valet; quia cùm non fiat variatio, nisi secundùm respectum, non potest essentia secundùm esse reale, esse ab æterno.

2. Ita Henric. in sum. art. 2. q. 23. & 25. & quodl. 8. q. 9. & alibi.

Item, id quod constituitur secundùm rationem causæ exemplaris, & causæ agentis; aut est idem, & secundùm ideam sic idem omnino esset ab æterno, & in tempore: aut aliud, & aliud secundùm rem, & essentiam; & tunc res vna esset plura secundùm essentiam ab æterno, & in tempore; aut est vnum re, diuersas habens dispositiones, vel absolutas; & tunc non producitur, vt est terminus productionis, sed sicut subiectum variationis; vel respectiuas, & sic vt priùs, sola entitas relatiua, quà relatiua est, &c. Præterea nullum *esse* reale, & quiditatiuum potest ei attribui; aliter enim sic esset distinctum à Deo: sed ab æterno nihil fuit à Deo productum secundùm realitatem aliam ab ipso, nec secundùm rationem exemplaris, nec efficientis, vt patet per Proculum 35. propositione dicentem: *Anima creata manet in sua causa, & procedit ab ipsa, & conuertitur ad ipsam:* si autem maneret solum, nihil differret à causa, indistincta existens: distabit enim processu; si autem procedit solùm, coniuncta erit ad ipsam.

Præterea quidquid habet entitatem ab aliquo exem

Vide Scot. in 1.d.36.q.vn. §. *Praeterea sextò*, & d.2. p.2. quæst.3. & quodl. 16.

exemplari habet & ab efficienti, licèt non è contrario: causa enim exemplaris, & efficiens ita se habent, quòd vna caret aliquo, quo non alia: scilicet in hoc quòd quædam est exemplaris & efficiens simul; quædam efficiens, non exemplaris, vt quæ non agit per intellectum. Vnde cùm ponantur vbique quatuor causæ, sub formali non comprehenditur exemplar, nisi inquantum includitur in efficiente existens, scilicet forma, similitudo, & ratio in ipso, per quam agit: aliàs haberemus quinque causas. Propter hoc esse causam exemplarem, & agentem est conuertendum in tali causa agente per cognitionem; & secundùm quòd per vnam constituitur, ita & per aliam. Vnde ratio idealis in Deo, quæ est exemplaris, est etiam effectiua accedente voluntate; sicut in nobis ars medicinæ, vel domus est ratio exemplaris & efficiens accedente voluntate; vnde ratio idealis nihil potest constituere, nec in *esse* essentiæ, nec existentiæ, nisi efficiendo per voluntatem. Nec essentia secundùm rationes ideales est forma exemplaris, quia essentiæ rerum ab æterno sunt id quod sunt, vt quædam realiter exemplata: sed solùm est forma exemplaris, qua natæ sunt esse creaturæ: quoad *esse* essentiale & existentiæ accedente voluntate, alioquin fiunt è nihilo, nec essent nihil antequam fierent; cùm vera essentia prædicamentalis non sit nihil.

Nec sufficeret dicere, quòd fiunt ex nihilo quoad *esse* existentiæ; si *esse* existentiæ sit aliquid præter *esse* cognitum, & tale quòd non sit aliquid rei: quia per nihil omnino tollitur quidquid reale pertinet ad ipsam rem.

Ita Scot. cit. d.36.§.*Tertiò secundū eandem.*

Ex hoc patet reprobatio secundæ partis opinionis, quòd essentia antequam sit actu, non habet realem relationem ad Deum (vt isti ponunt) quia essentia non est à Deo distincta realiter: ergo, &c.

Item, nihil potest referri realiter, nisi relatio existat actu, quæ non existit, nisi existat fundamentum.

Si dicatur, quòd sufficit quòd res sit secundùm *esse* essentiæ; tunc relatio non erit, nisi secundùm tale *esse*, & sic non referret actu: vel si refert actu eadem ratione, cùm omnia accidentia talis rei habeant *esse* essentiæ, denominabunt illam rem: & sic ignis ab æterno potuit dici calidus.

Secundò videndum quale *esse* res habet, antequam sit actu? Ad quod sciendum, quòd (vt dicitur 6. *Metaph. text.* 35.) cùm *esse* cognitum sit quid diminutum, quòd *esse* reale est verum *esse* extra cognoscentem. 4.

Quale esse habent res, antequam sint actu.

Nec oportet distinguere de intellectu; quia omne cognitum inquantum huiusmodi, habet *esse* diminutum, à quocunque intellectu intelligatur, licèt enim res ex hoc quòd intelligitur ab intellectu diuino, sit aliquid per essentiam, hoc, vt videbitur, nullam ponit differentiam rerum secundùm se, sed in ordine ad suas causas. Et circa vnamquamque rem, tam quoad essentiam, quàm quoad existentiam, cadit hæc differentia de *esse* cognito, & reali. Secundùm *esse* reale subdiuiditur non secundùm *esse* essentiæ & existentiæ, quia realiter vnum sunt; sed secundùm *esse* in potentia & in actu, comprehendendo totam rem secundùm essentiam & existentiam. *Esse* autem cognitum non determinatur ad *esse* tale, vel tale; sed indifferenter se habet ad vtrumque: siue enim res sit in potentia formali, siue in actu, priùs habuit illud *esse* cognitum, &c. Si ergo quæratur vtrùm anima rationalis antequam existeret, haberet aliquod *esse* reale aliud ab *esse* cognito; dicendum quòd non, vt in potentia in sua causa efficienti, formali, & exemplari, in qua *esse* eius cognitum formaliter continetur ab æterno, & eius *esse* reale. *Multa desunt.*

Vide Scot. cit §.*Concedo conclusionem.*

Istæ Quæstiones fuerunt disputatæ Oxoniæ per Magistrum Ioannem Scoti de Ordine Fratrum Minorum: & sunt Quæstiones generales super Philosophiam.

R. P. F.

LVCÆ VVADDINGI HIBERNI,

Censura in tractatum de primo principio.



VOTQVOT de Scoti operibus scribunt, tractatum hunc intexunt, & multi à pietate & subtilitate commendant. Circa qualitatem & tempus, quo scriptum est, doctè præfatur ad lectorem R. P. CAVELLVS. Tria nactus exemplaria MSS. in Bibliotheca Vaticana: ego paucula correxi, & adiunxi. Ad finem capitis secundi maioris factæ additionis lectorem præmonebo.



R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,

ORDINIS MINORVM,

De primo rerum omnium principio,

TRACTATVS SINGVLARIS, AC PROPE DIVINVS.

Cum Annotationibus F. MAVRITII DE PORTV, eius quondam interpretis fidelissimi.

Adiectis Scholijs, & Notis R. P. HVGONIS CAVELLI, *in Conuentu* S. MARIÆ *de Aracæli in Vrbe, S. Theologiæ primarij Professoris.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.



TRACTATVS *iste de primo principio verè aureus est, in quo Doctor, instar aquilæ in altum volantis, quantum humano ingenio possibile esse videtur, naturam primi rerum principij, seu causæ supremæ indagat & scrutatur: quod non propriis naturæ viribus, sed specialibus eiusdem primi principij adiutoriis confortatum præstitisse, testantur & persuadent, peculiaris eius in hoc tractatu præ aliis deuotio, & veluti mentis in Deum continua ascensio. Ita enim materiam hanc tractat, vt non minùs accendat affectum, quàm illuminet intellectum, atque vt soliloquium Theologicum magis esse videatur, quàm scholastica dissertatio. Quatuor continet capitula, quorum singula inchoantur, & finiuntur deuota oratione, & mentis in Deum eleuatione. Cap. 4. ad conclusionem* 10. *epilogando tractatum, altissimum instituit cum ipso primo principio colloquium, eius perfectiones numerans, ruminans, masticans, & ad ascendendum in illud, affectum suauissimè disponens, inuitans, & attrahens. Scripsit hunc tractatum ante Metaphysicam, vt habes ex ipso lib.9. Metaph. quæst.4. num.5. & ante Theoremata, ex cap.4. num.37. sed post tract. de Anima ex eodem cap. num.*14. 18.

Primum rerum principium mihi ea credere, sapere, ac proferre concedat, quæ ipsius placeant maiestati: & ad eius contemplationem eleuent mentes nostras.

CAPVT I.

Ordinis essentialis diuisio in eminentiæ, & dependentiæ, & membrorum huius subdiuisio.

1. OMINE Deus noster, Moysi seruo tuo, de tuo nomine filiis Israël proponendo, à te Doctore veracissimo sciscitanti, sciens quid de te posset concipere intellectus mortalium, nomen tuum benedictum referans, respondisti: *Ego sum, qui sum*, Exod. 3. Tu es verum *esse*: tu es totum *esse*: hoc credo hoc si mihi esset possibile, scire vellem. Adiuua me, Domine, inquirentem ad quantam cognitionem de * vero *esse*, quod tu es, possit pertingere ratio nostra naturalis ab ente, quod de te prædicasti, inchoando. Quamuis autem entis sint plurimæ passiones, quarum consideratio valeret ad propositum prosequendum: tamen de ordine essentiali, tanquam de medio fœcundiori primò prosequar isto modo: In primo capite quatuor diuisiones ordinis præmittam, ex quibus colligetur quot sunt ordines essentiales. Manifestatio verò diuisionis tot requirit, primò vt diuidentia notificentur, & sic ostendantur contineri sub diuiso; secundò, vt diuidentium repugnantia declaretur; tertiò, vt probetur diuidentia euacuare diuisum. Primum fiet in hoc capite, alia in secundo. Hîc igitur diuisiones narrando ponam, & rationes diuidentium assignabo. Accipio autem ordinem essentialem, non strictè, (vt quidam loquuntur, dicentes posterius ordinari ad prius; sed prius, vel primum esse supra ordinem) sed communiter, prout ordo est relatio æquiparantiæ, dicta de priori respectu posterioris, & è conuerso: prout scilicet ordinatum sufficienter diuiditur per prius, & posterius. Sic igitur quandoque de ordine, quandoque de prioritate, & posterioritate fiet sermo.

* al. Deo.

SCHOLIVM.

Diuidit ordinem essentialem, in ordinem eminentiæ, & dependentiæ, optimè explicans vtriusque ordinis extrema, seu membra. Ille est inter nobilius, & minus nobile secundùm essentiam; hic inter causam, & effectum, seu causatum.

Dicendum igitur primò, quòd *ordo essentialis* videtur primaria sui diuisione diuidi, sicut æquiuocum in æquiuocata, scilicet in ordinem eminentiæ, & in ordinem dependentiæ. Primo modo *prius* dicitur eminens, & *posterius* excessum. Et vt breuiter dicatur, quicquid est nobilius, & perfectius secundùm essentiam, est sic prius. Hoc modo prioritatis probat Aristoteles 9. *Metaphys. text. comment.* 15. actum esse priorem potentiâ, vbi illud prius vocat secundùm substantiam, & speciem; *Quæcumque*, inquit, *generatione sunt posteriora, illa specie, & substantia sunt priora.* Secundo modo *prius* dicitur, à quo aliquid dependet; & *posterius*, quod dependet ab illo. Huius prioris hanc intelligo rationem, quam etiam Aristoteles 5. *Metaphys. text. comment.* 16. testimonio Platonis ostendit. Prius secundùm naturam, & essentiam est illud, quod contingit esse sine posteriore, non è conuerso. Quod ita intelligo, quòd licèt ad prius necessariò esset posterius, & ideò sine ipso esse non possit, hoc tamen non est, quia ad *esse* suum egeat posteriori, sed è conuerso: quia si ponatur non esse posterius, non minùs prius erit sine inclusione contradictionis; non sic è conuerso, quia posterius eget priori: quam indigentiam possumus dependentiam appellare: vt dicamus, omne posterius essentialiter à priori necessariò dependere, non è conuerso: licèt quandoque posterius necessariò sequatur illud prius. Et quamuis ista possint dici prius, & posterius, secundùm substantiam, & speciem, sicut alia dicta sunt: tamen ad distinctè loquendum, dicuntur prius, & posterius secundùm dependentiam, ordine secundùm eminentiam indiuiso manente: subdiuidendo ordinem dependentiæ: quia dependens, aut est causatum, & illud à quo dependet, est causa eiusdem; aut dependens est causatum remotius alicuius causæ, & illud à quo dependet, causatum propinquius eiusdẽ causæ. Ratio primi membri huius diuisionis secundæ satis nota est, & quòd illud continetur sub diuiso: patet enim quid causa, quid causatum, & quòd causatum essentialiter dependet à causa, & quòd causa est, à qua essentialiter dependet, secundùm rationem suprapositam prioris hîc diuisi. 2.

Ordo eminentiæ. *Ordo depẽdentiæ.* *Quid prius secundùm naturam?* *Posterius dependet à priori, non è contra.* *Quid causa, & quid causatum?*

Sed

3\. Sed secundũ membrum huius secundæ diuisionis, nec in se patet, nec qualiter sub diuiso continetur Primum declaratur sic; si eiusdem causæ sint duo effectus, quorum vnus priùs, & immediatiùs natus est causari ab illa causa, alius autem non, nisi isto immediatiore iam causato: dico illum alium esse posteriùs causatum respectu eiusdem causæ; & immediatiorem iam causatum, priùs causatum: hæc est ratio huius membri. Ex hoc secundo, ostendo, quòd continetur sub diuiso; quòd scilicet effectus remotior dependet essentialiter à propinquiore; tum, quia non potest esse illo non existente; tum, quia illa causalitas causæ respicit illa ordinatè: ergo, & è conuerso illa habent ordinem essentialem inter se, vt comparatur ad tertium, quod est causa amborum; ergo inter se absolutè: tum tertiò; quia causa talis non intelligitur esse ex se, nisi causa propinqua solius effectus proximi, & illo non causato, intelligitur quasi remota causa respectu aliorum: sed illo iam causato, intelligitur vt proxima respectu secundi; à causa autem remota præcisè, inquantum remota, non est causatum; ergo secundum dependet à causa, quæ posuit ipsum propinquius in *esse*, ergo ab *esse* propinquiore.

Causatum posterius an dependet à causato priori essentialiter.

SCHOLIVM.

Causatum, secundùm membrum secundæ diuisionis subdiuiditur in prius, & posterius, & vtrùm ista inter se ordinem habeant essentialem, explicatur cap. sequenti. Primum membrum eiusdem diuisionis, scilicet causa, diuiditur in quatuor membra satis nota, finem, efficientem, materiam, formam: de qua diuisione Aristoteles 2. Physic. text. 28. & 5. Metaph. text. 2. Scot. 1. dist. 3. quæst. 7. num. 3. Itaque ordo essentialis, per sex inferiores ordines euacuatur, vt explicat Doctor, scilicet per quatuor ordines causæ ad causatum, vnum causati prioris ad causatum posterius, & alterum secundum essentiam, ad minus nobile: de quibus latiùs in seq. cap.

4\. Istius secundæ diuisionis vtrumque subdiuiditur, subdiuidendo primò secundum, quia iam prædictis consonat. Nam prius, quod est causatum propinquius causæ, non tantùm dicitur, quod est propinquius causæ proximæ vtrique, sed etiam remotæ: puta si proxima causa vnius causati, sit *A*, quæ non sit aliquo modo causa alterius, scilicet *B*: sed aliqua alia causa prior est causa *B*, proxima, & est remota causa illius, cuius alia causa est proxima; adhuc inter ista causata erit ordo essentialis: vt causati prioris, ad posterius causatum, & hoc si causalitas causæ communis amborum, secundùm essentialem ordinem, illa respiciat, vt causata. Secundùm membrum huius diuisionis minùs videtur esse sub diuiso; hoc autem sic probatur: Nam vtrumque causatum respectu tertij, quod est causa istorum, essentialiter ordinatur; ergo & inter se. Tunc etiam causa communis quasi remota causa intelligitur respectu posterioris, priore non causato. Tunc etiam posterius non potest esse sine priori.

Causatum subdiuiditur. Inter membra, an sit ordo essentialis?

Primum membrum secundæ diuisionis, quod est causa, famosè subdiuiditur in quatuor causas satis notas: finalem, efficientem, materialem, & formalem. Et posterius sibi oppositum similiter subdiuiditur in quatuor sibi correspondentia, scilicet in ordinatum ad finem, quod, vt breuiter loquar, dicatur finitum; & in causatum ab efficiente, quod dicatur effectum; & in causatum à materia, quod dicitur materiatum; & in causatum per formam, quod dicitur formatum. Rationes diuidentium huius diuisionis, hîc transeo, quia alibi diffusiùs hæc tractaui, & inferiùs quandoque tangetur, quando materia id requiret. 1. d. 3. q. 7. num. 3.

Causa diuiditur in quatuor mẽbra, & similiter causatum.

Huius articuli fructum summatim colligo. Ordo essentialis per sex ordines diuidentes, euacuatur, scilicet per quatuor ordines causæ ad causatum; & per vnum causati ad causatum, comprehendendo hîc sub eodem, duo membra tertiæ diuisionis; & per vnum eminenter * ad excessum. Harum diuisionum ostensio, duo adhuc ostendi requirit, scilicet quòd membra cuiuslibet inter se repugnent, & quòd euacuent rationem diuisi: quæ duo in sequenti capite quantum opus erit ad propositum, ostendentur; & in quo etiam quædam generales propositiones necessariæ proponentur; & prædicti ordines, & extrema secundùm necessariam, vel non necessariam concomitantiam conferentur: quia dictorum comparationes ad sequentia benè valent.

Ordo essentialis sextuplex.

* al. eminentis.

S 4 PRÆ

PRÆFATIO MAVRITII AD HVNC tractatum, cum expositione Capitis primi.



ECVNDÒ principaliter circa dicta Doctoris in tractatu de primo principio incomplexo, videlicet, omnium rerum Deo maximo, optimo, vnico, & vero, conformiter præcedentibus, breuiter discurram. Est enim hic tractatus nedum speculatione singularissimus, cuius fundamentis vtitur communiter in sententiis, & alibi; verùm Catholicus, atque deuotissimus, fidei quoque Christianæ fulcimentum radicale, contra etiam eius aduersarios præclara, & offensiua, atque defensiua arma. Intentio Doctoris in hoc tractatu est, antiquorum Philosophantium, atque Paganorum errores confutare, & circa primi entis vnitatem, infinitatem, causalitatem, atque cæteras perfectiones naturali ratione, vt huius status imbecillitas attingere potest, negotiari: vt sic fidei aduersariis ostendatur, non modò ex creditis, & supernaturaliter reuelatis, posse suffragari nostræ religionis Orthodoxæ veritati; verùm ingenij humani inuentione, & maximè huius Aquilæ inter sidera nidum collocantis, celerrimo volatu scripsit, vt existimo, hunc tractatum ante quæstiones in Metaphysicam, & etiam Theoremata, vt infrà tangam. Quare in quæst. 11. 5. lib. & 4. 9. lib. & alibi sæpè implicitè, licèt videatur oppositum aliquando, vt in sequentibus pertractabo. Diuiditur autem in quatuor capitula principalia, & præmittit nedum Christi & sequacium, verùm Platonis etiam in Timæo secutus monimenta, inuocationem diuinam toti tractatui: & similiter in principio cuiuslibet capituli. Et vtitur congruè verbis Psalmi octaui ad victoriam descripti, in principio cuiusque capituli; & suo more procedit peripateticè à communioribus ad minùs communia. Posset etiam diuidi in procemium, & tractatum: & tractatus in quatuor capita, & primum caput in partem procemialem, executiuam, & sic de aliis.

Hunc tractatum ante Metaphysicam scripsit.

Proponit ergo intentum, & incipit ab ordine essentiali, qui est passio quædam entis, & diuidit ipsum: & prosequitur membra subdiuidendo, & rationes eorum assignando in primo capite, & in secundo in duobus vltimis ad propositum applicando, & intentum concludendo. Et in fine capituli primi epilogat notanter dicta. Hìc lector introducat multiplicem diuisionem entis: in quiditates videlicet, vt in substantiam & accidens; in modos, vt in finitum, & in infinitum; in passiones, vt in vnum & multa: & passionum atque modorum notetur multitudo & ordo; & quæ absolutæ, & quæ respectiuæ sint. Ordo enim essentialis videtur passio quædam respectiua ipsius entis, à quo incepit Doctor, vt ex eius multitudine & membrorum notificatione ad ordinata cognoscenda deueniat; & per consequens ad primum, ad quod omnia ordinantur, quod est principale intentum hìc. Quare autem de essentiali, & non accidentali ordine pertractat, infrà magis apparebit: vbi etiam aduerte cùm dicit, Rationes diuidentium huius diuisionis, hìc transeo: quia alibi, &c. quòd illud alibi posset assignari in Theorematibus, vbi illa tangit egregiè: sed quia infrà videtur hunc tractatum priùs scripsisse, saltem quantum ad aliqua, quæ ibi inferuntur: videlicet, propositiones creditas, illud alibi quæratur in Physicis: vt suprà sæpè notaui. Pro ampliori notitia dictorum, vide 30. dist. 1. quæst. 2. ad finem optimè, & 3. dist. 2. quæst. 7. quid sit ordo. Tange etiam multiplicem acceptionem ordinis in communi, videlicet perfectionis, generationis, naturæ, qui multipliciter sumitur; durationis etiam, & originis; & rationes membrorum, & æquiuocationem, vt nosti. Vide in Quodlibeto quæst. 4. in principio, & copiosè in Franc. dist. 12. & 13. prim. Confla. & apud alios Formalistas. Quoties enim prioritas, toties ordo accipitur, & è contra, quicquid dicant obstinati. Vult ergo breuiter in hoc primo

cap.

cap. quòd ordo essentialis; alius proprius, alius communis. Communis verò, alius eminentialis, alius dependentiæ. Dependentiæ quoque alius causati ad causam, qui est quadruplex, secundùm quatuor causas; alius causati posterioris ad causatum prius eiusdem causæ: & hoc vel propinquè, vel remotè: & debet intelligi de ordine essentiarum, propter instantiam ex prima quæst. tertij, & 19. quæst. Quodlibeti, de dependentia naturæ ad suppositum, quam vocat essentialem: & ponit mutuitatem in omnibus, & rationibus confirmat, & declarat membra: vbi lector plura addat diligenter.

ANNOTATIONES MAVRITII in Capitulum primum.

7. Circa dicta in hoc primo cap. possent multa inquiri, sed pauca tangam, vnde ad maiora lector moueatur. Primò, quare à proprietatibus passiuis ipsius entis incepit, cùm absolutæ sint maioris entitatis, & per consequens cognoscibilitatis. Secundò, quare dicit illam primam diuisionem esse æquiuoci in æquiuocata: cùm tamen ordo essentialis diuidat ordinem in communi contra accidentalem: æquiuocatum autem in prima diuisione, videtur vniuocans in secunda, aliter vox in voces diuideretur. Item, sequitur, est ordo eminentialis; ergo essentialis, sed in æquiuocis non est consequentia, nec oppositio. Plura alia motiua ad hoc possent adduci. Tertiò, contra primam diuisionem obiicitur; tum quia membra coincidunt, quia eminens est independens, & è contra, vt videtur. Tum, quia membra non sufficienter euacuant diuisum: nam in diuinis ad intrà ponitur ordo essentialis, vt habet expresse Franc. vbi suprà, non tamen est ibi dependentia, nec eminentia. Quartò, videtur quòd primus modus ordinis essentialis, scilicet propriè capiendo ipsum, magis erat ad propositum hîc: quia primum, quod venatur, est supra ordinem, & non refertur ad posterius, quare ergo illum postponit? Sequitur etiam Dei ad creaturam esse relationem realem, cùm sit causa eius, aliter processus nihil erit. Quintò, videtur quòd inconuenienter dicit ordinem esse entis passionem, & cum hoc ipsum esse æquiparantiæ relationem, quia etiam inferius per se esset passio superioris. Sextò, circa secundum membrum secundæ diuisionis dubitatur: quia non videtur quòd sit ordo essentialis, sed potiùs accidentalis effectuum inter se, nisi ponatur vnum esse causam alterius, & tunc membra coinciderent. Assumptum probatur: quia vel effectus tales comparantur ad causam primam, vel ad causam secundam: si primo modo, cùm nihil ad extrà necessariò agit, ergo potest ponere primum effectum, non ponendo secundum, & è contra: si secundo modo, cùm talis taliter mouet, sicut mouetur à primo; ergo vt priùs potest causare secundum, non posito primo. Plura alia hîc possent adduci, sed his solutis patebit faciliùs via ad reliqua soluenda.

8. *Proprietates relatiuæ primi entis nobis notiores.* Ad primum patet 2. *dist.* 1. *quæst. primi, in principio solutionis, &* 1. *Reportationum, in prolog. quæst.* 1. *art.* 4. *&* 3. *dist. primi, quæst.* 1. *& in Quodlibeto, q.* 7. Quære Vuar. & Franc. 2. *dist. primi*, & Thomam 1. *part. quæst.* 2. *art.* 3. & alios, vt nosti. Processus enim in cognitionem Dei ab intellectu viatoris est ex creaturis, cùm de lege communi non possit *propter quid*, seu à priori cognosci: proprietates autem relatiuæ primi entis immediatiùs se habent ad medium *demonstratione quia*, quàm absolutæ: cùm immediatè ex esse vnius relatiui sequitur *esse* sui correlatiui; ideò illa, quæ immediatiùs insunt primo enti, remotiùs, & mediatiùs attinguntur à nobis. Ad secundum, dixi copiosè in simili super quæst. 4. Antepraedicamentorum huius, sustinendo æquiuocationem entis: non inconuenit enim voces æquiuocas ordinatè idem significatum significare: & ita diuisio primæ vocis fit in æquiuocata mediatè; & secundæ, immediatè. Exemplum de diuisione entis in substantiam, & accidens, quod tamen adhuc æquiuocum est ad 9. Genera. Similiter dicatur in proposito. Ad aliud, quod additur ad idem de illa consequentia, dici potest, quòd non tenet, nisi sumpto consequente pro vno significato, vt vbi suprà habet, & super lib. Elenchorum. Ad tertium, quo ad primam probationem, dico, quòd non coincidunt formaliter, sed benè pro substrato, sicut communiter accidit in aliis diuisionibus, maximè respectiuis, & etiam absolutis aliquando. *Ordo eminentia, & dependentia coincidunt materialiter.* Quo ad 2. probationem, dico quòd in doctrina Scoti, non reperitur expresse in diuinis posse assignari ordinem essentialem, imò potiùs oppositum; vt 4. *quæst. Quodlibeti*, habet *art.* 1. *ad finem*, sed saluando Franc. dico, quod hîc loquitur Doctor de ordine essentiali essentiarum, qualis non est in diuinis. *Ordo essentialis an sit in diuinis.* Franc. verò extendit ordinem essentialem ad ordinem essentialium perfectionum, seu proprietatum eiusdem essentiæ. Sed dices, quòd, vt communiter, dicitur, quiditas sub modo vocatur essentia; sed in diuinis sunt plures quiditates sub propriis modis; ergo plures essentiæ: non sine ordine, vt videtur; ergo in diuinis est ordo essentialis essentiarum. Potest dici vno modo, quòd illud dictum commune ea facilitate potest negari, quâ affirmari. Vel sustinendo veritatem eius, potest dici, quòd omnes essentiæ tales in diuinis transeunt in identitatem simplicitatis vnius radicalis: quare tantùm manet ordo præsuppositionis, & originis; non propriè essentialis, nec naturæ. Vide in Reportatis, *quæst.* 1. *prolog. & quæst.* 1. *quodlibeti, & sequentibus.*

Ad quartum dico, vt priùs, quòd incipit à communioribus, vt descendat infrà ad specialia. 9.
Et quod additur de relatione reali primæ causæ, quærit pulchram difficultatem: quam vide singularissimè *in primo, dist.* 30. *quæst.* 2. *ad finem.* Ad quintum dico, quòd ordo est passio respectiua: vt suprà notaui, non tamen species relationis prædicabilis, sed transcendendo, sicut causa, & huiusmodi: nec oportet, quòd sit adæquata, sicut patet de aliis disiunctis; nego ergo quòd sit per se inferius ad diuisum, vt tale. Ad vltimum, sustinendo primum effectum non esse causam secundi, dico nihilominùs, quòd causa vtriusque est in potentia remota ad secundum non posito primo, & in potentia propinqua ipso posito. Tunc cùm quæritur: aut talis causa est prima simpli

ſimpliciter, aut ſecunda: poteſt dari vtrumque. Et cùm arguitur contra primum membrum, dico quòd eſt neceſſitas conſequentiæ, licèt non conſequentis. Et loquendo de potentia ordinata dicitur, non poteſt aliter cauſare, vtpote ignire, niſi priùs ſaltem naturâ calefaciat lignum: phyſicè verò loquendo, negaretur aſſumptum, de quo non curo; quia in hoc, Theologo ſemper credendum. Poteſt etiam, & fortè ſecuriùs, dari ſecundum membrum, quia *Deus res quas condidit ſic adminiſtrat*, &c. & ſicut nec eſſentiis, ita nec actionibus ſuis priuat communiter entia. Et cùm dicit quòd prima mouet contingenter, verum eſt ſimpliciter loquendo: ſed ſecundùm quid, & de potentia ordinata, & neceſſitate conſequentiæ, neceſſariò. Exemplum de creatione, & infuſione animæ intellectiuæ; cauſa autem ſecunda neceſſariò, & naturaliter poteſt agere: ſed tamen totum eſt ſecundùm quid. Vide 8. *diſt. prim. ad finem, & in Quodlibeto, quæſt.* 7. & 39. *diſt. prim.* & 2. *diſt. atque* 11. 12. & 20. *eiuſdem,* & 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. & *diſt.* 2. *eiuſdem, quæſt.* 1. & 8. *quæſt. Quodlibeti,* ea, quæ faciunt ad propoſitum hîc optimè. Vnde breuiter dependentia eſſentialis, ſimpliciter tantùm eſt ad cauſam primam, loquendo de cauſalitate extrinſeca, ſecundùm quid verò ad alias cauſas poteſt poni. Vide 12. *diſtinct.* 4. & alibi, vt noſti, plura addendo.

Deus agit neceſſariò neceſſitate conſequentiæ.

Dependentia eſſentialis extrinſeca tantùm ad cauſam primam.

CONCLVSIONES ſecundi capituli ſequentis.

1. *Nulla omnino res eſſentialem ordinem habet ad ſe.*
2. *In quocunque ordine eſſentiali eſt circulus impoſſibilis.*
3. *Quod non eſt poſterius priore, nec poſteriore.*
4. *Quod non eſt finitum, non eſt effectum.*
5. *Quod non eſt effectum non eſt finitum.*
6. *Quod non eſt effectum, non eſt materiatum.*
7. *Quod non eſt materiatum, non eſt formatum.*
8. *Quod non eſt cauſatum à cauſis extrinſecis, non eſt cauſatum à cauſis intrinſecis.*
9. *Quatuor genera cauſarum in cauſando idem eſſentialiter ordinantur.*
10. *Si duo comparantur ad eandem cauſam: aut igitur proximam, aut remotam.*
11. *Non omne cauſatum cauſæ propinquius, eſt cauſa cauſati remotioris.*
12. *Nihil dependet eſſentialiter, niſi à cauſa, vel à cauſato propinquiore alicuius cauſæ.*
13. *Non omne exceſſum dependet eſſentialiter ab eminente.*
14. *Non omne dependens eſt exceſſum ab illo à quo dependet.*
15. *Nunquam pluralitas ponenda eſt ſine neceſſitate.*
16. *Omne finitum eſt exceſſum.*

CAPVT II.

De dictis quatuor diuiſionibus oſtendendis, & de extremis dictorum ordinum eſſentialium comparandis.


DOMINE Deus noſter, qui doctorem venerabilem Auguſtinum de te trino ſerioſè ſcribentem infallibiliter docuiſti, quod ipſe in primo de Trinit. ſcripſit, dicens, *Nulla res omnino eſt, quæ ſeipſam vt ſit gignat.* Nónne tu nobis æquè certitudinaliter impreſſiſti hanc ſimilem veritatem. 1.

Quòd nulla omnino res eſſentialem ordinem habet ad ſe. Concluſ. 1.

Nam de ordine eminentiæ, quid impoſſibilius quàm idem ſeipſum excedere ſecundùm perfectionem eſſentialem? De aliis ſex ordinibus, quid impoſſibilius, quàm idem à ſe dependere; quàm ſine ſeipſo poſſe eſſe ſecundùm intellectum huius ſuperiùs aſſignatum? hoc etiam conſonat veritati.

Nihil ad ſe dicit ordinem eſſentialem.

Quia in quolibet ordine eſſentiali, eſt circulus impoſſibilis. Concl. 2.

Quia quicquid eſt prius priori, eſt prius poſteriori: ſequitur oppoſitum primæ ex ſecunda negata. Idem etiam erit prius, & poſterius eodem, & perfectius, & minùs perfectum eodem, & dependens & independens reſpectu eiuſdem, quæ longè ſunt à vero. Hunc circulum excludit Ariſtoteles à demonſtrationibus, 1. *Poſter. text. com.* 6. & *inde,* nec minùs impoſſibilis eſt in rebus. Iuxta hanc ſecundam regulam explico quandam, quæ à prima probatur, & in ipſa ſatis includitur, quia inferiùs vtar ipſa.

Prius priore, eſt poſteriore prius.

Quod non eſt poſterius priore, nec poſterius poſteriore. Concl. 3.

Sequitur ex affirmatiua dicta. Ex iſta ſequitur, quòd illud quod non dependet à priori, nec à poſteriori. Et vltrà, quod non eſt cauſatum cauſæ prioris, nec poſterioris: quia poſterior in cauſando dependet à priori cauſante. Iam te Deo duce, dictos ſex ordines ad inuicem comparemus. Et primò quatuor ordines cauſæ ad cauſatum. Iſtorum tamen differentiam, vel in diuidendo ſufficientiam, quia ſatis nota videtur, vtrumque hîc prætermitto proſequi, quia prolixum poſſet eſſe, nec ad propoſitum neceſſariò requiſitum; tantummodò dictos ordines, quantum ad concomitantiam, vel conſecutionem ex parte cauſati, in ſex concluſionibus comparando.

Poſterius poſteriore, eſt poſterius priore.

SCHO

SCHOLIVM I.

Positis tribus regulis, seu maximis, quæ instar primorum principiorum à nemine negari possunt, etsi in margine notentur conclusiones, comparat quatuor effectus quatuor generum causæ, inter se, secundùm concomitantiam; & hoc per quatuor conclusiones: in quarum prima, quæ est quarta in ordine, conuincit, quod non est finitum, seu effectus finis, non posse esse effectum agentis. Vbi triplici ratione ostendit finem esse primam causarum, de quo vide ipsum in prolog. q. 4. n. 11. & q. 2. later. n. 21. & 1. d. 8. q. 5. & 2. d. 25. & 4. d. 49. q. 8. n. 7. & 5. Metaphys. q. 1. & 2. Physic. q. 9. Vide difficultates quas Mauritius mouet contra hanc, num. 17. & earum solutiones, num. 20. In quinta conclusione ostendit è contra, quod non est effectus agentis, non posse causari à fine. Vbi optimè explicat quomodo finis causat vt amatus, de quo agit locis iam citatis. Hinc infert primò, operationem vltimam, seu eius obiectum, inquantum attingitur, non esse causam finalem effectus; & si contingat esse, id per accidens est. Videtur hîc velle ipsum amorem obiecti propter se, non esse effectum finalis causæ, quatenus ait finem vt amatum, causare; sed intelligi debet, quòd strictè loquendo, causalitas finis est circa media tantùm; latiùs tamen sumendo eam, est etiam circa ipsum finem. Infert secundò, quòd Aristoteles poneret Intelligentias habere causam efficientem, si assignaret eis finalem. Quid autem de eis senserit, an à Deo efficiantur, esto necessariò, tractat Doctor 1. dist. 8. quæst. 5. contra Henricum. §. Contra istam, *num. 6. & seq. Infert tertiò, quòd non poneret Aristoteles Intelligentias à Deo causari, in tempore. Quartò, quòd finis non est causa finalis efficientis. Vide difficultates circa hanc, infrà num. 17. motas, & num. 21. solutas.*

2. *Conclus. 4.*

Quod non est finitum, non est effectum.

Probatur primò sic: quia quod non est ab aliqua causa efficiente, non est effectum: quod non est ad finem, non est à causa per se efficiente: ergo, &c. Maior probatur, quia in nullo genere, per accidens est primum: quod Aristoteles satis exprimit 2. *Physic. text. c. 66. & circiter*, vbi casu, & fortuna, tanquam causis per accidens, priores ponit necessariò naturam, & intellectum, tanquam causas per se in illo genere causæ: quod autem non est à priori, non est à posteriori, ex tertia iam præmissa. Et loquor de his, quæ solùm sunt propriè effectibilia. Patet ergo maior. Minor sic probatur: agens per se omne, agit propter finem, quia nullum frustrà: quòd Aristoteles *in 2. Phys. text. c. 49. 61. & 75.* determinat de natura, de qua minùs videtur, quòd agat propter finem, quàm ars; ergo tale nihil efficit, nisi propter finem. Probatur conclusio principalis secundò sic: finis est prima causa in causando, & ideò ipsum dicit Auicenna causam causarum: quod etiam probatur ratione: quia enim finis mouet metaphoricè vt amatus, ideò efficiens efficit formam in materia: non autem mouet finis vt amatus, quia aliqua causa causat; est ergo finis prima causa essentialiter in causando. Hoc etiam sic probatur: Aristoteles 5. *Metaph. text. c. 2.* finem esse causam ostendit, quia per ipsum respondetur ad quæstionem factam *propter quid*, quæ quæstio quærit causam: ergo cùm per ipsum, scilicet finem, detur primum *propter quid*, ipse erit prima causa. Assumptum probatur: quæsito enim quare efficit, respondetur: quia amat, vel intendit finem, non è conuerso. Ex primitate finis tripliciter iam ostensa, sequitur conclusio principalis: quia cuius causa non est prior, non est posterior, iuxta regulam tertiam præmissam.

Ens per accidens nullo genere causæ, est primum.

Omne agens per se agit propter finē.

Finis prima causarum.

3. *Conclus. 5.*

Quod non est effectum, non est finitum.

Probatur sic: quia finis non est causa, nisi inquantum ab ipso, tanquam à priore essentialiter dependet *esse* finiti. Patet, quia quælibet causa est sic prior inquantum causa: non autem dependet finitum, quantum ad esse, à fine vt sic priore, nisi inquantum finis vt amatus, mouet efficiens ad dandum sibi esse; ita quòd sicut efficiens non daret esse in suo genere, nisi inquantum motus à fine suo modo; ita finis non daret esse finito, nisi mediante efficiente amante finem, & dante esse finito in sua causalitate. Nihil igitur causat finis, nisi quod efficitur ab efficiente amante finem. Hîc sequitur corollarium non tacendum, scilicet quòd imaginatio falsa est de fine, dicentium quòd illud est causa finalis entis finiti, vel effecti, quod est operatio vltima, vel obiectum, quod per istam operationem attingitur. Si intelligitur quòd tale, inquantum tale, scilicet inquantum attingitur, est causa finalis, falsum est: quia illud consequitur *esse* effecti, vel finiti: nec *esse* finiti dependet essentialiter ab illo inquantum tale; sed præcisè illud propter quod amatum ab efficiente, efficiens facit aliquid esse, quod ordinatur ad amatum, illud inquantum amatum, est causa finalis finiti. Quandoque tamen obiectum operationis vltimæ est tale amatum, ratione cuius est finalis causa, non quia terminus operationis talis naturæ: sed quia amatum à causante illam naturam: tamen operatio alicuius vltima, vel quod per ipsam attingitur, quandoque dicitur finis, quia vltimum, & aliquo modo optimum. Et ita habet aliquas conditiones finis.

Finis causat tantùm vt amatus.

Corollariū.

Finis, vt attingitur, nō est causa finalis.

Non ergo Aristoteles poneret Intelligentias propriè habere causam finalem, & non efficientem: sed vel tantùm finem, extendendo *finem* ad obiectum operationis optimæ; vel si propriè daret, & efficiens, non quidem per motum, nec per mutationem,

Si Intelligētia haberet efficiens; & etiam finem secundùm Philosophū.

tionem, quia causæ quatuor pertinent ad considerationem Metaphysici, & sic abstrahunt à seipsis, vt pertinent ad considerationem Physici. Nec poneret primum dare eis *esse* post *non esse*, si poneret eas sempiternas, & necessarias, saltem pòst duratione, sed pòst ordine naturæ tantùm: sicut exponit Auicenna rationem creationis 6. Metaph. cap. 2. Vtrùm autem causato repugnet necessitas, an non, propositum non infringit; si posset aliquod efficiens simpliciter necessariò causare, & finis aliquis necessariò finiret, & non è conuerso: saltem quodlibet causatum non tantùm est possibile, vt opponitur impossibili: sed etiam vt opponitur necessario ex se: quia est terminus, vel obiectum potentiæ suæ causæ; licèt non sit possibile contingens, vt opponitur necessario in communi secundùm Philosophos: quia talem contingentiam à separatis negarent. Patet aliud corollarium, quòd finis non est causa finalis efficientis, sed effectus; vnde quod dicitur, quòd agens agit propter finem; non est intelligendum, suum; sed sui effectus.

Omne causatū est possibile.

Corollariū.

SCHOLIVM II.

Probat clarè conclusione sexta triplici ratione, quod non habet esse ab agente, non posse esse materiatum: sed è contra stat aliquid effici, quod materiatum non sit. Vide circa hoc Mauric. infrà num. 18. & 22. conclus. 7. quod non est materiatum, non esse formatum, nec è contra: ratio est euidens. Vide solutiones obiectionum contra hanc, num. 22.

4. *Quod non est effectum non est materiatum.*

Conclus.6. Probatur, quia materia de se est in potentia contradictionis ad formam; ergo non est ex se actu, nisi per formam; ergo ab alio reducente illam potentiam ad actum: illud est efficiens, quia idem est facere compositum, & materiam esse in actu per formam. Prima consequentia patet, quia potentia merè passiua contradictionis, non se reducit ad actum. Et si dicas formam reducere ipsam potentiam ad actum: verum est formaliter, sed cùm præintelligantur materia, & forma non vnita, illud à quo vniuntur, habet rationem causæ efficientis, quam sequitur actuatio formalis. Secundò, probatur consequentia, quia efficiens est proxima causa finali; ergo prior materia, cuius non est prior, nec posterior. Prima propositio hîc probatur; nam mouere metaphoricè, vt amatum, est causatio finis; sic autem mouet efficiens, non aliam causam. Tertiò probatur, quia compositum est verè vnum: ergo habet aliquam entitatem vnam, quæ nec est entitas materiæ, nec formæ: illa entitas vna est causata, non à duabus entitatibus primò, quia nihil vnum est ex pluribus, nisi in virtute vnius primò, vel principaliter; nec ab altero duorum primò, quia vtrumque illorum est diminutum respectu entitatis totalis; ergo est ab vno aliquo extrinseco; & sic patet conclusio principalis.

Materia est in potentia cōtradictionis ad formam.

Carens efficiēte, & materia.

Vnitas compositi, ab extrinseco.

Quod non est materiatum, non est formatum, & è conuerso. 5.

Probatur, quia quod non est materiatum, non est compositum ex partibus essentialibus, quia in omni sic composito perfectè vno, altera pars est potentialis, quia non fit vnum per se, nisi ex actu, & potentia *ex 7. & 8. Metaph. text cap. 22. 27. & 60. & circiter.* Quod igitur non habet partem per se potentialem, non est compositum; ergo nec formatum, quia formatum est compositum habens formam partem sui. Et sicut argutum est de materia, & forma, ita potest argui de subiecto, & accidente suo modo. Confirmatur iuxta illud Aristotelis 7. *Metaph. text. com.* 60. Si quid ex vnico elemento esset, non esset nisi illud; immò illud non esset illud elementum, ex prima propositione huius secundi capituli, quæ est: *Nihil essentialiter à se dependere*; ergo à simili, si quid habet tantùm vnam partem essentialem, non est nisi illa; immò iam non est pars, nec causa, propter primam regulam dictam; ergo omne causatum ex aliqua causa intrinseca, habet etiam aliam intrinsecam concausantem, & ita patet propositum. Conclus.7.

Compositū necessariò habet duas partes intrinsecas.

SCHOLIVM III.

Conclusio octaua, non causatum à causis extrinsecis, non causari ab intrinsecis; patet ex præmissis, & quia intrinsecæ dicunt imperfectionem, extrinsecæ non. Item intrinsecæ possunt esse effectus extrinsecarum. Conclusione nona explicatur optimè ordo causarum in causando, comparando quatuor causas inter se, & intrinsecas cum extrinsecis. Quod ait post additionem, nullam causam totalem esse æqualem causato, difficile satis est. De variis cogitabam glossis, sed puto verba illa esse de ipsa additione, quicquid dicat Mauritius hîc. Dato etiam quòd sint de litera Doctoris, ipse se explicat Theoremate 19. conclus. 5. illud tantùm locum habere in efficiente æquiuoco, & fine extrinseco, quæ duæ causæ semper sunt nobiliores causato: reliquæ non ita, vnde non est necesse recurrere ad glossas, quibus veritatem illius dicti saluemus.

Quod non est causatum à causis extrinsecis, non est causatum ex causis intrinsecis. 6.

Hæc ex præmissis quatuor satis, habet tamen probationes speciales. Prima est, quia causalitates causarum extrinsecarum perfectionem dicunt, cui non est annexa Conclus.8.

ne

necessariò imperfectio. Causæ intrinsecæ ex necessitate habent imperfectionem annexam, ita quòd causæ extrinsecæ sunt priores in causando intrinsecis, sicut perfectum imperfecto. Adiunge secundam quę est hæc: Quod non est causatum causæ prioris, nec posterioris, sequitur propositum. Secunda ratio est ista, quia causæ intrinsecæ possunt esse in se causatæ respectu extrinsecarum; ergo sunt posteriores in causando respectu earum. Antecedens patet de forma. Patet etiam de materia, inquantum pars, sed de ipsa in se, inferiùs ostendetur. Hæc conclusio benè probat sextam.

Causæ intrinsecæ dicunt imperfectionem, extrinsecæ non 1.d.2. q.2.n.16.

Concl.9. *Quatuor genera causarum in causando idem, essentialiter ordinantur.*

Causæ ordinem habent essentialem, in causando.

Patet ex quinque præmissis, sed ex se videtur rationabile, quòd multa à quibus aliquid dependet essentialiter ordinem habeant, secundùm quem scilicet illud ab eis ordinatè dependet: nam ex quibus non fit vnum, vt ex actu, & potentia, si omnino nullam habent vnitatem ordinis, non causant aliquid idem essentialiter. Cùm igitur quatuor genera causarum non sunt partes alicuius compositi ex ipsis, sicut ex actu, vel potentia; si etiam omnino nullam habent vnitatem ordinis, inquantum causant, quomodo tunc aliquid idem causarent in causando causatum, quo ordine omnes sunt vnum respectu tertij, scilicet in causando, si inter causas sit ordo dependentiæ, igitur vna causat aliam inquantum causa; non enim potest ibi poni causatum prius, ergo finis causat efficientiam, quæ tamen non efficitur propter processum in infinitum, igitur est falsa. Item, si vna causa causat causationem alterius, vt finis ipsius efficientis, & sic vltra, tunc illa vel erit immediatè causatum à quatuor causis; & sic causatum à quatuor causis non erit proximum causatum, nisi vnius, vel duarum, omnino nullam habent vnitatem ordinis inquantum causant, quomodo tunc idem aliquid causarent: ergo habent vnitatem ordinis, inquantum causant causatum, quo ordine sunt omnes vnum respectu tertij, scilicet in causando, sicut multa in vniuerso per ordinem sunt vnum in essendo. Et qualis sit ordo istorum generum patet ex dictis de fine, & efficiente inter se. Ex secunda probatione quartæ, & secunda probatione sextæ, & intrinsecarum ad alias, scilicet extrinsecas ex eisdem, & ex 8. Qualis autem sit ordo intrinsecarum inter se, nolo multùm prosequi inquirendo, quia parum illis vtar in processu: videtur tamen materia prior secundùm independentiam; quia * concernens, & informans, videtur dependere à permanente, & informato; quia formatum præintelligitur informabile. Et ita exponunt quidam Augustinum *Confess. lib.* 12 *c.* 4. *&* 1. *de Gen. ad lit. c.* 14. de prioritate materiæ respectu formæ.

Materia prior est forma.
* al. *contingens.*

Et si quæras, quo ordine est prior? Respondeo: sicut causatum propinquius eiusdem causæ remotæ, propinquius, inquam, necessariò, secundùm istum ordinem, secundùm quem nunc forma causatur, de materia priùs causata ab ipso: tamen forma est prior secundùm eminentiam, quia perfectior; quod tanquam planum accipit Aristoteles 7. *Metaph text. com.* 7. vbi comparat ea, licèt ex dictis eius alibi 9. *Metaph. text com.* 13. *& inde*, de actu, & potentia, posset probari. Intellige autem, quòd aliud est causas in causando, siue secundùm causationes esse essentialiter ordinatas; & aliud est ea, quæ sunt causæ, esse essentialiter ordinata: sicut patet per Auicenna, 6. *Metaph c.* 5. Nam primum verum est, & ostensum, aliàs istæ essent falsæ: *Quia amat finem, ideò efficit effectum: & quia efficit, ideò forma informat, & materia materiat*, quæ tamen communiter admittuntur. Secundum autem falsum est: nam illud, quod est finis, non est causa eius, quod est efficiens: nec quandoque è conuerso: Communiter autem illud, quod est efficiens, non est causa eius, quod est materia: quia eam supponit. Causationem autem vnius causæ esse essentialiter ordinatam ad aliam, est ipsam non esse causam eiusdem, nisi virtute alterius, suo modo causãtis: quod quidem causare in virtute nullam dependentiam ponit in ipso, quòd est causa posterior; nec aliquid absolutum à priori receptum in ipso: sed tãtùm aliquid ab eis esse ordinatè, priùs ab vno, quàm ab alio; & vnũ priùs causatum alterius, quàm causatum amborum: sicut alibi de causis essentialiter ordinatis diffusiùs explicaui.

Forma prior est materia secundùm eminẽtiam.

Finis est prior efficiente, & hoc prius forma. Causa subordinata alteri, nihil accipit ab illa: non est ergo ponenda prædeterminatio physica. Scot. 2. d. 9. q. 2. n. 34. & 4. d. 43. quæst. 3.

7. Additio. *Inter causas non est ordo depẽdentiæ.*

Sed vlteriùs intellige, quòd inter causas, inquantum causa, non est ordo dependentiæ, quia, vt habetur in primo cap. & probatur hîc 12. *conclusione; talis non est nisi causati ad causam, vel causati remotioris alicuius causæ, ad causatum propinquius eidem causæ: neuter est hîc Non secundus, patet, saltem comparando efficiens ad finem, qui est prima causa. Non autem primus; probatio, vel cautio dicit tantùm relationem in effectu, vel in causa: relatio non est causa relationis primò, hîc autem si causatio vnius esset causa causationis alterius, hoc esset primò, quia prius naturaliter, quàm esset causa causati omnium*

nium causarum. Tunc etiam nulla extrinseca esset immediata causa causati communis, sed tantùm causationis alterius causa. Tunc tertiò; non omne finitum esset effectum, contra quintam huius. Causatio quippe efficientis, per te est finita, quia causata à fine causante, non tamen est effecta. Item, probatur in communi, quòd inter causationes causarum non est dependentia, quia tunc sine contradictione posset esse causatio prior, sine posteriore; ergo & correlatiuum sine correlatiuo absque contradictione, quod est falsum; tum, quia omnes relationes causati sunt identicè idem absoluto; ergo contradictio est, vnam esse sine alia: tum, quia aliquid posset esse in re sine contradictione ens ad finem, & non effectum, quod est contra quintam. Similiter est contradictio, quòd aliquid sit materiatum & non formatum, vel è contra; patet ex septima. Similiter effectum quatuor causarum, quod scilicet est ab efficiente, per mutationem, contradictio est sic effici, & non esse formatum, vel materiatum. Est igitur inter causationes causarum ordo eminentiæ, quia vna est perfectior alia, hoc satis patet. Nec ideò dicitur, quia hæc causat ideò illa, quia sit ibi ordo dependentiæ; sed quia ordo eminentiæ, vel magis quia aliquid est causatum vnius causæ, quod non est alterius: sed respectu causati communis, non est ratio. Item, si inter causas sit ordo dependentiæ: ergo vna causat aliam, inquantum causa: non enim potest ibi poni causatum prius; ergo finis causat efficientem, quæ tamen non efficitur propter processum infinitum; ergo quinta falsa. Item, si vna causa causat causationem, vt finis, ipsius efficientis, & sic vltrà, tunc nihil erit immediatè causatum à quatuor causis: & sic causatum à quatuor non est proximum causatum nisi vnius, vel duorum.

Inter causationes causarum non est dependentia.

Inter causas est ordo eminentiæ.

Nulla causa est æqualis causato, intelligo de totali in quocunque genere. Probatur, quia inter æqualia non est dependentia essentialis; patet inductiuè, intrinsecæ sunt minùs nobiles, extrinsecæ perfectiores.

SCHOLIVM IV.

Postquam tractauit de membris quartæ diuisionis, quæ est secunda subdiuisio secundæ diuisionis principalis, posita cap. 1. & de primo eius membro, scilicet de causa, in sua genera, diuisa; pertranseundo tertiam diuisionem ibi positam de primo, & secundo causato, de quibus constat, quòd euacuant diuisum; ponit duas conclusiones claras de secunda diuisione. Prima est, Non omne causatum prius, est causa posterioris. *Secunda*, Nihil essentialiter dependet, nisi à causa, vel causato priori: *euidenter probat vtramque.*

Expedito de comparatione membrorum quartæ diuisionis. De tertia breuiter transeundo: quia planum est eius diuidentia repugnare, & diuisum euacuare.

Quia si duo comparantur ad eandem causam; aut ergo proximam, aut remotam. Conclus. 10.

De secunda diuisione duas conclusiones proponam. Prima est de distinctione membrorum.

Non omne causatum causæ propinquius, est causa causati remotioris ab eadem causa. Conclus. 11.

Quantitas non est causa qualitatis.

Ergo est aliquod causatum prius, quod non est causa. Antecedens huius probatur exemplo, & ratione. Exemplum ponitur tale: quantitas enim est propinquius causata qualitate, non tamen est eius causa. Patet discurrendo per causas. Probatur etiam ratione, quia Secunda conclusio est de sufficientia diuisionis.

Nihil dependet essentialiter, nisi à causa, vel causato propinquiori alicui causæ. Conclus. 12.

9.

Quodlibet posse esse, sine eo, quod non est causa eius, vel causatum prius.

Probatur: quia si dependeret ab aliquo alio, sit illud *A*, & dependens *B*. *A*. non existente, *B* non erit: sed *A* non existente, omnes causæ per se ipsius *B*. possunt concurrere, & etiam omnia causata istis causis propinquiora, quàm *B*, possunt esse iam causata; quia *A* nullum istorum est, per te; ergo omnibus causis per se concurrentibus, & omnibus causatis propinquioribus ipso *B*, iam positis, *B* non erit; ergo omnes istæ causæ per se non sunt sufficientes causæ, etiam propinquioribus causatis iam positis. Consequentia patet, quia causæ sufficientes iam causatis propinquioribus positis, possunt causare remotius causatum. Sed si dicas, quòd argumentum non concludit, quin possint: sed concludit, quòd non causant. Hoc nihil est, nam *A* non potente esse, per te, *B* non potest esse: sed omnibus prædictis ex parte causarum omnium, & causatorum priorum positis, *A* non potest esse per illa, quia non est aliquod istorum, nec causabile ab eis: ergo *B* non potest esse per illa: nam per nihil potest esse aliquid, per quod non potest illud esse, sine quo impossibile est illud esse. Si dicas, compositum potest esse per agens naturale: non tamen materia potest esse per ipsum, sine qua impossibile est compositum esse. Instantia nihil valet, quia agens naturale non est tota causa compositi, à quo, circumscripto scilicet omni alio, potest esse compositum. De tali loquor, quia si omnes causas in omni genere causæ ordinatas ad *B*. coniungas, & effectus propinquiores ipso *B*. sint producti, per omnes istas *A* non potest esse; quia non est causa, nec causatum de numero istorum; & sine *A*. *B* non potest esse; ergo per omnes

omnes istas simul iunctas, *B* non potest esse; ergo omnes istæ simul iunctæ non sunt totaliter causa ipsius *B*, quod est oppositum positi. De prima diuisione similes duas conclusiones propono. Prima patet de distinctione membrorum, & est:

SCHOLIVM V.

Circa primam diuisionem ordinis positam cap. 1. *in eminens, & excessum, seu in nobilius, & minùs nobile secundùm essentiam; ponit duas alias conclusiones. Prima, quòd* Non omne excessum dependet essentialiter ab excedente. *Secunda*, Non omne dependens exceditur ab eo, à quo dependet. *Ratio vtriusque est euidens. Addit tertiam conclusionem, quæ est* 15. *quòd* Nunquam pluralitas est ponenda sine necessitate; *quam habet* 2.*d.*16.*num.*14.*&* 1. *d.*10. *quæst.*1.*& aliàs passim ex* 1.*Physic.text.*58.*&* 8.*Physic. text.* 56.

Conclus. 13. *Non omne excessum dependet essentialiter ab eminente.*

10. Ergo primæ diuisionis primum membrum non infert necessariò secundum. Probo antecedens. Species nobilior est eminens respectu minùs nobilis, puta contrarium respectu contrarij; nec tamen respectu eius est aliqua causa. Patet inductiuè: nec causatum propinquius, quia causalitas causæ communis non respicit secundùm ordinem essentialem illa, vt causata: tunc enim non posset causare aliquod excessum, nisi priùs causaret eminens, quod est patens falsum de quacunque causa: quia si contrarium vilius producitur ab hac causa, contrario nobiliori à nulla causa producto; ergo respectu nullius causæ sic ordinantur. Vlteriùs, si eminens aliquod non est causa respectu excessi, nec causatum propinquius causæ amborum: ergo excessum non dependet ab ipso essentialiter. Consequentia patet ex præmissa ostensa. Ex abundanti coniungo eius conuersam.

Excedens, quandoque nec causa, nec causatū prius, respectu excessi.

Conclus. 14. *Non omne dependens est excessum ab illo, à quo dependet.*

Patet, compositum dependet à materia, cùm ipsum sit multùm perfectius. Similiter fortasse forma dependet à materia: vt tactum est conclus. 9. tamen forma est perfectior 7. *Metaph. text. com.* 7. In motibus etiam ordinatis, quod est posterius generatione, dependet à priore: quia prius est effectus propinquior causæ amborum: tamen posterius est perfectius 9. *Metaph. text.com.* 15. *& circiter.* Tertiò, pro sufficientia huius diuisionis hanc generalem propono apud Aristotelem satis notam:

Compositū perfectius materia, à qua tamen dependet.

Conclus. 15. *Nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate.*

Cùm igitur nulla necessitas appareat ponendi plures ordines essentiales, quàm duos prædictos, illi soli sunt ponendi. Hæc autem propositio generalis ostendit tantùm esse sex ordines essentiales, in quos secundus subdiuiditur: tot esse ostensi sunt, & ad ponendum alios necessitas non apparet. Comparatis membris primæ diuisionis ad inuicem in communi, comparo in speciali posterius primi ordinis primæ diuisionis, ad posterius primi ordinis secundæ diuisionis, comparo scilicet excessum ad effectum, & finitum, hìc conclusionem vnam propono, quæ talis est.

SCHOLIVM VI.

Comparat modò in particulari, secundum membrum primi ordinis primæ diuisionis posita, cap. 1. *num.* 2. *scilicet excessum, ad secundum membrum primi ordinis secundæ diuisionis, ibidem posita, scilicet ad effectum, vel finitum: ponitque vltimam conclusionem, scilicet esse perfectiorem suo effectu, seu eo quod est ad finem.*

Omne finitum est excessum. Conclus. 16.

Probatur, quia finis est melior eo, quod est ad ipsum. Hoc probatur sic: quia finis, vt amatum, mouet efficiens ad causandum; sit igitur finis *A*, efficiens *B*, effectum infinitum *C*. Tunc si *A* non est minus bonum, ipso *B*, nec æquale: ergo maius. Secunda pars antecedentis probatur. Quòd non æquale, quia qua ratione æquale moueret, eadem ratione & idem posset mouere *C*, quia æquè amabile, & desiderabile: & ita posset esse causa finalis sui, contra primam propositionem huius secundi. Ex hoc concluditur, quòd nec minus. Item, natura agit propter finem, sicut ars ageret, si ageret naturaliter: sed à fine in artibus sumitur principium cognitionis artificialis, vel moralis, definito 2. *Physic. text.com.* 89. principium est verius; ergo finis, qui includit illam veritatem, virtualiter est perfectior. Obiicies, aliqua voluntas causat aliquid propter minus bonum amatum; ergo ibi finis est excessus. Antecedens patet in omni actu bono ex genere, & malo ex fine: quia ordinatur ab agente ad finem inferiorem se. Respondeo, conclusio procedit de fine ex natura rei, qualis est semper finis naturæ, & finis voluntatis ordinatæ. Sed nec instantia de voluntate inordinata destruit conclusionem; quia talis non est prima causa effectus; ergo si à tali aliquid fieret, non propter perfectiorem finem, tamen fieret ab aliqua causa superiori ordinata ad finem superiorem, vel perfectiorem: quia aliàs non esset ordinata, vt probatio conclusionis ostendit, & si, vt à superiore producitur, habet finem perfectiorem; ergo 11.

Prima est, quòd nihil est causa sui.

Finis semper perfectior eo, quod eligitur propter ipsum.

go habet aliquem perfectiorem; ergo omne finitum est excessum ab aliquo fine suo, licèt non à proximo, propter quem amatum agens proximum inordinatum causat ipsum. Posset etiam dici, quòd finis ille esset finis eius secundùm quid. Hoc non placet, quia efficientia causæ inferioris est efficientia simpliciter: ergo si non efficit præcisè, vt motum, sicut baculus, cuius non est finis proprius, quia non est agens propriè, sed quasi effectum propinquius; si, inquam, non sic efficit, finis eius est finis simpliciter, quia omnis per se efficientis, est aliquis per se finis.

R. P. F.
LVCÆ VVADDINGI
HIBERNI,
Censura pro additione sequenti.



N codicibus duobus MSS. Vaticanis ad finem totius tractatus, qui hucusque circumferebatur, habetur, Explicit liber primus de primo Principio; *& deinde sequebantur ea, quæ hîc adiungimus, ad quorum calcem addebatur:* Explicit tractatus Fr. Magistri Ioannis Scoti Sacr. Theol. Doctoris de primo Principio. *Sed ego non tam alium tractatum, aut totius tractatus librum alterum reputo, quàm capituli secundi fragmentum, aut congesta aliquot dubia, & insinuata responsa, pro maiori dilucidatione quarundam conclusionum capituli secundi, præsertim decimætertiæ, & sequentium; idque confirmat Mauritij obseruatio in Notis ad istud capitulum; quòd in aliquibus codicibus ad finem huius capitis ipse viderit istam additionem, monétque lectorem, vt inuentam adiungat. Obscura sunt, & implicata omnia, nec videtur Doctor vltimam manum adhibuisse, sed aliqua, quæ fœcundissimo, & viuaci occurrebant ingenio, breuiusculè adnotasse ne exciderent, vt opportuniori tempore in methodum redigeret. Ne omnino pereant, hîc placuit adiungere.*

ADDITIO.

1. *Omne excessum habet causam extrinsecam.* Probatur, omne excessum est ens per participationem alicuius excedentis: habet etiam aliquod excedens, videlicet, mensuram necessariam ex 10. *Metaphysica, text.* 3. Maior, omne participans, & mensuratum, ab eo quod participatur, velut ab aliqua mensura dependet essentialiter, & non sicut à causato participante *esse* amborum: ergo sicut à causa. Maior probatur, alioquin posset participans esse sine omni ente, quod participaretur, per cuius perfectionem mensuraretur eius perfectio diminuta.

An mensuratum dependeat à mensura.

2. Hîc instatur, primò, videtur hoc esse contra ea, quæ dicta sunt decimatertia conclusione secundi, vbi probatur, quòd non omne excessum dependet essentialiter ab eminente; hîc autem videtur oppositum ostendi.

Obiectio prima.

Item, Maior hîc non benè ostenditur; nam manifestior in quantis mole est mensuratio, quàm in quantis virtute, sicut & participatio, quia minus ibi capit partem maioris, ita quòd maius potest diuidi in id, quod exceditur, & in ipsum, in quo excedit ipsum: quod non accidit in quantis secundùm perfectionem, & tamen in quantis mole, minus, quod est participans, potest esse sine maiore, & sine mensura excedente, licèt non sine mensura minore; quia talis est pars ipsius quanti. In quantis secundùm perfectionem accidit, quòd talis mensura sit aliquid minus per se, & sic non est pars mensurati.

Obiectio secunda.

Item, quare non potest eminens esse causatum? Respondeo, quia excessum potest immediatè causari, eminente non causato: sicut declaratum est in propositione tertia, quia est propinquius causæ, quàm excessum. Videtur enim perfectius 3.

esse

esse causatum respectu causæ perfectissimæ, & imperfectius causatum remotius.

4. Item: In Mathematicis negas? Respondeo: conceditur in 13. finem, &c. & 3. Metaphysicæ; ergo & efficiens, &c. & 9. 3. Quod & aliter ostenditur; quia Mathematica abstracta sunt à motu physico, non propter hoc à Metaphysico: igitur nullam habent causam extrinsecam; & tamen est ibi eminentia; immò manifestissima in speciebus numerorum, & figurarum.

5. *Respondetur ad primam obiectionem.* Ad primam instantiam: non eadem est ratio formalis illorum *excedi*, & *dependere*, quæ si esset eadem, & correlatiua essent eadem. Nec sunt conuertibilia, quia sic eorum correlatiua conuerterentur, quod improbat 13. Nec ita intelligit, quòd sint eadem essentialiter, vel consequenter, sed quòd ad *excedi* sequatur *dependere*. *Excedi, & dependere sunt diuersa.* Nec propter hoc oportet, quòd eminens sequatur correlatiuum dependentiæ; quia etsi in relatiuè oppositis teneat consequentia in seipsis, scilicet solummodò quando antecedens est per se primo modo; nec tunc semper, sed solùm tunc oppositum subiecti, est sub correlatiuo prædicati, vel sub ipso prædicato. Quando autem prædicatio in relatiuis non est ita per se; non quia correlatiua dicuntur vniuersaliter prædicari de hoc, nec hoc de ipso, nec è contrario, sed particulariter oportet. Quia si omne excessum dependet, oportet, intellecto aliquo, à quo dependet, consequenter intelligere rationem eminentis; nec tamen ideò ab omni dependet: quod probatur 13. Quia nigrum non dependet ab albo, quod tamen est excessum, & ens per participationem; sequitur quòd dependet ab aliquo eminente, quod participat. Non igitur contradicunt, non omne excessum dependet ab aliquo eminente; quia in aliquo eminente est ratio necessariò participati, & mensurantis, non autem in quolibet.

6. *Ad secundam.* Ad secundam, quantitas molis maior nullam rationem causalitatis habet respectu minoris; quia æquè minor nata est esse causa materialis respectu maioris ex 5. *Metaphysicæ*, *text.* 2. non est circulus in causis. *Quantitas molis, quantitas virtutis.* Sed in quantis virtute, licèt non omne maius sit causa minoris, & ideò *eminenter* non includit *formaliter*, nec consequenter rationem causalitatis; tamen aliquod maius necessariò est causa: quod declaratur sic: Causa effectiua non causat actu tale, nisi sit virtualiter tale; quia actus secundus præsupponit primum.

Dependet igitur causatum ab ipso, non tantùm inquantum actu causat, quod est dependere ab efficiente; sed etiam inquantum est causatiuum, quod est dependere ab effectiuo; & ipsum vt sic non contineret virtualiter, nisi contineret etiam eminenter; & inquantum continet eminenter, mensurat causatum, & participatur ab eo. 7. *Quomodo participans dependet à participato.* Ita participans nunquam necessariò ab aliquo dependet, nisi in quo est ita eminenter, quòd est tamen ibi virtualiter. Aliàs inquantum est tantùm eminenter, non participat propriè, quia non totum, quod ipsum est ad prius; quia tunc tantùm per negationem distingueretur ab ipso: sed totum, quod ipsum est aliquid primi participati, nec tantùm negatione distans ab illo, sed per finitatem perfectionis, quam potest adhibere infinitè. Ab illis etiam, in quibus non est virtualiter, mensuratur, sed non necessariò, sicut per mensuram, à qua dependet; nec perfectè mensuratur, quia quodlibet sui; sicut ostensum est de participatione. Vt breuiter tunc dicatur, omne minus secundùm perfectionem necessariò participat aliquid, in quo est eminenter, secundùm quodlibet entitatis suæ, & à tali perfectione necessariò, mensura est idem quod causat; sed inquantum idem causans, est in actu primo, & ideò participatum dependet ab isto.

Sed quia causatum non tantùm dependet à causa, vt actu causante, sed causatiuo; ideò videtur aliqua alia dependentia ad participatum, & mensuram, quam ponunt in ordine eminentiæ; & alia ad causam formalem; qui ordo eminentiæ præcisè non includit dependentiam, vt est in 13. conclusione, sed ad aliquod eminens est, vtcunque dependens; sicut ad aliquid in actu primo, & actu secundo: & ideò in dependente necessariò vna infert aliam; & è contrario: quod ponit ista; sed non è contrario ad quodlibet, quod dicitur 13. sed ad illud eminens, in quo necessariò concurrunt istæ duæ rationes. 8.

In ista responsione, aliqua, quæ sunt narrata, in suis ostendentur locis; & ita ista responsio non ponitur tanquam propria alicuius conclusionis; sed tanquam explanatio narratiua. In propositionibus autem conclusionum, seu acceptionum prædicati, nec aliàs satis probatum est. 9.

Contra istam responsionem ad secundam videtur esse Aristoteles 10. *Metaphysicæ*; Vtrùm sit genus vnum, quod sit Vide Scot. 10. Metap. q. 2.

Obiectiones contra solutionem obiectionis secunda. mensura, & in aliquo genere. Et patet ad primum; & secundùm ipsum *in 5. Metaphysicæ*, mensuratum refertur realiter ad mensuram; non è contra: igitur videtur dependere ad mensuram proprij generis, in qua tamen non continetur virtualiter, sed tantùm eminenter.

10. *Obiectio secunda.* Item, si in eminentissimo, quod necessariò participatur, & mensurat, concurrit vtraque ratio necessariò; igitur in propinquioribus sibi consequenter concurrit magis quàm in remotioribus; videlicet, quòd maius, & minus, & maximum videntur idem includere; secundùm maius, & maximum, ex considerationibus Aristotelis in Topicis: si ad maximum maximum, ita ad magnum magnum, finitum ad finitum, &c.

Tertia. Item, si causatum dependet à causa inquantum causante; igitur dependet à correlatiuo; quia actualis causatio super absolutum non addit nisi relationem; sed consequens est falsum; quia relatiua sunt simul natura.

Quarta. Item, saltem aliqua erit dependentia, & non ad causam, vt causa ad causatum propinquius causæ; puta ista, quæ est ad primum eminens, inquantum cum secunda concurrit, immò & prior omni dependentia ad causam: & ideò insufficienter diuiditur ipsa causatio in secunda diuisione prius, à quo aliquid dependet in causam, & causatum propinquius causæ.

11. Ad primam itaque notandum, primum in genere est participatum secundùm quodlibet sui, sed diminutè fortè secundùm naturam generis, quæ perfectiùs est in perfectiori, & diminutiùs in secundo: nam non secundùm naturam sumitur differentia specifica; tunc enim negatio sola distingueret; ideò nullum primum in genere est necessariò mensura.

Nunquid Aristoteles intelligit ibi oppositum? Respondeo, principalis intentio ipsius capituli est ostendere quomodo ratio mensuræ conuenit vni, non tantùm in discretis, & continuis, sed etiam in omni genere: & verum est, quòd illo, quod mensuratur in genere, licèt non necessariò, est magis vnum mensurans.

12. *Deest aliquid.* Ad secundam non sequitur quòd, &c. considerationes intelligant de maximo, quod essentialiter includit maximum, non quod tantùm communicatur ratione excessus.

Ad tertiam, in tractatu de Relationibus quære, quomodo relationes oppositæ, non æquè primò semper consequuntur extrema, vt vna causam, sed altera priùs, & tunc secunda dependet ab ista, sicut à causato propinquiore esse amborum. Aut si in proposito causans in actu veram habet relationem, sed tantùm causatum refertur ad aliquid absolutum, tunc in causato oriuntur duæ relationes ad eminens, & ad causam, quarum secunda præsupponit primam essentialiter, sicut causatum propinquius causæ, &c. Quod suprà dictum est in responsione ad secundum contra conclusionem, dependentia ad causans, & ad causatum, non intelligitur de relatiuo in primo, sed in posteriore, quarum personarum præsupponit vna alteram. Si verò vtraque istarum non est dependentia formaliter, sed tantùm secunda; prima est alia relatio; & per hoc ad secundum conceditur, quòd ad primum inquantum eminens (quæ eminentia præintelligitur suæ causalitati ad ipsum) inquantum sic non dependet causatum aliter; sed habet aliam relationem, quæ tamen necessariò dependentiam habet ad idem concomitanter. Sic igitur patet solutio ad secundum, contra quam sunt hæc quatuor argumenta.

Coarguitur, inquam, in hoc, quòd ponit duplicem relationem in causa, scilicet causati, & causantis, & secundùm istam vtrumque causatum dependet à causa duplici dependentia; quia vna ad causantem, & ista esset causati ad causam: alia ad causatum, & ista esset ad eminens inquantum virtualiter, & non eminenter continet. Falsum est aliam relationem esse in causa tali ad causatum; si etiam aliqua esset, non alia esset causati, & causantis, nisi secundùm potentiam & actum; nam eis non correspondent dependentiæ, & excessi, vt correlatiua, sed causabilis, & causati. 13.

Secundò: ratio eminentis licèt præsupponatur causanti, ita etiam causatiuæ, tamen ad ipsum vt sic, non est dependentia, sed alia relatio in causato necessariò concomitans dependentiam; sicut eminentiæ necessariò concomitatur in isto primo. 14.

Contra hoc, videtur hîc contradictio, quòd causatum dependet à causa, vt causa, non vt eminens: & tamen eminentia præsupponitur causatiuo, & causanti per se: quæ repugnare videntur secundùm tertiam conclusionem huius secundi. 15.

Respondeo in eminente, & causa nihil est nec absolutum, nec relatio, prius, & posterius; sed in causato est vna relatio, quæ

quæ non est dependentia prior relatione dependentiæ;& nunquam concipimus absolutum, quod terminat vtramque relationem, vt terminum proprium. Sed mirum videtur, quomodo aliam relationem habeat dependens priorem ista dependentia, sine qua non potest esse, sine aliis posset esse,&c. Ista conclusio omittatur, & de ipsa, & de 13. esset tractatus magnus per se: quomodo comparantur ordines illi duo; quomodo scilicet primus priùs diuiditur ordo, & quomodo in vno concluditur dependentia, in alio non.

16. Præter decimam tertiam, & aliam decimam sextam esset ista; *Nullum causatum est æquale suæ causæ:* & vniuersaliùs: *Nullum dependens est æquale illi à quo dependet.* Et ita non est ordo dependentiæ sine ordine eminentiæ; licèt non semper dependens excedatur, quod videtur mirabile, quomodo perfectius dependet à minùs perfecto.

An perfectius possit dependere à minùs perfecto.

Respondeo; non à minùs perfecto, quod est per se ens, sed quod est pars eius, quando perfectius ex ratione sua est totum Ista omissa, respondeo ad primum argumentum contra conclusionem, quòd ab aliquo eminente, non à quolibet, dependeat excessum, non videtur irrationabile; quia sicut primum est primum essentialiter, ita prius est prius essentialiter: ergo primum non magis requiritur in suo gradu propter tertium, quàm secundum in suo: alioquin si primum supplet ordinem cuiuscumque posterioris ad quodcumque, ita quòd ipsum primum sit immediatum cuiuscũque: ergo inter alia non est ordo essentialis.

17. *Obiectio.* Si dicas: vbi primum includit eminenter totam perfectionem posterioris, & eminentia sufficit ad causandum suum formaliter esse tale, ibi primum sufficit: ita est in tribus ordinibus, de quibus per se quæritur, non in materia & forma, quia ibi primum includit eminenter totam perfectionem posterioris; nec etiam eminenter sufficeret ad causandum sic; quia circa talem formalitatem suam est pars causati. Cùm ergo sicut in ordine eminentiæ primum est necessariò mensurans & participatum; alia contingenter, & ideò non est dependentia nisi à primo; ita in efficientibus & finibus; & per consequens nullum causatum dependet ab aliqua causa secunda essentialiter: & hoc necesse est concedendum; quia sine ipsa posset esse.

18. *Solutio.* Respondeo, sed non in ipso ordine, in quo est. Item respondeo ad primum contra conclusionem, dicendo quòd non totum excessum participat primum in genere, nec mensuratur, quod exponitur ad vnum genus, & differentiam. Probatur vtrobique, quia tunc res minimè distinguerentur. Hoc nihil valet, nec de finito & infinito differentia. Ratio verò est propter prædicta, quòd quando excedens diuiditur in excessum, & in id, in quo excedit excessum, tunc excessum dicitur pars excedentis. Et sicut illud, in quo excedit excessum, quando diuiditur in aliud eiusdem rationis prædictæ, vnde ipsa nata sunt esse partes altero horum modorum; quod sicut se habet communiter maius ad minus in quantis mole, ita videtur imperfectibile maius à minore: non ita ponitur in quantis virtute quodlibet in vno genere, natura generis præcisè sumpta sine differentiis, sic in vna specie quàm in alia, & alioquin non esset perfectibilis differentia perfectiori.

Et in hoc gradu accipiendo realitatem generis tantùm sub modis intrinsecis *maius* & *minus*; *minus* est aliquid eiusdem rationis cum *maiore*, carens aliquo gradu eiusdem perfectionis, in quo *maius* excedit ipsum; & ita sic addit differentia tantùm per negationem; ideò est prima diuisio Qualitatis in priuationem & habitum; tamen vltra hanc est distinctio per vnam differentiam positiuam receptam hîc in natura generis sub hoc gradu, siue priuata gradu superioris: tunc tota natura specifica est inferior tota, non tantùm negatione, sed magis completione per differentias positiuas: nec tota vt tota nata est esse pars alterius, vt tota, & carere tantùm gradu alterius; ita etiam potentia. Deitatis respectu Dei, quòd infinitas nihil dicat nisi infinitatem, quæ est potentia, licèt priuatiuè intelligatur; tunc creatura inquantum ens finitum, à Deo, inquantum est ens infinitum, non videtur nisi negatione differre, si ens est vnius rationis: igitur vlteriùs distinguitur per differentias creaturarum. 19.

Conclusio verò supradicta probatur sic: 20.
Dependens impossibile est esse sine de pendẽtia non impossibile autem est ipsum esse sine aliqua relatione, ex duodecima, quia positis omnibus, à quibus ipsum dependet, & non solùm ipsum erit; igitur relatio dependentiæ est prima essentialiter in dependente: igitur quælibet alia præsupponit ipsam. Hæc propositio valet; si probetur quòd excessum est dependens: tunc dependentia erit prior: sed petitur conclusio.

Relatio dependentiæ si sit prima in creatura.

Item, contra istam probationem: Eminentia præintelligitur causalitati, quod enim causat, oportet præintelligi perfectum: igitur simul est ordo in correlatiuis. 21.

uis. Probatio consequentiæ: quia cum vtroque suum correlatiuum est simul natura. Huic rationi innititur tota declaratio prædicta, & correlatio similiter concedit correlatiuum eminentiæ esse prius dependentiâ: sed dicit quòd ipsum non est dependentia: & in hoc contradicit declarationi.

Ad illud respondeo: intelligitur quoddam absolutum sine omni respectu primum, prius est absolutum causatum positis istis extremis: in tertio signo naturæ pullulat ratione dependentiæ, quæ est immediatior illi, in quo est relatio, quia in primo nulla fuit, nec in isto signo naturæ pullulat relatio excessi: præintelligitur ergo eminens, non sub relatione eminentiæ, sed absolutum perfectum in tali gradu.

Hæc quæ sequuntur videntur spectare ad conclusionem octauam, & nonam huius capitis secundi.

1. *Datur ordo essentialis in causis.* DE ordine causarum idem dicitur, quòd quando quatuor causæ causant idem, tunc non habent relationem simultatis, sed ordinis essentialis: ita quòd vna in causando est causa alterius in causando, secundùm nonam conclusionem secundi, & hoc tali ordine: finem mouere est efficiens ipsum amatum: quod patet in intellectualibus: in naturalibus verò amor non est aliud à natura amante vltra efficiens: efficere est effectum effici: & hoc est effectum referre ad hoc vt hoc: & ad finem referri, est referri ad hoc vt amans aliud, propter quod est causa huius: & sic *In effectu est duplex relatio.* in effectu est duplex relatio; quia omnis causa naturalis videtur agere ex necessitate formæ, etiamsi possibile esset, quòd nullum finem appeteret: sed cognoscens dirigit, & ideò finis ponitur naturæ, vt directiua est, & tunc, vt dictum est, in effectu est duplex relatio ad efficiens absolutè, & vt amans est.

2. *Materia est prior forma.* De causis intrinsecis distinguenda sunt signa naturæ: nam in primo signo naturæ præsupponitur materia vt causatum priùs, quàm forma: & hoc respectu eiusdem causæ remotæ: & hoc licèt non necessariò absolutè, nec necessariò inquantum forma causatur secundùm istum ordinem causandi: quia nimirum causans secundum nihil facit, nisi destruat aliquid. Concluditur aliquid esse in destructo necessariò ad suum subiectum, & manere in destructo: hæc est necessitas materiæ. Ponuntur igitur quatuor signa naturæ. In primo agens secundum, & materia causatum prioris causæ, vt cessatio, præsuppositum causali à secundo agente, & in secundo instanti naturæ: vt in *A*, aliquid est ab agente, vnde in *A* producitur forma, in *B* vnitur materiæ, in *C* instanti est totum productum ex istis, & tunc istæ sunt partes eius. Quòd *B* procedat à *C* naturaliter, quia esse præcedens causatum non tantùm in *C*, sed in causando, aut saltem vt vnita: quia sic integræ sunt causæ in isto *B*, est mutatio materiæ ad formam. Istius terminus est forma, tunc non est productio compositi, sed in *C* productionis primus terminus est compositum: sed mutatio præcedit eam in *B*, non intelliguntur partes, quia tunc non est totum, sed causæ, ideò causalitas istorum prior est participante. Quòd *B* sequatur *A* patet, quia aliter primus effectus efficientis esset relatio tantùm: quia modo, quæ est in *B*, est relatio: nec est aliquid absolutum ante *C*, nisi forma, quæ non præfuit. Similiter vnio præsupponit vnibilia. Falsum est ergo, quòd forma producitur posterius, quàm compositum: quia producitur antequam vniatur. Vnitur autem antequam compositum causetur: cuius causatio passiua sequitur causationem actiuam omnium causarum. Intelligitur igitur post secundam intentionem compositum produci, vel primò per se esse, quod per accidens est tantùm per se.

Sed prædicta non videntur omnino veritatem habere; quia si efficientia causetur à fine, ergo efficiens similiter & materiatum est, quod non efficitur: ergo quinta conclusio secundi est falsa. 3. *Obiectiones contra causalitatem finis.*

Item, efficiens amare finem non est finem finire aliquid, tunc enim Deus necessariò finiret aliquid: vnde si qua est hîc relatio, non est causæ ad causatum, sed obiecti ad actum, vel potentiam. Nec efficiens amare *A* propter *B*, ad finire *A*, tunc enim finiret non existens; sed *B* amatum esse propter quod ponitur in *esse*, est *B*, finire *A*: simul igitur sunt causalitates finis & efficientis: contradictio enim est quòd altera sit sine altera, vel aliquid præsupponatur causationi vtrius, scilicet velle *B*, & non velle *A* propter *B*, est quasi vnio istarum causarum. *Secunda.*

Vlteriùs formam informare materiam, & formam & materiam esse actu causantes: aut saltem esse simul vnitas: ita quòd est contradictio in separatione, licèt differant relatione sui inuicem, & ad causatum. Si igitur efficiens efficit istas, & etiam totum, sunt tres relationes effectuum, quia vnio istorum efficitur, & causatio accidentalis istorum, quæ est simul natura cum vnione, efficitur, & totum efficitur. 4. *Tertia.*

Verum

5. *Explicatur causarum ordo & efficientia.* Verum est igitur, quòd causæ extrinsecæ præcedant intrinsecas; quia causant causationem intrinsecam; sed præcedunt in causando causatum commune, quia sine contradictione id sit effectum, & non in actu: loquendo non de communi, sed de hoc effecto, quod non est in actu nisi per formam, etiam non potest sine contradictione esse materiatum & non formatum; nec èconuerso; quia nulla pars sola consistit. Totum igitur in genere simul quatuor causæ causant, ita quòd est contradictio in separatione causationum actiuarum, sicut passiuarum. Tamen ista, quæ sunt causæ, habent ordinem eminentem. Similiter causationi aliarum præsupponitur ordo dependentiæ, vel alius ordo, scilicet obiecti ad potentiam: sicut causationi efficientis præsupponitur velle finem: causationi intrinsecarum præsupponitur efficiens, quia vnit & simul causat causationem istarum. Quando igitur arguitur, quòd causæ sunt ordinatæ, quia tales propositiones conceduntur, *quia volo, ideò ago*, hoc non videtur, vt patet suprà.

6. *Quid sit efficiens efficere.* Vlteriùs cùm dicitur, quia efficiens efficit, ideò materia mutatur, non est verum, quia efficit ignem, sed quia efficit mutationem materiæ: & ad hoc illud est exponendum, quia simul vera sunt mutationem efficere, &ècontrà effici: sed præintelligitur relatio in agente propter prioritatem fundamenti. Vnde hic est sensus, per efficiens materia mutatur: vbi sicut efficere ignem non præcedit mutationem sine contradictione, ita nec efficere mutationem præcedit sine contradictione. Omnis igitur siue ad compositum, siue ad relationem partium inter se, vel ad totum: omnis, inquam, est simul vera, ita quòd est contradictio in separatione.

7. *An vnio partiũ præcedat totũ.* Contrà: causæ non tantùm non vnitæ, sed vnitæ sunt priores natura ipso toto; quia vnio præsupponitur actuali causationi: ergo formam informare præcedit totum. Respondeo: vnio agentis & materiæ, quæ sunt causæ præexistentes, est approximatio; hæc præcedit, & separabilis est sine contradictione; sed vnio materiæ & formæ, quæ est per informationem, est simul vera cum toto, & simul vera cum causatione actuali ipsarum causarum.

Si omnino vis habere vnionem formæ præsuppositum causationi: dico, quòd est præsentia quædam ipsi materiæ in actuali existentia, quæ præsentia non dicit informationem, sicut in anima patet in instanti: sed quia præsupponitur materia omni causationi efficientis huius. Respondeo, quia præsupponitur composito, quod efficiet, & non potest materiam efficere.

Contrà, quia non efficit nisi tantùm formam, quia istam omnino habet in virtute sua actiua & potest esse per se sine materia, sine contradictione; & forma priùs producitur, quàm materiæ vniatur, & quàm compositum generetur, &c. 8.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur capitulum secundum, in cuius principio in aliquibus originalibus ponitur numerus conclusionum, & tituli earum, quæ in hoc capitulo disputantur, & similiter in sequentibus capitulis in principio cuiuslibet habetur: sed quia non videtur litera Doctoris, assignauimus totum, vt additionem, vel *Extra*, vsque ad principium capituli exclusiuè. In hoc capitulo vt in primo capitulo præmisit, pertractat de illis diuisionibus ordinis essentialis, & qualiter membra repugnant, & sufficienter euacuant diuisum: quæ sunt conditiones bonæ diuisionis, vt docet Boëtius lib. Diuisionum. In principio igitur capitis præmittit tres regulas, vel propositiones generales, & ostendit veritatem earum; quas sicut cæteras conclusiones, litera grossa, ad modum textûs, reliquum verò ad modum expositionis, vel glossæ annotari fecimus. Deinde compara membra diuisionum, & primò, secundæ, & ibi principaliter comparando causam ad causatum secundùm quatuor genera in sex conclusionibus: in quarum prima quatuor comparat effectus quatuor causarum secundùm concomitantiam inter se; in duabus verò reliquis comparat causas inter se, & maximè in vltima. Deinde comparat effectus inter se secundùm ordinem. Vltimò comparat membra primæ diuisionis, & omnia in litera expressè, & ordinatè proponit. Dicit ergo primò, comparando effectum causæ finalis ad effectum efficientis, *Quod non est finitum*, &c. quam conclusionem probat duplici ratione: in quarum prima, cùm dicit, *& loquor de his, quæ solùm propriè sunt effectibilia*, debet intelligi de positiuis, & entibus realibus, ad differentiam negationum, vel non entium, vel respectuum rationis. In secunda ratione ostendit primitatem finis respectu efficientis tripliciter, & infert veritatem conclusionis, & litera tota satis clara est. 1. *Dispositio literæ Doctoris.* Concl. 4.

Deinde comparat effectum efficientis ad effectum causæ finalis, dicens: *Quod non est effectum*, &c. quæ propositio est magnæ altercationis inter Philosophos, & Theologos, & maximè apud Auerroïstas, & alios aliter Aristotelem interpretantes, atque inter se dissentientes. Dei namque permissione sequaces illius Commentatoris hac animaduersione confunduntur, vt inter se plerumque discrepent, atque contradicant. Et nil mirum, si confusum imitantes, & ipsi confundantur. Probat autem illam conclusionem vnica ratione, & infert notanter valde triplex corollarium, vel duplex, vt expressè loquitur Doctor. Tamen ponendo tria, secundum posset assignari ibi: *Non ergo Aristoteles*, &c. vbi breuibus tangit intentionem 2. Concl. 5. *Auerroës reprehenditur.*

nem Philosophi de productione Intelligentiarum: vbi currit varietas opinionum. Quære 8. *distinct. prim. quæst. fin. & quæst.7.* quodlibeti, & *in 2. distinct. prima, quæst.2.* pro vlteriori declaratione hîc dictorum. Vide etiam *in principio, 5. Metaph. & in prolog prim.q.3. & 4.* propter ea, quæ dicit de obiecto, & operatione, & fine multiplici. Quod etiam tangit ibi de quatuor causis, habes in Theorematibus, & Metaphysica, vt suprà notaui, & alibi sæpè. Pondera omnia verba textus ad vnguem.

Concl 6. *Quod non est effectum, nec materiatum, sed è contra.* Consequenter comparat effectum efficientis ad effectum materiæ, dicens: *Quod non est effectum*, &c. quam probat tripliciter, & non ponitur prima è conuerso communiter, quia multa sunt effecta, quæ non habent materiam: vt patet de Angelis, & accidentibus, de quo aliàs: & litera satis facilis est, quam infrà magis examinabo. Deinde comparat materiæ effectum ad formæ

Concl.7 effectum, dicens: *Quod non est materiatum*, &c. quam vnica ratione satis efficaci probat ex fundamentis Aristotelis.

3. Consequenter ponit aliam conclusionem generalem, comparando causalitatem intrinsecarum causarum, ad causalitatem extrinsecarum,

Concl.8. dicens: *Quod non est causatum*, &c. quam probat dupliciter, & notanter. Ex præcedentibus etiam satis patere videtur. Post illa verba: *Hæc conclusio benè probat 6.* Ponitur in aliquibus originalibus vna longa additio, quæ sic incipit: *De ordine causarum in causando*, &c. vsque illuc exclusiuè: *Quatuor genera causarum*, &c. & quia non erat multùm necessaria, nec communis: omisimus eam. Addat lector si voluerit totum. Vltimò quantùm ad hanc partem, ostendit ordinem causarum ad inuicem, & quis, & qualis sit, & secundùm quid attenditur, dicens: *Quatuor genera causarum*, &c. quam probat, & ex præcedentibus, & speciali probatione. Vbi digreditur singularissimè pertractando ordinem causarum, & vnitatem earum, & modum ordinis, & intrinsecarum ad extrinsecas, & inter se vtrobique. Ad quæ clariùs intelligenda, vide plura 2. *Physicor. & 5. Metaphysicor. in 2.* etiam, *dist.37. & in 4. quæst.1.* & alibi sæpè, & maximè *in quæstionib.9. Metaph.* egregiè plura habebis ad propositum.

An hûc tractatû scripsit ante Theoremata? Aduerte ibidem infrà cùm dicit, sicut alibi de causis essentialiter ordinatis diffusiùs explicaui, illud *alibi* posset assignari in Theorematibus, & in Metaphysica, & vbi suprà in Sententiis: sed si volueris hunc tractatum præcedere illa, quære eum in Physicis, vt suprà sæpè tetigi.

4. Aduerte etiam, quòd illa litera ibi: *Sed vlteriùs intellige*, &c. vsque illuc: *nulla causa est æqualis*, &c. ponitur additio ab aliquibus, satis tamen bona, & benè ad propositum. Ab hinc verò scilicet, ibi: *Nulla causa est æqualis*, &c. vs-

Ordo causarum, eminentiæ, non dependentiæ. que ibi: *Expedito*, videtur omnino extrà: sub illa enim additione (quam tamen lege) ostendit quis sit ordo causarum, seu causationum causarum in causando: quia videlicet non dependentię, sed eminentiæ.

Consequenter prosequitur de aliis membris subdiuisionum secundæ principalis, ponendo tres conclusiones, quæ satis patent, pri-

Concl.10. 11. ma ibi: *Quia si duo*, &c. Secunda ibi: *Non omne causatum*, &c. & deberet continuari litera textualis, vsque illuc: *Antecedens huius*, &c. quam probat, primò exemplo; secundò ratione: quæ tamen non habetur communiter in originalibus, nisi inchoatiuè tantùm. Potest autem *Ordo dependentiæ, alius causæ ad causatum: alius causati prioris ad posterius.* suppleri recurrendo ad illa, quæ dicta sunt in capit. præcedenti, diuidendo ordinem dependentiæ, qui alius est causati ad causam, alius causati posterioris ad causatum prius. Tunc arguitur sic, si oppositum huius conclusionis esset verum, sequeretur, quòd membra illius diuisionis non repugnarent; immò conciderent, vt patet speculanti. Si volueris alio modo formare eam, inquire altiùs Vtinensem ad arcem. Tertia conclusio ibi: *Nihil dependet essentialiter*, &c. quam probat satis efficaciter.

Deinde ponit quatuor conclusiones declaratiuas membrorum primæ diuisionis: quarum prima est ibi: *Non omne excessum*, &c. 5.
vbi ostendit membra non coincidere; immò repugnare, & separatim reperiri: quam probat suo modo. Secunda conclusio ibi: *Non omne* Concl.13.
dependens est excessum, &c. quæ est conuersa præcedentis, & notabilis valde, quam probat ingeniosè. Tertia ibi: *Nunquam pluralitas*, &c. quæ Concl.14.
est famosa apud Aristotelem 1. *Physicor. text. com. 50.* & alibi sæpè. & est principium ferè Scoticum, in qua ostendit sufficientiam illius primæ diuisionis, quam probat resolutè. Vltima conclusio est comparatiua vnius membri primæ diuisionis, ad vnum secundæ, quæ notabilis valde est: & quam singularissimè ostendit, & obiicit, & soluit: & tota litera est satis sincera. Pondera in solutione obiectionis de multiplici Concl.15.
fine: vt infrà magis tangam; & de bonitate multiplici actus. Quære *in prim. dist.17. & quæst.* de praxi, & *in 2. distinct.7.* & *in quodlibeto, quæst.16. 17. & 18.*

In fine capituli ponitur in aliquibus originalibus quædam additio, quæ sic incipit: *Omne excessum habet causam*, &c. & durat vsque ad finem, quam etiam, quia non erat multùm communis, nec necessaria, omisimus: nam sicut necessaria omittere, ita non talia addere videbatur per peccatum. Lector verò addat si inuenerit, & omnia subtiliter ponderabit.

Circa dicta in hoc secundo capite possent plura inquiri, & contra ea obiici, & ad hominem, & ad rem: pauca tamen tangam. Pri- 6.
mò posset inquiri, quare priùs de diuisione secunda & eius membris fecit sermonem, quàm de prima? Secundò, circa quartam conclusionem posset inquiri de causalitate finis, & quo modo prior, & nobilior causa? Videtur etiam omnino falsa. Tum, quia Deus est causa efficiens creaturæ, quæ tamen non habet causam finalem: quod probatur, quia si sic, vel Deum, vel creaturam: non primum, quia tunc esset prior, & nobilior se: non secundum, quia tunc esset nobilior Deo, qui est efficiens, & prior, per te. Tum etiam, quia voluntas, tam creata, quàm increata, videtur esse prima causa actûs, vel operationis suæ, & tamen est efficiens respectu eius; ergo primum propter quid, non est semper causa finalis in agente à proposito: nam si quæratur quare Deus creat mundum? respondetur quia vult. & quare vult? non assignatur causa alia, quàm voluntas, quæ est efficiens: similiter de voluntate creata respectu actus sui. Terriò, circa quintam conclusionem, & eius probationes, posset inquiri de

necessitate

necessitate connexionis causalitatum finis, & efficientis; cùm prius possit esse sine posteriori. Item, de causalitate Intelligentiarum finali, & effectiua, & de intentione Aristotelis, circa hoc videtur magna difficultas. Item, videtur quòd illa imaginatio dicentium operationem vltimam, vel obiectum, quod attingitur per ipsum, esse causam finalem, sit bona; & per consequens non reprobanda: quia Philosophus 2. Physicorum habet, quòd *finis est vltimum, & optimum*. Similiter iste 2. *distinct. primi, quæst.* 1. dicit, quòd *omnis entis in actu primo, perfectio vltima consistit in actu secundo, quo coniungitur optimo:* vltima autem perfectio rei videtur causa finalis eius. Similiter quod tangit Doctor ibi de necessitate causati, videtur satis dubium, an sint compossibilia esse causatum, & formaliter necessarium.

7. Quartò, circa sextam conclusionem dubitatur: quia in doctrina huius idem potest esse actiuum, & passiuum; ergo idem potest esse materia, & efficiens eiusdem: idem autem non est prius seipso; igitur prima, & secunda probationes non currunt. Exemplificatur in multis, vt videlicet de subiecto, & passione. Patet de potentia etiam appetitiua, & cognitiua respectu sui actus; de graui similiter se mouente. Illud etiam quod tangit de entitate compositi alia ab entitate partium, habet difficultatem, vt nosti. Item, quòd idem non sit à pluribus, primò, videtur esse contra istum in plerisque locis: ponit enim plura, & eiusdem, & alterius rationis concurrere ad eundem effectum: vt patet de potentia, & obiecto respectu operationis; patre, & matre in generatione prolis; pluribus etiam in tractu nauis concurrentibus.

Quintò, circa septimam conclusionem, & eius probationem, dubitatur. Nam omnis creatura est composita, vt 8. *distinct. primi, quæst.* 2. habetur; non tamen materiata. Item, sustinet iste probabiliter, 7. & 8. *Metaph.* accidentia esse verè composita, & similiter omnes species omnium generum, vt 8. *dist. primi, quæst.* 2. habetur; non videtur ergo verum, nihil esse compositum, quod non habet materiam.

8. Sextò, circa nonam conclusionem, & probationes ipsius, dubitatur primò, cùm dicit, quòd materia est independens. Nam oppositum videtur 8. *distinct. primi. quæstionib.* 1. & 2. *distinct.* 1. 3. *quæst.* 1. & alibi sæpè. Primo etiam Physicor. habetur, quòd cognoscitur secundùm analogiam ad formam; vnumquodque autem sic se habet ad *esse*, &c. Item, videtur quòd materia non modò origine, sed perfectione, & eminentia, sit prior forma; cuius oppositum dicit. Nam illud videtur perfectius, quod solùm est producibile à causa perfectissima: sed materia est huiusmodi, cùm sit terminus creationis. Confirmatur ex dictis huius 8. *distinct. primi, quæst.* 3. *contra Henr.* vbi dicit, quòd illud, quod est posterius naturâ alio, non potest esse perfectius illo: materia autem est huiusmodi 9. *Metaphysic.* respectu formæ. Item, videtur quòd causæ habent maiorem vnitatem in causando, quàm vnitatem ordinis: vt patet de specie intelligibili, & intellectu concurrentibus ad causandum actum, vel habitum. Item, cùm ordo sit respectus, qui non est de genere actiuorum, non videtur quòd aliquid faciat ad causandum. Item, videtur quòd causæ, quo ad suum *esse*, & non solùm quo ad *causare*, sint essentialiter ordinatæ: quia in probatione octauæ conclusionis dixit, quòd causæ intrinsecæ possunt esse in se causatæ ab extrinsecis. Item, quòd nedum ordo eminentiæ, sed etiam dependentiæ, sit inter *causare* causatum, videtur ex multis dictis, *hîc, & 2. dist. primi, q.* 1. Quod enim non mouet, nisi motum, videtur dependere à mouente. Quomodo etiam dabitur causa mediata, & immediata, propinqua, & remota, nisi ponatur dependentia? Quomodo etiam efficiens propinquior fini, aliis? Multa alia dicta Doctoris hîc ad hoc possunt applicari: & similiter circa alias conclusiones sequentes, licèt satis ex terminis sint euidentes, potest dubitari, quod lectori curioso relinquatur.

Ad ista breuibus respondetur. Ad primum, patet faciliter solutio ex communi processu Doctoris, qui plerumque ex determinatione sequentium, resoluit præcedentia. Magis enim videretur causatum propinquius esse causam causati remotioris, quàm eminens quodcunque excessi; igitur ex remotione illius per locum à maiori, remouetur istud. Nihil ergò ab re egit ingeniosus Ioannes. Ad secundum, inquire 5. *Metaphysic. & 2. Physicor.* vt priùs notaui de causalitate, prioritate, & nobilitate finis. Cùm arguitur falsitas propositionis, primò comparando Deum ad creaturam, dico, vt habet iste *in prolog. & alibi*, quòd efficiens agit propter finem, non semper sui, sed effectus. Dico vlteriùs, quicquid alij dicant, quòd ratio finis in Deo, est prior ratione efficientis in ipso. Concedo igitur, quòd Deus agit propter se, tanquam propter finem creaturæ. Nec sequitur quòd sit prior, vel nobilior se; sed quòd ratio finis in ipso sit prior ratione efficientis, & hoc supra per opus intellectus, siue etiam ex natura rei. Quod vlteriùs arguitur de voluntate, &c. Dico, quòd licèt voluntas diuina sit prima regula contingentium, quantùm ad liberam determinationem, & contingentem, loquendo de efficaci, vel beneplaciti: nunquam tamen agit, nisi rationabiliter, & propter finem effectûs, iuxta illud, *Deus fecit rationalem creaturam*, &c. Quære 1. *dist.* 2. & *Omnia, numero, pondere, & mensura condidit Deus, Sapientiæ* 11. Primò ergo vult finem in se, & sibi. Secundò vult alia propter illum, & illum aliis. Similiter voluntas creata vult quicquid vult propter finem: aut verum, aút apparentem, aut præstitutum. 9.

Ratio finis in Deo prior ratione efficientis.

Deus agit propter finẽ.

Deus nihil vult, nisi rationabiliter.

Voluntas vult omnia propter finem.

Refert ergo comparare finem ad intellectum, & ad voluntatem: ad causam naturalem, & liberam. Refert etiam comparare voluntatem ad velle, & ad velle *A* esse, vel non esse. De actibus ergo deliberatiuis, & maximè transeuntibus, est verum, quòd agens omne agit propter finem effectûs. De actibus immanentibus, differentibus, & subreptitiis, habet specialem difficultatem: mouet enim efficientem theoricè obiectiuè, scilicet intellectualiter; intellectus verò practicus dictat voluntati, sic, vel sic, & sequitur electio. Quære hoc altiùs, alibi in moralibus, & apud Theologos, & maximè in doctrina huius, vt nosti. Breuiter ergo potest dici, quòd nihil sit in entibus, quod non ordinatur ad finem ab agente aliquo. Vide in quæstione de bona fortuna, & alibi vbi suprà notaui: quære antiquos. Ad tertium potest dici, quòd est necessaria connexio in ordine ad tertium, scilicet, effectum producendum. Et cùm dicitur, 10.

Agens transeunter semper agit, propter finem.

Ad rationes contra concl. 5.

Quis finis non poteſt eſſe ſine efficiente?

dicitur, *quòd prius poſſet eſſe*, &c. verum quantùm ad abſolutum vtriuſque, inter ſe comparata, loquendo de fine ſimpliciter vltimo; ſecùs de producibili ab efficiente: nam licèt finis ſemper obiectiuè præcedat in exiſtentia, tamen plerumque producitur in *eſſe*. Quod tangitur de Intelligentiis, quære optimè *in primo, diſtinct.*8. *quaſt. finali.*, *& in quodlibeto quaſt.*7. & apud antiquos, vt noſti. Ad aliud de operatione vltima, *&c.* quære *in prolog. quaſt.*1. ſoluendo inſtantias contra duas primas rationes Philoſophorum, & *quaſt.*3. *prolog.* ſoluendo rationes primæ lateralis, & *quaſt.vlt. prolog.* & 1.*diſtinct. primi,quaſt.* 2. & *in* 4. *diſtinct.*48. *quaſt.*2. & *diſtinct.*49. *quaſt.*8. de multiplici acceptione finis. Secundo etiam de Anima habet Philoſophus expreſsè, quòd finis alius *quo*, alius *gratia cuius*. Et quod vlteriùs additur de compoſſibilitate, *&c.* quære vbi ſuprà *in primo*, & *quodlibeto*, & ſpecialiter, 2. *diſtinct. primi*, *part.*2. *quaſtion.*3. *ſoluendo argumenta principalia.* Aliud enim eſt loqui de neceſſario *à ſe*, & aliud de neceſſario *ex ſe*: & hoc vel formaliter, vel effectiuè: vel in alietate eſſentiæ, vel in identitate: aliter etiam ſequendo principia Philoſophi, aliter ſequendo principia Theologorum. Non inconuenit, breuiter, apud Ariſtotelem ponere neceſſarium *ex ſe* formaliter, & ab alio effectiuè.

Finis quo, & cuius gratia.

Neceſſarium ex ſe, *& neceſſarium* à ſe.

11. *Ariſtoteles poneret aliquid neceſſarium à ſe formaliter, ſed ab alio effectiuè, vide* 1. *d.*8.*q.*5.

An totum diſtinguitur à partibus? 3.*d.* 2.*q.*2.

Ad quartum dico, quòd loquitur Doctor hîc de materia *ex qua*, non *in qua*, & ſic ceſſant omnes inſtantiæ. Loquitur etiam ſpecialiter de materia prima; quæ verè eſt in potentia remota, & contradictionis. Quod tangitur de tertia entitate, habes communiter in doctrina huius, & principaliter 2. *diſtinct.*3. *&* 7. *&* 8. *Metaphyſic.* Et quod vlteriùs dicitur de pluribus concurrentibus, *&c.* dicendum, quòd omnia reducuntur ad vnum ſaltem genericè, vel ſpecificè, vel numeraliter. Sed loquitur Doctor hîc de intrinſecis conſtitutiuis, quæ reducit ad extrinſecas cauſas: nunquam enim nec ex materia ſolùm, nec ex forma, nec ex ambabus ſimul, fit vnum, niſi ponatur extrinſecum vniens. Vide 8. *diſt. primi. quaſt.*1. niſi contendas, quòd forma ſeipſam vniret: de quo quære in quarto, in materia de reſurrectione, *diſt.*43.*q.*3.

Forma ſe non vnit.

*Ad rationes contra concluſ.*7.

Quomodo omnis creatura eſt compoſita?

Ad quintum dico, quòd illa compoſitio, quæ ponitur in omni creatura, non eſt propriè ex partibus eſſentialibus realiter diuerſis, de qua hîc loquitur: & ſic intelligendum eſt de compoſitione accidentium, quæ eſt metaphyſica conſtitutio potiùs, quàm compoſitio. Ad ſextum dico, quòd loquitur reſpectiuè: immò non ponit materiam dependere, ſed quandam habitudinem habere ad formam. Et quod additur de 1.*Phyſicor.* dico, quòd verum eſt, quo ad nos, non quo ad naturam: immò ſecluſa quacunque forma eſt ſecundùm ſe cognoſcibilis. Ad aliud dico, quòd non propter perfectionem materiæ eſt producibilis ſolùm à prima cauſa: ſed propter imperfectionem, vel conditionem limitationis, vel modum agendi cauſæ creatæ. Vide 1. *q.*4. *&* 1. *diſt.*2.

*Ad rationes contra concluſ.*9.

Quomodo materia cognoſcitur per analogiam ad formam?

Ad confirmationem, quæ ſatis apparens eſt, poteſt dici, quòd actus, ſeu forma, eſt prior naturâ materiâ, vt loquitur Doctor ibi de prioritate naturæ, & hoc habet Philoſophus 9. *Metaph.* de quo vide ibi notanter in quæſtionibus huius. Potentia autem eſt prior origine, vel generatione, non propriè naturâ. Vel aliter diſtingue de prioritate naturæ: vt ſuprà ſæpè notaui, plura ponderando.

Ad aliud dico, quòd loquitur Doctor hîc de cauſis alterius generis, principaliter; argumentum verò procedit de cauſis partialibus eiuſdem generis. Ibi etiam accidit, quòd habeant maiorem vnitatem, quàm ordinis, vt patet 3. *diſtinct. primi*, *quaſtion.*7. *in ſolutione ad finem optimè.* Ad aliud dico, quòd ordo requiritur ad cauſationem, tanquam cauſa *ſine qua non*, vel tanquam conditio cauſantium: & ſimiliter alij plures reſpectus, vt approximatio, & huiuſmodi, etiam extrinſecus aduenientes. Qualiter autem dicit perfectionem, vide 12. *Metaphyſic. & diſtinct.*19. *primi*, *quaſt.*1. *&* 30. *diſtinct. eiuſdem.* Ad aliud dico, quòd accidit cauſis, inquantum cauſant, quòd habeant *eſſe* ex ſe inuicem. Eſt etiam alius ordo eſſentialis inter *eſſe* cauſarum: & alius inter *cauſare*, vt patet. Ad aliud dico, quòd quamuis extenſiuè ibi poſſet concedi dependentia, propriè tamen debet appellari eminentia. Quod dicitur, *de mouere & moueri*, &c. Dico, quòd huiuſmodi locutiones ſunt metaphoricæ, vide egregiè 9. *Metaphyſic.* & 1. *quaſt.*4. *&* 37. *diſt.*2. & hæc in litera aliqualiter; omnis enim cauſa mouet ſe in ſuo ordine; & fortè ſecunda priùs mouet ſe, quàm moueatur à prima, formaliter dico: immò omnes ſimul naturâ, & duratione mouent ſe, efficientes dico. Vide in Theorematibus. Et quod communiter dicitur, cauſam primam priùs agere, intelligendum eſt de prioritate perfectionis, & virtutis: vt hîc dicit, & vbi ſuprà. Similiter dicendum eſt de medicatione, & immediatione, remotione & propinquitate: & hoc intelligo in cauſis per ſe, ad differentiam inſtrumentorum. Multa alia declaratiua horum addat lector, quia materia iſta eſt copioſa, & ſubtilis: & multis ad pauca aſpicientibus, multa horum, quæ aſſerit, viderentur extranea dicta.

12.

Vnitas ordinis ſufficit, vt cauſa cauſent.

Accidit cauſis, vnam eſſe ab alia.

Cauſa ſecunda non præmouetur à prima per aliquid in ea receptum.

CONCLVSIONES tertij capituli ſequentis.

1 *Aliqua eſt natura in entibus effectiua.*
2 *Aliquod effectiuum eſt ſimpliciter primum.*
3 *Simpliciter primum effectiuum eſt incauſabile.*
4 *Simpliciter primum effectiuum eſt actu exiſtens, & aliqua natura exiſtens actualiter eſt ſic effectiua.*
5 *Incauſabile eſt ex ſe neceſſe eſſe.*
6 *Neceßitas eſſendi ex ſe, vni ſoli naturæ conuenit.*
7 *Aliqua eſt natura in entibus finitiua.*
8 *Aliquod finitiuum eſt ſimpliciter primum.*
9 *Primum finitiuum eſt incauſabile.*
10 *Primum finitiuum eſt actu exiſtens: & alicui naturæ actu exiſtenti conuenit iſta primitas.*
11 *In naturis entium aliqua eſt excedens.*
12 *Aliqua natura eminens eſt ſimpliciter prima ſecundùm perfectionem.*

13 *Suprema*

13. *Suprema natura est incausabilis.*
14. *Suprema natura est aliqua actu existens.*
15. *Alicui vnica natura, & eidem actu existenti, inest triplex primitas, in triplici ordine essentiali, efficientiæ, finis, & eminentiæ.*
16. *Impossibile est idem ad duo essentialiter dependere, ad quorum vtrumque eius dependentia totaliter terminetur.*
17. *Vni soli naturæ inest quæcunque primitas causæ extrinsecæ, vnius rationis.*
18. *Primum effectiuum est actualissimum, virtualiter continens omnem actualitatem. Primus finis est optimus, virtualiter continens omnem bonitatem. Primum eminens est perfectissimum, eminenter continens omnem perfectionem.*
19. *Vna natura existens est prima, in triplici ordine prædicto, scilicet efficientiæ, eminentiæ, & finis: & qualibet alia est, sic posterior ista, prætermissis ordinibus finis, & eminentiæ, ex solo ordine efficientiæ, qui efficacior est. Potes, procedere ita, accipe huius tertij sex primas conclusiones, & sextæ adiunge 16. 17. 19. & sic habes huius tertij nouem conclusiones. Quatuor primæ concludunt primum efficiens esse; aliæ quinque quòd est tantùm vnum secundùm speciem, vel naturam. Deinde quarta conclusio satis valet per viam efficientiæ, quæ aliam requirit, puta tertiam, & aliquæ propositiones Aristotelis possunt præmitti. Si non illis propositum ostenditur, secundùm illud pauca de primo cap. essent necessaria, & aliqua de secundo.*

CAPVT III.

De triplici primitate in primo principio ostendenda.

1. DOMINE Deus noster, qui te primum, ac nouissimum esse prædicasti, doce seruum tuum, te esse primum efficiens, ac primum eminens, finémque vltimum, ostendere ratione, quod certissima fide tenet. De sex quippe ordinibus essentialibus supradictis, tres placet eligere; duos causalitatis extrinsecæ, & vnum eminentiæ: atque in istis tribus ordinibus, aliquam vnam naturam primam esse simpliciter, si dederis, demonstrabo. Ideò autem dico naturam vnam, quia in hoc tertio capite prædictæ tres primitates, non de vno singulari, seu secundùm numerum ostendentur; sed de vnica quiditate, vel natura. De vnitate verò numerali inferiùs erit sermo.

Aliqua est natura in entibus effectiua. Conclus. 1.

Quod ostenditur: quia aliqua est effectibilis: ergo aliqua est effectiua. Consequentia patet per naturam correlatiuorum. Antecedens probatur: tum, quia aliqua est contingens; ergo possibile esse, post non esse; ergo nec à se, nec à nihilo: vtroque enim modo ens foret à non ente, ergo ab alio effectibilis: tum, quia aliqua natura est mobilis, vel mutabilis: quia possibilis carere aliqua perfectione possibili sibi inesse: ergo terminus motus potest incipere, & ita effici. In hac conclusione & quibusdam sequentibus, possem proponere propositiones de actu, sic: Aliqua natura est efficiens, quia aliqua est effecta, quia aliqua incipit esse, quia aliqua est terminus motus, & contingens: sed malo de possibili conclusiones & præmissas proponere: illis quippe de actu concessis, istæ de possibili conceduntur, & non è contra. Illæ etiam de actu contingentes sunt, licèt satis manifestæ, istæ de possibili sunt necessariæ: illæ quidem ad ens existens pertinent: istæ ad ens quiditatiuè sumptum pertinere propriè possunt. Existentia tamen illius quiditatis inferiùs ostendetur, de qua nunc ostendetur effectiuum.

Demonstratur aliquid esse effectiuum.

SCHOLIVM I.

Euidenter ostenso, aliquam naturam esse effectiuam, conclus. 1. conuincit etiam hac conclus. 2. aliquod effectiuum esse simpliciter primum, à nullo dependens. Cuius fundamentum est, quia ascendendo non est ire in infinitum, etiam secundùm Philosophos, loquendo de causis essentialiter ordinatis, quas benè explicat, & tres differentias earum à causis accidentaliter ordinatis. Vt hoc conuincat, probat tres propositiones. Primam, Infinitatem essentialiter ordinatorum esse impossibilem, *quinque rationibus. Secundam,* Infinitatem accidentaliter ordinatorum impossibilem esse, *nisi detur status in essentialiter ordinatis. Tertiam,* Negato ordine essentiali, infinitatem adhuc esse impossibilem: *& per consequens dandum esse primum effectiuum, à nullo dependens. Totam hanc literam ferè immutatam habet Doctor 1. d. 2. q. 2. art. 1. à n. 11. vbi fusè Lichet. Bargius, & alij eius expositores.*

Aliquod effectiuum est simpliciter primum. Concl. 2.

2. Hoc est non est effectibile, nec in virtute alterius effectiuum. Probatur ex prima sic: Aliquod effectiuum sit *A*, si est primum, hoc modo exponendo primum: habetur propositum: si non, ergo est posterius effectiuum, quia effectibile ab alio, vel quia virtute alterius effectiuum. Si negatur negatio, ponitur affirmatio. Illud alterum sit *B*, de quo arguitur sicut argutum est de *A*, aut procedetur in infinitum in effectiuis, quorum quodlibet respectu prioris,

Dari efficiens quo nullum est prius 1. dist. 2. q. 2. n. 11.

prioris, erit secundum; aut stabitur in aliquo priore, non habente prius: infinitas non est possibilis in ascendendo; ergo primitas necessaria; quia non habens prius, nullo priore se est posterius, nam circulum in causis destruit cōclusio secunda secundi capitis. Hîc instatur: quia, secundùm philosophantes, est possibilis infinitas in ascendendo: sicut ipsi ponebant de generantibus infinitis, quorum nullum esset primum, sed quodlibet secundum; & tamen hoc ab eis ponebatur sine circulo. Hanc instantiam excludendo, dico, quòd Philosophi non posuerūt infinitatem possibilem in causis per se, & essentialiter ordinatis, sed tantùm accidentaliter: sicut patet per Auicennam 6.*Metaph.cap.*5. vbi loquitur de infinitate indiuiduorum in specie. Sed ad propositum ostendendum expono, quæ sint causæ essentialiter subordinatæ, & quæ accidentaliter. Vbi sciendum, quòd aliud est loqui de causis per se, & per accidens: & de causis essentialiter & accidentaliter ordinatis. Nam in primo est comparatio vnius ad vnum, scilicet causæ ad causatum: & est causa per se, quæ secundùm naturam propriam, non secundùm aliquid sibi accidens, causat: & causa per accidens est, quæ per aliquid sibi accidens causat: & sic est comparatio duarum causarum inter se, inquantum est ab eis causatum. Et differunt in tribus causæ essentialiter, & per se ordinatæ, ab accidentaliter ordinatis. Prima differentia est, quia in per se, secunda inquantum causat, dependet à prima: in per accidens, non, licèt in *esse*, vel in aliquo alio, dependeat. Secunda est, quia in per se ordinatis est causalitas alterius rationis, & alterius ordinis: quia superior est perfectior: in accidentaliter ordinatis, non. Hæc dependet, siue sequitur ex prima. Nam nulla causa à causa eiusdem rationis, dependet essentialiter in causando, quia in causatione alicuius, sufficit vnum vnius rationis. Tertia sequitur ex duabus præmissis, scilicet quòd omnes causæ per se ordinatæ simul necessariò requiruntur ad causandum, alioquin aliqua per se causalitas deesset effectui: sed non requiruntur simul accidentaliter ordinatæ.

Quid causa per se, & per accidēs?

Differunt in tribus causa per se, & essentialiter ordinata, ab accidentaliter ordinatis.

3. *Infinitatem essentialiter ordinatorū esse impossibilem, probatur quintupliciter.*

Ex istis ostenditur propositum sic: Infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis, & infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis, nisi ponendo statum in essentialiter ordinatis; ergo omni modo est impossibilis infinitas in essentialiter ordinatis. Si etiam negetur ordo essentialis, infinitas est impossibilis; ergo omnino est aliquod primum simpliciter effectiuum. Hîc sunt tres propositiones assumptæ. Propter breuitatem, prima dicatur *A*, secunda *B*, tertia *C*. Prima istarum probatur, scilicet *A*, quòd scilicet in essentialiter ordinatis impossibilis est infinitas. Tum, quia vniuersitas causatorum ordinatorum est causata; ergo ab aliqua causa, quæ nihil est illius vniuersitatis. Tūc enim aliquid esset causa sui, tota enim vniuersalitas dependentium dependet, & à nullo illius vniuersitatis: tum secundò, quia infinitæ causæ essentialiter ordinatæ essent simul in actu, ex tertia differētia suprà. Consequens nullus Philosophus ponit: tum tertiò, quia prius est propinquius primo, ex 5.*Metaph.text.com.*16. ergo vbi nullum primum, nihil essentialiter prius. Tum quartò, quia superior est perfectior in causando, ex secunda differentia; ergo in infinitum superior est in infinitum perfectior, & ita infinitæ perfectionis in causando: est ergo non causans in virtute alterius: quia omnis talis imperfectè causat, eo quòd dependens in causando. Tum quintò, quia effectiuum nullam imperfectionem necessariò ponit: patet in propositione octaua secundi capituli; ergo potest esse in aliqua natura sine imperfctione: sed si esset dependens ab alia in infinitum, in nulla esset sine imperfectione; ergo effectiuitas independens potest inesse alicui naturæ: illa est simpliciter prima, ergo effectiuitas simpliciter prima est possibilis: sufficit hoc: quia inferiùs ex hoc concludetur, quod est in re. Et sic quinque rationibus patet *A*.

Causans in virtute alterius, imperfectè causat.

B, probatur, scilicet quòd infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis, nisi statu posito in essentialiter ordinatis: quia infinitas accidentalis si ponitur, hoc non est simul, vt patet: sed successiuè tantùm, alterum post alterum, ita quòd licèt secundum aliquo modo sit à priori, tamen non dependet ab ipso in causando. Potest enim causare illo non existente: sicut filius generat, patre mortuo, sicut ipso viuo. Talis infinitas successionis, est impossibilis: nisi ab aliqua natura durante infinitè, à qua tota successio, & quodlibet eius dependet. Nulla enim difformitas perpetuatur, nisi in virtute alicuius permanentis, quod nihil est successionis: quia omnia successiua sunt eiusdem rationis: sed est aliquid prius essentialiter, quia quodlibet successionis dependet ab ipso, & hoc in alio ordine quàm à causa proxima, quæ est aliquid successionis illius: patet ergo *B*.

4. *Infinitas accidentaliter ordinatorū impossibilis, nisi in essentialiter ordinatis sit status.*

Difformitas non potest perpetuari, nisi per aliquid permanens.

Pro

Negato ordine essentialiter ordinatorum, adhuc infinitas est impossibilis.

Probatur *C*, scilicet si negetur ordo essentialis, infinitas est simpliciter impossibilis: quia ex prima huius capituli, cùm aliqua natura sit effectiua, si negetur essentialis ordo effectiuorum; ergo illa in nullius alterius virtute causabit: & licèt ipsa in aliquo singulari ponatur causata, tamen in aliquo est incausata, quod est propositum de natura prima: quia si in quolibet ponatur causata, iam contradictio implicatur, negando ordinem essentialem: quia nulla natura potest poni in quolibet causata, ita quòd sit ordo accidentalis sub ipsa, sine ordine essentiali ad aliam naturam, sicut ex *B*, patet.

SCHOLIVM II.

Tertia conclusio, quòd Simpliciter primum effectiuum est incausabile. *Quarta*, actu existit. *Quinta*, incausabile ex se est necesse esse. *Sexta*, Vna tantùm natura est ex se necessaria. *Has omnes euidenter, vt videtur, demonstrat, quas tractat 1. dist.2. quæst.2.art.1. à num.16.& 19. iisdem ferè verbis quibus hîc: de quibus vide eius expositores ibi. De conclus.6. vide eum ibi q.3. vbi probat efficaciter vnitatem Dei.*

Conclus.3. *Simpliciter primum effectiuum est incausabile.*

5. Hoc patet ex secunda: quia si sit ab alio effectibile, vel virtute alterius effectiuum, ergo processus in infinitum, vel status in aliquo ineffectibili, & independenter effectiuo: illud dico primum: & illud aliud patet quòd non est primum, ex datis tuis. Vlteriùs concluditur. Si primum est ineffectibile; ergo incausabile: quia non finibile, ex quinta propositione secundi; nec materiabile, ex sexta eiusdem; nec formabile, ex septima, ibi: simul etiam de materia, & forma, ex octaua, ibidem.

Ineffectibile est incausabile.

Conclus.4. *Simpliciter primum effectiuum est actu existens: & aliqua natura existens actualiter est sic effectiua.*

Cui repugnat esse ab alio, si est possibile, est.

Probatur: cuius rationi repugnat posse esse ab alio, illud, si potest esse, potest esse à se: sed rationi primi effectiui simpliciter repugnat esse ab alio, ex tertia; & potest esse, ex secunda; imò ibi 5. probatio *A*, quæ minùs videtur concludere, hoc concludit. De hoc aliæ possunt tractari de existentia, & sic sunt de contingentibus, tamen manifestis; vel de natura, & quiditate, & possibilitate, & sic sunt ex necessariis; ergo simpliciter primum effectiuum potest esse à se. Quod non est à se, non potest esse à se: quia tunc non ens produceret aliquid ad *esse*, quod est impossibile: & adhuc illud causaret se, & ita non esset incausabile omnino. Et hæc quarta conclusio declaratur aliter, quia inconueniens est, vniuerso deesse supremum gradum possibile in essendo. Iuxta istam quartam, nota corollarium, quòd primum effectiuum non tantùm est, quod est prius aliis: sed quo prius esse includit contradictionem; sic inquantum primum existit. Probatur vt quarta, nam de ratione illius maximè includitur incausabile; ergo si potest esse, quia non contradicit entitati, potest esse à se, & ita est à se.

Quod nō est à se, non potest esse à se.

Corollariū.

Primo effectiuo repugnat aliquid esse prius.

Incausabile est ex se necesse esse. Conclus.5.

6. Probatur: quia excludendo omnem causam aliam à se, intrinsecam, & extrinsecam respectu sui *esse*, ex se est impossibile non esse. Probatio, nihil potest non esse, nisi aliquid sibi incompossibile positiuè, vel priuatiuè, possit esse: quia saltem alterum contradictoriorum est semper verum: nihil incompossibile incausabili positiuè, vel priuatiuè, potest esse; quia vel ex se, vel ab alio. Non primo modo, quia tunc esset sic ex se, ex quarta huius capituli, & ita incompossibilia simul essent; & pari ratione neutrum esset: quia concederetur per illud incompossibile, illud incausabile non esse, & ita sequitur è conuerso. Non secundo modo, quia nullum causatum habet vehementius esse, vel potentius à causa, quàm incausabile à se habet: quia causatum dependet in essendo, incausabile non. Possibilitas etiam causabilis ad *esse*, non necessariò ponit actu *esse* eius, sicut est de incausabili: nihil incompossibile iam enti potest esse à causa, nisi ab illa recipiat vehementius, vel potentius *esse*, quàm sit *esse* sui incompossibilis.

Incausabili nihil potest esse incompossibile.

Necessitas essendi ex se vni soli naturæ conuenit. Conclus.6.

Probatur sic: si duæ naturæ possunt esse ex se necesse esse, communis est eis necessitas essendi; ergo & aliqua entitas quiditatiua, secundùm quam est eis commune, & à qua accipitur quasi genus earum: & præter hoc distinguuntur formalitatibus suis actualibus vltimis. Ex hoc sequuntur duo incompossibilia. Primum, quòd vtrumque erit primò necesse esse per naturam communem, quæ est minoris entitatis; & non per naturam distinguentem, quæ est maioris actualitatis: quia & si per illam formaliter sit necesse esse; ergo bis est necesse esse: quia illa formaliter non includit naturam communem, sicut nec differentia genus. Videtur autem impossibile, quòd minor actualitas sit, quâ primò aliquid est necessarium, & maior non sit,

Repugnat dari duas naturas simpliciter necessarias.1.d.2.q.3.n.5.

sit, qua primò nec per se sit aliquid necessarium. Secundum impossibile est, quòd per naturam communem, quâ ponitur vtrumque primò esse necesse esse, neutrum sit necesse esse: quia neutrum est sufficienter per illam naturam. Quælibet enim natura est illud, quod est per formale vltimum: per quod enim aliquid est necesse esse, per illud est in effectu, circumscripto omni alio. Si dicatur, naturam communem sufficere ad *esse*, præter naturas distinctiuas: igitur ipsa communis ex se est in actu, & indistincta, & per consequens indistinguibilis; quia necesse esse iam existens non est in potentia ad simpliciter *esse*: *esse* autem generis, in specie est simpliciter *esse* respectu eius. Item, duæ naturæ sub eodem communi, non habent gradum æqualem. Probatur per differentias diuidentes genus, cùm sint inæquales ergo & *esse* vnius erit perfectius *esse* alterius; sed nullum *esse* est perfectius ipso *necesse esse* ex se.

Duæ naturæ non sunt æquales.

Additio. 7. *Hic instatur, sicut enim* esse *possibilia, sunt ordinata secundùm perfectiorem intentionem, licèt possibilitas sit eis communis, ita diceretur de necessariis* esse*: materia etiam plus appropinquatur ad necessitatem essendi, quàm forma generabilis: & tamen non habet* esse *perfectius intensiuè: ita etiam in propositionibus necessariis videtur ordo secundùm perfectionem necessitatis, etiam in necessariis* esse, *sicut in primis principiis.*

Si duo essent necesse esse, *alterum nihil esset vniuersi.*

Item, si duæ naturæ essent ex se necesse esse, nullam dependentiam haberet vna ad aliam in essendo; ergo nec ordinem aliquem essentialem; ergo alterum nihil esset huius vniuersi; quia nihil est in vniuerso, quod non habet ordinem essentialem inter entia: quia ab ordine partium est vnitas vniuersi. Hîc instatur: quia vtrumque habet ordinem eminentiæ ad partes vniuersi, & ille sufficit ad vnitatem. Contrà: alterum ad alterum, nec illum ordinem habet: quia eminentioris naturæ est perfectius *esse*, nullum est perfectius *esse* ipso *necesse esse* ex se: alterum etiam nullum ordinem habet ad partes vniuersi, quia vnius vniuersi est vnus ordo: vnus ordo est ad vnum primum. Probatio, quia ad duas primas naturas, si ponantur, natura proxima primæ non habet vnicum ordinem, aut vnicam dependentiam, sed duas, sicut sunt duo termini *ad quem*, & ita de qualibet natura inferiori; ergo sic in vniuerso toto erunt duo ordines primi, & ita duo vniuersa: vel tantùm ad vnum *necesse esse* erit ordo, & ad aliud non. Item, quia ratione naturali naturaliter procedendo, nihil videtur esse ponendum in vniuerso, nisi cuius apparet necessitas, vel cuius entitatem ostendit aliquis ordo ad alia manifestè entia: quia plura non sunt ponenda sine necessitate, *ex* 1. *Physicorum, text. com.* 50. *necesse esse* ostenditur in vniuerso ex incausabili; & illud ex primo causante, & illud ex causatis; nulla necessitas apparet ex causatis, plures naturas primas causantes, imò est impossibile, vt ostendetur infrà, conclusione decimaquinta huius tertij capituli; ergo nec necesse est ponere plura secundùm naturam incausata, vel plura *necesse esse*, ideò rationaliter non ponuntur.

Si duo essent necesse esse, quodlibet aliud diceret duas dependentias essentiales.

Instatur de personis diuinis, quarum nulla primò est necesse esse relatione. Respondeo, relatio secundùm propriam rationem non est perfectior actualitas, quàm essentia absoluta: sicut oportet ponere de illa realitate, vnde sumitur differentia specifica respectu realitatis, vnde sumitur genus. Similiter quo ad secundum illatum, si per commune est necesse esse, oportet, quòd non aliam realitatem requirat illud commune ad essendum, aliam, inquam, quomodocumque, ita quòd faciat compositionem cum natura communi: sed aliam formam eandem essentialiter potest requirere, quæ scilicet est eadem essentia propter infinitatem: quòd si nec aliam: igitur hic Deus est per se existens, licèt non incommunicabilis. Instatur contra secundum: igitur animalitate non est homo primò animal: quia eget rationali. Euaderetur, per existentiam, secundùm te; nihil valet. Ideò aliter respondeo, independens in esse *perfectissimo sibi possibili, ex propria ratione formali, nec necessariò requirens aliud ad tale* esse, *ex ratione propria, est in tali* esse; *qualibet alia realitate circumscripta, & ideò indiuisibilis: quia expectaret contrahens ad* esse: *sed dependens non sic est ex se, nec necessariò simul requirens. Genus dependet à Differentia quantùm ad tale* esse, *vt effectus ordinatus, qui posteriùs producitur: quia non habet perfectissimum* esse, *simpliciter sibi possibile, nisi in Specie, cuius est pars: in essendo autem pars Speciei, posteriùs causatum, & materia forma, aut simul, non autem priùs.* 8. Additio.

SCHOLIVM III.

Ponit quatuor conclusiones de fine, similes quatuor primis conclusionibus de effectiuo. Prima, dari aliquod finitiuum; *ex prima huius. Secunda*, illud esse simpliciter primum, *ex quinque rationibus positis n.*3. *Tertia*, illud esse incausabile: *ex quarta cap. secundi, & tertia huius. Quarta*, illud actu existere, *ex* 4 *huius. Habes totam literam* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 1. §. Iuxta tres, *num.* 17. *Vide ibi Lichetum, Tartaretum, Bargium, & alios. Ponit alias quatuor similes conclusiones de ordine eminentiæ, claras; de quibus etiam ibi*

ibi, §. Conclusionibus tribus, *num.* 18. *addit aliam conclusionem quæ est decimaquinta, quam vocat fructum huius capitis (quia ad hanc ostendendam cætera posita sunt) scilicet, triplicem hanc primitatem, efficientiæ, finis, & eminentiæ, vnì tantùm naturæ conuenire: hæc constat ex probatione conclusionis sextæ, & omnibus præmissis. De quo* 1.*d.*2.*q.*2.*art.*2 *num.* 18.

Iuxta quatuor conclusiones primas huius capituli de effectiuo, pono quatuor similes de causa finali: quæ etiam similiter ostenduntur. Prima:

Conclus. 7. 9. *Aliqua natura est in entibus finitiua.*

Probatur, aliquid est finibile. Probatio, quia aliquid effectibile, ex probatione primæ huius; ergo & finibile. Consequentia patet ex quarta secundi. Hoc est manifestius de ordine essentiali, ex nona secundi, quàm de effectiuo.

Conclus. 8. *Datur finis vltimus.* *Aliquod finitiuum est simpliciter primum.*

Hoc est, nec ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum finire. Ista probatur quinque probationibus similibus illis ad secundam tertij, vbi probatur prima propositio *A*.

Conclus. 9. *Finis vltimus incausabilis.* *Primum finitiuum est incausabile.*

Probatur, quia infinibile, aliàs non primum, & vltrà: igitur ineffectibile, ex quarta secundi. Vltrà, vt suprà in probatione tertiæ conclusionis, huius tertij,

Concl. 10. *Primum finitiuum est actu existens, & alicui naturæ actu existenti, conuenit ista primitas.*

Probatur sicut quarta huius tertij: & iuxta hoc est corollarium, quòd est ita primum, quòd impossibile est aliud prius esse. Probatur vt corollarium quartæ prædictæ. *Corollariũ.*

Conclusionibus quatuor de vtroque ordine causalitatis extrinsecæ iam positis, similes quatuor propono de ordine eminentiæ. Prima talis est:

Concl. 11. *In naturis entium aliqua est excedens.*

Probatur, aliqua finita est, èx septima huius; ergo & excessa; ergo & aliqua excedens.

Concl. 12. *Aliqua natura est eminens simpliciter prima, secundùm perfectionem.*

Hoc patet ex ordine essentiali secundùm Aristotelem: formæ enim se habent sicut numeri, 8. *Metaph. text. com.* 10. In hoc ordine, status probatur illis quinque probationibus positis ad secundam huius capitis.

Concl. 13. 10. *Suprema natura incausabilis.* *Suprema natura est incausabilis.*

Probatur, est infinibilis, ex decimasexta secundi: ergo ineffectibilis, ex quarta eiusdem: etiam vt suprà in probatione tertiæ huius. Item, quòd suprema natura sit ineffectibilis, probatur ex *B*, in probatione secundæ huius: nam omne effectibile, habet aliquam causam essentialiter ordinatam.

Suprema natura est aliqua actu existens. Concl. 14. *Corollariũ. Suprema natura actu existit.*

Probatur vt quarta huius. Corollarium: ipsâ aliquam esse superiorem, vel perfectiorem, contradictionem includit: probatur vt corollarium quartæ prædictæ.

Alicui vnicæ, & eidem naturæ, actu existenti, inest triplex primitas in triplici ordine essentiali prædicto. Concl. 15.

Scilicet efficientiæ, finis, & eminentiæ. Hæc decimaquinta, fructus huius capitis sequitur euidenter ex ostensis sic: Si vnicæ naturæ inest *necesse esse* ex se, ex sexta huius; & cui inest primitas quæcumque dictarum trium, illud est ex se necesse esse, ex quinta, & tertia, de vna primitate; & ex hac, & nona de alia primitate, & ex quinta, & ex decima tertia de tertia primitate; ergo vnicæ naturæ inest quæcumque primitas prædicta: cui etiam naturæ inest vna, & alia; quia quælibet inest alicui naturæ in actu ex quarta, & decimaquarta, & non alij, & alij naturæ; ergo eidem. Probatur minor, quia tunc multæ naturæ essent *necesse esse*, ex secunda propositione argumenti iam facti. Item, probatur propositum per incausabilem, quia illud est vnicum primum: quodlibet dictum est incausabile, quare, &c. Maior probatur, quomodo multitudo est à se? Ista conclusio est valdè prægnans: nam sex continet in virtute, tres de vnitate naturæ, cui inest primitas quæcumque prædicta; & tres de identitate naturæ sic primæ, ad naturam sic primam comparando inuicem primitates. Et hæc ita prægnans per sextam solam, quasi maiorem, ostensa. Expedit autem ad sex conclusiones prædictas proprias alias exprimere, si quæ poterunt inueniri. *Vni tantùm naturæ inest trina primitas, efficientiæ, finis, & eminentiæ.*

SCHOLIVM IV.

Vltima conclusio ostendit idem non posse essentialiter dependere ad duo totaliter; quia vnus effectus non potest esse à duabus causis totalibus eiusdem rationis, vt habet 1.*distinct.*2.*q.*2.*num.*19.*&* 2.*distinct.*3.*quæst.*4. *& passim. Ex quo probat primò triplicem illam primitatem (de qua conclus.* 15.*) vni tantùm naturæ inesse. Secundò, has primitates, scilicet efficientiæ, finis, & eminentiæ, inseparabiles esse. Tertiò, vnam tantùm naturam existere primam, illa trina primitate, ad omnem aliam; & sic omnes alias esse illa posteriores, tripliciter. Discursu Doctoris supra humanum ingenium ascendere videtur.*

Ad duas primas conclusiones ostendendas præmitto vnam conclusionem talem:

Impossibile est idem ad duo essentialiter dependere, ad quorum vtrumque, eius dependentia terminetur totaliter. Concl. 16.

11. Hæc probatur sic; Vna causa totali causante aliquid in aliquo genere causæ, impossibile est aliam causare idem in eodem genere causæ, quia tunc idem bis causaretur, vel neutra esset causa totalis. Similiter illud tunc causaret, quo non causante, nihilominùs esset causatum, quod est absurdum: & ita impossibile est idem quacunque depẽdentia dependere à duobus, quorum alterum eius dependentiam terminaret totaliter: iam enim alterum non sufficienter terminaret, si adhuc ad reliquum dependeret. Similiter tunc dependeret ad aliquid, quo non existente, nihilominùs esset secundùm eundem ordinem essendi, quod est contra rationem dependentiæ, intelligendo, quòd nihilominùs esset secundùm eundem ordinem. Hac conclusione ostensa, nunc duas primas in decima simul inclusas, de causis intrinsecis propono sic: Vni soli naturæ inest quæcumque primitas causæ extrinsecæ vnius rationis. Probatur, quia si pluribus insit talis primitas, aut respectu eorumdem posteriorum; aut aliorum: non primo modo, ex decima sexta iam præmissa. Similiter in quolibet posteriori essent duæ dependentiæ eiusdem rationis, quia ad duo prima non est vna dependentia. Consequens est inconueniens. Nec secundo modo potest poni, quia si sic, ad aliud primum, & aliorum illorum, & aliorum est aliud vniuersum: quia entia ista, & illa, non ordinabuntur inter se, nec ad idem: sine enim vnitate ordinis non est vnitas vniuersi. Vnde in ipso fine vno ponit Aristoteles 12. *Metaph. text. com.* 52. *& inde*, bonitatem vniuersi principalem: quia ad vnum summum est vnus ordo. Sufficit mihi loqui de solo vniuerso, non fingere aliud, de quo nullam rationem habeo, imò potiùs obuiationem.

Idẽ effectus nõ potest esse à duabus causis totalibus in eodem genere.

Vni tantùm inest primitas causæ extrinseca.

Sine vnitate ordinis nõ stat vnitas vniuersi.

12. Item, probationes probabiles apponuntur. In essentiali ordine ascendendo, itur ad vnitatem, & paucitatem: ergo statur in vno. Item, causalitas causæ superioris ad plura se extendit; ergo quantò superiùs itur, pauciora sufficiunt: ergo, &c. Hæc declarat proximam. Item, de primo eminenti videtur manifestum, quia si impossibile est duas naturas esse non sic ordinatas, quarum vna aliam non excedat, quia in hoc numeris comparantur, multò impossibilius est duas esse in eodem gradu primo. Item de fine, quia tunc nullus finis esset omnis alterius à se quietatiuus: cùm hoc intelligibile sit, sequitur vt priùs. Item, aliàs nulla natura contineret perfectionem omnis alterius naturæ à se virtualiter: cùm ergo hoc intelligibile sit sine contradictione, nulla esset perfectissima. Ad tres etiam alias conclusiones, sunt etiam probationes speciales. Primum effectiuum est actualissimũ, quia virtualiter continens omnem actualitatem possibilem; primus finis est optimus, virtualiter continens omnem bonitatem possibilem: primum eminens est perfectissimum, eminenter continens omnem perfectionem possibilem: hæc tria non possunt separari, quia si vnum est in vna natura, aliud in alia, quid istorum simpliciter emineret, non posset dari. Vnde istæ tres primitates videntur exprimere tres rationes summæ bonitatis, necessariò concurrentes: quæ sunt summa communicabilitas, summa amabilitas, & summa integritas, summa totalitas: bonum enim, & perfectum idem 5. *Metaph. text. com.* 21. & perfectum, & totum *ex* 3. *Physic. tex. com.* 63. Patet autem de bono, quòd est appetibile, *ex* 1. *Ethic.* & communicatiuum, per Auicennam 6. *Metaph. cap.* 1. nullum enim perfectum communicat; nisi quod liberaliter communicat, quod verè summo bono conuenit, quia ex communicatione non expectat aliam retributionem, quod est proprium liberalis, per Auicennam *ibid cap.* 5. Vnica natura existens, est prima in triplici ordine prædicto, respectu cuiuslibet alterius naturæ, ita quòd quælibet alia est sic tripliciter posterior illa prima.

Si essent duo fines neuter quietaret omnem appetitum.

Prima efficientia, primus finis, & prima eminentia, inseparabiles.

Tres rationes summæ bonitatis.

Posset quis proteruus tenendo decimam sextam dicere, quòd præter illam sunt multæ naturæ, non quidem sic primæ: sed nec posteriores illa prima secundùm aliquem ordinem prædictorum, sed efficientiæ, vel tantùm eminentiæ, & finis; non quidem efficientiæ, vt quidam dicunt Aristotelem sensisse de Intelligentiis, post primam, & fortasse de materia prima. Hoc quidem licèt posset improbari ex prædictis, tamen expedit explanari. Primò quidem improbatur ex sexta huius capituli: quia si *necesse esse*, ex se vni naturæ inest: & quicquid non est posterius in quocumque trium prædictorum ordine, est necesse esse ex se; ergo vnica natura non est prior quolibet posteriore; ergo sic tripliciter quælibet alia est posterior. Secunda propositio huius argumenti patet ex tertia, nona, & decimatertia huius capituli: adiunge cuilibet sextam huius. Secundò, probatur in speciali, quia quod non est finis, nec ad finem aliquem, est frustrà: in entibus nihil est frustrà; ergo quælibet alia natura 13.

An Intelligentiæ sint à Deo effectiuæ? 1. d. 8.

Omne quod est, finis est, vel ad finẽ.

tura

tura à primo fine, est ad finem aliquem: & si ad aliquem; ergo ad primum, ex tertia secundi.

14. Similiter de eminente: quod non est supremum, nec excessum ab aliquo, nullum habet gradum, & sic nihil est; ergo omne quod non est supremum, est excessum: ergo à supremo, ex tertia secundi. Ex his ostenditur de efficientia, quæ negaretur, quòd scilicet est finis primus, vel finitum. Hæc duo probantur suprà; ergo est primum efficiens, vel effectum: nam membra huius disiuncti conuertuntur cum membris illius. Secunda patet ex quarta, & quinta secundi. De prima patet ex proxima præcedente. Similiter per eminentiam: si quodlibet est supremum, vel excessum à supremo; ergo primum efficiens, vel effectum: quia hæc etiam membra conuertuntur, ex penultima, & vltima secundi, & decima quinta huius tertij. Positio etiam alicuius entis, nullum ordinem habentis, irrationalis est valdè: sicut in secunda ratione ad sextam, & in probatione 17. huius aliqualiter ostensum est.

Quod nō est supremum, vel excessum, nihil est.

num. 11.

Verè Domine omnia in sapientia ordinata fecisti, vt cuilibet intellectui rationabiliter videatur, quòd omne ens est ordinatum: vnde absurdum fuit philosophantibus ordinem ab aliquo amouere. Ex hac autem vniuersali, *ens omne est ordinatum*, sequitur quòd non omne ens est posterius, & non omne prius: quia vtroque modo, vel idem ad se ordinaretur, vel circulus in ordine poneretur: est ergo aliquod ens prius, & non posterius, & ita primum: & aliquod posterius, & non primum: nullum autem quin sit aut prius, aut posterius. Tu es vnicum primum, & omne aliud à te est posterius te, sicut in triplici ordine, vt potui, declaraui.

Resolutio per colloquium ad Deum.

ANNOTAT. MAVRITII.

15. Sequitur tertium capitulum applicatiuum dictorum ad propositum. Eligit enim de numero ordinum præmissorum tres, qui sunt ad rem, videlicet eminentiæ, & causalitatis duplicis, finalis, scilicet & efficientis: & procedit per conclusiones ordinatè, & satis clarè. Et quia tota hæc materia in his duobus vltimis capitulis habetur ferè de verbo ad verbum, mutato aliqualiter ordine, in 2. dist. 1. quæst. 1. & ibi declaratur, & examinatur communiter, ideò hîc breuiter pertranseo. Ponit num. 4. conclusiones de primitate effectiua, in quarum prima, nota, quod dicit, excludendo instantiam de propositionibus de possibili, & de actu, & qualiter primæ sunt necessariæ, plura ex logicalibus addendo. Vide in Quodlibeto, quæst. 7. in simili, & alibi. In secunda verò conclusione aduerte ad illam propositionem; *si negatur negatio, ponitur affirmatio*, quam in simili habet alibi, scilicet in primo, distinct. 17. quæst. 1. & in 2. distinct. 1. quæst. & 9. & in 4. distinct. 1. quæst. 6. Ibi etiam pondera instantiam ex Philosophis. quære 8. Physic. à principio ad longum, & 2. de Generat. text. com. 56. 58. & 68. & alibi. In solutione verò instantiæ digreditur valdè notanter, & totum habes in primo, vbi suprà. & assignat differentiam triplicem essentialiter ordinatorum ab accidentaliter ordinatis, & qualiter alia est comparatio talium, & alia causæ per se, ad causam per accidens. Et ponit tres propositiones, quarum prima est, quòd *In essentialiter ordinatis datur status*: quam appellat *A.* & probat eam ratione quintuplici, quas conatur Frater Guillielmus Occham infringere Quodlibeto 2. quæst. 1. & alia in hoc processu, vt infrà tangam: sed quantùm profecit ibi dicam.

Secunda propositio est, quòd *In accidentaliter ordinatis potest non dari status*, quam appellat *B*, in cuius probatione, cùm dicit; *Talis infinitas successionis est impossibilis*, &c. Quære ad hoc 8. Physicorum text. com. 53. & 78. & 12. Metaphys. text. com. 29. & sequentibus, & 1. Cœli, & 2. de Generatione, vbi suprà, & alibi. Consequenter ibi: *nulla enim difformitas*, &c. pondera in simili in 4. distinct. 12. quæst. 3. in solutione. Tertia propositio est, quòd *Simpliciter est impossibilis infinitas in causis*: cuius probationem bene examinabis. Prima ergo conclusio ponit in entibus naturam effectiuam. Secunda ponit primitatem eius. Tertia incausabilitatem. Quarta existentiam actualem, & addit corollarium quartæ conclusioni, continens quasi quatuor dictas conclusiones. Deinde addit alias duas conclusiones incidentales, quæ communes sunt triplici dictæ primitati: quarum prima ponit necessitatem essendi incausabilis: & secunda vnitatem naturæ, quæ ex se est necesse esse: cuius probationes singulares valdè notabis, & specialiter vltimam, quæ currit, & confirmabis maximè secundam ex 8. Physic. & 1. Cœli, & 12. Metaphysic. quas etiam Occham infringere conatur. Vide eum Quodlibet 1. quæst. 1. & vbi suprà, & distinct. 2. prim. quæst. de vnitate Dei. Tu tamen fortificabis argumenta Doctoris, & impugnabis solutiones eius. In aliquibus originalibus assignatur quoddam paruum Extrà, ibi, quod sic incipit: *Hîc instatur*, &c. vsque illuc. *Item, si duæ naturæ*, &c. & aliud infrà, ibi; *Instatur de personis diuinis*, &c. vsque illuc: *Iuxta quatuor conclusiones*, &c. & non sunt de litera, neque multùm necessaria: sed si volueris legere totum, plura notabis, & addes diligenter. Vide 2. 5. 8. 26. & 33. distinct. 1. & 5. quæst. Quodlibet. & alibi sæpè, pro declaratione illius literæ, & 3. distinct. 1. & 2. & super 7. Metaphysic. Deinde ponit alias quatuor conclusiones similes primis quatuor de primitate finitiua, & alias quatuor de primitate eminentiali, in quarum secundæ probatione, nota qualiter species, vel formæ sunt sicut numeri. Vide super 8. Metaph. in quæst. & in 1. distinct. 17. quæst. vltima, soluendo primum principale, & in 2. distinct. 3. quæst. 7. & 10. conueniunt enim numeri, & species quoad resolui in indiuisibilia, quoad non pati diuisionem, quoad habere per se vnitatem, quoad non suscipere magis, & minùs: differunt autem in aliis, vt nosti. Adiungit etiam cuilibet quaternario suum corollarium, vt primo: & littera satis patet. In aliquibus originalibus, ponitur

16.

Infinitas in causis est simpliciter impossibilis.

Ordo conclusionum.

Conueniūt in multis species, & numeri.

nitur quædam litera, quæ sic incipit: *Item, de primo eminentia*, &c. Quam, quia non multùm ad propositum, dimisimus: adde si vis. Consequenter ponit quinque alias conclusiones: quarum vltimam appellat, fructum huius capituli, eidem videlicet naturæ, & vnicæ attribuendo prædictam triplicem primitatem, quam conclusionem dicit prægnantem senario fœtu. Alias verò quatuor, quasi confirmatiuas, & declaratiuas eius, adiungit: vbi tota litera valdè dependens, & resoluta, & singularis doctrinæ existit: affuit certè calamo Paracleti digitus. In fine verò quasi epilogando concludit intentum huius capituli.

18. Circa dicta in hoc capitulo possent nonnulla dubia moueri, sicut circa præcedentia: sed quia, vt dixi priùs in 2. distinct. 1. copiosè disputantur, vt ibi sæpiùs notaui: & aduersarij, atque sequaces huius pertractant ferè omnia, & maximè Nominales, quorum argumenta, & solutiones hìc pertractare longum esset ideò omnia omitto lectori ingenioso, & ad alia festino, vbi declarationis prolixioris vrget necessitas. Nescio enim, quo zelo ductus Guillielmus Occham, vbi suprà, & Quodlibet. 7. quæst. 17. & sequentibus, & Quodlibet. 3. quæst. 1. conatus est totum processum Doctoris in hoc capitulo, & sequenti perturbare: aut quia Anglicus, & iste Scotus, qui rarò concordant: aut quia subtilem, & ingeniosum impugnando, similis apparere voluit: aut quia fortè Fidem Christianam magnificando, voluit omnia ista esse credita: & ad hoc posset accipi argumentum ad hominem hìc: quia in Theorematibus, seu in tractatu propositionum creditarum, habet iste, quòd non potest probari Deum esse intelligentem, vel volentem, vel infinitum, & sic de aliis, quæ hìc tractantur, & probantur; videtur ergo contradicere sibiipsi: & ita Occham benè dicit. Ad hoc tamen patet solutio ibidem, vt infrà tangam: quia loquitur ibi de probatione euidenti demonstratiua *propter quid*, &c. hìc verò vtitur probatione persuasiua, vt in Reportatis, 1. distinct. 2. expressè dicit, similiter ibidem in prologo contra antiquos Theologos inuehitur, qui vilificant Theologum, & Theologiam, nihil sibi scientificè attribuentes, vltra vetulam. Vide in 3. distinct. 24. & in Quodlibeto, quæst. 7. plura ad propositum.

Occham satagit totum istum tractatum impugnare.

Scotum non fuisse Anglũ.

Vnde mõstratur Deũ esse intelligentẽ?

19. Aut certè voluit Occham, qui plurimùm Sophista erat, potiùs apparere, & non existere, quàm è contra; desiderauit namque fundamenta illius viæ Nominalium vbique dilatare, sed vltimatè in aëre tremulo totum proiecit, aut fortè cum sequacibus Doctoris concurrebat. Licebat autem illis temporibus in materiis indifferentibus cuilibet suo modo dicere: sed quis altiùs ædificauit, & stabiliùs, & sinceriùs congregauit, saccus dicit. Fortè etiam non in vituperium Doctoris, quem suum, & religionis, & subtilem plerumque nominat, scripsit, sed rigore Minorum, qui nemini parcunt, synteresi, & conscientia sibi appropriatis, moti, cunctos ingenij eleuatione, & indagine, salua pace aliorum dixerim, transcendentes, vsus est: sed quomodocumque fuerit, aurum purgauit quoties in fornace examinans rigorosi verba Scotica commouit. Nimirùm etiamsi ingeniosi subtilitate huius Doctoris imbuti, conati sunt subtilia, aut pro, aut contra addere, cùm obtusa capita semper inuentis contenta, iactant se posse, aut respondere, aut arguere ad huius aquilæ monimenta. Æstimo breuiter, quòd vir ille doctissimus, atque Catholicus admiratiuè potiùs quàm assertiuè contra huius Doctoris doctrinam aliquando insurgit: licèt, vt verum fatear, equo albo, sua disputatio abundauit.

Occhã quare Scotum impugnat?

Equo albo abũdare, phrasis Hybernica, fastidium, aut minus ingeniosum factũ, significãs.

CONCLVSIONES quarti capituli sequentis.

1. *Prima natura in se est simplex.*
2. *Quicquid intrinsecum est summa natura, est summè tale.*
3. *Omnis perfectio simpliciter, & in summo, inest necessariò natura summa.*
4. *Primum efficiẽs est intelligens, & volens.*
5. *Primum causans quicquid causat contingenter causat.*
6. *Primam naturam amare se, est idem natura prima.*
7. *Nullum intelligere potest esse accidens prima natura.*
8. *Intellectus primi intelligit actu semper, & necessariò, & distinctè, quodcumque intelligibile, priùs naturaliter, quàm sit illud in se.*
9. *Primum principium est infinitum, & à finito incomprehensible.*
10. *Primum principium est omnino simplex, non habens partes essentiales, nec quantitatiuas; nec alicui conceptui componibiles.*
11. *Quòd est tantũ vnum principiũ primum.*

CAPVT IV.

De simplicitate, infinitate, & intellectualitate primi entis.



DOMINE Deus noster, De tua natura vnica, verè prima, vel- 1.
lem perfectiones, quas inesse non dubito, aliqualiter ostendere, si faueres. Credo te simplicem, infinitum, sapientem, & volentem: & quia nollem vti circulo in probando, de simplicitate quædam præmittam, quæ possunt primò probari; alia de simplicitate vsque ad suum locum, vbi possunt probari, differantur. Est igitur huius capitis quarti hæc prima conclusio ostendenda:

SCHOLIVM I.

Demonstrat conclusionem primam discursu mirabili, primam naturam esse simplicem, *de quo agit 1. distinct. 8. quæst. 1. vbi quæst. 3. docet eam non esse in genere, quod hìc tangit. Conclusio 2.* Omne quod est intrinsecum Deo, esse summum. *Obiectiones contra hanc soluit Mauritius infrà n. 43. Tertia conclusio quòd* Omnis perfectio simpliciter inest necessariò, & summè primæ naturæ; *explicat quid sit*

sit perfectio simpliciter, de quo agit 1. dist. 2. quæst. 7. num. 39. & dist. 8. quæst. 1. num. 7. & quæst. 4. num. 13. & aliàs passim: quicquid est melius suo positiuo incompossibili, in aliquo supposito, quà tale, non considerando naturam eius, tale est perfectio simpliciter: & vno verbo, omne cui infinitas formalis conuenire potest, tale est.

Conclus. 1. *Prima natura est in se simplex.*

In se, dixi, quod tantùm de simplicitate simplici essentiali intelligo hîc, quæ excludit omnem compositionem in essentia absolutè. Hæc probatur sic: prima natura non est causata, vt patet ex tertia tertij. Patet; ergo non habens partes essentiales, materiam, & formam. Item, nec diuersas perfectiones, qualitercumque in re distinctas habet, ex quibus scilicet possit ratio generis, & differentiæ sumi. Probatur ex prima propositione sexta tertij: quia, vel altera illarum secundùm propriam rationem esset, quâ totum esset primò necesse esse, & reliqua nec primò, nec per se: & tunc cùm causa reliqua essentialiter includatur in toto, totum non erit necesse esse: quia includit non necessarium formaliter: aut si vtraque realitate esset totum primò necesse esse, esset bis necesse esse; & haberet duo *esse*, quorum neutrum essentialiter includeret alterum: similiter vtraque esset in vtraque, quia non esset vnum ex eis: & si vtraque primò dat *necesse esse*, vtraque erit actualitas vltima: & ita vel nihil idem ex eis; vel nulla differentia earum; & ita non vtraque.

Prima natura non habet partes, 1. d. 8. q. 1.

Necesse esse non includit duo, 1. dist. 2. q. 3.

Corollarium: *Prima natura non est in genere.* Patet ex ista. Probatur etiam: quia natura in genere, tota exprimitur per definitionem, vbi non importatur omnino idem per genus, & differentiam, propter nugationem: oppositum in sic simplici inuenitur.

Corollariũ. Prima natura non est in genere, 1. d. 8. q. 3.

2. Hîc instatur: si duorum existentium in eodem, altero tantùm potest ipsum esse necessarium, & ita reliquo non necessarium, aliàs esset bis necesse esse; sequitur quòd nulla distincta, secundùm rationes formales, possent poni esse in *necesse esse*; ergo nec in prima persona diuina essentia, & relatio. Consequens est falsum: ideò probatio prima peccat. Similiter contra secundam: quia vtrumque eorum esset actualitas vltima, vel alterum non necessarium. Respondeo, quæcumque secundùm rationes formales distinguuntur, vel sicut actus, & potentia, & sic componibilia: vel sicut duo nata actuare idem: vel sicut actus, & actus, & sic non componibilia: tunc si vnum esset infinitum, posset includere per identitatem aliud, imò includit, aliàs infinitum esset componibile, quod improbabitur conclusione decima huius: si autem sit finitum, non includit per identitatem illud, quod est primò diuersum secundùm suam rationem formalem, quia finitum tale est perfectibile illo, vel componibile cum illo; ergo ponendo *necesse esse* habere duas realitates: quarum neutra per identitatem contineat aliam, quod requiritur ad compositionem; sequitur quòd altera, nec erit necesse esse, nec formaliter, nec per identitatem; vel totum erit necesse esse: & ita tenet vtraque probatio. Instantiæ de diuina persona nullæ sunt, quia illæ duæ realitates non faciunt compositionem, sed vna est alia per identitatem: quia vna est infinita. Quòd si obiicias: ita dicam in proposito, quòd est compositio, & duæ vnitates, & duæ realitates in *necesse esse*, sed altera est infinita. Contradicis tibi dupliciter. Primò, quia pars est minor toto. Secundò, quia si ponis compositionem, neutra realitas est alia per identitatem, & sic currit vtraque probatio.

Infinitum identicè includit quæcumque sunt in eodẽ cum ipso, aliàs componeret cum eis.

In composito vna pars nõ includit aliã identicè.

Conclus. 2. *Quicquid est intrinsecum summa natura, est summè tale.*

3. Probatur, quia omnino est idem illi naturæ propter simplicitatem; ergo sicut illa natura est summa natura, ita illud est summe tale, quia idem est: aliàs si posset intelligi excedi, secundùm suam entitatem; ergo natura posset intelligi excedi, secundùm suam entitatem, quæ eadem est entitati illius.

Conclus. 3. *Omnis perfectio simpliciter, & in summo, inest necessariò naturæ summæ.*

Perfectio simpliciter, dicitur, quæ in quolibet melius est ipsum, quàm non ipsum. Hæc descriptio videtur nulla: quia si intelligeretur de affirmatione, & negatione, vt est in se, quælibet affirmatio esset melior sua negatione in se, & in quolibet, si in eo posset esse. Si autem intelligatur, non in se, & in quolibet si posset inesse, sed in quolibet, simpliciter falsum est, quòd non melior est in cane sapientia, quia nulla est bonitas in illo, cui contradicit. Respondeo, famosa est descriptio, exponatur sic: *melius, quàm non ipsum*, id est, quàm quodlibet positiuum, incompossibile, in quo includitur non ipsum, est, inquam, sic melius in quolibet, non cuilibet, sed in quolibet, quantùm esset ex se: quia melius est suo incompossibili, propter quod non potest inesse. Breuiter ergo dicatur, quòd perfectio simpliciter est, quod est absolutè melius quocumque incompossibili, & ita exponitur illud *in quolibet,*

Describitur perfectio simpliciter ex Anselm. Vide Doct. 1. d. 2. q. 7. n. 39.

quolibet, quàm non ipsum, & hoc est, quàm quodlibet, quod non est ipsum. Et debet intelligi de incompossibilitate secundùm prædicationem denominatiuam, quia ita sermo fit communiter.

4. *Perfectio simpliciter excedit omne incompossibile.*

Probo tertiam conclusionem sic intellectam: Perfectio simpliciter ad omne incompossibile, aliquem habet ordinem secundùm nobilitatem, non excessi per descriptionem, sed eminentis; ergo vel naturæ supremæ est incompossibilis, & ita excedit eam; vel compossibilis, & ita potest ei inesse, & etiam in summo: quia sic est ei compossibilis. Si est alicui compossibilis, inest sibi, sicut est sibi compossibilis: non autem inest, vt accidens contingens; quia tunc perfectio simpliciter etiam in summo, posset excedi, quia substantia melior est accidente. Similiter natura prima non haberet omnem perfectionem, nobilissimo modo habendi; ergo vel vt idem: vel vt propria passio: & vtroque modo habetur propositum, scilicet quòd necessariò inest. Quòd autem non vt accidens per accidens, contingenter insit, probo; quia in omni perfectione, cui non repugnat necessitas, perfectiùs habet illam, quod habet necessariò, quàm quod contingenter: perfectioni simpliciter non repugnat necessitas, quia tunc aliqua natura incomposibilis sibi, excederet eam vt illa quæ est necessaria, vel potest esse. Nihil autem potest perfectiùs habere perfectionem simpliciter, quàm natura prima, ex secunda huius; ergo, &c.

Cui non repugnat necessitas perfectius est, si habeat eam necessariò.

Dicendis de infinitate, & cæteris de simplicitate ponendis præmitto illa de intellectu, & voluntate: quia inferiùs supponentur. Prima conclusio talis est.

SCHOLIVM II.

Conclusione quarta ostendit, primum efficiens esse intelligens, & volens efficacissimis rationibus, quas verbatim habet 1. distinct. 2. quæst. 2. art. 3. num. 20. 21. Quod tangit probatione 3. Philosophus Deum liberè agere, alioquin nullam fore libertatem in aliis, tractat ibi num. 21. & distinct. 8. quæst. 5 num. 18. & distinct. 39. num. 21. Instat tripliciter, contra tertiam rationem, & soluit optimè. Disputat pro, & contra, de ratione perfectionis simpliciter, sed tenendum quod habet in Theologia locis citatis Scholio 1.

Conclus. 4. *Primum efficiens est intelligens, & volens.*

5. Ista probatur. Primum est per se agens; quia omni causa per accidens, prior est aliqua per se, 2. *Physicorum, text. com. 66.* omne per se agens agit propter finem. Ex hoc arguitur dupliciter. Primò sic; omne naturale agens præcisè consideratum, ex necessitate, & æquè ageret, si ad nullum finem ageret: sicut si esset independenter agens; ergo si non agit nisi propter finem, hoc est quia dependet ab agente amante finem; ergo, &c. Secundò arguitur, si primum agit propter finem, aut ergo finis ille mouet primum efficiens, vt amatus actu voluntatis, & patet propositum; aut vt naturaliter tantùm amatus: hoc falsum est, quia non naturaliter amat finem alium à se, vt graue centrum, & materia formam: tunc enim esset aliquo modo ad finem, quia inclinatur ad illum. Si tantùm naturaliter amat finem, qui ipse est: hoc nihil est; nisi ipsum esse ipsum: hoc non est saluare rationem duplicem causæ in ipso.

Omne agens per se agit, propter finē.

Item, primum efficiens dirigit effectum suum ad finem ipsum; ergo vel naturaliter, vel cognoscendo, & amando illum: non primo modo, quia non cognoscens, nihil dirigit, nisi in virtute cognoscentis: sapientis enim est prima ordinatio. Primum in virtute nullius dirigit, sicut nec causat. Hæc etiam conclusio probatur, quia omni non viuo, viuum est melius: & inter viua, omni non intelligente intelligens est melius: primo nihil est melius: ergo, &c. 1. Metaph. in Procem.

Viuū melius non viuo.

Item, tertiò sic: aliquid causatur contingenter; ergo prima causa contingenter causat; ergo volens causat. Probatio primæ consequentiæ, quælibet causa secunda causat inquantùm mouetur à prima: ergo si prima necessariò mouet, quælibet necessariò mouetur, & quodlibet necessariò causatur. Probatio secundæ consequentiæ; nullum est principium operandi contingenter, nisi voluntas, vel concomitans voluntatem: quia quælibet alia agit ex necessitate naturæ, & ita non contingenter.

Deus liberè agit aliquid, aliàs nulla esset libertas.

Obiicitur contra primam consequentiam, quia dato, quòd Deus necessariò causet; quia tamen non mouet immediatè voluntatem nostram, ideò sequitur, quòd nostrum velle possit adhuc contingenter causare aliquid. Item, Philosophus concessit antecedens, & negauit consequens, ponendo contingentiam in inferioribus, ex motu, qui necessariò causatur, inquantùm vniformis: sed difformitas sequitur ex partibus eius, & ita contingentia. Contra secundam: alia mota possunt impediri, & ita oppositum contingenter euenire. Ad primum, si est primum efficiens respectu voluntatis nostræ, idem sequitur de ipsa, quod de aliis: quia siue immediatè moueat eam, siue aliud immediatè, & illud necessariò motum moueat; quia mouet ex hoc 6.

Si primū efficiens necessariò moueret, nihil liberè se moueret.

quod

quod mouetur, tandem proximum necessariò mouebit voluntatem: & ita necessariò voluntas volet, & si erit volens necessariò, sequitur vlteriùs impossibile, quòd necessariò causat, quod volendo causat.

Ad secundum, non dico hîc *contingens*, quodcunque quod non est necessarium, nec sempiternum: sed cuius oppositum potest fieri, quando illud fit: ideò dixi *aliquid contingenter causatur*, non, *aliquid est contingens*. Modò dico, quòd Philosophus non potuit consequentiam negare, soluendo antecedens per motum: quia si ille motus totus necessariò est à causa sua; quælibet pars eius causatur necessariò, quando causatur, hoc est, ineuitabiliter, ita quòd oppositum tunc non posset causari: & vlteriùs, quod causatur sic per quamcunque partem motus, necessariò tunc causatur, id est, ineuitabiliter; vel igitur nihil fit contingenter, id est, euitabiliter: vel primum sic causat immediatè, quòd posset non causare.

Quid contingens?

7. Ad tertium, si aliqua causa potest impedire, illa non potest, nisi virtute superiorum causarum, impedire, & sic vsque ad primam: quæ si immediatam causam sibi necessariò mouet, in toto ordine vsque ad istam impedientem, erit necessitas; ergo necessariò impediet; ergo tunc non posset aliqua alia contingenter causare aliquod causatum.

Quartò probatur conclusio: aliquod malum est in entibus; ergo primum contingenter causat; & tunc vt priùs. Probatio consequentiæ, omne agens ex necessitate naturæ, agit secundùm vltimum suæ potentiæ, & ita ad perfectionem possibilem produci ab ipso; ergo si primum agit necessariò, & per consequens omne aliud agens, vt iam declaratum est; sequitur, quòd totus ordo causarum causabit in isto quicquid est eis possibile causare in illo; ergo nulla perfectione caret, quæ potest ab omnibus causis agentibus induci in ipso; ergo nulla caret, quam potest recipere; ergo non est aliqua malitia in ipso. Consequentiæ sunt planæ: quia omnis perfectio receptibllis in isto est, causabilis ab aliquo, & ab omnibus causis ordinatis, vltima patet ex ratione mali, & concludit illa probatio de vitio in moribus, sicut de peccato in natura.

Si Deus necessariò ageret, nullum esset malum.

Dices: materia non obedit. Nihil est, quia agens potens vinceret inobedientiam.

8. Hanc conclusiouem probant aliqui quintò, via ex tertia præostensa: quia intelligere, velle, sapientia, amor, sunt perfectiones simpliciter, quod supponunt quasi manifestum. Sed non videtur, vnde ista possunt magis concedi esse perfectiones simpliciter, quàm natura primi Angeli. Si enim accipias *sapientiam* denominatiuè; est melior omni denominatiuo incompossibili: & non probasti, quòd primum est sapiens. Et si accipias, quòd Deus est sapiens: dico, quòd petis. Tantùm potes habere, quòd sapiens est melior non sapiente, excluso primo. Contrà: isto modo primus Angelus est melior omni ente denominatiuè sumpto incompossibili sibi præter Deum: imò *esse* primi Angeli in abstracto potest esse melior simpliciter sapientia. Dices repugnat multis, ideò non cuilibet est melius denominatiuè, quàm oppositum. Respondeo, quòd nec sapientia est cuilibet melius denominatiuè, quia repugnat multis. Dices: imò esset cuilibet melius, si posset inesse: quia canis esset melior, si canis esset sapiens. Respondeo, ita de primo Angelo si posset esse canis, esset melior: & cani esset melius, si posset esse primus Angelus. Dices: imò illud destruit naturam canis; ergo non est bonum cani. Respondeo, ita sapiens, vel sapientia destrueret naturam eius. Non est differentia, nisi quòd Angelus destruit canem: vt natura eiusdem generis, sapiens vt alterius, incompossibilis tamen: quia determinans sibi pro subiecto naturam eiusdem generis incompossibilem, & cui repugnat primò subiectum, eidem per se, licèt non primò, passio subiecti repugnat. Vulgaris sermo de perfectione simpliciter sæpè vacillat. Item, intelligibile videtur dicere gradum supremum determinati generis, vt substantiæ: vnde igitur concludetur, quòd est perfectio simpliciter? De passionibus entis in communi secus est, quia consequuntur omne ens, vel passio communis; vel alterum disiunctorum. Si proteruus diceret, quòd omne denominatiuum primum cuiuslibet generis generalissimi, est perfectio simpliciter; vnde improbares? Diceret enim quodlibet tale, esse melius quocunque sibi incompossibili. Si intelligatur denominatiuè, quia incompossibilia sibi non sunt nisi denominatiua sui generis, quia omnia illud excellit; si intelligitur de substantiis denominatis, inquantum denominata, similiter diceret: Quòd si subiectum determinat illud; determinat sibi nobilissimum. Si non, saltem subiectum quodlibet, inquantum denominatur isto, est melius quolibet, inquantum denominatur, alio sibi incompossibili.

Cur primus Angelus nō sit perfectio simpliciter.

SCHO

SCHOLIVM III.

Primam causam contingenter causare quicquid causat, siue mediatè, siue immediatè, patet ex tertia probatione pro conclusione quarta. Instat quadrupliciter contra probationem, arguens stare posse libertatem causæ secundæ cum necessitate primæ. Mauritius soluit instantias: sed mihi non placent eius solutiones: neque vnquam intelligere potui quomodo voluntas nostra manet libera, quod ipse ait, si præueniatur absoluto Dei decreto ab æterno posito, nulla eius cooperatione, vel conditionaliter præuisa? Itaque si admittantur illa decreta absoluta, seu determinatio Dei æterna de actibus nostris, admittenda etiam videtur scientia media, quâ Deus ab æterno præuidit quid quacunque occasione posita, facturi eramus, vt saluetur nostra libertas: cui non minùs officiunt talia decreta, negatâ illâ scientiâ, quàm prædeterminationes Physicæ, quas docti passim insectantur, vt libertati noxias. Nec satisfaciunt dicentes Deum ab æterno non prædeterminasse, sed condeterminasse nobiscum actus nostros, quia nullum actum habemus nos, nisi in tempore: & primi actus, quos eliceimus, sunt à Deo solo, ab æterno decretati: neque possumus respectu eorum habere actus decretatiuos, quia actus decretans, seu determinans præcedit decretatum, seu determinatum, & ab eo re distinguitur; igitur Deus solus ab æterno decreuit, & prædeterminauit, quod ipse nobiscum in tempore tales, vel tales actus eliceret. Sicut si princeps meus in cubiculo suo, me inconsulto, decerneret hodie, quòd ipse & ego aliquid faceremus cras: & per consequens non est ibi vlla æterna condeterminatio ex parte nostra: tantùm enim concurrimus ad terminum illius determinationis, seu decreti. Etsi cum hoc negetur illa scientia media, & suppositâ illâ æternâ determinatione, repugnat quin sequatur eius effectus, vix aut ne vix capere possum quomodo saluetur libertas: & ideò illam scientiam mediam amplector. Vide loca Scoti ad hoc citata 1.d.39. in Schol. num. 23. §. Viso de contingentia. *Sed de hoc nihil cum breuitate dici potest, quod satisfaciat ad rei, omnium ferè difficillimæ, explicationem. Refert se Doctor hîc ad quæstionem, quam scripsit de futuris contingentibus: puto esse 13. secundi Phys. vbi agit de scientia futuri contingentis, & libertate cum ea compatibili; vel fortè scripsit tractatum de hac re, qui non extat, alias coniecturas de hoc habet Mauritius hîc.*

Concl. 5. ***Primum causans, quicquid causat, contingenter causat.***

Deus nihil causat mediatè, vel immediatè necessariò. Probatur, quia quod immediatè causat, contingenter causat, ex tertia probatione quartæ præmissæ; ergo quodcunque aliud: quia contingens non præcedit necessarium naturaliter, nec necessarium dependet à contingente. *An causa secunda determinetur à prima.* Item, ex volitione finis, non necessariò est aliquid volitum, nisi illud sine quo non stat illud, quod est volitum circa finem: Deus amat se vt finem, & quicquid circa se vt finem amat, stare potest, si nihil aliud ab ipso sit: quia necessarium ex se à nullo dependet; ergo si ex volitione sui, nihil aliud necessariò vult; ergo nec necessariò causat.

Contrà: velle illud est idem primo; ergo necesse esse; ergo non contingens. Item, si tertia probatio præmissæ, cui ista innititur, tenet; ergo nulla est contingentia cuiuscunque causæ secundæ in causando, nisi sit contingentia primi in volendo. Sicut enim necessitas primi in volendo, concludit necessitatem cuiuscunque alterius in causando, ita determinatio eius in volendo concludit determinationem cuiuscunque alterius in causando: sed determinatio eius in volendo est æterna; ergo quæcunque causa secunda priùs quàm agat, est determinata, ita quòd non est in potestate eius determinari ad oppositum. *Arguitur, stare posse libertatem causæ secundæ cum necessitate primæ.* Hoc vlteriùs declaratur: quia si in potestate huius est determinare se ad oppositum, ergo cum determinatione causæ primæ in volendo stat istius indeterminatio in causando: quia non est in potestate eius facere primam causam indeterminatam, & si cum determinatione primæ stat indeterminatio huius, ita videtur cum necessitate eius stare non necessitas, vel contingentia huius, scilicet in causando. Vel igitur tertia probatio nihil valet, vel voluntas nostra non videtur libera esse ex se ad opposita. Item, si prima determinata determinat, quomodo potest alia causa secunda mouere ad aliquid, aliquo modo, ad cuius oppositum prima mouet, sicut est de voluntate nostra peccante? Item quartò, omne efficere est contingens, quia dependet ab efficientia primi, quæ est contingens. Ista sunt difficilia, quorum plena solutio multa narrari, & declarari requirit. *Scripsit quæstionem de futuris contingentibus.* Quærantur in quæstione quam de scientia Dei respectu futurorum contingentium disputaui.

SCHOLIVM IV.

Sexta conclusio: Amare primi entis non esse aliud ab ipso, *quia primum efficiens amare primum finem, est incausabile: & hoc est tantùm vnum. Hinc infert intellectum, intelligere, voluntatem, & velle prima natura esse idem ipsi, de quo fusè 1. dist. 2. quæst. 2.* §. Nec vlteriùs, *num. 22. Septima conclusio,* Nullum intelligere esse accidens primæ naturæ: *clarè & efficaciter probatur. Idem est de velle, intellectu, & voluntate. Probat quatuor rationibus efficacibus, & claris, de quo eisdem ferè verbis 1. dist. 2. quæst. 2.* §. Ostenso de intelligere, *num. 23. Vide annotationem Mauritij hîc.*

Primam naturam amare se, est idem prima natura. Concl. 6.

Hanc probo sic: causalitas, & causatio causæ finalis est simpliciter prima, ex quarta secundi, & ideò causalitas primi finis, & eius causatio, est penitus incausabilis, secundùm quamcunque causationem, in quocumque genere causæ: causalitas autem primi finis est mouere primum efficiens vt amatum, quod est idem isti, primum

Primum efficiens amare primum finem est incausatum. mum efficiens amare primum finem: quia nihil aliud est obiectum amari à voluntate, nisi voluntatem amare obiectum; ergo primum efficiens amare primum finem, est penitus incausabile: & ita ex se *Primum amare se, non est ex amore finis.* necesse esse, ex quinta tertij: & ita erit idem naturæ primæ ex sexta eiusdem. & deductio patet in decimaquinta tertij. Deducitur aliter, sed in idem redit: Si primũ amare se est aliud à primo; ergo est causabile, ex decimaoctaua tertij: ergo effectibile, ex quarta & quinta secundi: ergo ab aliquo per se efficiente, ex probatione quartæ huius; ergo ab amante finem, ibidem: ergo si primum amare se esset causatum, hoc esset ex aliquo amore finis, priore ipso causato, quod est impossibile. Hoc Aristoteles Text.c.51. ostendit 12. Metaphysicæ, de *intelligere:* aliàs primum non esset optima substantia, quia per *intelligere* est honorabile, aliàs enim laboriosa est continuatio: quia si non est illud, sed in potentia contradictionis ad illud, ad illam sequitur labor secundùm ipsum.

11. Istæ rationes possunt declarari. Prima, quia cùm omnis entitatis in actu primo vltima perfectio sit in actu secundo, quo coniungitur optimo, maximè si sit actiuum, non tantùm factiuum: omne autem intellectuale est actiuum; & prima natura est intellectualis, ex prima; sequitur quòd eius perfectio vltima est in actu secundo: ergo si ille non est idem sibi, non est eius substantia optima: quia aliud est *Potentia receptiua est contradictionis, & ideò imperfecta.* suum oppositum. Secunda, quia potentia solummodo receptiua, est contradictionis: ergo est imperfecta. Tamen nec ista secunda, nec ratio prior, simpliciter secundùm Aristotelem est demonstratio, sed tantùm probabilis ratio: vnde præmittit, *rationale est, &c.* Aliter ostenditur ex identitate potentiæ, & obiecti, inter se, ergo actus est *Ex identitate potentiæ, & obiecti, non sequitur actũ esse idem potentiæ.* idem eis. Consequentia non valet. Instantia, Intelligentia intelligit se, amat se; actus tamen non est idem substantiæ. Hæc conclusio secunda est in corollariis. Nam sequitur primò, quòd voluntas est idem primæ naturæ: quia velle non est nisi voluntatis; ergo illa est incausabilis; ergo, &c. Similiter *velle* intelligitur, quasi posterius, & tamen *velle* est idem illi naturæ; *Voluntas, velle, intellectus, & intelligere, sunt idem prima natura.* ergo magis voluntas. Secundò sequitur, quòd *intelligere se* est idem illi naturæ: quia nihil amatur nisi cognitum: ergo *intelligere* est necesse esse ex se. similiter quia *intelligere*, quasi propinquius est illi naturæ, quàm *velle*. Sequitur tertiò, quòd intellectus est idem illi naturæ, sicut prius de voluntate, & *velle*, argutum est. Sequitur quartò, quòd ratio intelligendi se est idem sibi: quia necesse esse ex se, & quasi præintelligitur intellectioni.

Nullum intelligere potest esse accidens primæ naturæ. Concl.7.

Probatur, quia illa natura ostensa est 12. esse primum effectiuum: ergo ex se habet vnde potest quodcumque causabile causare, circumscripto quocunque alio, saltem vt causa prima illius causabilis: sed circumscripta cognitione eius, non habet vnde posset illud causare. *Intelligere non esse accidens primæ naturæ.* Assumptum vltimum probatur, quia nihil potest causare, nisi ex amore finis, volendo illud, quia non potest aliter esse per se agens, quia nec propter finem. Isti autem *velle* alicuius propter finem, præintelligitur *intelligere* ipsum: ergo ante primum signum, quo intelligitur causans, siue volens *A*, necessariò præintelligitur intelligens *A*. & ita sine hoc non potest per se efficere *A*, ita de aliis. Item, omnes intellectiones eiusdem intellectus habent similem habitudinem ad intellectum, secundùm identitatem essentialem, aut accidentalem. Patet de quocumque intellectu creato: quod ostenditur, quia videntur perfectiones eiusdem generis: ergo si aliqua habet receptiuum, & omnes habent idem: & ita si aliqua est accidens, & quælibet: aliqua non potest esse accidens in primo, ex præcedente: ergo nulla. Item, *intelligere*, si quod potest esse accidens, reciperetur in intellectu, vt subiecto: ergo & in *intelligere*, quod est sibi idem, scilicet, intellectui. & ita perfectius *intelligere*, scilicet, essentiale, erit potentia receptiua respectu imperfectioris, scilicet accidentalis. Item, idem *intelligere* potest esse respectu obiectorum *Intelligere primæ naturæ, est omnium intelligibilium.* plurium ordinatorum; ergo quantò perfectius, tantò plurium: ergo perfectissimum, quo impossibile est esse perfectius *intelligere*, erit omnium intelligibilium: *intelligere* primi est sic perfectissimum, ex secunda huius: igitur idem est omnium intelligibilium: & illud quod est sui, est idem sibi, ex proxima præcedente: ergo, &c.

Eandem conclusionem intellige de 13. *velle*. Item, si arguitur: Ille intellectus nihil est, nisi *intelligere* quoddam: iste intellectus est idem omnium, ita quòd non potest esse alius alterius, & alterius obiecti; ergo nec *intelligere* aliud. Vel igitur *intelligere* idem est omnium, vel intellectus alterius obiecti. Respondeo, fallacia *Identitas duorum inter se, non infert identitatem eorum ad tertium.* est Accidentis, ex identitate aliquorum inter se, absolutè concludere identitatem *Rationes aliorum.* respectu tertij, respectu cuius extraneantur.

tur. Exemplum, *intelligere* diuinum eſt idem ſuo velle; ergo ſi ipſum *intelligere* eſt alicuius, ipſum *velle* eſt eiuſdem. Non ſequitur, ſed eſt *velle*, quod quidem *velle* eſt aliquid eiuſdem, quia *intelligere* eiuſdem: ita quòd diuiſim poteſt inferri, non coniunctim propter accidens. Item, ſic arguitur, Intellectus primi habet vnum actum adæquatum ſibi, & coæternum: ſed *intelligere* ſui, eſt idem ſibi; ergo non poteſt habere alium. Conſequentia non valet. Inſtantia de ſimul vidente Deum, & aliud: etiam ſi videt Deum ſecundùm vltimum capacitatis ſuæ, vt ponitur de anima Chriſti, adhuc poteſt aliud. Item, arguitur, ille intellectus habet in ſe per identitatem, perfectionem maximam intelligendi; ergo & omnem aliam. Reſpondeo, non ſequitur: quia alia, quæ minor eſt, poteſt eſſe cauſabilis; & ideò differre ab incauſabili maxima poteſt.

SCHOLIVM V.

*Concluſ.*8. Intellectus Dei intelligit diſtinctè omne intelligibile: & alia à ſe priùs naturaliter, quàm ſint. *Ratio prima partis, quia id eſt perfectionis. Secunda partis, quia omne aliud eſt poſterius ipſo. Vide de hoc Doct. 1. diſt. 2. q. 2. §. Quarta concluſio num. 24. Nota cùm ait, ſe declaraſſe ens communiſſimè ſumptum eſſe obiectum intellectus, loqui de quaeſt. 19. 20. & 21. de Anima, vbi id praeſtitit ſatis fusè: quia non loquitur de Theologia, vel Metaphyſica; has enim ſcripſit poſt hunc tractatum, vt oſtendi in praefatione ad lectorem; neque in Phyſica, vel Logica id declarauit. Sequitur ergo quaeſtiones de Anima ante hunc tract. & Metaphyſicam ſcripſiſſe, de quo in praefatione operis dubitaui. De inſtantia ibi contra iſtam, vide Mauritium.*

Concl.8. *Intellectus primi intelligit actu ſemper neceſſariò, & diſtinctè, quodcunque intelligibile, priùs naturaliter, quàm illud ſit in ſe.*

14. Prima pars, ſcilicet, quòd poteſt cognoſcere quodcunque intelligibile, probatur ſic: quia hoc eſt perfectionis in intellectu poſſe diſtinctè, & actu intelligere, immò neceſſarium ad rationem intellectus: quia omnis intellectus eſt totius entis communiſſimè ſumpti, vt alibi declaraui: nullam autem intellectionem poteſt habere intellectus primi, niſi eandem ſibi, ex proxima: ergo cuiuſlibet intelligibilis habet actuale intellige- re, & diſtinctum, & hoc idem ſibi. Probatur etiam prima pars aliter, per hoc, quòd artifex diſtinctè cognoſcit omne agendum, antequam fiat, aliàs non perfectè operaretur: quia cognitio eſt menſura iuxta quam operatur; ergo Deus omnium producibilium à ſe habet notitiam diſtinctam actualem, vel habitualem ſaltem, & priorem eis. Contra iſtam inſtatur, quia ars vniuerſalis ſufficit ad ſingularia producenda. Secunda pars de prioritate probatur, quia quicquid eſt idem ſibi, eſt neceſſe eſſe ex ſe, ex quinta tertij, & prima quarti: ſed eſſe aliorum à ſe intelligibilium, eſt non neceſſe eſſe ex ſe, ex ſexti tertij: neceſſe eſſe ex ſe, eſt prius naturâ omni non-neceſſario. Probatur aliter, quia *eſſe* omnis alterius à ſe dependet ab ipſo, vt à cauſa, ex decimanona tertij: ſed in ipſo vt cauſa eſt alicuius talis, neceſſariò includitur cognitio eius ex parte cauſæ; ergo illa prior eſt naturâ ipſo eſſe cogniti.

Intellectus eſt totius entis. Quaeſt. 19. 20. 21. de Anima.

Deus praeſcit diſtinctè omnia producibilia.

Quicquid eſt idem intellectui primi, eſt neceſſe eſſe, & prius omni alio, quod non eſt neceſſe eſſe.

SCHOLIVM VI.

Concludit deuotè, & ingenioſè infinitatem naturae primae. Primò ex infinita intellectione intellectus eius; quia plura intelligere arguit maiorem perfectionem; ergo & infinita infinitum. Vide ipſum 1. d. 2. quaeſt. 2. §. Oſtenſo propoſito. *num. 3. & ſeq. vbi adducit ſex vias, ad probandum hanc infinitatem; hîc habet ſeptem vias, vt eas numerat Occham, qui ſingulas impugnare conatur, totidem quaeſtionibus quodlib. allegat hîc n. 17. quaeſtionem de indiuiduatione, quam ſcripſit in Logica, vel alibi, vel allegatio eſt additio. Tractat quidem de indiuiduatione 7. Met. q. 13. & 2. diſt. 3. per quinque primas quaeſtiones; tamen hunc tractatum ante Metaph. & Theologiam ſcripſit, ex praefatione. Secundò probat infinitatem ex infinita intelligibilitate naturae primae, de quo 1. diſt. 3. q. 2. Nota id, quod ait hîc n. 18. quòd alibi multùm egit de notitia intuitiua, reſpiciente potentiam, & obiectum, à quibus paritur, id praeſtitiſſe, q. 12. & aliàs de Anima. de eadem intuitiua agit 2. diſt. 3. quaeſt. 10. & 3. diſt. 14. q. 3.*

O altitudo diuitiarum ſapientiae, & ſcientiae tuae Deus, quâ omne intelligibile comprehendis! Nunquid intellectui meo paruo, poteris concludere te eſſe infinitum, & incomprehenſibilem? Concl.9. Rom.11.

Tentabo ergo inferre concluſionem valde fœcundam: quæ ſi in principio fuiſſet de te probata, prædictorum quàm plurima faciliter patuiſſent. Infinitatem igitur tuam, ſi annuas, ex dictis de intellectu tuo, primò conabor inferre; deinde quædam alia adducam, an valeant, vel non valeant, ád concludendum propoſitum, inquirendo. Nónne Domine Deus intelligibilia ſunt infinita, & hæc actu in intellectu omnia intelligente? ergo & natura, cui intellectus eſt idem, eſt infinita; ergo intellectus illa ſimul actu intelligens eſt infinitus: talis eſt, Deus noſter, intellectus tuus, ex ſeptima iam præmiſſa. Huius enthymematis oſtendo antecedens, & conſequens, & conſequentiam ſic: Quęcumque ſunt infinita in potentia, id eſt, accipiẽdo alterum poſt alterũ, nullũ poſſunt habere finem, illa omnia ſi sũt ſimul actu, ſunt 15.

Deum eſſe infinitum, ex infinitorum intellectione.

sunt infinita: intelligibilia sunt huiusmodi, respectu intellectus creati, sicut patet; & in tuo, Deus, sunt simul actu omnia intellecta, quæ à creato sunt successiuè intelligibilia: igitur ibi sunt actu infinita intellecta. Huius syllogismi probo maiorem, licèt satis euidens videatur; quia omnia talia acceptibilia quando sunt simul existentia, aut sunt actu infinita; aut finita: si actu finita, ergo accipiendo alterum post alterum, tandem possunt esse omnia accepta simul: ergo si non possunt esse actu accepta omnia, si actu sunt simul, sunt infinita actu. Consequentiam enthymematis ita probo: Quādo pluralitas requirit, vel concludit maiorem perfectionem, quàm paucitas: infinitas concludit, vel requirit infinitam perfectionem. Exemplum, posse ferre quatuor, maiorem virtutem motiuæ requirit, quàm posse ferre duo: ideò posse ferre infinita, concludit infinitam perfectionem, vel virtutem motiuam: ergo in proposito cùm simul intelligere plura, maiorem perfectionem intellectus concludat, quàm posse vnicum intelligere, sequitur propositum.

Si pluralitas dicit maiorem perfectionē, infinitas infinitam.

16. *Intellectus ad infinita applicabilis, est infinitus.*

Hoc vltimum probo: quia requiritur determinata conuersio intellectus, & applicatio ad intelligibile distinctè intelligendum: ergo intellectus, qui ad plura potest applicari, ad quodlibet est illimitatum: & ita qui ad infinita est applicabilis, omnino est illimitatus. Similiter probo propositum, saltem de *intelligere*, ex quo sequitur propositum de intellectu. Nam cùm intelligere *A* sit aliqua perfectio: & intelligere *B* sit similiter aliqua perfectio, nunquam idem *intelligere* est ipsius *A* & *B* æquè distinctè, vt duo essent: nisi perfectiones duorum *intelligere*, includantur in illo. & sic de tribus, & vltrà. Dicetur, quando per eandem rationem intelligendi multa intelliguntur, non concluditur maior perfectio ex pluralitate, quàm ex paucitate. Aliter, quòd ratio de *intelligere* concludit, quando illa plura intelligere, nata essent habere perfectiones distinctas formales, quales non sunt nisi intellectiones diuersarum specierum: tales non sunt infinitæ intelligibiles, sed indiuiduorum, quorum plurium intellectiones, quia non alias perfectiones formales dicunt, non concludunt maiorem perfectionem actus, qui est respectu plurium talium. Contra primum: quia de ipsa ratione intelligendi arguitur, sicut de intellectu & actu: quòd maior perfectio concluditur ex pluralitate illorum, quorum est ratio intelligendi: quia oportet quòd eminenter includat perfectiones omnium propriarum rationum intelligendi, quarum quælibet secundùm propriam rationem aliquam perfectionem ponit; ergo infinitæ infinitam concludunt.

Ratio repræsentans infinita, est infinitè perfecta.

17. *Indiuidua non intelliguntur per suum vniuersale completè.*

Contra secundam responsionem, indiuidua in ratione vniuersalis imperfectè intelliguntur: quia non secundùm quodlibet intelligibilitatis in eis: quia non secundùm quodlibet entitatis positiuæ in eis, sicut in quæstione de indiuiduatione ostendi; ergo intellectus intelligens quodlibet intelligibile secundùm omnem rationem intelligibilitatis positiuæ, intelligit distinctas entitates positiuas plurium indiuiduorum, quæ maiorem perfectionem ponunt in intellectione, quàm intellectio vnius illorum; quia intellectio vniuscuiusque entitatis absolutæ positiuæ, vt est eius, est aliqua perfectio: aliàs illa non existente, intellectus non esset minùs perfectus, nec *intelligere*; ergo non oportet illud ponere in intellectu diuino, quod excluditur per octauam. Item, infinitas intelligibilium specie concluditur ex numeris, & figuris, per Augustinum 12. *de Ciu. cap.* 18.

Secundò, ostendo propositum sic: Causa prima, cui secundùm vltimum suæ causalitatis, causa secunda aliquid perfectionis addit in causando; non videtur sola ita perfectè causare effectum, sicut cum ipsa causa secunda: quia causalitas solùm primæ diminuta est respectu causalitatis simul ambarum; ergo si illud, quod natum est esse à causa secunda & prima, simul sit multò perfectius à sola prima, secunda nihil perfectionis addit primæ: sed omni finito aliud additum, addit aliquam perfectionem; ergo talis causa prima est infinita. Ad propositum, notitia cuiuscunque nata est gigni ab ipso, sicut à causa proxima, & maximè illa, quæ est visio; ergo si alicui intellectui illa inest sine actione quacunque talis obiecti, sed tantummodò ex virtute alterius obiecti prioris, quod natum est esse causa superior respectu talis cognitionis, sequitur quòd illud obiectum superius est infinitum in cognoscibilitate: quia inferius nihil sibi addit in cognoscibilitate: tale obiectum superius est natura prima, quia ex præsentia sola eius apud intellectum primi, nullo alio obiecto concausante, est notitia cuiuscunque obiecti in intellectu, ex octaua huius, & perfectissima, ex secunda huius; ergo nullum aliud intelligibile

Nullum aliud obiectum addit cognoscibilitatem obiecto primo.

aliquid ſibi addit in cognoſcibilitate; ergo eſt infinitum; ſic igitur & in entitate; quia vnumquodque ſicut ſe habet ad *eſſe*, ita ad cognoſci.

18. *Tres inſtantia.* Hîc inſtatur; ergo nulla cauſa ſecunda, quæ eſt finita, poteſt facere notitiam cauſati ita perfectam, ſicut nata eſt cauſari ab ipſomet cauſato, quod falſum eſt; quia cognitio per cauſam perfectior eſt, quàm rei ex ſe ſine cauſa. Item, ex hoc, quòd prima cauſa ita perfectè cauſat ſine ſecunda, ſicut cum illa, non videtur ſequi, niſi quòd perfectionem ſecundæ habet perfectiùs, quàm ipſa ſecunda: hoc non videtur concludere infinitatem; quia finita perfectio poteſt eſſe eminentior perfectione ſecundæ cauſæ.

Item, licèt nihil addat in cauſando primæ cauſalitati ſecundùm vltimum potentiæ: quomodo probatur, quod nihil addit in eſſendo? nam in cauſando lumen in medio, ſi iſte Sol cauſaret quantum medium poſſet recipere, alius Sol nihil adderet ſibi in cauſando; & tamen adderet ſibi in eſſendo, cùm eſſet alius Sol. Ita in intellectu primi eſt notitia, quanta poteſt eſſe ex præſentia primæ naturæ, vt obiecti; ſecunda ergo cauſa nihil addit in cauſando: quia non eſt natum agere in illum intellectum iam ſummè actuatum: ſicut nec alius Sol in medium. Vnde ſi ex hoc probatur nihil addere in eſſendo, videtur conſimiliter argui, quòd terra nihil addat Soli in eſſendo: quia nihil addit in cauſando lumen in medio.

Cauſa non facit ſimplicem notitiã cauſati: nec intuitiuam eius. Ad iſta reſpondeo. Ad primum, quòd quia nihil ſcientificè concluditur de aliquo, niſi in ſe ſimpliciter præconcepto; ideò in ſcientia noſtra quandò cauſatum ſcimus per cauſam, cauſa non facit notitiam cauſati ſimplicem, qualem ipſum cauſatum natum eſſet gignere, ſecundùm Auguſtin. 9. de Trin. cap vlt. *A cognoſcente & cognito paritur notitia*; aut ſi quam ſimplicem poſſet facere, ſed non illam, quæ eſt intuitiua, de qua alibi multùm dixi. Vnde vltra omnem cognitionem per cauſam, aliqua cauſatur, quæ non niſi ab obiecto in ſe cauſatur in nobis. (De Anima quæſt. 12.)

Additio. *Contrà: phantaſma poteſt cauſare ſimplicem cognitionem cauſati, ergo magis ſpecies, vel notitia cauſæ poteſt hoc, quia in iſto perfectius eſt obiectum quàm in illo. Reſpondeo: non ordinatur ad cauſam in cauſando notitiam ſimplicem, ſicut phantaſma ad ipſum, ſi in illo ordine eſt prima cauſa reſpectu cauſatorum. Contrà: igitur non ſicut in eſſendo, ita in cognoſcendo. Reſpondeo, ita in cognoſcibilitate: ſed non in cognoſcibili, quia cognitio dependet ab alio quàm cognoſcibile. cauſa ſicut eſt cauſa in eſſendo, ita & in cognoſcibilitate: quia ens ex ſe eſt cognoſcibile: ſed cauſa non eſt cauſa in cognoſci, niſi mediante cauſa ſecunda, ſcilicet, ipſomet cognoſcibili cauſato priùs. & ſic eo agente ad cognoſci ſui, ſpecies intelligibilis eſt cauſa proxima intellectionis abſtractiua. cauſa obiecti eſt cauſa valde remota. Sit illa* A; *cauſatum cognoſcibile* B; *phantaſma* C; *ſpecies intelligibilis* D; *intellectio abſtractiua* E; *viſio* F; *patet proceſſus.*

Si igitur intellectionem intuitiuam habet Deus de lapide, ipſo nullo modo cauſante, oportet quòd lapis in cognoſcibilitate etiam propria, nihil addat in cognoſcibilitate eſſentiæ primi, per quam lapis cognoſcitur. Cùm igitur infers; nulla cauſa finita facit notitiam perfectam de cauſato. Concedo perfectiſſimam poſſibilem ineſſe nobis. Cùm dicis, cognitio per cauſam eſt perfectior. Dico, quòd in cognitione per cauſam, includitur cognitio effectus ſimplex cauſata ab ipſo: & cognitio complexa cauſatur ſimul à cognitionibus cauſæ & cauſati: & verum eſt quòd à cauſa prima & ſecunda ſimul, eſt aliquid perfectius, quàm à ſecunda ſola. Contrà; à ſola cauſa finiti prima, poteſt eſſe aliquid perfectius, quàm à ſola ſecunda: & à ſola ſecunda eſt ſola viſio eius. Reſpondeo: à ſola prima finita poteſt aliquid eſſe perfectius, quàm à ſola ſecunda: ſed non effectus natus cauſari à ſecunda, vel vt ſecunda, ſed magis vt prima reſpectu cuiuſcunque alterius cauſæ finitæ: quia in cauſando talem cognitionem videtur accidentaliter ordinata ad quamcũque cauſam priorem finitam: quia talis non eſt nata eſſe per cauſam finitam priorem ipſo viſo: quia eſſet, etiam ſi viſum eſſet incauſatum à tali cauſa; vel eſſet ſine omni cauſa priore finita, & intellectus eſſet. 19. *Cauſa finita non facit notitiam perfectiſſimam poſſibilem de cauſato, ſecus de cauſa infinita.*

Eſſe formale cauſæ perfectionem addit cauſæ eminenti finitæ, non infinitæ. Ad ſecundum, licèt cauſa prior finita contineret eminenter perfectionem tota. ſecundæ cauſæ in cauſando, & in hoc excederet ſecundam, quæ tantùm formaliter habet illam: tamen ipſa, vt eminenter habita, & formaliter etiam habita, excedit ſe etiam in cauſando, vt tantùm eminenter habita: & vniuerſaliter quando ipſa vt formaliter; aliam perfectionem addit ſibi vt eminenter, tunc ambo excedunt vtrunque diuiſim. Talis additio eſt quando eminens eſt finitum: quia finitum additum finito facit maius, alioquin non perfectius eſſet vniuerſum, quàm prima natura creata: quia illa ponitur à quibuſdam

quibusdam omnem perfectionem inferiorum eminenter continere, quod ego suprà negaui in vltima secundi.

20. Ad tertium; illa perfectio, quæ vt est causabilis, nata est causari à solo aliquo formaliter tali; quia respectu eiusdem habet rationem, quasi causæ primę ad priores finitas accidentaliter ordinatas; aut solummodò est talis causabilis ab illis finitis, illo formaliter tali concausante: illa perfectio sine illa nunquam potest esse, nisi in virtute alicuius infiniti, cui illud formaliter tale, si addatur, nihil addit in causando: sicut tenet ratio suprapposita: quia si quid adderet, tunc propria ratio causalitatis eius, vt est formaliter tale, deesset illi finito; & ideò à tali formaliter vt tale, dependet, vel ab illo, cui tale nihil addit in causando. Vlteriùs; igitur nec in essendo addit: quia illa causatio eius est propria sibi, secundùm esse formale eius: ergo si in essendo aliquid adderet primo, deesset illa prima causalitas, quæ est eius, vt formaliter tale; & ita non haberet ex se illud eminentius, quod natum est à tali, vt tale est, causari. Patet igitur quòd instantia de Sole nulla: quia si huic Soli aliquid causare competeret inquantum iste, alius illud non causaret, nec in se haberet sine isto, & sic illi aliquid adderet in causando: sicut etiam in essendo; non curo, tunc ad quodcunque passum compares. Breuiter dico, nihil eiusdem rationis cum causabili necessariò ab aliquo, vt est tale formaliter, (necessariò, inquam, ita quòd non aliter potest esse causatum, vel incausatum perfectius causabili) nisi in virtute alicuius, cui hoc vt tale, nihil addit in causando, nec in essendo. Instantia de terra nihil valet: lumen non est natum ab ipsa, vt à causa aliqua, dependere.

Quando causa formalis, aliquid addit perfectionis causæ eminenter?

SCHOLIVM VII.

*Tertiò probat infinitatem ex identitate intellectionis cum substantia, quia nulla finita intellectio sic identificatur. Hanc rationem non habet 1.d.2.quæst.2. sed habet alias omnes hic adductas. Quartò, quia omnis substantia finita est in genere: prima substantia non est, ex 1. dist.8. quæst.3. quia est omnino simplex, ex q.1.ibi. Quintò, probat infinitatem primi entis, ex eius eminentia. Primò, quia repugnat aliquid esse eo perfectius: de quo 1.d.2.q.2.§.*Quarta via,*n.31.& seq. vbi habet Doct. easdem rationes, & verba. Secundò, non repugnat infinitas enti; ergo eminentissimum habet eam. Tertiò, non repugnat quantitati, ergo nec enti. Quartò, intellectus non refugit ab infinito, ergo non inconuenit ei. Quintò, summum cogitabile existit, & illud est Deus secundùm Ansel. Sextò probat infinitatem ex parte finis, quia voluntas non satiatur in aliquo finito, vide Doctorem 1.d.2.q.2.n.31.*

Tertiò, conclusionem nostram sic ostendo: nulla perfectio finita eiusdem rationis perfectioni accidentali, est substantialis; & per consequens, nec infinita: *intelligere* nostrum est accidens, quia essentialiter qualitas; ergo nullum *intelligere* finitum est substantia; sed *intelligere* primi est substantia ex 5.6. & 7. huius. Probatio maioris, quia quæ conueniunt in ratione formali, à qua accipitur differentia, conueniunt in genere, si vtraque perfectio formalis sit finita: quia talis differentia finita in quocunque est, eiusdem generis contractiua est; secus si differentia in vno sit finita, in alio infinita, tunc enim sunt eiusdem rationis secundùm aliquid, quia secundùm rationem formalem: sed illa, vbi est finita, contrahit genus, ideò constitutum per ipsam est in genere; differentia, vbi est infinita, nihil potest contrahere: ideò tale non constituitur in genere. Hoc modo intelligo illud, quòd species transfertur ad diuina, non genus: quia species dicit perfectionem, genus non. Hoc contradictionem includit, si intelligitur de specie tota: quia in eius intellectu essentiali includitur genus. Debet igitur intelligi ratione differentiæ, quæ perfectionem dicit, non sic genus. Hoc benè est possibile, neutrum enim per se includit aliud. Sed nec transfertur differentia, vt differentia, quia sic est finita, & constituit in genere necessariò; sed absoluta ratio differentiæ, quæ absolutè perfectionem dicit indifferentem ad finitum, & infinitum, quæ dicunt modos perfectionis illius entitatis: sicut magis, & minùs in albedine. 21.

Quod est eiusdem rationis cum finito non est infinitū.

Differentia infinita non contrahit genus.

Species transfertur ad diuina non genus: *exponitur.*

Quomodo differentia transfertur ad diuina.

Noui quòd aliqua hæc narrata contradicunt opinionibus aliquorum, sed non hîc assumpsi varias opiniones improbare, alibi locus erit. Iuxta istam tertiam rationem potest fieri quasi similis ratio ècontra, sic: Nulla substantia finita est eadem perfectioni, quæ secundùm rationem suam esset accidentalis, si esset finita, substantia prima est eadem intellectioni, &c. & ita addi potest maiori tertiæ rationis. Nulla perfectio eiusdem rationis cum alia accidentali, est substantialis, vel idem substantiæ: quia genera sunt primò diuersa: & quod vni est accidens, nulli est substantia; ergo *intelligere* nulli substantiæ, quæ est in genere substantiæ est idem: & si hæc est finita, est talis: si non, propositum.

Nulla perfectio accidentalis est idem substantiæ.

Iuxta hoc, propono quartam rationem; Omnis substantia finita est in genere; prima natura non est in genere, ex prima huius; ergo, &c. Maior patet, quia tale 22.

Substantia finita est in genere, secus de infinita.

 conuenit

conuenit cum aliis in conceptu communi substantiæ, & formaliter distinguitur; patet: ergo distinctiuum est idem aliquo modo cum substantiæ entitate, non per identitatem omnimodam, quia eorum rationes sunt primò diuersæ, & neutra infinita, ideò neutra omnino includit aliam per identitatem; ergò fit vnum ex eis, sicut ex contrahente, & contracto, actu, & potentia; ergo genus, & differentia; ergo species. Breuiter sic arguitur, & est idem; Omne realiter conueniens, & realiter differens conuenit, & differt realitate non formaliter eadem; sed nec realitas, quâ conuenit, est illa, quâ differt per identitatem, si non sit altera infinita; & tunc includens vtrumque per identitatem, est infinitum: si autem neutra per identitatem sit altera, sequitur compositio: omne ergo differens essentialiter, & conueniens essentialiter, aut est compositum ex realitatibus formaliter distinctis; aut est infinitum: omne per se existens conuenit sic, & differt: quare si est in se omnino simplex, sequitur etiam quòd erit infinitum.

Quod realiter conuenit, & differt, habet duas realitates, formaliter distinctas, nec vna est eadem alteri realiter, nisi altera sit infinita.

His quatuor viis videtur infinitas posse concludi de Deo, ex tribus mediis sumptis de intellectu, & quarto ex simplicitate in *esse*, quæ est superiùs ostensa.

23. Quinta videtur via eminentiæ, secundùm quam arguo sic: Omni finito est, vel potest esse, aliquid perfectius: eminentissimo incompossibile est aliquid esse perfectius, ex corollario quarto tertij, quare, &c. Minor probatur, quia infinitum non repugnat entitati: omni finito maius est infinitum. Aliter arguitur, & est idem: Cui non repugnat infinitas intensiuè, illud non est summè perfectum, nisi sit infinitum: quia si est finitum potest excedi, quia infinitas sibi non repugnat: enti non repugnat infinitas; ergo perfectissimum est infinitum. Minor huius, quæ in præcedenti argumento accipiebatur, non videtur à priori posse ostendi, quia sicut contradictoria ex rationibus propriis contradicunt, nec potest per aliquid manifestiùs hoc probari, ita non repugnantia ex rationibus propriis, non repugnant. Nec videtur posse ostendi, nisi explicando terminos, vel rationes ipsorum: ens per nihil notius explicatur, infinitum intelligimus per finitum: & hoc vulgariter sic expono: Infinitum est, quod omne finitum datum, secundùm nullam mensuram terminatam, præcisè excedit; sed vltra omnem habitudinem assignabilem adhuc excedit.

Repugnat aliquid perfectius primo ente.

Repugnantia aliquorum quomodo potest probari.

Infiniti descriptio.

Sic tamen propositum suadetur; Sicut quodlibet est ponendum possibile, cuius non apparet impossibilitas, ita & compossibile, cuius non apparet incompossibilitas: hîc non apparet, quia de ratione entis non est finitas, vt apparet ex ratione entis: nec finitum est passio conuertibilis cum ente; alterum istorum requiritur ad repugnantiam prædictam: passiones per se entis, & conuertibiles satis videntur notæ sibi inesse.

Quodlibet possibile, si non patet, esse impossibile.

De ratione entis non est finitas.

Secundò sic suadetur; Infinitum suo modo non repugnat quantitati, id est, in accipiendo partem post partem; ergo nec infinitum suo modo repugnat entitati, id est, impetfectè simul essendo.

Enti non repugnat infinitas.

Tertiò, si quantitas virtutis est simpliciter perfectior quantitate molis: quare erit possibilis infinitas in mole, & non in virtute? quæ si est possibilis, est etiam in actu, ex quarta tertij.

Si infinitas molis est possibilis, & virtutis.

24. Quartò, sic: quia intellectus, cuius obiectum est ens, nullam inuenit repugnantiam intelligendo ens infinitum, immò videtur perfectissimum intelligibile: mirum est autem si nulli intellectui talis contradictio nota foret, vel patens circa primum obiectum eius; cùm discordia in sono ita faciliter offendit auditum: si, inquam, disconueniens statim percipitur, & offendit, cur nullus intellectus ab ente infinitio naturaliter refugit, sicut à non conueniente, sed primum obiectum destruente?

Per illud potest colorari ratio Ansel. de summo cogitabili, intelligenda est descriptio eius sic; *Deus est quo* cogitato sine contradictione, *maius cogitari non potest* sine contradictione: nam in cuius cogitatione includitur contradictio, illud debet dici non cogitabile, & ita est. Duo enim sunt tunc cogitabilia opposita, quæ nullo modo faciunt vnum cogitabile: quia neutrum determinat alterum. Sequitur autem tale summè cogitabile esse in re, per quod describitur Deus.

Prosolo 2.

Dei descriptio ex Ansel.

Quod ostenditur, primò de *esse* quiditatiuo: quia in tali cogitabili summo summè quiescit intellectus; ergo est in ipso ratio primi obiecti intellectus, scilicet, entis, & in summo. Vltrà, de *esse* existentiæ, summum cogitabile non est tantùm intellectu cogitante, quia tunc posset esse, quia cogitabile; & non posset esse, quia rationi eius repugnat esse ab alio, secundùm tertiam, & quartam tertij. Maius igitur cogitabile est illud, quod est in re, quàm quod in intellectu tantùm; non sic intelligēdo, quòd idem si cogitetur, per hoc

Summum cogitabile est infinitū.

hoc sit maius cogitabile, si existat; sed omni quod est in intellectu tantùm, est maius aliquod cogitabile, quod existit.

25. Vel aliter coloratur sic; Maius cogitabile est, quod existit, id est, perfectiùs cognoscibile, quia visibile: quod autem non existit, nec in se, nec in nobiliori, cui nihil addit, non est visibile: visibile autem est perfectius cognoscibile, non visibili, sed tantummodò intelligibili abstractiuè; ergo perfectissimè cognoscibile existit.

Voluntas inclinatur ad bonum infinitum: nec in alio quietatur.

Sexta via ad propositum, ex parte finis, est talis; Voluntas nostra potest omni fine finito aliquid maius appetere, vel amare, sicut intellectus intelligere: & videtur inclinatio naturalis ad amandum summè bonum infinitum, nam inde arguitur inclinatio naturalis in voluntate ad aliquid, quia ex se, & sine habitu promptè, & delectabiliter vult illud: voluntas libera sicut experimur, non videtur in alio perfectè quietari, quàm in amando bonum infinitum. Quomodo illud non naturaliter odiret, si esset oppositum sui obiecti, sicut naturaliter odit non esse?

SCHOLIVM VIII.

Septimò probat infinitatem primi entis ex eius efficientia; quia secundùm Aristotelem mouet motu infinito. Circa quod recitat, & refutat aliorum expositiones, de quo 1.d. 2. quæst. 2. §. Primam viam, *n 25. & Quodl. 9. Ponit duas instantias contra suas improbationes. Ad primam, explicat quomodo simul posse producere plura arguit maiorem perfectionem; & tangit an demonstretur Deum immediatè posse causare omne causabile, sine concursu alterius causæ, de quo 1.d. 42. & quodl. 7. de quo quicquid sit, infert infinitatem ex causalitate primi entis, quia est perfectio causalitate omnium causarum formaliter. Ad secundum, explicat quomodo ex cognitione aliorum in primo ente, colligitur infinitas, & non ex efficientia aliorum à se.*

26. Septima via est ex parte causæ efficientis, quam tangit Aristoteles in 8. *Physicor. text. com.* 78. & 12. *Metaphysic. text. com.* 41. quia mouet motu infinito; ergo habet potentiam infinitam. Hæc ratio coloratur quantum ad antecedens: quia æquè concludditur propositum si posset mouere per infinitum, sicut si mouet: quia idem est ei ipsum esse in actu, & in potentia.

Quod potest habere effectum infinitum, est infinitum.

Quantum ad consequentiam sic: quia si ex se, & non ex virtute alterius mouet infinito motu; ergo non ab alio accipit sic mouere: sed in sua vi actiua habet suum effectum simul, quia independenter: quod simul habet virtualiter effectum infinitum, est infinitum: ergo, &c.

Aliter coloratur ratio: quia primum mouens simul habet in virtute sua omnes effectus possibiles produci per motum: illi sunt infiniti, si motus infinitus: ergo, &c. Mihi non videtur consequentia probari benè. Non primo modo, quia duratio maior nihil perfectionis addit; quia non perfectior est albedo, quia vno anno manet, quàm si vno die maneret; ergo motus quantæcunque durationis, non est perfectior effectus, quàm motus vnius diei: ergo agens ex hoc, quòd habet in virtute actiua effectum simul, vel non, non concluditur maior perfectio hîc, quàm ibi: nisi quòd agens diutiùs mouet ex se: & ita esset ostendendum, quòd æternitas agentis concluderet infinitatem eius: aliàs ex infinitate motus, non potest concludi. Tunc vltima propositio colorationis negatur, nisi de infinitate durationis.

Maior duratio an auget perfectionem.

Secundus color abluitur, quia non maior perfectio intensiua concluditur ex hoc, quòd agens, quodcunque eiusdem speciei potest producere successiuè quandiu manet, quia quod potest in vnum tale, vno tempore, eadem virtute potest in mille, si mille temporibus maneat. Non est autem apud Philosophos possibilis infinitas, nisi numeralis effectuum producibilium, per motum, id est, generabilium & corruptibilium: quia in speciebus infinitatem non ponebant. Sed si quis alius probet infinitatem specierum possibilium, probando aliquos motus cœlestes esse incommensurabiles, & ita nunquam posse redire ad vniformitatem, etiam si per infinitum durarent: & infinitæ coniunctiones specie causarent infinita generabilia, & corruptilia specie, de hoc quicquid sit in se, sed nihil ad intentionem Aristotelis, qui infinitatem specierum negaret.

Plura producere successiuè, an augeat perfectionem. Infinitatem specierum non admittunt Philosophi.

Obiicitur hîc vlteriùs, inquirendo quomodo in primo argumento nitebatur concludere infinitatem: quia essentia diuina est causa cognoscendi: & hîc negas hoc posse concludi ex hoc, quòd est causa essendi infinita; quasi maius sit facere aliquid esse cognitum, quàm ens verum? Item, quomodo in secundo argumento concludere voluisti infinitatem, ex hoc solo, quòd natura primi, est totalis ratio cognoscendi, vel videndi aliam naturam singularem: & negas hoc hîc posse concludi, ex hoc, quòd est ratio totalis essendi respectu eius? nam saltem proximæ naturæ sibi est totalis causa essendi. 27.

Plura simul producere quando arguit maiorem perfectionem?

Ad primum, quicquid potest aliqua multa simul, quorum quodlibet requirit aliam perfectionem propriam, illud con

concluditur perfectius ex pluralitate talium: ita est de *intelligere* infinita simul, & ita concederem, si probares quòd posset causare simul infinita, quòd esset virtus infinita, non ita successiuè. Contrà, quia simul habet, & quantum est ex se, simul posset; sed natura effectus non permittit. Exemplum, sicut non potens causare album, & nigrum simul, non minùs est perfectum, quia illa non sunt causabilia simul: hoc enim est ex ipsa repugnantia, non ex defectu agentis. Respondeo, non est probatum, quòd primum est tota causa illorum infinitorum, & quòd simul habeat totaliter illa: quia non est probatum ex causalitate efficientiæ, quin causa secunda sit necessaria propter aliam causalitatem correspondentem suæ propriæ formalitati. Contra hoc benè probatur, quòd habet eminenter omnem causalitatem secundæ causæ, etiam propriam illi: licèt non sit probatum, quòd illa vt formaliter, nihil addat sibi, vt eminenter: habet igitur eminenter omnem causalitatem simul respectu omnis effectibilis, etiam infinitorum: licèt ista fiant successiuè. Respondeo, hoc est vltimum, quod colorat dictam consequentiam Aristotelis, quantum video, & ex isto probo infinitatem sic:

Posse Deũ omnia producere immediatè, an demonstretur, quodl. 7. & 1. d. 42.

28\. *Primum ens foret infinitum si haberet causalitatẽ omniũ causarum formaliter.*

Si primum haberet omnem causalitatem formaliter, & simul, licèt non possent causabilia simul poni in *esse*, esset infinitum; quia simul, quantum est ex se, posset infinita; & posse simul plura, concludit maiorem potentiam intensiuè; ergo si habet perfectius, quàm si haberet omnem causalitatem formaliter, magis sequitur infinitas intensiua: si habet omnem secundùm totum, quod est in ipsa eminentius, quàm sit in ipsa formaliter; ergo est infinitæ potentiæ intensiuè. Licèt igitur omnipotentiam Dei propriè dictam, secundùm intentionem Catholicorum, vsque ad tractatum de creditis distulerim: tamen illâ non probatâ, infinita potentia probatur, quæ simul ex se eminenter habet omnem causalitatem, quæ simul quantum est ex se, si esset formaliter, posset in infinita si essent simul factibilia.

Additio. *Tamen negaretur infinitas intensiua concludi in causa, ex virtute simul habita respectu infinitorum, nisi sit totalis causa; ita quòd simul, quantum est ex se, posset causare infinita, vt totalis causa, non egens causis secundis: quod vnde probari possit ex primitate efficientiæ, non video: quamuis verum esse in se non dubitem. Vnde omnipotentia, sicut nos intelligimus, hoc est, quòd omne possibile possit immediatè producere, nulla alia causa concausante, vnde probetur, non video. Ponerem conclusionem illam, si probationem viderem per rationem, quia hîc ex auctoritatibus non procedo, sicut prædictum est in secunda via, ad infinitatem. Idem eminenter, & formaliter excedit se, vt eminenter tantùm, nisi vt eminenter sit infinitum: quia si finitum, ipsum, vt formaliter, aliquid addit; ita quòd ambo sunt perfectiora alterutro, licèt vt eminenter præcisè, sit perfectius seipso, vt formaliter præcisè. Qui scit probare per rationem omnipotentiam secundùm intellectum Catholicorum, de ipsa habet medium secundùm deductionem iam hîc pertractatam. Suppleat hîc, qui potest.*

Si obiicitur, primum non posse ex se simul infinita, quia non est probatum, quòd sit totalis causa infinitorum. Hoc nihil obstat, si enim haberet simul vnde esset causa totalis, nihil esset perfectius, quàm nunc sit: sic quando habet vnde sit prima tantùm, quia illæ duæ causæ non requiruntur propter perfectionem addendam in causando, quia tunc remotius esset perfectius, quia perfectiorem causam requireret: sed si requiruntur secundùm Philosophos, hoc est propter imperfectionem effectus, vt primum cum alia causa imperfecta posset causare imperfectum, quod secundùm ipsos non posset immediatè causare; tum quia perfectiones totę secundùm Aristotelem eminentiùs sunt in primo, quàm si ipsæ formalitates earum sibi inessent, si possent inesse, & sic videtur posse concludere ratio Aristotelis de potentia infinita. 29. *Causa secunda requiritur secundùm Philosophos propter imperfectionẽ effectus.*

Ad secundum obiectum similiter dico, quòd quia essentia diuina sola est ratio videndi lapidem perfectè; sequitur quòd lapis nihil perfectionis addat illi essentiæ: non sequitur hoc, si esset ratio causandi lapidem immediatè, etiam, vt tota causa: nam respectu supremæ naturæ, prima causa est totalis causa: quæ tamen cùm sit finita, non concludit infinitatem primæ causæ respectu ipsius: non est autem probatum, quòd respectu aliorum sit totalis causa; ergo, &c. *Quare ex cognitione aliorũ colligitur infinitas primi entis, & nõ ex causatione eorũ.*

SCHOLIVM IX.

Secundùm vltimam viam efficientiæ, alij ponunt primum ens, infinitum, quia creat, reiicitur; & ostendit inter esse*, & non* esse*, tantam esse distantiam, quantum est alterius extremi* esse*, vel perfectio; non ergo distantia infinita inter* esse *finitum, & non* esse*, nec inter contradictoria ex talibus, de quo Doct. 1. d. 2. quæst. 2. & d. 19. & 4. d. 1. quæst. 1. Alij, vt Diuus Thom.*

Thom. 1. par. quaest. 7. art. 1. & 2. probant conclusionem principalem, ex negatione causae intrinsecae, sed hoc reiicit Doctor, alioquin Angelus esset infinitus; quia secundùm eos saltem non habet causam intrinsecam, sed secundùm Doctorem non improbabile est habere, de quo q. 15. de Anima, vbi in commentario id fusè tractaui.

30. Iuxta hanc viam efficientiae arguitur; quia creatur: inter creationis extrema est distantia, sic quòd nullo alio à se praesupposito, deducit aliquid de *non esse* ad *esse*; & sic reducit aliquid ex distantia infinita. Sed hoc antecedens ponitur creditum, & verum est, vt *non esse* quasi duratione, praecedat *esse* secundùm fidem, & vt quasi natura, secundùm Auicennam. Antecedens ostenditur ex decima nona tertij: quia saltem prima natura post Deum est ab ipso, & non à se; nec potest esse ab eo aliquo praesupposito. Nam, vt iam dictum est, effici non requirit mutari, sed sic accipiendo prius naturâ, *non esse*, quàm *esse*, solum *esse* est extremum mutationis, quod causat illa virtus. Vnde quicquid sit de antecedente, consequentia non probatur: quia quando inter extrema nulla est distantia, sed ipsa dicuntur distare per se ratione altetius extremi, tanta est, quantum extremum illud. Exemplum: Deus distat in infinitum à creatura, quia est infinitus.

6. Metaph. cap. 1. *Creationem aeternā admittit Philosophus.*

Vltimò ostenditur propositum ex negatione causae intrinsecae: quia forma finitur per materiam; ergo quae non est nata esse in materia, est infinita Hoc reputo nihil valere, quia, secundùm ipsos, Angelus; qui est immaterialis, non est infinitus natura. Nunquid *esse* posterius essentia, secundùm ipsos, essentiam finitabit? Vnde quaelibet entitas habet gradum intrinsecum perfectionis, non per aliud ens. Et si forma finitur ad materiam; ergo si non ad illam, nòn finitur: fallacia est Consequentis. Corpus finitur ad corpus; ergo si non ad corpus, est infinitum. Sophisma est tertij Physicorum: quia corpus priùs in se finitur, ita forma finita priùs in se, finita est: quia scilicet priùs est talis natura in entibus, quàm finiatur per materiam: nam secunda finitas praesupponit primam, & non causat eam; priùs ergo in aliquo signo naturae est essentia finita; ergo non est finibilis per *esse*; ergo in secundo signo non finitur per *esse*. Breuiter dico vnam propositionem, quòd quaecunque essentia absolutè finita in se est finita: vt praeintelligitur omni comparationi sui ad aliam essentiam.

Extrema sine medio tantum distant, quantum perfectius extremum habet perfectionis.

Forma priùs in se finita, quā per materiam.

SCHOLIVM X.

Decima conclusio ex infinitate probata conclusione nona, ostendit primum ens omnimodam habere simplicitatem, omnémque excludere compositionem. Probat. primò, de compositione essentiali. Secundò, de quantitatiua, vbi examinat rationem Aristotelis 8. Physicor. scilicet an potentia infinita possit esse in magnitudine, *& quam vim habet ad propositum; de quo fusiùs agit 1. d. 8. quaest. 1. vbi num. 3. illam etiam rationem tractat. Tertiò, probat de accidentali, quia primum ens nullius accidentis capax est, de quo ibi, num. 4.*

Ex infinitate sequitur omnimoda simplicitas, primò, intrinseca, essentialis. Conclus. 10.

31. Quia aut componeretur ex finitis in se, aut ex infinitis. Si primum, ergo finitum, si secundum, ergo pars non minor toto. Secundò, quòd non componitur ex partibus quantitatiuis, probatur ex hoc, quòd infinita perfectio non est in magnitudine finita: quia in maiore esset maior virtus. Infinito autem nihil maius. Nec in magnitudine infinita, quia infinita magnitudo esse non potest. Haec est ratio Philosophi 8. *Physicor. text. comm.* 78. & 12. *Metaphysicor. text. com.* 41. Sed instatur: quia perfectio infinita esset eiusdem rationis in toto, & in parte, & ideò non in maiori maior: sicut modò anima intellectiua est perfectissima forma, & ita perfecta est in modico corpore, sicut in magno; & in parte corporis, sicut in toto: & si ipsam secundùm suam essentiam consequeretur infinita potentia, scilicet intelligendi infinita intelligibilia, ita sequeretur eam in magnitudine modica; quòd si maior poneretur, non esset maior potentia, haec igitur negatur, *Omnis potentia in magnitudine, maior est in maiori.* Ratio Aristotelis coloratur per hoc, quòd probat perfectionem, vel potentiam infinitam non esse in magnitudine, sic quòd extendatur per accidens, quòd scilicet pars sit in parte; quia tunc maior esset in tota, quàm in parte, quantum ad efficientiam in operando: licèt non secundùm intensionem in se, sicut patet de igne magno, & parte eius, & ita sequitur, quòd in magnitudine finita, non est potentia infinita secundùm efficientiam, & hoc extensa; ergo nec secundùm intensionem in se infinita. Haec consequentia secunda patet; quia non concluditur infinitas in se, nisi ex infinitate in efficientia, sed quòd primum sequitur, ostenditur dupliciter.

Infinita perfectio an possibilis in magnitudine finita?

Exponitur ratio Aristot.

Primò, quia in qualibet parte aliquota magnitudinis finitae, est potentia finita secundùm efficientiam: aliàs pars non esset minor toto; ergo in toto est finita, quia com

Compositū ex finitis necessario, finitum.

compositum ex finitis in se, & finities sumptis, est finitum.

Crescente magnitudine, an crescat eius efficientia? Secundò sic: quia si intelligitur magnitudo crescere, crescet potentia: sic scilicet quòd secundùm efficientiam: igitur priùs fuit finita, & semper est, quamdiu intelligitur posse crescere quod semper est, dum est in magnitudine finita: igitur nunquam intelligitur impossibilis crescere, nisi sit in magnitudine infinita; & ita nec aliàs est infinita secundùm efficientiam; ergo nec secundùm intensionem.

32. *Applicat rationem ad propositum, vide eum 1. d. 8. quæst. 1.* Sed quid ad propositum, quòd potentia infinita intensiuè, non extenditur per accidens, ita quòd pars sit in parte magnitudinis, quomodo hinc sequeretur quòd omnino non sit in magnitudine? suppletur vltima ratio sic: Extensio extendit aliquid, quod est subiectum, & non illam perfectionem infinitam, nec materiam, cuius illa sit forma, sicut intellectiua est corporis: quia illa perfectio non est in materia, ex prima huius; ergo, &c. Vnde & ante istam probationem, probat Philosophus non esse eius materiam 12. *Metaph. text. comm.* 30 & virtute illius conclusionis prioris, & istius, sequitur propositum sufficienter. Propositum sic probatur breuiùs: Intelligere non est subiectum extensionis: prima natura est intelligere, ex sexta huius, & non receptum in materia, quæ potest dici quanta, ex prima huius.

Additio. *Item, quantum est diuisibile; ergo posita diuisione, saltem in intellectu, quæro si vtraque pars sit Deus? si sic, ergo totum non est Deus, quia pars prior toto: si non vtraque, ergo non fuit infinita perfectio, in quacunque parte quanti; ergo ipsa fuit extensa: & sic maior in maiori, & non infinita, nisi in magnitudine infinita. Contrà: sic argue de homine diuiso; ergo plures homines, non sequitur. Respondeo: anima requirit corpus organicum: vt primum perfectibile, habens magnam differentiam organorum propter operationes varias exercendas: sed Deus si est quantus, nullum actum habet, nisi intelligere & velle, quæ vniformiter sunt, vt forma est in toto, & vt in parte, ponendo partem quantitatis. Hoc probatur, quia* intelligere *est idem naturæ primæ; ergo nulla operatio illi inest incompossibilis ipsi* intelligere.

Anima petit corpus organicum, vt primum perfectibile.

33. *Primũ ens non componi accidentaliter.* Tertiò, ex hoc concluditur, quòd non est componibilis alicui accidenti: quia omne perfectibile caret, secundùm se, entitate perfectionis, aliàs non esset in potentia ad ipsam: ideò perfectio additur perfectibili, & totum est aliquid perfectius altero vnitorum: infinito nihil deest: & nihil perfectionem addit, quod sit vnibile ei. Tunc enim infinito aliquid maius esset. Secundò, quia accidentia materialia sibi inesse non possunt: quia non est quantus: accidentia immaterialia pertinentia ad intellectum, & voluntatem, non sunt in ipso: quia quæ videntur ibi maximè accidentia, sunt idem sibi: vt *intelligere*, & *velle*, ex sexta huius. *Accidentia inesse non possunt primo enti.*

Alia rationes ad idẽ, reiiciuntur. Aliter arguitur ad hoc, quòd in primo nihil est per accidens, quia *per se* ante omne *per accidens*; in primo nihil est causatum, in primo nulla est potentia. Hoc ostendit, quòd accidentia non sunt de essentia primi: non autem quòd non insunt ei accidentaliter. Primum non, quia in essentia primi, quæ prima est, nihil esset per accidens, licèt aliquid aliud ab ipsa accidentaliter sibi inesset: & ideò illo per accidens esset per se prius: quia essentia prima esset prior illa vnione accidentis ad se. Secundum non, quia essentia prima esset incausata, licèt aliquod causatum ipsam accidentaliter informaret: quælibet enim essentia substantiæ creatæ non est causa sui, licèt aliqua sit causa sui accidentis. Tertium non, quia potentia ad accidens, est potentia secundùm quid. Vnde ostenditur, quòd non possit esse in aliquo, quod in essentia sua est tantùm actus.

Nihil est in primo, nisi perfectio simplex. Aliter arguitur, quia nihil est in primo, nisi perfectio simpliciter, ex secunda, & tertia huius: quælibet talis est idem essentiæ illi: aliàs illa non esset optimum ex se: vel plura simpliciter optima.

34. *An vna perfectio simpliciter, melior alia? 1. d. 8. q. 1.* Non concludit, quia sicut patet per illud, quod dictum est in quarta huius, probatione quinta, non repugnat rationi perfectionis simpliciter, quòd sint multæ perfectiones simpliciter, & quælibet summa in suo gradu; & tamen vnum summum melius alio, & omnibus illis simul sumptis: & quolibet eorum melius esset essentia primi, licèt nulla earum sit eadem sibi, sed inhærens tantùm: quia non sequitur, est denominatiuum melius quolibet sibi incompossibili, & est secundùm suam rationem in summo; ergo simpliciter optimum: sed tantùm sequitur; ergo est optimum totius illius generis, in quo est ipsum, & denominatiua sibi incompossibilia. Sed si omnes perfectiones, quæ dicuntur simpliciter, includerent se per identitatem, quicquid haberet vnam perfectiùs alio, & aliam sic haberet: consequens est falsum: materia enim est magis necessa- *Materia magis necessaria, quàm forma, sed minùs perfecta.*

necessaria, quàm forma; tamen minùs est actus, accidens minùs independens quàm substantia, tamen simplicius ipsa. Similiter cœlum est incorruptibilius mixto, tamen nostrum corpus animatum nobilius est, inquantum animatum. Ideò sequitur, quòd differunt perfectiones simpliciter præter aliquas, quæ sunt passiones entis, & inter se, & à subiecto fortè; & vna intensè habetur, alia non intensè, vel omnino non habetur.

35. *Accidens magis dependens quàm substantia, sed simplicius ea.*

Sed nec prima propositio huius rationis quartæ est ostensa: nec illa secunda, quæ allegatur, scilicet quòd perfectio quælibet simpliciter, est idem essentiæ illi, scilicet summæ: non probat de accidente inhærente, sed de intrinseco naturæ summæ. Si autem accidens poneretur in summo ab aliquo proteruo, difficilè esset contra ipsum ostendere, illud non esse perfectionem simpliciter: quia quandoque nobiliores naturæ denominantur à denominatiuo minùs nobili, & minùs nobiles à nobiliori, quod dicitur perfectio simpliciter.

Nobilior natura quandoque denominatur à denominatiuo minùs nobili: & è conuerso.

Exemplum, materia prima est simplex, homo non est simplex, simplicitas est denominatiuum tale. Immò difficile esset ex istis quatuor mediis vltimis, & fortè impossibile probare, quòd non sit accidens in primo per accidens, contingenter inhærens, & secundùm quod possit per accidens mutari, siue à se, siue ab alio posteriori: quia voluntas nostra ponitur ex se mutari ad aliquid velle: licèt ponatur prima causa respectu actuum nostrorum. Si benè probata esset in primo simplicitas accidenti repugnans, secunda conclusio esset valida. Si tibi duæ probationes primæ hîc positæ non placeant, afferas meliores.

Cóclus. 2. scilicet de mutatione.

SCHOLIVM XI.

Recolligendo dicta in hoc tractatu, mirabilem facit contemplatiuum discursum, diuinas percurrens perfectiones, illuminans quidem intellectum, sed magis accendens affectum. Mente certè in Deum eleuatus, vel solita ecstasi raptus, altissimam hanc contemplationem super creata omnia, longè exaltatam, perfectiones magni numinis minutim, & exactè perscrutantem, efformasse videtur. Nectar est suauissimum, cibúsque dulcissimus, quibus anima deuota, sed Theologica, pascatur, delectetur, & inebrietur. Feruentissima oratio est, miris modis mentem incitans, vt relictis terrenis, in Deum suum, celeri volatu ascendat. Vtinam quotidie Fratres Theologi eam recitassent: sentirent proculdubio scintillis diuini amoris suas accendi mentes, doctique euaderent doctrice gratiâ, non scientia inflante, sed magis ædificante charitate.

36. Domine Deus noster plurimas perfectiones à Philosophis de te notas, possunt Catholici vtique concludere ex prædictis. Tu primum efficiens. Tu vltimus finis. Tu supremus in perfectione, & cuncta transcendens. Tu penitùs incausatus, ideò ingenerabilis, & incorruptibilis, immò omnino impossibile non esse; quia ex te necesse esse; ideóque æternus, quia interminabilitatem durationis simul habens sine potentia ad successionem: quia nulla successio potest esse, nisi vel in continuè causato, vel saltem in essendo ab alio dependente: quæ dependentia longè est à necessariò ex se, in essendo. Tu viuus vita nobilissima, quia intelligens & volens. Tu beatus, immò essentialiter beatitudo, quia tu es comprehensio tui ipsius. Tu visio tui clara, dilectio iucundissima: & licèt in te solo beatus, & tibi summè sine aliis sufficias, tu tamen omne intelligibile simul actu intelligis. Tu omne causabile contingenter, & liberè simul potes velle, & volendo causare: verissimè ergo es infinitæ potentiæ. Tu incomprehensibilis, infinitus: nam nihil omne sciens, est finitum; nihil potentiæ infinitæ est finitum; nihil supremum in entibus, nec finis vltimus est finitum; nec per se existens simplex penitus, est finitum. Tu es infinitæ, & summæ simplicitatis, nullas partes habens re distinctas; nullas realitates in essentia tua habens realiter, non easdem. In te nulla quantitas, nullum accidens, potest inueniri: & ideò es secundùm actum, non mutabilis: sicut te in essentia tua immutabilem esse superiùs iam expressi. Tu solus simpliciter es perfectus; non perfectus Angelus, aut corpus: sed perfectum ens, cui nihil deest entis possibilis alicui inesse. Non potest omnis entitas alicui formaliter inesse: sed potest in aliquo formaliter, vel eminenter haberi: quomodo tu Deus habes, qui es supremum entium: immò solus in entibus, infinitus. Tu bonus sine termino: bonitatis tuæ radios liberalissimè communicans, ad quem amabilissimum singula suo modo concurrunt, vt ad vltimum suum finem. Tu es intelligibilis sub perfectissima ratione intelligibili. Tu es tuo intellectui præsens. Tu solus es veritas prima: quippe quod non est quod apparet, falsum est; ergo est aliud sibi ratio apparendi: quia si sola eius natura esset sibi ratio apparendi, appareret esse quod est. Tibi nihil est ratio apparendi; quia omnia apparent in tua essentia, tibi primitùs apparente: ac per hoc nihil tibi posterius est ratio apparendi.

Deus quia necesse esse æternus.

Quæ Dei vita?

Deus sua beatitudo.

Infinita Dei potentia.

Dei infinitas, simplicitas.

Nihil entis deest Deo.

Solus Deus infinitus.

Deus finis vltimus.

Deus solus veritas prima.

In

37. In illa, inquam, eſſentia omne intelligibile ſub perfectiſſima ratione intelligibilis, eſt intellectui tuo præſens. Tu es igitur intelligibilis, præclariſſima veritas, & veritas infallibilis, & veritatem omnium intelligibilium certiſſimè comprehendens. Non enim alia, quæ in te apparent, ideò tibi apparent vt te fallant, quia in te apparent: quia hæc ratio apparendi non prohibet propriam rationem oſtenſi per ipſam tuo intellectui apparere. Sicut noſter viſus fallitur, quando extranei apparentia prohibet illud, quod eſt apparere. Non eſt ita in tuo intellectu: immò tua eſſentia apparente, quodlibet in te relucens ex eius perfectiſſima claritate ſecundùm propriam rationem apparet. De veritate tua, & ideis in te, non eſt opus ampliùs pertractandi propter propoſitum meum exequendum. Multa de ideis dicuntur, quibus tamen nunquam dictis, immò nec nominatis ideis, non minùs de tua perfectione ſciretur. Hoc conſtat, quia tua eſſentia eſt perfecta ratio cognoſcendi quodcunque cognoſcibile, ſub quacunque ratione cognoſcibili. Appellet *ideam*, qui vult: hîc non intendo circa Græcum illud, & Platonicum vocabulum immorari. Præter prædicta de te, à Philoſophis probata, ſæpè Catholici te laudant omnipotentem, immenſum, vbique præſentem, verum, iuſtum, & miſericordem; cunctis creaturis, & ſpecialiter intelligibilibus prouidentem, quæ ad tractatum alium proximum differentur. In hoc quippe tractatu tentaui, quomodo *Phyſica*, de te dicta, ratione naturali aliqualiter concluderentur. In ſequenti, ſcilicet in *Theorematibus* ponentur credibilia, quibus, vel ad quorum aſſenſum, ratio captiuatur: quæ tamen eo ſunt Catholicis certiora, quo non intellectui noſtro cæcutienti, & in pluribus vacillanti; ſed tuæ ſolidiſſimæ veritati firmiter innituntur, vnum tamen eſt, quod hîc pono, & in quo hoc opuſculum conſummabo.

Viſus noſter, nō Dei fallitur.

Non tanti facit ideas 1.d.35.

Eſſentia Dei omnia repræſentat perfectiſſimè.

*Cod. Vatic. Metaphyſica. *Theoremata ſcripſit poſt hunc tractatum.*

SCHOLIVM XII.

Vltima concluſio continet intentum totius tractatus, nempe, Deum eſſe vnum numero; idque ratione naturali oſtendi. Pro quo adducit quinque rationes optimas. Idipſum probat fuſiùs contra Vuarronem ſeptem viis 1. d.2. quæſt. 3. Tandem concludit, ſicut incepit, & continuauit, feruenti, & deuota mentis Deum aſcenſione, de quo hactenus dicta, ſupra humanum, vt videtur, ingenium, ſpecialibus eiuſdem Dei adiutus auxiliis, ſubtiliſſimè diſputauit.

Concluſ. 11. *Quod ſcilicet vnus Deus ſis, extra quem non eſt alter, ſicut per Prophetam dixiſti.*

Ad quod oſtendendum non puto deficere rationes. Ad hanc concluſionem propoſitiones quinque propono, quarum quælibet probata, infert propoſitum principale. Prima eſt, *Vnicus tantùm numero eſt infinitus intellectus.* Secunda, *Vna numero tantùm eſt infinita voluntas.* Tertia, *Vna numero tantùm eſt infinita potentia.* Quarta, *Vnum numero tantùm eſt neceſſe eſſe.* Quinta, *Vnica ſola eſt bonitas infinita.* Quòd ex qualibet harum ſequatur propoſitum, ſatis patet. Probantur per ordinem. Probatur primò prima; Infinitus intellectus quodlibet perfectiſſimè ex ſe intelligit, hoc eſt quantum ipſum eſt intelligibile; & intelligendo à nullo alio dependet: quia tunc non eſſet infinitus. Si duo ſunt intellectus infiniti, ſint *A*, & *B*. In vtroque deficiet perfecta intellectio independens: nam *A* ſi intelligat *B* per *B*, dependet in intelligendo *B*, ab ipſo *B*, ſicut actus ab obiecto, quando non eſt idem ſibi. Si autem *A* per ſe intelligit *B*, & non per *B*, non ita perfectè intelligit *B*, ſicut *B* eſt intelligibile: quia nihil eſt perfectiſſimè præſens, niſi vel in ſe, vel in aliquo eminentiſſimo continente: ipſum *A* non continet *B*. Si dicatur, quòd eſt ſimile. Contrà: cognitio per ſimile eſt tantùm cognitio in vniuerſali, inquantum aſſimilantur: per hoc non cognoſcentur propria, in quibus diſtinguuntur. Hæc etiam cognitio in vniuerſali non eſt intuitiua, ſed abſtractiua, & intuitiua eſt perfectior. Item, idem actus non habet duo obiecta adæquata: *A* adæquatur ſibi: ergo non intelligit *B*. 38.

Deum eſſe tantùm vnum.

Repugnat eſſe duos intellectus infinitos.

Nihil perfectè intelligitur, niſi per ſe, vel per id in quo continetur.

Cognitio per ſimile eſt tantùm in vniuerſali.

Secundò probatur ſecunda propoſitio, de voluntate infinita: Ipſa ſummè amat ſummè amabile; ergo, &c. Ex hoc ſic: *A* ſummè amat ſummè amabile: ſed *A* non ſummè amat *B*, cùm naturaliter magis amet ſe; ergo ſimiliter voluntate libera, & recta ſic amat: tum quia beatus eſſet in *B*, quo deſtructo nihil minùs eſſet beatus. Item, impoſſibile eſt idem poſſe in duobus beatificari, quod ſequitur ex datis: nam ipſo *B* non vtitur *A*; ergo fruitur; ergo in ipſo *B* eſt *A*, beatus.

Repugnat duas eſſe voluntates infinitas.

Repugnat beari in duobus.

Tertia propoſitio de potentia infinita, ſic probatur. Omnipotens contingenter vult omne aliud à ſe, ſaltem cauſabile; poteſt ergo *A* velle hoc, & *B* nolle; ergo hoc erit, & non erit: vel alter erit non omnipotens. Ita tenet ratio Richardi quòd vnus poſſet facere alium nullipotentem, non deſtruendo ipſum in ſe, ſed deſtruendo ipſum volendo oppoſitum. Nec eſt fingere, quòd neceſſariò velint concorditer, 39.

Si duo eſſent omnipotentes, vterque eſſe poſſet nullipotens.

diter, cùm habeant voluntates idem contingenter, & liberè, respicientes. Item, *A* velit hoc, & *B* velit hoc, non erit à duobus, ita quòd vtrumque sit totalis eius causa, impossibile est enim esse duas causas totales eiusdem: quia tunc dependeret ab illo essentialiter, sine quo æquè posset esse, nec hoc erit ab altero illorum, & reliquo non: quia habent voluntates æquè potentes; ergo hoc non erit; ergo neuter est omnipotens. Sic probatur de potentia infinita: si essent duæ potentiæ infinitæ, vtraque esset prima respectu eorundem, quia dependentia essentialis est ad naturam, & æquè ad quodlibet in natura: ad duo prima non possunt eadem dependere, ex sextadecima tertij: non igitur est pluralitas principatuum bona: quia aut impossibilis; aut vterque princeps erit diminutus, & principans imperfectè. Et tunc est quærere virtute cuius vnius, coniunguntur in principando.

Repugnat aliquid esse à duabus causis totalibus.

Idem nequit depēdere ad duo prima.

40. Quarta propositio de *necesse esse* sic probatur: Species multiplicabilis ex se, est multiplicabilis in infinita: ergo si *necesse esse* potest multiplicari, possunt esse talia infinita; ergo & sunt; quia quodcumque necessarium, nisi sit, non potest esse.

Species multiplicabilis potest habere infinita indiuidua.

Quinta propositio de bono, sic ostenditur: Plura bona sunt meliora vno, quando vnum alteri addit bonitatem: infinito nihil melius. Iuxta hoc, sic arguitur: Quæcumque voluntas omnino in bono infinito vnico quietatur: sed si esset aliud, posset rationabiliter velle magis ambo esse, quàm vnicum; ergo non omnino quietaretur in vnico summo bono. Possent alia media adduci; sed ad præsens ista sufficiant.

Si essent duo infinita bona, voluntas nō quietaretur in vno.

Domine Deus noster, Tu es vnus naturaliter, Tu es vnus numeraliter. Verè dixisti, quòd extra te non est Deus. Nam etsi sint dij multi nuncupatiuè, & putatiuè: sed tu es vnicus numeraliter, Deus verus, ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. Tu es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTAT. MAVRITII.

41. Sequitur quartum capitulum; in quo pertractat de proprietatibus absolutis primi principij, & ponit conclusiones per ordinem ad propositum ostendendum; quarum prima est de simplicitate eius: de qua habes diffusè, 8. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *& sequentibus.* De gradibus etiam compositionis, & simplicitatis, quære vt nosti apud Formalistas, & super 8. *&* 10. *Metaphysic.* Vide Guillelmum Occham *distinct.* 1. *tertij, quæst.* 8. singulariffimè. Ostendit ergo simplicitatem Dei hîc per negationem compositionis rerum, & realitatum, seu Physicæ, & Metaphysicæ, & instat contra se notanter: & soluit. Infrà verò *conclusione decima huius capituli*, ostendit simplicitatem omnimodam eius: vt in primo vbi suprà. Vbi aduertendum, quòd quodlibet ad intra in diuinis, est formaliter necesse esse, licèt non à se: ex se tamen. Et ideò licèt relationes diuinæ non sint formaliter quantæ, sunt tamen formaliter necesse esse. Non tamen ex hoc sequitur, quòd persona diuina sit bis necesse esse, vt instantia illa infert. Et licèt quibusdam videatur, quòd non benè soluatur, nec quòd argumentum contra quod adducitur, procedit sufficienter: dicendum nihilominùs cum Doctore, qui altiùs volauit, quòd ipsi non benè vident: quia sicut ponit Doctor quamlibet perfectionem diuinam esse formaliter infinitam, propria infinitate; ex quo tamen non sequitur personam habentem huiusmodi duas perfectiones, esse bis infinitam, eo quòd sicut omnes perfectiones transeunt in vnam realiter, ita omnes infinitates: ita hîc dicendum est de *necesse esse*. Numeratio ergo talis quærit distinctionem rerum, vel realitatum. Potest tamen concedi, quòd persona talis habet in se plures rationes formales, vnde sit infinita, & necesse esse.

Conclus. 1. Omne ad intra in Deo est formaliter necesse esse.

Et si arguas, sicut in simili solet sæpè arguere Doctor: quòd tunc aliquid esset infinitum, vel necesse esse, aliquo, quo nō posito, nihilominus esset infinitum, vel necesse esse. Dico, vt ipse (2. *dist.* 1. *q.* 3. *&* 4.) dicit, quòd ibi potest intelligi implicatio compossibilium, vel incompossibilium. Primo modo procedit argumentum, & ita Doctor arguit *quæst. de Vnitate Dei, & q.* 5. *Quodlibeti, &* 1. *dist.* 3. *& alibi.* Non potest enim poni vna perfectio simpliciter sine alia: nec vnum *necesse esse*, sine alio; imò nisi in alio. Qualiter autem pluralitas formalitatum stat cum summa simplicitate, & qualiter aliter est identitas talium in diuinis, quàm in creatis realitatum, vel formalitatum generis, & differentiæ, vide vbi suprà, *dist.* 8. *pri.* quia non intendo hîc aliquid addere, quia diffusè alibi habetur in doctrina huius. Argumentum ergo Doctoris ex ratione *necesse esse* procedens, quod etiam est Auicennæ 8. *Metaph. c.* 4. videtur benè concludere, quicquid dicat loquens. Fortè tamen Philosophus poneret *necesse esse* in genere, sed hoc verum est de *necesse esse* causato: in hoc tamen errauit, vt nosti. vnde qui negat antecedens, negare debet & consequens, si rectè sentit. 42.

Distinctio formalitatū stat cum summa simplicitate, 1. d. 8. q. 4.

Secunda conclusio est de summitate eius, & eorum quæ sunt intrinseca sibi. Et notanter dicit *intrinseca*, propter respectus ad extrà, & extrinseca entia vniuersi. Quam probat faciliter, & breuiter ex identitate talium ad ipsam naturam summam. Sed ibi posset obiici ad hominem: quia, per ipsum; relationes diuinæ, maximè originis, non sunt quantæ formaliter: sed quod non est quantum non videtur esse summum; ergo oppositum conclusionis est verum.

Conclus. 2. Nihil in Deo, nisi summum.

Item, identitas est intrinsecum aliquid in diuinis, maximè secundùm ipsum: quia ponit eam relationem realem: vt 31. *distinct.* 1. habetur: summa autem identitas non semper ibi ponitur, sequendo doctrinam huius: quia ponit distinctionem formalem, & ex natura rei, *ibidem:* & realem inter personas: & esset bonum motiuum pro aduersariis, si scirent benè venari, sed nihil subtilitatis habent in suis *scartaphatiis*, nisi quod mendicarunt ex nostris. Item, possent argui reflectendo argumentum ad distinctionem, 43.

nem, & contra eos: & contra Doctorem. Contra eos, qui non ponunt nisi distinctionem rationis, quæ non est summa; imò minima. Contra Doctorem etiam, qui ponit distinctionem ex natura rei, vel formalem, quæ minor est propriè reali. Alia plura possent adduci, sed nolo immorari.

Ad primum potest dici vno modo, quòd loquitur de perfectionibus absolutis, quæ sunt capaces summitatis formaliter. Vel aliter, quòd relationes tales, sunt summæ identicè, vt procedit probatio conclusionis, licèt non formaliter. Vel tertiò, quòd sunt summæ, loquendo de perfectione hypothetica non quiditatiua. Vide 4. *&* 5. *quæst. Quodlibeti, & 1. & 26. distinct. 1. & alibi sæpè.* Vnde secundùm Apostolum paternitas diuina, *est à qua omnis alia in cœlo, & in terra nominatur.* Summè etiam tale, in proposito accipitur pro illo, quod non potest excedi, & quod est verissimè tale; non autem pro infinitè tali, nisi identicè. Ad aliud, patet idem; est enim identitas summa in diuinis identicè: est etiam omnis identitas ibi, licèt non inter quæcumque. Et quod dicitur ab aduersariis identitas formalis, vel ex natura rei, est maior reali; ergo est ponenda inter perfectiones diuinas, vbi est summa simplicitas. Dicendum, quòd nihil est ponendum, quod non potest poni sine implicatione contradictionis; implicat autem in diuinis poni formalitatem sapientiæ, & bonitatis, & cum hoc, quòd sit identitas formalis talium. Nec obstat infinitas vtriusque: quia licèt arguat identitatem realem, & compossibilitatem talem, non tamen formalem; quia modus est conseruatiuus, & non destructiuus quiditatis. Quære copiosè in doctrina huius, & sequacium, ad hæc plura addendo, & benè ponderando. Ad aliud, quantùm ad primam partem, sustinendo opinionem communem, diceretur, quòd distinctio rationis non est intrinsecum in diuinis; ideò non est contra conclusionem. Quantùm ad secundam partem dicendum, vt priùs dictum est, talis enim distinctio est summa, & identicè, & secundùm exigentiam extremorum, & compossibilitatem ad identitatem simpliciter.

Summè, quod non potest excedi.

Identitas formalis repugnat attributis Dei.

Conclus. 3. 44.

Quid perfectio simplex, 1. dist. 2. q. 7. num. 39. & quodl. 5.

Tertia conclusio est de coëxigentia perfectionum simpliciter, atque simultate in natura summa: siue in primo principio. Ad cuius probationem, præsupponit rationem perfectionis simpliciter ex Anselmi Monolog. 15. contra quam instat, & soluit, suo modo exponendo eam: vt alibi sæpè tangit. Vide *in 1. distinct. 2. part. 2. quæst. 1. solut. & distinct. 8. quæst. 1. in solut. 1. arg.* sed prolixiùs *in Quodlibeto, quæst. 5. art. 2. & ratione 2.* Hîc verò paucis, & egregiè exponit eam: quære Franciscum Mayr. *in primo Conflat. distinct. 34. & 35.* copiosè de perfectionibus simpliciter. Vnde breuiter, & regulariter tene, omne illud, & solum tale, esse perfectionem simpliciter, cui non repugnat infinitas formaliter. Est ergo intellectus rationis Anselmi iste; Perfectio simpliciter, est talis, quæ in quocumque supposito absolutè considerato, secundùm rationem suppositi, non determinando naturam in qua, vel cuius sit suppositum, *melius est ipsum, quàm non ipsum.* Hoc est quàm quodcumque incompossibile sibi. Quo præmisso, probat optimè conclusionem, & ex necessitate, & communicabilitate perfectionis simpliciter. Quære vbi suprà, in Quodlibeto. Vide instantias circa hæc dicta in Francisco, *vbi suprà*, & alibi sæpè, & quære Occham, vt nosti, & maximè 8. *distinct. 1.* & pondera, quòd omnis perfectio simpliciter est transcendens, & conuenit Deo in summo. In aliquibus originalibus habetur quædam litera hîc, quæ sic incipit: *sed nihil valet hac probatio*, &c. vsque illuc exclusiuè, *dicendis de infinitate*, &c. sed quia non videbatur multùm vtilis, omisimus eam, quære si placuerit.

Cui non repugnat infinitas formalis, est perfectio simpliciter.

Quarta conclusio est de intellectione, & volitione primi principij, quam probat quatuor rationibus efficacissimis, contra quarum tertiam instat, & soluit, & totum ferè habet in primo, *distinct. 2. quæst. 1.* consequenter adducit probationem aliorum, quam non acceptat. Quære Vuar. & alios, *vbi suprà.* Deinde replicat pluries, & soluit vsque ad finem subtilissimè digrediendo. Pro huius materiæ vlteriori declaratione, quære eum primo Reportationum, *distinct. 35.* singularissimè, & Franciscum *distinct. 36. primo Conflatus*, & Aristotelem 12. *Metaphysic. text. com. 51.* & Auerroëm *ibidem*, satis benè suo modo. Quære Occham *Quodlibeto 2. quæst. 2.* & quod ibi tangit, rationem pro conclusione, de contingentia causalitatis primi efficientis, ponderabis, pro, & contra, prolixè, vt nosti. Vide 8. *distinct. 1. quæst. fin. & distinct. 39. eiusdem, & 7. quæst. Quodlibeti.* Inquire fundamenta Philosophorum, vt scis, ad oppositum, & tange ibi instantiam ad hominem, ex dictis suis *in primo, dist. 1. quæst. 4. & in 2. distinct. 25.* Quære alios *ibidem* ad hæc, & dic consequenter semper saluando veritatem Scoticam. Confirmabis etiam in prima ratione ad conclusionem illa verba; *Omne naturale agens præcisè consideratum*, &c. Ex his, quæ habet *1. quæst. 4. propositione 3.* Contra Auicennam, & pondera benè instantias. Illa probatio ibi: *Hæc etiam conclusio probatur*, &c. vsque illuc: *Item tertiò, sic*, &c. videtur esse additio, quæ infrà in aliquibus originalibus post quartam rationem, ponitur: satis tamen valet, licèt fortè simpliciter, à priori petit. Quære Augustinum *Trinit. 15. c. 4. & Ciuit. Dei, lib. 11. c. 16.* & Philosophum 12. *Metaph. & 2. de Generat. animalium, cap. 1.* & adde plura, pro & contra: vt nosti. Quære 2. *Physic. & in Quodlibeto, quæst. 16. & sequentibus, & 17. dist. prim.* & alibi sæpè in doctrina huius, & aliorum ad hæc. Et pondera, quòd hæc propositio, quam hîc conatur ratione naturali ostendere, est de numero creditarum, vt infrà patebit. Conclus. 4. 45.

Instare contra dicta hîc prolixè posset, sed vbi suprà omnia quærantur. Ad hominem verò (quod genus arguendi difficilius est) diligens lector instantias considerabit: atque consequenter dicet. Nihil profectò nec superfluum, nec diminutum in his dictis inuenies, si passionibus semotis iudicabis: quare euasiones friuolas aliorum hîc, & instantias faciliter contemne, & infringe. Satis namque erat huic viro, ad veritates creditas, licèt in se demonstrabiles, rationes ita efficaces naturali ingenio reperisse, quales fortè nunquam Philosophi ad naturaliter nota probanda, adinuenerunt, sed vt probabiliter suppono, cum Moyse in monte hoc vidit; aut cum Paulo ad tertium cœlum ascendit: aut certè cum alio Ioanne, supra pectus sapientiæ recubuit, vbi cuncta in regulis æternis didicit: vallis ergo caligine circundati patientiam, velint nolint, habeant aduersarij. 46.

Scotus diuinitùs illuminatus.

Quinta conclusio est de modo causandi primi prin Conclus. 5.

prin

principij, quæ ex iam dictis patet, & vbi suprà quotaui, pleniùs disputatur. Instat contra se quatuor rationibus, quas hîc non soluit. Ad primam breuiter dicatur, quòd benè stat aliquid in se esse necessariò esse, cuius actio, vel operatio, ad aliud contingenter terminatur. Vide 14. *quæst. Quodlibeti, & 39. dist. primi, & 8. dist. eiusdem.* Ad aliud, quòd licèt determinatio diuinæ voluntatis sit æterna, & ab æterno: non tamen pro æterno ad extrà. Ad vlteriorem declarationem illius rationis, potest negari similitudo. Vel aliter, quòd pro quocunque instanti est determinatio diuinæ voluntatis ad extrà, pro eodem est determinatio voluntatis creatæ concurrentis, licèt vtraque contingenter, in sensu diuisionis. Non igitur necessitatur voluntas creata, nec frustratur diuina. Videatur etiam hoc in primo, *vbi suprà, & dist.* 40. & 41. & 48. *& alibi, & in Quodlibeto, & in 2. dist.* 1. & 25. *& sequentibus.* Ad aliud dico vt priùs: quod mouente prima mouet secunda, & è contra, ad quodcunque positiuum producibile ab vtraque: & quod tangitur de voluntate peccante, quære *in 2. dist. 37. & 7. dist. eiusdem, & 14. dist. 4. & alibi.*

Determinatio diuinæ voluntatis, an stet cum indeterminatione voluntatis.

47. Ad quartum concedo, quod infertur, simpliciter loquendo, licèt sit necessitas secundùm quid aliquandò. Quære in primo vbi prius, & alibi, vt nosti: plura adde, benè examinando. Credo, quòd illa verba in fine, cùm dicit: *quærantur in quæstione*, &c. sint *Extrà*, vel additio: aliter oporteret, vel quòd scripsit quæstionem de futuris contingentibus seorsum, quod benè possibile est in Logicalibus, aut in Physicis; vel quòd primum Sententiarum priùs scripsit, quàm hunc tractatum: cuius tamen oppositum probabiliter sustineo, & suprà præmisi: dicatur ergo additio, vel recurratur ad illa loca.

An priùs scripsit hoc, quàm Theologiam?

Concl. 6. Sexta conclusio est de identitate operationis appetitiuæ, & similiter cognitiuæ primi principij respectu sui, vt obiecti suæ naturæ, quam probat. Primò, ratione sua, ingeniosè dupliciter eam formando. Et intellige causationem & causalitatem, non pro respectibus, sed pro substrato, & sic cessabit friuola instantia aduersarij hîc. Intellige etiam cùm dicit: quia *nihil aliud est obiectum amari à voluntate*, &c. de alietate reali esse verum; de alietate verò rationis falsum, vt scis. Deinde probat conclusionem rationibus Aristotelis 12. *Metaphys.* quas declarat suo modo. In declaratione primæ rationis posset oriri instantia de intellectu creato, & voluntate tali: quia si hæc declaratio valet, sequitur quòd nostrum *intelligere* est nobilius nostro intellectu: & similiter de Angelico potest argui. Sed ad hoc potest dici, quòd *intelligere* creatum est nobilius obiectiuè, seu terminatiuè, ipso intellectu; & similiter de volitione & voluntate: & hoc quando sunt ipsius entis primi; subiectiuè verò, & formaliter, est è contra, cùm vnum sit substantia, & alterum accidens. Sequendo imaginationem Thomistarum: videretur necessarium, & non inconueniens, illud quod infertur vtroque modo: quia in his, quæ sunt eiusdem generis, posterius generatione est perfectiùs, maximè si prius est receptiuum eius, de quo aliàs. Aduerte, cùm dicit in fine declarationis secundæ, quòd istæ rationes etiam secundùm Aristotelem non erant demonstrationes: quia ex hoc habes, & quòd rationes Doctoris sunt efficaciores Aristotelis, & quòd, vt videtur, intendit simpliciter

An intelligere sit nobilius, quàm velle?

48.

hîc demonstrare, hoc est, vt materia patitur, & ingenium viatoris attingere potest, efficaciter arguere. Consequenter adducit aliam probationem, quæ est Commentatoris 12. *Metaphys. com.* 51. & 3. *de Anima, comm.* 15. quam etiam habet Thomas 1. *part. s. quæst.* 14. *art.* 4 *& in primo scripti, dist.* 35. *quæst.* 1. *soluendo* 3. *argum.* & Ægidius *Quodlib.* 3. *quæst.* 10. quam tollit per instantiam: quæ tamen licèt bona sit ad Theologum: vt patet 3. *dist.* 2. *quæst.* 8. *& alibi:* non tamen quod infertur esset inconueniens apud Commentatorem: sed qualiter etiam valet, & probari possit contra ipsum, vide *quæst.* 1. 4. *& alibi.* Deinde infert quatuor corollaria ex hac conclusione valde notanter. Quære *quæst.* 1. *prolog. in Reportatis,* pro declaratione corollariorum, & *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. Alia plura hîc pro, & contrà, adducat studiosus lector.

Efficaciores rationes Scoti quàm Aristotelis.

Septima conclusio est de identitate *intelligere*, & similiter *velle* primi principij, respectu cuiuscunque: vt obiecti suæ naturæ, quam probat. Primò quatuor rationibus propriis. Pro confirmatione primæ rationis, nota ea, quæ habet in 4. *quæst.* 1. *propositione* 3. contra Auicennam, & in primo & secundo plerunque, de productionibus ad intrà, & ad extrà, & in Quodlibeto *quæst.* 2. *art.* 3. Quantum ad secundam rationem, exclude cauillationem Auerroïs de intellectione intellectus adepti respectu sui, & respectu aliorum. Concl. 7.

Intelligere, & velle, idē primo principio.

Quoad tertiam rationem, posset esse instantia ad hominem, de identitate intellectus, & voluntatis, quam ponit: quia, sicut hîc arguit, sequeretur quòd intellectio in voluntate, & *velle* in intellectu reciperetur: quare intellectus vellet & voluntas intelligeret. Similiter, si quod infert esset inconueniens, nobilius videlicet esse susceptiuum ignobiliorum, quare nec accidens in substantia; nec relatio in qualitate reciperetur, & sic de aliis.

Ad primum dicendum, quòd licèt sint vna res, sunt tamen diuersæ realitates, vel formalitates, quod sufficit ad diuersas denominationes; & formales receptiones. Vide *in* 2. *dist.* 16. *soluendo argumenta principalia,* & 15. *quæst. Quodlibeti, & alibi,* & instantias subtiliores adde. Vide 35. *dist.* 1. *in Reportatis.* 49.

Quare intellectio non dicatur esse in voluntate?

Ad aliud, non valet similitudo, quia secus de his, quæ sunt eiusdem generis propinqui, etiam secus de his, quæ sunt alterius Prædicamenti, vt patet: & etiam quia actus secundi immanentes sunt fines, & non gratiâ alterius, vt patet 9. *Metaphysica.* An autem substantia, & quodcumque susceptiuum alicuius, inquantum tale, sit nobilius recepto, habet considerari: quære vt nosti.

An susceptiuum sit nobilius suscepto?

In quarta ratione pondera benè cùm dicit, *Idem* intelligere *potest esse respectu plurium obiectorum ordinatorum:* nota ly *ordinatorum,* vnde tollitur instantia ad hominem 3. *dist.* 2. *quæst.* 10. & 1. *quæst.* 4. *propositione* 2. contra Auicennam.

Deinde adducit tres rationes aliorum, ad hanc conclusionem, quas; suo more, quia non concludunt, etiam Topicè, sed tantùm Sophisticè; impugnat. Quære Alexand. de Alexand. *in primo d.* 35. & alios. Pro exemplo, quod tangit in secunda ratione illarum, de *intelligere* animæ Christi, & beatorum, vide *in* 3. *d.* 14. & 18. Plura hîc possent pro, & contrà adduci, quæ omitto lectori: quia nec temporis commoditas suppetit, nec prolixitas delectat.

Concl.8. 50. Octaua conclusio est de actualitate, æternitate, necessitate, & perfectione, atque prioritate intellectionis diuinæ, respectu omnium aliorum: & habet duas partes principales. (Secunda ibi: *Prius naturaliter*, &c.) quas probat egregiè. In probatione primæ partis aduerte, cùm dicit; *vt alibi declaraui*, quòd illud *alibi* potest assignari super lib. de Anima, vbi tenet ens esse obiectum adæquatum intellectus, & hoc sustinendo præsupposita suprà. Habetur autem in Metaphysica, & Sententiis copiosè. Pro verificatione, & declaratione huius conclusionis, vide 35. 36. *&* 39. *dist. prim &* 3. *quæst. prolog.* Sed pondera instantiam ex his, quæ habet 8. *dist. prim. quæst.* 3. *& quæst.* 3. *prolog. & alibi sæpè:* qualiter intellectus diuinus, cùm præcisè intuitiuè intelligat quicquid intelligit, ab æterno potuerit omnia, cùm nondum fuerint, intueri; nisi fortè eminenter, vel virtualiter, quod non esset propriè ea intelligere formaliter, quod communiter tenetur de intellectu diuino. Vide Franciscum *dist.*36. *primi*, & alios. Satis hoc dubium cogit de futuris maximè contingentibus, & hoc sequendo principia huius.

Nihil nouit Deus, nisi intuitiuè.

Quod etiam tangit de arte, & notitia artificis, quære 1. *quæst.* 2. *&* 8. *quæst. Quodlibeti.* Ibi verò cùm dicit: *Contra istam instatur*, &c. vsque illuc: *Secunda pars*, &c. videtur *Extra*, vel additio, & tangitur notanter in Theorematibus, *propositione tertia, in commento.*

Et potest dici, quòd illa vniuersalis generatur ex experimentis, & illa ex similibus actibus, vt patet primo Metaphysicæ. Vlteriùs etiam dicendum, quòd ex imperfectione intellectus creati hoc prouenit, qualis non est ponenda in Deo. In probatione etiam secundæ partis, cùm dicit, quòd *esse* aliorum à primo, non est necesse esse; considera instantiam: quia videtur quòd entia in *esse* cognito ab æterno producta; sint necesse esse, cùm necessariò in tali *esse* producta sint à Deo.

An esse cognitum creaturarum, sit necesse esse.

Ad quod vide 36. *dist. prim. & sequentibus*, *&* 1. *quæst.* 4. *&* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. *&* 14. *quæst. Quodlibeti*, *& alibi.* Ibi etiam pondera instantiam ex prima propositione Theorematum, scilicet *intellectionem intelligibilem*, & dic consequenter, vt ibi notabo.

51. Circa hanc conclusionem est magna altercatio, sequendo ineptias Auerroïs, vt communiter exponitur 12. *Metaphysicæ, vbi suprà*, & sequacium eius. Vult enim, quòd nihil extra se intelligit, & specialiter singulare, vt alij addunt: sed mentitur in caput suum, imò quicquid intelligit, est singulare, vel virtute singularis illud intelligit. Licèt enim essentia diuina sit vniuersale in repræsentando, est tamen seipsa singularis in prædicando. Posset tamen colorari propter Aristotelem, quòd verum est in ratione motiui: in ratione autem terminatiui, saltem secundarij, falsissimum. Adducere hîc motiua eius, & sequentium ipsum, frustrà iudicaui, quia aliàs copiosè *vbi suprà* habentur. Quære antiquos, & modernos Theologos. Vnde etiam ipse, & Magister eius, probat primum esse intelligentem, & volentem, nisi ex effectibus; cùm tamen neget Deum aliquid efficere.

Nihil intelligit Deus, nisi virtute singularis.

Ex fundamentis tamen Aristotelis potest persuaderi, quòd Deus intelligit alia. Et si dicas, quòd in vniuersali verum repræsentatiuo, & motiuo: sed non vniuersale, vel vniuersaliter tantùm, imò in particulari Ideæ enim singularium, & nedum specierum, ponuntur ab æterno in intellectu diuino. Vide 35. *&* 36. *dist. primi*, & maximè in Reportatis. Pondera benè *primo de Anima*, *&* 3. *Metaphysicæ*, motiuum Aristotelis de cognitione litis. *Primo etiam Ethicorum, &* 10. de felici Dei amicissimo, & de Dei cura, & solicitudine circa entia *ibidem, &* 12. *Metaph. ad finem*, & alia plura alibi. Obstinatis nihilominùs, & proteruis nihil probabis.

Secundùm Aristotelem Deus intelligit alia à se.

Nona conclusio est de infinitate primi entis, & est ferè principalis in hoc tractatu: nam probato, quòd sit formaliter infinitum, habetur faciliter, quòd sit vnum: vt 5. *quæst. Quodlibeti, artic.* 2. egregiè ostendit; & similiter de aliis perfectionibus dicendum. Et assumit pro inchoatione conclusionis, dictum Pauli *ad Rom.* 11. Et aliqui hîc assignant principium capituli, scilicet quinti huius tractatus, sed non oportet: quia omnia ista pertinent ad vnum capitulum. Probat autem hanc conclusionem, sex, vel septem viis; vel quatuor, seu quinque principalibus. Et Inceptor mouet ad singulas vias singulas quæstiones *Quodlibeto* 7. *vbi suprà.* Et ex fundamentis Auerroïs ruinosis multa possunt hîc adduci, ad impediendum rationes Doctoris, omnia tamen vento agitabis, & infringes faciliter. Circa infinitatem intensiuam, seu vigoris primi entis, est magna altercatio in doctrina Aristotelis, & Auerroïs & sequacium variè exponentium. Nam 8. *Physicorum*, & expresse 2. *Cœli*, *& in de Substantia orbis*, videtur dicere Commentator, quòd est tantùm infinitas durationis in ipso ponenda: licèt 12. *Metaphysicæ* videatur vacillare. Doctor tamen noster *& hîc*, *&* 5. *&* 7. *quæst. Quodlibeti*, *&* 8. *dist. prim.* iudicio meo ex fundamentis Aristotelis, satis euidenter ostendit infinitatem vigoris eius. Quòd Auerroës dicat pro, vel contra, parum refert: quia ex intentione conabatur omnia fundamenta legis diuinæ euertere. Vtere ergo regula Scotica 7. *quæst. Quodlibeti*, vbique, circa dicta Aristotelis & Auerroïs. Tria ergo prima media procedunt de *intelligere* primi, & conditionibus eius, & de intellectu suo, atque obiecto eius. Primum medium examinabis benè, & inquire in quodlibeto *quæst.* 5. ad propositum optimè.

Concl. 9. 52. *Dei primum ens esse infinitum, probatur.*

Auerroës negat Deo infinitatem intensiuam.

Auerroës hostis legis Christianæ.

Sed posset obiici contra hoc, quod infert ibi; videlicet ex infinitate intelligibilium, infinitatem intellectus simul etiam omnia intelligentis, ex his, quæ habet *in* 3. *dist.* 14. de intellectione animæ Christi. Sed ibi satis benè soluitur hæc instantia: loquitur enim hîc de intellectu ex se, & perfectione intrinseca, potente intelligere infinita vnico actu: quorum quodlibet requirit determinatam perfectionem in intellectione, & intelligente sui. Vbi pondera illam regulam Scoticam: *Quando scilicet pluralitas concludit maiorem perfectionem*, &c. quam in plerisque locis adducit. Vide *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. *& in* 3. *vbi suprà*, & quam non veretur loquens hîc negare, quæ tamen ex terminis videtur euidentissima. Addit duas euasiones apparentes, & impugnat. Impugnatione 2. aduerte cùm dicit, *sicut in quæstione de indiuiduatione ostendi:* quia posset poni additio, vel aliquid literæ addi, vt saluentur superiùs dicta. Vide tamen 7. *Metaphysicæ*, *quæst.* 13. *&* 3. *dist.* 2. ad propositum. Hæc varietas allegationum parit non modicam perplexitatem: sed suprà circa hoc

53. *Cur ex intellectione infinitorũ animæ Christi non est infinita?*

Fortè in Logica scripsit illã quæstionem, vel litera hæc est additio.

De indiuiduatione agit, 2.d.3 per 5. quæstiones, & 7. Metaph. quæst. 13. hoc copiosè, quod mihi videbatur, dixi. Fortè enim seorsum plures quæstiones primò disputauit, quas postmodum in vnum collegit. Secundum medium procedit ex infinitate intelligibilitatis essentiæ primi: quod fortissimum est; quicquid dicat aduersarius: & instat tripliciter: & soluendo primam instantiam, pondera optimè, quæ dicit: quia singularis solutio, & vbique necessaria. Vide *in prolog. & dist. 3. prim.* & alibi sæpè ad propositum. Ibi etiam aduerte, cùm dicit, *de qua alibi multum dixi*, illud *alibi*, quære super lib. de Anima: & posset poni additio, vel *Extra.* Habes tamen illud *in 1. dist. 3. quæst. 9. in principio solutionis, & in 3. dist. 14. quæst. 3. & in 4. dist. 10. art. 3 quæst. 2. & in Quodlibeto, quæst. 6. art. 1. & quæst. 13. & in 7. Metaphysicæ*, vt nosti. Ibi assignatur quædam additio, quæ sic incipit. *Contrà: phantasma potest*, &c. vsque ibi: *Si igitur intellectionem intuitiuam*, &c. ponitur in aliquibus originalibus immediatè ante solutionem secundæ instantiæ ibi: *Ad secũdum, licèt causa prior*, &c. Et sequitur alia additio, quam habes infrà, quæ sic incipit: *Tamen negaretur infinitas intensiua*, &c. vsque illuc; *Si obiicitur, primum non posse ex se*, &c. & alia etiam, quam habes infrà, quæ sic incipit, *Item, quantum est diuisibile*, &c. vsque ibi: *Tertiò ex hoc excluditur*, &c. Omnia in quam, ponuntur simul in aliquibus originalibus immediatè ante solutionem secundæ instantiæ: vt suprà: sed siue simul, siue seorsum (quod conuenientius est) habeantur, vt posuimus, non sunt multùm de necessitate literæ: satis tamen subtiles sententiæ. Quare vel addantur, vel omittantur, vt voluerit lector. Pondera consequenter solutiones secundæ, & tertiæ instantiarum: quia valde peregrinæ, & necessariæ. Profectò dum hæc scribebat, calamum in mente tingebat. Litera tota correcta, & irrefragabilis.

54. Tertium medium est valde singulare, & subtile, & non ponitur *in 1. dist. prim.* sed potest colligi, vel saltem confirmari per ea, quæ habet *in 8. dist. prim. quæst. 2. & 3.* & procedit ex substantialitate intellectionis primi, & per consequens ipsius infinitate: vbi tamen cautè expone *substantiam, & accidens.* Et aduerte ad singula verba, & qualiter sunt eiusdem rationis intellectio finita, & infinita: & quo modo perfectiones absolutæ in diuinis, sunt substantia, vel substantiales. Et nota valde qualiter exponit *speciem transferri ad diuina*, & hoc ratione differentiæ. Omnia quære 8. *dist. prim. vtriusque, & alibi.* Excusat se consequenter de breuitate, & format aliter argumentum: & totum examinabis diligenter, quia omnia plena succo.

Quomodo perfectiones diuinæ sũt substantiales?

Primam naturam nõ esse in genere. Quartum medium procedit ex simplicitate primi, eo quòd compositionis realis, & rationis expers, vt suprà dictum est. Et instantias contra hoc vide 8. *dist. prim. vbi suprà*, & per totum hîc vide cauillationes aliorum, quas non duxi hîc inserendas, vt priùs dixi: quia super Sententias intendo omnia pertractare.

Quintum medium, siue quinta via est ex eminentia primi entis. Vide in Quodlibeto, *quæst. 6. art. 1.* pro declaratione principij rationis secundæ. Hîc pondera processum Doctoris hæc optimè. Multi enim negant infinitatem conuenire enti: & probare oppositum est difficile Conatur tamen suo modo hoc ostendere, non proteruo saltem.

55. Deinde infrà cùm dicit: *Sicut contradictoria ex rationibus propriis*, &c. est regula Scotica. Vide *2. dist. prim. quæst. 1.* vbi etiam omnia sequentia, *& quæst. 4. eiusdem, & dist. 13. & 17. eiusdem, quæst. finali, & in 2. dist. 1. quæst. 3. & in Quodlibeto, qu. 5. art. 3.* & alibi sæpè. Nota etiam rationem infiniti in actu, quam addit ibi. Quære super 3. Physicorum, sed singularissimè in Quodlibeto, *quæst. 5. in principio.* Pondera etiam aliam regulam Scoticam, infrà ibi: *Sicut quodlibet est ponendum possibile*, &c. Vide in Quodlibeto, *quæst.* 10. & alibi sæpè in doctrina huius. Adde hîc illam propositionem notabilem, quam habet 3. *dist. 2. quæst. finali, ad finem.* Omnis, videlicet, gradus possibilis in ente est. Exponit consequenter incidentaliter rationem, seu descriptionem Anselmi prosolo. 2. de summo cogitabili. Vide 2. *dist. prim. quæst. 2.* Vide etiam propter ea, quæ ibi tangit in Quodlibeto, *quæst. 3. art. 1.* sed tange instantiam ad hominem *in 2. dist. 1. quæst. 3. & dist. 6. quæst. 1.* & dic consequenter. Vide etiam in Quodlibeto, *quæst. 1. art. 1. parte 1. & 8. dist. prim. quæst. 3. contra 2. opin.* & alibi sæpè plura, pro resolutione eorum, quæ ibi tangit. Aduerte etiam ad ea, quæ ibi dicit de *esse* quiditatiuo, & existentiæ, & de intelligibili visibili, & abstractiuè, plura addendo.

Duæ regulæ Scoticæ.

Omnis gradus possibilis in ente est.

Sextum medium, seu sexta via, est ex vltimata quiete, & appetibilitate naturali obiectiua primi entis. Vide copiosè *in 4. dist. 49. & in 2. dist. 6.* & pondera ibi singularissimè, vnde cognoscitur inclinatio naturalis respectu alicuius in aliquo. Multa adde, vt nosti.

Vnde oritur inclinatio naturalis voluntatis?

Septima via, seu medium septimum, est ex causalitate effectiua primi entis, quam dicit esse Aristotelis, cuius consequentiam ponit. Vide totum in Quodlibeto, *quæst. 7.* Et recitat colorationes, seu declarationes aliorum in Aristotelem, quantum ad antecedens, & consequentiam. Vide Henricum *Quodlib. 4. quæst. 3.* & Bonau. *in primo, dist. 33. quæst. 1. art. 1.* & alios antiquos. Quære Auerroëm, & eius sequaces super 8. Physicorum. Sed modernos huius sequaces, quos nosti, inquire ibi, & alibi. 56.

Infinitas primi entis ex eius efficientia.

Consequenter impugnat huius declarationes, quantum ad consequentiam, & primò tangit motiuum Aristotelis 1. *Ethicorum*, contra Platonem *cap.* 7. de duratione maiori, & patet in simili, *quæst 6. Quodlibeti.* Sed posset adduci instantia, ex 1. *dist. 2. quæst. 3.* Consequenter tamen dices, vt ibi notaui. Propter dicta in impugnatione secundæ declarationis, vide Franciscum in primo Confla. *dist. 43. quæst. penultima.*

Addit quandam rationem, ex consideratione astrologica, vt ostendatur infinitas specierum, quam dicit non esse ad mentem Aristotelis. Vide *in 4. dist. 43. quæst. 3. in principio.* Deinde obiicit contra se dupliciter valde notanter, & soluit: vbi tangit de potentia simultatis, & de simultate potentiæ, & plura vbique vtilia. Vltimò ponit suam declarationem in Aristotelem. Tange ibi instantiam ex 4. *dist. 12. quæst. 3.* de modo dandi *esse* effectiuè, & formaliter, & dic consequenter. Ibi etiam aduerte, quòd licèt omnipotentia, vt ponitur à Theologis, non possit demonstrari, seu efficaci ratione naturali ostendi; potentia tamen infinita sic. Quære in Quodlibeto, *quæst. 7.* & in primo, *dist. 42.* Ibidem infrà, cùm dicit: *vsque ad tractatum de creditis*, &c. aduerte, quòd tractatus ille habetur, vel inseritur in Theorematibus, vt infrà tangam, & ibi notauimus. Sed an debeat esse seorsum, an non, ibi habet videri.

Simultas potentiæ, & potentia simultatis.

Ponitur ibi additio quædam, de qua suprà mentionem feci. Quare etiam causæ secundæ concurrunt cum prima, tangit ibi Physicè imaginando: sed aliter dicas Theologicè, vt nosti. Plura ibi pro, & contra, adde, benè masticando.

57. *Distantia infinita extremorum, quomodo intelligenda?*

Vltimò pro hac conclusione adducit rationes aliorum, quarum prima est Henrici *Quodlibeto* 4. *quæst. vltima*, & Richardi de media Villa *in* 2. *dist.* 1. *articulo* 4. *quæst.* 4. Quære Thomam, & alios; & procedit ex virtute creatiua primi entis, quam impugnat: & quantum ad antecedens, & consequentiam: & declarat egregiè, qualiter intelligi debet distantia infinita extremorum creationis. Vide idem optimè *in* 4. *quæst.* 1. Quære *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *& dist.* 39. *prim.* ad propositum hîc aliqua.

Vult resolutè Doctor, quòd distantiarum alia est priuatiua, alia positiua. Prima potest poni finita, & hoc vel maior, vel minor; & vtraque positiuè, vel permissiuè: potest etiam poni infinita, & hoc vel excessiuè, vel indeterminatè; & vtrumque positiuè, vel permissiuè. Secunda principalis, aut est quantitatiua, & hoc vel per medium maius, vel minus; aut est entitatiua, & hoc vel sine medio, vel cum medio; & vtroque modo, vel est finita, vel infinita; & hoc vel positiuè, vel priuatiuè. Quære declarationem membrorum *in* 4. *vbi priùs*, & alibi, vt nosti. De multiplici acceptione *infiniti*, quære 3. Physicorum, & de conditionibus creationis, & extremorum eius: & cui conuenit creare, vide *in* 2. *&* 4. *vbi suprà*, *& in* 3. *dist.* 11. *& Quodlib. quæst.* 12. *& alibi.*

58. Secunda ratio aliorum ad hanc conclusionem, procedit ex immaterialitate primi principij. Quære 1. *part. S. Thomæ, quæst.* 7. *art.* 1. *&* 2. quam impugnat ad hominem, instando. Vide benè in Reportatis, *prim. dist.* 2. Hîc ponit enim Thomas Angelum esse immaterialem, quod an verum sit, quære 3. *dist.* 2. in antiquis, & maximè in Bonau. *& in quæst. huius, super lib. de Anima* singularissimè, & excludit euasionem eorum, *vbi suprà*, de *esse*, & essentia, ad quæ vltimatè refugium habent Thomistæ plerumque: nescio si terminos soli rectè sapiunt, aut certè insaniunt, dum concretum abstracto accidere, & realiter ab ipso distingui asserunt: vel fortè dum alij gustârunt nectar & manna, dormitârunt. Docet igitur Doctor egregiè cui primò conuenit finitas, vel infinitas. Quære 8. *dist. prim. quæst.* 3. *&* 5. *quæst. Quodlibeti.* Consequitur namque extrinsecus intrinsecè quiditatem prius quocunque alio, non formaliter incluso. Ibi ostendit defectum argumenti eorum: sicut in simili habetur 3. *Physicorum, text. comment.* 31. vbi disputat Philosophus, an sit dare infinitum; & arguit quòd sic, quinque rationibus, in quarum quarta est sophisma, de quo loquitur Doctor: & infrà *text. comment.* 74. soluit ipsum, & expressè habet id, quod hîc intendit: quòd scilicet omne finitum est in se tale, priùs quàm ad alterum compararetur.

Omne finitũ prius est in se tale, quàm in ordine ad aliud.

Omitto prolixiorem disputationem prædictorum hîc: solutis enim, & refutatis, & impugnatis motiuis, & cauillationibus nostratum Minorum, qui soli (pace aliorum dixerim) limpidè viderunt doctrinam huius, aliorum tela minimè sunt formidanda: super Sententias igitur, Deo duce, omnia recitabo & quæ ad rem non faciunt annihilabo.

Concl. 10. 59. *Primum ens omni caret compositione.*

Decima conclusio est de omnimoda simplicitate primi principij: nam licèt suprà, *conclusione prima huius*, pertractauit de simplicitate eius: non tamen omnimoda, sed tantùm opposita compositioni essentiali, Physicæ, vel Metaphysicæ. Quam probat primò de essentiali, secundò de integrali, tertiò de accidentali compositione, disputando: quæ omnia ferè habentur 8. *dist. prim. quæst.* 1. Exponit notanter argumentum Aristotelis 8. *Physicorum*, *&* 12. *Metaphysicæ*, & applicat ad propositum. Vide Ocham *Quodlib.* 7. *quæst.* 22. Satis apparenter ibi ponitur quædam additio, de qua mentionem feci suprà, & est satis ad propositum. Deinde probando, quòd non sit in primo compositio accidentalis, adducit quatuor probationes, quarum duas primas magis acceptat. Nam contra alias duas notabiliter instat: vbi pulchra vbique notanda de perfectionibus simplicibus. Vide hunc, & alios vbi suprà notaui. Tota litera est sincera, & satis clara: quam tamen diligenter ocellabis.

Consequenter ibi: *Domine Deus noster plurimas*, &c. Recolligit hactenus dicta, & nonnulla alia addit, & ostendit, quæ Philosophi, & quæ Catholici de Deo ostendere valent, & qualiter suus processus fuerat Physicus hîc: ad credita verò remittit se in tractatum sequentem: de quo suprà. Loca in Aristotele & Commentatore atquè Auicenna, & cæteris antiquis, vbi hæc enumerata habentur, suprà ferè expressè habentur, & tu adde, & quære alibi pluries: & nota valde discursum contemplatiuum quem facit, tanquam alter in Patmos beatus Ioannes; & ostendit notanter excellentiam veritatum creditarum, respectu naturaliter acquisitarum. De ideis non multum curat. Omnia in Sententiis diffusè habes disputata; ideò hîc pertranseo.

Scoti alta cõtemplatio.

60. *Primũ principium, esse vnũ numero.*

Deinde ponit vltimam conclusionem de vnitate numerali primi principij, in qua terminat suum opus, cum Aristotele præceptore 12. *Metaphys. ad finem*, & cum veritate fidei, *Deuteron.* 6. *Ierem.* 3. *&* 1. *ad Corinthios* 8. & in Symbolo triplici, & alibi sæpè in sacris literis. Ad quam probandum ponit quinque principales propositiones: seu media, quæ omnia & plura habet 2. *dist. prim. quæst.* 3. Quære *ibidem* alios Theologos, & maximè Vuar. Pro euidentia etiam primæ propositionis, vide eum in Quodlibeto *quæst.* 5. *art.* 2. *& in quæst. de subiecto Theologiæ.* Inceptor conatur omnia argumenta hîc facta soluere, *Quodlibeto* 1. *quæst.* 1.

Sed quære Franciscum Mayr. *quæst. de vnitate Dei*, *vbi suprà*, & alios sequaces huius; &, vt priùs notaui, mensurabis omnia ad vnguem. Pro dictis in secunda via, vide *in* 3. *dist.* 27. *artic.* 3. *& in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 14. *&* 15. Sed instantia posset ponderari ibi ex his, quæ habet *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. vide *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 2. *& in* 3. *dist.* 33. *quæst.* 2. In primo etiam *dist.* 1. *quæst.* 2. pro. 2. ratione illius vide. Quære Damasc. Proclum, Magistrum Sententiarum, & alios, vt nosti, pro hac conclusione verificanda: quæ tamen in se est verissima.

Vltimò concludendo intentum, epilogat, & posset poni tertia pars principalis huius tractatus: ita quòd diuideretur, vt solet diuidi liber Sententiarum, in procemium videlicet, tractatum, & epilogum; & cum bonis spiritibus postquam hæc omnia vidit in Verbo in primo signo, & in genere proprio in secundo, surrexit in laudem

dem Dei in tertio, & ibi requiescit perpetuò; ac vesperè remoto, exultat, & lætatur in Domino. Hæc pauca pro huius diuini tractatus elucidatione, castigatione, atque enucleatione, cursim, & simplici stylo, temporis inopia, dum in agrum Vtinensem spiritus potiùs refocillandi gratiâ, canicularem rabiem effugiendo, quàm scribendi commoditate, atque intentione his diebus me contuli (vtinam compendiosè, & vtiliter) adieci: vt lectoris curiosi animus excitetur ad altiora, & nedum gratiâ sciendi, sed benè agendi cuncta dirigendo in obsequium Christi. Quid enim prodest nosse primi entis primitatem triplicem, essentialium, atque notionalium ordinem, & emanationem: atque ipsius radicalis naturæ primæ omnimodam perfectionem, atque immensitatem: vnitatem quoque, ac singularitatem, cum Philosophis ratione naturali, (quia & Catholicis in ænigmate licèt, certè,) nisi benè agendo, orando, atque contemplando, mundetur oculus, & purgetur affectus, vt egit noster Scotus: quo verè videatur, & in seipso gustetur gloriosus Deus? cui sit honor in æuum. Amen.

Parū prodest intellectus speculatio, nisi comitetur affectus purgatio, atque eleuatio.

Explicit tractatus subtilissimus Fr. IOANNIS DVNS SCOTI *Ordin. Min. De primo omnium rerum principio.*



R. P. F.

LVCÆ VVADDINGI

HIBERNI,

Cenſura in Theoremata Scoti.

NVLLI *dubium opuſculum hoc Scoti eſſe; ingenium quippe eius ſapit, & ab Henrico VVilloto, ab Antonio Poſſeuino, & Ioanne Pitſæo inter Scotica recenſetur. In variis Codicibus MSS. varia eſt diſpoſitio Theorematum, vti in ſuis etiam præfationibus monent Mauritius, & Cauellus, qui copioſiſſimos adiunxerunt Commentarios.*



R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI, DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

THEOREMATA SVBTILISSIMA, ad omnes ſcientias ſpeculatiuas, Phyſicam, & Theologiam maximè neceſſaria.

Cum Annotationibus F. MAVRITII DE PORTV, eius quondam interpretis fideliſſimi.

Adiectis Scholijs, & Notis R. P. F. HVGONIS CAVELLI, *in Conuentu* S. MARIÆ *de Aracæli in Vrbe, S. Theologiæ primarij Profeſſoris.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.



RACTATVS *ſequens vtiliſſimus eſt, maximè ad omnes ſpeculatiuas ſcientias acquirendas: continet enim celeberrimas regulas, maximas, ſeu principia, quæ ad quamcunque ſpeculatiuam materiam examinandam, eiúſque veritatem indagandam maximopere deſeruiunt, quibus ideò Doctor paſſim in ſuis ſcriptis, explicitè, implicitè vtitur, velut ſpeculatiua pharetra ad euincendam occurrentium quæſtionum veritatem. Faciunt non ſolùm ad Metaphyſicam, ſed etiam ad Phyſicam, & Theologiam: ſub ratione tamen Metaphyſica magis à Doctore traduntur. Theoremate* 14. *Theologicas propoſitiones ponit, & quidem inſigniores ex quatuor libris Sententiarum, de quibus Metaphyſicè, & Phyſicè diſputat, hoc tantùm concludens, quòd ratione naturali non demonſtrantur, rigidè ſumendo demonſtrationem; aut potiùs in pleriſque nihil concludit, ſed ſententiam aliorum, fundamentis ipſorum innixam, proponit; vt cùm negat demonſtrari Deum eſſe viuum, volentem, intelligentem, &c. aut fortè vnum, vel efficiens primum, & ſimilia, quæ habet Theoremate* 16. *quorum oppoſita, prouectior factus, in Theologia, omnium ſubtiliſſimè probauit: de quo in Schol. ad* 14. *&* 16. *Theorema, notabo.*

Scripſit iſta poſt tractatum de primo Principio, vt ibi ipſe teſtatur, cap. 4. *num.* 37. *optima ſanè methodo. Poſtquam enim in illo Tract. verè aureo, altiſſima ſpeculatione, exaltans ſe ſupra ſe, quantum lumine naturæ, vel humano ingenio fieri potuit; de natura*

natura primi entis, eiúsque perfectionibus, maximis, ac principiis circa illud obseruandis, disputauit; hunc adiunxit tractatum, vniuersalia principia, & maximas, ad quaslibet ferè materias applicabiles, complectentem quæ à speculatiuis Philosophis, & Theologis, eo loco haberi debent, quo apud Legistas, & Canonistas regulæ Iuris, & apud Mathematicos Euclidis elementa. Perlege Lector, & experieris verum esse quod affirmo, asseréſque Scoti ingenium, etsi de suo subtilissimum, ista tamen minimè præstare potuisse, nisi diuinæ sapientiæ lumine illustratum, & peculiari adiutorio eleuatum. Non mireris si quædam repetat, & ordinem tractandorum quandoque mutet: in repetitione aliquid de nouo addit; nec de ordine multùm curauit; quem etiam ab aliis post ipsum mutatum esse, verisimilius est: vt vt sit, doctrinam suspicimus, non ordinem. Dubius est Mauritius de ordine quorundam Theorematum, & quo numero notanda sint: nos ea numerabimus vt notantur in margine: & vbi annotatio Mauritij aliter numerat, vel disiunctiuè ponit, numerationi nostræ accommodabimus. Quòd hæc scripserit Doctor ante Metaphysicam, colligi videtur ex dictis in præfatione ad quæstiones Metaphys. sed dubium me facit, quòd Theoremate 19. num.1. Metaphysicam suam citet: & si cum Mauritio dicas, id esse additionem; alius idem dicet de citatione horum, non ita expressa, quam in Metaphysica habes; ex qua colligis ista fuisse priora. Dubius ergo in hoc manere volo, nisi certius aliquid occurrat.

THEOREMA PRIMVM.

SCHOLIVM.

Ratio huius Theorematis est clara, quia intellectio creata est effectus obiecti intelligibilis, ex Doctore 1. dist. 3. quæst. 7. & sic præsupponit illud, naturâ saltem, quod sufficit: intellectio autem increata præsupponit obiectum, vt motiuum & terminatiuum. Sermo est de intelligibili motiuo, & primario. Præcuius regulæ intellectione, instantiæ quas facit Mauritius, & earum solutiones, plurimùm faciunt, & optimam continent doctrinam.

INtellectionem intelligibile natura præcedit: Quod est:

Quoniam passio præsupponit agens, & omnis actio circa aliquid est: illud circa quod est intellectio, alterum est.

PRÆFATIO MAVRITII.



1. TErtiò *principaliter circa dicta Doctoris in Theorematibus, atque castigationes illius tractatus, vti in præcedentibus negociatum est, nunc prosequamur. Est in primis ille tractatus valde singularis & ingeniosus, rarus, & obscurus plerumque; ac multipliciter dicta ibidem interpretari possunt. Fundamenta etiam plura præsupponit, & Philosophorum, & Theologorum; plurima quoque paucis verbis comprehendit: nescio breuiter quo spiritu, nisi sapientiæ diuinæ huiuscemodi spectamina adinuenit. Textus insuper valde intricatus erat: tum ratione ordinis propositionum; tum quotationum perplexitate, & numerorum ac remissionum: tum diuturnitate temporis, & scriptorum vitio, atque originalium hactenus raritate. Itaque nedum mihi, imò ipsimet auctori ad plenum huius tractatus depuratio difficilis certè nunc esset: vt potuimus tamen cuncta disposuimus, & nunc magis declarabimus, & iuxta textum prolixiùs solito, instabimus: propositiones tamen ipsæ & sententiæ principales, satis clarè habentur. Difficultas ferè tota est, & in ordine earum, & in applicatione quotationum, & allegationum, ac verificatione earum, vt in sequentibus suis in locis tangam. Posset præsens tractatus diuidi in tres partes principales, secundùm quòd materiam trium facultatum continet, videlicet Theologiæ, Metaphysicæ, & Physicæ. Omnia tamen, vt finaliter videtur, ad speculationem metaphysicalem reduci*

Mirabili spiritu adinuéta hęc Theoremata à Doctore.

Diuisio tractatus in tres partes.

reduci possunt: pluribúsque aliis subdiuisionibus, quas in locis suis tangam, possent partes, & particulæ, diuidi. Totus etiam tractatus in tot conclusiones, seu particulas partiri poterit, vt notabo.

Ad rem igitur accedo. Et quia sermo debet esse maximus in principio, sententia Platonis, vt recitat Auerroës 3. de Anima, commento 4. *Ideò primò à tractatus nominis interpretatione inchoabo. Superiùs ergo inchoando,* Θεός *Græcè, Latinè dicitur Deus, vel timor, qui conuenit colentibus Deum. Inde* thus, *quia in sacrificio Deorum adoletur. Inde etiam* θεότης, *id est, Deitas, &* θεωρεῖν, *id est, videre. Vnde Damascenus* lib. 1. cap. 12. Secundum nomen verò Θεός, id est, Deus, dicitur; vel ab eo, quod est θεῖν, id est, currere, vel disponere vniuersa: vel ab αἴθειν, id est, vrere: Deus enim ignis est consumens omnem malitiam: vel à θεᾶσθαι, id est, à considerando omnia, nulla enim eum latent, imò omnium est contemplator. Considerauit enim omnia ante generationem eorum intemporaneè, sine tempore excogitans. *Ideò, vt inquit iste,* 2. dist. 1. quæst. 2. *secundùm omnem interpretationem Damasceni Deus est actu operans,* θεωρεῖν *etiam est cogitare diuina: vnde* theoria, *vel* theorica *dicitur scientia, quæ tractat de inuisibilibus: inde* theoricus, *id est, speculatiuus, vel contemplatiuus: à* θεωρέω, *etiam theatrum, id est, spectaculum venit, &* theoria, *id est, diligens perscrutatio. Venit etiam ad propositum à* θεωρέω, *hoc* theorema, tis, *elegans, & diligens verborum præscriptio, vel regula; vnde regulæ Geometricæ dicuntur Theoremata, teste Boëtio de disciplina scholastica, cap. 4. vbi enarrando loca Academiæ, & auctores, atque facultates, quondam Athenis, dicit, hîc vigent Euclidis Theoremata, quasi apertiones: quia aperiunt, & illuminant mentem lectoris: idem &* theorisma: *vnde prima principia appellantur regulæ æternæ, vt exponit iste,* 3. dist. 1. quæst. 4. *dicuntur etiam spectamina: vt habet Augustinus* 2. Soliloquiorum, *quasi spectacula, & communes animi conceptiones, vt loquitur Boëtius* de Hebdomadibus.

2. Vnde dicitur *Deus?*

Has etymologias expenderit lector.

Deus, actu operans. Quid theoria, seu theorica?

Theorema *Vnde dictū?*

Theatrum vnde dictum.

Prima principia dicūtur regulæ.

Ad propositum ergo Doctor appellauit hunc tractatum, Theoremata; eo quia regulas euidentissimas, seu speculatiuas potiùs, atque contemplatiuas hîc tradidit, vt in pluribus, maximè secundùm communiter loquentes; interdum limitando aliquas, atque corrigendo, seu totaliter excludendo. Communiter verò eas exponit modo suo, nam textum, & commentum facit ad modum Procli, vel Dauid Iudæi: qui auctor de Causis nominatur; ideò posuimus differentiam in litera grossa, videlicet pro textu, & subtilem pro commento; licèt ad plenum non obseruabatur, vt infrà in locis suis notabo seriatim. His etiam maximis vtitur in scriptis suis plerumque, saltem implicitè. Nonnulli quoque antiquorum scripsere Theoremata ad diuersas materias in speciali; vt Ægidius Romanus in materia Sacramenti Eucharistiæ. Ista verò generalia dicta sunt, atque elementa, & maximè in speculatione metaphysicali, naturali, & Theologica, vt priùs dictum est. His ergo de tractatus nomine prælibatis, ad literam Doctoris & corrigendam, & aliqualiter declarandam; defendendam, atque conformandam, accedo. Paucis tamen & breuibus, lectorem solummodò ad altiora inquirenda excitando, vt in præcedentibus feci.

3. Quare hic tract. vocatur Theoremata?

Theorematibus his velut maximis vtitur Scotus in suis scriptis.

ANNOTAT. MAVRITII.

4. PRimum Theorema, vel prima propositio, seu conclusio est talis: *Intellectionem intelligibile,* &c. superiùs enim inchoauit iuxta ea, quæ notauit super 1. Metaphysic. quæst. 2. in quodam notabili in principio solutionis: quod *Extra,* assignauimus, vbi inuestigat modum inquirendi veritatem, & cognitionem rerum; & vnde incipere debemus. Cùm ergo quicquid scimus, & intelligimus intellectione formaliter, & obiecto, seu intelligibili, effectiuè, vel terminatiuè saltem intelligamus; congruum erat videre primò, qualiter se habent ad inuicem ipsa intellectio, & intelligibile; deinde qualiter intelligibilia inter se. Primum tangit in duabus primis propositionibus. Secundum incipit propositione tertia, ibi, *Vniuersale primò,* &c. Dicit ergo primò, quòd intelligibile præcedit intellectionem naturâ. Non dicit duratione, vel tempore, propter intellectum diuinum, & Angelicum, & humanum aliquando, si ponatur intuitiuè intelligere, & simul tempore aliqua intelligibilia, vt se, vel actus suos, vel sensibilia primò producta, vt 45. *dist.* 4. &

Intelligimus intellectione formaliter, obiecto effectiuè.

5. *Quo intelligibile præcedit intellectionē.*

& 3. diſtinct. 1. & alibi plerumque in doctrina huius poteſt videri; ſaltem de quocumque intellectu eſt verum, quòd intelligibile naturâ præcedit eius intellectionem. Et hoc non ſolùm verum eſt de potentia intelligibili; ſed de actu intelligibili.

6. Deinde exponit ſe ibi: *Quod eſt: quoniam paſſio præſupponit agens*, &c. quæ expoſitio eſt obſcurior ferè textu, & continet multa in ſententia, licèt verba ſint pauca, & poſſet formari ratio ſic: Quicquid eſt poſterius naturâ vno eorum, quæ ſunt ſimul naturâ, eſt ſic poſterius reliquo: ſed intellectio eſt poſterior intelligente, vel intellectiuo, quod ſimul naturâ eſt cum intelligibili; ergo eſt poſterior naturâ intelligibili. Quamuis verba formalia Doctoris non ſint iſta: tamen argumentum iſtud ſatis probat eius intentum. Dicit ergo quòd paſſio præſupponit agens, & ſimiliter actio paſſum circa quod eſt: intellectio autem eſt circa intelligibile, quod eſt alterum, vel ad alterum, ſecundùm aliam literam,

Intellectio eſt paſſio. quia nõ actio, 1. d. 5. q. 6. ad 4.

Aliter tamen ad mentem Doctoris arguitur, præſupponendo primò, quòd intellectio poſſit dici actio, & paſſio: vt pertractat iſte 13. & 15. *quæſt. Quodlibeti, & 3. diſtinct. 1. quæſt. finali, & 13. diſtinct.* 4. Præſupponendo etiam quòd obiectum, ſaltem motiuum, ſit cauſa efficiens partialis intellectionis, vt *3. diſtinctione 1. quæſtione 7. & alibi* ſæpè habet. Tunc ſic: intellectio ſi eſt paſſio, præſupponit intelligibile, tanquam agens, & cauſam eius: & ſi eſt actio, præſupponit intelligibile, tanquam circa quod habet eſſe, & ad quod terminatur; ergo omni modo accipiendo intellectionem, ipſam naturâ intelligibile præcedit. Hoc argumentum fidem facit.

Intellectio poteſt dici actio, & paſſio.

7. Circa hoc Theorema, & commentum eius; vt clariùs intelligantur, inſtatur primò in diuinis, cùm ibi negetur communiter prioritas eſſentiæ diuinæ & intellectionis eius, cùm ſint penitùs idem identitate ſimplicitatis; falſa ergo eſt propoſitio ibi. Item, illæ ſunt ſimul naturâ, quæ ſunt in eodem inſtanti naturæ: ſed omnia ad intrà in diuinis ponuntur in eodem inſtanti naturæ, in doctrina huius, vt 1. *quæſt.* 1. *diſtinct.* 2. habet, *& 14. quæſt. Quodlibeti* aliqualiter. Item, intellectio diuina non includit imperfectionem, cùm ſit infinita intenſiuè: ſed omne poſterius alio naturâ includit imperfectionem; ergo intellectio diuina, non eſt naturâ poſterior intelligibili. Patet conſequentia cum maiori. Minor eſt iſtius in Quodlibeto *quæſt.* 4. *artic. 1. ad finem.* Item, generaliter videtur propoſitio falſa: quia correlatiua ſunt ſimul naturâ: intellectio, & intelligibile, ſunt huiuſmodi; ergo, &c. Maior, & minor ſunt Ariſtotelis. Minor etiam eſt huius, in Quodlibeto, *quæſt.* 13. & alibi. Item, illud intelligibile non præcedit naturâ intellectionem, quod per intellectionem producitur in *eſſe*, vt ſimpliciter, vel ſecundùm quid; ſed multa ſunt huiuſmodi intelligibilia, vt patet de creaturis omnibus reſpectu intellectionis diuinæ, & de actibus intelligendi, & ſecundis intentionibus, reſpectu cuiuſcumque intellectus. Item, nihil videtur actu intelligibile (loquendo de materialibus, & reſpectu intellectus viatoris) niſi per actum intellectus, de ordine in ordinem transferentis; falſum ergo eſt, quòd actu ſaltem intelligibile, naturâ præcedit, ſicut expoſuiſti.

Item, contra dicta in commento propoſitionis arguitur primò, cùm dicit, quòd paſſio præſupponit agens. Probo, quòd non, ſic: Quod non præſupponitur ab vno eorum, quæ ſunt ſimul natura, nec ab altero (loquendo de ordine naturæ:) ſed paſſum, quod eſt poſterius, vel ſimul naturâ cum paſſione, non præſupponit agens, ſed eſt ſimul naturâ cum eo; ergo, &c. Vel ſic: Quod eſt prius altero eorum, quæ ſunt ſimul naturâ, non præſupponit reliquum: ſed paſſio eſt prior paſſo, ſicut cauſa formalis effectu tali: paſſum autem eſt ſimul naturâ cum agente; ergo paſſio non eſt poſterior agente, nec præſupponit ipſum. Item, cùm dicit, quòd *omnis actio circa aliquid eſt*, videtur falſum de actione creatiua, quæ nihil præſupponit. Et ſi dicas, quòd intelligitur terminatiuè; inſtantia eſt de actione annihilatiua. Item, quæro quid velit inferre ex his, niſi ponat intellectionem eſſe paſſionem, vel actionem. Si paſſionem, contrà, tunc non erit in diuinis. Item, erit reſpectus, & non perfectio abſoluta, ſeu qualitas, quod communiter videtur negandum. Si autem ponit ipſam eſſe actionem, vt verba videntur exprimere, & obiectum eſſe paſſum; contrà: tum, quia, vt priùs, erit reſpectus: tum, quia obiectum eſt mouens non motum 3. *de Anima, text. comm.* 54 Tum etiam, quia non videtur deductio ad propoſitum, ſic, cùm dicit, *paſſio præſupponit agens*; imò potiùs ad oppoſitum: niſi intelligeret intellectionem eſſe paſſionem. Item, cùm dicit, quòd *illud circa quod eſt intellectio, eſt alterum*: contrà, in diuinis, vbi non eſt talis alietas. Item, multi volunt quòd actus rectus, & reflexus ſunt idem: quo poſito, falſa eſt propoſitio. Si verò ponatur alia litera; ſcilicet, *ad alterum*, adhuc videtur falſa plerumque 8.

9. Ad iſtas inſtantias reſpondeo. Ad primum, quòd in diuinis ſecundùm veritatem eſt ordo naturæ, & per conſequens prioritas talis. Nec obſtat ſimplicitas diuina, & identitas realis, quia cum vera identitate tali ſtat pluralitas rationum formalium, naturaliter ordinatarum, vt in pleriſque locis habet iſte: communiter igitur negantes ſpecialiter negantur. Ad aliud dico, quòd inſtantia illa naturæ, de quibus loquitur Doctor 1. *quæſt.* 2. habent latitudinem, ita quòd in vno eorum aſſignatur ordo multiplex naturæ, vt ibidem tangit expreſsè: ſtant igitur ſimultas, & poſterioritas diuerſimodè. Ad aliud, nego minorem. Ad probationem dico, quòd loquitur ibi Doctor de ordine naturæ, & eſſentiali naturarum, & eſſentiarum diuerſarum; non autem de ordine naturæ naturalium perfectionum eiuſdem naturæ, qualis eſt in diuinis. Ad aliud, quòd procedit de relatiuis mutuis primi, & ſecundi modorum: non autem de illis tertij modi. Vel negatur minor, loquendo de per ſe relatiuis. Vel aliter, quòd non *intellectio*, ſed *intellectiuum* eſt eius correlatiuum. Vide in Quodlibeto quæſt. 13. Ad aliud, quòd intelligitur propoſitio de intelligibili motiuo, & primario, vt ſequens propoſitio declarat. Vel aliter, quòd creaturæ præcedunt virtualiter, & relucent in memoria, ante intellectionem earum in intelligentia, vt 10. *diſtinct.* 1. habet, & quòd ſecundæ intentiones alio actu producuntur, & alio intelliguntur, vt in difficultatibus ad hoc motis,

In diuinis eſt prioritas naturæ.

Eſſe poſterius natura, non dicit imperfectionem.

Intellectio, & intelligibile, an correlatiua.

An creatura ſint in memoria, vel in intelligentia Dei vide Scotum 2. d. 1. q. & ibi Barg. & Licketum.

tis,

tis, super quæstiones huius in Porphyrium diffusè tractaui. Ad aliud, data veritate assumpti, dico quòd ille actus, quo fit actu intelligibile de potentiâ intelligibili, non est intellectio, sed est actus intellectus agentis abstrahentis, vel speciem causantis: vnde actus intellectus præscindit ab *intelligere*, & *dicere*.

Actus intellectus agentis nō est dicere, nec intelligere.

Ad aliud, quòd agens, & passum possunt accipi pro formali, & sic procedit argumentum: vel pro substrato, & sic loquitur Doctor: passio enim, siue absoluta, siue respectiua, præsupponit absolutum agentis. Similiter actio, absolutum passi: vt 30. 35. & 43. *dist. primi*, & 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. habet iste.

10. *Actio creatiua aliquid præsupponit.*

Ad aliud, posset negari quòd actio creatiua nihil præsupponit, simpliciter loquendo; immò duplex *esse* rei creabilis præsupponit, scilicet cognitum & possibile, vt *in* 2. *vbi suprà*, habet Doctor: vel si contendas, quòd nihil reale præsupponit, posset dici vno modo, quòd intelligitur propositio terminatiuè. Et tunc instantia de annihilatione, non procedit: quia *annihilare* non est agere, sed negatio, vel priuatio actionis, vt 1. *dist.* 2. & 1. *quæst.* 4. 12. *quæst. Quodlibeti* habet iste. Sed dices, quòd tunc non est ad propositum: quia terminus non præsupponitur. Hoc negari potest, loquendo de absoluto in termino, & respectu actionis: quia absolutum in effectu prius est respectu in ipso, & in causa: sed quia intelligibile non est terminus intellectionis, sed potiùs intellectum, potest aliter dici, quòd vniuersaliter est verum omnem actionem, siue immanentem, siue transeuntem, esse circa aliquid, aut obiectiuè, aut subiectiuè præsuppositum. Quomodo autem, & quare intellectio dicitur actio, & passio, cùm veriùs sit operatio, vide vbi suprà in primo, & quodlibeto.

Annihilatio non est agere.

Omnis actio, etiam immanens est circa aliquid præsuppositum.

Ad aliud, patet suprà, quomodo intelligit ipsam intellectionem esse passionem, & actionem diuersimodè, & connotatiuè, atque metaphoricè. Et cùm infertur, quòd tunc non esset in diuinis, vide 35. *dist. pri. in Reportatis* egregiè ad hæc. Intellectio enim diuina non recipitur, nec efficitur, nec producitur, nec elicitur, propriè loquendo, sed est operatio emanans: penuriâ verò nominum, & metaphoricè vtimur modo dicendi circa creaturas, in diuinis: veriùs namque intelliguntur, quàm exprimuntur; & veriùs sunt, quàm intelligantur à nobis Dei inuisibilia arcana.

Intellectio in Deo non est passio, nec actio

Cùm iterum infertur, quòd tunc esset respectus. Nego formaliter, sed benè concomitanter. Quære in quodlibeto *quæst.* 13. fundamenta subtilissima ad hæc omnia, & quot, & quales respectus, & ad quæ includit intellectio.

11. *Quos respectus includit intellectio? quodlib.* 13.

Quod additur ex 3. de Anima: qualiter obiectum est mouens, non motum, quære singularissimè 3. *dist. primi. quæst.* 8. *soluendo principale*; & 3. *dist.* 2. *quæst.* 8. *soluendo* 3. *instantiam in solutione*, & *in quodlibeto*, *vbi suprà*, & *in quæst. lib. de Anima*, expositionem illius propositionis. Sed ad propositum, concedo, quòd intelligibile dicitur passum, vel materiale metaphoricè; propriè verò motiuum, & effectiuum: & hoc loquendo de primario, vel motiuo, vt priùs.

Ad aliam probationem ibi, qualiter intelligit intellectionem esse passionem, & qualiter deductio est ad propositum, iam dictum est.

Obiectum est effectiuum.

Ad aliud, dico, quòd sufficit alietas ex natura rei, vel formalis, ad verificandum dictum Doctoris; qualis est in diuinis, maximè respectu obiecti primarij.

Ad aliud de actu recto & reflexo, dico, quòd alia via est securior in creaturis, scilicet quòd sunt diuersi actus. Quære Ocham, & Franciscum, & alios sequaces huius. Sed qui vellet tenere illam viam, posset dicere, quòd argumentum procedit de obiecto secundario, & terminatiuo tantùm. Ad vltimam instantiam, si illa litera placuerit, dico, quòd omne intelligibile est ad alterum, relatione reali, vel rationis, & hoc sufficit. Alia tamen litera scilicet *alterum* absque *ad*, magis placet. Plura alia addat ingeniosos lector, ad hæc.

Quomodo intellectio est ad alterum.

THEOREMA II.

SCHOLIVM.

Hoc Theorema patet euidenter ex primo, vt ait Doctor: quia si intelligibile primum est prius intellectione, non potest per eam accipere esse. Secundaria tamen intelligibilia, seu esse diminutum creaturarum, intellectione creantur, non sumendo creationem *pro positione rei in vera existentia, sed in esse secundùm quid, de quo vide Doctorem* 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. & *alias passim.*

Primum intelligibile intellectione creari, impossibile.

Quod ex prima patet; comparando intellectionem, & intelligibile ad eundem intellectum.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur secunda conclusio. *Primum intelligibile, &c.* quæ satis clara est ex dictis, vt inquit Doctor in commento: sunt enim vt catena quædam, istæ propositiones, vt plurimùm. Et potest verificari hæc propositio de triplici primitate, scilicet originis, adæquationis, & perfectionis. Et notanter dicit *primum*, ad differentiam secundarij, quod intellectione potest causari, vt patet de ipsa intellectione, quæ potest esse *quo*, & *quod*. Excludit etiam instantiam, exponendo propositionem, cùm dicit comparando intellectionem, & intelligibile ad eundem intellectum; quia, vt suprà notaui, intellectus diuinus producit omnia in *esse* cognito, actu intelligentiæ: & ita quod est primum intelligibile naturaliter, simpliciter, respectu intellectus creati, producitur intellectione Dei, quæ est mensura rerum. 12. *Metaphysica*. & hoc debet intelligi de primo, primitate originis, non perfectionis, nec adæquationis, vt patet speculanti. Posset etiam ponderari illud quod notaui super quæstionem 4. huius in Porphyrium, de intellectione Vniuersalis hîc, & plura alia, ad quæ aduertat lector. Ex euidentia etiam huius Theorematis, patet falsitas imaginationis Thomistarum de primo cognito, quod assignant magis vniuersale, quod ex fundamentis opin. eorum, non habet aliquod esse reale; sed tantùm per intellectum; ergo primum intelligibile secundùm eos causabitur intellectione eiusdem intelligibilitatis: quod est oppositum veritatis huius conclusionis, & per consequens hæresis metaphysicalis.

Intellectus Dei omnia necessaria alia, à se producit in esse cognito actu intelligentiæ.

THEOREMA III.

SCHOLIVM I.

Assertionem huius Theorematis fusè tradit 1. dist. 3. quæst. 2. num. 21. vbi tribus rationibus probat vltimam speciem esse primum cognitum: idem probat sex rationibus quæst. 16. de Anima. Vbi in Commentario refutaui, solutiones aduersariorum ad eas: de quo etiam agit 1. Metaph. quæst. 10. Hîc tantùm comparat vniuersale ad singulare tantùm, non autem vniuersale ad magis vniuersale; & ostendit contra aduersarium, quem nomine loquentis, *intelligit, siue dicamus singulare imprimere propriam speciem, siue non, naturam à singularitate distinctam, priùs intelligi; quia perfectior est, & consequenter priùs imprimit sui speciem. An verò singulare habeat pro nunc propriam speciem, néc ne, verius est quòd non, de quo egi in Comment. conclusione 5. ad quæst. 22. de Anima. litera hîc obscura est, pro cuius explicatione, vide Mauritij annotationem.*

1. *Vniuersale primò intelligimus.*

Quod ex signo patet. Priùs enim puer concipit hominem, quàm hunc hominem: priùs enim patrem suum distinguit à non homine, quàm à non Socrate: cùm omnem hominem vocat patrem, & nullum aliud, alium. Sed hanc propositionem famosam apud Philosophos negat loquens, asserens primò concipi singulare, à quo species intelligibilis primò genita est; nihil autem agit, nisi inquantum singulare: igitur nec gignit: & species sic ostendit obiectum, sicut ab ipso gignitur. Cùm de puero obiicitur, respondet quòd hunc hominem primò concipit, sed homine certior est distinctio: quia minùs aliis assimilatur, quàm hic homo, illi.

Opi. Nominaliũ quam sequitur Ocham.

Quare puer vocat quẽlibet hominem patrẽ?

Quomodo itaque intelligitur vniuersale? Respondeo, relinquendo quod singulare est in primo obiecto, & naturam intelligendo: nam obiectum compositum potest intellectus sua virtute distinguere, partem concipiendo vt obiectum, & partem negligendo. Itaque intellectus agens non facit vniuersale, quia circa obiectum actu intellectum, nihil operatur: sed tantùm circa intelligibile in potentia, & eius operatio terminatur ad intelligibile in actu, quod adhuc est singulare.

Intellectus agens non facit vniuersale.

Sed vlteriùs intellectus possibilis distinguendo in consideratione, partem conceptus à parte, facit vniuersale. Quare ergo de singularibus non sunt propriè scientiæ, quæ tamen cùm sint infinita iubet Plato relinquere? Quomodo etiam habens speciem trianguli, per illam non errat in describendo hunc triangulum rectum; cùm tamen artifex non cognoscendo in particulari, facilè errat in faciendo? Huius enim non habet speciem antequam ipsum describat; quia vnde esset illa genita? Sic ædificator de singulari domo ædificanda propriam artem haberet, quam non posset acquirere, nisi domo priùs factâ; nec domus fieri, nisi præesset ars.

Ars non cognoscendo in particulari, facilè errat.

Quod arguit loquens: singulare agit, sed non inquantum singulare; natura enim est ratio agendi: & sicut in actione reali, productum non assimilatur producenti, secundùm singularitatem producentis; sed secundùm naturam, quæ fuit ratio producendi: ita in gignitione ista, species est similitudo naturæ, non singularitatis, quæ non fuit ratio gignendi, licèt necessaria sit ad gignitionem. Aut enim impossibile est singularitatem esse rationem agendi; & impossibile erit speciem propriam esse singularitatis, sicut & effectum realem similem singulari, inquantum singulare est; aut non necesse est singularitatem specie ostendi: quia nec esse rationem formalem gignitionis cuiuscunque; & tunc sensus non cognosceret per se singulare; aut non gignitionis, quæ fit in intellectu, quæ principaliter fit ab intellectu agente; aut saltem in illo lumine singularitas non potest se multiplicare: natura potest, quia est perfectior ratio agendi; aut si non propter lumen, quia maius lumen sufficit ad gignitionem à debiliori sibi proportionato, saltem intellectum possibilem singularitas non potest, natura potest; aut tandem (quod ad propositum sufficit) si singularitas est entitas aliqua, & ideò possibile est, quòd sit ratio agendi, siue producendi propriam similitudinem, & si possibile, igitur & necesse: quia natura non est libera, priùs natura ipsa erit ratio gignendi; igitur species eius priùs imprimetur, & ita stat conclusio principalis contra loquentem.

2. Singularitas non est ratio agendi, sed natura. Scot. 3. d. 3. q. 6. ad 1.

An singularitas repræsentetur per propriã speciem.

Species naturæ priùs imprimitur.

Huius disiunctiuæ, duæ primæ partes non placent, nec aliquod membrum sub secunda parte: quia quodlibet attribuit perfectioni intellectus in cognoscendo, & imperfectionem singularitatis in cognoscibilitate: quod non credo verum esse: sed ex imperfectione intellectus, etsi enim comparando præcisè sit natura perfectius cognoscibile singularitate; tamen perfectior est cognitio naturæ singularis; quàm naturæ tantùm, quia distinctior. Sicut autem intellectus componens potest cognoscere principium, & ex imperfectione sua, & conclusionis non potest conclusionem remotam, cuius minor est cognoscibili

3. Perfectior cognitio naturæ singularis, quàm natura tantùm.

ſcibilitas: tamen perfectius eſſet ſi vtrunque poſſet: ſic hîc propter defectum poſſibilis, quoniam non eſt paſſiuè diſpoſitus, non poteſt immutari, niſi à forti obiecto.

Intellectus quomodo diſpoſitus ad omnia? Contrà: eſt ſummè diſpoſitum ad omnia. Item, quantò inferius paſſiuum, tantò ſufficit debilius agens. Ad primum, ſummè, per carentiam contrarij; non per inclinationem naturalem. Ad ſecundum, verum accipitur, quando paſſiua duo ordinantur ad tales duos actus, inferius ad inferiorem, ſuperius ad ſuperiorem; aliter eſt falſum. Aliquid enim poteſt mouere ſubſtantiam compoſitam localiter, quod non poteſt mouere materiam primam ad formam ſubſtantialem. Similiter ad eundem actum paſſiuum ſuperius, ita quòd diſpoſitius poteſt debilius agens mouere: ſic hîc.

SCHOLIVM II.

Alij duo modi dicendi. Primus, ob defectum luminis in intellectu agente ſingulare non poſſe agere ſui ſpeciem in poſſibili; naturam ſic, quia eſt perfectior. Secundus, ob imperfectionem intellectus poſſibilis, ſpeciem ſingularis in eo receptam, non efficere intellectionem: vtrumque exemplo declarat, ſatis apto. Inſtat dupliciter, ad primum. Nota tunc totum prius confusè intelligi, quando eius confuſio non eſt coniuncta diſtinctioni oppoſita, nempe ſingularitati: ſic totum integrale, & eſſentiale, priùs intelligitur confusè, quàm diſtinctè; de quo vide Doctorem locis citatis; vbi maximè illa quæſt.2.num.21.benè explicat, quid eſt diſtincta, & quid confuſa cognitio, & num. 25. quòd magis vniuerſalia priùs diſtinctè, minùs verò, confusè cognoſcantur. De puero illo, vide eum quæſt. citata de Anima.

4\. *Vnde ſingulare non gignit ſpeciē?* Aliter poteſt poni, propter defectum luminis intellectus agentis. Natura, quæ cognoſcibilior eſt, poteſt in ipſo agere, & intellectum poſſibilem immutare: non autem hoc poteſt ſingulare, quod eſt minùs cognoſcibile: poſſet tamen, ſi eſſet lumen fortius: quemadmodum debile coloratum in lumine candelæ non videretur, in quo tamen videretur fortius coloratum; debile verò in maiori lumine videretur. Aut poteſt poni defectus hic, non ex parte luminis, inquantum requiritur ad actionem obiecti; ſed inquantum requiritur ad actionem, ſiue ad intellectionem intellectus poſsibilis, vt videlicet ſpecies ſingularis infiat impoſsibili. Sed ille non percipit propter defectum ſui luminis, quemadmodum ſpecies decimæ milleſimæ partis milij infit oculo; ſed obiectum non percipitur propter defectum luminis in potentia; & ſic poſſet poni, quòd ſemper fit eadem ſpecies ſingularis naturæ: ſed oſtendit huic intellectui naturam, non ſingularitatem propter defectum virtutis cognoſcitiuæ, quæ poteſt dici lumen intellectus vno modo.

Contrà: ſicut in parte milij confuſum præcognoſcitur, & pars non diſtinguitur; quare hoc totum non intelligitur primò, ſcilicet natura ſingularis; ſed ſeparatim natura? Reſpondeo, vbi confuſio totius eſſentialis, vel integralis non coniungitur diſtinctioni oppoſitæ confuſioni totius vniuerſalis, ibi confuſum priùs intelligitur, ſicut à remotis album viſum non cognoſcitur album, ſed coloratum; quia virtus non concipit, niſi confuſum confuſione vniuerſali, non eſſentiali: quia illud eſt diſtinctum: omnis igitur ſimplex apprehenſio, primò eſt confuſi vniuerſalis, ſicut in ſenſu, ita in intellectu: licèt diſtinctiua quædam priùs ſit confuſi eſſentialis. *Omnis ſimplex apprehenſio primò eſt confuſi.*

Contrà: igitur viſus priùs apprehenderet qualitatem, quàm colorem; vel ens, quàm colorem. Reſpondeo, nulla potentia excedit obiectum ſuum primum; nec igitur viſus coloratum: ſed ſi viſus haberet ens pro obiecto, priùs apprehenderet ens, quàm qualitatem illam; & illam, quàm colorem. 5.

Quod autem ait loquens ad inſtantiam de puero, nunquid propriam vocem nouit? ſi inquantum hoc intelligo; igitur diſtinctè à non hoc. Quod addit. quomodo vniuerſale intelligitur? vt quid neceſſarius eſt intellectus agens? intellectus enim poſſibilis poteſt de ſe hoc concipere, alio non concepto, immò hoc eſt ex defectu ſuo, ſi propter intellectionem ſingularis eſt neceſſarius: illa ſequitur intellectionem vniuerſalis, ita quòd ſpecies priùs eſt in poſſibili. *Si intellectus poſſibilis facit vniuerſale, ad quid neceſſarius agens? intellige, ſi ille poteſt vnum ſine alio cōcipere.*

Si dicas nullam ſpeciem intelligibilem gigni ſine eo. Item, ſi vniuerſale abſtrahitur à ſingulari intellecto: aut idem à diuerſis, & tunc creſcit notitia vniuerſalis in infinitum intenſiuè: aut à primo tantùm, & quare non ſimiliter à ſecundo? cùm in illo ſimiliter includatur; aut aliud à diuerſis, & tunc multa vniuerſalia, idem vniuerſale. Item, quid iſte dicet intellectum differre à ſenſu, qui quòdammodò eſt vniuerſalis; licèt primò ſingularis? Si ideò, quia proprius ſenſus eſt rei, vt exiſtentis, à quo abſtrahit intellectus; ita & phantaſia. Si quia ſenſus eſt coniunctorum cum ſenſibili proprio, non eſt etiam hoc, niſi ſenſibilium communium; ita & phantaſia. Si tandem intellectus ſolus ſeparat ſenſibilia propria à quantitate, ſed ipſam quantitatem quodammodò aliter ſepa

ſeparat, quàm phantaſia, quia ſolam ſubſtantiam conſiderat, ſine quantitate, quandoque. Stat itaque tertia propoſitio, ex cuius declaratione patent multa; quæ lector attendat.

ANNOTAT. MAVRITII.

6. Sequitur tertia concluſio: *Vniuerſale primò intelligimus*, in qua tangit ordinem intelligibilium inter ſe, quæ valde notabilis eſt, & ſingularis ambiguitatis in doctrina huius. Diſputauit enim 1. *Metaph. &* 3. *diſt.* 1. de primo cognito, comparando magis vniuerſale ad minùs vniuerſale. Diſputauit etiam 7. *Metaph. & ſuper lib. de Anima, &* 13. *&* 9. *diſt.* 2. *&* 14. 3. de intelligibilitate ſingularis: ſed quod primum intelligitur, an ſcilicet ſingulare, an vniuerſale hîc determinatè, & egregiè pertractat: & intelligitur propoſitio de primitate originis. In commento digreditur ſuo modo. Primò probat concluſionem à ſigno, cum Philoſopho in proœmio Phyſic. ibi: *Quod ex ſigno patet, &c.* & procedit tantùm de vniuerſali ſpecifico, & ordine confuſæ cognitionis actualis. Deinde adducit opinionem aduerſariorum, ibi: *Sed hanc propoſitionem, &c.* quam ſequitur Ocham *diſt.* 3. *primi, & quodlibeto* 1. *quæſt.* 13. & multi ſequaces, & ponit motiuum eius, & euaſionem ad argumentum Philoſophi, & ſuum, à ſigno factum ibi; *Cùm de puero, &c.* & appellat opinantem, loquentem: non eo zelo quo Auerroës inimicus legum audet Legiſtas nominare loquentes in pleriſque locis, cùm tamen ipſe garrulator exiſtat; ſed veritate impulſus, quam præhonorare ſanctum cenſetur. In apparentia enim verborum, & ſophiſticis cauillationibus, & obſtinatione impudica, doctrina horum Nominalium conſiſtit: quos imitantur plurimi huius temporis, ne dum Scholaſtica concertatione, ſed quod peius eſt, moralis vitæ oſtentatione.

Q. 2.

7. Conſequenter ibi: *Quomodo itaque intelligitur vniuerſale, &c.* mouet dubium: & reſpondet. Quæ reſponſio licèt videatur ſua, non tamen ſequitur eam; ſed eſt opinantis: quæ tamen ſatis ſubtilis eſt, & apparens; ideò multi Scotiſtæ in hoc digreſſu cespitant: quia breuis valde eſt hîc Doctor, ſicut communiter in his Theorematibus, volabat certè mira ſolertia vbique in Metaphyſicalibus: vnde non ab re nomen ſubtilitatis ſortitus eſt, & principatum ſpeculationis: quo fit vt difficulter, & reſponſiones, & argumenta, & ſua & aliorum dicta, diſcerni poſſint in pleriſque locis. Declarat ergo in illa reſponſione modum intelligendi vniuerſale, & à qua potentia fit, & quid eſt obiectum intellectus agentis, & poſſibilis. Deinde ibi: *Quare ergo de ſingularibus, &c.* obiicit contra opinantem dupliciter, & conſequenter reſpondet ad motiuum eius ibi: *Quod arguit loquens, &c.* conformiter his, quæ habet 3. *diſt.* 1. *&* 3. *diſt.* 2. *&* 7. *Metaph. & ſuper lib. de Anima.* Vult breuiter, quòd ſicut in actione naturali, ſeu reali Phyſica; aliud eſt, quod agit; aliud ratio agendi; aliud conditio agentis. Primum eſt ſimul totum; ſecundum natura ipſa; tertium ſingularitas circunſtantionata. Explica de generatione ignis, vel caloris; ita in actione intentionali, ſeu intellectuali: quæ tamen extenſiuè realis eſt. Aliud agens; aliud ratio agendi; aliud conditio agentis, & patet litera vſque ibi: *Aut enim impoſſibile, &c.* vbi ponit diſiunctiuam trium partium, ſub quarum ſecunda ſunt tria, vel quatuor membra. Secunda pars diſiunctiuæ incipit ibi: *Aut non neceſſe eſt ſingularitatem ſpecie oſtendi.* Tertia pars ibi: *Aut tandem, quod ad propoſitum ſufficit, &c.* Inquirit enim, vel impoſſibilitatem, vel neceſſitatem: vel ſaltem poſſibilitatem gignitionis ſpeciei intelligibilis ipſius ſingularis. Vbi aduerte cùm dicit in tertia parte, *& ſi poſſibile: igitur neceſſe,* quòd tenet de neceſſitate, ſecundùm quid tantùm; maximè in creaturis: licèt Phyſicè loquendo, abſolutè concederetur, vt habet videri 2. 8. *&* 39. *diſt.* 1. *&* 7. *quæſt. quodlibeti, & alibi.*

Quomodo intelligitur vniuerſale?

Aliud agens, aliud ratio, aliud conditio agendi.

Tripliciter intelligi poteſt, ſingulare imprimere ſpeciem.

Deinde ibi: *huius diſiunctiuæ, &c.* excludit duas primas partes diſiunctiuæ, & omnia membra ſecundæ. Vbi ſaluabis, non ſuperfluitatem in verbis, vt noſti, & acceptat tertiam partem egregiè, vt vbi ſuprà à principio reſponſionis allegaui ipſum, conformiter tenet. 8.

Conſequenter inſtat dupliciter, & difficulter, contra dicta vltimò in hac reſponſione ibi: *Contrà: eſt ſumma, &c.* & ſoluit breuiter, & ſuo modo. In prima reſponſione nota cautè, cùm dicit, *non per inclinationem naturalem:* quia contra eum 1. *Metaph. quæſt.* 2. *&* 1. *quæſt. prolog. &* 14. *quæſt. quodlib. & alibi ſæpe*, poſſet ex hoc obiici. Diſtingue ergo de inclinatione naturali; mediata, & immediata; nuda & habituata; ex ſe, ſeu ex natura potentiæ, & inclinatione diſpoſitionis ſuperadditæ, ſiue ex conditione ſtatûs, vel ſub aliis verbis, vt ſcis. Vide 1. *quæſt. prolog.* Soluendo argumenta Philoſophorum, & principalia, & 3. *diſt.* 1. *&* 2. *& in quodlibeto, vbi ſuprà*, & alibi plerumque ad hæc.

Intellectus quomodo inclinatus naturaliter, & non inclinatus, ad intellectionem ſingularis?

In reſponſione ſecundæ inſtantiæ declinat quodammodò ad ea, quæ dixit priùs in ſecunda parte diſiunctiuæ ſuprà: & eſt ſingularis doctrina, & poſſunt inſtantiæ nonnullæ ibi adduci ad hominem, quod relinquo lectori; & tangit exemplum Philoſophi in de Senſu, & ſenſato, cap. 7.

Vlteriùs ibi: *Contra ſicut in parte, &c.* replicat contra applicationem illius exempli, & reſpondet ſatis obſcurè. Pro cuius declaratione tange plura eorum, quæ habet 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. Nam videtur prima facie repugnantia in dictis hîc, & ibi; ſed ſi benè ſpeculaberis, omnia conformiter dicit. Aduerte benè ad duplex confuſum, & oppoſitum diſtinctum; & qualiter magis vniuerſale poteſt accipi, vt confuſum, vel vt diſtinctum; ſeu vt pars, & vt totum, & plura alia vt ſcis. Conſequenter ibi: *Quod autem ait loquens, &c.* impugnat reſponſionem ſuperiùs datam, à loquente: ibi: *Cum de puero obiicitur,* & ſimiliter aliam reſponſionem ſequentem, ibi: *Reſpondeo, relinquendo quod ſingulare, &c.* impugnat ibi: *Quod addit quomodo vniuerſale, &c.* inquirendo ſtante veritate illius reſponſionis, ad quid poneretur intellectus agens? Vbi aduerte, quòd illa litera. *Si dicas nullam ſpeciem, &c.* poteſt poni coniuncta præcedenti, vel ſeparata, vt euaſio quædam, quam admittit implicitè, & aliter arguit conſequenter, contra loquentem ibi: *Item, ſi vniuerſale, &c.* vſque ad finem. Et aduerte diligenter ad ſingula verba per totum, & quære 7. *Metaph. quæſt.* 13. *ad fin. & quæſt.* 15. *&* 18. reſolutè, & egregiè complementum huius obſcuri ſermonis, & in ſententiis, vbi ſuprà, & alibi ſæpè. Et hanc tertiam concluſionem maximè intellige veram de cognitione abſtractiua, pro ſtatu viæ; & de vniuerſali pro ſubſtra

De cognitione confuſa, & diſtincta, 1. d. 3. q. 1.

Sermo eſt de notitia abſtractiua, & via.

substrato, seu in potentia: & alia plura notabit lector, vt Doctor admonet ad finem, non sine causa.

THEOREMA IV.

SCHOLIVM.

Hoc fusè probat 2. dist. 3. quæst. 1. sex viis ostendens contra Nominales, dari a parte rei vnitatem minorem numerica, seu naturam negatiuè communem: idem tractat in Porphyrium quæst. 4. 5. & 9. & latè 7. Metaph. quæst. 18. hîc in commento suadet ex secundo, & tertio Theoremate; quia cùm vniuersale primò intelligamus, ex tertio; & primum intelligibile non fiat per intellectionem, ex secundo; sequitur vniuersale, scilicet Metaphysicam, hoc est, naturam communem negatiuè, dari à parte rei: in commento alias adducit rationes.

Cuilibet vniuersali correspondet in re aliquis gradus entitatis, in quo conueniunt contenta sub ipso vniuersali.

1. Quod ex secunda, & tertia fiet manifestum: si enim nullum vniuersale dictum in quid de singulari extrà, causatur per intellectionem, vt ex illis sequitur, sibi correspondet aliquid in re: quia omne intelligibile, vel est in re, vel causatur per intellectionem: nec intelligitur hoc correspondere tantùm sicut fundamentum, quia sic secundis intentionibus aliquid correspondet: aliter enim non magis diceretur homo vniuersale, quàm Socrates: sed sumitur hîc *correspondere*, sicut suppositum idem realiter illi vniuersali: ita quòd vniuersalia non sunt fictiones intellectus, tunc enim nunquam in quid prædicarentur de re extrà: nec ad definitionem pertinerent, nec Metaphysica differret à Logica; immò omnis scientia esset Logica, quia de vniuersali, itaque secundùm ordinem vniuersalium, est ordo graduum entitatis in indiuiduo.

Si vniuersale esset fictio, Metaphysica non differret à Logica. Secundùm ordinem vniuersalium, est ordo graduũ entitatis in indiuiduo.

ANNOTAT. MAVRITII.

2. *Vbi de vniuersali agit Scotus?*

SEquitur propositio quarta: *Cuilibet vniuersali, &c.* In qua postquam in tertia ostendit vniuersalis intelligendi ordinem & modum, prosequitur de eius correspondentia reali in re, & est notabilis valde, & contra Nominales, cuius motiua in textu, & commento habentur in quæstionibus 7. *Metaphysic. & in 2. dist. 3. quæst. 1. & super Porphyr. quæst. 4.* & alibi plerumque. Vult breuiter, quòd dantur gradus in entibus secundùm magis, & minùs commune in re, ex natura rei; & similiter in vnitatibus sibi correspondentibus: & distinguit de duplici correspondentia, fundamentali videlicet, vel occasionali, & subiectiua, seu suppositiua. Et loquitur de vniuersali Metaphysicè pro substrato, cuius conditiones tangit in 2. *vbi suprà*, & 3. *dist. 1. quæst. 6.* de quo diffusè in quæstionibus huius super Porphyrium, & Antepraedicamenta, notaui. Et probat conclusionem istam ex duabus præcedentibus in commento, & litera est satis clara. Ponitur quædam litera in aliquibus originalibus ad finem commenti, quæ sic incipit: *Respondeo dici potest, &c.* vsque ad finem: quæ videtur extrà, vel additio: quam omisimus, quia non multùm communis, nec necessaria.

Circa dicta in textu hîc, & in commento, posset multipliciter obiici: sed breuiùs quo possum me absoluam. Videtur enim quòd contradicat commentum textui: quia textus dicit: *In quo conueniunt contenta sub ipso, &c.* & commentum declarando correspondentiam illam, dicit: *sicut suppositum idem realiter, &c.* In nullo enim eodem supposito conueniunt omnia contenta sub vniuersali. Item, cùm dicit consequenter, *Tunc enim nunquam in quid prædicaretur, &c.* videtur dicere oppositum super Porphyrium *quæst. 1. vel 2.* de Genere, soluendo argumenta principalia. Item, si deductio sua esset bona, sequeretur, quòd secundæ intentiones essent fictiones intellectus, cùm non habeant talem correspondentiam de qua hîc loquitur. Item, videtur valde difficile assignare huiusmodi gradus entitatis in re, & maximè in accidentibus, & in substantiis immaterialibus.

Ad primum dico, quòd est correspondentia formalis, quo ad gradum entitatis, & suppositalis identica gradui: vult enim, quòd homini, & animali, sic ascendendo correspondet, verbi gratiâ, Socrates, qui est idem eis, etiam formaliter: & in Socrate est graduum correspondentia, à quibus sumuntur talia prædicata, & in quibus conueniunt supposita. Ad secundum dico, quòd loquitur hîc propriè de *prædicari in quid*: vt scilicet determinat inhærentiam, in Logicalibus verò impropriè, vt ibi notaui sæpè. Ad aliud dico, quòd, respectiuè loquendo, possunt secundæ intentiones dici fictiones intellectus, non autem simpliciter. Ad aliud dico, quòd considerationes Metaphysicales transcendunt imaginationem sensibilium: & concedo, quòd sunt difficiles, non tamen impossibiles. De his, vbi suprà notaui sæpè, vt potui prolixè pertractaui, quære. Aduerte etiam, quòd notanter ibi dicit Doctor: *Cuilibet vniuersali, &c.* & non absolutè, cuilibet communi, vel conceptui, propter ea, quæ 8. *dist. 1. quæst. 2.* habet, & super *quæst. 4.* in Antepraedicamentis copiosè dixi, & alibi sæpè. Sed non est parua difficultas, vtrùm conceptui entis correspondeat quis gradus in re, sicut aliis prædicatis communibus. Quæ autem, & quot sint conditiones requisitæ ad rationem vniuersalis, super Porphyrio plerumque notaui. Quoties etiam accipitur ipsum, quære ibidem. Potest confirmari hæc conclusio ex primo Posteriorum, quia vniuersalia sunt vbique, & semper: quod debet intelligi de vniuersalibus positis, & perfectionem aliquam dicentibus, quære ibi.

3. In quo conueniunt contenta sub vniuersali.

Prædicari in quid sumitur propriè, & impropriè, quomodo? Secundæ intentiones, quomodo fictiones?

Vniuersali, vbique, & semper.

THEOREMA V.

SCHOLIVM.

Ratio huius Theorematis à posteriori, quia nihil cognoscitur perfectè, & distinctè, nisi cognitis omnibus eius prædicatis in quid: etsi hæc essent infinita, inferius ea includens cognosci non posset, sic; quia cognitio distincta inferiorum habetur per distinctam notitiam superiorum inclusorum in eis, incipiendo à primo: si er-

go superiora essent infinita, nunquam perueniretur ad inferius, nec esset primum à quo inchoandum foret. Quòd verò superiora prius cognoscantur cognitione distincta, probat benè Doctor 1.d.3. quæst. 2. num.24. 25. & quæst. 16. de Anima, *vbi quædam addidi in commentario. Commentum Doctoris hîc obscurum est, de quo vide Mauritij Annotationes.*

In eo, quod quid est, prædicantia in infinitum ire impossibile est.

1. Quod est: quoniam tunc nihil erit notum: quia infinita non est pertransire, nec simul intellectu finito apprehendere: non autem perfectè cognoscitur aliquid, ex quarta propositione, resolutoria cognitione, nisi omnia prædicata in quid cognoscantur: licèt confusè cognosci possit, illis prædicatis non cognitis, nisi confusè, vt in illo; quod posset fieri, dato per impossibile, quòd essent infinita: quia aliàs nullo modo difficilioris actus circa speciem plura genera habentem. Item, probatur hæc quinta: quoniam infiniti gradus entitatis essent in specie specialissima, ex quarta.

Si prædicata in quid essent infinita, nihil esset notum.

ANNOTAT. MAVRITII.

2. Sequitur quinta conclusio: *In eo, quod quid, &c.* de statu in prædicatis vniuersalibus ponendo: & ordinatè procedit Doctor. Hæc conclusio habetur 1. *Posterior.* copiosè probata; & 2. *Metaph. &* 4. *atque* 8. quam probat dupliciter. In prima probatione tangit duplicem cognitionem alicuius, & aliorum in ipso. *Vide* 3. *dist. pri. quæst.* 2. & remittit se ad quartam propositionem resolutoriam. Licèt originalia variè ibi habeant literam: ita quòd ly *resolutoria* additur *propositioni*, vel *cognitioni*, sic: *resolutiua cognitione*; & sic posset poni prol. 4. 10. infrà, numerando tantùm sex ante definitiones infrà: sed alia litera placet, omittendo ly *cognitione*; infrà verò notauimus

8. Theor. propositiones resolutorias, ibi: *Conceptum dico, &c.* quæ tamen sunt definitiones: elige quod volueris: quia vtraque litera poterit saluari, illa quarta est talis: *Omne illud, & solum illud, &c.* li-

9. Theor. cèt posset assignari infrà, ibi: *Conceptuum resolutio, &c.* Est etiam varietas originalium ad finem illius primæ rationis, ibi; *quia nec modò difficilior actus.* vel sic: *quia aliàs nullo modo difficilior, &c.* sed prior litera placet, licèt alia posset saluari recurrendo ad cognitionem distinctam, seu perfectam. Secunda probatio propositionis, est satis clara ex quarta. Instantias hîc adducere omitto: quærantur super 1. Posteriorum, & vbi suprà copiosè, vt volueris.

THEOREMA VI.

SCHOLIVM I.

Sextum Theorema habes resolutum de primo principio, cap. 3. *conclusione sexta, vbi probat necessitatem essendi vni tantùm naturæ competere: & conclusione decima quinta, vbi ostendit triplicem primitatem, efficientiæ, eminentiæ, & finis, vni tantùm conuenire posse; idque etiam probat* 1.dist.2.quæst.2.art. 2. num. 18.& cap.4.de primo Princ. conclusione vlt.& 1. d. 2. quæst. 3. *vbi demonstrat vnitatem Dei. Sed in hoc Theoremate, de vnitate supremi prædicati agit: verùm rationes probantes vnitatem in prædictis, suadent etiam vnitatem vniuersalissimi prædicati. Septimum Theorema est resolutio sexti, quod magis videtur quæstio, quàm assertio, secundum aliquos, qui ideò illud non numerant inter Theoremata. Cæterùm dici potest, assertionem esse disiunctiuam, etsi in commento inclinet magis, quòd sit vnum; in septimo verò id firmiter asserit: & iuxta hoc, de his loquitur, illis verbis commento septimi.* Igitur solutæ sunt duæ primæ quæstiones: *licèt obscurum sit, quare eas vocet primas, nisi intendat esse tales, quoad conceptus obiectiuos, seu prima obiecta conceptuum, de quibus immediatè agit.*

Aut in vno vniuersalissimo prædicato in quid statur; aut in multis.

Rationabilius videtur, omnem multitudinem ad vnum reduci in quocunque ordine. Quòd si plura prima dentur, nullum erit vniuersalissimum: quia de quibuscunque illorum dubitando, stat certitudo de conceptu communiori. 1.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur sexta conclusio: *Aut in vno vniuersalissimo, &c.* quæ tamen non assignatur conclusio in aliquibus originalibus; sed litera dependens ex quinta, sed satis congruè numeratur inter propositiones, & est de termino status Prædicamentorum, & quæstio disiunctiua; & per exclusionem vnius partis, concludit probabiliter alteram; & potest confirmari sententiis Philosophi in pluribus locis. Nulla enim est hæc propositio, quæ non potest reperiri formaliter, vel æquiualenter, vel saltem reductiuè, seu confirmatiuè in Aristotele: videtur enim arguere ad vtramque partem. Primò ibi: *Rationabilius.* Secundò ibi: *Quòd si plura.* Tertiò iterum ad primam in oppositum argumenti. Pro secunda ibi: *Contra quod est, &c.* 2.

THEOREMA VII.

Plura prima esse, quorum quodlibet sit vniuersalissimum simpliciter, impossibile est.

Quod est: quoniam resoluendo, semper itur ad conceptum simpliciorem; igitur primus simplicissimus: & sicut in quocunque ordine eodem impossibile est duo inuenire prima; igitur magis in supremo, cui multitudo magis repugnat: igitur solutæ sunt duæ primæ quæstiones.

Quòd qualitas sit prior vniuersaliter quantitate, probatur multipliciter. Quia consequitur omnem substantiam creatam: quantitas tantùm corpoream. Consequitur substantiam ratione formæ; quantitas autem ratione materiæ. Item, qualitas est principium agendi; quantitas non: qualitas est, quâ agens alterat; alteratio autem præcedit augmentum. Impossibile est quantitatem Additio. Qualitas nobilior quantitate.

induci,

induci, nisi per actionem qualitatis; non èconuerso. Item, qualitates attribuuntur Deo, vt perfectiones simpliciter; non sic quantitates.

Qualitas latius patet quàm quantitas.

Qualitas habet multas species, videlicet spiritualium, & corporalium; vt lux, &c. quibus entia attingunt suos fines; etiam homo beatitudinem per gratiam & charitatem attingit, &c. Quantitas continua tantùm tres species, & ipsa nullum ens suum finem attingit. Consequitur omnem speciem, secundùm suam actualitatem, non autem quantitas. Secundùm ipsum est ordo vniuersi, & locus naturalis, & motus & quies. Secundùm ipsas vt obiecta distinguuntur potentiæ animæ. Quantò etiam est ens perfectiùs, tantò habet ipsam perfectiorem; non quantitatem. Angelus nec homo tantam, quantam terra. Hic argutum est propter communitatem, propter actualitatem, propter perfectionem simpliciter, propter generationem.

Ex quatuor capitibus, qualitas est perfectior quãtitate.

Ad secundam conclusionem, confirmatur secunda, & tertia, per hoc, quòd ordo accidentium immediatè, vel mediatè post substantiam, est secundùm eorum perfectionem. Item, argui potest pro & contra, comparando quartam speciem Qualitatis ad quantitatem. Item, arithmetica est certior scientia naturali; abstrahit autem à qualitate. Item, quantitas est immediatior substantiæ secundùm Aristotelem.

Arguit quantitaté esse perfectiorem qualitate.

Respondeo, substantia, & est subiectum accidentium, & est perfectius eis: quia causa efficiens. Quoad primum, est in potentia; quo ad secundum actu. Secundùm primum quantitas est immediatior, & secundùm secundum qualitas.

SCHOLIVM II.

Postquam arguit qualitatem esse nobiliorem quantitate, ex quatuor mediis, scilicet communitatis, actualitatis, perfectionis simpliciter, & generationis: aliis quatuor rationibus adductis ad oppositum, resoluit qualitatem esse perfectiorem in ratione efficientis, non in ratione subiecti: hoc autem est qualitatem esse simpliciter perfectiorem, quia ratio efficientiæ perfectior est ratione subiecti, quia hoc est ad recipere, & perfici ab aliis, illud ad dare & perficere, vt habet Doct. 4. d. 12. q. 1. §. Ad propositum, *vbi num. 9. 10. quinque rationibus ferè iisdem cum his quas hîc tenet cum communi, qualitatem esse simpliciter nobiliorem. Occasione huius, quærit de subiecto accidentium: & arguit solùm compositum eorum esse subiectum. Soluit tamen, ostendens accidentia subiectari in forma substantiali, quantitate, Angelis, non tamen in Deo, quia ad recipienda accidentia requiritur perfectio, & imperfectio: vltimum autem accidens, scilicet relatio, nullum accidens suscipit, de quo Doctor 1. distin. 8. quæst. 3, quod intellige de relatione vltima, quia quædam relationes fundant alias, ex Doctore 4. distinct. 6. quæst. 10. num. 5. Quod tangit, an hæc sit impossibilis,* Humanitas est alba; *tractat. 1. dist. 5. quæst. vnica. vbi ait, de vltimatè abstracto, nihil, quod nequit prædicari nisi formaliter, verè dici posse, nisi in primo modo; de quo Mayron. Lichet. Tarta. Viguer, Vvorillon. Paulus, & Bargius, ibi videri possunt, quorum aliqui tot exceptiones, & limitationes ponunt, quòd regulam Scoti ridiculam faciunt. Breuiter cum Licheto, & Bargio (& tetigit Vignerius) dicendum, abstractum vltimatè in rigore Logico includere hoc syncategorema,* per se primò: *& sic nihil formaliter de eo dicitur, nisi in primo modo dicendi.*

Quid potest esse subiectum accidentium? 4.

Quódnam est subiectum accidentium?

in subiecto requiritur imperfectio, quia potentialitas, ideò non Deus: & perfectio quòd sit ens actu compositum, ideò non forma substantialis, nec accidentalis, nec materia, nec Angelus, si simplex. Hæc quatuor membra videntur dubia, & multipliciter improbantur. De materia enim videtur, quòd possit esse subiectum: quia in potentia; ergo, &c. De forma substantiali intellectiua. Respondeo: quia separabilis. Contrà, de sensitiua respectu speciei sensibilis, vel actionis sentiendi, secundùm Augustinum: 10. Trin. c. 5. vel 15. *anima autem facit in se: & sicut calor separatus habet operationem, sic magis videtur de sensitiuo: illa manet; igitur, &c. De accidente arguitur, finitum & infinitum quantitati congruit,* 1. Physicor. *diuisibilitas* 3. Physicor. *Item, Auicenna* 2. Metaphysicor cap. 1. *planè exemplificat.* motus velox & tardus, *&c. probatur.*

Text. c. 15. Text. c. 35. & circiter.

Illud est proprium subiectum cui per se inest passio, & de quo per se demonstratur, & non de quo per accidens: rectum & curuum per se de continuo, per accidens de omni alio. Item, superficies albedinis in Sacramento: quia mutatio naturalis circa illas qualitates: igitur subiectum naturale. Item, scientia in intellectu, caritas in voluntate. Idem est de Angelis: tamen nunc omitto.

Superficies est subiectum albedinis in Sacramento.

Respondeo: Argumentum illud, scilicet primum soluitur. Ad aliud, Imperfectio requiritur in subiecto: quia potentialitas, & perfectio saltem maior, quàm sit illa accidentis: similiter quæcunque natura creata, cùm non sit actus purus, est imperfecta: & vna imperfectior alia, vsque ad vltimam: si est vltima; igitur qualibet citra potest esse subiectum accidentis.

In subiecto accidentis requiritur perfectio, & imperfectio.

Respondeo, quædam naturæ sunt imperfectæ primatiuè, dupliciter: vel perfectione eiusdem naturæ, sicut albedo remissa; vel alterius naturæ, vt substantia respectu quantitatis. 5.

Imperfectio priuatiua duplex.

Quædam negatiuè similiter dupliciter. Primo modo, vt formæ omni intensione, & remissione carentes, vt numerus & figura, & fortè quædam formæ substantiales. Secundo modo, vt vltimum accidens: illud enim si est aliquod, est imperfectius quolibet præcedenti, non priuatiuè, quia tunc non esset vltimum: sed negatiuè. Igitur ad argumentum rediturus, ad maiorem, requiritur imperfectio priuatiua secundo modo:

Relatio, vltimum accidens imperfectum negatiuè. 1. d. 8. q. 3.

modo ; & sic minor non probatur : immò secundùm illam probationem, si valet, procederetur in infinitum, quia nullum accidens omnino est actus purus.

Contrà : priuatio est carentia possibilis generatione inesse : talis est hîc, quia non est contradictio quòd insit. Item, aut est ita perfectum formaliter intrinsecè, quod non potest perfectius esse intrinsecè, nec extrinsecè ; vnde ponatur intensum in summo natura sua, & tunc erit perfectius in suo gradu naturaliter, quàm homo in suo ; aut non, & habetur propositum. Item, quare quiditas non recipit accidentia, cùm sit in potentia: quia imperfecta priuatiuè. & quare hæc est impossibilis, humanitas est alba ? *Probatur quòd non, quia in Christo Verbum nullum accidens recipit: igitur natura humana: sed hoc fuit subiectum accidentium. sequitur quòd si hæc humanitas, ergo humanitas.*

Humanitas est alba, *an vera propositio?*

Item, nunquid forma inquantum forma, est ratio recipiendi accidens, vt de subiecto & propria passione? Respondeo, illa natura, quæ est forma, est ratio immediata recipiendi : non inquantum forma, quia sic comparatur ad materiam : nec inquantum actus in se, quia tunc Deus : sed quia actus iste, & ibi includitur limitatio hæc : quam sequitur potentialitas. sic intellige 18. *de forma.*

An forma sit ratio accipiendi accidens.

ANNOT. MAVRITII.

Sequitur conclusio septima, vel sexta, si volueris præcedentem ponere quæstionem, & non conclusionem, *Plura prima, &c.* in qua determinat, quod in præcedenti quærebatur, & indeterminatè ad vtramque partem arguebatur : & debet exponi *vniuersalissimum* positiuè, aliter esset instantia de Prædicamentis, quæ sunt vniuersalissima prima; nisi loquatur de vniuersali transcendenti : aut certè in eadem coordinatione limitato. Et in fine cùm dicit : *igitur soluta sunt dua prima quæstiones, vel conclusiones*, vt habent alij, potest referri, vt dixi, ad immediatè præcedentem disiunctiuam ; licèt in aliquibus originalibus habeatur *immediatè sequentes* : sed non ita benè ad propositum, vt video. Posset tamen litera sic competenter stare, scilicet, *igitur resoluta sunt dua prima conclusiones immediatè sequentes*, ibi videlicet, *conceptuum resolutio, &c.* sed placet litera vt iacet. Posset etiam referri ad illas quæstiones de quantitate, & qualitate : quæ sequuntur immediatè, & tunc non esset additio, sicut notauimus : dic consequenter. Tange hîc instantias plures Logicæ, & Metaphysicæ, vt nosti.

Vniuersalissimum positiuè, & priuatiuè.

Sequitur illa particula : *Quòd qualitas sit prior, &c.* quæ posset poni octaua conclusio hîc. sed quia non habetur communiter in originalibus, nec videtur multùm dependere ex præcedentibus, assignauimus eam vt *Extra*, seu additionem. Arguit pluribus mediis ad primam partem : & reducit omnia finaliter ad quatuor media principalia : deinde litera est intricata. Nam quidam libri habent sic : *Ad* 2. 8. & potest stare ponendo, vt dixi, hanc esse conclusionem 8. Alij sic : *Ad duas conclusiones :* sed litera potest intelligi vt habetur, sic : *Ad secundam conclusionem, scilicet, Quòd quantitas sit perfectior qualitate* ; & sic est principium argumenti, vel ècontra : & tunc esset litera coniuncta præcedenti. Sed de verbis non refert., arguit enim pro & contra. Et breuiter in fine, præmissa vna distinctione soluit dubium. Sed si volueris videre hîc altiùs, & singularissimè, vide *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *contra primam opin. ratione* 2. & applica hîc plura alia, vt nosti.

Sequitur alia dubitatio, quæ posset etiam assignari Theorema, sed ponitur vt additio: *Quid potest esse subiectum accidentium, &c.* vbi ponit in principio conditiones subiecti accidentis, & impugnat responsionem, quantum ad secundam partem eius, quo ad quatuor membra satis subtiliter. Vbi aduerte consequenter de imperfectione priuatiua & negatiua duplici, & instantias sequentes de forma, qualiter potest esse subiectum. Et aduerte ad ea, quæ incidentaliter tangit de natura humana in Christo. Quære vt nosti in 3. de vltimo accidente, quod non est accidentis alterius capax. Considera, vt scis, plura ; an detur tale, & quale sit. Vide optimè 8. *distinct.* 1. *quæst.* 1. *in laterali. &* 7. *&* 8. *Metaphysicæ.* ad propositum. Infrà etiam in hoc tractatu erit sermo ad hoc. Adde multa ad propositum, vt expedit. Quære 12. *dist.* 4. *vbi suprà. &* 1. *quæst.* 3. *art.* 1. Ponitur in aliquibus originalibus quædam litera, quam non habes in illo argumento. *Item quare quiditas, &c.* sed non est multùm necessaria, quare, &c. De prædicatione accidentis, de abstracto, & multiplici abstractione, & sic de aliis, vide sæpè in doctrina huius. In fine, ibi : *Sic intellige*, &c. originalia sunt varia: quia sequitur in aliquibus, 15. *de forma* ; in aliquibus, 18. *de forma :* sed benè sic ponitur : *instantiam de forma*, considera.

Quod est subiectum accidentium.

An detur accidens immutabile subiectiuè?

THEOREMA VIII.

SCHOLIVM.

Hoc Theorema est de termino actus intelligendi, qui quatuor nominibus explicari solet, nempe obiecto, intelligibili, intellecto, intentione. *Circa huius explicationem, ponit sex definitiones, & duas petitiones, stylo quasi Euclidico. Circa secundum, puto, qui quid dicat Mauritius, Doctorem velle, quòd primò concipitur vniuersalissimum, quia hoc solum secundùm se primò attingitur ; alia, ratione huius : quod colligo ex commento dicente primò concipi, quod est totum obiectum, non pars ; ens autem est totum obiectum totalitate adæquationis, & prædicationis, & quodlibet aliud, pars eius. De tertia, & quarta definitione, vide Mauritium. Quinta, & sexta, explicant partes subiectiuas conceptus, scilicet conceptum simplicem, & simpliciter simplicem: de quibus Doctor* 1. *distinct.* 3. *quæst.* 2. §. Ad secundam quæst. *num.* 21. *Nota hîc sermonem esse de conceptu incomplexo tantùm. Petitiones duæ sunt clarissimæ. Aduerte aliud esse cognoscere perfectum, & aliud perfectè ; sicut aliud est cognoscere distinctum, & distinctè cognoscere, de quo Doctor* 2. *dist.* 2. *quæst.* 2. *num.* 21.

1 *Conceptum*

8. principalis.

1. *Definitiones, seu resolutoria propositiones.*

1 *Conceptum dico, quod actum intelligendi terminat.*

Hîc *obiectum* dicitur, vel *intelligibile*, vel *intellectum*, vel *intentio*. Primum communissimum est, quia ad omnes potentias. Secundum, commune ad obiectum intellectus in potentia, vel in actu. Tertium, proprium. Quarto vtuntur Arabes: vt Auicenna & Auerroës Sicut autem *intentio* æquiuocè dicitur de obiecto, & de actu; ita & *conceptus*: hîc autem sumitur pro obiecto.

Quod est obiectum adæquatũ?

2 *Primò concipi dicitur, quod intellectui adæquatur.*

Adæquatio intelligitur sic, quòd sit totum obiectum, non pars obiecti.

Quid per se concipi?

3 *Per se concipitur, quicquid in primò concepto essentialiter includitur.*

Sicut genus per se concipitur, quando species primò concipitur: sic in aliis.

Perfectè cõcipitur, cuius nihil latet.

4 *Omne illud, & solum illud perfectè concipitur, cuius nihil latet.*

Quod scilicet, in ipso essentialiter includitur, hîc intelligitur perfectè, non actus inquantum elicitur à potentia; sed inquantum comparatur ad obiectum, ita scilicet quòd nihil intrinsecum obiecto sit ignoratum, quocumque modo cognoscatur.

Quid conceptus simpliciter simplex? & quid simplex?

5 *Conceptus simpliciter simplex est, qui non est resolubilis in conceptus.*

6 *Conceptus simplex non simpliciter, qui per se est vnus: tamen resolubilis in conceptus.*

Illorum autem, in quos resoluitur, alter determinabilis, alter determinans. Primus autem potentialis, alter actualis, aliter non esset aliquis vnus conceptus ex eis. Primus quidem dicitur in *quid*, secundus in *quale*, de conceptu tertio: cui tamen vterque est essentialis; ergo essentiale in plus se habet, quàm dictum in quid.

Essentiale latius patet, quàm dictum in quid.

Petitiones.

1 *Aliquid primò, & perfectè concipi.*

2 *Conceptus aliquos esse distinctos.*

ANNOT. MAVRITII.

2.

SEquitur illa particula: *Conceptuum dico, &c.* Licèt variè situatur in originalibus præcedens additio, quia in aliquibus infrà post has definitiones, & conclusiones quasdam sequentes: sed communiter habetur, vt posuimus. Vbi aduertendum, quòd more Euclidis procedit in his Theorematibus: quia nunc communes animi conceptiones, nunc definitiones, nunc petitiones, nunc verò conclusiones adducit. In hac ergo particula ponit primò sex definitiones; deinde duas petitiones, & sequuntur conclusiones. Diuidendo autem totum tractatum in particulas, vel principalia Theoremata, vel capita, vt aliis placet; posset hîc assignari octaua principalis, & hoc ponendo literam præcedentem, additionem. Vel si tantùm enumerentur conclusiones pro Theorematibus,

Ista Theoremata vocat communes conceptiones, definitiones, petitiones, conclusiones.

non ponetur hîc quotatio aliqua: sed infrà ibi: *Conceptuum resolutio, &c.* Et poterit poni octaua principalis: vel decima alio modo. Nam maxima ambiguitas huius processus consistit in illis quotationibus, & diuisionibus: vt infrà patebit. Quare lector aduertat ad singula diligenter. Hîc etiam videtur procedere verè Metaphysicè, & transcendenter: in præcedentibus verò potiùs Logicè, vbi fuit sermo de vniuersali, & Prædicamentis, &c. licèt tamen connotando primas intentiones: in quibus verificantur ibi dicta. Definit ergo conceptum in communi, & est notabilis definitio, & in doctrina huius valde necessaria: quia huiusmodi termino vtitur vbique. Interpretatur autem definitionem, quadrupliciter: sed tertium membrum maximè acceptat: ita quòd obiectum sub *concipi* conceptus rectè dicatur: non quòd fiat aggregatum ex vtroque, quia sic ens per accidens, & etiam sic idem ad se terminaretur: sed quòd tunc propriè obiectum conceptus dicitur, dum actu terminat actum, & non solùm potentiâ, vel aptitudine. Aliquando verò iste vtitur conceptu, in quarta acceptione, hoc est, pro actu concipiendi. Quære 8. *distinct. prim. & alibi plerumque.* Omnis ergo res, realitas, quiditas, seu formalitas, potest dici conceptus. Vnde *res*, *realitas*, *quiditas*, seu *formalitas*, & *conceptus*, se habent secundùm magis, & minùs commune. Quære Franciscum & alios Formalistas. An modi intrinseci possint dici conceptus, est dubium in doctrina huius: quia variè de hoc loquitur. Quære 8. *dist. prim. & 5. & 6. quæst. quodlib.* sed pars negatiua communiter tenetur, & hoc maximè tenendo eos, vt modos: non vt *quid.* Vide 4. *Metaph. quæst.* 1. Concõcipiuntur potiùs quàm concipiantur, ideò formalitates esse communiter negantur. Instantias plures hîc tange, vt scis, alibi sæpè hæc notaui copiosè, ideò hîc breuibus contentor.

Obiectum in concipi dicitur cõceptus.

Res, realitas, quiditas, seu formalitas, conceptus, se habent vt magis & minùs.

Modi intrinseci non habẽt proprium conceptum.

Deinde definit *primò per se*, & *perfectè concipi*, notanter valde, & ordinatè: quia postquam notificauit *conceptum*, iam notificat varium concipiendi modum, & maximè scientificum: & duæ primæ possent confirmari ex primo Posteriorum: quia vt exponit primam, intelligitur ibi ly *primò* pro primitate præcisionis, & non vniuersalitatis: seu pro primitate quiditatiua, non quantitatiua. Vide 7. & 9. *Metaph.* & 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. & *alibi sæpè.* Quære etiam pro duabus primis *in primo. dist.* 1. *quæst.* 2. optimè. Aduerte ex commento primæ, quòd Doctor intelligit primitatem hîc, seu adæquationem, non simpliciter, & vniuersaliter, & respectu potentiæ, absolutè loquendo; sed in ordine ad vnum actum intelligendi. Et intellige aduerbia in his definitionibus obiectiuè, & non subiectiuè.

3. *Primò concipitur species vltima, reliqua vt aliquid ipsius.*

Vlteriùs notandum, quòd loquitur in secunda definitione, & eius commento multùm strictè de *per se concipi*; nisi ly, *essentialiter* extendatur ad virtualiter, vel vnitiuè contentum. Vide vbi suprà *in primo*, & *distinct.* 3. *eiusdem. quæst.* 2. & *dist.* 3. 2. *part.* 2. & specialiter *q. fin.* vbi singularissimè distinguit de obiecto per se duplici. Exemplum tamen ponit in manifestiori, vt conuenit: verum enim est quod dicit, & exemplificat; sed non asserit cum præcisione, ideò extende vt nosti. Veritas illius tertiæ definitionis, patet 1. *Physicor. text. com.* 1. & disputatur communiter *ibidem*, de quo tractat etiam 3. *distinct. primi. quæst.* 2. sed an contingat sic concipere

Quæst. 11. ad 2. pro opin. num. 35.

Est 4 in ordine.

concipere pro ſtatu iſto quiditates ſpecificas, dubium eſt apud multos: maximè cùm differentiæ vltimæ rerum ſint nobis ignotæ: videtur namque quòd ſolùm ſimpliciter ſimplicia ſint ſic conceptibilia: ſed an ſic, vel non, vide vbi ſuprà 1. *Phyſicor.* & maximè apud modernos Scotiſtas, & 3. *diſt. prim. quæſt.* 3. egregiè.

An differentia pro ſtatu iſto intelligantur?

4. Cùm etiam dicit in fine definitionis, *cuius nihil latet*, poteſt intelligi vel virtualiter, vel formaliter: & hoc vel æquiualenter, vel circumlocutione, & ſic de aliis, licèt maximè quando actualiter, & in conceptu proprio. Illa litera: *quod ſcilicet, in ipſo eſſentialiter includitur* poſſet addi textui, tanquam declaratio, ſeu ſpecificatio; aut certè limitatio præcedentium, & tunc commentum inciperet ibi: *hîc intelligitur, &c.* Et notanter dicit, *Quod eſſentialiter includitur, &c.* quia ſi ad perfectè concipiendum aliquid, requireretur notitia omnium, vel virtualiter, vel accidentaliter, ſeu etiam identicè incluſorum in ipſo; vix aliquid perfectè conciperetur, maximè notitia ſimplici. In omni enim ſigno naturæ datur notitia perfecta in ſuo genere: & ita homo perfectè cognoſcitur in primo ſigno, licèt non vt riſibilis, neque albus. & ſic de aliis. In commento declarat optimè, quòd ly *perfectè* intelligitur obiectiuè, vt dixi priùs, hoc eſt ex parte obiecti concepti, & non actus concipiendi: quia actus in ſe poteſt eſſe perfectus, dato quòd non comprehenſiuus obiecti, ſed tantùm apprehenſiuus. & hoc, vt notanter dicit Doctor, inquantum elicitur à potentia; licèt non inquantum cauſatur ab obiecto. habet enim duas cauſas partiales effectiuas in creaturis vt 3. *diſt. prim. q.* 7. habet, & ita poteſt habere perfectionem ab vna, dato quòd non ab alia quandoque: ſed quia magis ſpecificatur ab obiecto, & ſi non principaliùs cauſatur, vt *ibidem quæſt.* 8. habetur: igitur abſolutè, quando non totaliter, ſeu comprehenſiuè ſe habet reſpectu obiecti, dicitur imperfectus, maximè ponendo reſpectum eſſentialem eius ad obiectum. de quo vide 13. *quæſt. quodlibeti.*

Ad perfectam alicuius cognitionem, non neceſſariò omnia virtualiter incluſa cognoſcuntur. Notitia habet duas cauſas effectiuas. 1. d. 3. q. 7.

5. Cùm dicit in fine commenti, *quocumque modo cognoſcatur:* poteſt referri ad formaliter, vel virtualiter cognoſcere: vel ad intuitiuè, ſeu abſtractiuè: vel in Verbo, ſeu in genere proprio, & ſic de aliis. Vbi tange differentiam inter eſſe ignoratum, & perfectè notum. De multiplici etiam ignorantia, & multiplici modo cognoſcendi pertractabis, vt noſti. Quære 3. *diſt. prim. & quæſt. de ſubiecto in prol. & 7. & 14. quæſt. quodlib. & alibi ſæpè.*

Quinta, & ſexta definitio ſunt de partibus ſubiectiuis obiecti.

Deinde ponit alias duas definitiones partium ſubiectiuarum conceptus: quas etiam habet 2. *diſt. prim. quæſt. 2. & 3. diſt. prim. quæſt.* 2. & poſſet addi tertia de ſummè ſimplici, vt habetur 8. *diſt. prim.* Quia tamen ille conceptus tantùm in diuinis habetur, ideò hîc tacuit fortè ipſum. Dubium etiam eſt, an ſit aliquis horum: ita quòd conceptus ſummè ſimplex contineatur ſub ſimpliciter ſimplici, quod reputo verum eſſe, loquendo de ſimplicitate realitatum, de quo aliàs erit ſermo. De multiplici acceptione *ſimplicitatis*, & *compoſitionis*, vbi ſuprà, notaui in Metaphyſicalibus, litera & commentum ſatis patent. Vide 3. & 8. *diſt. prim. & 3. diſt. 2. & 7. & 8. Metaph. & in Logicalibus huius*, plura declaratiua horum terminorum. Videtur hîc loqui per totum de conceptu ſimplicis intelligentiæ. De diuiſione autem & compoſitione conſidera, quales conceptus ſint, & quo modo complexum ſit ſimplex, & quo actu concipitur, & an vno, vel pluribus. Quære 6. Metaph. & 2. & in Logicalibus. Pondera corollarium ad finem commenti de eſſentiali reſpectu dicto in *quid*. Idem habet in quæſt. ſuper Porphyrium. cap. de Differentia. Tange etiam hîc plura de multiplici determinatione: & qualiter quiditas per modum determinatur, & quomodo ſe habent reſpectu tertij: vt habes ſæpè in doctrina huius, & ſequacium. Hîc non eſt immorandum circa quotidiana documenta Doctoris: ſed dumtaxat circa difficilia, & ſignanter hîc dicta: lector verò addat ad omnia.

Quiditas per modum determinatur.

Conſequenter ponit duas petitiones modo antiquorum, vt ſuprà notaui, & ſatis patent. De verificatione autem earum, poſſet fieri altercatio: vt priùs circa definitiones dictum eſt. Pone differentiam inter *eſſe diſtinctum*, & *diſtinctè concipi:* & ſimiliter de *perfecto*, & *perfectè*. Aduerte, etiam quòd aliter eſt loquendum Metaphyſicè, & ex natura entium, & obiectorum, & potentiarum: & aliter ex conditione ſtatus: plura alia adducat ingenioſus lector.

Aliud intelligere diſtinctum, & aliud diſtinctè.

THEOREMA IX.

SCHOLIVM I.

Ex dictis in Theoremate præcedenti, infert dari ſtatum in conceptibus, ita vt aliquis ſit primus. In ſecunda concluſione huius, tenet nullum conceptum, etiam entis, de quolibet dici in quid, *quia non dicitur de vltimis differentiis, nec de paſſionibus entis: quod etiam habet* 1. diſt. 3. quæſt. 9. num. 6. & diſt. 8. q. 2. & 2. diſt. 3. quæſt. 6. & quæſt. 21. de Anima, *vbi fuſiùs de hoc egi, in comment. illius quæſt. vide inſtantias Mauritij contra tres probationes Doctoris tertia concluſ. Cùm non ſit vnus conceptus in* quid *omnibus communis, tenet ponendos eſſe aliquos primos, vnum in* quid, *entis, & alium qualificatiuum, ſecundùm modos eius: Vide Mauritium concluſ. 4. Intelligit de determinante vltimo, ſeu vltima differentia; quia hæc non includit ens in* quid, *& ſic nihil commune cum altera parte includit. Corollarium, quòd genus, & differentia nihil habent commune, nec vnum includere alterum, ſequitur benè ex quarta. Quod in commento dicitur, idem eſſe de materia & forma, vel tantùm vult quòd vna non includit aliam; aut ſi velis, nihil eſſe eis commune. Quod innuit Doctor 2. diſt. 12. quæſt. 1. num. 16. intellige quòd ſint primò diuerſa re, & realitate, non autem conceptu; quomodo Deus, & creata ſunt primò diuerſa. Ratio huius eſt, quia ſecundùm Doctorem 1. diſtinct. 5. quæſt. 3. materia includit ens. Secundum quòd differentia inferior non includit ſuperiorem, latè tradit Doctor 7. Metaph. quæſt. 17. & 4. diſt. 11. quæſt. 3. ad primum pro opin. num. 48.*

1 *Conceptuum reſolutio ſtatum habet.*

Ex prima petitione, in hoc, quòd dicit *primò:* & ex definitione tertia hac adiuncta illis; potentia finita non ſimul per ſe primò concipit infinita. Et aliter ex prima petitione, in hoc, quod dicit *perfectè:* & ex quarta definitione, & hac adiuncta, infinita primò concipere intellectui finito eſt impoſſibile; ſiue ſimul, quia tunc infiniti 1.

Intellectus finitus nequit infinita primò intelligere.

finiti actus, simul eiusdem potentiæ finitæ; siue successiuè, quia infinita non est pertransire, *secundo Metaph. Aristotelis text.com.13.* Item, 8. *Metaphysic. Aristotelis tex.com.10.* Definitio resoluitur in indiuisibilia, & 2. *Metaphys. text.com.10.* non est possibile scire, priusquam ad indiuisibilia deueniatur: verum est perfectè ante resolutionem.

Nihil scitur antequã venitur ad indiuisibilia.

2 *Nullum conceptum vnum in quid de cæteris omnibus prædicatur.*

Tum, quia tunc nullus alius simpliciter simplex, & ita in eodem includerentur conceptus infiniti, vel idem infinities: quicunque enim alius includeret illum vnum, & aliquem alium, & ille alius, illum vnum, & aliquem alium; & sic in infinitum. Tum, quia nulli duo conceptus essent primò diuersi: quia in vno conceptu conuenientes, ac per hoc nulli distincti, contra secundam petitionem. Omnis enim distinctio reducitur ad distinguentia primò diuersa: per quid enim essent distincti; non per id, in quo conueniunt, igitur aliis, & redit infinitas, quæ in prima probatione. Tum tertiò, quia in omni conceptu alio, esset nugatio: quia illud quod commune ponitur, frequenter conciperetur: semel namque vt pars vna conceptus illius; & iterum vt inclusum in alia parte, & iterum in parte illius partis in infinitum, & sic nugatio sequeretur.

Ens non dici in quid *de omnibus: quia non darentur conceptus primò diuersi.*
Si ens diceretur in quid, *de qualibet daretur nugatio.*

3 *Conceptuum stabit resolutio ad aliquos primos.*

2. Ex prima, & secunda conclusione, ita quòd quilibet conceptus per se vnus, aut erit aliquis illorum, aut per se includet aliquem illorum: ad quot, inquirant respicientes. Per quid etiam essent distincti? non per illud in quo conueniunt, igitur per alia: & illa quibus distincta? non illis quibus conueniunt, igitur aliis; & redit infinitas, quæ in prima probatione.

4 *Determinans, & determinabile, nullum conceptum per se vnum includunt: nec vnum eorum conceptum per se alterius includit.*

Hæc si intelligatur vniuersalis negatiua, probatur vt secunda, & tertia probatione. Si autem particularis negatiua, probatur vt secunda, quacunque probatione: ideò enim ibi sequuntur inconuenientia, quia oppositum alterius partis huius conclusionis ibi supponitur.

Determinans, & determinabile non habere vnum per se conceptũ communem.

Corollarium. *Conceptui generis, & differentiæ nihil commune, nec vnus includit alium.*

Similiter de materia, & forma.

Aliud corollarium. *Differentia superior, quæ includitur in genere, non includitur in differentia inferiori.*

3. Aliàs nugatio in definitione, & processus in infinitum in differentiis: quia differrent differentiis, cùm sit hucusque certus processus. Respondet proteruus, quòd determinans conceptum communem, est aliquod concretum: de cuius concreti intellectu non est determinabile; est tamen determinabile de intellectu abstracti, ipsius determinantis. Probant igitur præcedentia, quòd nullus vnus conceptus est communis ad omnem alium quemcunque intellectum, quia non in concreto; est tamen communis quiditatiuè ad omnem intellectum in abstracto. Contrà: abstractum, & concretum eundem conceptum per se important; aut saltem impossibile est conceptum concreti, esse simpliciorem quàm conceptum abstracti: siue aliquid includi per se in conceptu abstracti, quod non includitur in conceptu concreti, igitur magis sequitur non diuersitas primò, & ideò non distinctio, magis infinitas de concreto contrahente, quàm de abstracto.

Abstractũ, & concretum eũdem habent conceptum per se.

SCHOLIVM II.

Sensus quintæ conclusionis est, non omni creato, & increato dari conceptum communem, quia saltem enti reali, & rationis, nullus communis est; & vltimis differentiis cum aliis nihil esse commune, iam dictum est, conclus.2. Sexta conclusio explicat definitionem conceptus datam Theor. præcedenti. Septima diuidit conceptum obiectalem, in simplicem, & simpliciter simplicem, de quibus Doctor 1. distinct.3. quæst.2. num.21. Conclusione octaua diuidit conceptum in primò diuersum, & differentem: ille cum alio collatus, in nullo cum eo conuenit, hic sic: ille est irresolubilis, hic non.

5 *Creato, & increato nullus idem conceptus per se communis erit.*

6 *Conceptum dico obiectum actu intellectum, prout scilicet est in intellectu, non vt forma, sed vt actu cognitum.*

Hic autem *esse in*, non est nisi habere relationem actualem ad intellectum; siue intellectum ad ipsum, siue vtrumque ad vtrumque. 4.

Esse obiectiuè in intellectu quid?

7 *Omnis conceptus per se vnus, aut est omnino simplex, cuius scilicet aut nihil concipitur, aut totus; aut non est omnino simplex.*

Tamen incomplexus dicatur resolubilis, quia plures conceptus essentialiter includit, quorum alter sine toto concipi potest de non per se vno, qui dicitur aggregatus: vt homo albus: & de quarto, qui dicitur complexus: & de quinto, qui dicitur discursiuus, inferiùs quære.

8 *Omnis conceptus ad quemcunque, non omnino eundem comparatus, aut est primò diuersus ab illo, si cum illo in nullo conceptu conueniat.*

Aut

Conceptus alius differens, alius primò diuersus. *Conceptus resolubilis est differens.* Aut differens, si in aliquo conueniat, & in aliquo differat: aut ordinatus, puta si vnus totum alium includat, & non èconuerso: dicatur alter includens, alter inclusus: solus resolubilis differens est, & includens: primò diuersus & inclusus potest esse tam simplex, quàm resolubilis.

ANNOTAT. MAVRITII.

5. *Variatio in ordine conclusionum.* Sequitur illa particula: *Conceptuum resolutio, &c.* quæ potest poni nona principalis: vt notauimus, vel octaua, seu decima, secundùm alias supputationes. si enim tantùm enumerentur conclusiones, erit octaua principalis, vel septima, & hoc ponendo additionem suprà rectè notatam. Enumeratio ista variè habetur, & generat hîc, vt prædixi, maximam ambiguitatem: omnia tamen moderari possunt iudicio lectoris solertis. Nam eâdem facilitate, quâ sic, vel sic partiuntur, possunt & aliter partiri: dummodò veritas sententialis habeatur. De numeris, & ordine minùs refert. præmissis namque definitionibus, & petitionibus, adducit conclusiones, & in hac particula possunt notari septem, vel octo per ordinem conclusiones, vt habes: quot tamen sunt conclusiones, tot particulæ possent assignari. Placuit nihilominùs ex conformitate, conuenientia, & dependentia conclusionum, plures sub vna particula, capitulo., vel Theoremate principali collocari, vt infrà magis dicetur. *Resolutio conceptuum statum habet.* Prima ergo conclusio est de statu in processu diuisiuo, seu resolutorio ponendo, quam confirmabis ex primo Posteriorum, & ex quinto principali suprà, & ex quarto, Metaphysicæ. Quam probat in commento notanter ex dictis, & aliis propositionibus specialibus fæcundissimis adiunctis; quas roborat sententiis Aristotelis, & specificat in allegando Aristotelem, ad differentiam Metaphysicæ Auicennæ. Vbi aduerte, quàm cautè, & sincerè loquitur in illis propositionibus adiunctis in commento. Dicit enim primò *potentia finita*, ad differentiam potentiarum vitalium Dei. Deinde addit *simul* propter instantiam de successione cognitionis infinitorum. Vide 3. *dist. prim. & 2. & 1. quæst.* 4. & 14. *dist.* 3. Addit vlteriùs *per se primo*, propter instantiam de cognitione rerum in Verbo, & accidentali cognitione oppositi in obiecto; & virtuali effectuum in causa, & sic de aliis. Tange tamen instantias, vbi suprà in 3. & dic consequenter benè ponderando. Quære in 4. in materia de beatitudine. Vide Franciscum & Ocham, & alios. In aliquibus originalibus non ponitur hæc conclusio hîc: sed tamen magis placet vt posuimus, vt in sequentibus patebit. De actibus intelligendi, propter dicta in commento, quære super libros de Anima, & alibi pluries, vt nosti.

6. Deinde ponit conclusionem, seu propositionem secundam, *Nullum conceptuum vnum*, &c. quæ negat conuenientiam omnium conceptuum in aliquo vniuocè dicto, seu in *quid* de eis: quam expeditè, & pulchrè probat in commento, quam etiam habet 3. *dist. prim. quæst.* 3. & 4. *Metaph. & super lib. de Anima.* *Ens non prædicari in quid de vltimis differentiis & passionibus eius 1. dist. 3. quæst 3.* Quære Auicennam 5. Metaph. cap. 6. vide sequaces huius, & specialiter Petrum de Aliaco 3. *dist. prim quæst.* 1. Et Francisc. in prolo. Conflat. & alios. Excipit enim à prædicatione quiditatiua, seu in *quid*, entis differentias vltimas, & eius passiones, vbi suprà in primo. Sed an passiones inferiorum, & differentiæ indiuiduales, debeant similiter excipi, dubium est: sed de differentiis indiuidualibus facilius est determinare, cùm non sint entitates quiditatiuæ, sed hypostaticæ: quare nec includunt, nec includuntur quiditatiuè. Possunt etiam intelligi sub differentiis vltimis, quia sunt vltimæ realitates. Vide 3. *dist.* 2. *q.* 6. de conuenientia, & differentia earum cum specificis. Fortè tamen Doctor ibi tacuit eas: quia nondum determinauit in Sententiis de eis, & propter repugnantiam opinionum tetigit tantùm communiter nota. De passionibus verò inferiorum ad ens secundùm varias opiniones variè esset dicendum. Nam qui passiones tales ponunt per se in prædicamento Qualitatis, habent tenere ens includi quiditatiuè in eis: qui verò aliter sentiunt, vtpote quòd sint respectus quidam transcendentes aptitudinales, reductiuè tantùm in Prædicamento sui subiecti, vt communiter ponunt Scotistæ; adhuc etiam probabiliter possunt dicere idem, cùm per absolutum, & respectiuum tanquam per quiditates. diuidatur ens, loquendo maximè de respectiuo quiditatiuo: sed ad oppositum posset obiici multipliciter, de quo aliàs. *Passiones inferiorum an includunt ens, & in quo sunt prædicamento?*

De modis etiam intrinsecis dubium est, quia etiam Doctor vbi suprà tacuit eos: circa quod notaui priùs super Metaphysica, quendam modum dicendi Doctoris, 1. & 4. Metaph. de modis vt *quid*, & vt *modus* acceptis. Satis tamen securè dici posset, quòd cùm modi tales, vt habet ipse 8. *dist. prim.* non sint propriè aliæ formalitates, seu conceptus à quiditatibus, quarum sunt modi, nec per consequens aliquid formaliter, seu quiditatiuè includentes. Quod enim non est *quid*, vel formalitas, quomodo alicui dicto in *quid*, seu formaliter, subiicitur? cùm talia sint prædicata, qualia permittunt subiecta? Sed huius ambiguitatis vlterior discussio habet fieri vbi suprà. Quære Franciscum, & alios Formalistas, & in omnibus Ocham: nunc ad oppositum, nūc ad propositum, omnia sanè ad mentem Doctoris diiudicando. 7. *Q. 2. Modi nihil includunt essentialiter.*

Prima probatio conclusionis in commento posset (licèt subtilis, & efficax sit) habere instantiam ad hominem: quia non obstante simplicitate diuina, vbi summa simplicitas habetur, ens quiditatiuè de Deo, per te, prædicatur; & per modos, qui quasi conceptus qualitatiui sunt, ad ipsum contrahitur: quare ergo non eodem modo de vltimis differentiis diceretur, & contraheretur ad eas? Considera benè, ponderando plura. Quære 8. *dist. prim. q.* 2. & 3. & in Francisco: hoc enim motiuum multùm facit pro intentione Francisci in prol. Conflatus. *Ens quiditatiuè prædicatur de Deo, an ad eum contrahitur per modos.*

Secunda probatio bona est, licèt haberet euasionem, recurrendo ad realitates, & modos vt priùs. Vbi aduerte, quòd litera debent esse coniuncta, & dependens ibi: *Contra secundam petitionem, &c.* & non nota, seu principium obiectionis, vt in pluribus originalibus reperitur.

Tertia etiam probatio patitur instantiam ad hominem, vbi suprà in primo, iuxta regulam Scoticam ibidem. *Commune* videlicet *ad duo inferiora, quorum vnum denominat alterum, particulariter sine nugatione denominat seipsum.* Exemplum de animali rationali, in quorum, vtroque, vt ponitur ab aliquibus, includitur quiditatiuè ens: similiter cùm dicitur, *homo albus*, & sic de aliis. Sed tu considerabis diuersitatem hinc inde, & processum in infinitum, &

resolutio

resolutionem in realitates, & conceptus: & sic faciliter instantiæ omnes de modis euadentur. Singularissimè enim & ingeniosissimè tribus probationibus ostendit veritatem conclusionis, licèt Ocham conetur in omnibus obiicere: alterius tamen & loci, & temporis, est hæc diutiùs prosequi. Attende, quòd in aliquibus originalibus, post commentum huius conclusionis, adduntur duo corollaria, quæ tamen infrà post quartam conclusionem habes. *Conceptui generis*, &c. sed vbique satis benè currunt, hîc videlicet, & ibi: quare legantur, vbi placuerit lectori.

8. Vlteriùs sequitur tertia conclusio: *Conceptuum stabit*, &c. Nam cùm in prima ostendit statum in resoluendo; & in secunda, quòd non ad vnum, saltem in *quid*, licèt benè ad vnum, aut in quid, aut saltem identicè, seu denominatiuè, à priori dictum: in hac tertia tangit limitationem resolutionis ex parte termini *ad quem* ipsius, ostendens quòd non oportet tot esse conceptus primos, quot resolutiones: sed ad aliquot primos fit omnium resolutio: semper enim pluralitas superflua, vbi paucitas saluat apparentia. Et in commento recurrit ad priùs dicta, & litera est varia in diuersis originalibus, & ibi: *per quid etiam essent distincti*, &c. vsque ad finem est *Extra*, vel penitus superflua, quia priùs in commento 2. habetur. Aduerte cùm dicit: *Ad quot inquirant respicientes*, &c. quòd ibi posset fieri longa inuestigatio, sed in sequentibus magis explicabit ista. Posset breuiter distingui de resolutione ad primos conceptus, vel in genere videlicet, vel extra genus. Primo modo, possent poni tot primi conceptus in *quid*, & in *quale*, quot sunt generalissima, & prima contractiua eorum. Secundo modo possunt poni duo, vel tres primi tantùm: vnus in *quid*, vt entis; alius in *quale*, vt primi modi entis; vel alij duo duorum modorum: sed ex parte modorum posset fieri altercatio: & similiter ex parte passionum, quis videlicet primus, quis secundus, & quæ entis prima diuisio, de quo aliàs. Saltem veritas conclusionis habetur, quia primæ diuisiones entis sunt terminatæ, & contractiua prima eius sunt in determinato numero: igitur aliquot primi conceptus, quorum supputationem dimisit ad iudicium boni viri: ne micrologus videatur. Quære 8. *dist. prim. huius*, & in prolog. Conflat. in Franc. & in Tract. de transcendentibus, & apud Formalistas. Posset enim probabiliter dici, quòd ad hos duos secundùm ens reale sit vltimata resolutio omnium extra animam: & ad hos alios ens rationis, omnium, quæ actu collatiuo derelinquuntur. Alibi spero, Deo disponente, altiùs inuestigare hanc ambiguitatem.

Non oportet tot esse conceptus primos, quot resolutiones.

Quot primi conceptus?

9. Deinde ponit quartam conclusionem de diuersitate primò determinabilis, & determinantis: *determinans, & determinabile*, &c. Vbi notanter dicit in prima parte conclusionis: *Conceptum per se vnum*, propter conuenientiam eorum in conceptu per accidens tali, non tantùm perseicum; & hoc etiam extendendo *per accidens*, vt scis. In secunda etiam parte notanter ait, *per se alterius*, &c. propter identificam inclusionem, & illimitationem: & maximè in transcendentibus. Vult breuiter, quòd determinans, & determinabile sunt primò diuersa: quia nec vnum alterum, nec ambo tertium, per se saltem, includunt. Vbi aduerte, quòd hîc posset fieri instantia ad hominem: quia, vt habet 3. *dist. prim. q.* 3. ens prædicatur in *quid* de aliquā differentia, ideò non potest esse genus, vt exponit singularissimè Philosophum 3 *Metaph. text. com.* 10. si igitur intelligatur conclusio vniuersalis negatiua, vt egregiè habet in commento, videtur falsa, aut repugnantia in dictis. Ideò, vt instantia excludatur, ponatur particularis negatiua, ita quòd non de quocunque determinante, sed de vltimo: vel saltem nec re, nec realitate, alio à determinabili intelligatur. Nota etiam quòd specificauit tertiam probationem secundæ, si intelligeretur vniuersalis negatiua, eo quòd aliæ duæ non ita essent ad rem; sed qualiter tertia etiam non concluderet, tetigi suprà, famosè enim currit: & hoc hîc sufficiebat. Rectiùs verò ponitur particularis negatiua, & logicè, & realiter loquendo. Cùm dicit in commento, *& tertia probatione*, potest omitti ly *&*, vt in pluribus habetur, vel subintelligi ly *hoc*. Multa hîc curiosa adducat lector curiosus, benè ponderando.

Determinans & determinabile primò diuersa intellige de determinante vltimo.

Consequenter ponit duo corollaria (quæ tamen, vt priùs notaui, in aliquibus originalibus, imò communiter, sequuntur commentum secundæ conclusionis: hîc tamen satis rectè locantur) quorum primum est: *Conceptui generis & differentia*, &c. Quod intellige (vt limitaui conclusionem) quo ad vtramque eius partem. Videtur loqui plerumque hîc de communi limitato, seu sumpto ab aliqua re, vel realitate vna: sed generaliter loquendo, propositio est vera vt particularis negatiua, licèt non vt vniuersalis. Quod additur ibidem, *similiter de materia, & forma*, siue sit pars textus; siue vt commentum, habet ambiguitatem: quia 3. *dist. prim.* & 8. *dist. eiusdem*, videtur tenere quòd ens vniuocè, & in *quid* prædicatur de materia, & forma. Potest dici expeditè, quòd illa similitudo debet attendi quo ad secundam partem corollarij, non quo ad primam. Vel si contendas, quòd vniuersaliter intelligitur, dic quòd loquitur de primò diuersis re, vel realitate, non autem conceptu reali. Vel aliter, & redit in idem, quòd loquitur de diuersis se totis subiectiuè, non autem obiectiuè. Et sic habet concordari id, quod habet *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. vbi idem quod hîc de diuersitate materiæ à forma tenet, cum his quæ dicit in primo *vbi suprà*. Sessor doctrinæ Scoticæ, nisi stabiliter, & cautè æquitauerit, de facili cespitabit; tota ergo & totaliter videatur eius doctrina; aliter interpreti, & præcipitium imminet, & ruina. Aliud corollarium, scilicet *Differentia superior*, &c. patet ex intentione super 7. Metaph. *q.* 17. & 11. *dist.* 4 *q.* 3. *& alibi sæpè*: sed instantias ibi tetigi, & alibi; & quia ad alia festino, hîc plura omitto. Diligens lector omnia supplebit. 10.

An materia & forma includunt ens?

Differentia inferior non includit superiorem.

Deinde introducit quandam cauillationem, seu euasionem, ibi: *Cùm sit has vsque*, &c. & sequitur immediatè commentum 4. in aliquibus, ponendo corollaria: vbi priùs suprà: sed satis habetur hîc benè ad propositum. Et meritò appellat respondentem proteruum, quia apparet ex responsione manifestè. Potiùs enim videretur primò diuersitas determinabilis, & determinantis in abstracto, quàm in concreto, cùm in concreto, vnum prædicetur de alio, & ambo de tertio; in abstracto verò minimè: verbi gratiâ, hæc conceditur, *Rationale est animal*, & è contra, & hæc: *Socrates est rationale, & animal*, &c. hæc autem negatur communiter, *Rationalitas est animalitas*, licèt garruli Nominales non vereantur 11.

Diuersitas determinabilis, & determinantis, clariùs patet in abstractis quàm in concretis.

De primò diuersis in abstractis, vide Doct. 1. Met. q. 1. & lib. 4. quæst. 1. eam concedere. Respondeo tamen, illa videtur habere aliqualem apparentiam ex dictis huius *q. 1. primo Metaph. & q. 14. eiusdem, & quæst. penultima 6* de quocunque sumpto vt *quid*, &c. Sed de hoc ibi aliquantulum pertractaui: nec ad hoc rectè vadit responsio, sed ad simplicem identitatem quiditatiuam determinantis, & determinabilis abstractiuè sumptorum: quod tamen omnino falsum est. Quære in Logicalibus, & super 7. Metaph. & 3. & 8. *dist. prim. & 3. dist. 2.* & alibi plerumque, maximè de Genere, & Differentia. De quiditate autem & modo, videtur ferè idem. Vide notanter *6. quæst. Quodlib.*

An idem sit abstractũ & concretum? Scot. quæst. 8. de radicam. & 9. Metaph. quæst. 3. Quod ibi tangit in impugnatione responsionis, de identitate concreti, & abstracti, quære in quæstionibus Antepрædicamentorum *q. 8.* egregiè, & instantias ponderabis, vt nosti. Vide super lib. Elenchorum *q. 16.* & *9.* Metaph. *q. 3.* vbi hæc aliqualiter pertractaui, & super Porphyr. *quæst. vltima*, & in 4. *dist. 11. q. 1. art. 3.* singularissimè: hîc enim loquitur de concreto pro formali tantùm accepto; vbi etiam pondera ad finem argumẽtationis, qualiter, vt notaui, reducit argumentum ad oppositum. Plura alia hîc adducat lector.

12. Vlteriùs sequitur: *Creato, & increato*, &c. vbi assignauimus quintam conclusionem, licèt in aliquibus originalibus, sit litera dependens ex præcedentibus iam declaratis, potest tamen rectè poni conclusio, vel principium particulæ, seu Theorematis principalis. Vbi aduerte, quòd hæc posset distingui sicut illud primum corollarium suprà, *determinans determinabile*, &c. videlicet in vniuersalem, vel in particularem. Particularis enim affirmatiua, & particularis negatiua possunt esse simul veræ, maximè in terminis non essentialibus, vt nosti. Licèt igitur alicui creato, & alicui increato sit conceptus communis vniuocus vniuocè dictus, non tamen omni, vt priùs dictum est. Et hîc intelligo *creatum* extensiuè, pro quocunque alio à Deo; & sic fortè entia rationis possent dici creata, de quibus manifestè patet veritas conclusionis, comparatis ad entia realia, siue creata, siue increata. Licèt quidam imaginentur vniuocationem entis vtrique: hoc tamen non est ad mentem huius, vt patet in Logicalibus, & Metaphysica, & *29. dist. prim.* Et si instantiæ possent alibi inueniri, vide 3. & 13. *quæst. Quodlib. & 24. dist. prim. in Reportatis, & super 5. Metaph. & alibi.* Pondera etiam cùm dicit, *Per se communis*, &c. propter identificam prædicationem, & analogiæ vnitatem, seu communitatem. Quære vbi suprà notaui sæpè. Intelligo propositionem sic ad mentem Doctoris: *Non omni creato, & increato aliquis idem conceptus*, &c. nisi loquatur famosè hîc, quod probabiliter posset dici.

An aliquid sit vniuocum enti reali, & rationis?

13. Deinde sequitur illa propositio: *Conceptuum dico*, quæ est explicatiua definitionis conceptus, superiùs assignatæ, & non habetur in omnibus originalibus, & posset ibi assignari vna particula principalis, seu Theorema. Posset etiam appellari *communis animi conceptio*. Vel ad maiorem expressionem ponitur. Quomodocunque, propositio est notabilis, vt patet. Vbi pondera multiplicem acceptionem *conceptus*, vt suprà notaui: videtur hîc accipi, vt *obiectum*, non quomodocunque, sed vt habet esse in intelligentia, non tantùm in memoria: ideò dicit, *non vt forma*, &c. vbi plura tangat lector de conceptu entis, & correspondentia eius, & sic de aliis. Vide ea, quæ notaui super quæst. 4. huius in Antepрædicamentis. In commento declarat se breuiter, & subtiliter, quantum ad illam particulam, *esse*, videlicet intellectu, actu, vbi ponit disiunctiuam trium partium; & vltima pars probabiliter dari potest. Vide optimè *q. 13. Quodlib.* de his relationibus, & *5. Metaph. & alibi sæpè*, vt nosti. Considera etiam an tales relationes sint reales, vel rationis, vbi suprà, & alibi sæpè, & adde ibi plura ad propositum, benè masticando, & maximè relationes, quæ sunt duræ digestionis.

Conceptus multipliciter sumitur.

Per esse in, triplex respectus intelligi potest.

Consequenter addit aliam, in qua tangit multiplicem acceptionem conceptus obiectalis. *Omnis conceptus*, &c. Secundùm enim triplicem actum intellectus, potest assignari triplex conceptus: & primus subdiuiditur in *per se*, & *per accidens*. Per se etiam in *omnino simplicem*, & in *simplicem*. Vide 9. Metaph. *ad finem, quære 3. dist. prim. quæst. 4.* & in præcedentibus, & suprà hîc. Conceptus etiam complexus potest multipliciter subdiuidi; & similiter discursiuus. Quære in Logicalibus, vide Franc. in prolog. prim. Conflat. & alios, vt nosti. Quinque ergo conceptus tangit, sed de duobus primis ad propositum intendit: quo ad alios, se ad sequentia remittit. Quære in Metaphysica, & aliqualiter infrà hîc, & alibi pluries. Aduerte, quòd tota litera posset poni textus, sed satis benè assignatur commentum: vt habes: licèt posset inchoari ibi: *dicatur resolubilis*, &c. Quære 6. Metaph. plura ad propositum explicandum. Pondera etiam notanter differentiam inter *conceptum aggregatum*, vel per accidens, & *conceptum complexum*, ex litera, & adde vt scis. 14.

Cõceptus obiectalis multiplex.

Vltimò ponit 8. vt assignauimus: *Omnis conceptus*, &c. In qua comparat conceptus inter se secundùm diuersitatem, differentiam, & ordinem, valdè signanter: & tota litera posset poni textus, vel saltem vsque ibi: *Dicatur alter*, &c. cuius fundamenta possunt haberi 5. Metaphys. in Aristotele, & in isto, & alibi sæpè. Litera satis clara est vsque ibi: *primò diuersus & inclusus*, &c. si teneatur ly, *&*, copulatiuè. Hoc ideò dico, quia conceptus primò diuersus videtur omnino irresolubilis: benè enim verum est, quòd conceptus inclusus potest esse simplex, & resolubilis: sed de primò diuerso est dubium. Si ly, *&*, teneretur disiunctiuè, nulla ambiguitas esset, sed loquitur fortè de primò diuersis subiectiuè, seu prædicamentaliter: non autem obiectiuè, seu transcendenter. Quære 5. Met. & alibi plerumque.

Cõceptus primò diuersus, est irresolubilis.

THEOREMA X.

SCHOLIVM.

Maior pars huius Theorematis habetur suprà Theor. 8. Repetita sunt quædam, vel propter maiorem expressionem, vel fortè scriptorum vitio: tres primæ definitiones, cum suis duobus corollariis, ibi habentur: tres petitiones hîc positæ, sunt clarissimæ. Quid sit confusè, & distinctè concipi, quod habent quarta, & quinta definitio, vide apud Doct. 1. d. 3. q. 2. n. 21. Sexta est de definitione vniuersalis, de qua vide eum, de Vniuersal. q. 4. 5. & seqq. & 7. Metaph. q. 13. & 2. d. 3. q. 1. & 6. & 4. d. 43. q. 2. Septima definitio est de singulari, explicans descriptionem, de quo vide eum 2. d. 3. q. 6. ad primum, & tertium, & quæst. 22 de Anima.

1. *Primò concipi dicitur, quod intellectui adæquatur.* *10. princip. Definitiones.*

2 Per

2 *Per se non primò, quicquid in primo intellecto includitur.*

3 *Perfectè cognoscitur ex parte obiecti, quando nihil obiecti latet.*

Corollarii. 1 *Simplex itaque si concipitur, perfectè concipitur.*

2 *Resolubile contingit imperfectè concipi.*

Petitiones. 1 *Conceptus aliquos esse resolubiles.*

2 *Conceptus aliquos esse non inclusos.*

Conceptus singularium non inclusi. Vt conceptus omnium singularium & solos: omnes quidem alij in his includuntur, & ab his abstrahuntur.

Definitiones. 3 *Confusa à nobis concipi, priùs distinctè.*

4 *Distinctè concipitur, quod secundùm hoc concipitur, secundùm quod ab aliis distinguitur.*

Quid confusè, & quid distinctè concipi? 5 *Confusè concipitur, quod indistinctè.*

Non ergo omne quod non primò, confusè: quia genus ita perfectè concipitur in conceptu definitionis, sicut per se: tamen tunc non primò concipitur, sed definitio primò. Contrà: quomodo ergo duplex confusio? secundum duplex totum, vniuersale, & essentiale, vel integrale.

Quid vniuersale, & singulare? 6 *Vniuersale, vel commune dico, cui non repugnat dici de multis.*

7 *Singulare, cui repugnat.*

ANNOTAT. MAVRITII.

2. Sequitur illa particula, *primò concipi*, &c. quam 10. principalem notauimus. Vel si tantùm conclusiones enumerabis, pone 8. principalem, seu alio modo supputando: vt suprà notaui, erit suprà, vel infrà, in qua ponuntur 7. definitiones, duo corollaria, & tres petitiones. Et licèt aliqua horum priùs posita sunt, communiter tamen in originalibus sic reiterantur, & hoc vel ad maiorem expressionem, vel scriptorum vitio: vel quomodolibet aliter. Fortè enim nunc vt definitiones, nunc vt conclusiones, seu communes animi conceptiones, aut petitiones ponuntur, quod lector attendat. Aliqua verò originalia hæc non habent: sed nihil omittere volui: etiam septies repetita placebunt. Tres primæ definitiones claræ sunt, & priùs declaratæ, de *primò* videlicet, *per se*, & *perfectè concipi*. Tertia hîc resolutiùs, quàm suprà ponitur. Duo etiam corollaria satis ex dictis clara sunt, licèt contra primum eorum plura possent adduci. Quære 3. *dist.* 1. *& alibi, &* 9. *Metaphysica Arist. ad finem.* Tres petitiones patent manifestè, quarum tertia maximè patet ex 1: *Physicor.* & 3. *dist.* 1. *quæst.* 2. & *suprà hîc*: & 1. *Metaph.* Secunda etiam patet 1. *Poster.* & 2. *Metaph.* & cap. de Specie in Porphyr. & alibi plerumque. Quarta & quinta definitiones patent vbi suprà in primo, & alibi sæpè.

3. Deinde per modum corollarij sequitur: *Non ergo omne quod non primò*, &c. & ponitur vt commentum, licèt posset poni vt textus vsque ibi: *quia genus*, & posset impugnari sicut optimè Doctor impugnat, & aliter etiam. Nam nihil primò conceptibile videtur perfectè concipi, nisi primò concipiatur; non ergo ita perfectè, vt videtur, concipitur genus, vt pars definitionis, sicut seorsum: sed in perfectè & distinctè concipiendo, dantur gradus: vtpote *per se primò*, *per se non primò*, &c. & sic loquitur Doctor. Genus etiam, vt definiens, non est natum concipi, nisi vt pars, vel distinctè, licèt alio modo, vt scilicet species, vel totum, vel vt genus, posset concipi aliter, considera.

An genus ita perfectè cõcipiatur in cõceptu definitionis, & per se?

Deinde obiicit & non soluit. Quæ tamen obiectio non habetur in aliquibus originalibus: sed posito quòd sit de litera, & sustinendo dicta, faciliter respondetur, quòd genus in definiendo, est pars; in prædicando, totum, secundùm Boëtium: & hoc propriè, vel appropriatè, vt habet *super Porphyr. q.* 3. *de Genere*, iste. & ideò idem potest nunc confusum, nunc distinctum esse. Sed adde quòd aliud est *confusum esse*, & *confusè concipi*: similiter de *distincto*, & *distinctè*. Quære vbi suprà, in primo, & alibi plerumque, & adducantur hîc plura fundamenta huius, & sequacium, & tange multa de natura generis, & cognitione eius.

Genus definiẽdo est pars, prædicando, totum.

Idem potest esse cõfusum, & distinctũ.

4. Vltimò definit vniuersale, & singulare. Et notanter dicit *vniuersale, vel commune*: quia *commune* est in plus, quàm *singulare*. Nam quiditas in potentia, etiam remota, ad vniuersalitatem, est communicabilis pluribus, vt 3. *dist.* 2. habet, & super 7. Metaph. tactum est *q.* 13. & alibi plerumque. Quære. Notanter etiam dicit, *cui non repugnat*, & non dicit quòd de facto dicitur de multis: quia siue in vno tantùm indiuiduo sit, siue in pluribus, habet non repugnantiam; non tamen semper actum, vt ibidem determinat. Vide super 1. Perihermenias, & super Porphyrio, & alibi. Refert etiam fortè dicere, *habere non repugnantiam, & habere aptitudinem*, considera benè, & videbis, quòd nihil diminutè, nihil superfluè dixit. Definitionem etiam singularis, per oppositum declarabis, vt ibi suprà in 2. & in Metaphysica, habet. Instantias hîc plures & resolutiones dictorum adducat lector, quia hîc omnia inserere non sinunt temporis angustia, & ad maiora acceleratio; famosa enim sunt hæc omnia in doctrina huius: quare quærantur.

Commune latius patet quàm vniuersale.

Vniuersalis descriptio, & singularis.

THEOREMA XI.

SCHOLIVM.

In vndecimo Theoremate vna tantùm est assertio, seu communis animi conceptio, de ratione per se vnius, *pro quo nota ex Theorem. 8. quòd simplex conceptus est resolubilis in duos, determinabilis scilicet, & determinatiui; sed simpliciter simplex, seu primò simplex, est irresolubilis, vt ibi etiam dictum est. Simplex ergo conceptus primo modo, est ex actu & potentia, si Metaphysicè loquamur; vel ex materia & forma, Physicè loquendo. An verò anima, & Angelus, qui sunt ex actu & potentia, Metaphysicè, sint etiam ex materia & forma. Doctor q. 15. de Anima putat probabiliter, quòd sic, secundùm Philosophos, & D. Thom. de quo ibi in Commentario fusè egi. Duodecimo Theoremate ostendit actum compositi esse proprium; alioqui non distingueret illud ab aliis; & vnum, alioquin compositum esset multiplex; & simplicem, aliàs aliquid ipsius esset vltimum, vel dares processum. Quando dicit actum esse vnicum, loquitur de vltimo, respectu cuius quodlibet compositi est potentiale, vt explicat in commento: non negat ergo esse alium actum non vltimum, seu formam incompletam, quam ponit in corporibus animatorum, & fusè probat 4. d. 11. q 3. à num. 54. de quo infrà Theor. 19. num. 13. & Theor. 20. num. 9.*

11.princip. *Omne per se vnum, & non simplex primò, est ex actu, & potentia, siue ex materia & forma.*

Hæc vtique communis animi conceptio, quod innuit Peripateticorum princeps 8. *Metaph.text.com.15. Sed hoc,*inquit, *materia, illud verò forma; & hoc quidem actu, illud verò potentia: non adhuc dubitatio videbitur esse, quod quæritur, sed hoc est quod quid erat esse vtique.* Quasi dicat, in subiecto includi prædicatum, per hanc propositionem, esse per se notam. Dico autem primò ex illis esse: quoniam si ex pluribus *per se*, sed non primò, quodlibet illorum, vel erit aliquid ipsius potentialis, vel actualis. De potentiali patet per ea, quæ dicuntur elementa: vt *A, B.*

Vnum per se quid est?

THEOREMA XII.

12. princip. *Vniuscuiusque compositi est aliquis proprius actus vnicus, & simplex.*

Ab illo namque est vnitas compositi in se, & distinctio ab alio. Actus enim distinguit; igitur est proprius: sed & vnicus, quia quodlibet compositi respectu eius est potentiale, & ita non est actus huius compositi: licèt respectu alicuius in composito, possit dici actus: propter idem simplex, aliàs aliquid eius erit vltimus actus.

7. Metaph. tex.com.49.

Ab actu vnitas compositi.

ANNOTAT. MAVRITII ad XI & XII. Theorema.

2. Sequuntur alia duo Theoremata, quæ possent dici communes animi conceptiones, vt de primo eorum asserit Doctor hîc & infrà. Secundum verò vocat conclusionem in sequentibus, & videntur Physicæ considerationis maximè: licèt ad Metaphysicalia extendi possint. Aristoteles enim propter difficultatem speculationis, & abstractionis Metaphysicalis, communiter etiam in Metaphysicis locutus est Physicè: aliud voce proponens, aliud quasi mysticè subintelligens: sicut Theologi suo modo etiam diuinitùs inspirati, in Scripturis sacris loquuntur. Prima propositio est talis: *Omne per se vnum*, &c. vbi notanter addit, *& non simplex*: quia per se vnitas nedum compositis, imò simplicibus, & principaliùs conuenit: addit etiam *primò*, id est, adæquatè: quia nec præcisè ex actu, nec præcisè ex potentia, nec præcisè ex aliquo actus, vel ex aliquo potentialis, vt in commento exponit optimè, & super 7. & 8. *Metaph.* copiosè disputauit: & non refert Auerroïs, & sequacium imaginatio, remouentium videlicet materiam à *quod quid est* rei materialis. In commento verò hanc propositionem fundat in dictis Aristotelis, quem principem Peripateticorum, imò omnium ferè naturaliter loquentium, non Platonem, vt voluit Tullius (sed Scotum semper excipio) meritò appellat: vt naturalis imaginatio attingere valuit 8. *Metaph.text. com.15.* vbi videtur Philosophus velle hanc esse per se notam, & per consequens prædicatum eius includi in subiecto. Quære ibi expositionem, & quæst. huius copiosè ad propositum, & adde plura, vt nosti: quia paucis multa tangit.

Vnitas conuenit cõpositis, & simplicibus.

Arist. nõ Plato princeps Peripateticorum.

Deinde sequitur secunda propositio, quam 12. principalem notauimus, & præcedentem 11. sed vt priùs notaui, alio modo supputando, posset aliter quotari. Hæ etiam duæ possent congruè sub eadem particula locari: sed has quotationes omitto ad iudicium boni viri: quæ est talis: *Vniuscuiusque compositi*, &c. vbi tria tangit, de actu, scilicet eius simplicitatem, vt habet sex Principiorum auctor in principio. Vide 7. & 8. *Metaph. & q.9. Quodlib. & alibi sæpè*: eius vnitatem, & eius proprietatem, quæ optimè commendat, roborat, & exponit in commento. Vnius enim rei vnum est *esse*, de quo tamen vide *in 3. dist.8. q.1.* esse autem principaliter est ab actu, vel à forma: quare actus vnicus, proprius etiam est, aliàs non distingueret à quocunque non ipso. Quære 7. *Metaphys.text. com.49.* Non obstant hîc dicta his, quæ habet 11. *dist.4. & 7. Met. & 2. & 4. dist.3.* & alibi plerunque de pluralitate formarum: quia formæ priores sunt potentiales, vel saltem partes, vel aliquid potentialis formæ vltimatæ & specificæ, vt egregiè breuibus in commento declarat. Exclude etiam hinc cauillationes Nominalium de compositione ex corpore & anima intellectiua. Nam quæcunque pars hominis non est homo; quicquid dicant illi garruli, propriam vocem ignorantes: sed adæquatum potentiale cum actu specifico hominem constituit, cuiusmodi sunt corpus organicum (completum ex principalibus saltem organis) & anima intellectiua, quod ex præcedenti propositione, & dictis huius alibi confirmabis. 3.

Plures in cõposito formæ.

THEOREMA XIII.

SCHOLIVM I.

In hoc Theoremate vndecim habentur propositiones. Prima & tertia posita sunt Theor.9. Secunda habetur ex Theorem.11. Quarta colligitur ex prima huius; si enim non esset vltimum determinans, nec status in resolutione conceptuum. Ponit in commento conditiones conceptus determinantis. Quinta patet, quia si omnis conceptus immediatè in irresolubilem resolueretur, species eiusdem generis essent primò diuersæ; quia sicut nec in qualitatiuo conceptu, ita nec in quiditatiuo conueniret; secunda probatio obscura satis est. Sexta sequitur ex quinta, quia si fit resolutio passim in quiditatiuum resolubilem; ergo hîc communior est conceptu resoluto: verbi gratiâ, conceptus animalis, conceptu hominis. Septima, ostendit in resolutione quiditatiua dari vnum supremum conceptum, nempe entis; & sex rationes ad hoc posita suadent optimè entis vniuocationem, de qua Doct. 1. d.3. q.2. à num.5. & d.8. q.3. n.11. & 4. Met. q.1. & q.4. Prædicam. & de Anima q.21. vbi in commentario fusè de hoc egi.

1 *Conceptuum resolutio statum habet.*

Aliàs nihil perfectè cognoscibile, ex definitione quarta, & quinta, quia nec quilibet eius: non enim vno actu infinita concipientur à nobis: nec infinitis quos non erit pertransire. Contrà: inconueniens est, quòd non solùm à nobis; sed ex se non sit cognoscibile. Respondeo: vno actu infinita confusè. *13. princip. Theorem.8.*

2 *Omnis conceptus resolubilis primò resoluitur in determinabilem, & determinantem.*

Quia

Essentialis cõceptus excedit quiditatiuum.

Quia in potentialem, & actualem, seu materialem,& formalem. Ex conceptione itaque, determinabilis dicatur quiditatiuus; determinans, qualitatiuus; itaque essentialis excedit quiditatiuum.

3 *Determinabilis, & determinans, nihil idem essentialiter includunt, nec vnum alterum.*

Si determinabile, & determinãs non essent primò diuersa, daretur processus.

Ac per hoc sunt primò diuersa, aliàs nugatio in omni conceptu resolubili, & processus in infinitum: quia illud commune in vtroque determinabitur: & ipsum & determinans aliquid includunt, quod iterum determinabitur in infinitum.

4 *Cuiuslibet resolubilis est aliquod vltimum determinans.*

Conditiones cõceptus determinãtis.

Ex prima, vnicum, ex conclusione de actu, simplex, quia vltimum: & hoc dicatur proprium determinans, quia quicquid aliud est in conceptu illo, respectu eius, est determinabile: licèt respectu prioris, sit aliquo modo determinans: sed non totalis conceptus: itaque quot conceptus resolubiles, tot proprij determinantes, primò diuersi à determinabilibus ex tertia, & inter se, ex ista. Itaque nullus conceptus communis omnibus, tam ex tertia, quàm ex ista: sed stat resolutio cuiuslibet in qualitatiuum irresolubilem: nugatio namque sequeretur, & infinitas, nullúmque alium esse conceptum simplicem: ac ideò nullos duos primos diuersos, quare nullos differentes.

Corollariũ.

Ex 3. Theorem. 9.

Negato vltimo determinante, sequitur nugatio, & infinitas.

5 *Non statim resoluitur quicunque conceptus in quiditatiuum irresolubilem.*

2\. Quia duo conceptus tunc essent primò diuersi: non enim conueniunt in qualitatiuis vltimis, ex corollario quartæ: & si non in aliquo quiditatiuo, tunc in nullo. Item, tunc simpliciter simplices tantùm essent in numero duplo, respectu resolubilium: qualitatiui quidem proprij æquales sunt numero resolutis, sed quiditatiui excedunt.

6 *Quiditatiui conceptus resolutis sunt communiores: sed in resolutione posteriores prioribus sunt communiores.*

Quiditatiuus conceptus est cõmunior resoluto.

Quiditatiui dixi: qualitatiuus enim proprius conuertitur cum resoluto, ex corollario quartæ: hoc probatur ex definitione communis: quia potentiali non repugnat ex se actus alius ab isto, quo determinatur.

7 *Quiditatiuè resoluendo, ad vnum primum conceptum status erit.*

In resolutione quiditatiua datur status.

Est autem iste conceptus communissimus ex sexta, & est entis. Cum certitudine namque de isto, potest stare dubitatio de quocunque conceptu alio quiditatiuo: non autem certitudo eiusdem, & dubitatio de eodem conceptu. Item, vnus conceptus, quo ens communissimè, negatur. Item, si confusa priùs nota, aliquid simpliciter primò impriment intellectui: quod benè asserit Auicenna esse ens: non enim plura confusissima æquè primo occurrunt: neque illorum aliquod si respectu aliorum non est confusum. Item, vnum obiectum primum intellectus; & primi habitus scientifici. Item, comparantur quicunque duo alij quiditatiui secundùm perfectius, & imperfectius in entitate. Item, connumerantur duo entia: quia quodlibet ens ad quodlibet ens non idem, est diuersum: ergo illa sunt duo entia: comparatio autem & connumerata, in aliquo vniuocantur.

Vniuocatio entis sex rationibus probatur.

Comparata, & connumerata, vniuocantur.

SCHOLIVM II.

Octaua conclusio est explicatio septima, ostendens tantùm vnum conceptum esse positiuè communissimum, quod optimè probat commentum. Nona, aliquos conceptus immediatè contineri sub primo, alioquin essent infiniti, contra primam. Hic ponit ens primò diuidi in decem genera, de quo 1. d. 3. q. 3. num. 7. & dist. 8. q. 3. & 4. d. 10. q. 1. num. 11. & d. 13. q. 1. & 5. Met. q. 5. quod videtur innuere Aristotelem dicere, ens includi in differentia; ab hoc recedit, cùm dicat, eum arguitiuè tantùm loquutum: ipse tenet non includi in vltima, 1. d. 3. q. 3. num. 6. 7. 15. & 2. d. 3. q. 6. num. 13. 14. Conclusione decima, passiones entis, quæ sunt conceptus qualitatiui denominantes, denominare per se quemlibet conceptum quiditatiuum; quia denominant per se primò ipsum ens, & consequenter per se, non primò, omne includens ens. Vltima conclusio benè docet passiones entis non includere ipsum, & probatur quatuor rationibus in commento, de quo vide Doct. 1. dist. 3. quæst. 3. num. 6. 7.

8 *Tantùm est vnus conceptus quiditatiuus communissimus.*

Quia si duo, vterque in quolibet alio includeretur; aut igitur alter in altero: & tunc alter non communissimus, ex sexta; aut neuter in alio, & tunc vnus determinabilis alter determinans, ex secunda; & ita tantùm alter quiditatiuus.

3. Tantùm vnus conceptus communissimus.

9 *Sub primo quiditatiuo immediatè continentur aliqui conceptus quiditatiui.*

Quia si omnes mediatè, infiniti conceptus, contra primam: si tantùm vnus immediatè, primus non illo communior, contra sextam. Quot igitur sunt? Tantùm decem famosè ponuntur, qui ideò immediati primò: quia in quolibet alio quiditatiuo conceptu aliquis istorum includitur: & nullus istorum in alio: nec alius quiditatiuus in eorum aliquo, nisi priùs hæc generalissima genera, seu prima genera dicuntur. Contrà: cur non primus conceptus genus primum, si in quid prædicatur, & per differentias determinatur ille

Si nullus conceptus esset immediatus enti, essent infiniti cõceptus.

Ens immediatè diuidi in 10. genera.

ille ad istas decem? Respondetur, quia est de intellectu differentiæ, quod generi non conuenit. Hoc arguendo dixit Aristoteles, 3. *Metaph. text. com.* 10. cùm sit impossibile eundem conceptum in genere & differentia includi, ex tertia: nec vnum in alio: itaque si ens est de intellectu differentiæ ipsum determinantis, æquiuocum esset, & alius conceptus: nihil autem prohibet conceptus generis, & differentiæ æquiuocè eodem nomine importari.

Si ens esset de conceptu differentiæ suæ, æquiuocum esset.

10 *Est aliquis conceptus qualitatiuus, denominans quemlibet quiditatiuum.*

Denominans, inquam, ad differentiam qualitatiui determinantis: quia determinans per se includitur, denominans non. Hoc probatur, quia denominans primò, denominat per se quodlibet inferius, aliqua primò denominant ens, vt *vnum*, *verum*, *bonum*: itaque quemlibet quiditatiuum per se denominabunt: licèt hi dicantur denominatiui communissimi.

Determinans per se includitur, denominans non.

11 *Nullus conceptus denominatiuus communissimus primum quiditatiuum per se includit.*

Nec igitur aliquem inferiorem, & ita in nullo genere 10. Prædicamentorum: igitur transcendentia qualitatiua. Hoc probatur, quia nugatio, *ens vnum*. Item, quia non conuertuntur prædicationes per se: hæc per se prædicantur de ente: non itaque è conuerso. In definitione etiam passionis, subiectum cadit vt additum; non itaque vt inclusum. Item, quodlibet istorum seipsum denominaret.

Passiones entis nō includūt ipsū.

ANNOTAT. MAVRITII.

4. SEquitur illa particula: *Conceptuum resolutio*, &c. quam 13. principalem notauimus, & in qua vndecim propositiones assignauimus: sed, vt priùs dixi, aliter supputari poterit, alio modo literam ordinando: & videtur superflua, aut hîc, aut suprà, hæc propositio: quare posset omitti hîc, vel ibi: sed si eam legere volueris, excusabis, vt notaui suprà. Quam probat vt prius, licèt non ita ad plenum. Et cùm dicit in commento, *ex definitione*, in aliquibus originalibus, imò communiter non additur quotatio aliqua, in aliquibus verò ponitur: vt habes quarta & quinta, & aliqui addunt *D*, & *E*, sed sine quotatione. Litera est bona: si autem adderetur quotatio, benè esset tertia, habendo respectum ad præcedentes immediatè: vel quarta & tertia ad mediatè, & immediatè: habet enim referri ad illam definitionem *perfectè concipi*, & *distinctè*, seu *per se concipi*. Tange instantias circa dicta in commento, vt priùs notaui. Vbi aduerte consequenter in litera, quòd in aliquibus, vt habes, ponitur obiectio in commento sic: *Contrà: inconueniens est*, &c. & potest referri ad cognitionem infinitorum, & responsio sequens satis vadit ad propositum, sed licèt non distinctè, confusè saltem possunt infinita apprehendi vno actu, sed communiter in originalibus habetur loco *contrà: conclusio*, & debet referri ad illud in principio commenti: *aliàs nihil perfectè*, &c. & placet magis sic litera, & tunc illa responsio ad finem, posset poni additio, vel *Extra*: aut si ponatur de litera, est euasio, seu cauillatio quædam, & faciliter infringi potest: quia non fit sermo hîc de cognitione confusa: sed perfecta & distincta: vt patet in litera. Vtroque modo, cùm possit litera percipi, eligat lector quod voluerit, consequenter plura addendo.

Istæ propositiones habentur Theorem. 9.

Consequenter ponit secundam: *Omnis conceptus*, &c. & tota litera cum commento patet priùs. Aduerte in commento, cùm dicit *ex conceptione*, quod videtur recurrere ad illam suprà, *Omne per se vnum*, &c. vnde habes ponderare valde ordinem, & numerum variè in hoc processu: vt infrà magis opus erit propter intricationes allegationum. 5.

Conditiones determinātis Conceptus

Deinde sequitur tertia: *determinabile & determinans*; &c. quæ etiam cum commento priùs habetur, & instantias hinc inde considera, & exclude vt suprà notaui.

Consequenter ponit quartam: *Cuiuslibet resolubilis*, &c. quæ satis notanda est cum sua declaratione in commento. Tangit enim tres, vel quatuor determinantis conditiones, videlicet quòd cuiuslibet resolubilis datur determinans vltimum, vnicum, simplex, & proprium, & omnes illæ particulæ possunt notari vt textus, & remissiones, vt commentum. Vbi nota corollaria, quæ infert consequenter pulchrè ad propositum: & superiùs omnia ferè habita sunt. Probat autem conclusionem ex præcedentibus notanter. Vbi habes ordinem conclusionum fore conuenienter assignatum. Limita, vt scis, cautè, quod dicit de conceptu communi omnibus, de qua communitate debet intelligi.

Deinde sequitur quinta: *Non statim resoluitur*, &c. vbi posset poni principium particulæ, vel capituli, sed satis benè quotatur, & est de ordine, & gradibus in quiditatiuis conceptibus, assignandis; vt Plato, & Porphyrius, post ipsum quam probat dupliciter in commento: quarum secunda est valde notabilis, & maximè procedunt probationes de conceptibus specificis, resolubilibus. Prima verò probatio posset impugnari, vel pati instantiam, vt patet comparando hominem, & asinum ad conceptum animalis, qui in casu ponatur irresolubilis: vel comparando corpus, & spiritum, ad conceptum substantiæ: vel saltem comparando substantiam & quantitatem, ad conceptum entis, supposita vniuocatione eius. Sed benè ponderando optimè probat Doctor, quia accipit conceptum quiditatiuum cum præcisione, vt distinguitur contra conceptum includentem quiditatiuum, & qualitatiuum: conceptus enim hominis non est præcisè quiditatiuus: quare si resolueretur in conceptum animalis, qui in casu esset irresolubilis, & per consequens præcisè quiditatiuus: tunc ille comparatus ad conceptum quemcunque alium sic quiditatiuum, esset ab eo primò diuersus; quod falsum & inconueniens est: & sic de aliis exemplis dices. Non possunt duo conceptus conuenire quiditatiuè in tertio, nisi contrahatur ad ipsos per aliquos qualitatiuos, ex quibus constituuntur; & per consequens non erunt præcisè quiditatiui. An verò hoc verum sit de contractis modalibus, & conceptibus transcendentibus; vel an loquitur præcisè de conceptibus Prædicamentalibus, & realitatum,

Quiditatiuus cum præcisione est primo diuersus ab aliis.

tatum, dic consequenter benè ponderando. Adde hîc plura subtilia curiosè, & salua. Semper aquilæ discursus transcendit certè caprarum imbecilles saltus: & non formidat porcarum garritus.

6. Sequitur sexta: *Quiditatiui conceptus*, &c. in qua comparat quiditatiuos conceptus, in quos ordinatè fit resolutio, ad qualitatiuos & resolutos, & ad se inuicem secùdùm maiorem & minorē communitatem: & litera tota patet. Vbi aduerte cùm dicit in commento, quòd *qualitatiuus proprius conuertitur*, &c. quòd talis conuertibilitas non est per viam totalis entitatiuæ comprehensionis; sed potiùs vltimatæ constitutionis, & antonomasticè, vt suprà notaui. Quære 11. *dist.* 4. & alibi, vt nosti. Pondera etiam cùm dicit: Ex definitione communis, quia illa est definitio sexta suprà *vniuersale, vel commune*, &c. potentiale enim indifferens est inquantum tale; actus verò distinguit & separat, & vltimatè constituit, & primò prioritate perfectionis. Quære 7. *Metaphysica*, vt scis, *&* 22. *dist.* 3. *&* 14. 2. plura ad propositum.

Potentiale est indifferens. Actus distinguit, & separat.

Septima propositio: *Quiditatiuè resoluendo*, &c. in qua ostendit statum esse ad conceptum entis quiditatiuè, & notabiliter in commento ostendit breuibus vniuocationem entis: quod suprà super Metaphysica pertractaui, & ambiguitates circa hoc, & vbi, & qualiter, ibi quære. Tangit primò in commento illud famosum argumentum de conceptu certo, & dubio in aliquibus, imò communiter non habetur ratio sequens, quam habes: *Item, vnus conceptus*, &c. & procedit, vt videtur, per viam contradictionis inferendæ: quod non conuenit nisi in vniuocis. Tertia procedit de primò cognito; sed declarabis castè, vt suprà notaui super Metaphysica, & habet 3. *dist. prim. &* 8. *eiusdem*, & pondera differentiam inter *confusum*, & *confusè*; & inter *confusum* confusione partium subiectiuarum, & essentialium, & multa alia ibi tange: & an loquatur famosè, considera benè. Quarta ratio procedit ex vnitate obiecti intellectus, & habitus Metaphysicæ. Quinta ratio per viam comparationis: quæ tantùm habet fieri in vniuoco 7. *Physicor.* Vide optimè 8. *dist. prim. q.* 2. Sexta, & vltima ex numeratione in entitate, quod etiam arguit vniuocationem: quæ omnia dilatabis, & examinabis, vt alibi habes, & maximè vt *quæst.* 4. *Antepredicamentorum huius* copiosè dixi, & aduersarios exclude.

Quando negat vnus cōceptus enti; quod negatur, est vnū.

Vniuocatio entis ad inferiora probatur.

7. Deinde sequitur: *Tantùm est vnus conceptus quiditatiuus*, &c. quam octauam notauimus: sed in aliquibus ponitur in commento præcedentis sic: *Item, tantum est vnus conceptus*, &c. tanquam probatio præcedentis, & satis benè: sed potest poni conclusio, tanquam ad maiorem expressionem, & exclusionem cauillationum contra præcedentem. Posset enim quis concedere, quòd resolutio fieret ad ens, tanquam ad primum communissimum, exponendo ly *primum* negatiuè, & cum hoc posset esse ad alia prima, vtpote ad *rem*, vel *aliquid*, vel huiusmodi. Hoc ergo excludendo, ponit istam, in qua oportet ens esse vnicum, primum, communissimum, viâ resolutionis, exponendo ly *primum* positiuè: quam probat paucis singularissimè, ex præcedentibus, & litera satis clara est.

Nullū aliud prater ens, esse communissimum conceptum.

Sequitur nona: *Sub primo quiditatiuo*, &c. in qua ostendit diuisionem primam entis, non esse indifferenter in quotcunque inferiora: sed in determinata. Quam ostendit ingeniosissimè in commento: quia nec in vnum tantùm, nec in infinita: relinquitur ergo quòd in aliquot determinata numero. Et quærit in quot? & respondet famosè, quòd in illa decem Prædicamenta, & probat quòd immediatè: quæ omnia suprà patent 5. *Metaph. quæst.* 5. & sequenti. Excludit consequenter obiectionem, quare videlicet ens non sit primum genus, adducendo motiua Aristotelis 3. *Metaph.* Vbi notanter dicit, *Hoc arguitiuè*, vel *arguendo dixit Aristoteles:* supple *& non assertiuè*, vt 3. *dist. prim. q.* 3. optimè pertractat. Et quod ibi tangit de æquiuocatione entis, & inclusione essentiali eius in intellectu Differentiæ, declaraui suprà, & super quæstiones in Porphyrium, & Prædicamenta, & vbi suprà in Metaphysica, & in primo inuenies. Loquitur plerumque hîc famosè, vt à principio præsupposui: omnia tamen sale condita, & breuitate, & subtilitate mirabili.

Non asseruit Arist. ens includi in vltima differentia.

8. Aduerte etiam, quòd licèt hæc Theoremata posuerimus post Metaphysicam, ordine tamen doctrinæ, &, vt reor, æditionis præcedunt: quare ea quæ dicit hîc breuibus, ibi prolixè; & quæ problematicè aliquando, & famosè, ibi determinatè, & similiter de Metaphysica in ordine ad Sententias est intelligendum. Non enim asinino cursu, nec violento motu, vt multi huius ætatis fatuorum applausum vsurpantes, in suis scriptis processit, quod lector eius doctrinæ attendere maximè debet. Qualiter verò ens descendat in decem Genera, & an per differentias determinetur, vide vbi suprà: & multa Logicè, & Metaphycè ad hæc vigilanter stude. An autem priùs diuidatur ens in aliquos conceptus transcendentes quiditatiuos, quàm in decem Genera, sunt variæ imaginationes sequacium huius: quære Formalistas, & plura loca huius doctrinæ, vt scis.

Quæ in Theorematibus minus resolutè, in Metaphysica resolutiùs posuit: idē de Theologia respectu Metaphysicæ.

Deinde ponit decimam: *Est aliquis conceptus*, &c. in qua ostendit communitatem passionum, & modorum entis. Vide copiosè ad hæc Franciscum in prolog. Conflat. & alios sequaces huius. Ens namque prædicatur de omnibus identicè, seu materialiter: sed alia plura de ente formaliter, & per consequens de inferioribus ad ens. Vel sic, prædicatur ens de omnibus denominatiuè à priori; alia verò de ente denominatiuè, & à posteriori. Vbi aduerte signanter differentiam, quam facit inter *determinans*, & *denominans*, & accidens propriè denominans, vt Philosophus in Anteprædicamentis. Vnde diuisiones entis per passiones, & modos, licèt sint per denominantia, non tamen propriè per determinantia: quia *determinans* hîc accipitur pro distincto, saltem secundùm realitatem, quod cum determinabili facit compositionem Metaphysicalem saltem. Determinans enim constituit in actu primo; denominans verò in actu secundo, & præsupponit primum. Adde & cùm dicit, quòd *determinans per se includitur*, debet referri non ad determinabile, sed ad tertium constitutum, denominans autem nec sic, nec sic per se includitur: licèt benè identicè, & hoc loquendo de perseitate primi modi. Nota etiam ibidem differentiam, inter *denominans primò*, & *denominans per se*, sicut communiter in Prædicamentis. Duos modos perseitatis habes 1. *Posterior.* De multiplici cōtractiuo, & determinatiuo, quære in logicalibus huius, vt aliàs notaui.

Quomodo ens de suis passionibus dicitur, & è conuerso.

Differunt determinans, & denominans: quomodo?

Forma denominans supponit actum primum.

Denominans primò, & per se differunt.

Consequenter ponit vndecimam & vltimam huius particulæ: *Nullus conceptus*, &c. quam suprà etiam pertractauit, & 3. *dist. prim. q.* 3. *&* 4. *Metaph.* & posset litera textus durare vsque ibi: *Hoc probatur*, 9.

batur, &c. sed satis benè iacet. Posset etiam illa particula, *nec igitur aliquem inferiorem*, &c. assignari corollarium:& ita multa alia alibi plerumque in præcedentibus, & sequentibus corollaria possent notari, vt assignauimus, quæ lector suis in locis addat, & specificet. Vult igitur quòd sicut dantur conceptus quiditatiui transcendentes, vel saltem vnus primus, ita dari debent qualitatiui: & plures qualitatiui correspondere possunt vnico quiditatiuo. Nec mirum, cùm vnitas prioris stet cum pluralitate posterioris; & vnitas subiecti cum multiplicatione formarum accidentium modorum, atque passionum: sicut enim materia prima in Physicis, ita potest poni ens in Metaphysicis. De numero, & ordine transcendentium qualitatiuorum, quære vbi suprà notaui, & qualiter demonstrari possunt, &c. Probat autem conclusionem quatuor rationibus breuibus, sed fortissimis. Quære vbi suprà *in primo, & 4. Metaphys.* Prima procedit per viam vitandæ nugationis. Secunda ex non mutuitate per se, in per se prædicationibus 1.*Posterior.* nedum eiusdem modi, sed simpliciter, & hoc in per se causa. Tertia ex repugnantia, seu diuersitate, per additum definitiui, & formaliter inclusi. Quære 1.*Posterior.6. Topicor.& 7.Metaph.* Quarta, ex implicatione contradictionis, seu ex repugnantia denominantis, & denominati respectu eiusdem. Nam omne denominans quiditatiuè inclusum personaliter supponens, denominat & includens.

Passiones entis non includere ipsum.

THEOREMA XIV.

SCHOLIVM I.

Mirabitur quis, quòd Doctor dicat quatuor primis propositionibus huius Theorematis probari non posse, Deum esse viuum, intelligentem, volentem, vel vllius operationis immanentis effectiuum, vel capacem. Sed aduertendum, eum loqui de probatione demonstratiua, sumpta in rigore iuxta regulas Logicas, non autem de probatione alia citra illam demonstrationem: quo sensu ista tenent quotquot dicunt demonstrari non posse euidenter, Deum esse, aut esse vnum, vel dari vnum omnium principium effectiuum: Bassol.1.dist.2. q.1. ita ait de primo effectiuo;& q.2.de infinito,& q.3. de Deo vno. Rubion q.1.negat demonstrari dari infinitum: & q.3. Deum esse vnum. Idem ait Ocham ibi q.10.de Deo vno,& Quodl.3.q.1.& Quodl.7.q.17.& aliàs. Soluit etiam omnia ferè argumenta Scoti, pro vnitate Dei, & primi entis probanda, quæ tamen sunt efficacissima omnium. Idem ait VVarro ibi quæst.1. Andreas à nouo Castro q.4.ait tantùm vt probabilius probari Deum esse. Petrus de Aliaco 1.dist.1.q.3.art.2.absolutè negat id demonstrari; consentit Holcot 1.q.4.in respon ad argum.contra conclusionem quartam. Maior d.2.q.2.concl.2.ait ad id esse rationes probabiles, quas tamen omnes soluit: & idem fecit Adam d.2.q.vnica, art.1. quos sequitur Gaspar Cassalius lib. 1. de quadripart.iusta,cap.16.post 2.concl. Ad idem est Gab.1.d.2. q.10.concl.2. dicens probari sufficienter, licèt non euidenter, dari primum conseruans, & primum efficiens. *Hos celebres Doctores adducere volui, pro hac parte, quia Doctor noster hìc in eam inclinare videtur: euidens enim est non magis, aut fortè minùs, demonstrari posse, Deum esse viuum, intelligentem, & volentem, quàm Deum esse, vel infinitum esse, aut primum efficiens esse; quæ tamen asserunt hi demonstrari in rigore non posse: quam sententiam quidam recentiores, rationem demonstrationis in suo rigore fortè non penetrantes, 1. part.quæst.2. art.2. temerariam, & erroneam esse censent; quámque ait Bannes ibi, vnum Petrum de Aliaco ausum esse docere, vt videas quàm diligenter reuoluerit iste author Classicos Theologos. Conglomerant Molina, & alij pro se multa Sanctorum dicta in id, Rom.1.* Quod notum est Dei manifestum est in illis, &c. inuisibilia enim Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Sed fortè nullus eorum vtitur voce* demonstrationis; *quâ, etiam si quis eorum vteretur, de illa rigida iuxta regulas Aristotelicas, minimè intelligendus esset; sed de* demonstratione *sumpta pro discursu sufficiente ad aliquid persuadendum intellectui benè disposito, sine formidine de opposito; qualis demonstratio in moralibus occurrit. Rigida autem demonstratio habet quatuor conditiones, de quibus Doct.3.d.24. ex Arist.1.Poster.text.5.*

Sed quicquid sit de hac sententia pro qua tot Doctores adduxi, eiúsve censura, quæ malè fundata videtur, Scotus eam non asserit: sed vel loquitur secundùm sententiam aliorum, vt notat hîc Mauritius; vel, quod verius est, tantùm ponit istas quatuor propositiones, nihil de eis resoluens; quod colligo ex propositione quinta ibi, Concessis quatuor conclusionibus proximis; licèt non probatis. *Quibus verbis constat, secundùm eum, non probari, quòd demonstrari nequeat Deum esse viuum, &c. ergo illas quatuor conclusiones non tenet vt probatas, vel assertas; sed non resolutas reliquit. Quod confirmo, quia tract. de primo principio cap.3.& 4.& 1. d.2.q.2.exactissimè probat Deum esse,& esse intelligentem, ac volentem, primum efficiens, vltimúmque finem. Vide eum in particulari probantem, Deum esse intelligentem,& volentem d.cap.4. concl.4.& 1.d.2.quæst.2. art.3. num.20.& 21. quibus locis hac demonstrare satagit rationibus, omnium, quotquot hactenus adinuentæ sunt, efficacissimis: vnde si hîc teneret oppositum, quod eum tenere probabile est, vt constabit ex Theor. 16. ibi prouectior alteram sententiam elegit, & totis viribus roborauit. Propositio sexta est clara, quia operatio immanens non est actio, & sic non habet terminum, sed qualitas: dicitur tamen actio, quia conuenit cum ea in continuo fieri, & respicientia obiecti, 1. dist.3. quæst.7. ad 3. Quòd verò sit qualitas, tenet Doctor 1. dist.3. quæst 6.num.31. & quæst.9. num.10.& dist.6. num. 3. & Quodl. 13. Propositio septima habetur 2. dist.1.quæst.1.art.3. vbi benè probat Doctor, si per impossibile non esset productio ad intrà, quod esse posset ad extrà; & sic non per se requiritur productio ad intrà, vt ponatur productio ad extrà. Si enim tantùm esset vna persona, non minùs esset productiua ad extrà, quàm modò est tota Trinitas, quicquid dicat Henricus, quem ibi refutat Doctor.*

1 *Non potest probari Deum esse viuum.* 1.

Tum, quia ordo hoc non concludit. Sol non viuit, bos viuit: tum, quia hæc non est differentia aliqua entis, nec communis omnibus entibus, vel eius oppositum: sed tantùm sunt differentiæ corporis corruptibilis. Tum, quia primum habet perfectionem nobiliorem vita, sicut & Sol habet, non tamen viuit.

14. princip. Tractatus propositionum creditarum.

2 *Non potest probari Deum esse sapientem, vel intelligentem.*

Tum ex proxima: tum probatur, vt illa; & per consequens, nec præscientem, nec prædestinantem, nec per artem, siue per

Corollariũ. An demonstrari possit Deum esse volentem? Corollariũ. duplex.

per ideas, siue quocunque modo intelle-ctualiter, aliquid producentem.

3 *Non potest probari Deum esse volentem.*

Tum ex vtraque præmissarum: cum probatur, vt illæ, & per consequens nec amantem, nec iustum, nec misericordem; & per consequens, nec iudicem meritorum, vel demeritorum.

4 *Non potest probari Deum habere aliquam operationem manentem in se.*

Corollariũ. An probari possit Deum operari immanenter?

Ex duabus proximis: per consequens nec aliqua operatione beatum; sed beatitudo eius æquiuoca nostræ potest esse in suo *esse*, quod est sibi melius, quàm nostrum operari nobis. Ordo non probat contrarium; patet de Sole.

5 *Concessis quatuor conclusionibus proximis, licèt non probatis, non potest probari Deũ aliquod aliud à se intelligere, vel velle.*

Corollariũ. Per 21. & 22. intelligit 2. & 3.

Quia ad perfectionem, & prioritatem actus, sufficit perfectio & prioritas obiecti: per consequens sequitur corollarium vigesimumprimum, & corollarium vigesimumsecũdum, & illud corollarium commune, Philosophi multa scripserunt, &c.

6 *Non potest probari Deum actu intelligendi & volendi producere aliquid intrà, quod sit per se terminus istorum.*

Corollariũ. Probari nequit Deum producere ad intra.

Quia isti videntur vltimi actus, non requirentes terminos productos: sed tantùm obiecta: agens autem hîc est obiectum ex præcedenti.

7 *Productio extrinseca, etiam volitiua, ex parte sui non necessariò præsupponit intrinsecam: si producat, non potest probari productum esse æquale in natura.*

Sicut nec verbum meum est æquale naturæ animæ: nec vniuersaliter terminus intellectionis, naturæ intelligenti.

SCHOLIVM II.

Circa propositionem octauam Doctor 1. d. 2. q. 7. ad q. 6. n. 3. adducit quatuor rationes adeò fortes, ad probandam duplicem productionem ad intrà, vt quidam recentiores ei tribuerint, quòd Trinitatem demonstrare intenderit; sed tantùm voluit confirmare rationibus quod fides docet. Vnde 2. d. 3. q. 9. & Quodl. 14. negat naturaliter sciri posse Trinitatem esse. Nona propositio ex hac euidenter sequitur: quia essentiam communicari est ponere productionem ad intra. Decima sequitur ex duabus præcedentibus, quia si non constat naturaliter plures personas esse, vel essentiam communicari; nec constare potest vnam esse in alia, vt subsistens in subsistente, id est, per circumincessionem, de quo Doct. 1. d. 19. q. 2. D. Thom. 1. p. q. 42. art. 5. Circa propositionem vndecimam, Durandus etiam supposita fide, tenet 1. d. 6 q. 2. & d. 10. q. 2. processiones fieri immediatè per naturam, non per intellectum & voluntatem, vt tenet vniuersitas Doctorum cum D. Thom. 1. p. q. 27. & Scot. 1. dist. 2. q. 7. & Quodl. 2. De propositione duodecima, vide notã Mauritij, ex hac sequitur decima tertia, vide Doct. 1. d. 2. q. 7. §. Ad quæstionem secundam, *n. 34. & d. 7. q. vn. & d. 24. Mauritius ait decimã quartam esse additionem.*

8 *Non potest probari productio personarum diuinarum in essentia diuina.*

Trinitas naturaliter probari nequit.

Ex proxima: cùm talis productio fieret per intellectum & voluntatem secundùm ponentes: quia non videntur alij actus ad intra.

9 *Non potest probari essentiam diuinam eandem numero communicabilem multis.* 3.

Tum ex ordine, superiora non sunt magis communicabilia. Tum ex præmissa, quia per productiones tales communicaretur.

10 *Non potest probari circumincessio personarum.*

Vnam personam esse in alia, probari nequit.

Ex proxima, cùm illa sit propter vnitatem essentiæ cum distinctione.

11 *Essentia diuina si communicaretur, non potest probari quòd tantùm duobus modis communicetur.*

Duobus tãtùm modis cõmunicari potest essentia.

Tum, quia ex 8. Physicorum, commento 46. Tum, quia potentiæ magis videtur producere, quàm sapientiæ, vel voluntatis: sicut in aliis potentia exequitur quod voluntas imperat: tum, quia alij modi principiandi per modum naturæ, artis, &c.

12 *Non potest probari essentiam communicari à tribus tantùm.*

Tum ex præmissa, tum, quia non potest probari aliquem trium producere: cùm quilibet habeat principium productiuum, essentiam, & actum intelligendi & volendi, æquè perfectum.

13 *Non potest probari tantùm Trinitas personarum in diuinis.*

Ex præmissa.

14 *Non potest probari, quòd inseparabiliter agant circa extrinseca.* *Extra.*

Require in tabula.

SCHOLIVM III.

Quod tangit decima quinta, tradit fusè 1. d. 26. §. Tertia opinio, *n. 23. vbi sustinet vt probabile, personas constitui per absoluta; & à n. 31. soluit argumenta in oppositum: communem tamen opinionem asserit, ibi, & in Report. & 1. d. 2. p. 2. q. 3. 4. & d. 5. q. 2. & d. 13. & d. 28. q. 3. & Quodl. 3. & 4. Decima sexta habet non distingui personas per se primò, relationibus oppositis, quia Filius est persona filiatione, quæ non opponitur spirationi passiuæ: vnde si non produceret Spiritum sanctum, distingueretur tamen ab eo; de quo Doct. 1. d. 11. q. 2. contra D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. Decima septima patet ex controuersia Græcorum, negantium Spiritum sanctum à Filio procedere, quod non negarent si esset veritas demonstrabilis naturaliter: ex reuelatis constat tamen procedere; Doct. 1. d. 12. q. 2.*

15 *Non potest probari si sint tantùm tres, quòd tantùm relatiuè distinguantur.* 4.

Tum, quia si essent tria absoluta, adhuc illimitatio essentiæ esset ratio quare ipsa esset communicabilis ab illis: sicut & à tribus relatiuis numero distinctis. Tum, quia

quia priùs agit quàm referatur,& per consequens prius est.

An personæ distinguantur relationibus oppositis?

16 *Non potest probari quòd personæ tantùm distinguantur relationibus oppositis.*

Tum ex proxima: tum, quia quælibet relatio, si constituit, distinguit constitutum à quolibet alio: si non constituit, illa duarum, quæ prima est in supposito, in illo priori distinguit.

17 *Non potest probari tertiam personam procedere simul à duabus personis.*

Tum ex præmissa: tum etiam ex parte communicantis omnia essentialia in altero, etiam in ambobus. Tum ex parte communicati posteriùs naturaliter communicatione.

Corollariū.

Per consequens non sequitur Spiritum sanctum non distingui à Filio, si non procederet ab eo: nec etiam à Patre; si non immediatè ab ipso.

SCHOLIVM IV.

Propositionem decimam octauam tractat 4.dist.43. q.2. num.10 vbi tenet animæ immortalitatem non demonstrari; de quo fusè egi in supplemento de Anima, disput.1. sect.13. citans multos pro hac sententia, & soluens argumenta in contrarium: an possit probari resurrectio naturaliter, vel punitio, aut præmiatio, vide Doct. ibi. Sequitur ex hac, propositio decima nona, & vigesima. Aduerte hîc sumi impassibilem, *pro* posse non mori, *vel* pati nociuum; *quia hoc tantùm conueniret in statu innocentiæ, vt probat Doct.2.d.19. non verò pro* non posse mori, *quia huiusmodi impassibilitas est tantùm in patria, de qua Doct.4 d.49.q.13. De vigesima prima, vide Doct.2. d.28. De vigesima secunda, dist.30.& 32. num.8. Duæ aliæ sequentes sequuntur ex decima octaua.*

5. 18 *Non potest probari animam rationalem esse immortalem.*

Corollariū.

Per consequens non potest probari resurrectio, nec vita æterna bonorum, nec pœna malorum.

An potest probari resurrectio, vel præmiū, aut pœna operum?

19 *Non potest probari hominem esse ordinatum ad aliquam beatitudinem in hac vita, non attingibilem.*

Ex præmissa.

20 *Non potest probari hominem sine peccato esse impaßibilem.*

Ex præmissa.

21 *Non potest probari ex his quæ apparent circa hominem, hominem peccasse.*

Ex præmissa.

22 *Non potest probari nos nasci cum peccato originali.*

Tum ex præmissa, tum propter difficultatem vitandi peccatum actuale. Possent omnes apparentiæ saluari per illud, negando peccatum originale.

Peccatū est remissibile sine pœna, de potentia absoluta.

23 *Non potest probari nullum peccatum esse remißibile, sine pœna alia à peccato.*

Ille in quem peccatur principaliter, ex misericordia potest omnino remittere.

24 *Non potest probari peccatum tantùm posse remitti, per punitionem alterius à peccante, & nobilioris ipso peccante.*

Tum ex præmissa, tum, quia vel peccatum erit irremissibile: vel peccans obligabitur ad impossibile. Tum, quia gratia priùs naturaliter satisfactione, etiam in Christo,& ita sufficeret in quocunque homine, vt videtur.

SCHOLIVM V.

Quinque sequentes propositiones spectant ad tertium Sententiarum, de prima, & secunda, vide Doctorem cum Magistro 3.dist.16.& 20. & D.Thom.3. p.q.1.art.1.& q.14.art.2.de excellentia animæ Christi, vide 3.dist.13.vbi de eius gratia,& gloria,& dist.14. vbi de eius scientia.

25 *Non potest probari, Deum oportere pati propter peccatum hominis remittendum.* 6.

Ex vtraque præcedentium.

26 *Non potest probari, Deum oportere incarnari.*

Incarnatio probari nequit.

Ex præmissa; cum hoc, quòd non videtur aliqua causa incarnationis, nisi redemptio.

27 *Non potest probari, Deum carnem sumpsisse de Virgine.*

Tum ex præmissa, tum, quia siue non oporteret contrahere originale ex 21. siue oporteret, adhuc mundatus, postea potuit satisfacere: sicut dicitur quòd B. Virgo contraxit, tamen postea mundata fuit.

Scilicet ab aliis, non ab ipso.

28 *Non potest probari excellentia animæ Christi, quæ ponitur.*

Nec in scientia omnium: nec in gratia tanta, quantam Deus posset dare, & capitis, & ab instanti conceptionis, & per quam semper esset impeccabilis, & quòd simul comprehensor, & viator. Tum, ex relatione vnionis non sequitur. Tum, ex redemptione, quæ videtur finis.

29 *Non potest probari, Deum inseparabiliter sibi naturam vnisse humanam.*

Tum ex præmissis. Tum, quia expleto illo propter quod vniebatur: propter quid vltra vniretur?

SCHOLIVM VI.

Sex istæ propositiones ad quartum librum spectantes, ostendunt de Sacramentorum institutione, nihil ratione naturali constare posse. De Baptismo vide eum 4.d.1. & vsque ad distinctionem sextam, de Confirmatione dist.7. de Vnctione dist.23. de Pœnitentia dist. 17. de qua etiam agit à dist.14. vsque ad 22. de Eucharistia à dist.8. vsque ad 13. de Ordine dist.24. De Matrimonio dist.26. & vsque ad 44.

30 *Non potest probari, necessariam esse institutionem aliquorum Sacramentorum in Ecclesia.* 7.

Quia solus Deus per se potest: & plus dedit

dedit Beatæ Virgini sine istis, quàm alicui Sancto cum istis.

31 *Non potest probari necessitas Baptismi.*

Tum ex præmissa: tum ex vigesima prima. Nec Confirmationis, tum ex præmissa, tum multi Martyres non confirmati. Non Extremæ Vnctionis, tum ex præmissa, tum Martyres non vncti sunt.

32 *Non potest probari necessitas Confessionis homini facienda.*

Institutio Sacramentorum probari nequit ratione. Tum ex præmissa: tum, quia in lege veteri non fuit, in nouo accipitur ex dicto Iacobi cap. 5. vbi sequitur, *Orate pro inuicem*, &c. De secundo non est Sacramentum necessarium institutum ad salutem.

33 *Non potest probari Corpus Christi verum esse in Altari.*

Idem apparet ante consecrationem & pòst, boni, vel mali Sacerdotis nihil agentis: igitur nec animam, nec quantitatem. *Corollariũ.* Potest enim sententia Christi saluari de corpore & substantia tantùm: vnde igitur nec totam personam Christi secundùm Deitatem, & corpus.

34 *Non potest probari necessitas Ordinis.*

Tum ex quatuor præmissis: tum, non propter dispensationem Sacramentorum non magis aliorum, quàm Baptismi, qui est maximè necessarius.

35 *Non potest probari necessitas Coniugij.*

Si fornicatio non est peccatum modò; nec quod sit Sacramentum non magis, quàm corruptio corporalis, sicut illud ad speciem, sic hoc ad indiuiduum.

ANNOTAT. MAVRITII.

8. Sequitur illa particula: *Non potest probari Deum*, &c. quam tractatum propositionum creditarum placuit appellari: vt in tractatu de primo principio eam nominat Doctor. An autem seorsum debeant istæ propositiones poni, an certè vt communiter cum aliis, vt notauimus, *Ordo huius partis.* ponuntur, dubium est. Non videntur enim dependentiam ex præcedentibus habere. De ordine etiam earum ad sequentes creditas, ibi; *Non potest probari ordinem essentialem*, &c. posset dubitari, quia possent rectè poni post illas; communiter tamen habentur vt eas habes, & quicquid dicatur de dependentia earum ad alias, & ordine in seipsis, saltem sunt valde notabiles, & fidei Catholicæ necessitatem ad salutem viatoris manifestatiuæ, & ordinatè procedit in eis inchoando à perfectionibus intrinsecis in diuinis; ad extrinseca procedendo, eo modo quo Magister in Sententiis processit, ita quòd materia quatuor librorum Sententiarum hîc compendiosè habetur. *Materia quatuor librorum Sent. breuiter tangitur in hac parte Theorematũ. C. 4. concl. 4.* Vbi aduerte, quòd loquitur Doctor hîc, vt infrà se declarat de ratione merè naturali, naturaliter acquisita, pro statu viæ post lapsum, maximè non præsupponendo fidem: & de probatione simpliciter necessaria, & demonstratiua. Non obstat his ea quæ habet in tractatu de primo principio: quia illa disputatio totalis præsupponit fidem: vel saltem non procedit à priori, & ex simpliciter necessariis. Loquitur etiam de potentia creaturæ, & de facto, via attingentiæ naturalis: non autem simpliciter de repugnantia capacitatis passiuæ: aliter contradiceret sibiipsi in quodlibeto quæst. 7. & in Sententiis plerumque.

Qui etiam vellet dicere, quòd hîc loquitur famosè, sequendo antiquos Theologos: posset dicere, quòd alibi prouectior aliter sentiebat: sed primus modus dicendi satis probabilis videtur, & verus vt æstimo. Qui sic, vel sic, dicere voluerit, dicat consequenter, & si placuerit seorsum hîc ordinare alio modo particulas tractatus, ordinabis, vt suprà notaui, & infrà magis tangam. Nec his propositionibus debet paganus, vel Philosophus gloriari, imò potiùs confundi: quia processus Philosophorum plures harum probare conantium non habito lumine fidei, euacuantur: quia inter falsa quæ locuti sunt, verum videre etsi potuerunt, noluerunt tamen: quare dum sapientes videri voluerunt, stulti facti sunt. Nec fidem Catholicam denigrare possunt: eo quòd plura credimus, quæ probare non possumus: quia si ea nos ignorare diceremus; quæ testimonio didicimus aliorum, quid ipsi Philosophi scirent? Vix enim, vel nunquam in Aristotele inuenies, *Arist. pauca demonstrat propter quid.* qui tamen lumen aliorum fuit, vnam demonstrationem potissimam *propter quid* pro aliqua veritate naturaliter cognoscibili ostendenda: testimoniis enim antiquorum plerumque dicta confirmat, qui tamen fallere, & falli potuerunt. Nos autem si decepti sumus, ipsa per essentiam veritas, quæ nec fallere, nec falli potest, nos decepit. Videatur tamen disputatio huiusmodi primo Reportationum *q. 1. & sequentibus prol. & in 3. dist. 23. & 24. & in Quodlib. q. 14. & 1. q. prolog. Anglici. & in 4. dist. 49.* ad propositum explicandum *dist. etiam* 43. 4. ad idem habet plura, vt infrà in locis suis applicabo. Vide expressè mentem eius *dist. 42. prim.* exponendo Richardum ad propositum de gradibus cognitionis Dei, & cognoscentium etiam viatorum: quære ibidem. *Iuuat possibilitatem creditorum probare rationibus.* Has ergo propositiones creditas, licèt satis claræ sint, breuibus tangam singillatim. Attende etiam quòd multùm refert possibilitatem creditorum, & factum ostendere ratione naturali. Primum facit iste plerumque: sed secundum non potest, vt hîc loquitur. Vide discurrendo in suis disputationibus Theologicis, vbique. Loca autem Scripturarum, in quibus hæ propositiones habentur, adducat lector quæ hîc omitto, coactus temporis angustia, & ne curiosis Scholasticis sacra verba nauseam generent: quod abhorreo dicere, & magis ita esse.

Prima propositio est de vita Dei: superiùs enim & ab intimis inchoauit, vt 1. *q. Quodlib art. 1. p. 2.* habet. Augustinus tamen & alij antiqui, & Theologi alij conati sunt hoc ostendere, vide Alex. de Ales vt nosti, & Thom. 1. *part. q. 18. art. 3.* & alios super Sententias. Philosophus etiam 12. Metaphys. *text. c. 39. & inde, & 1. Cœl. text. c. 22. & 100. & 2. Cœl. text. c. 17.* & alibi sæpè conatur ostendere Deum viuere, & ex dictis eius 2. *de Generatione animalium* idem potest inferri: sed hæc non infringunt veritatem Scoticam: quia Theologi ex creditis, & Philosophus ex probabilibus procedunt. *Deum viuere an probet Philosophus.* Probat autem conclusionem tribus rationibus satis efficaciter: quia videlicet nec ex ordine aliorum ad Deum, nec ex diuisione adæquata entis, attribuendo Deo perfectius diuidens; nec ex perfectione maxima ipsius vitæ hoc probari potest.

9.

10.

potest. Examinabis autem probationes,& instantias excludes vt nosti. In tertia probatione cùm dicit, quòd habet nobiliorem perfectionem vita: & exemplificat de Sole, posset dubitari, quæ est illa perfectio,& maximè si ponitur vita de ratione formali essentiæ: vt vbi suprà in Quodlibeto tangit. Pro nunc breuiter dico, quòd illa perfectio potest dici necessitas essendi,vel infinitas intensiua:& similiter de Sole dicatur suo modo. Nec Doctor nisi ex creditis potest ostendere vitam esse essentiale ad intrà, vel ex sensibilibus, vel probabilibus procedendo, & sanctorum Patrum fundamentis:vt patet ibidem. Quòd autem dicit *hanc non esse differentiam entis*, &c. potest moderari sic, eo scilicet modo,quo Philosophi diuidunt ens communiter, vt patet in coordinatione Porphyriana. Quære Philosophum 2. de Anima, & qualiter probat res sensibiles viuere,& ex consequenti ad propositum comparabis.

Quid in Deo melius vita poni possit?

11\. Secunda propositio est de intellectualitate, & perfectionibus intellectualibus Dei; & ordinatè valde procedit in his propositionibus: quia semper posterior ex prioribus dependet: nihil enim non viuum, intellectuale.Si ergo non potest probari vita Dei, quomodo sapientia, vel intellectualitas probabitur? Hoc tamen Theologi conantur ostendere,& à priori & à posteriori. Vide hunc 2.*dist.prim.q.*1. *& in Tract.de primo principio, & 35.dist.prim. maximè in Reportationibus*, & alios Theologos. Philosophus etiam 12. *Metaph. text. com.*51.*& 3.de Anima,text.com.*15. idem ostendit; sed dic vt priùs. Licèt enim hæ propositiones in se, & quo adi ntellectum proportionatum, sint demonstrabiles; nisi dentur aliquæ earum immediatæ,non tamen ab intellectu viatoris, & fortè vniuersaliùs à nullo intellectu creato:non tamen repugnat statui viæ huius notitia formaliter:sed tantùm attingenter, vel clarè, vel intuitiuè: vel fortè veriùs,non magis, quàm comprehendentibus, nisi tantùm de potentia ordinata, & de lege communi. Breuiter, ad nullam perfectionem intrinsecam Deo, potest aliqua creatura attingere ex puris naturalibus, etiam pro quocunque statu, nec cognitione incomplexa, nec complexa; distincta dico, & perfecta,& maximè à priori, propria & immediata. Dantur tamen gradus & congruentiæ,eo quòd Hierarchiæ variæ in vniuerso, & in domo Dei mansiones multæ sunt. In habentibus namque Symbolum facilior transitus. Angelicus ergo intellectus, & humanus beatus ad hæc faciliùs eleuatur, quàm viatoris: totum tamen obiectiuè voluntarium: an autem subiectiuè,effectiuè, considera.Remittit probationem conclusionis ad præcedentia, & infert corollarium notabile, de cuius materia habes 35.39.40. & 41. *dist. prim.* Quære in Arist. 1. *Perihermenias*, & alibi.

Non viuum, nec intellectuale.

Ad perfectionem intrinsecam Dei non potest creatura, scientia propria accedere.

12\. Tertia propositio est de voluntate, & volitione Dei:cuius etiam probationes remittit ad præcedentia.Et infert corollaria: quære tamen Philosophum *vbi suprà,&* 1.*Ethicor.cap.*13.*&* 1.*Metaph. in proœmio, &* 12.*Metaph.ad finem*,& specialiter istum 45.*dist prim.& maximè in Reportationibus,&* 2.*dist.prim.q.*1.*& in Tract.de primo principio.* De his autem quæ tangit in corollariis, quære 32.*dist.*3. *& dist.*46. 47. *&* 48.4. hinc inde omnia benè conformando,& saluando.

An probari posset Deum esse volẽtem?

Quarta propositio est de operationibus immanentibus Dei, quæ etiam dependet ex præcedentibus, & infert corollarium singulare de beatitudine Dei. Quære Philosophum *vbi suprà, &* 10. *Ethicor.c.*10. & hunc 2.*dist.prim.quæst.*1.*&* 49.*dist.* 4 *&* 1.*quæst. Quodlib.* & alibi sæpè.

Quinta conclusio est de cognitione, & volitione Dei respectu aliorum à se:quam breuiter,& obscurè probat, & probatio consistit in hoc:quia actus accipit perfectionem ab obiecto, & prioritatem. Perfectionem,quia est causa eius partialis saltem:vel saltem terminatur ad ipsum,& nõ potest esse nisi sit eius:quare dependet ab eo dependentia extrinseca.Prioritatẽ etiam,quia obiectum prius, si est causa,vel si terminus, idem sequitur: si igitur Deus aliquid aliud à se intelligeret, vel vellet, tunc vilesceret intellectus, & intelligere eius, & similiter de velle: quia & perfectionem, & prioritatem aliunde haberet quàm à se; & sic procedunt argumenta Philosophi, & Comment. 12.*Metaph.text.com.*51.

Posset alio modo formari ratio Doctoris sic: ad perfectionem, & prioritatem actus intelligendi, & volendi Dei, sufficit prioritas, & perfectio obiecti,scilicet primarij,cuiusmodi est essẽtia sua: frustrà igitur poneretur alicuius alterius tãquam obiecti. Elige vt vis, sed primum magis sapit. Infert consequenter corollarium illatiuum, & confirmatiuum corollarium. Vbi attende, quòd ex quotationibus istis cùm dicit 21. & 22. patet quòd hæ propositiones creditæ deberent sequi alias sequentes infrà, ibi: *Non potest probari ordinem essentialem*, &c. post omnes illas 19. quia hæ 21. & 22. quas allegat hîc, sunt secunda,& tertia præcedentes hîc, vt notauimus: nisi fortè enumeret omnes conclusiones à principio,omittendo multa, vt ibi notaui: sed primum probabilius, vt in sequentibus magis patebit. Vnde sequitur, *& illud*, vel (vt alij communiter habent) *& primum corollarium commune*: quod infrà habetur post 19. illarum creditarum: & posset loco *commune*, poni 19. sed *commune* rectè dicitur, vt patet. *Philosophi multa scripserunt*, &c. vel (vt alij habent) *dixerunt de Deo*, &c. Æstimo quòd Doctor intercalariter has res scripsit, & originalia remanserunt non ordinata, vt in operibus maximè notabilibus antiquorum solebat accidere: sicut Augustinus in lib. Retractationum, de nonnullis suis scriptis refert, quod antequam compleuerat, & vt intendebat ordinauerat, è manibus capiebantur: quare lector attendat diligenter ad singula. Vt communiter autem inuenimus originalia, ita ordinauimus ista: alij aliter ordinare poterunt in dies,principium enim plusquam rei medietas, Aristotelis sententiâ, reputatur 1.*Ethicor.* 13.

Nota pro intelligẽda quotatione literæ.

Si autem volueris tenere ordinem quem habes, vt infrà etiam habetur in aliis remissionibus, quòd sit bonus, poteris literam corrigere loco 21. ponendo 2. & loco 22. ponendo 3. vel recurre ad alia loca, & supputationes: hæc enim varietas quotationum generat hîc maximam perplexitatem,vt prædixi. Attende etiam cùm dicit: *Concessis 4. conclusionibus proximis, licèt non probatis*, &c. quòd notanter dicit, non *probatis*, quia probationes illæ possent euadi: & etiam si vniuersaliter intelligantur, vt prius ponderaui, & non solùm respectu intellectus viatoris,seu creati, sunt falsæ, & falsum non potest probari 1. *Posterior.* Ex illis etiam verbis posset inferri, quòd loquitur in hoc processu famosè, Philosophorum, & Theologorum aliorum fundamentis innitendo,sicut suprà notaui:alibi verò oppositum ostendit, 14.

Fatetur 4. primas concl. negatiuas. nõ esse probatas: ideò hic nihil asserit,sed tãtùm disputat.

ostendit, vbi has veritates pertractat. Sed breuiter, quicquid sit de hoc, intendit Doctor quòd nec vna pars, nec alia, ratione necessaria naturali in his propositionibus potest ostendi.

Vlteriùs sciendum; quòd illa probatio Commentatoris, & Aristotelis faciliter euaditur; quia procedit de obiecto primario motiuo, & terminatiuo intellectus diuini, cuiusmodi est essentia sua. Quære vbi suprà 2.*dist*.1.*q*.1.*&* 35.*dist.eiusdem, & vbi priùs in* 3. & alibi sæpè in doctrina huius, & aliorum Theologorum, ad hæc. Persuadebis etiam ex multis locis in Aristotele Deum alia à se intelligere, & velle, quære 1.*de Anima,text.com*.80. *&* 3.*Metaph.text.com*.15. De cognitione litis, quære etiam vbi suprà 1.*&* 10.*Ethic.&* 12.*Metaphysica*, & alibi sæpè. Saluetur ergo Aristoteles vt suprà: & omittatur Auerr. ex intentione mentitus.

Salua Arist. dicenti, quòd intellectus Dei vilesceret, si alia à se cognosceret.

Nec valet illa fatua fuga de cognitione vniuersalium, & in vniuersali, &c. quia licèt essentia Dei sit vniuersalis in repræsentando, non tamen in prædicando, nec in vniuersali; sed distinctè in particulari, & intuitiuè omnia repræsentat, & principaliùs singularia, & necessariò omnia incomplexa saltem. Vide in materia de ideis *dist*.36. *pri.in Reportatis.* Vide etiam in Prolog. *quæst*.3. & vbi suprà, & alia plura hîc tange: quia satis copiosa materia inter Theologos, & Philosophos. Pro vniuersali etiam fundamento in his omnibus, vide 2. *dist*. 1. *in Reportatis, quæst. de infinitate Dei, ad finem*, ea quæ dicit *&* 7. *quæst. Quodliberi.*

Essentia Dei vniuersalis in repræsentãdo, non in prædicando.

15. Sexta est de productione ad intrà in diuinis, de qua fit sermo copiosè 2. *dist*.1. *&* 4. *& sequentibus:* quam probat ex fundamentis communibus de actionibus, vel operationibus immanentibus. Quære 9.*Metaph*.1.*&* 10.*Ethicorum*, & alibi sæpè. Posset autem simpliciter teneri veritas huius, quòd scilicet per actum intelligendi, vel volendi, nulla sit productio, nisi eo modo, quo sensus necessariò ad aliud posset dici fieri per illud; extensiuè tamen audiatur hîc *fieri*. Quære *vbi suprà* istum, *& in Quodlibeto, q*.1.2.*&* 14.*&* 1.*q*.1.*dist*.2. *lib*. Actu enim productiuo, qui non est actus intelligendi, vel volendi, sed benè actus intellectus, fit productio ad intrà. Loquitur autem Doctor hîc communiter, & fortè famosè, sicut Henric. de Gan. & multi antiquorum; vel extendit *actum intelligendi, & volendi* ad omnem actum harum potentiarum. Infert corollarium notabile de ordine productionis extrinsecæ ad intrinsecam, quod optimè discutit *in* 2.*vbi suprà, & in Quodlib.quæst*.8. *&* 14. Quære alios Theologos, & maximè Vuarr. & Hugo. de Castr. no. & alios sequaces huius. Thom. etiam 1.*part.Summæ, q*.45.*art*.6. & Henric. *Quodl*.6.*q*.2. Vide 10.*dist*.1. aliqua ad materiam huius conclusionis.

Actio immanens an productiua terminii

Per actũ intellectus, non tamen intelligendi, fit productio.

Productio ad extrà, per se non supponit productionem ad intrà 2. d. q.1.

Septima est de æqualitate producentis, & producti in natura, quæ incipit ibi: *Si producat*, &c. quam probat à simili: sed similitudo claudicat, vt scis. Probare tamen defectum eius fortè non faciliter quis posset, nisi ex aliquibus creditis præsuppositis. Quære vbi suprà in primo, *& dist*. 19.*eiusdem, &* 31.*& quæst*.6.*Quodliberi*, de hac qualitate. pondera benè cùm dicit in corollario *ex parte sui*, &c. vt declarat optimè vbi suprà in 2. *& Quodl.* Ponitur ibi ad finem corollarij, quotatio quædam in aliquibus originalibus, remittendo se ad alia loca, siue ad alios antiquos, quam omisimus: quia non communis, nec benè intelligibilis. Hæc etiam quam notauimus 7. non habetur communiter notata, vt conclusio hîc: sed videtur pars illius 6. conclusionis, seu corollarij eius: aut certè incidentaliter adducta, vt patet ex commento sequenti, vbi dicit *ex proxima*, quod debet referri ad 6. omitte ergo notare hanc, vt conclusionem si volueris; & vbi ponitur 8. pone 7. & sic consequenter procedendo supputabis, Philosophorum motiua hîc ponderabis.

Octaua, vel septima, est de productione personarum in diuinis, & patet ex præcedentibus. Quære 2.*dist*.1. & vbi priùs copiosè ad hoc: cuius probationem ad præcedentem remittit. Possibilitatem tamen huius ostendit satis notanter in primo, semper tamen aliqua credita præsupponendo. Quære Occham, & sequaces vbique hîc. Vide optimè in 3.*dist*. 24. fundamenta, quæ faciunt satis ad hæc. *& in Prol.Reportationum; &* 1.*q.Prolog. Anglici*, & Hebræorum fundamenta. 16.

d.2.q.7.

Nona est de communicatione essentiæ diuinæ: quæ est satis notabilis, & efficaciter eam ostendit ex dictis. Quære vbi suprà, & alibi sæpè in doctrina huius, & maximè 1.3.*&* 10. *q.Quodlib.* De hac communicabilitate, vide 5.*&* 26.*dist*.1. aliqua ad propositum plura addendo, vt scis. Cauillationes Philosophorum in hoc faciliter euaduntur, maximè ex creditis.

Decima est de circumincessione personarum: de qua habet 19.*dist*. 1.*q*.2. singularissimè, cuius rationẽ breuibus in commento tetigit. Vide alios Theologos ibidem, & alibi, vt nosti. hoc enim est creditum speciale, & ex creditis dependens.

Circumincessio est creditũ ex creditis.

Vndecima est de modis communicandi essentiam. Vide in 1.*dist*.2.*p*.2. copiosè. & in *Quodl.q*.2. *& dist*.10. *& seqq. vsque ad* 14.*pri.* quam tripliciter probat: sed faciliter omnia euaduntur, vt patet ibidem. In 2. probatione tangit motiuum de potentia executiua in diuinis, quæ si poneretur, tantùm ad extrà operaretur: sed ad mentem huius non videtur ponenda, vt in materia de praxi habet, & 37.*d*.2.*lib*. quicquid dicat Franc. de Mayr. 43.*dist*.1. *Confl.q*.5. & alij plures, qui eam ponunt. Motiuum verò primum ex Commentatore 8.*Phys*. pertractatur copiosè in primo *vbi sup*. & similiter tertium. Sufficiebat Doctori ad ostendendum propositum, quòd reperiuntur instantiæ naturaliter loquentium, & satis probabiles ex naturalibus ad oppositum harum propositionum creditarum, nõ tamen demonstrantes: quia tunc fides de falsis. Non possunt autem ambæ partes alicuius problematis, rationibus necessariis ostendi. & licèt vero omnia consonant 1.*Ethic.* plerumque tamen falsa magis apparenter probantur. Vide 1.*Elench.* Quære aliqua ad propositum huius crediti 1.*q*.4. 17.

Potentia executiua an ponẽda in Deo?

Falsa magis apparenter quandoque probantur.

Duodecima est de eadem communicabilitate, quantùm ad eius sufficientiam, & litera variè habetur. Nam aliqua originalia habent *tantùm à duobus*: aliqua, *tantùm à tribus*; aliqua, *tantùm tribus*, sine *à*. Sed omni modo, potest habere bonum intellectum. In secunda etiam probatione habetur variè litera. Aliqua habent, *alicui trium*; aliqua, *aliquem trium*; aliqua, *aliquid trium*: sed prima litera communior est: licèt aliam habeas. & posset habere bonum intellectum cum negatione sic: *aliquem trium non producere*, & esset benè ad propositum, vt patet ex sequentibus. Affirmatiua etiam satis benè intelligitur: quia remota productione non videtur ratio communicationis tantùm tribus, vt patet. De hac materia quære in primo *vt suprà*, & alibi vt nosti. Vide deliramenta Auerroïs 12. *Metaphysic.commento* 39. & alibi contra Christianos asinina subtilitate fretus. Nemo enim veri

Nulli fortius impugnant credita, quàm scriptores Catholici.

veritates creditas, quàm ipsimet Catholici Doctores, efficaciùs impugnat, vt fides locum habeat. & aduersarius eius confusus abscedat, dum efficacissimis rationibus satisfiat.

Decimatertia est de Trinitate personarum, quam ex præcedentibus ostendit sufficienter probatam. Vide etiam vbi priùs in primo, & 24. *dist. eiusdem*, aliqua ad hæc habes.

18. Decimaquarta, quam notauimus non habetur communiter. & videtur *extrà* vt notaui. vel illud quod additur: vt commentum, saltem potest poni *extrà* cùm dicit: *Require in tabula*, de qua suprà feci mentionem. Quære 1. *q.*2. *&* 1. *dist.*3. *&* 8. *q. Quodlibeti*, & alibi.

Decimaquinta est de distinctiuis, & constitutiuis personarum. Vide problematicè disputatum 26. *dist.*1. sed *in Reportatis, &* 4. *q. Quodlib.* se determinat. Quære Bonauenturam vbique, quia sapit optimè. Vide multa subtilia in Francisc. *dist.* 26. *pri.* & Reportationibus huius *ibidem* de his constitutiuis. Nam inter omnes veritates Theologicas, hæc maximè, & circumstantiæ eius sunt altissimæ speculationis. Probat autem conclusionem dupliciter, quarum secundam examinabis benè. Vide *vbi suprà* in primo, & Quodl. & optimè 7. *dist.*1. *ad fin. &* 4. *dist. eiusdem*. Si loquatur de Deo, vel essentia, verum dicit: si de persona, potest negari, loquendo de *referri* fundamentaliter, & formaliter vt *quo*, seu habitualiter, vt ita loquar. Communiter vbique hîc adducit probationes famosas, vt priùs notaui.

Personas diuinas constitui per absoluta, problema.

Decimasexta est, supposito quòd constituantur, & distinguantur personæ relationibus, cùm aliæ sint oppositæ relationes, vt paternitas, & filiatio; aliæ disparatæ, vt paternitas, & spiratio passio; vel filiatio, & spiratio actio; dubitari posset an distinguantur tantùm oppositis relationibus, an certè disparatis. Ideò dicit, quòd *non potest probari*, &c. quam probat notanter. Vide pulchrè ad propositum 11. *dist.*1. *q.*2. vbi hanc conclusionem ostendit contra Thomam, & alios antiquos. Quære Gotfred. & Nominales ibidem. Secunda pars distinctiuæ in probatione est danda. vt, verbi gratiâ, in Filio est filiatio, seu generatio passio: cui est aduentitia spiratio actio. constituitur ergo primò, & per consequens, distinguitur à quocumque ipsa filiatione. Similiter dicatur de Patre, suo modo. An autem innascibilitas præcedat in Patre paternitatem, inter doctores est problema: sed se determinat iste in hoc. in primo. *dist.* 28. & in quodl. *quæst.*4.

Personas distingui relationibus an oppositis.

Filius constituitur filiatione tantùm in esse persona.

19. Decimaseptima est de processione Spiritus sancti, & facit pro Græcis: licèt non totaliter excuset. Vide 11. *dist.*1. *q.*1. *& dist.*12. copiosè ad hæc. Probat conclusionem singularissimè ex æqualitate, & plenitudine perfectionis cuiuslibet personæ diuinæ. Vide in simili 1. *q.*2. ideò ex parte communicantis videtur posse procedere ab vna; sicut à duabus, vbi aliqua originalia habent *omnia essentialia:* alia, *omnia æqualia:* & vtraque litera potest benè intelligi. Ex parte etiam communicati arguit idem, vbi cautè intellige, cùm dicit, *posterius*, vel *posterioris*, vt alij habent *naturaliter*, &c. videtur velle dicere in illis paucis verbis, quòd prius naturaliter non potest esse à posteriori naturaliter: modò filius, cui fit communicatio, est posterior communicatione: quare non potest communicare; sed sic, vt videtur, parum valeret ratio: quia duplex est communicatio, vt scis: vel recurre ibidem ad ordinem originis Patris, & Filij in spirando, vt 12. *dist.*1. *q.*2. tangitur, & 1. *q.* 2. Infert corollarium, quod est contra Thomam, vide vbi suprà *q.*2. 11. *dist.*1. idem; imò non modò non potest probari, sed falsum est secundùm ipsum ibidem, nec est creditum, sed voluntariè potiùs dictum, vt ibi disputatur optimè.

Spiritum sanctum procedere à Filio, an demonstrari possit.

Decimaoctaua est de immortalitate animæ: & potest hæc reduci ad materiam secundi libri *distinct.*17. & 19. & alibi. Prima etiam *dist. &* 2. 2. idem posset habere originem, sed copiosè in 4. *dist.* 43. *q.*2. facit Doctor singularem digressum de hoc, & tenet veritatem huius conclusionis cōtra multos antiquos. Quære Thomam 1. *part. quæst.* 75. *art.*6. & Richardum *in* 2. *dist.*19. & Bonauenturam, & alios. Motiua verò Philosophorum ad oppositum ibi notanter excludit. Infert corollarium, cuius fundamenta habet in 4. *d.*43. *&* 44. *& seqq.*

De anima immortalitate.

Decimanona est de beatitudine: cuius fundamenta habet in 4. *d.*49. *q.*11. *&* 12. singularissimè. Potest etiam in secundo libro reperiri motiuum huius, *vbi suprà*. 20.

Vigesima est de impassibilitate in statu innocentiæ. Quære in secundo vbi suprà *d.* 19. in 4. etiam *dist.*49. *q.*13. optimè hæc inuenies. Vide 15. *dist.*3. Plura ad propositum de conditionibus hominis in statu innocentiæ ex parte corporis, & animæ, hîc tange.

Vigesimaprima est de peccato primi parentis. Vide *in* 2. *dist.*21. *& seqq.* copiosè.

Vigesimasecunda est de peccato originali. Vide in 2. *dist.*30. *& duabus seqq.* copiosè ad hoc, & propter probationem. Vide 23. *&* 28. *dist.* 2. Vide etiam 29. *dist.*2. aliqua ad propositum declarandum fœcundius.

Vigesimatertia est de remissione peccati in generali: an scilicet per pœnam. Quære in 2. *vbi suprà, &* 33. *eiusdem, & seqq.* Sed hæc conclusio posset assignari prima hîc pertinens ad materiam tertij libri. Vide *dist.* 20. 3. & in materia de merito Christi, *dist.*18. *&* 19. *eiusdem*, vbi attende, cùm dicit *pœna alia à peccato*, &c. quòd ipsum peccatum est prima pœna, quæ incurritur ex peccato: vt habet Augustinus 1. *Confessionum*; *c.*12. *&* 3. *de lib. arb.* Quære in *dist.*37. *& in* 4. *dist.*14. & ad propositum habet optimè in 4. *dist.*15. *q.*1. Vide Bonauent. & Richard. Probat quæstionem recurrendo ad Dei misericordiam. Vide in 4. *dist.*46. aliqua hîc. & adde multa, vt nosti, castè tamen.

Vigesimaquarta est de remissione peccati, in speciali descendendo ad modum remittendi: & patet huius conclusionis fundamentum, vbi suprà iam notaui, & maximè in tertio, & in quarto, quā probat notanter, vbi examinabis ea, quæ dicit de gratia, & satisfactione. Quære in 4. *vbi suprà, &* 1. *dist. eiusdem, q.*6. *& dist.*16. *eiusdem*. Videtur enim de mente huius, quòd quis satisfacere posset sine gratia, licèt non meritoriè. Vide 17. *dist.*1. *&* 4. *dist.*4. *art.*2. *q.*2. ad finem singularissimè, & alibi, vt scis: saluabis tamen dictum Doctoris] loquendo de potentia ordinata, & meritoriè, & post culpæ deletionem. 21.

Vigesimaquinta est de necessitate passionis Christi. Vide in tertio vbi suprà, vide etiam 16. *dist.*3. aliqua ad propositum.

Vigesimasexta est de necessitate Incarnationis. Vide 1. *&* 2. *dist.* 3. sed quod dicit in probatione examinabis: quia loquitur famosè. Vide 7. *dist.*3. *q.*3. *&* 19 *distinct. eiusdem, &* 41. *dist.*1. *in Reportatis*, & alibi.

Vigesimaseptima est de modo conceptionis, seu

seu formationis corporis Christi. Vide 2. *&* 3. *&* 4.*dist*.3.

Excellentia animæ Christi.

Vigesimaoctaua est de excellentia Christi. de qua habet in 3.*dist*.13.*&* 14. Vbi aduerte in commento cùm dicit,*& capitis* : quod potest benè intelligi sic, scilicet quòd caput omnium ponitur, & ex Scriptura,& vbi suprà. Posset etiam loco *capitis* poni *capacitatis*. Vide *q*.6.1.*dist*.2.*& vbi suprà in* 3. Quære etiam 49. *&* 50. *dist*.4. plura ad idem singularissimè. Vide 18.*&* 19.*dist*.3.*&* 9.*dist. eiusdem*, *&* 12. Pro his, quæ addit in commento, in prima probatione aliqua originalia habent : *Tum ex relatione*, vt habes. aliqua, *tum ex ratione* : & loco, *non sequitur*, ponitur *in se*;sed vtraque litera potest benè intelligi. Secundam probationem examinabis vt suprà.

22. Vigesimanona est de inseparabilitate naturæ assumptæ à Verbo, & semper in probationibus præsupponit communem viam : vt priùs tetigi. Non enim præcisè propter redemptionem generis humani Verbum assumpsit naturam humanam : imò si Adam non peccasset, nihilominùs eam assumpsisset : quia natura illa fuit prædestinata, & primò, & in primo signo : vt esset Filius Dei, & non occasionaliter ; & licèt ordine intentionis,priùs prædestinata,quàm vniri Verbo præuisa : ordine tamen executionis,è contra. Vide in tertio,&.in primo, *vbi suprà*. De facto etiam fuit natura separata à Verbo, in morte Christi ; licèt non partes eius principales, & hoc ponendo tertiã entitatem, vt ponit iste. secus si negetur.Quære pro hac conclusione sæpè in 3.*&* 9. *Quodlibeti*, in doctrina huius. Sicut enim contingenter eam assumpsit à principio,ita contingenter ipsam conseruat vnitam. Non solùm ergo non potest hoc probari ; imò oppositum eius est verum, & probari potest,saltem ex creditis præsuppositis.

Adamo non peccante Verbũ fuisset incarnatum.

Natura humana contingenter manet vnita Verbo.

Trigesima est de institutione Sacramentorum: & pertinet ad materiam quarti Sententiarum. Quære *dist*. 1. 4. *& sequentibus* in doctrina huius optimè ad hoc. Quod tangit ibi in contrarium de B. Virgine,dubium est an receperit Sacramenta:& maximè Baptismi.Vide *dist*.44.*art*.3.*q*.1.

Institutio Sacramentorum naturaliter non probatur.

Trigesima est, descendendo in speciali ad Sacramenta nouæ legis. de Baptismo, Confirmatione, & Extrema-vnctione, & posset textus intercalariter poni in commento ibi : *Nec confirmationes*, &c. Aduerte etiam hîc, & suprà in commento 27. ex allegatione 21. quod ordo harum conclusionum, & inchoatio videtur conueniens : de quo infrà ad hæc magis : & suprà in commento 5. tetigi. Vide *dist*.1.3.*&* 4.4. *& sequentibus vsque ad* 7. pro prima parte conclusionis, & *dist*. 7. pro secunda, & *dist*.23. pro tertia, & pondera : & declara hîc multa.

23. Trigesimasecunda est de Confessione, quam disputat valde notanter in 4. *dist*.17. vbi examina benè ea, quæ dicit in probationibus, an videlicet in veteri Testamento erat institutum hoc Sacramentum : & similiter quod dicit de institutione eius in nouo, ex dicto Iacobi, loquitur famosè. Quære Alexand. & Richard. Aliter tamen sentit ipse vbi suprà. Cùm addit, ibi, *De secundo*,&c. potest referri ad illud Iacobi, *& orate*, & à simili arguendo, vel ad illam partem *confessionis homini faciendæ*.

Confessio non probatur naturaliter necessaria.

Quando malitia ministri annullat Sacramentum.

Trigesimatertia est de existentia corporis Christi in Eucharistia Quære copiosè in 4.*dist*.16.*&* 11. Quod dicit in commento probando confessionem *boni,& mali Sacerdotis*,quædam originalia non habent,ly *nihil* ibi,sed affirmatiuam : & satis valet litera sic. Quædam habent ; imò communiter, vt etiam posuimus,& declara sicut in generali *dist*. 5. 4 habet,& *dist*.8.in speciali, & sequentibus, quod dicit consequenter, de anima, & quantitate, vide *dist*.8. *&* 11.& ibi potest textus conclusionis partiri in tres partes, & in fine commenti non habetur communiter illa littera,*& corpus*:sed terminatur ad ly *deitatem*.

Trigesimaquarta est de Ordine:cuius motiuum, vide in 4.*dist*.24. sed quod dicit in probatione faciliter euaditur,vt scis.

Trigesimaquinta, & vltima est de Coniugio. Vide *dist*.26.4.& sequentibus vsque ad 43.exclusiuè de hac materia. In probatione tange plura de his, quæ breuibus dicit. Primò an fornicatio sit peccatum. Deinde de comparatione coniugij, & corruptionis corporalis ad speciem, & ad indiuiduum. Plura alia adde ad hæc,quia hæ conclusiones sunt positiuæ, & morales, & Theologicæ, & hic tractatus pro maiori parte scholasticus,& speculatiuus est : quare succinctiùs, quo potui, perstrinxi sermonem in istis,quia in locis suis,vt notaui,videri possunt : maximè quia iunioribus hæc elementa communiter adaptantur, etsi verba Empedoclis plerumque dicent.Lector verò discretus secundùm materiam subiectam se dilatet, quia præposterum est Mathematicum persuadere, & Rhetoricum demonstrare. 24.

Ordo naturaliter non scitur.

Coniugiũ naturaliter non cõstat esse Sacramentum.

THEOREMA XV.

SCHOLIVM.

Prima petitio huius Theorematis probata est tract. de primo principio c.3.concl.2.& 15. & 1.d. q.2.art. 1.a n.11.secundùm tres particulas,vnitatem, primitatem,& coæuitatem Secunda etiam ibidem *probata est. Fatetur tamen Doctor etsi ipse rationes pro hoc adduxerit,omnium excellentissimas,vix ratione necessaria posse probari ; & hinc collige ipsum dum hæc scriberet non fuisse omnino alienum ab ea sententia,quæ tenet demonstrari non posse rigida demonstratione, Deum esse viuum,intelligentem, &c.de quo Theor. præcedenti Schol. 1.quod clariùs patet ex Theor.sequenti,propositio prima habetur eisdem locis,& secunda,& tertia euidentes sunt. circa rationes quas mouet hîc Doctor contra suas demonstrationes,locis citatis factas,de primo,& vnico efficiente.Vide annotationes Mauritij hîc.*

1 *In essentialiter ordinatis est dare primum, quod sit vnicum,& coæuum illi coordinationi.* 15.princip. Petitio.

2 *In omni genere causæ est ordo essentialis.*

Istæ duæ propositiones petantur : quarum prima tres partes continet. secunda est simplex : vtraque licèt sit probabilis, tamen difficile esset, vel fortè nobis impossibile eam simpliciter necessaria ratione,& merè naturali probare.

1. In omni genere causæ, ordo essentialis.

1 *In genere causæ efficientis est dare vnicũ primum efficiens,quod nũc est in rerũ natura.* Conclusio.

Huius propositionis prima pars patet ex secunda petitione, & duabus partibus primæ. Secunda pars ex tertia parte illius petitionis primæ : illud autem primum dicatur Deus. T. c. 9.

2 *Omne efficiens perfectius effectu, vel aquè perfectum.*

Nullum efficiẽs imperfectius effectu.

Quia nihil agit vltra quàm est actiuum.

Corollariũ. 2. Verum, bonum, necessarium, importãt perfectionem.

3 *Deus est perfectius omni effectu.*

Ex secunda conclusione, & secunda parte primæ petitionis. Et ita perfectissimum omnium entium, & summum in omni differentia entis, quæ simpliciter importat perfectionem: cuiusmodi sunt verum, bonum, necessarium, &c. quia quodlibet tale est simpliciter perfectio aliquo modo communis, tam primo, quàm aliis.

Hîc pone terminum cognoscibilium de Deo, per rationem naturalem necessariam. & hoc, suppositis illis petitionibus duabus: quomodo probabitur prima pars primæ, scilicet *primum* plus in essentialiter ordinatis, quàm in accidentaliter ordinatis? cùm vtrobique causa secunda præsupponat priorem causare: & vtrobique prius; igitur primum: & tamen in accidentaliter ordinatis negant Philosophi primum. Auicenna.

Quomodo etiam probabitur secunda pars, scilicet *vnicum*? cùm aliud possit poni in efficientibus vno modo productum ab isto, productione vniuoca; alio modo à nullo productum: cùm duo talia sint magis bonum, quàm vnicum tale, & etiam causata possint esse æqualia, vt videtur. Quomodo probabitur *coæuum* primo, de aliquo eodem numero, si primum *A* possit ad *B* vniuocum sibi producere? tunc enim licèt *A* non sit coæuum, stabit tamen coordinatio propter *B* productum vniuocum sibi, & sic potest *B* propter *C*, & deinceps quantumcunque oportet per aliud, & aliud numero.

Quomodo vnitas, & coæuitas primi efficiētis probatur?

3. Et secundò, si primum efficiens secundùm totam suam speciem, tantùm requiratur ad *fieri* effectus, & non ad *esse*, siue conseruationem; quare tota specie illius primi destructa, non poterit manere coordinatio vniformiter se habens, & in *esse*, & per consequens, & in *agere*?

Per rationem naturalem non potest probari. Et hoc patet ex ordine causarum: quoniam si Sol iste posset facere alium Solem, & desineret esse, & ita staret ordo causarum per illum alium Solem, sicut nunc stat per istum. vtrùm autem contra rationem primi in specie, sit fieri, posterius dicetur. Et non potest improbari ex ordine causarum: quia posito Solem destrui, non minùs ignis maneret in propria specie: & per consequens haberet propriam rationem. Vel si hoc non sit verum, quomodo contrarium eius posset necessariò probari?

. Secunda petitio non videtur necessariò probari: si enim multi effectus sunt ita inter se ordinati, vt nullus respectu alterius habeat rationem effectus, vt bos, asinus: quare omnes causæ sunt ita ordinatæ, quòd semper vna est causa alterius? si imponatur hoc nomen *Deus* alicui primo efficienti, eidem numero; sequitur ex secunda quòd non posset probari Deum esse nunc in rerum natura: quia illo non existente, staret coordinatio per alium vniuocum sibi. Ex secunda sequitur plus, quòd non posset probari nunc Deum esse, etiam si hoc nomen *Deus* imponatur alicui primo efficienti in specie: quia illo non manente, siue non existente, manet effectus in *esse*, & ita potens operari: cùm Deus non probetur causa esse, nisi in *fieri:* vnde sequitur Deum esse, vel fuisse: sicut ex domo concluditur ædificatorem esse, vel fuisse; igitur hæc quæ videntur non posse probari necessariò, ratione merè naturali per ordinem in conclusionibus exponantur: necnon & alia, quæ probari non possunt, sed alia probari non posse, sequitur ex hoc quòd ista probari non possunt: quia alia sunt minùs nota: & accipiatur *probari* ratione naturali necessaria.

Per probari intelligit demõstrari.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur illa particula: *In essentialiter ordinatis*, &c. quam poteris legere ante præcedentes, si vis, vsque ad illud corollarium, commune, post propositiones creditas infrà ibi: *Philosophi multa dixerunt*, &c. inclusiuè. 4.

Primò præmittit duas petitiones, quæ etiam suprà in tractatu de primo principio tactæ sunt, & 2. *Metaph.* & 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. In prima tangit tria, scilicet primitatem, & vnitatem numeralem, & coæuitatem alicuius, ad quod essentialiter ordinata, ordinantur. Vide 10. *Metaph.* copiosè, & ostendit difficultatem probationis harum, licèt ipse & Philosophus conentur eas probare.

Deinde ponit conclusiones, quarum prima habetur vbi suprà notaui copiosè, & habet tres partes: sicut prima petitio, quam probat ex præcedentibus. Vbi litera in aliquibus originalibus habetur superfluè quantùm ad secundam conclusionem: quia præmittitur petitionibus, & replicatur post primam: sed benè habes literam, vt ordinaui eam. Multa hîc pro, & contra possent adduci: sed quia superiùs tractaui ista, festinus ad sequentia, prolixiùs ea prosequi hîc postpono.

Secunda conclusio est de perfectione efficientis. Nam æquè perfectum si vniuocum, perfectius verò si æquiuocum. Vbi tamen attende, quòd non rectè de rigore sermonis dicitur efficiens vniuocum, strictè loquendo de vniuoco specifico scilicet, sed potiùs producens, vel saltem agens debet dici: quod ideò dico; quia 3. *dist.* 1. *q.* 7. & 25. *dist.* 2. dicit quòd relatio causæ, & causati importat dependentiam essentialem, & arguit distin

Efficiens vniuocum æquè perfectum, æquiuocũ perfectius effectu.

distinctionem in natura. Debet ergo accipi extensiuè, vbicumque ponitur huiusmodi distinctio. Vlteriùs notandum, quòd illud quod dixi de causa æquiuoca, debet attendi de causa æquiuoca totali, & non partiali, vt in pluribus locis habet. Vide 3.*dist.*1.*&* 2. licèt fortè vniuersaliter verum sit, vt effectus vt huius comparatur ad hoc, vt ad causam: secus si comparantur simpliciter inter se entitates. Quære 3.*d.*2.*q.*10. soluendo argumenta principalia ad finem. Vide notanter instantiam, & regulam communem, scilicet *Quod dependet ex pluribus*,&c.*in Quodlib.q.*14.*art.*1. *de fide infusâ, & acquisita.* Et adde dicta huius in primo, *dist.*3.*quæst.in solut.art.*1. contra Henricum moderando cuncta vt nosti. Quære *quæst.* 17. *Quodlib.art.*3. & Franc.in Prologo *Ab oriente porta tres*,*q.*3.optimè:vt hæc altiùs exequaris.

5. *Omnis perfectio simpliciter, est aliquo modo communis Deo, & aliis ab eo.*

Tertia est de perfectione Dei,quæ suprà pertractata est copiosè. vbi aduerte quòd illa comparatio est excessiua,vel abusiua,quam probat ex præcedentibus.Corollarium infert consequenter notabile. Vbi aduerte, cùm dicit infra, *aliquo modo communis*, &c. quòd hoc dicit, vel quia non est locus determinationis illius communitatis, hîc: siue scilicet sit analogiæ, siue vniuocationis: vel ideò, quia non est communitas, nisi solius conceptus. Notanter etiam dicit in omni differentia entis,quæ dicit perfectionem simpliciter,propter ea, quæ tangit 8. *dist.*1.*quæst.finali, &* 1.*dist.*2.*q.*3. de causa,& huiusmodi.

Deinde facit digressum notabilem in commento primo, ostendendo quantum, & ad quem terminum vltimatè attingit ratio naturalis necessaria creaturæ rationalis, vel saltem viatoris de Deo. Vide in Prologo vtriusque 1. *&* 3. *dist.eiusdem,& supra* 2.*Metaph.*& alibi sæpè,pro & contra plura addendo.

Consequenter pertractat partes illius primæ conclusionis,ostendendo difficultatem probationis earum per ordinem: sed suprà de primo principio, & vbi ibi notaui conatur illa omnia probare: quæ tamen non repugnant, vt sæpè dixi. Faciliter tamen dici potest, quòd in essentialiter ordinatis,potiùs datur primum: quia nisi ibi primum,nec primum, nec vltimum in aliis:quod tamen examinabis benè.

In essentialiter ordinatis dari primum, alioquin nec primum, nec vltimum in aliis.

Vltrà,cùm ibi allegat Auicennam,aduerte quòd illud habet 6.*Metaph.cap.*5. Quære etiam Aristotelem 2.*de Gener.text.comm.*56.58.*&* 68.& alibi ad idem.Et maximè 8.*Physic.* Quomodo autem valet illa consequentia, *Datur prius, ergo primum*, vide supra 5.*Metaph.quæst.*8.

Datur prius, ergo primum, an valet?

6. Aliud, quod tangit circa probationem secundæ partis, quære 2. *dist.* 1.*quæst.*3. & suprà de primo principio; & qualiter currit,& quando iuxta regulam tertij Topicorum: *Duo bona sunt magis bonum vno eorum seorsum*; & quando non, ibi habes,& vbi notaui ibidem.Ibi etiam pondera duos modos ponendi duo prima:aut scilicet vtrumque à se:aut vnum vniuocè ab alio.

Quando duo bona sunt meliora vno?

Deinde ostendit circa tertiam partem, scilicet coæternitatem,valdè signanter difficultatem probationis, dupliciter: aut loquendo de eodem numero, quia sic posset imaginari aliud,& aliud numero distinctum,sibi succedentia; aut secundùm speciem, ita quòd tantùm ad *fieri* rerum requireretur primum, & non ad conseruationem. Vbi aduerte, quòd licèt communiter habeatur in litera ibi; *per rationem naturalem non potest probari*, &c. magis tamen placet ibi, *improbari*, & additur in originalibus antiquis K, ad denotandum primum dictum, quia sic Doctor signabat loca textus plerumque per literas:sicut antiqui Bibliæ capita,& ipse Aristoteles;& Auicenna,& aliquando Henricus quæstiones in processu solutionis earum, & hoc accidit sæpè in his Theorematibus, & Metaphysica; & maximam generat ambiguitatem, quia vitio, & negligentia scriptorum, non fuerunt appositæ marginibus huiusmodi literæ. Si eas Doctor apposuit, vel si implicitè intellexit, non ita faciliter alij capere possunt. Vult ergo Doctor, quòd illa duo, quæ tetigit, primum ibi: *Primò de aliquo eodem*, &c. Secundum ibi: *Et secundò si primum efficiens*, &c.Non possunt improbari faciliter per rationem naturalem: nec ex ordine causarum,& ideò inferiùs debet esse: *Secundum non potest improbari*, &c. vti plura originalia habent. Et nisi capiatur ly, *&*, materialiter pro signo sicut K, dubium quod tangit, ad quod se remittit, potest faciliter solui, tenendo negatiuam: & hoc si secundum eiusdem rationis est effectibile: de quo infrà in hoc capitulo,& in Sententiis, & alibi sæpè,& hoc nisi negetur ordo essentialis, de quo vbi suprà in primo, & de primo principio.

Consequenter dat instantiam 2. petitioni suprà: sed faciliter solueretur, quia species sunt sicut numeri 8.*Metaph.text.com.*10.*&* 10.*Metaph. text.com.*2.*& inde.In omni genere*,&c.Sed hoc tolleretur recurrendo ad ordinem perfectionis,& causalitatis, vt scis: & distinguendo de mensura multiplici. Vide 2.*dist.* 2.*part.* 1. copiosè, & alibi plerumque in doctrina huius,& aliorum. Pondera omnia quæ dicit,quia nihil sine ratione. 7.

Vlteriùs prosequitur dicta, ponendo casum de impositione huius nominis, *Deus*: vbi cùm dicit, *sequitur ex* K, recurrit ad illud primum dictum, priùs notatum, & originalia ibidem variè se habent: in aliquibus ponitur 12. in aliquibus 2. in aliis alio modo. Postea cùm dicit *ex* 2. intellige de 2. dicto priùs. Vbi aliqua originalia habent *ex &*: quod benè posset stare, tenendo ly, *&*, vt notaui priùs materialiter, *&* pro signo, *&c.*

Consequenter ibi: *igitur hæc quæ videntur*, dat ordinem, rationem, & modum dicendis. Vnde elicere potes quòd præcedentes omnes creditæ, vsque ad primam petitionem suprà, congruè sequerentur sequentes creditas, vt suprà tractaui. Ibi etiam finaliter declarat se, qualiter intelligit non probari in his creditis per totum, vnde instantiæ vbique soluuntur.

THEOREMA XVI.

SCHOLIVM I.

In hoc Theoremate videtur Doctor, dum hæc scriberet, eius fuisse sententiæ, quòd istæ propositiones non essent demonstrabiles, vt sentiunt Doctores citati Theorem. 14. *Schol.* 1. *quas tamen pro maiori parte prouectior factus, in Theologia demonstrare conatus est: sed nec mihi constat, eum voluisse suas ibi probationes esse necessarias, & in rigore demonstratiuas. Vel dic quòd hîc, & Theorem.* 14. *nihil resoluit, sed tantùm asserit sub dubio, ista non demonstrari. Colligo ex commento decimaquartæ conclusionis Theorematis deciminoni, vbi dicit fortè non demonstrari statum in causis, seu dari primam causam: & hîc dicit propositione prima id ipsum, sine fortè: sed eodem sensu, vt* videtur

videtur, dari ordinem essentialem in efficientibus, & primum & vnicum efficiens. Quæ hîc probari negat tribus primis propositionibus, fuse probare satagit 1. dist. 2. q. 2. art. 1. & 2. Metaph. q. 4. & de primo principio, cap. 1. & cap. 3. concl. 2. & 15. Quod ait conclus. 6. coactionem Dei cum causis secundis, non probari; probat tamen ipse 2. dist. 37. q. 2. §. Sed hæc via, *num. 6. contra Durandum ibi q. 1. & Aureolum ibidem, negantes Deum immediatè concurrere ad materiale peccati, quos communis Doctorum reprehendit. Vide Doctores ibi citatos, ante quæst. de immensitate Dei, quam tangit conclus. 7. Vide eum 1. distinct. 37. vbi docet eam non ostendi ex operatione; quod etiam habet 2. distinct. 9. quæst. 2. ex conclus. 4. Videtur etiam hîc sentire cum Doctoribus citatis Schol. 1. Theorem. 14. an demonstretur Deum esse. De conclus. 8. vide eum 1. dist. 8. q. 5. vbi tractat opinionem Philosophi, & Auicennæ, quomodo posuerunt alia à primo esse necessariò, & tamen ab ipso effectiuè, quoad aliqua immediatè. De quo etiam 2. dist. 2. quæst. 1.*

1. 16. princip. *Propositiones creditæ.*

1 *Non potest probari ordinem essentialem esse in efficientibus.*

Tum, quia tunc nulla duo inter se non ordinata, vt est in numeris, & figuris: tum, quia nec talis ordo est effectuum: tum, quia ratio Philosophi 2. Metaphys. ad hoc non demonstrat. Quære ibi.

2 *Non potest probari primum secundùm speciem in efficientibus esse, vel fuisse.*

Non probari primum efficiens.

Tum, ex prima conclusione, quia illa primitas probaretur ex ordine essentiali: tum, quare plus hîc quàm in accidentaliter ordinatis?

3 *Non potest probari primum aliquod idem secundùm numerum in efficientibus esse, vel fuisse.*

Tum ex secunda: tum ex secunda suprà, si aliquod primum potuit aliquod vniuocum sibi producere.

4 *Non potest probari aliquod idem secundùm speciem, vel quasi idem secundùm numerum, primum efficiens nunc esse.*

Corollariũ. An probetur Deũ esse? an alia conseruare, vel illis coagere? * *Corollarium.*

Prima pars ex secunda, & secunda ex tertia, vtrique scilicet P. & Q. imponatur nomen *Deus*; non potest probari quòd Deus sit nunc.

5 *Non potest probari Deum esse necessarium ad conseruationem naturæ creatæ in* esse.

* Per consequens nec in *operari*. Tum ex quarta: tum ex secunda suprà, ordo non requirit, sic superiorem requiri propter inferiorem.

2. 6 *Non potest probari Deum coagere omni causæ secundæ aliqua actione propria sibi.*

Quæ necessitas duarum actionum, cùm secundùm agens sit æquè actu cum producto? Similiter quomodo nobilioris agentis non est nobilior actio, & ita actum nobilius?

7 *Non potest probari Deum esse vbique secundùm essentiam.*

An probetur Dei immensitas?

Tum, quia non necessariò conseruat, ex quinta: nec necessariò coagit, ex sexta, vt ibi sit, vbi agit. Tum, quia ordo hoc non requirit: cùm enim non sit Sol, adhuc est terra. Sol enim non est in terra; igitur non potest probari quòd Deus sit immensus. Et sequitur quòd hoc non probatur illabi: illabi enim non est simul esse subiectiuè, tunc enim Deus nulli illaberetur, sed quodlibet accidens subiecto: nec simul esse localiter corpus gloriosum simul, & non gloriosum, nec esse præsens per essentiam, tunc igitur creatura sibi illaberetur, & Deo, & alij creaturæ, & è conuerso: sed illabens *A*, est principalius ipsi *A*, quàm *A* sibi, & præsens secundùm essentiam, & secundùm causalitatem primam; quia plus causat, &c.

1. Corollarium. Secundum.

Quid illapsus, & an probetur.

8 *Non potest probari Deum posse aliquid immediatè producere, nisi tantùm vnum effectum primum.*

Deum producere omnia immediatè, an probetur?

Tum ex sexta aliqualiter. Tum, quia ordo hoc non requirit: sed solùm quod primum efficiens producat primum effectum, non quemlibet: cùm Sol non possit producere hominem immediatè.

SCHOLIVM II.

De conclusione nona, quomodo Philosophi negarunt Deum aliquid creare posse in tempore, vide Doct. 2. dist. 2. q. 2. & 1. d. 8. q. 5. vbi & 1. d. 39. 43. 44. & 45. de primo princ. c. 4. n. 6. probat oppositum primi corollarij huius conclusionis, Deum scilicet liberè agere omnia ad extrà. De secundo corollario, an aliud à Deo possit esse ab æterno, tractat 2. d. 2. q. 3. inclinans magis in affirmatiuam partem, cum D. Thoma contra Henricum. De conclusione decima, quomodo potest probari omnipotentia; vide 1. dist. 42. & Quodl. 7. vbi fatetur non posse demonstrari, si sumatur pro potentia producendi quodcumque immediatè, sine vllo aliarum causarum concursu. Vndecima, duodecima, & decimatertia, sequuntur ad præcedentes. Quomodo Deus sit immutabilis, & incorruptibilis, vide Doct. 1. dist. 8. q. 1. & 3.

9 *Non potest probari quòd Deus aliquid possit extra istum ordinem causarum.* 3.

1. Corollarium.

Tum ex octaua: tum sicut sexta probatur; vnde non potest probari quin agat de necessitate naturæ: nec liberè, nec voluntariè, nec aliter potest quàm agit. 2. per consequens non potest probari quin causata sint coæua sibi, tam ante, quàm pòst: licèt non sit necesse ipsum esse coæuum eis ex quarta, & tertia. 3. nec per consequens quòd possit aliquid causare: tum ex hac nona: tum, quia ordo hoc non concludit; ita Sol supponit materiam sicut homo.

An probetur Deum liberè agere, vel necessariò in tempore?

10 *Non potest probari quòd Deus possit facere quicquid potest fieri ex parte sui: licèt propter defectum agentis non includat contradictionem.*

Ex

Corollariũ. Ex nona. Tum, quia non posset probari causas alias non superfluere: vnde non potest probari, quòd Deus sit omnipotens propriè.

11 *Non potest probari quòd Deus vt significat Q, non incepit.*

An demonstretur Deũ esse immutabilem? Ex tertia secundùm probationem. 2. tamen potest probari quòd vt significat *P*, quia nec à se, patet: nec ab alio prius primo potuit produci.

Vide Mauritium. 12 *Non potest probari quòd Deus siue pro* P, *siue pro* Q, *est incorruptibilis.*

De *Q.* patet, de *P*, probatur ex corollario, cum tamen hac adiuncta, videmus vltimos effectus omnes corrumpi: tum, quia ordo hoc non concludit. Contrà: *A* à quo corrumpetur? Respondeo: corruptio non requirit causam effectiuam. mors duplex simpliciter: periodo completa, cadet in nihil. nullam coordinationem videmus incorruptibilem: quia omnia senescunt, & variantur, quorum tempus est mensura.

13 *Non potest probari quòd Deus est immutabilis, nec immobilis.*

Corollariũ. Ex 12. & per consequens nec quòd successione careat: nec quòd sit æternus, propriè loquendo. Contrà: à quo mouetur, vel illuminatur, vel mutatur? Respondeo, à se. vide quantum valeant argumenta 7. & 8. Physic. contra hoc. voluntas mouet se, & animal se.

SCHOLIVM III.

De decimaquarta, decimaquinta, & decimasexta, quæ tangunt Dei simplicitatem, vide 1. *dist.* 8. *q.* 1. 3. *&* 5. *& de primo princ. cap.* 4. *conclus.* 1. *&* 10. *de decimaseptima, vide fusè* 1. *dist.* 2. *q.* 2. *& Quodl.* 7. *vbi potentiam infinitam demonstrari docet, licèt non omnipotentiam sensu Theologorum, & de primo princip. cap.* 4. *conclus.* 9. *vbi etiam agitur de decimaoctaua, quæ est de illa Dei descriptione ex Anselmo,* quòd sit, quo maius cogitari non potest. *De decimanona, vide eum* 2. *d.* 3. *q. vltima in fine, docentem omnem gradum possibilem, esse in ente, &* 1. *dist.* 44.

4. 14 *Non potest probari quòd Deus careat magnitudine.*

Tum, quia nullum non quantum, est nobis necessaria ratione cognoscibile, quia nec sensibile. Tum, quia ordo hoc non concludit: superiora enim non minùs quanta, imò maiora. Tum, quia quantitas primò aduenit substantiæ.

15. *Non potest probari Deum carere omni accidente.*

An probetur Deũ carere corpore, accidente, partibus, finitate? Tum ex decimaquarta, tum, quia ordo hoc non concludit, imò superiora habent accidentia nobiliora: nec videntur agere in distantia, nisi mediantibus accidentibus: tamen talem actionem non est probare de Deo ex 8.

16 *Non potest probari Deum carere partibus essentialibus.*

Tum ex decimaquarta aliqualiter, licèt non secundùm Auerroëm. Tum, quia ordo hoc non concludit: nec potest probari aliquid tale posse per se esse: igitur non probatur quòd est omnino simplex: nec per consequens actus purus. *Corollariũ.*

17 *Non potest probari quòd Deus sit infinitus intensiuè.* 5.

Tum ex duodecima, tum ex decimaquarta secundùm finem 8. Physic. Tum, quia ordo hoc non ostendit, cùm superior possit in effectum nobiliorem; & primum in nobilissimum, tamen finitum. Item, quare magis vnum infinitum, quàm infinitæ causæ, cùm vtrumque sit æquè impossibile in corporalibus? *An probetur Deũ esse quo maius cogitari nequit?*

18 *Non potest probari quòd Deus sit, quo nil melius cogitari posit sine contradictione.* *Quæ Philosophi dixerũt de Deo, non omnia demonstrare potuerũt.*

19 *Non potest probari quòd omnis gradus perfectionis est in vniuerso, qui posset intelligi esse sine implicatione contradictionis.*

Nec quòd potest esse; quia nihil potest ipsum producere, ex decimaoctaua. *Corollariũ commune.*

Philosophi multa dixerunt de Deo, ad quæ per rationem naturalem necessariam pertingere non potuerunt. patet ex 11. & 6. sequentibus: & libris Physic.

ANNOTAT. MAVRITII.

6. Sequitur illa particula: *Non potest probari*, vbi posset poni, quod suprà posuimus tenendo alium ordinem: *Incipit tractatus*, &c. Quotatio verò particulæ ibi in margine omittatur supputationi lectoris, vt sæpè notaui. Ponit igitur propositiones creditas per ordinem, quas tamen alibi conatur probare: sed qualiter ex hoc non repugnat sibi ipsi, suprà tetigi. Fortiores tamen sunt istæ præcedentibus creditis assignatis: quia etiam Philosophi conati sunt has omnes ferè ostendere: igitur non excludit Doctor hîc omnimodam probationem, etiam ex naturalibus, sed necessariam, vt patet.

Prima propositio, seu conclusio, est de ordine essentiali efficientium: quam probat tripliciter. Quære suprà *de primo principio, &* 2. *dist.* 1. *& alibi sæpè* 2. *etiam Metaph. Arist. text. com.* 6. *& inde.* *Ordinẽ essentialem causarum non demonstrari.*

Secunda est de primo efficiente quo ad vnitatem specificam: quam ex præcedentibus probat. Quære vbi priùs pro & contra, & 8. *Physic. &* 12. *Metaph.* & in Proclo, & Auctore de causis.

Tertia est de primo efficiente quo ad vnitatem eius numeralem: quam etiam ex præcedentibus probat. Vide vbi priùs apud istum, & alios, & maximè 12. *Metaphysicæ, text. comm.* 49. & in Damasc. *cap.* 5. *&* 8. *Physicor. text. comm.* 48. Vide Varr. *lib.* 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. & Occham *Quodlibet.* 1. *q.* 1. pro quo faciunt dicta Doctoris in hoc tractatu, sed non simpliciter. Æstimo enim quòd hinc accepit audaciam in suo processu, vbi suprà notaui de primo principio; sed moderabere cuncta, vt ibi notaui, & in præcedentibus hîc: & salua fundamenta huius vbique. Cum Theologis enim sum-

mus Catholicus, & cum Philosophus ratione plusquam Græcus existit. Aduerte quòd in secunda probatione in commento debet esse, *tamen ex K suprà*, vt priùs declaraui, vbi tamen originalia variam literam habent, sed sic placet, & consonat dictis.

Quarta est disiunctiua de efficiente, quo ad nunc existere: & dependet ex præcedentibus. Pro cuius declaratione, nota singularissimè ea quæ habet 2.*dist.*1.*q.*2. quia nullibi meliùs. Ex qua infert corollarium, vbi ponuntur in originalibus communiter duæ literæ, scilicet *P*, *Q* quarum prima denotat primam partem conclusionis, & secunda secundam, quas fortè apposuit in suo originali, illis partibus, vt priùs notaui: sed posset benè intelligi litera sine illis: ad maiorem verò expressionem fortè eas addidit, sicut alibi sæpè fecit.

Conseruatio prima causæ an probari possit. Quinta est de conseruatione rerum in esse: quam etiam probat ex præcedentibus. Ex qua infert corollarium. Vide 12.*quæst.Quodl.* & 1.*dist.*2. *q.* 4. Pro notitia terminorum quære 2. *dist.pri.*8. & 39. *eiusdem*, & 25. & 37. *dist.* 2. & *alibi sæpè*, pro corollario illo explicando. Examina benè instantias hinc inde. Vide 48. *distinct.* 1. & 44. *secundi* ad hæc.

Sexta est de coactione Dei causis secundis, quam probat dupliciter: quarum prima potest fundari 2.Physic.& 5.Metaph.de causa, & effectu particularibus. Secunda procedit ex comparatione nobilitatis effectus ad causam: quæ tamen faciliter solui possunt. Vide vbi suprà ad conclusionem proximam notaui, & 1.*quæst.*4.

3. Septima est de immensitate Dei: quam probat dupliciter. Vide 37. *distinct.* 1. & maximè in Reportationibus. Infert duplex corollarium, quorum secundùm communiter non ponitur hîc in originalibus completè, vt posuimus: sed infrà post has propositiones creditas in aliquibus. In aliis verò alibi de ipso videlicet *illabi*: sed satis valet hîc, & notabilis doctrina est. Litera benè, & sufficienter esset talis: *Et ex hoc sequitur quòd non probatur, vel potest probari illabi*: & quod sequitur, *illabi enim*, &c. est declaratio, seu notificatio termini, vbi ponit tres propositiones negatiuas, & quartam affirmatiuam. In aliquibus originalibus habetur sic: *Corollarium secundum septimæ. Quod non probatur hic illabi.* In aliis alio modo. Vbi aduerte, quòd communiter in originalibus corollaria ponuntur in litera sic: *Corollarium*, &c. sed placuit vna cum conclusionibus notare ea in margine. Aduerte etiam, quòd sicut duplex *Illapsus duplex.* ponitur influentia diuina, ita duplex illapsus: generalis videlicet, & specialis. Vide in 1. *distinct.* 19. *q.* 2. & *in* 3 *distinct.* 1. *quæst.* 1. *ad fin.* & *quæst.*4. Aliqui etiam describunt *illabi*, vel illapsum sic: *Illapsus descriptio.* *Illapsus est suprema essentiæ intima præsentialitas, creaturam intellectualem vitaliter immutans ad actum contemplatiuum: quem viri experiuntur deuoti, dum diuinam intrant caliginem.* Quære Bonauenturam *in* 2.*dist.*8.*par.*2.*quæst.*2. & alios Theologos, vt lubet pro ampliori elucidatione.

Immediata productio à Deo an probetur. Octaua est de immediatè producto à Deo. Vide 8. *dist.* 1.*q.fin.* & 2.*dist.*2.*q.*2. & *prima q.*4. & *opin. Auic. ibidem*, & 7.*quæst.Quodl.* Ad materiam huius conclusionis examinandum benè, vide Auerroëm 1.*Cœl.commento* 102. & 12.*Metaph.commento* 18. & 9.*Metaph.commen.*7. & *alibi plerumque.*

9. Nona est de causatione Dei de nihilo, quam probat ex præcedentibus. Et infert triplex corollarium. Pro primo vide 2. 8. 39. & *sequentibus*, & specialiter 44. & 45. 1. & 7. *quæst. quodl.* & *suprà de primo principio*, & *alibi sæpè*. Pro secundo & tertio vide 1.*dist.*2.*q.*2. & 3. quære alios, & super 8. Phys. & *primo Cœli*, & 12.*Metaph.*

Decima est de vniuersalitate causalitatis Dei, ex qua infert corollarium de omnipotentia. Quære 42.*dist.*1. & 7.*quæst.Quolib.* & 43.*dist.*1. & *suprà de primo principio.* Vbique examinabis Nominales. *An omnipotentia demonstrabilis sit.*

Vndecima est de æternitate Dei, & ponuntur illæ literæ, quæ suprà in corollario quartæ habentur. Per *Q* enim intelligit Deum, vt in identitate numerali primum: & per *P*, vt in quiditate, vel identitate specifica primum. Licèt igitur illud primum secundùm numerum posset plurificari, & incipere per consequens, & hoc per possibile, vel impossibile; non tamen ita secundùm speciem, id est, à tota specie: supposito quòd detur primum tale: quia vt deducit Doctor, vel à se, quod est impossibile; vel ab alio priore: & tunc negatur suppositum.

Duodecima est de incorruptibilitate, seu immortalitate Dei. Quære 8. *distinct.* 1. Et nota quòd iste Doctor imitatur in suis scriptis illam notabilem regulam, quam ipse ponit 4. quæst. Quodlib. *Q. 5.* in principio: *Non enim*, inquit, *oportet omnia in dubium reuocare*: vbi suppositis dictis communibus propositum potest declarari. Non scripsit igitur de omnibus Theologicis veritatibus seorsum extensiuè, sicut antiqui, licèt intensiuè plura, pace aliorum dixerim; quare nec de æternitate, nec de immortalitate, nec de aliis huiusmodi pluribus quæstiones singulas habet: omnia tamen æquiualenter, vel elicitiuè, seu implicitè inuenies in eo. Quære 6. *quæst. Quodlib.* de æternitate, & vbi priùs de immortalitate. Alexandrum, Bonauenturam, Richardum, & alios, vide, qui expressiùs de his disputarunt. Non curauit iste chartam vacuis verbis impedire. Nam qualitas præfertur quantitati, & carmen vnicum (vt aiunt) vnius, poëmati alterius: nec quod diuturnius, & cap. 1. Ethicor. contra Platonem. Probando conclusionem pro prima parte remittit ad corollarium 9. suprà, & est secundùm corollarium ibidem. *Non oportet omnia in dubium vocari.* *Carmen vnũ vnius melius poëmate alterius.*

10. Deinde obiicit contra dicta. Et soluit breuibus, & subtiliter modo suo. Vbi aduerte cùm dicit, *mors duplex*, &c. quòd ibi vult implicitè quòd mors accidit, vel ex periodi complemento: vel ex causis illatiuis, & hoc vel intrinsecis, vel extrinsecis. Ad quod clariùs explicandum, vide notanter ea, quæ habet in 2. *dist.*15. soluendo argumenta, & *dist.*19. *eiusdem*, & *in* 3. *dist.*16. & *in* 4. *dist.*44.*q.*1. & *dist.*49.*q.*13. Quære considerationes Medicorum, & Philosophi, vt nosti. Simile huius dicti de morte, & causa effectiua habet de annihilatione, quæ maximè esset in proposito ponenda in casu conclusionis. Quære 1.*quæst.*4. soluendo principalia, & *distinct.* 11. *eiusdem quæst.* 4. Vide etiam 12.*q.Quodl.* & 1.*dist.*2. & *alibi* ad propositum, benè ponderando. Quod dicit consequenter de generali corruptione omnium, considera plura. Quære vbi suprà. Maximè habet veritatem, si ponatur materia in omnibus, vt aliqui volunt. Vide supra 7.*Metaph.* 12.*distinct.*3. Tange etiam cum Theologis, quòd mors accidit ex conditione naturæ, sicut accidit Virgini; & in statu innocentiæ accidisset, nisi præueniretur; & in Christo etiam. Accidit etiam demeritoriè in pœnam peccati, sententiâ Pauli. Notanter etiam dicit *incorruptibilem*, & non *incorruptam*: vnde cœlum est *Mors duplicitèr contingit.* *Mors Beatæ Virginis non ex peccato, sed ex conditione naturæ.* *Cœlũ est corruptibile.*

cor

corruptibile, quia materiale. Vel generalius capiendo *corruptibile* pro *annihilabili*, vel *destructibili*. Sequitur, est corruptibile, quia creatum, vel creabile.

Quod vlteriùs ibi habet de tempore, & mensuratis tempore, quære 2.*dist*.2.copiosè, & 4.*Phys*. vide ibi specialiter, *text.com*.117.propter verba literæ de *senescere*, &c. Et notanter dixit, *quorum mensura est tempus*; ad differentiam æui, & æternitatis, de quibus vbi suprà in secundo.

11. Decimatertia est de immutabilitate Dei. Quære 8.*dist*.1.*q.fin.primo Anglico*, & *q*.2.*in primo Reportationum*, & in aliis Theologis. ibidem, & alibi 8.*etiam Physicor*.& 12.*Metaph*.habet Philosophus ex intentione ad hæc. quæ omnia concordabis: & infert corollarium notabiliter. Deinde obiicit vbi communiter non habetur ly *illuminatur*: sed satis valet. Quære 9.*dist*.2.Consequenter respondet, & quia aliquis diceret quòd Philosophus 8. *Physicor. text.comm*.21.*& inde ad longum, & 7.text. comm*.2.probat oppositum; ideò dicit, *Vide quantum valeant argumenta 7.& 8.Physicor.contra hoc*: & ibi debet esse punctus, & litera continua. Vlteriùs cùm addit, *voluntas mouet se*, &c. ostendit oppositum eorum, quæ dicit Philosophus, & notanter ponit, *voluntas mouet*, &c. quia Philosophus concedit animal mouere se: eo quod diuiditur in duo, *ibidem in 8.text.com*.28.& 30.*& circiter*, sed de voluntate magis dubium est ex eius simplicitate. Et ita hîc ad propositum valet. Hæc vide benè examinata in 2.*dist*.2.*q*.10.*& dist*.25. *eiusdem.in primo etiam dist*.3.*q*.7.Aliqua ad hæc habet super 7. & 8. Physicorum, etiam disputatur communiter, & suprà 9. *Metaph.q*. 14. patet, vbi omnia ponderaui.

Dei simplicitas an probetur.

Decimaquarta est de magnitudine molis non ponenda in Deo, quæ pertinet ad simplicitatem Dei. Vide etiam 8.*dist*.1.& alibi in antiquis, & modernis Theologis. Quære *q*.5. *Quodlib*. probat conclusionem tribus rationibus, quæ satis claræ sunt. & quantùm valeant benè discutiatur. Quære etiam 8.*Physic.tex.com*.78.*& inde*, & 12.*Metaph. text.comm*.41. Fundamenta Aristoteles, & alibi ad hæc, & concordabis cuncta, semper sustinendo Scoticam sinceram veritatem.

An probetur Deum incapacem esse accidentium?

Decimaquinta est de simplicitate Dei, quo ad accidentalem compositionem. Quære etiam 8. *dist*.1.& vbi priùs, quam probat notabiliter: sed qualiter procedunt probationes, & quantum, diiudicet lector benè. Quod tangit ibi de superioribus agentibus in distantia, quære 9.*dist*.2. optimè, & 14.*dist.eiusdem quæst.vltima*. Finaliter instat contra probationem ex dictis priùs, & solue, si placet.

12. Decimasexta est de simplicitate Dei, quo ad essentialem compositionem. Quære etiam 8. *dist*.1. optimè, & vbi suprà notaui in Philosopho. & specialiter 12.*Metaph.text.comm*.30.*& circiter*. & non solùm de compositione physica, sed etiam metaphysica, habet hæc conclusio ponderari pro, & contra. Probat conclusionem, primò *ex decimaquarta, aliqualiter* inquit, vbi notanter dicit Doctor *licèt non*: vel, vt alij habent, *sed non secundùm Auerroëm*, hoc ideò dicit: quia Auerroës negaret hanc consequentiam: *In Deo est magnitudo molis: ergo compositio essentialis*, vel sic: *Non potest probari quòd in Deo non sit magnitudo molis; ergo nec quòd non compositio essentialis*; quia ipse *in de Substantia orbis*, negat in cœlo materiam, & tamen cœlum ponit quantum, & magnum. Vide 14.*dist*.2.*q*.1. optimè,

Omnis compositio longè à Deo.

Ex mole non sequitur compositio essentialis secundùm Auerroëm.

vbi, quod contingens in paucioribus est, commendat Auerroëm quantùm ad hoc imitantem Aristotelem, licèt oppositum verum sit secundùm veritatem Theologicam: sed de mente huius videtur valere hoc argumentum: *Est compositio accidentalis, ergò essentialis*; quia secundùm ipsum 3.*dist*.1.*q*.7. potentia ad accidens, nunquam fundatur nisi in substantia in actu: quod intelligo loquendo de subiecto vltimato, seu substentificante ex 4.*Metaph.text.com*.14. Vide 3.*dist*.2.*q*.4.Hoc tamen licèt excludat materiam primam esse subiectum accidentis, & fortè formam materialem educibilem de potentia materiæ: & ex hoc, illa fatua fabula viæ communis, de quantitate interminata nulla est, nisi imaginatio somniantium, & proteruientium. De aliis tamen non compositis; vtpote de Angelis, esset dubium, nisi ponantur componi ex materia, & similiter de anima separata, & accidentibus eius; sed propositio Doctoris potest sanè glossari, distinguendo de ente actu, vt nosti. Alia probatio conclusionis, & corollarium sequens satis patent: vbi plura adde.

Cõpositio accidentalis, an infert essentialem?

Decimaseptima est de infinitate Dei intensiua, & qualiter non repugnat processui istius, suprà *in de primo principio*, & 2.*dist*.1.*q*.1. Ponderabis benè, vt suprà sæpè notaui. Vide Reportationes *ibidem ad fin.quæst*.de infinitate signanter. qualiter etiam non contradicat sibi *hîc*, & 42.*dist*.1.& *q*.7. *Quodlibeti*, vbi videtur velle quòd quamuis omnipotentia Dei, vt eam ponunt Theologi, non possit demonstrari, licèt in se demonstrabilis sit; infinita tamen potentia demonstrari potest, considera diligenter ex dictis. Hanc conclusionem probat ex præcedentibus, scilicet, 12.vel 13. potiùs & 14.*Secundùm finem inquit* 8. *Physicor*. hoc est dictu, quod si non potest probari Deum carere magnitudine; nec infinita, quia non datur, vt in 3 ostendit Aristoteles, nec finita, vt ibi consequenter probat: licèt tamen probatio non procedat, nisi vt eam colorat iste, 2.*dist*.1.*q*.1.& *melius* 8.*dist.eiusdem quæst*.1.sequitur igitur ista, quòd videlicet non potest probari Deum esse virtutis infinitæ, seu infinitum intensiuè. Aliæ probationes quæ sequuntur, satis claræ sunt. Hæc conclusio prima facie videtur facere pro Auerroë, qui ex intentione, peruersa tamen, vult Deum esse finitum intensiuè, vt 8.*Physic*. 12. *Metaph.* & 2. *cœli, commento* 63. expresè, & alibi sæpè habet. & si aliqui imitantes ipsum nitantur eum exponere, & violenter trahere ad oppositum: æstimo tamen quòd penitus peiorem partem elegit. Rescindatur & ipse cum impio Sathana. Aristoteles tamen saluetur vbique: qui benè sensit, maximè in proposito. 13.

Potentia infinita demonstrari potest, licèt omnipotentia nõ possit.

Deus secundùm Auerroëm finitus.

Non facit autem hæc conclusio pro Auerroë, nam etsi demonstratione simpliciter necessaria, vt suprà tactum est, non possit infinitas Dei demonstrari; imò fortè per se nota est hæc, *Deus est infinitus*, est saltem vera, & credita, & efficaciùs potest probari, quàm eius oppositum. Vnde Rich. *de Trinit*.1.*cap*.3. *Ad omnia quæ fide tenemus non solùm habemus rationes naturales, sed necessarias*: quod tamen intelligatur, vt exponit iste 42.*dist*.1.Quære Expositores, & Quæstionistas in Aristotelem, vt scis, ad hæc. Vide 8.*dist*.1.*q*.3.& 5 *quæst*. *Quodlib*. ad hanc infinitatem exprimendam profundiùs, & considera an sit modus intrinsecus: an certè de ratione formali Deitatis. & si ponatur modus, an possit demonstrari. Plura alia hîc adde ex sequacibus 14.

Dei infinitas an demonstretur?

An infinitas sit modus intrinsecus?

quacibus huius, & aliis antiquis, & modernis. Quære Ocham vbi sup.tract.de primo principio, quotaui enim ad hæc, & alios sequaces; sed ligabis te aquilæ ad alas.

Decimaoctaua est de probabilitate illius descriptionis famosæ Anselmi prosol. 2. de summo cogitabili, quam exponit iste, *2.dist.1.q.1.& 2.*& suprà *de primo principio* pertractata est. Quæ conclusio posset ex præcedentibus probari satis efficaciter; vt patet speculanti, & maximè ex proxima. Nam quocumque finito potest sine contradictione cogitari maius. Quare autem additur *sine contradictione* ibidem. quære vbi suprà. Addat ibi lector plura propositum explicantia. *Deus est, quo maius nequit cogitari,*

Decimanona est de perfectione vniuersi. Quære optimè *dist.44.1.*& alios Theologos ibi, & alibi inuestigabis ad hæc. Auctores etiam plures de perfectione specierum. Vide Philosophum primo Cœli copiosè. Quære hunc 13. *&* 14. *dist.* 3. & alibi sæpè ad hæc. Franciscum de Mayr & alios sequaces huius inquire. suprà etiam 2.Metaph. & alibi, vt nosti.

15. Q. 4. Infert corollarium, quod appellat *commune* ex his conclusionibus, de quo suprà feci mentionem, vbi pondera cùm dicit *rationem naturalem necessariam*, & probat eum specialiter ex vndecima suprà, & ex aliis sex conclusionibus, quæ sequuntur illam, licèt ex aliis præcedentibus, & sequentibus sequatur idem. Et si voluerit lector ordinare post hoc corollarium alias propositiones creditas suprà. ibi: *Non potest probari Deum esse viuum*: & quæ sequuntur vsque illuc; *In essentialiter ordinatis*, &c. poterit rationabiliter facere. Nam minùs videntur illæ probari posse ratione naturali necessaria, quàm prædictæ iam: cùm Philosophi plures harum, vel omnes in suis scriptis conati sint probare. Aduertat quoque siue sic, siue alio modo ordinauerit, qualiter quotationes in commentis hinc inde assignatas accommodabit. *Theorem. 14.*

Hæc pauca circa has creditas hîc curaui notare: quia alibi eas diffusiùs videbis, & parcant pro uecti prolixitati, si quæ sit, & simplicitati declarationis; iuniores quoque breuitati, & obscuritati, nam vtrisque hîc accommodare decreui; sed scio quòd quocumque modo disposuero à cœli ductus vicissitudine, à sibi solis placentibus calumniabor: dum tamen Pharisæorum scandalum fuerit. quid inde?

THEOREMA XVII.
SCHOLIVM I.

Conclusione secunda quod ait, instrumentum non habere propriam actionem, alioquin esset causa principalis, docet 4.d.1.q.1.n.9.& q.5.n.14. vbi de variis instrumenti *acceptionibus. Vide eum ibi q.1.n.16.& dist.6. q.5.n.6. Quod* ait *concl.4, quo, esse posse compositum, intellige de* quo *remoto, vt in exemplo eius de oculo: quia ratio formalis vltima videndi simplex est. Quod tangit de calore, qui est quodammodò instrumentum. Vide 8. Met.q.1 vbi tractat fusè, an accidens sit compositum: sed calor non est instrumentum propriè, sed causa dispositiua 4.dist.1.q.5.n.14. De conclus.9. vide eum 1.dist.3.q.7. n.39.& q.8.ad 2. vbi explicat vtramque eius partem, & experientia constat; æquiuoca tamen est perfectior, vniuoca concurrente 4.dist.12.quæst.3.num.13.*

1 *Agens secundum habet operationem propriam; instrumentum, nullam.* 17.princip 1.Conclus. 1.

Non eandem quam principale: quia vna operatio vnius operantis; non aliam, quia in illa non est instrumentum: aut agit illam principale ipso, & sic vt priùs. similiter quicquid fit instrumento, fit à principali agente: non sic de agente secundo.

2 *Instrumentum non habet operationem propriam, priorem operatione principalis agentis.* *Instrumentũ non habet propriam actionem.*

Quod agit non in virtute alterius, in illa est principale, non instrumentum. Exemplum illorum non valet. serra non diuidit sine motore.

3 *Quo elicitiuè, de necessitate est simplex.*
Quia actus primus.

4 *Quo instrumentum, potest esse compositum.*

Patet quomodo oculo aliter videmus, & potentia visiua.

5 *Cuiuscumque forma elicit, ipsum totum agit, si est per se vnum ens.*

Ens enim per accidens sicut non per se fit, ita nec per se agit. Contrà: quid per se calefacit? non calor, quia est forma elicitiua; non est autem aliquod compositum cuius sit hæc forma pars, nisi ens per accidens. nullius instrumenti forma est elicitiua actionis. Respondeo, sicut instrumentum est *quo*, ita forma eius elicitiua instrumentaliter, vt acuties cultelli. *Ens per accidens an agit per se?*

6 *Idem respectu formæ eiusdem speciei producendæ, potest esse principale agens, & instrumentum, respectu diuersorum passorum.*

Sigilium figurat aërem, vel aquam cum quo figuratur cera. 2.

Contrà: vnus actus secundus est vnius actus primi elicitiuè, per consequens eiusdem agentis, ex tertia. Exemplum non valet; imò aër, & aqua ex natura sua replent foramina sigilli, non actione sigilli. partes eleuatæ repellunt aërem: sed concauæ non sibi imprimunt: sed ipse aër, vel natura vniuersi, saluans plenum, & refugiens vacuum. *A quo replẽtur foramina sigilli?*

7 *Agens illimitatum producit diuersas actiones specie.*

Vt si idem esset vnitiuè habens calorem, & colorem, calefaceret, & visum immutaret.

8 *Agens illimitatum si diuersas actiones non producat, nisi diuersis instrumentis; vel in diuersis passis: differentia tamen non erit actionum ex instrumentis, vel passis.* *Differentia actionum non est ex instrumẽtis, vel passis.*

Sicut nec diuersa agentia consimiles operationes facerent, tantummodò consimilibus instrumentis, vel in similibus passis. sed tantùm est differentia ex differentia

Quid est vnitiuè habere varias virtutes, vide 2. d. 16. n. 17. & 4. d. 46. q. 3.

rentia perfectionum vnitiuè habitarum in agente, quæ ita sufficit; sicut si realiter differrent. Minor enim differentia sufficit in elicitiuis ad maiorem in actibus: istud est contra Arcelinum de vna actione illimitata, qualis est forma. Contra eum est etiam: quia tunc gignitio, & spiratio essent in Deo vna actio illimitata.

Causa æquiuoca minus similatur effectus, tamē perfectius agit.

9 *Agens principale æquiuocum, siue illimitatum, minùs aßimilatur formaliter effectui, quàm vniuocum, siue limitatum.*

EXTRA. *Contrà: igitur Deus per causam remotam magis facit scire effectum. Respondeo, dicitur si diuersas.*

Et tamen perfectiùs producit quando producit: sicut forma perfectiùs, vbi est illimitatè.

SCHOLIVM II.

De conclusione decima vide Doctorem locis citatis. Pro conclus. 9. concl. 11. quod ait eundem effectum fieri à diuersis causis ordinatis, benè tractat 1. *dist.* 3. *q.* 7. §. Qualiter autem, *num.* 22. *&* 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. *n.* 12. *conclus.* 12. *docet ambas causas ordinatas, excedere alteram tantùm; sed fallit loquendo de causa prima cum* 2. *cuius optimam aßignat rationem: de quo vide eum de primo princ. c.* 4. *n.* 20. *&* 1. *dist.* 2. *q.* 2. *& q.* 3. *ad vlt. Vltima concl. eadem causalitate causam superiorem respicere primum causatum, & sequentia: intellige si producit sequentia causata, quod de causa prima certum est. De materia prima, an primam, & secundam formam immediatè materiat, dubium est, de quo infrà Theor.* 19. *n.* 13. *& Theor.* 20. *n.* 9. *vide Mauritium, qui obscuram Doctoris literam hîc declarat.*

10 *Agens principale quandoque minùs aßimilatur formaliter effectui, quàm instrumentum, & tamen non minùs agit: nec formaliter est actio hac talis ab instrumento. Tamen principale plus aßimilat effectum sibi, quàm instrumento, & plus instrumento, quàm instrumentum sibi aßimilet.*

Contrà: quomodo magis *producere* sumitur in conclusionibus istis, cùm effectus sit vnus in secunda, & æqualis in prima? Respondeo, determinat actionem, non passionem, nec effectum.

Idem effectus à diuersis causis.

11 *Idem totum producitur ab agentibus ordinatis: vel alterum in producendo præcisè partem, non est in hoc agens ordinatum.*

Duæ causæ ordinatæ perfectiores altera tantùm.

12 *Non omne agens aliquid totum, sic se habet ad illud, quòd non perfectiùs aliquid sunt ambo, quàm agens. ex vndecima: nec omne habens aliquod totum in virtute actiua sic se habet, &c.*

Contrà: quare igitur non aliquid magis creatura, & Deus, quàm Deus tantùm? Respondeo, non quia Deus hoc habet in vi actiua, sed in perfectione formali vnitiua: & totaliter, quia illimitatè.

13 *Causa superior nullam causalitatem habet respectu causati remoti, aliam quàm habeat respectu causati proximi.*

Prima causa causatum primum, & secundū, eodem modo causat, & idem de aliis causis.

Contrà: finis vltimus alia motione mouet appetitum, quàm intermedius. Similiter alia est prioritas ad causatum proximum, & remotum: quia aliud extremum. Pari ratione alia causalitas. similiter quomodo octaua vera? Respondeo, glossa quādo producit. Sed probatur hæc decimatertia: quia alioquin ex octaua, & vndecima videretur sequi quòd causa secunda non esset necessaria. similiter videtur prior non necessaria: nisi quatenus dedit secundæ formam qua agit: sicut de generante graue, vbi prior sit causa conseruans secundæ, sicut Deus. Nec tunc habet à se aliud agere à conseruari. Hæc 13. videtur manifesta de materia, & forma intrinseca. illa tantùm vni substat, vt perfectibile: hæc tantùm vnius perfectibilis est perfectio. vbi multæ sunt materiæ; & formæ ordinatæ.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur illa particula: *Agens secundum*, &c. in 4.
qua prosequitur considerationes metaphysicales, & naturales; & incipit à communioribus, suo modo. Nam agens est communis causa, strictè loquendo, & maximè extendendo *agens* ad producens. Hoc verò potest accipi pro efficiente: nam hîc prosequitur de 4. causis in speciali, & in vniuersali: vt patet. Et licèt hæc particula posset locari cum aliis conclusionibus infrà de modo agendi, & agentibus; sic tamen communiter seorsum habentur, sicut suprà de conceptibus habet, aut ergo communes animi conceptiones sunt, aut conclusiones, aut petitiones, non refert; valdè saltem vtiles, & vniuersales propositiones sunt: ideò examinentur benè.

Instrumentū 5. modis sumi, 4. d. 1. q. 5.

Prima est comparando causam secundam ad instrumentum, & est notabilis, & multùm singularis, quam probat satis clarè, & copiosè. Vide in 4. *dist.* 1. *q.* 1. *&* 4. meliùs, seu diffusiùs *dist.* 6. *eiusdem art.* 3. *q.* 1. Et hîc accipit *instrumentum* propriè. Nam quinque modis potest accipi, scilicet vel pro causa secunda: vel pro dispositione ad principaliter intentum: vel pro actiuo tantùm in *fieri*, vel in motione actiua aliunde, vel pro parte totius, vel pro instrumento artis. Exemplum primi, vt rana in generatione ranæ cum Sole; secundi, vt calor in generatione ignis, vel carnis; tertij, vt species sensibilis in medio ad actum videndi; quarti, vt organum nutritiuæ in nutritione animalis; quinti, vt securis in factura scamni. & sic de aliis, siue attingatur ipso principalis terminus, siue tantùm dispositio ad ipsum. Hîc igitur maximè habet locum instrumentum quinto modo acceptum, licèt ad quartum modum posset extendi, vt vbi suprà habet. Hæc propositio est contra multos antiquos, & Thomam maximè. Tange instantias pro, & contra.

Secunda est de ordine operationis principalis, & instrumentalis: nam vt est instrumentum, non habet propriam: ergo nec priorem operationem principalis. Vbi aduerte cùm dicit: *Exemplum illorum*, &c. quod est exemplum Thomæ. Quære eum in 4. *dist.* 1. *q.* 4. *&* 1. *p Summa, quæst.* 45. *art.* 5. & alibi pluries. Quære hunc vbi suprà in 4 & sequaces eius benè ponderando.

Tertia

Duplex quo, & quod. Tertia est de *quo* elicitiuo. Vbi aduerte, secundùm Boëtium de hebdomadibus, quòd in omnibus citra primum, differunt *quo*, & *quod*. Sicut ergo duplex est *quod* agens, ita duplex *quo*, de quibus in his propositionibus mentionem facit, elicitiuum videlicet, & instrumentale. Et cùm dicit, quòd debet elicitiuus esse simplex, intellige castè, distinguendo de multiplici simplicitate. Tange opinionem de materialitate omnium entium limitatorum, de qua suprà 7. & 8. Metaph. & alibi sæpè: vt ibi notaui. Quomodo etiam sequitur, est actus primus; ergo simplex, considera. De multiplici etiam actu primo pertractabis.

Quarta est de *quo* instrumentali, vbi dicit notanter, *potest esse compositum*: & nota quòd semper de facto est, & ponit exemplum de vtroque *quo*, & ibi potest extendi *instrumentum* multipliciter, vt suprà notaui. multa addat lector hîc, vbi nolo immorari, quia satis communia.

Quinta est de comparatione *quo* ad *quod*, in elicitiuis: & potest confirmari ex proœmio Metaphysicæ, & primo de Anima, *text. com.* 64. & alibi sæpè. Et notanter dicit, *si est vnum per se*, vt postea exponit. Vide 6. *dist.* 4. *art.* 3. *q.* 1. optimè. Vide etiã 9. *quæst. Quodl.* & alibi. Obiicit contrà, & non soluit expresè; licèt solutio sequens posset quodammodò applicari ad propositum. posset ibi dici sequendo ea quæ dicta sunt sup. 7. *Metaphysic.* q. 10. & 8. *Metaph. quæst. fin.* quòd calor est compositum per se, &c. Vel sequendo communem modum dicendi, posset concedi quod infertur, ita quòd ignis calefaciens per accidens calefacit calore: nisi dicatur quòd forma sua, & non calore calefacit, vel quòd in calore possunt reperiri *quo*, & *quod*: nam si esset separatus, calefaceret. Considera tamen an de facto, & potentia propinqua.

An accidens sit compositũ?

6. Illa litera quæ sequitur ibi: *Nullius instrumenti*, &c. licèt communiter non ponatur conclusio, posset tamen rectè poni, & esset sexta: & tunc quotationes per ordinem transmutarentur augendo numerum: & sequitur ex prima, & secunda suprà: vel posset referri ad præcedentem obiectionem, tanquam instantia: ita quòd calor diceretur instrumentum ignis, in calefaciendo, & non forma elicitiua. & esset euasio bona ad argumentum: quia præsupponit falsum. Et responsio quæ sequitur, esset declaratiua vtriusque: sed primus intellectus literæ satis placet, ita quòd sit conclusio, vel propositio per se, vel saltem pars illius quintæ, quod magis placet, propter verba Doctoris infrà, conclusione vltima huius particulæ in commento: & tunc illa responsio sequens est moderatiua eius: sed exemplum est castè intelligendum, si intendat acutiem esse formam actiuam, vt optimè habet in 4. *dist.* 1. *q.* 4. Vtraque declaratio potest stare: eligat lector quod magis placuerit. Vbi attendendum pro maiori declaratione horum, & sequentium, quòd proponit plerumque propositiones famosas, & ex Aristotele, & ex antiquis auctoribus: & quia videt eas, vel aliquas saltem earum, non necessariò veras, seu absolutè concedendas; ideò nunc obiicit, nunc respondet, nunc prosequitur respondendo, vel defendendo. Qui verò voluerit veritates earum tenere simpliciter, respondeat, vel obiiciat consequenter.

An acuties sit forma actiua?

Deinde in sexta comparat agens principale, & instrumẽtale ad diuersa obiectiuè, & ad idem subiectiuè, ibi: *Idem respectu formæ*, &c. quam, licèt notabilis sit, impugnat, & benè correspondenter dictis: quia tamen illa propositio, *vnus actus secundus*, &c est dubia, vt patet 5. *Phys. com.* 38. & alibi sæpè, & 2. *q. Quodl. art.* 1. & alibi pluries. examinabis benè ipsam, ponderando actum primum limitatum, & actum secundum eiusdem rationis, vel alterius, & multa alia ibi addantur ad propositum. Impugnat consequenter exemplum positum pro conclusione singularissimè. Vbi nota ad finem cùm dicit: *sed ipse aër, vel natura vniuersi*, &c. quia secunda pars videtur verior. Quære optimè 27. *dist.* 3. & alibi sæpè in doctrina huius.

Septima est de agente illimitato: vbi plura naturalis considerationis addantur. Exemplum generale est de Sole constringente lutum, & dissoluente glaciem. Quod addit in exemplo de vnitiuè habere, vide notanter in 4. *dist.* 46. *q.* 3. & 8. *dist.* 1. & 16. *dist.* 2. & *alibi pluries.* de illimitato etiam multiplici pertractabis vt nosti. Vide 9. *dist.* 2. & 13. *dist. eiusdem* ad hæc. 7.

Sol indurat lutum, & soluit glaciem.

Octaua est de causa diuersitatis actionum procedentium ab eodem agente illimitato, quæ valdè singularis est: multas quoque instantias habere posset. Valet pulchrè ad declarandum operationes, & productiones diuinas ad intrà. Valet etiam pro materia 16. *dist.* 2. optimè, & ad multa alia in doctrina huius. Quære 5. Physic. & 8. Metaph. & alibi pluries in Aristotele ad hæc. Nota valdè illam propositionem de differentia minori in elicitiuis, quàm in actibus expectanda, quam habet in commento. Aduerte tamen quòd multipliciter potest attendi diuersitas actionum. Hîc videtur loqui de intrinseca, & formali ratione diuersitatis, vel saltem radicali, & principiatiua. Vide 3. de Anima, & alibi. Ibi infert consequenter applicando dicta esse contra quendam Arcellinum de quo fecit mentionem 5. *Metaphysic. quæst.* 9. vbi etiam originalia diuersimodè habentur, vt ibi notaui. Nam aliqua habent *Anselmus*, aliqua alia aliter, motiuum autem clarum videtur. Nam volebat agentis illimitati esse vnicam actionem; sicut & vnicam formam: sed altiùs Doctor inuestigat. Æstimo hunc fuisse Anglicum ex cognomine. Quære consequenter. De verbis non est vis facienda. Videtur etiam quòd illius opinionis fuerit Thomas, & alij de via communi, ponentes tantùm differentiam rationis inter potentias vitales Dei: sed fortè ipsi negabunt hanc conclusionem modo suo.

Minor differentia in elicitiuis, quàm in actibus.

Agentis illimitati, actio non est vna.

Nona est comparando agens illimitatum æquiuocum ad vniuocum in ordine ad assimilari effectui vtriusque. Vbi notanter dicit *assimilatur formaliter*, ad differentiam assimilationis virtualis, quæ est causæ æquiuocæ ad effectum: ita quòd assimilatio formalis ad vniuocum est, virtualis ad æquiuocum. Quære 3. *dist.* 1. *q.* 7. & 8. Nam quod plus dat formam, plus dat similitudinem secundùm eam. æquiuocum autem plus causat, libro de Causis. Quære etiam 3. *dist.* 2. & alibi sæpè ad hæc. Minùs igitur formaliter Sol assimilatur ranæ, quàm rana ranæ, quia non nisi in forma generica remota, rana verò in specifica; magis autem virtualiter è contra, & sic de aliis ponderabis. Communiter ibi inseritur quædam obiectio, & aliqualis eius responsio; quam notauimus *Extra*. Responsio tamen non ita cõmuniter ponitur in originalibus sicut obiectio: quam etiã infrà cõclusione vniuersali 24. in commento tangit. Aliqui assignãt, ibi *vacat*, aliqui *Extra*. Æstimo quòd nõ sit de principali litera Doct. sed potest applicari ad propositũ sic: *sicut in actionibus natura causa principalis*, 8.

Assimilatio formalis ad causam vniuocã, virtualis ad æquiuocam.

vel

vel agens principale, &c. quæ sequuntur in conclusione: ita videtur quòd in actione rationali, vel intellectus, cuiusmodi est demonstratio. In demonstratione verò causa immediata videtur magis & euidentiùs inferre conclusionem, quàm causa mediata: quia demonstratio ex immediatis est potissima, & eo modo quo ibi potest poni assimilatio formalis, videtur esse ad propinqua magis, & ab ea causari: cuius oppositum videtur ex conclusione ista: vnde meliùs valet litera sic: *Contrà: ergo demonstratio, &c.* quàm sicut multa originalia habent, *Contra. ergo Deus magis, &c.* Illa responsio quæ sequitur in aliquibus est satis breuis, & mirabilis & obscura, scilicet responsio. *si diuersitas:* vel, vt alij habent, *si diuersas.* Quod potest intelligi vel comparando præmissas mediatas ad immediatas: quæ non sunt simpliciter diuersæ: quia immediatæ includunt mediatas, & sunt perfectiores eis: ideò conclusio ista non habet locum, nec instantiam ibi. Vel aliter, comparando præmissas ad conclusionem; vel *scire* præmissarum, seu notitiam, ad notitiam conclusionis. vbi etiam non est simpliciter diuersitas. vt 8. *dist. prim. q. fin.* habet iste: quia veritas conclusionis & veritas præmissarum non differunt, nisi sicut partiale & totale: præmissæ ergo immediatæ completè continent illam veritatem: quia continent vel virtualiter, vel formaliter omnia continentia eam. Vnde non est dependentia essentialis, & si fortè ordo talis, inter præmissas immediatas, & mediatas: sicut est inter causam æquiuocam, & vniuocam in causando.

Veritas conclusionis, & præmissarum quomodo differunt?

Posset etiam dici, vel quòd præmissæ huiusmodi, siue mediatæ, siue immediatæ, se tenent vniformiter: vel ex parte causæ æquiuocæ, vel vniuocæ: & ita non est instantia ad propositum. Quære vbi suprà 3. *dist. 1. q. 8. ad finem. & q. de praxi. ad finem. & q. 13. quodlib.* ad hæc discutienda. Quomodo etiam præmissæ sunt causæ conclusionis, vel *scire* eius, tange hîc vt suprà notaui. & 1. Posterior. copiosè habetur. Aduerte etiam, quòd aliud est loqui de causa remota naturaliter causante, & aliud de contingenter tali. Ad propositum plura alia adducat hîc lector: sed potest illa obiectio omitti si vis. Illa alia pars textus, quæ additur ibi, *Et tamen perfectius, &c.* potest poni pars textus: vel vt commentum, vt volueris. & contra eam potiùs currit illa obiectio, quàm contra primam: quare posset litera transmutari. fortè tamen in margine primò erat, vt notaui priùs.

10. Decima est de comparatione principalis ad instrumentale, quo ad assimilari effectui, vt in præcedente: quæ satis singularis est. & notanter dicit *quandoque:* quia non semper est verum, vt patet in multis. Quomodo enim incisio ligni magis formaliter assimilatur securi, quàm manui? Potest tamen habere veritatem de instrumento monetarij, vel sigillo, & huiusmodi. Vel si extendatur *instrumentum* ad alios modos, de quibus suprà: vt calefacere ad calorem in ordine ad ignem, vt ad principale, oppositum conclusionis esset verum: vt patet plerumque. Pondera etiam ibi ly *formaliter:* vt in conclusione præcedente notaui, alia pars ibi, *Nec formaliter est actio, &c.* habet confirmari per dicta priùs in conclusionibus suprà. Quod sequitur ibi: *Tamen principale magis, &c.* non habetur communiter in omnibus originalibus, potest tamen intelligi de assimilatione virtuali, & quandoque formali. vltima particula patet ex dictis in præcedente.

Effectus minus similis instrumentali quàm principali causæ.

Obiicit notanter contra has duas conclusiones ponderando ly *magis.* Dictum enim fuit priùs, quòd æquè primò concurrunt ad effectum, agens principale, & secundarium: & quòd instrumentum non habet aliam actionem à principali actione. ideò quomodo potest intelligi magis &c? Respondet suo modo expeditè, & subtiliter, quòd determinat actionem, &c. hoc est quòd debet referri ad principium agendi, & ad actionem vt egredientem: seu elicitam, vel vt ab hoc; non autem ad effectum, vel passionem, aut actionem vt in hoc. Exemplum de tractu nauis à duobus, quorum vnus esset fortior alio, vtroque agente secundùm totum conatum. Exemplum etiam in diuinis de essentia & intellectu, vel voluntate concurrentibus ad productionem suppositi. Quære 2. *q. quolib.* & hoc est quod solet dici communiter: *causam scilicet priorem in essentialiter ordinatis priùs causare.* Quod non debet intelligi, nec de prioritate durationis, nec naturæ propriè; sed tantùm perfectionis. Quære 37. *dist. 2.* non ergo alietas est in effectu, nec in passione: sed maioritas perfectionis in actione: licèt non propriè alietas actionis: quæ omnia benè masticabis, quia licèt subtilia, sunt difficilis tamen digestionis, & pluribus cauillationibus subiecta. Videtur enim difficile quòd illa maioritas non habeat verificari, & de effectu, & de passione: sed tu moderabere cuncta.

Quomodo instrumentum determinat actionem?

Quomodo causa prior prius causat?

Causa superior non causat prius natura inferiore.

Vndecima est de identitate producti, non obstante diuersitate agentium, dummodò in agendo inter se sint ordinata; & confirmat præcedentia, & maximè solutionem obiectionis iam pertractatam: vbi plura adducuntur pro & contra. Multùm in his propositionibus & sequentibus recurrendum est ad Proclum, & Dauid Iudæum, & ad suos expositores. Auicenna etiam & alij antiqui quærantur. Calculator quoque, & moderni Nominales examinentur. 11.

Duodecima est de comparatione agentis, & ab eo producti, vel virtualiter in ipso contenti, quo ad perfectionem maiorem & minorem simul, vel seorsum acceptorum; & est pulchra valde: & potest exemplificari comparando Solem ad ranam: vbi Sol & rana dicunt maiorem perfectionem etiam intensiuè, quàm Sol tantùm. Et hoc intellige eo modo, quo ex his duabus perfectionibus potest fieri vna intensa: vel meliùs, comparando Solem ad lumen, seu radium, vel calorem productum à Sole: vbi Sol est causa totalis effectus, licèt fortè respectu ranæ, etiam ita posset poni stante influētia generali Dei: aliter non habetur aliqua causa totalis in vniuerso, quia cum quacunque necesse est vt concurrat prima. Vbi notanter dicit: *Non omne agens, &c.* propter instantiam, quam adducit de Deo, quæ in illis verbis satis soluitur: quia non vniuersaliter loquebatur. Obiicit consequenter, etsi, vt dixi, euacuatur in principio solutionis, vt tamen causam diuersitatis assignaret, meritò obiicit: vbi solutio singularissima est, quam infrà, particula sequenti iterum specificat: *Non inquit, quia Deus, &c.* quia si sic, sequeretur eodem modo de quocumque agente: quia posita causa præcisa in quocumque, ponitur & effectus, vel illatum, vel prædicatum. Sed faciliter diceretur, quòd vis actiua totalis solùm est in Deo, & non alibi. licèt ergo vis actiua absolutè, hoc non arguit; vis tamen talis sic. Quære supra in tract. de primo principio. & 2. *d. 1. q. 1. &* 3. ad hæc. Quære etiam 3. Topicorum. Sed eleganter & expeditè ad hoc, vide intentionem eius *in quodl. quæst. 5. art. 2.* & infrà *ad finem huius*

Duæ causæ subordinatæ dicunt maiorem perfectionem, quàm vnam tantùm.

Deus & causa secunda, an aliquid perfectius causent quàm solus Deus?

huius tractatus, & pondera singula verba literæ hîc.

12. Decimatertia & vltima est de comparatione vnius causæ primæ ad plura causata ordinata, & est specialior præcedentibus, sicut causa agente: sed vnum plerumque ponitur pro alio, vt scis: quam etiam infrà habet, sicut nonnullas alias dictarum. Contra quam primò obiicit, & soluit,& consequenter eam probat. Ponatur quòd in isto instanti producat Deus Solem, & hominem mediante Sole; vel pone exemplum de Intelligentia prima producente secundam: & mouente mediante illa cœlum; vel pone exemplum de productione compositi habentis plures formas; vel de processu medendi per plura media; vel de productione intellectuali, inferendo plures conclusiones ordinatas: & sic de aliis: benè tamen ponderando instantias. Obiicit tripliciter. Primò, ex diuersitate motionis finis vltimi, & intermedij: exemplum in sanatione & huiusmodi: secundùm autem diuersitatem motionis, & finis diuersimodè operatur agens. Secundò arguit ex diuersitate prioritatis causæ ad diuersa causata, de quibus est sermo, quia variatur relatio, cuiusmodi est prioritas ad diuersitatem extremi. Causa enim vt infrà habet, semper prior est causato; ergo varietas prioritatis arguit varietatem causalitatis. Tertiò, arguit ex octaua præcedente, quæ potest poni illa: *Agens illimitatum,&c.* quæ ponitur septima, sed addendo aliam, vt notaui, erit octaua. Posset etiam loco octauæ poni sexta suprà. Aliqua etiam originalia habent septima, sed tenendo quotationé: vt ordinauimus. dic quòd ista octaua, est illa: *Agens illimitatum si diuersas,&c.* quæ benè est ad propositum. Deinde respondet mirabiliter. In aliquibus habetur tantùm, *Respondeo glossa.* in aliquibus additur, *quando producit.* In aliquibus illa verba, præcedunt ly *glossa.* In aliquibus ponitur ly *quando* præcisè, nunc ante, nunc post ly *glossa.*

An variatur causalitas ad primum, & secundum causatum.

13. Breuiter potest esse sensus iste, quòd propositio debet glossari quando producit. & potest addi, supple causatum proximum & remotum, ita scilicet, quòd eadem intentione intendit finem vltimum, & media omnia, & similiter eadem executiua actione causatum proximum, & remotum, licèt fortè non indiuisibili. Vel secundùm aliam literam potest dici sic absolutè, *glossa quando* dimittens in arbitrio lectoris, quasi vellet dicere, quòd non semper est vera propositio: sed aliquando, vtpote quando ad causalitatem proximi, sequitur necessariò potentia remoti. vel si volueris verificare ipsam de contingenter causante, & maximè prima, dic consequenter. Sed quomodocumque dicatur, videtur habere instantias multiplices. Doctor tamé videtur hîc accipere *causatum proximum* pro causa secunda, vt hîc in commento, & infrà habet, ita quòd intendit vltimum principaliter, mediante tamen proximo; vel quòd terminetur actio eius in proximo, & illud producit vltimum: vt Philosophi dicerent de causa prima respectu aliarum. quære Platonem & Auicennam & Auerroëm, vt nosti.

Ad obiectiones autem faciliter respondebis ex dictis. Vel si volueris referre, ly *glossa,&c.* ad obiectiones illas, quod fortè verius est, dic consequenter. Deinde probat conclusionem dupliciter de agente, & applicat eam vltimò ad causas intrinsecas notanter. In secunda probatione ad finem est varietas in originalibus. quædam habent *aliud à conseruari*; quædam *aliud à conseruabili.* quędam addunt *nisi à conseruabili.* & omnia possunt rectè intelligi.

Quod addit vlteriùs de causis intrinsecis, ponderabis valde propter positionem de pluralitate formarum. Quære supra 7. Metaph. & 11. *dist.* 4. & alibi vt scis: materia enim prima concurrentibus omnibus aliis, vsque ad vltimam specificam formam, est potentiale; & vnica potentia absoluta saltem, & eadem causalitate causat suo modo proximum & vltimum compositum: vt ibi potest elici. Similiter de actu dicendum. Sed est ibi difficultas, quis actus debet poni primus, & quæ materia: considera. Videtur enim quòd velit Doctor aliter hîc: quia famosè loquitur, vt patet: ita quòd materia prima tantùm habet causalitatem suam respectu primi compositi, puta concurrente forma corporeitatis: illud verò est potentiale ad sequentem per ordinem. Ita hîc, quòd prima causa tantùm producit proximum, & si est Deus, vel aliud, habens vim conseruatiuam causati, conseruat ipsum tantùm, & illud prosequitur productionem vlteriorem, vbi non alia ponitur causalitas primi: nisi tantùm conseruare secundum, stante sola influentia generali primi: & hoc intendunt probationes in litera. Et instantię habent glossari, quando plura talia essent ab eadem causa prima; quod fortè negaretur hîc, nisi in his quæ non habent talem ordinem; vel quæ non subsunt causalitati inferioris prima. Hic locus valde obscurus est. & hîc ponderari habet alietas opinionū Theologorum & Philosophorum, plura addendo. Ex verbis Doctoris hîc, cùm dicit in commento *hac* 13. &c. habetur quòd illa cótrouersia quotationis conclusionum istarum, quam suprà tetigi, faciliter tollitur. quare tene quotationem vt posuimus.

14. *Materia eodē modo suscipit formam primam, & secundam.*

THEOREMA XVIII.

SCHOLIVM.

Vide de variis finis *acceptionibus, & quomodo est prima causarum, & qualiter causat* 5. *Met. q.* 1. *& locis ibi Schol.* 1. *citatis: per* finem intrà, *intelligit operationem, qua est finis* quo: *& cùm dicit eum eo perfectiorem esse, quo est pauciorum, puto loqui de operationis obiecto: & iuxta hoc operatio immediatè Deum attingens, est perfectissima, quia ipse est maximè vnus.* Forma intrà, *id est, intrinsecè perficiens, eo perfectior, quo pauciorum; qua ratione forma vltima compositi, est perfectior aliis, quia maximè vnius per se: aliæ autem etsi vnum per se constituant, tamen in ordine ad vltimam id faciunt; vnde sunt suorum compositorum, & vltimi compositi.* Forma extrà, *id est, species superior, vel idea, quo plura mensurat, vel repræsentat, eo perfectior est. Quòd forma cœli non tollat omnium formarum priuationem à materia; quódque hæc sit eiusdem rationis cum materia sublunarium, docet benè* 2. *d.* 14. *q.* 1. *vbi etiam habet cœlum non esse absolutè incorruptibile, quia eius materia capax est alterius cuiuscunque formæ, si agens naturale posset eam introducere.*

1 *Finis intrà, & extrà.* 1.

2 *Extrà quantò perfectior, tantò plurium.* 18. princip.

3 *Intra quantò perfectior, tantò pauciorū.*

4 *Forma intrà, & extrà.*

5 *Intrà quantò perfectior, tantò pauciorū.*

6 *Extrà, plurium.*

7 *Hæc duplex, exemplaris, & realis vnitiua.*

8 *Hæc*

Finis,& forma oppoſita comparatio.

8 *Hæc duo concurrunt in Deo: tamen alibi ſeparantur.*

Corollarium. Ars artificiatorum, & albedo colorum, neutra eſt virtus actiua de ſe. vnde Deus tripliciter habet omnia in ſe, effectiuè, vnitiuè, & exemplariter. propter medium eſt, quòd non eſt plus perfectionis in ipſo, & in creatura, quàm in ipſo tantùm.

9 *Materia & efficiens quantò priora, tantò plurium materiatorum, & effectuum.*

10 *Forma & finis extrà. plurium. patet.*

11 *Intra, plurium in eodem ordinatorum ad finem.*

Et informatorum, ſiue perfectorum, non plurium ſuppoſitorum.

Quæ forma facit incorruptibile.

12 *Forma auferens omnem priuationem à materia conſtituit compoſitum incorruptibile.*

2. Verbi gratia de cœlo. Nota ſi materia non eſt nata recipere aliam formam niſi *A*, *A* poteſt tollere omnem priuationem talis materiæ, quia ſuam tollit; & non poteſt ibi eſſe alia, niſi apta eſſet recipere aliam: tunc compoſitum eſt incorruptibile ſic per tranſmutationem materiæ ad aliam formam. Si autem materia ſit apta nata recipere tam *B*, quàm *A*. *A*, quantumcunque ſit perfecta, non poteſt tollere priuationem *B*, niſi quatenus habeat in ſe perfectionem *B*. & hoc non poteſt eſſe ſecundùm actum proprium, *B*, neque perfectiori modo: ſolum enim infinitum in perfectione poteſt habere totam perfectionem alterius in ſe excellentius, quàm alterum habeat in ſe: alioquin entia formaliter differrent per priuationem. Igitur nulla forma cauſata poteſt à materia, apta nata, aliam recipere, omnem priuationem tollere ſimpliciter. igitur nec ſimpliciter auferre corruptibilitatem compoſiti, ex parte mutabilitatis materiæ. Tamen forma aliqua ſecunda poteſt tollere corruptibilitatem talis compoſiti ex parte formæ: quia ſcilicet, non eſt aliud agens quod poſſit ſuper hoc compoſitum vincere, & ita nec ipſum corrumpere. Similiter aliquo modo ex parte ordinis materiæ ad formam; nam materia ad talem formam maximè naturaliter inclinatur, ad alias minùs naturaliter. ita quòd naturalius quieſcit ſub hac, cum priuatione aliarum quæ ſunt minùs malæ; quàm ſub aliis, & ad quas minùs inclinatur, & cum quibus eſt priuatio huiuſmodi, quæ eſt maius malum. Tamen iſtud ſecundum licèt concludat corruptionem compoſiti talis, eſſe corruptionem ſimpliciter, vt dicitur primo de generatione, ſiue triſtem; propter hoc non concludit eam eſſe impoſſibilem: quia tunc nunquam corrumperetur homo in cadauer. Iſta videntur oſtendere quòd materia cœli non eſt nata aliam recipere, ſi cœlum eſt naturaliter incorruptibile ſecundùm 12. præſertim cùm anima intellectiua ſit perfectior forma, quàm forma cœli, & magis habeat in ſe perfectiones aliarum vnitiuè, licèt non effectiuè; & tamen animæ intellectiuæ propter operationes, quarum eſt principium, congruit talis materia quæ ſit nata recipere aliam formam: vnde materia cœli non congrueret eius operationibus.

Nullum finitum continet in ſe perfectionē alterius, perfectius quàm alterum habet eam.

Nulla forma facit abſolutè incorruptibile. 2. d. 3. q. 1.

An materia inclinatur magis ad vnam formam, quàm ad aliam? & an ad formam cœli magis?

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur illa particula: *Finis intra, &c.* in qua proſequitur de cauſa finali principaliter, & aliis intercalariter. Inferius iterum in ſpeciali proſequitur ſeorſum de materia & forma, & ratio ordinis hîc (licèt proceſſus Doctoris voluntarius ſit, ſicut communiter in aliis Auctoribus in materia indifferenti habetur) poteſt aſſignari talis. Nam primò ponit ſpecialia documenta generaliter, tamen de cauſis ſeorſum: deinde de omnibus coniunctim proſequitur in particula ſequente. In ſpeciali verò prius de efficiente, quàm de fine, ſermonem fecit: quia etſi cauſalitas finis ſit prima, quod tamen problema eſt, diminuta tamen eſt reſpectu efficientis; & quo ad *eſſe* poſterior. Ideò nedum in cauſando, ſed in eſſendo & proſequendo Doctor cauſas hîc conſiderat. Collige ergo ſimul eſſe & cauſare, & ſic efficiens primum & finis ſequitur. Nam ipſius cauſalitas eſt mouere metaphoricè efficiens: præſupponitur igitur mobile: & maximè cùm motiuum tale dependet à mobili tali. cauſæ verò extrinſecæ præcedunt intrinſecas, maximè in cauſando: & ſi non ſemper in eſſendo omnes: quare patet ordo. Intrinſecarum verò inter ſe nunc materia prior, nunc forma, ſecundùm diuerſas conſiderationes de eis: & ſecundùm hoc patet proceſſus Doctoris. Quære 2. Phyſ. & 5. Metaph. De ordine cauſarum vide Albertum & alios antiquos. Vide etiam ſupra 5. Metaph. & alibi apud iſtum ad hæc. Iſtæ propoſitiones poſſunt appellari, vel petitiones, vel concluſiones, vel aliter vt placuerit. communiter enim non aſſignantur concluſiones: nec aliquis apponitur numerus ad ipſas. Numerus etiam earum poterit aſſignari, vel maior, vel minor, quàm poſuimus, quia nō refert, dummodò veritas habeatur, paucitas, vel pluralitas numerorum, vel ſectionum: quas etiam faciles ſatis, breuiter pertranſibo. 3.

Ordo cauſarum inter ſe.

Prima eſt de duplici fine: ſed videtur quòd malè dicit aliquem finem eſſe intrà, cùm de ratione finis ſit eſſe extrà. Hîc introducatur multiplex acceptio *finis*. Quære 2. *de Anima text. c.* 37 & 5. *Metaphyſ. text. com.* 5. Vide ſupra 5. Metaph. copioſè in hoc, & in aliis. & 2. *Phyſic.* Vide etiam *in prolo. q.* 1. 3. & 4. & *prima diſt.* 1. *q.* 2. & 48. *diſt.* 4. *q.* 2. & 49. *diſt. eiuſdem. q.* 8. de modis variis capiendi finem. Breuiter, finis extrà poteſt intelligi vel in cauſando, vel in terminando, vel vtroque modo. Finis intrà poteſt appellari operatio, vel forma rei. Vide 2. *Phyſic. text. com.* 12. & *inde, & ſpecialiter. text. com.* 23. Poſſet etiam finis propinquus appellari *intrà* reſpectiuè loquendo. 4.

Finis variè ſumitur.

Deinde comparat hos fines inter se. vbi assignauimus duas propositiones: quæ tamen possent poni partes primæ, vt volueris, quarum prima clara est, discurrendo in vniuerso. Secunda verò, loquendo de forma, patet, quia formæ communiores perficientes, & communitates prædicationis imperfectiores sunt, vt patet de generica, specifica, & numerali: sed accipiendo pro operatione, posset habere instantiam, nisi intelligatur obiectiuè: sed ibi etiam pateretur instantiam in diuinis, & vbique si æquè perfectè. vide 1.*d.*2.*q.*6. ad hæc. & considera pro & contra.

Finis intra quomodo eò perfectior, quo paucior um?

Deinde ponit vniformem distinctionem de forma, & comparat membra eodem modo. vbi vt priùs potest ponderari instantia, quomodo rectè dicitur forma extrà, cùm forma sit causa intrinseca. vbi adde multiplicem acceptionem *formæ* vt nosti. vnde Grammatici ponunt versus quosdam differentiales tales.

Semper inest forma, verbis tamen appropriatur.
Nec non nominibus forma trahit esse figuram.

Forma intra & extra.

Quære supra 7. Metaphys. & 5. eiusdem. & 2. Physicor. & alibi plerumque in antiquis & modernis, & specialiter apud Formalistas. Breuiter, forma intrà est forma perficiens, vel partis; vel fortè quiditatem declarans, seu totius. Forma verò extrà est duplex, vt consequenter dicit. & quinque propositiones, quas ibi distinctas ordinauimus, habent inter se dependentiam, & possunt reduci ad vnam, vel ad duas: vel poni seorsum, vt volueris. Formæ enim extrà possunt dici species superiores, mensurantes inferiores in vniuerso. Vide 8. *Metaphys. text. com.*10. *&* 12. *Metaph. text. com.*52. *& inde.* Ideę rerum etiam possent poni forma extrà, secundùm aliquos: ita quòd finis extrà, & forma extrà, aliquando coincidunt pro substrato, vel materiali saltem; sicut proportionabiliter intrà suo modo: vbi plura addat lector solers.

Quid forma extra?

5. Vide suprà in *tract. de primo principio. &* 2.*dist.*1. *quæst.*1. ad hæc plura. vbi attende consequenter, quòd addit qualiter concurrunt in Deo, illi duo modi accipiendi finem extrà; secus in creaturis. Exemplum de anima vnitiuè continente potentias suas, & de arte, quæ est accidens eius, & forma exemplaris, & sic in aliis ponderabis: sed Doctor exemplificat infrà in litera de arte & colore. De alia parte, qualiter scilicet in Deo concurrunt, clarum est: immò videtur quòd non sunt in Deo aliud, vel quòd forma exemplaris ibi reducitur ad causalitatem effectiuam. Vide 2.*dist.*1. *q.*1. in principio solutionis, optimè ad propositum. Communiter tamen Theologi ponunt in Deo triplicem causalitatem. Vide *in* 2. *in principio. &* 35. *dist.*1. *& alibi sæpè.* Deinde exemplificat in creaturis de forma exemplari & reali vnitiua. Castè tamen declarabis illam continentiam vnitiuam: quia dissimile potiùs. Exempla tamen ponimus: strictè enim loquendo aliud est esse mensuram; aliud continere vnitiuè: extensiuè loquitur.

Vterque modus finis extra conuenit Deo.

Deinde cùm dicit, quòd neutra est virtus actiua; instantia posset esse de arte, quia ponitur pertinere ad idem genus causæ cum artifice. Et similiter posset argui de forma vnitiuè continente plerumque. Sustinebis tamen id quod dicit, quia singularissimum. Licèt enim albedo possit poni actiua, respectu immutationis sensus, vel generationis speciei sensibilis; non tamen respectu nigredinis, & sic de aliis. Similiter de arte dicendum; vbi nota valde id quod dicit ex se, & applica ad artem, & artificiata, & artificem, & sic solue consequenter instantiam suprà. Quod addit postea de modo triplici habendi omnia in Deo, declara vt priùs notaui, moderando, & quære vbi suprà remisi. Cùm vltimò addit *propter medium*, id est, secundùm modum habendi omnia in Deo, scilicet vnitiuè. Declara sicut suprà conclus. 12. in commento notaui, & ibi expressè ponit.

An ars sit actiua?

Deinde comparat materiam & efficiens ad materiata & effecta: vbi assignauimus nonam propositionem, vbi alio modo supputando poteris aliter ponere. Et hoc secundùm prioritatem & posterioritatem, pluralitatem, & paucitatem hinc inde proportionaliter. & de se clara litera, & ad experientiam communis. 6.

Consequenter redit ad formam & finem extrà & intrà, per comparationem ad formata & finita, hincinde proportionabiliter plurificata. Vbi breuiter differentia est, quòd huiusmodi *extra* respiciunt pluralitatem suppositorum, seu naturarum: *intrà* verò pluralitatem partium potentiarum, seu virium eiusdem suppositi. vbi tange instantiam ex commento vltimæ conclusionis, particulæ præcedentis. Vbi aduerte, quòd nunc famosè, nunc propriis fundamentis adhærendo, plerumque in hoc tractatu loquitur.

Vltimò ponit singularem propositionem de forma constituente compositum incorruptibile. & videtur famosa secundùm opinionem communem concedentem materiam esse in cœlo, & cum hoc cœlum esse incorruptibile: vnde exemplificat de cœlo. Declarat consequenter singularissimè quando forma tollit omnem priuationem materiæ, & quando non. Et licèt Ægidius Romanus in tractatu de materia cœli, voluerit quòd forma cœli tollit omnem priuationem materiæ cœli, de mente tamen huius hoc non est verum. Quære *in* 2. *d.*14. *q.*1. cui sententiæ hîc concordat: nisi dicatur, vt Godfred. *Quodl.*5. *q.*2. & Henricus *Quodlib.*4. *q.*16. & Thomas 1. *part. scil. q.*66. dicunt, quòd materia cœli est alterius rationis à materia horum inferiorum, quod *ibidem* impugnat iste. *& in q.*15. *de Anima.* vide eum in Quodlibeto *q.*2. contra Henricum aliqualiter ad propositum.

Forma cœli non tollit ab eius materia priuationem omnis formæ.

Materia cœli eiusdem rationis cum aliis.

Aduerte notanter in litera, quando aliquid potest continere perfectionem alterius in se, & quale sit sic continens, & quomodo corruptibilitas, & incorruptibilitas intelliguntur aduenire alicui ratione materiæ & formæ, & quando non, optimè. Vbi attende in textu cùm dicit, *Tamen forma aliqua secunda potest tollere, &c.* quòd ly *secunda*, non habetur communiter in originalibus: nec est necessarium: potest tamen intelligi per comparationem ad formam primam infinitam. 7.

Materia an naturaliter appetit quasdam formas?

Pondera vlteriùs, quod addit de ordine & inclinatione materiæ ad formam nobiliorem: quod satis ambiguum est, & examinabis diligenter. Quære 1. *&* 2. *Physicor. &* 1. *&* 2. *de Generatione, & primo cœli: & alibi sæpè.* Vbi consequenter attende cùm dicit, *cum priuatione aliarum, quæ sunt minus naturales sibi.* Et vt quædam originalia habent, vel vt habetur in aliis, *quæ sunt minùs mala*, &c. quòd vtraque litera potest stare, si secundùm leges, quæ magis placet, loco *priuatione*, pone *priuationibus*. Deinde limitat vltimò dicta de inclinatione materiæ, & infert inconueniens notabile de corruptione hominis, si dicta essent simpliciter vera, eo quòd anima intellectiua est nobilissima forma, inter omnes perficientes materiam; supposito quòd cœlum non sit animatum: 8.

Materia an maximè inclinatur ad animam rationalem.

animatum: & si esset etiam, nisi poneretur alteritas rationis in intellectiua. Igitur maximè inclinatur materia ad animam intellectiuam: sed nihilominùs corrumpitur homo. Vbi pulchrè nota differentiam inter continentiam animæ intellectiuæ respectu aliarum formarum, & formæ cœli; quia hæc vnitiuè ad bonum intellectum, vt suprà notaui, illa verò effectiuè. Sed posset quis dubitare, quare perfectior forma non est plurium effectiua, vt *quo?* & esset bona difficultas, & argumentum apparens pro anima cœli, vt quidam tenent. Ad quod soluendum, recurrendum est ad influentiam partium, & corporum cœlestium varietatem, & extensiuam potiùs perfectionem, quàm intensiuam. Quære considerationes Philosophorum, & Theologorum, vt scis, vt vbi. Ad motum etiam multi currunt hìc: sed parum valet. Non semper perfectus est plurium productiuum: patet de Angelo & rana. Quære altiùs.

Quare perfectior forma non est plurium effectiua?

9. De causa incorruptibilitatis cœli, vide *primo Cœli text.com.* 101. & sequentibus: sed castè declarabis. Quære 3.*dist.* 2. *q.*7. *&* 22. *dist.*3. & alibi in doctrina huius, ad hæc.

Aduerte etiam cùm dicit in litera, *si cœlum incorruptibile*, quod in aliquibus sequitur in textu *secundùm K.* & communiter, & posset referri ad ea, quæ suprà exposui in illa particula, *In essentialiter ordinatis*, &c. vbi fuit sermo de isto K. vel potest referri ad hanc conclusionem suprà hìc, *Forma auferens, &c.* quæ potest dici K. supponendo quòd essent tantùm decem propositiones in hac particula, quæ notantur per decem primas literas alphabeti. In aliquibus verò ponitur ibi 12. & hoc potest benè stare, referendo ad eandem conclusionem, sustinendo assignationem numeri conclusionum: vt posuimus esse conuenientem. Posset etiam referri illud *K.* ad primum dictum, in hoc commento, de causa incorruptibilitatis ex parte materiæ: sicut vt suprà notaui posuit *K.* ad primam probationem, ibi *&.* & *vel* 2. ad aliam. fortè habuit aliquam phantasiam specialem ad huiusmodi characteres, plusquam ad alios, vt conuenit. Quod vltimò addit de materia hominis & cœli, declara vt nosti. Vide 2.*de Anima*, & alibi sæpè. Quære in dissolutione duarum quæstionum difficilium. 2.*Cœli.text. com.*60.*& inde.*

Ibi etiam tangit quotationem ex Philosopho 1. de generatione. De corruptione simpliciter, quære *text.com.*11. *& sequentibus.* & additur (licèt non communiter) *siue tristem*, & est magis ad propositum, quàm illud de corruptione simpliciter: non tamen habetur primo de Generatione: sed posset elici in 2. de Gen.*text.com.*59. meliùs tamen 3. Ethicorum.*cap.*11. sed ad propositum benè est. 2. Topicorum.*cap.finali.* & 5. Metaph. *text.com.*6. Aliqui verò habent loco *tristem*, *secundùm quid*, quod benè habetur primo de Generatione: sed alia litera magis placet. Ista digressio licèt breuis, est valde fructuosa, & nullibi ita ad vnguem dixit.

Quæ est corruptio tristis?

THEOREMA XIX.

SCHOLIVM I.

Nota ideò causam vt sic, æquiuocam dici, quia finis non est causa realis; reliquis tribus causa est vniuoca. De diuisione causæ in quatuor genera, vide eum de primo princ.cap.1. & 2. & 1. d.3.q.7. num. 3. alia diuisio causæ in modos, clara est. Prima conclusio euidens est, quia nihil realiter dependet à se, vel refertur ad se. Quomodo causa sit prior, & simul cum effectu, vide Doctorem fusè hoc tractantem 5. Metaph.q.2. conclus.7. Benè explicat in commento, quando causa est perfectior causato. iuxta hoc ergo explica quod dixit cap.2. de primo princip. Post conclusionem nonam, nullam causam totalem esse æqualem causato; sed fortè id est de additione ibi posita, vt in Scholio 3. notaui. concl.8. & 9. docet quando causæ sunt, & non sunt sibi inuicem causæ. de quo 2.Physic.text.30. & 5.Met.text.2. Optimè explicat concl.10. quando causæ coincidunt: ex Phil. Quod ait efficientem, & materiam, non coincidere, intellige de materia prima, quia cum secunda coincidit, ex ipso 1. dist.3.q.7.num.29. Vndecimam, scilicet, oppositorum oppositas esse causas, puto locum tantùm habere in forma & efficienti naturali: quia eadem materia, efficiens liberum, & finis, possunt habere oppositos effectus. Conclusione duodecima, quòd causa indeterminata naturalis, debet ab alio determinari, secus de voluntate: hìc nota vbique Doctorem auersari prædeterminationes physicas, vide eum 9.Met.q.12. & vltima, & ibi Scholium vltimum. de quo etiam theoremate sequenti in fine.

1 *Causa est per quam aliud, vt causatum est.* 19. princip. definitio.

Non est definitio, quia æquiuocum est causa: sed notificatio. Nota quòd præpositiones diuersæ appropriatè significant circunstantias diuersarum causarum. *ex*, materiæ. *per*, formæ. *à*, vel *ab*, efficientis. *propter*, vel *pro*, finis.

Quatuor sunt genera causarum, materia, forma, finis, & efficiens.

Prima diuisio, & petitio.

Nota, materia & forma sunt principia intrinseca, & partes causati, & ita nullius simplicis sunt tales causæ. finis & efficiens extrinseca, & sunt cuiuslibet alterius à Deo: quomodo tamen finis sit causa 5. Metaph. quæst. 1.

1. *Materia, & forma intrinseca, finis, & efficiens extrinseca principia.*

* *Causa diuiditur in modos, actu, & potentia: vniuersale & singulare: per se, per accidens: simplex, compositum.*

* 2. diuisio & petitio. EXTRA.

Nota pro solutione quæstionis motæ in commento conclusionis 6 si relatio causæ præcederet causationem, non videretur diuidi per actum, & potentiam. de differentia 5. Metaph. quæstio est.

Nihil est causa suiipsius. Conclus. 1. vniuersalis.

Ex definitione causæ probatur.

2 *Causa naturaliter est prior causato.*

2. *Quomodo causa prior effectu?* EXTRA.

Non intelligitur de relationibus, quæ simul sunt natura: sed de his quæ subsunt.

Contrà: finis posterior. Item, ista relatio prior in quo fundatur? non in relatione causæ. igitur, &c. Nota quòd in productis per motum materia & efficiens tempore præcedunt, forma nunquam, sed simul. finis quandoque simul: quandoque posterior.

Probatur per argumentum diuisiuum. aut sic, aut simul, aut pòst. Secunda duo membra improbantur ex definitione naturaliter dupliciter: sicut natura duplex. vel secundùm materiam, sic imperfectiora priora secundùm naturam, vel secundùm formam, sic perfectiora priora.

Diuisio causati in 4.genera. Corollarium. *Causæ communis causatum commune.*

3 *Causatum diuiditur in quatuor genera; & in modos tot, quot & causa.*

Patet ex definitione causæ: quia correlatiua similiter multiplicantur. ergo causæ communis causatum commune, propriæ proprium,& èconuerso, & sic de aliis differentiis.

4 *Causa non dicitur per se ad effectum.*

Ex definitione, similiter ex tertia conclusione: sed ad causatum. Efficiens verò ad effectum: sicut materia ad materiatum: forma ad formatum: finis ad finitum.

3. *Relatio causati ad singulas causas sui.*

5 *Est alia relatio causati ad quatuor causas.*

Sic de toto & parte, fortè probatur. quia ècontrario cuiuslibet causæ ad ipsum, est alia relatio. patet ex quarta: tamen vna relatio non potest esse sine alia. non enim potest esse materiatum, nisi sit formatum: nec est effectum, nisi sit finitum.

6 *Relationes causæ,& causati sunt transcendentes.*

Probatur: quia non fundantur super rem alicuius generis determinati; ideò non reducuntur ad aliquem modum 5. *Metaph. text. com.* 20. præcedit ne relatio causæ ipsam causationem fundatam super essentiam, quæ causat?

7 *Causa perfectior est causato.*

Falsum est in materia, in aliis verum, vbi causalitatem concomitatur perfectio. & fortè falsum est de forma, quia pars: & fine intrinseco, quia accidens; & efficiente vniuoco: igitur falsum simpliciter: sed accidentaliter verum in efficiente æquiuoco, & fine extrinseco.

Causæ sibi inuicem causæ.

8 *Nihil est causa & causatum respectu eiusdem, in eodem genere causæ.*

Probatur ex petitione prima.

9 *Causæ possunt sibi esse inuicem causæ, in diuerso genere causalitatis, non in eodem.*

Prima pars probatur ex definitione: quia per efficiens est finis, & èconuerso: per materiam est forma. & ècontrario. hoc dubium, per finem est quælibet aliarum. De hoc pòst. secunda pars probatur ex octaua.

Causæ coincidunt.

10 *Causæ non coincidunt necessariò, possunt tamen coincidere aliquæ aliquando.*

Prima pars probatur inductiuè. Secunda pars exponitur 2. *Physic. text. com.* 70. *& circiter.* nunquam materia inquantum materia coincidit cum aliis: nec aliæ inquãtum aliæ: sed aliæ tres possunt, forma & finis in idem numero, finis inquam motus, non finis formati Vnde non eiusdem est forma & finis; nec intrinsecus, nec extrinsecus efficiens tamen eisdem in idẽ specie.

11 *Oppositorũ opposita sunt causæ; alterius, altera causa; perfectioris, perfectior causa.*

An eadem causa sit oppositum.

Intellige in causis præcisis. nunquam verum est in materia; nisi fortè de proxima, in qua est dispositio, quæ est necessitans ad formam talem & sic necessitans, vt sit ipsa causa materialis, talis compositi constituendi, per talem formam.

12 *Causa indeterminata ex se, nunquam est causa alicuius determinati, nisi aliud sibi addatur.*

Non per extrinseca; quia determinatio causati est per determinationem in causa; sicut causatum per causam. Ratio intelligitur de indeterminata contingentia nata. oritur 35. sub. sed contingentia infinita. contrà voluntas.

SCHOLIVM I.

Decimatertia conclusione patenter ostendit, nullam causam simpliciter necessariò causare, de quo agit 1. dist. 8. q. 5. In commento decimaquarta fatetur non demonstrari statum in causis, vel saltem hoc dubium esse, de quo Theor. 16. concl. 1. 2. 3. ex quo collige, quod asseruit Theor. 14. & 16. hoc, & similia non demonstrari; non resolutè, sed dubitatiuè dixisse. In decima quinta, nota effectum posse esse coæuum causæ, de quo Doctor 2. dist. 2. q. 2. & 3. nec hoc obstat libertati effectus, vt ibi conuincit, & d. 5. q. 2. probans Angelum potuisse primo instanti sui esse, *peccare. Quod ait in decima nona puto intelligendum, quando causa secunda eleuatur ad eliciendos actus supernaturales; vel quando dantur ei concursus speciales, etiam intra ordinem naturalium: ad illos autem effectus, quibus est omnino disproportionata, non plus potest virtute causæ primæ, quàm propria: vnde aqua non potest eleuari (idem de aliis Sacramentorum materiis) ad causandum Physicè gratiam de quo Doct. 4. dist. 1. quæst. 45. In vigesima secunda benè explicat illud,* causa causæ est causa causati, *& causatum causati est causatum causæ; ita quòd causatum in quolibet genere causæ, est à causa prima illius generis: sed hoc locum habet tantùm in efficiente, & fine, non verò in materia, vel forma prima. Per hanc intelligit vltimam compositi, quæ non est causa priorum formarum; nec materia prima, id est, omnino nuda, causa materiæ secundæ, id est, formatæ forma incompleta. Vide Mauritium. In vigesimaquarta, nota, quod ait causam primam plus causare quàm posteriorem, intelligi debere, quòd perfectiùs & independentiùs: quia tota entitas effectus, est ab vtraque causa: ita Doctor 2. d. 37. q. 2.* §. Ad solutionem *n. 15. Neque putãdum est, quòd prima causa aliquid ponit in causa inferiore, quo determinetur, vel applicetur ad effectum, vnde eius motio non recipitur in ea. ita Doct. 4. d. 13. q. 1. n. 37. & d. 43. n. 11. de obiectione Doctoris ibi, vide Maurit. Theor. 16. concl. 9.*

13 *Causa non simpliciter necessaria, quocumque amoto extrinseco, non fit necessaria.*

Igitur nulla causa impedibilis, necessariò causat, amoto impedimento. Probatur propositio, quia nihil est necessariò causa, nisi propter perfectionem intrinsecam sibi. Similiter aliter. nulla esset causa, vt in pluribus. nam *A*, causa impedibilis non causat nisi quando non est impedita. & tunc necessariò: igitur similiter amotio impedimenti, si est *B*. per naturale agens 5.

agens est per ipsum non impeditum, & ita tunc necessariò. Similiter si *B* non est impeditum, necessariò agit, & sic vsque ad

Corollarium. primum omnia necessaria. Nulla demonstratio naturalis effectus est ex necessariis, de hoc oritur 35. sub.

14. *In omni genere causa est status. & inde.*

T. c. 5. & inde. Theor. 16. Aliquod primum 2. Metaph. Nota, hoc ibi non demonstratur fortè: vt habetur hîc ante 1. 2. 3. tamen probabiliter ostenditur, & satis rationabiliter, non proteruo. Hoc intelligatur sic, primum efficiens non proximum: vltimus finis, non proximus: prima materia non proxima, sunt ad quæ est status, in istis tribus generibus causæ, quæ tamen 9. Metaph. c. 6. ponitur pro-

T. c. 12. & inde. priè materia, & simpliciter in potentia ad formam intelligitur de potentia propinqua. De forma est dubium, vtrùm stetur ad vltimam in resoluendo, quæ scilicet est proxima materiæ; vel ad vltimam in componendo, quæ est remotior à materia: sed cùm causalitas formæ sit actuare & perficere: vltima autem magis actuat secundo modo; primo modo minimè statur ad vltimam, sed secundo modo.

15. *In simul existentibus tempore non potest probari, alterum esse causam alterius.*

6. EXTRA. *Quod est: quia non potest probari per quod illorum, aliud est, vnde non valet: illud quo posito, ponitur aliud, quo amoto, amouetur aliud, est causa illius: potest enim poni. Vel èconuerso, quòd illud per hoc, vel quòd ambo sunt per tertium, quod est necessaria causa amborum: ergo nullus sciens, scit, se scire, similiter nec de non simul existentibus: quia alterum prius tempore respectu posterioris, potest esse tantùm sine quo non.*

16. *In omni genere causa est aliquid non causatum in illo genere.*

Ex decima quarta cum prima.

17. *Causa quantò prior, tantò pauciora præsupponit, in illo genere causa: in alio genere hoc accidit.*

Quando causa prior, pauciora supponit Prima pars probatur: quia non præsupponit nisi priora; pars secunda fortè vera est, in fine, & efficiente, quòd priora secundùm vltimum sui, non oportet tot in aliis causis præsupponere, quot oportet posteriora, & hoc loquendo de priori, & posteriori, de natura & arte. In materia non tenet. In forma falsum est. Breuiter non videtur probari alicui per se, ex ratione prioritatis.

18. *Causa quantò prior, tantò perfectior.*

Quando quo prior eo perfectior est causa? Hæc dependet ex septima aliquo modo: vbi enim causalitatem concomitatur perfectio, ibi in ordine causalitatis concomitatur ordo perfectionis: hoc non est in materia, nisi sit perfectius in potentia, non propinqua: sed remota, & hoc est simpliciter imperfectius.

19. *Causa secunda aliquid potest in virtute causæ primæ, quod non potest in virtute propria.*

20. *Nihil potest in se habere causalitatem alterius, nisi in se habeat perfectionem secundùm quam causat in tali genere.*

Hoc ideò additur: aliter homo posset esse materia, vel forma corporis simplicis. 7.

21. *Omnis causa pro tanto tollit priuationes aliarum in illo genere, pro quanto habet in se causalitatem illarum.*

Hæc propositio dupliciter potest intelligi: vel quòd prior causa tantum facit sine secundis quantum cum illis; iste intellectus est dubius; nisi fortè de secundo efficiente in illo genere. Vel quod nobiliori modo causat quàm illæ: quia sic causalitatẽ aliarum habet in se, *Iste intellectus, &c.* nihil tollit propriè priuationem, nisi forma causæ extrinsecæ, non ideò primum efficiens, & primus finis, non prohibent idem esse ad alium finem, & ab alio agente. Prima etiam materia non prohibet compositum fieri ex alia materia propinqua. Vltima forma non prohibet formas priores informare: sed non est idem compositum ex materia prima, & proxima, vt ex materia: nec ex forma vltima & priori, vt ex forma, vnde illud videtur Sophisticum. *Forma causa extrinseca tollit priuationem.*

22. *Quicquid est causa causæ, est causa causati.*

Intellige causam mediam in eodem genere, causam causati, & causatum primæ causæ, & conuertitur, quicquid est causatum causati, est causatum causæ. Et ita quodlibet causatum in aliquo genere, est causatum à causa prima illius generis, & non conuertitur: quia non quicquid est causa causati, est causa causæ. Probatur ex prima conclusione. Hoc verum est de efficiente, & fine; de materia & forma, falsum: de primo, simpliciter; sed verum de primo in hoc: non enim in quolibet composito ex materia & forma, est prima forma simpliciter ex conclusione decima quarta: igitur nec prima materia simpliciter: cùm magis dependeat materia à forma quàm èconuerso. Similiter quare non posset resolutio eundo versùs potentiam stare ad aliquem actum: qui tamen est prior respectu alterius actus, cùm ille sit perfectior materia prima? Similiter potentia ad accidens est posterior potentia ad substantiam; & tamen illa est sine hac, in Angelis. 8. *Causa causæ, & causati: causatũ causati, & causæ.*

23. *Causa prior & posterior eiusdem totius causati sunt causæ.*

Causa prior & posterior sunt respectu eiusdē. Si alia causalitate, dicet vigesima quarta, quia si secunda nullius totius est causa, nullius est causa: si prior non eiusdem, in hoc non est causa prior: quia immediatè illud producit, nec respectu illius habet secundum: igitur respectu illius non est causa prior.

24 *In omni genere causæ primum plus causat quolibet posteriore.*

Prima de causis. Contrà igitur per
9. causam remotam magis cognoscitur res, quàm per propinquam contra Aristotelem 1. Posteriorum.

Text.c.30. & circiter. 25 *Non est alia causalitas causæ prioris, respectu causæ secundæ, & respectu causati vltimi.*

26 *Causa prior est causa plurium causatorum.*

Accidit quantum ad plura supposita, sicut exponitur ante de materia & forma: sed verum est quantum ad plura causata; vt probatum est ex secunda par 21. ex negatiua. scilicet *non conuertitur,&c.* cum prima parte scilicet affirmatiua eiusdem 21.

EXTRA. *De ordine conclusionum & theor.* *Nota pro ordine ab illo loco*, causa est per quam aliud vt causatum est. *est talis processus, primo, & in primo articulo siue §. ponitur definitio cum duabus petitionibus, quæ sunt cum duplici causæ diuisione. In 2. §. ponuntur vndecim conclusiones pertinentes ad causam absolutè in communi consideratam, prout extenditur ad omne genus. In 3. ponuntur tres conclusiones comparando causam ad necessitatem In 4. septem de causis ordinatis inter se. In 5. quinque de ordinatis comparatis ad effectum.*

ANNOTAT. MAVRITII.

10. SEquitur illa particula: *Causa est per quam, &c.* In qua coniunctim de causis sermonem facit, notabilem valde, & multùm correspondet dictis auctoris de Causis,& Procli & Auicennæ & Aristotelis, & aliorum antiquorum. Vbi præmittit primò definitionem, seu notificationem generalem causæ, & duas consequenter diuisiones, seu petitiones: & deinde addit conclusiones, quas vniuersales appellat: quia de causa communiter sumpta plerumque verificantur. Et licèt plures particulæ possent assignari in hac digressione, omnia tamen sub vna posuimus. Vbi aduerte quòd litera vsque ibi: *Materia est ex qua. &c.* variè habetur in originalibus secundùm ordinem & præposteritatem conclusionum: ordinauimus tamen eam, melius quo videbatur, si alius ordo placuerit sagaci lectori, prosequatur suo modo, quia nil aliud quàm rei perfectioné desideramus.

Æquiuoci non est definitio. Primò ergo notificat causam, & est antiqua notificatio. Quære Plinium, & Auicennam, & Tullium & Grammaticos. Et addit excludendo cauillationem, quòd ista non est definitio: quia æquiuoci non est definitio 6. *Topicor. c.* 2. sed quædam notificatio. Colligitur ergo hinc quàm æquiuoci potest esse notificatio, vnde Philosophus 5. *Metaph.* notificat multa nomina multiplicia, & alibi sæpè. Aduerte etiam quòd ly, *per*, non accipitur ibi appropriatè, sed communiter, vel propriè: vt patet ex sequentibus.De pluribus interpretationibus vocabuli, quære in auctoritatibus suprà notatis. hîc contenti sumus Aristotelis determinatione, & Scoti.

Deinde ponit quoddam notabile de præpositionibus diuersis, circunstantias diuersarum causarum importantibus. Vbi notanter dicit *appropriatè*, quia aliquando vna pro alia ponitur, & fortè propriè. Quære 5. *Metaph. text. com.* 29.de multiplici acceptione huius præpositionis *ex*, & ita posset in aliis inueniri: hîc autem, vt rectè loquitur, appropriatè capiuntur. *Præpositiones significantes diuersas causas.*

Consequenter addit primam diuisionem, vel petitionem, de numero causarum, quæ patet 2. *Physicor.text.com.*28. & 5. *Metaph. text. com.* 2. & addit notabile de causis intrinsecis, & extrinsecis: vbi tange quæst. contra illud quod dicit, quòd causæ extrinsecæ sunt cuiuslibet alterius à Deo ex 3.*Metaph.text.com.*3.& alibi sæpè ex considerationibus Philosophorum saltem, & maximè Auerroïs, sed ad hoc patet ibi in quodam dubio literali; & suprà sæpè vt nosti. Quod vltra tangit de causa finali posset poni *extrà*, propter allegationem quæst. nisi alium allegat, tenendo quòd suprà probabiliter dixi, de ordine huius tractatus ad Metaphysicam, aliqua autem originalia ibi habent *cap.*2.conclus.1. sed si ponatur quæst.posset exponi, vt alibi allegat, vel remittit ad nondum scripta, considera. 11. *An Theoremata ante metaphysicā scripsit.*

Deinde ponit secundam diuisionem, seu petitionem, de modis causarum: quos octo ponit. Quære copiosè 2 *Physicor.text.com.* 31. & *inde*, & 5. *Metaph.text.com.* 3. vbi omnia q ærantur. Ibi additur quædam litera,quam *extra* assignauimus; satis tamen bona, quæ probat etiam ordinem, quem assignaui esse,conuenientem. Nam secundùm alium ordinem illa conclusio sexta, quam allegat, est decimaquinta in ordine. Quod addit ibi de differentia causæ in actu, & potentia, & allegat 5. Metaph. quæst dic vt prius, videtur enim toties in hoc tractatu remittere ad Metaphysicam, vnde dubium est, quod priùs edidit, sed dic consequenter.

Prima conclusio est manifestissima apud Philosophos, & Theologos. Quære 2. de *Anima, text.com.* 47. & primo de Trinit.*cap.* 1. & probat eam ex definitione causæ, cùm dicitur ibi, *per quam aliud, &c.* 12.

Secunda est de proprietate causæ respectu causati, quæ debet intelligi saltem naturâ: & exponit de se causis pro substrato, & non formali, debere intelligere. Quære 5. *Metaph. quæst.* 2. & *in* 2.*dist.*1.*quæst.*2.& 3.& *in quodlibeto,quæst.*4.& *dist.* 26.*primi*, & alibi sæpè. Adduntur ibi quædam obiectiones, quas *extrà* assignauimus, & totum sequens, vsque ad probationem conclusionis.ibi: *probatur per argumentum diuisiuum, &c.* In aliquibus tamen originalibus illa probatio præcedit obiectionem, & satis benè. Prima obiectio clara est: sed faciliter soluitur de distinguendo de fine in re, vel in intentione. Quære vbi suprà in 5. Alia obiectio videtur facere pro conclusione: & sic poneretur vna eius probatio; vel si volueris applicare eam contra conclusionem, infert sic; si tantùm substratum est prius, ergo causa vt causa non est prior: vel si sic, videtur quòd fundatur illa relatio prioritatis in relatione causæ, contra *Finis in intētione prior, in executione posterior effectu.*

expofi

expositionem tuam. Potest concedi quòd relatio causalitatis non est ratio prioritatis naturæ: licèt fortè benè originis, & tunc cùm infertur: *ergo causa, vt causa, &c.* concedo si tenetur ly *vt*, propriè reductiuè, nisi reduplicetur fundamentum relationis. Vide notanter 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. *&* 35. *dist. primi, &* 43. *dist. eiusdem,* & alibi sæpè.

13. *Prioritas durationis accidit causæ.* Quod additur in notabili de productis per motum, nota singularissimè. Vide 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. *&* 43. *dist.* 4 *quæst.* 5. & alibi sæpè rationem huius. Adde tamen quòd prioritas durationis accidit causæ, vt causa. Et quod additur de fine, habet intelligi de fine *intrà*, vel *quo*, vt videtur, & in *esse* reali. Argumentum diuisiuum pro conclusione est satis clarum: prius enim non est per suum posterius: nec per illud quod est simul naturâ: licèt aliquando sine illo non possit esse, vt patet in relatiuis, & sic ex definitione causæ duo membra vltima excluduntur, primum ergo dabitur. Nota signanter ibidem illam distinctionem, *naturalitatis*, siue huiusmodi aduerbij *naturaliter*, quæ in aliquibus originalibus alibi locatur, ibi tamen satis benè currit, & examinabis ex 9. Metaph. & alibi, vt nosti. Dubium tamen est ex parte formarum inter se comparatarum, in eodem composito: nam tunc forma imperfectior videtur prior perfectiore, vt patet ex definitione prioris. Talis 5. *Metaph. text. com.* 16. potest dici, quod vt est prior, habet se in ratione potentialis respectu posterioris, & non in ratione formæ. Considera tamen, benè ponderando. *Forma prior an potentia respectu posterioris?*

Tertia est de plurificatione causati in genera & modos proportionaliter causæ, quam probat clarè, & videtur inferre corollarium ibi: *Ergo causa communis, &c.* Hæc tamen conclusio habet ponderari diuersimodè secundùm varietatem opinionum de tertia entitate; quod considerabis diligenter.

14. Quarta est de referibilitate causæ, non ad effectum; sed ad causatum. Vbi aduerte, quòd melior continuatio literæ esset ponere illam particulam: *sed ad causatum*, quæ est pars conclusionis, immediatè post ly *ad effectum*, & addere: *Efficiens verò, &c.* & in fine subiungere, *Ex definitione, &c.* satis tamen currit litera, vt habes. Et ibi pondera ly, *per se dicitur.* Vbi fortè benè intelligeretur, *per se primò.* Si tamen accipitur *causa* pro vna significatarum tantùm, 1. pro efficiente, videtur dubium: quare sicut efficiens refertur ad effectum, non sic causa. Similiter si accipiatur *causa* in communi pro æquiuoco, dubium est quomodo possit referri, cùm sic non habeat conceptum vnum, vt patet. Responsionem quære.

Quinta est de alietate relationum causati ad diuersas causas, quæ patet ex præcedente, & ex natura correlatiuorum mutuorum, quæ est commultiplicari. Pondera similitudinem de toto & partibus, & quare dicit *fortè*. Declara etiam castè illam inseparabilitatem talium relationum: vt cautè loquitur Doctor. aliud est enim comparare intrinsecas inter se, & extrinsecas: similiter aliud has ad illas, & econtrà.

Sexta est de illimitatione relationum causæ & causati. Quære supra 5. Metaphys. copiosè, & alibi pluries: sed quod addit ibi: quòd scilicet *non reducuntur ad aliquem modum, &c.* videtur dubium, immò non videtur sequi, maximè ex fundamentis huius: quia relationes diuinæ sunt trãscendentes secundùm eum, cùm omne prædicatum formaliter dictum de Deo sit transcendens, & tamen non negat eas reduci ad aliquem modum. Vide 4. *quæst. quodlib. &* 27. *&* 28. *dist.* 1. & alibi sæpè, similiter *dist.* 30. *pri.* & alibi, multoties habet, quòd relationes Dei ad creaturam pertinent ad tertium modum, quæ tamen sunt transcendentes, vt videtur, & maximè creaturæ ad Deum: quia in re cuiuslibet generis fundantur, vt hîc arguit. Ad hæc posset dici vno modo, quòd loquitur Doctor hîc famosè. Vel aliter, quòd modi relatiuorum, & relationes eorum possunt accipi dupliciter; propriè videlicet, & extensiuè. Primo modo loquitur Doctor hîc. Secundo modo alibi. Vide 5. *Metaph. &* 19. *dist.* 1. *quæst.* 1. *& in* 4. *dist.* 6. *art. finali quæst.* 2. *in simili.* Mouet consequenter quæstionem, quam non soluit: sed suprà, post secundam petitionem habetur sub *Extra.* Vbi adde plura de gradibus, & ordine causandi. Vide 1. *dist.* 2. *quæst.* 4. *&* 9. *Metaph. &* 13. *quæst. Quodlib.* 5. etiam Metaph. & 2. Physs. quære plura. *Omne dictũ de Deo est transcendẽs.* *Relationes Dei ad creaturam, transcendentes.*

Septima est de perfectione causæ respectu causati: quam limitat egregiè, vbi notanter dicit, *vbi causalitatem concomitatur perfectio, &c.* quia tantùm causis extrinsecis conuenit sic causare, maximè sine imperfectione annexa. Quod addit de forma cum *forsan*, est pulchrum problema. Vide 7. *Metaph. quæst.* 6. & alibi sæpè in doctrina huius, & instantias hincinde. Quære 8. *dist.* 1. *&* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. de causalitate materiæ, & formæ ad hoc. Aduerte etiam, quòd ibi declarat se de fine *intrà*, de quo suprà sæpè: videtur enim appellare ipsam operationem, vel actum secundum. Vide 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *&* 49. *dist.* 4. & alibi pluries. Concludit ergo conclusionem esse veram accidentaliter, & falsam simpliciter. 15. *Causa extrinseca sine imperfectione causant.*

Octaua est de incompossibilitate causæ & causati: quam probat ex petitione prima: quia tunc materiæ esset materia ipsa causa, & efficientis efficiens &c. Sed benè posset probari ex conclusione prima, vt patet: videtur enim vera immediatè, per se, & directè loquendo, secus opposito modo: verbi gratia, forma dat *esse* composito, & *esse* compositi est *esse* formæ participatiuè; ergo forma causat *esse* sui, & sic de aliis. Considera tamen cuncta castè, vide 9. *quæst. quodlib. & alibi.* *Nihil est causa & causatum secundùm idem.*

16. Nona est de compossibilitate earum, & habet duas partes. Secunda ibi: *non in eodem.* quæ patet ex præcedente, & est Philosophi 2. *Physicor. text. com.* 30. *&* 5. *Metaph. text. com.* 2. quam probat ex definitione causæ inducendo. Et notanter dicit *hoc dubium*, vbi loquitur de causalitate materiæ & formæ mutua: quia non de *esse* primario est verum, sed secundario, & quodammodò originatiuo, per accidens tamen: forma enim dat actum formalem materiæ, non entitatiuum: & materia dat *esse* subsistentiæ formæ, non entitatiuum, nec formale, vel formalitate: compositum dat vtrique *esse* completè & vltimatè: licèt originatiuè sit ab ipsis, vt dictum est. Pondera etiam quomodo per finem sunt aliæ, de quo fine loquitur, & in quo *esse* consideratur, & quod *esse* dat. Remittit se ad dicenda infrà in sequentibus, & alibi. *Causæ sibi inuicem causa.*

Decima est de coincidentia causarum omniũ, vel aliquarum de *necessario*, vel de *possibili*; quæ habet duas partes. Secunda ibi; *Possunt tamen, &c.* vbi pertractat verba Arist. 2. *Physicor. text. com.* 70. vbi tamen non expressè loquitur de materia, sed omittit eam tacitè: vel textus deficit communiter. Vbi pondera cùm dicit: *materia inquantum* *Causæ an coincidunt.*

tum

tum materia: quia fortè materia vnius posset esse forma, vel efficiens, seu finis alterius, loquendo de materia secunda. Materia etiam prima est terminus creationis, vt patet per Augustinum 12. Confessionum. Posset hîc obiici ex illo *Extrà* suprà notato: *Materia est finis, &c.* sed dic consequenter, vt patet ibi. Similiter etiam nota cùm dicit: *nec alia inquantum alia*: eo quòd forma vnius potest esse materiale alterius: non tamen inquantum forma. Videtur etiam quòd eodem modo posset dici de aliis tribus inter se comparatis. Aduerte etiam ibi de duplici fine, scilicet generationis, & geniti: vel motus extensiuè, vel extrinsecè, & formati, & applica plerumque. Cætera, quæ sequuntur, satis patent.

17. Vndecima, vt assignauimus, est de proportione causarum, & causatorum in oppositione, alietate, & perfectione. In aliis originalibus est alia continuatio conclusionum hîc. Similiter tantùm ponitur communiter in hac conclusione illa prima pars, scilicet *oppositorum opposita sunt causæ*: reliquum in aliquibus non habetur. In aliis verò ponitur conclusio seorsum, sed satis benè sic currit, vt ordinaui: & additur ad finem conclusionis: *Communis communis, proprij propria.* In aliquibus limitat conclusionem de causa materiali, quæ est vnica omnium *primo de Generatione, & alibi sæpe.* Vbi notanter tangit de materia proxima, & eius dispositione necessitante: vbi plura adde Physicæ & Theologicæ considerationis.

Duodecima est de reductione causæ indeterminatæ ad determinatam, quæ est satis singularis; quam probat breuibus, & obscurè. Vbi tangit determinationem per extrinseca, & per intrinseca possibilem fieri; & remouet à proposito primam. Vbi etiam addit quo ad intellectum conclusionis, de qua indeterminatione loquitur: & duplicem modum continentiæ adducit. Vbi aliqua originalia habent *in fieri*, alia *infinita*, & inseritur communiter quædam quotatio, vbi videtur remittere se ad dicta infrà: ideò dicit *sub*, vt communiter habetur, licèt alij *G. B.* literas habent: posset tamen omitti vt in pluribus originalibus omittitur. Quære in particula sequente de agente ad hoc. Fortè etiam particulas principales multiplicauit plusquam ordinaui. Breuiter particulam, seu principalem conclusionem cum sequentibus partialibus ibi quotat: quod dispone vt volueris. Vel ibi remitit se ad ea, quæ habet infrà sub illa additione quam notaui post propositiones de materia, ibi: *Nota, conclusio generalis 12. probatur, &c.* vbi quinque probationes huius propositionis ponit, & ostendit quòd non procedunt de voluntate.

18. Attende quòd *contingens natum*, appellatur ad quod est maior inclinatio, quàm ad oppositum: & nisi impediatur communiter euenit, vt canescere in senectute. *Contingens infinitum*, ad quod non est maior inclinatio, seu determinatio, quàm ad oppositum: vt loqui, vel non loqui, & huiusmodi: quod vocatur *ad vtrumlibet* communiter. Dicit ergo Doctor quòd conclusio intelligi debet de contingentia secundo modo. Et in fine additur obiectio breuis: *contrà, voluntas*, quasi vellet dicere, quòd voluntas sic indeterminata, se & alia sibi subiecta determinat, vt patet 9. *Metaph. text. comm.* 10. De hoc tamen infrà erit specialis sermo, & conclusio notabilis ibi: *nullum agens se applicat, &c.* vel ibi infrà sub additione. *Nota, conclusio est falsa de voluntate, &c.* ad quæ loca remittit se hîc in illa quotatione dicta. Et potest dici, quòd illa instantia non est contra conclusionem, quia tunc additur aliquid voluntati. Quære ad hæc 2. *Physicor. & 5. Metaph. & suprà de primo princip. & 39. dist. primi, & in 2. in materia de lib. arbitrio, & in quodlib. quæst. 16. & inde, & 9. Metaph.* ex intentione copiosè.

Voluntas sine vllo superaddito, se determinat.

Decima tertia est de causa necessaria: vbi tangit notanter necessitatem simpliciter: & infert corollarium, licèt non communiter ponatur, vt corollarium, videlicet, de causa impedibili. Vide 8. *dist. primi, quæst. fin.* ad hæc. & alibi sæpe in doctrina huius, vt pote *in 2. dist. 1. quæst. 2. & 7. quæst. Quodlib.* Probat conclusionem consequenter dupliciter, & in secunda probatione aliqua originalia habent, *nulla esset causa impedibilis*, sed vt plurimùm ponitur loco *impedibilis, vt in pluribus*, & vtraque litera currit. Infert in fine corollarium de demonstratione naturalis effectus, & est valde notabile. Vide *super 1. Physicor. & primo de Generatione, & 1. de Anima*, & alibi sæpè, & maximè acutos Parisienses, & Oxonienses. Vide hunc *in prolog. quæst. de praxi ad fin. & 3. dist. primi, quæst. 4. & 1. Metaph.* Addit vltimò eandem quotationem, vt suprà. Quære, ibi notaui. In aliquibus libris habetur *sub*, in aliis, loco *sub*, ponuntur *G, B*, vt priùs dixi: sed prima litera melior. Secundùm quòd particulas diuidis principales, seu Theoremata, sicut à principio notaui, ita hîc dispone numerum, & principalis, & sequentium hîc ad propositum ad libitum. Quia tamen communiter habetur litera sic, vt iacet, ideò eam non mutauimus, fortè etiam per literas, & fortè per numeros huiusmodi, particulas signabat, quare attendat curiosè in similibus vbique lector.

Nulla est demonstratio naturalis effectus ex necessariis.

Decimaquarta est de statu in causis; vbi notantanter addit, quòd Philosophus hoc non demonstrauit, & remittit se ad propositiones creditas, suprà: vbi assignaui 16. principalem. Vnde sequitur, quòd illas creditas in his Theorematibus ordinauit, & communiter quotatio est intricata: vt tamen variè ordinabis, ita pone numerum. Conclusiones 1. 2. & 3. ibi, sunt hîc ad propositum, vt patet. Consequenter exponit conclusionem, ad quos videlicet terminos intelligit hunc statum, & maximè in extrinsecis, & materia. Et excludit tacitam obiectionem ex 9. Metaph. Deinde de forma dubium proponit: vbi distinguit de forma vltima: aut scilicet via compositionis, vbi plures concurrunt; aut via resolutionis. Et concludit valde notanter, conformiter dictis suprà in commento secundæ conclusionis, quòd vltima, ad quam est status in causa formali, est vltima in componendo; vt in homine, intellectiua. De hoc tamen quære *supra 2. Metaph. quæst. 4.* & alibi sæpè, quære 11. *dist. 4. & 7. & 8. Metaph.* 19.

Resolutio fit ad formam vltimam in componendo.

Decima quinta est de simul duratione existentibus, super qua posui *Extra*, quia rarò habetur hîc, & propter numerum harum conclusionum, variè assignatum, vt patet infrà. Posset conuenienter poni suprà, inter creditas. Est tamen notabilis valde, & multùm in doctrina huius currit. Nam famosa sententia Thomæ & aliorum communiter loquentium, est, quòd est prior natura & duratione causato. Vnde dicunt, quòd omne coæuum causato, est à causa illius causati: & non ab ipso effectiuè: quod tamen iste impugnat plerumque. Vide *in 2. dist. 1. quæst. 2. & 3. & 5. dist. eiusdem.* 20.

Effectus potest esse coæuus causæ.

eiusdem. quæst. 2. Quæ tamen pertinet ad materiam 4.*dist.* habet expressè ad hoc. *&* 3.*dist.eiusdem*, *&* 12. *dist.*4. *& alibi sæpè:* Licèt igitur illud verum sit, dicit Doctor quòd non potest probari. Quod intellige vt suprà de creditis exposui. Efficaciùs tamen potest probari quàm oppositum. Et declarat optimè in commento, quare & quomodo non potest probari illa propositio. Vide 3. *dist.* 1. *quæst.* 4. *& super* 4. *Metaph.* ad hæc. Vbi aduerte quòd illa litera: *Ergo nullus sciens, &c.* videtur esse instantia contra dicta. Quod sic deducitur: Qui scit se scire, scit conclusionem scitam sequi ex præmissis, vel ex principiis demonstrationis tanquam ex causis. 1. Poster. sed præmissæ, vel principia sunt simul tempore cum conclusione, maximè quantùm ad materialia, seu significata ex parte rei, & simul tempore etiam possunt sciri. 1. Poster. Nunc verò, per te, non potest probari, sic simul esse causam alterius; quod autem non potest probari, non potest sciri, ergo,&c. Hæc deductio videtur esse ad propositum. Qui vellet aliter imaginari ibi, quòd intendit videlicet inferre quòd non simul tempore posset quis scire, & scire se scire: quia ille actus reflexus causaretur ab ipsa scientia, quæ in casu est simul tempore, quod non potest probari per te. Primus intellectus satis placet: sed ad vtrumque posset responderi, sustinendo veritatem conclusionis,& probationis eius. *suprà* 1. *Metaph.& 3. dist.primi, vbi sup. &* 1. *&* 2. *Posterior.* Instantia tamen videtur pulchra, & ideò fortè conclusio famosa, vt sæpè priùs notaui. Posset enim dici, quòd notitia, quâ scio me scire, est experimentalis, & fortè intuitiua, & non ratiocinatiua. Si volueris illud consequens ponere *Extra*, poteris rationabiliter: vel esse corollarium conclusionis, vel aliter exponere, considera. Et vltimò fortiùs dicit, quòd non potest probari, *in non simul duratione existentibus, &c.* & est secunda pars conclusionis.

Scientia qua scio me scire, est experimentalis.

21. Decimasexta est de incausalitate primi,in omni genere: quæ clara est ex dictis, vt patet. An autem possit probari euidenter, vide suprà propositiones creditas.

Materia quo prior non eo pauciora supponit.

Decimaseptima est comparando causas inter se quo ad prius, & posterius; & præsuppositionem plurium, vel paucorum; sui, vel alterius generis: & habet duas partes. Secunda ibi: *In alio genere, &c.* prima probatio est clara. Motiuum secundæ habet *in* 2.*dist.*1.*quæst.* 2. comparando artem, naturam, & Deum inter se respectu præsuppositorum plurium, vel paucorum, &c. Idem tangit 1. *quæst.* 4. Quære antiquos, qui ibi quotantur. Dicit quòd in materia, & forma fallit: verbi gratia, plura efficientia requirit materia prima, aut compositum, saltem mixtum,vel perfectum, ex ipsa fiat, quàm materia proxima, vt patet inducendo: & hoc stante communi cursu naturæ. Similiter etiam fortè verum est de finibus maximè *intrà*, vel propinquis. Eodem modo dicendum est de forma priore secundùm perfectionem, & compositionem; maximè comparando ipsam ad materiam, & fortè ad efficiens,& finem. Instantia posset esse de forma quo ad primam partem conclusionis: sed accipiendo vniformiter prioritatem,& præsuppositionem patet solutio. Vide infrà, particula de *forma,conclusione* 23.vbi hanc destruit, & considera.

Decimaoctaua est de perfectione causarum inter se comparatarum: & remittit se ad septimam conclusionem huius partis, & probat per regulam Topicam, *sicut simpliciter ad simpliciter, &c.* & excipit materiam notanter. Vbi pondera plura de potentialitate materiæ, & an dentur gradus, &c. Vide *in quæst.lib.de Anima*, *& suprà* 7.8.*&* 9. *Metaph.*

Decimanona est comparando causam secundam ad primam,& est famosa apud Philosophos, & Theologos. Pro cuius ampliori declaratione quære hunc in primo *dist.*3.*quæst.*7. *&* 8. *dist.*17. *quæst.*1.*&* 2.& in 2. *dist.*3.*quæst.*8.*& dist.*9. *quæst.*2. *ad tertium principale,& dist.*37. *eiusdem*, & suprà in tractatu de primo princ. Vbique hîc videatur auctor de Causis.

Causa secunda plus potest in virtute causæ primæ, quàm propria.

Vigesima est de continentia causalitatis alterius causæ in altera, quam suprà aliqualiter tractauit: & est notabilis, propter ordinem causarum necessarium in causando, vt patet suprà sæpè. Vnde fortè posset elici, quòd nulla causa in creaturis continet causalitatem alterius respectu tertij: quod tamen benè considera. Vide *suprà in tractatu de primo princ.& 2.dist.primi, quæst.* 1. & alibi sæpè in doctrina huius. Quod ibi addit de materia, & forma corporis simplicis, pondera, plura addendo vt vis. Attende etiam hîc, quare Deus non habet in se causalitatem materiæ, & formæ, sicut efficientis, & finis: quod scilicet non accidit, eo quòd non continet earum perfectionem; sed quia ei repugnat earum imperfectio annexa. 22.

Quare Deus non habet causalitatem materiæ, & formæ.

Vigesimaprima est de quadam alia ratione continentiæ causalitatis vnius causæ in alia, quæ fuit suprà tacta *particula præcedente ad finem.* Et dat duplicem intellectum conclusionis: & dicit vtrumque esse dubium, nisi limitando se. Vide *suprà de primo princ. & 2.dist.1.quæst.* 1. & alibi plerumque. Est enim propositio famosa apud Theologos: quòd *Quicquid potest Deus mediante causa secunda per se, potest sine illa.* Est tamen credita & non naturali ratione probata, vt habet iste plerumque. Vide 7.*Quodlib. &* 42. *dist.* 1. Deinde declarat cui conuenit propriè tollere priuationem, quia formæ, vt patet suprà. Priuatio enim dicitur per se principium transmutationis, licèt per accidens, producti.

Quæ causa tollit priuationes aliarum? Priuatio per se transmutationis: per accidens producti.

Aliud est enim tollere priuationem, aliud supplere alterius vicem extrinsecè. Cætera quæ dicit in commento sunt clara, valde tamen notanda. Vbi ad finem attende ad alietatem materiæ, formæ, & compositi,in ordinatis via compositionis, vt suprà dictum est, & hæc confirmant dicta suprà. Consuetudo enim solertiæ Scoticæ est,quod in vno loco breuiter, vel dubiè, vel problematicè dicit, in alio distinctè, enucleatè, vt expedit. In fine ergo concludit hanc conclusionem. Et quodammodò eius probationem esse Sophisticam, & ratione æquiuocationis & fallaciæ Consequentis considera. 23.

Vigesimasecunda est illa maxima communis de identitate causæ causæ, & causæ causati: & habet duas partes. Secunda ibi: *& non conuertitur, &c.* quam declarat singularissimè: vt 5. *Metaph. quæst.* 1. & alibi sæpè exponit, & conuertitur, inquit,vno modo, non tamen alio modo,vbi Logicè pondera illas conuersiones: vt scis. Et videtur inferre corollarium ibi: *Et ita quodlibet causatum in aliquo genere, &c.* Deinde limitat hoc corollarium, & conclusionem ad causas extrinsecas tantùm, sed de causa finali prima, est difficultas, si loquatur de fine vltimo simpliciter: de

de quo *suprà in tractatu de primo princip.* patet. Sed quòd sit vera de tali fine potest probari. Cùm enim prima causa, vt pote Deus gloriosus, sit primum efficiens in omni effectu producendo, & sit agens propter finem, non sui, sed effectus; & ne dum propter proximum, sed remotum, videlicet seipsum, ad quem omnia ordinat, ordinabilia saltem; & primò via intentionis, licèt vltimò via executionis: ergo conclusio, seu corollarium est verum de primo simpliciter, in causis extrinsecis.

24. *Qua est forma prima?* De causis intrinsecis secus est, inquit, & hoc loquendo de primo simpliciter, non de primo in hoc. Vbi habet considerari, quæ sit forma simpliciter prima, & materia, de quibus hîc loquitur: sed breuiter posset dici conformiter dictis suprà, quòd forma prima, simpliciter est perfectissima materialis. Nam licèt Deus posset dici forma, vt suprà notauit, non tamen est propriè in genere causæ formalis, quod limitetur ad perficiendum formaliter materiam, & ad componendum intrinsecè: & sic patet, quod dicit de forma Quod verò infert de materia, non videtur benè sequi: & quod assignat pro causa illati, videtur valde extraneum; & nisi cautè exponatur, ad oppositum potiùs, quàm ad propositum. Sed hoc modo intellige: Doctor vocat *materiam simpliciter primam*, ipsum materiale, præscindendo ab omni forma. Tale inquit simpliciter primum non videtur componere omne compositum materiale. Vbi nota ly *omne*: & videtur loqui hîc conformiter dictis Auerroïs & Alberti, & aliorum plurium de forma corporeitatis, quæ inseparabilis est à materia prima secundùm eos: vel saltem vt componit perfectiora entia, oportet quòd sit sub formis imperfectioribus concurrentibus cum ea, in ratione potentialis: & ita differt *prima* in hoc, & *prima simpliciter*. Et hîc semper imitatur opinionem de pluralitate formarum, vt patet. Non tamen ex hoc sequitur quòd Doctor negaret resolutionem fieri vsque ad materiam primam, saltem mediatè; vt habet *in 4. dist.* 11. *& super* 8. *Metaph. in expositione*: nisi fortè loquatur hîc famosè: quod videtur probabile ex quibusdam dictis consequenter. Vlteriùs cùm reddit rationem illati, dicens: *cùm magis dependeat materia, &c.* intellige sic: quia forma prima simpliciter non potest informare materiam quancunque: sed determinatam, quam sibi determinat, & à qua dependet quodammodò in subsistendo. Igitur materia prima simpliciter, quæ est minoris entitatis, & maioris per consequens dependentiæ, non potest sic nuda concurrere indifferenter ad quamcunque compositionem immediatè cum quacunque forma. Sic potest exponi iste locus: si habebis meliorem, adde vt vis.

Causa causæ, &c currit tantùm in extrinsecis.

25. Aliæ persuasiones ad probandum idem illatum de materia, satis claræ sunt; & licèt apparentes sint, possent tamen faciliter solui. Prima procedit de resolutione non vltimata: vide infrà, *particula de forma in commento conclusionis secundæ, & seqq* secunda non currit multùm: quia æquiuocat de materia, & potentia, vt patet.

Causa prior & posterior respectu eiusdem. Vigesimatertia est de identitate causati causæ prioris, & posterioris in essentialiter ordinatis, conformiter dictis *suprà in tractatu de primo princip. & 2. dist. primi, quæst.* 1. & alibi sæpè. In commento remittit se ad vigesimam quartam, quæ est secunda sequens, vt ordinauimus: tamen est vigesimaquinta, sed ponendo ad illam 15. *Extrà* feci, motus maximè hac remissione, tunc 25. erit 24. vt patet, & probat claré, & subtiliter cóclusionem. Quære suprà, particula *de agente*, ad hæc.

Vigesima quarta est illa famosa prima Auctoris de Causis, de principalitate causalitatis, & influentiæ primæ causæ. Obiicit ibi consequenter, quam obiectionem & eius euasionem pertractaui suprà, particula *de agente* sub quodam *Extra.* propositione 9. in commento. quære ibi. Hîc non ponit aliquam responsionem: sed tu dices, vt ibi notaui, & plura considerabis hîc. Vide 37. *dist.* 2. & vbi suprà allegauit sæpiùs, & apud antiquos expositores, ad hæc, benè enucleando. Causæ primæ ad inferendum, sunt quæ perfectiùs constituunt intrinsecè; huiusmodi sunt vltimæ & immediatæ, & ideò refert dicere causam *remotam*, & *primam*: nisi æquiuocando de *prima*. De extrinsecis verò, si concurrant ad inferendum, posset dici è contra. Et infrà nihil contra Aristotelem ex his dictis, si benè discutiantur præcedentia, & sequentia. Hæc omnia probabiliter. *Theor.* 17. *concl.* 9.

Vigesima quinta est 13. suprà, in particula *de agente.* quam expone, & declara, & defende: vt ibi. In aliquibus originalibus ponitur ibi quædam quotatio, & est remissio ad illam particulam suprà, & numerum conclusionis corrige, secundùm quod supputabis consequenter.

Vigesima sexta est de causalitate causæ prioris in comparatione ad posteriorem in ordine ad pluralitatem causatorum; & declarat se notanter correspondenter dictis in particula *de materia, & forma* priùs, & recurrit ad dicta in 21. præcedente, quam tamen 22. notauimus: sed corrigendo vt dixi suprà, erit 21. 26.

Deinde ad finem harum conclusionum ponitur in aliquibus originalibus quædam litera: quæ *Extrà*, vel additio potest dici. Æstimo tamen quòd sit Doctoris, quam ideò posuimus, & etiam quia confirmat ordinem, quem tenui in transmutando laboriosè has conclusiones: nam 4. hîc erat penultima in aliis, & aliæ de cæteris. Vbi pulchrè dat ordinem harum conclusionum, & assignat § vt etiam ordinaui. & ita est intelligendum in aliis locis hîc ipsum velle: vbi est connexio in materia conclusionum: & quia non obseruabatur hoc, vitio scriptorum, remissiones & allegationes in his rebus, remanserunt valde intricatæ, signauit etiam loco & §. variè, & fortè chartas, & columnas in originali suo: quod non fecerunt alij, vnde multùm hîc turbant originalia. Sententiæ tamen in se integræ sunt, & absque omni tali allegatione intelligi possunt.

THEOREMA XX.

SCHOLIVM I.

Sequuntur sexdecim axiomata, seu propositiones famosa, de materia; ex Philosopho omnes: quarum exactam expositionem videre potes apud ipsum Doctorem, in locis ad singulas citatis. Prima est ex 5. *Metaph. sequentes tres ex lib.* 7. *reliqua ex lib.* 8. *Circa decimamquintam propositionem, scilicet ex materia & forma fieri per se vnum, in litera qua secundùm Mauritium additio est, ponuntur quatuor obiectiones, quas idem Mauritius soluit num.* 10. *Quomodo fiat vnum per se ex materia, & forma, vide Doctorem* 2. dist. 12. quæst. 1. & fusè 8. Metaph. q. 4. *Tangitur obiectione quarta, an anima habeat materiam, de quo Doctor* quęst. 15. de Anima, *vbi in cōmentario de hac re egi.*

1 *Mate*

1. 20. princip. Text.c.4. 1. *Materia eſt, ex qua fit aliquid in exiſtente.*

Quinto Metaphyſ.cap.2. *A.*

2. *Materia eſt, quâ res poteſt eſſe, & nõ eſſe.*

Text.c.22. Text.c.23. Text.c.24. Text.c.34. Text. c. 3. & inde. Septimo Metaph. c. 5. *B. Impoſsibile eſt aliquid factum eſſe, ſi nihil praexiſtat, quod quidem pars palàm, materia vtique pars.* Ibidem. *pars etiam pertinens ad eſſentiam :* vt videtur 7. Metaph.cap.8.& lib.8. cap.1.

3. *Materia neque quid, neque quale, &c.* 7. *Met.c.* 2. *Et materia ſecundùm ſe ignota eſt.*

Text. c. 8. Text.c.35. Septimo Metaph.8. & 1.Phyſic. eſt ſcibilis ſecundùm analogiam ad formam.

Text.c.69. 4. *Materia alia ſenſibilis, vt qualibet mobilis.*

Text.c.35. Alia intellectualis, vt Mathemat.7.ibid.

5. *Materiam dico, qua non eſt hoc aliquid; neque ens actu, poteſtate eſt hoc aliquid. Ex eodem primo omnia: aut ex eiſdem primis.*

Text.c.11. Octauo Metaph. cap.3.

6. *Eſt tamen aliqua propria materia cuiuſlibet.*

Text.c.11. Ibidem pòſt.

7. *Quorundam altera materia, ex neceſſitate.*

2. Text.c.11. 8. *Fiunt plures materia eiuſdem, quando altera alterius fuerit ibidem. Contingit vna exiſtente materia, fieri diuerſa propter mouentem cauſam.*

Text.c.11. Ibidem.

9. *Si ex altera materia conuenit idem facere principium, quod eſt vt mouens.*

Text.c.11. & 12. Idem ibidem.

10. *Si altera materia & mouens; & quod factum eſt.*

Text.c.12. Ibidem.

11. *Forſan naturalia ſempiterna non habent materiam : aut non talem; ſed ſolùm ſecundùm locum mobilem.*

Text.c.12. Ibidem.

12. *Quacunque ſine tranſmutari ſunt, & non ſunt : non eſt eorum materia.*

Text.c.14. Ibidem.

13. *Quacunque ſunt à natura non ſubſtantia, non eſt in his materia, ſecundùm quod ſubiicitur.*

Text.c.14. Ibidem.

14. *Quacunque ſic tranſmutantur : vt ex mortuo viuum, ad materiam oportet redire primam.*

Text.c.14. Ibidem.

15. *Qua cauſa exiſtẽdi vnũ ex materia & forma? hoc quidem potentia, illud verò actu.*

Text.c.15. Ibidem.

16. *Quacunque enim nullam habent materiam, ſtatim, vnumquodque vnũ aliquid eſt.*

Text.c.16. 3. Ibidem, non eſt alia cauſa eſſendi vnum, nulli illorum nota, cauſa ſcilicet intrinſeca, quæ ſit aliquid eius. Contrà : forma tantùm inexiſtente materiæ, & non informante, adhuc eſſet potentia, & actus, & tamen non vnum; quid igitur in compoſito præter hoc? Si ponis tertium, idem argumentum de iſto, quod de forma. Item, in ſubiecto eſt potentia ad accidens, quare ex eis non eſt vnum per ſe? Quando hoc fit ex *A*, per *B* agens, ſi aliud agens ageret ex *A*, nunquid idem produceret? quare enim magis eſt vnitas numeralis à materia, quàm efficiente, à quo plus eſt eſſe? ſi etiam *B* producetur ex alio quàm ex *A*, nunquid idem faccret? Quare etiam eadem forma non poteſt aliam materiam informare : ſicut è conuerſo de materia? *Quare materia, & forma faciunt per ſe vnum?* Reſpondeo : materia ſimpliciter, quæ ſcilicet per ſe ſubſiſtit, & nihil informat: quia quicquid eſt in accidente informat ſubiectum, ſicut ſi materia ſit in anima : non tamen ſimpliciter per ſe ens, ita quòd nullius informatiua : ſed tamen vna pars eſt potentialis receptiua alterius, quæ eſt eius actus, & illa poteſt dici materia. Contrà: tunc materia accidentium, erit perfectior, quàm materia ſubſtantiæ corporeæ : quia eſt actus alicuius, & illa non. Reſpondeo, hæc eſt per ſe ens, & illa dependens.

SCHOLIVM.

Circa concluſionem ſecundam precedentis Theorematis, ponitur ſequens litera, quam Mauritius notauit additionem : infert ad illam concluſionem, cauſam nihil perfectionis accipere à cauſato : vnde cognoſcens concluſionem, non ideò perfectiùs cognoſcit principium, ex Doct. 3. diſt. 14. quaſt. 2. num. 11. Vide ipſum 1. diſt. 8. quaſt. 5. Similiter ex volitionibus mediorum, non intenditur volitio finis, de quo Doctor 1. diſt. 1. quaſt. 4. contra D. Thom. pulcherrimè diſputat. Concluſione 7. benè docet rationem cauſa dicere perfectionem, quam non dicit cauſatum, & hac via omnis cauſa eſt perfectior cauſato. De concluſ. 11. vide eum cap. 3. concluſ. 16. de primo princip. & locis ibi in Scholio citatis, quibus docet vnum effectum non poſſe dependere ad plures cauſas totales eiuſdem generis. Sequuntur alia optima regula de ly, inquantum. *Circa concluſionem duodecimam eiuſdem Theor. hîc ponit quinque rationes ſuadentes cauſam indeterminatam non poſſe agere, niſi ab alio determinetur : quod in voluntate locum non habere, optimè declarat, ſoluens illas rationes, quia tantùm currunt de cauſa indeterminata non ſufficiente ad effectum, ſine concurſu alterius; non verò de indeterminata per ſe ſufficiente, cuiuſmodi eſt voluntas.*

Iuxta concluſionem ſecundam generalem corollarium, quòd impoſsibile eſt cauſam inquantum talis, aliquam perfectionem, vel intenſionem recipere à cauſato; quia eiuſdem rationis intenſior gradus, & alius, vel intenſior perfectior : igitur ſi ille ab effectu, & tota entitas cauſa. Corollaria : igitur cognoſcens concluſionem, non perfectiùs intelligit principium, licèt extenſiùs, quia in pluribus. Sic voluntas ex volitionibus entium ad finem, 4. ADDITIO. Cõcluſ. 2. Theorem. præced. Nihil perfectionis accipit cauſa à cauſato.

nem, non crescit in volendo finem: igitur semper summo conatu vult illum; vel sibi subest illa volitio sicut aliæ.

Voluntas, liberè vult finem 1. d. 1. q. 4.

Alterum diuidentium ens, dicit perfectioné.

Iuxta septimam conclusionem nota, quòd causa in genere dicit aliquid simpliciter perfectionis: quia semper alterum diuidentium ens, est tale: quia alterum conuenit Deo, tamen sicut vnum in aliquo inferiori, vt in continuo, non est simpliciter perfectio; sic causa in inferiori, non dicit aliquid simpliciter perfectionis: quia secundùm tertiam, duo genera causæ includunt rationem partis, & ita potentialis, & limitati, & imperfecti: vnde non transferūtur ad Deum. Duo alia genera sunt simpliciter perfectionis. Iuxta conclusionem 11 *nota conuersam, scilicet quòd altera causa est alterius, siue quòd impossibile est duas causas per se, & sufficientes in eodem genere causæ, & eiusdem ordinis, esse eiusdem effectus: quod probatur ex definitione causæ: Quia etiam sequitur vnam superfluere, immò nihil facere, & ita nō esse causam: quia si per hanc sufficienter est, non igitur per aliam. Confirmatur: si per hanc sufficienter est in hoc genere & ordine causæ, quocunque alio amoto, adhuc sic per hanc est, & ita illo alio amoto: quo autem amoto, res sufficienter est illud non est causa. Probatur etiam tertio modo: quia idem non refertur primò ad diuersa. Contrà: de Patre & Filio respectu Spiritus sancti, & vniuersaliter quando duo agunt, & alterum posset per se. Valet instantia obiecti* 13.3.sub.

Vnius effectus non possunt esse duæ causę eiusdem generis.

5. Inquantum cùm sit nota causæ per se, strictè tamen accipitur, inquantum pro causa præcisa, & proxima.

Inquantū, *nota causa præcisa.*

Sic videtur idem cum primo, quod addit super per se.

Inquantum communiter potest esse nota cuiusque causæ secundùm genus, & cuiuscunque differentiæ in quolibet genere.

Puta proxima, remota, &c. sed non causa per accidens.

Inquantū, *nunc partē, nunc totum reduplicat.*

Sequens *inquantum* non semper accipitur pro suo formali, nec illud non ita est causa, sed totum.

Et hoc potest esse vel primò, vel secundùm partem, & hanc, vel illam.

Quod quid per se inest superiori, & inferiori, & ita *inquantum.*

Sed non inferiori primò, nec per se, ratione formalis eius: sed materialis eius.

Sicut causa diuiditur in necessariam in pluribus, & contingentem ad vtrumlibet: sic *inquantum* potest notare quamlibet.

Vnde ratio sequitur: ergo omnis nec necessariò. Contrà; primo Priorum, inquantum bonum: ergo omne bonum. Item 1. *Posterior.* per se, *præsupponit* de omni, *& id includit necessariò.*

Respondeo, omne bonum, benè sequitur intelligendo sic consequens, scilicet potest esse per se causa in demonstratiuis, includit necessariò non omne de omni.

Quando quis quæsiuerit quid causa, oportet omnes dicere, & proximas, & circa substantias generabiles. 6.

Oportet omnes cognoscere 8. *Metaph. c.* 3. Text.c.12.
Nota conclusio generalis 12 *probatur: tum* Text.c.10.
per Aristotelem 9. *Metaphysic. cap.* 4. *potentia rationalis: quia est vna contrariorum, non necesse est, quòd faciat, quia tunc simul faceret contraria: quare necesse alterum esse, quod proprium est: dico hîc appetitum, aut prohæresim. Tum, quia quare magis fieret, quàm quiesceret? Quare etiam magis fieret hoc, quàm illud? Tum, quia si communis est, oportet quòd habeat in se virtutes contrarias, quia eadem virtus non est ad opposita. Tum, quia si non est dare, quare magis faciat, quàm quiescat, non est dare quare magis dat esse effectui, quàm non, & ita nec quare effectus magis est, quàm non est: cùm ideo sit, quia causa dat. Tum, quia plus dicit esse causam in actu, quàm in habitu, & priùs est in actu, quàm effectus sit. Nota, conclusio est falsa de voluntate, & probationes non valent: quia ad faciendum aliquid, non oportet dare causam, nisi per se sufficientem. Et si quæritur, quare de effectu sufficienter respondetur per talem causam? voluntas autem est causa sufficiens omnis actus sui: & quasi illimitatæ virtutis, quia libera virtualiter respectu actus, & eius oppositi; & respectu actuum oppositorum, & ita causa communis: tamen sic communis, quòd etiam propria, quia immediata.*

Voluntas determinat se. Voluntas illimitatæ virtutis.

Ad primam propositionem, negatur, si loquitur de voluntate: si autem de scientia, vel arte, potest exponi quòd illa est oppositorum, sed insufficiens causa, quia tantùm directiua: directio autem non sufficit sine imperio, & executione: causa autem indeterminata, quia est insufficiens, nunquam alterum producit, nisi aliud addatur: sic potest intelligi conclusio principalis. Causa autem indeterminata, quia plus quàm sufficiens, plus potest sine altero, quàm determinata, vel limitata: vnde fortè simpliciter est magis nobilitatis in causa, contingentia in causando, quàm necessitas. 7.

Causa indeterminata, alia insuffiçiés, alia sufficiens.

Contrà: effectus necessarius est nobilior contingente, igitur & causa. Respondeo, antecedens est verùm cæteris paribus, præcisè autem effectus in se necessarius: non autem ad quem causa necessariò determinatur. Similiter causa contingens propter defectum actualitatis ad causandum, est minùs nobilis causa necessaria, non contingens propter domi

Causa cōtingens, nobilior necessaria; & quādo?

dominium super opposita. Similiter contingentia in causando est magis nobilitatis, quàm necessitas, præcipuè respectu causati non adæquati suæ virtuti: sicut & causare multa, quàm vnum tantùm in huiusmodi.

Ad secundum, non est aliud quare, nisi causa sufficiens: non quia determinatur volendo, tunc enim vellet hoc, quia vult hoc.

An plus dicat causa in actu, quàm in habitu.

Ad tertium, habet vnam virtutem illimitatam respectu contrariorum.

Ad quartum, non est causa quare dat, nisi natura eius, quæ est immediata causa dandi, cùm dat, & non dandi cùm non dat, & tamen est causa quare effectus est: quia scilicet causa dat esse: *sed illud* dare *non habet causam determinatam.*

Ad quintum, nihil plus est in causa: nisi quod vna relatio consequitur, quæ non consequitur, quando non præcedit causationem: tum, quia fundatur super eam: tum quia est ad terminum productum per actionem.

ANNOTAT. MAVRITII.

8. Sequitur illa particula: *Materia est, &c.* vbi specialem digressum facit de materia, sed omnia sunt ex sententiis Aristotelis hinc inde vt Doctor allegat, & loca assignauimus. Vbi aduertat lector, quòd non curaui in his quotationibus, vt aliqui huius ætatis curiosa superfluitate, & ostentatione friuola, modo Legistarum, descendere in allegando particulas commentorum, & capitulorum, & §§. &c. huiusmodi: hoc enim est perdere tempus in legendo, in conferendo verò fuga, & fumus. Græci namque rationem quęrunt, teste Paulo, & non signa, nec testimonium, nisi rarò. Vide Aristotelem 2. *Metaph. t. c.* 14. *& inde*, vbi reprehendit hunc modum. Qui ergo voluerit sic descendere, descendat ipse. Ego verò ascendere intendo, & cum Platone quiescere in specialissimis: vel saltem cum Scoto in indiuiduis. Paucis ergo in hac parte me expediam. Computum propositionum, quarum aliquæ sunt definitiones, aliquæ petitiones, vel conclusiones, considerect lector, & maiorem, vel minorem numerum, vt placuerit, adinueniat; vel contentus numero assignato procedat: quantum enim ad hoc magistraliter omnia sentio, & non authenticè, vel assertiuè. Examinabis omnia, quæ dicuntur hîc de materia, vt copiosè habes in doctrina huius. Quære 7. & 8. *Metaph. in quæstionibus & expositione.* Vide 12. *dist.* 2. & 14. *eiusdem.* 3. *etiam dist.* 2. & maximè in antiquis, specialiter in Bona. Quære & 12. *dist. eiusdem* 43. & 44. *dist.* 4. Vide verbum Aristotelis, *Forsan naturalia sempiterna, &c.* Extende etiam dicta ad varietatem expositionum auctorum in Aristotelem. Hîc, si volueris, imitabere Auerroëm vbicumque non digreditur à verbis Aristotelis, & intellectu sincero Scotico; vbi verò per se vadit, penitus omittatur, nisi in materia indifferenti. Sermo de materia est satis difficilis, quia obiectum incertum, & minimè entitatis, & fundamentum debile, licèt omnium radicale. *Materia est hoc aliquid, ens actu, intelligibilis.* Quòd autem materia est hoc aliquid, & ens actu, & intelligibilis per se; & quomodo non principium indiuiduationis primum, & qualiter debet intelligi illa vltima de immaterialibus; habes vbi suprà, saluando semper Philosophum. Cætera relinquo lectori in hac particula, angustia temporis præpeditus.

Sequitur ibidem quædam litera, vario tamen modo in originalibus situata, quæ potest poni 9. *Extrà*, vel additio, ibi: *Contrà, forma tantùm inexistente, &c.* vsque illuc: *Iuxta conclusionem secundam, &c.* Prima obiectio est contra illud, quod dicitur de vnitate compositi ex materia & forma, in propositionibus vltimis de materia: & potest solui, vel quòd casus est impossibilis, ita quòd materiam informari, est formam inexistere, saltem concomitanter de necessitate. Sed pondera benè an informare dicat actionem. Vide *infrà, in commento* 19. *particulæ sequentis.* Vel detur secundum, scilicet quòd sit tertia entitas, non tamen sine informatione materiæ à forma. Licèt enim prima causa possit suspendere causalitatem extrinsecam inferioris causæ: non tamen intrinsecam, factâ tali approximatione, cum cæteris dispositionibus requisitis assistentibus. Vide tamen *infrà particula sequente in commento* 13. ad hæc notanter, & *in commento* 19. Vlteriùs, potest negari quod infertur de tertio, quod non est informans, sed totius formę quiditatem declarans. Ad secundam obiectionem respondet Philosophus *in litera* 8. *Metaph. ad finem*, & iste plerumque: quia scilicet hæc potentia, & hic actus sunt tales, & illi tales. Quære 12. *dist.* 4. *& alibi vt* 7. & 8. *Metaph. suprà.* Sed plures alię declarationes possent addi, licèt radicalis causa sit illa. Considera an fortè velit has obiectiones currere, vel saltem quòd Philosophus dicta non probat, licèt communia, & vera sint vbique.

An forma inesse possit non informando? Non potest Deus impedire effectum causæ intrinsecæ approximatæ debitè.

Deinde ibi: *Quando hoc fit ex A, &c.* mouet quędam dubia, & non est dependentia ex dictis, & 10. sunt tria, vel quatuor, quæ tamen non soluit hîc: & possunt applicari ad propositiones suprà de identitate, vel alietate materiæ, & mouentis, & proportionaliter eius quod fit. Pro primo dubio vide *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 2. *&* 43. 4. *quæst.* 3. *art.* 1. *&* 2. egregiè.

Ad secundum, videtur quòd Philosophus velit vnitatem vtriusque requiri; vt patet in litera 8. *Metaph.* vbi suprà in propositionibus. Sed quòd à materia magis quàm ab efficiente sit vnitas, potest esse ratio: quia intrinsecè constituit entitatem, & ita dat vnitatem. Et quod dicitur quòd magis ab efficiente est *esse*, potest negari. Vel aliter, quòd comparatio debet esse in vniuoco: alia, & alia est habitudo, ad aliam, & aliam causam, vt suprà dixit. Secus etiam est de *esse* formæ, & de *esse* totius. Ad idem potest dici, quòd non, quia requiritur identitas materiæ. Illi tamen qui formam dicunt esse totum *esse*, haberent aliter dicere.

Vnitas per se an magis à materia, quàm à forma, vel agente?

Ad quartum videtur responsio sequens declarare intellectum dubij, de qua videlicet materia debet intelligi, licèt non multùm ad propositum apparet esse. Sed ad aliud, quomodo videlicet in accidentibus est materia, cùm accidens, & intrinseca omnia sibi, sint actus & forma? Potest ergo dici, quòd maior est indifferentia materiæ, quàm formæ. *Nam actiuorum actus, &c. & membra leonis, &c.* quærit ergo forma dispositionem in materia determinata, non è contra, maximè loquendo de prima simpliciter: stante etiam vnitate prioris, fit plurificatio in posteriori. Illa verò responsio sequens est valde notabilis de materia accidentis, & animæ intellectiuæ, ponendo ibi materiam. Vide *supra* 7. *Metaph. &* 8. *& super lib. de Anima* 15. *quæst. huius.* Et replica sequens, & eius

Nota pro materia asserenda in anima rationali.

solutio, comparando materiam accidentis ad materiam substantiæ corporeæ, sunt notabiles & satis claræ. Adde plura hîc, vt volueris.

11. Consequenter additur ibi quædam longa litera, quam additionem notauimus: communiter tamen ponitur in originalibus, & plura subtilia, & vtilia continet: quare si lectori videbitur ad sua loca applicetur diligenter. Transmutauimus autem literam ibi, aliter quàm communiter habetur, propter conuenientiam ad ordinem conclusionum, quæ quotantur. Infert ergo primò corollarium ex secunda conclusione generali, vel vniuersali, suprà ibi, scilicet, *Causa naturaliter est prior, &c.* vbi comparat notanter perfectionem causę ad perfectionem causati, quod benè examinabis. Ex quo aliam corollariam propositionem infert de cognitione conclusionis, & principij, valde notanter: & potest confirmari ex dictis eius *8.d.1.q.fin.* & applicat singularissimè in simili ad actus voluntatis circa finem, & media ad ipsum, conformiter dictis *in primo d.1.q.4. & in 4.d.49.q.10. & in quodlib. quæst. 16.* & litera satis clara est: sed benè ponderanda.

12. Deinde circa dicta in septima conclusione generali, vt ordinauimus, ponit aliud notabile de perfectione causarum: & habet ponderari. *2. & 8. dist.1. & 1.dist.2. & suprà in tractatu de primo principio*, & alibi sæpè. Ibi nota, & pondera exemplum, quod adducit de vno, & cùm dicit, *quia secundùm tertiam, &c.* vt communiter textus habetur: si referatur ad tertiam conclusionem, vt eam ordinauimus, non videtur ibi expressè, nec implicitè, nisi multùm remotè posse sic scribi: quia secundùm commentum, scilicet eiusdem 7. conclusionis, & in notabili quodam, post primam diuisionem suprà ante conclusiones generales habetur. Vel pone *septimam* loco *tertiam*; vel *primam*, iuxta alium ordinem. Posset etiam inueniri in sequentibus conclusionibus de forma. Tange consequenter ibi plura pro & contra de attributis: & quomodo accipit *genera causarum*, cùm dicit quòd duo alia sunt simpliciter perfectionis: quia instantia est *prima quæst. quodlib. art. 1. par. 2.* vbi dicit quòd nulla relatio est simpliciter perfectionis: sed pondera benè.

Duo genera causarum dicunt perfectionem.

Consequenter circa dicta in vndecima conclusione generali, de correspondentia alietatis causæ, & causati, quòd intelligi debet de causa totali eiusdem generis, & eiusdem ordinis. Vide *5. Metaph. & 2. Physicor.* & suprà *in tractatu de primo princip. & 2. dist. 1.* & alibi sæpè in doctrina huius. Probationes, quas hîc adducit in fine contra 3. probationem, ex *5. Metaph. implicitè, text. com. 20.* quandam instantiam, qualiter, scilicet Pater, & Filius referuntur æquè primò ad Spiritum sanctum, & è contra: *& vniuersalius*, inquit, *quando duo agunt, &c.* & additur ibi communiter quædam remissio, seu quotatio, & posset poni 23. sub scilicet particula *de forma.* Vel fortè enumerat conclusiones à principio. Posset etiam suprà particula conclusionum vniuersalium assignari, & ita loco *sub* poneretur *suprà.* Ne fortè etiam remittit se plerumque ad conclusiones Physicorum, & Tractatum de primo principio. Ad obiectionem tamen in se, potest dici, quantum ad primam partem, quòd non sunt duo spiratores, sed vnus. Patet *12. dist. 1.* est enim vnitas fundamenti, & principij, & terminus etiam formalis. Posset etiam ponderari ibi ordo originis in spirando, & ita negari assumptum. Quod vniuersaliter tangitur, patet quòd sunt tanquam vnum in tali casu, scilicet totale, & sic loquitur Philosophus.

Vnius effectus vnica causa totalis eiusdem generis.

Pater, & Filius sunt vnus spirator.

Vlteriùs sequuntur ibi propositiones quædam de ly *inquantum*, & aliis signis, seu dictionibus reduplicatiuis; eodem modo, & variè situantur in originalibus. Nam in aliquibus ponuntur inter illas conclusiones generales ad finem; in aliis verò immediatè post illas propositiones de materia; in aliis, vt ordinauimus; in aliis quoque totaliter omittuntur. Sed quomodocunque ordinentur, satis pulchræ sunt, & ad propositum in materia de causis: ideò hîc sub additione eas ordinaui. Legantur quia sapiunt: & posset assignari particula per se, ista in qua tractantur, vt voluerit lector. Prima clara est, & communis distinctio de ly *inquantum* & *causa*; & secunda similiter, si ponantur duæ: nam secunda posset poni pars prioris. Tertia est notabilis: nam aliquando sequens ipsum *inquantum*, potest accipi pro se toto, vt homo inquantum homo, tristatur, vel generatur; vel pro eius formali; vt homo inquantum homo intelligit, vel est risibilis; vel pro parte materiali, vt homo, inquantum homo est ex terra, vel elementis, vel corruptibilis, vel mortalis, &c. Quarta propositio est valde singularis. Vbi aduerte quòd Doctor, ibi capit materiale in inferiori, pro quiditate, vel natura contracta: & ita differentia indiuidualis diceretur formale Socratis, ratione cuius non est risibilis, sed ratione humanitatis. An propositio possit conuerti, considera vt scis. Quinta propositio etiam est pulchra. Vbi aduerte quòd tota litera in his vsque ibi: *vnde non sequitur*, potest poni textus, vel diuidi, vt ordinaui in textum, & commentum. Dicit in fine illius 5. quòd non sequitur, verbi gratia, ignis inquantum ignis comburit; ergo necessariò, &c. vel ergo omnis ignis, &c. Similiter exemplifica de causa contingenti ad vtrumlibet: vel sub alia forma, & aliis verbis, pone exemplum. 13.

Inquantum, appellat quandoque totum, quandoque partem.

Conueniens per se superiori, & inferiori.

Et instat contra se breuibus ex 1. Priorum *text. c. 35.* & 1 Posterior. *text. c. 8. & 11. & circiter*, & respondet signanter, & breuiter, exponendo vtrumque locum. Primum de possibilitate. Secundum, faciendo differentiam inter necessitatem causalitatis principij, respectu conclusionis, & vniuersalitatem illationis: & pondera valde. Vide super 1. Posterior. Posset tamen faciliter dici ad illud primi Posterior. quòd ibi est necessitas simpliciter, non tantùm vt in pluribus: & sic non est contra dicta. Sed nota valde responsionem Doctoris, quia singularis, & sustentabilis. Pro his explicandis altiùs, vide Logicos in materia de reduplicatiuis, vt nosti, & declarationes istius *in primo dist. 1. quæst. 2. & in 3. dist. 6. & 11. quæst. 2. & primo Reportationum, dist. 21.* sed clarè & doctrinaliter *in quodlib. quæst. 3. art. 2. par. 2.* plura ponderando. 14.

Deinde ibi: *Quando quis quæsierit, &c.* ponitur quædam alia propositio *ex 8. Metaph. t. c. 12.* quæ variè situatur in originalibus, pertinet tamen ad materiam de causis in generali, vt patet, & concordat sententiæ Aristotelis *1. Physi. t. c. 1.* & alibi.

Consequenter ibi: *Nota, conclusio generalis 12. &c.* redit ad propositionem 12. vniuersalem suprà probandam, illam videlicet, *causa indeterminata ex se, &c.* & adducit pulchrè quinque probationes eius. Quære in 9. Metaph. copiosè, & alibi in doctrina huius: vtpote *2. dist. 2. & 39. & 28. & 7. dist. eiusdem. 2. etiam Physicor.* & plerumque aliàs in antiquis, & modernis. Aduerte ad vltimam

Quomodo causa indeterminata ex se, determinatur ab alio?

proba

probationem ibi: *Tum quia plus dat, vel dicit causam esse, &c.* quia ibi intendit quòd causa in actu plus habet rationem causæ, quàm causa in habitu; & non est in actu quamdiu est indeterminata; & priùs est in actu causa, quàm effectus sit: quod verum est, loquendo de absoluto causæ, secus de respectu, vt 2. *quæst.* 1. *dist.* 2. habet, & vbi ibi notatur.

15. Addit consequenter aliud notabile, ostendendo quòd non procedit conclusio de voluntate: sed de aliis à voluntate: vbi ostendit illimitationem, & sufficientiam, & communitatem, & determinationem, & proprietatem eius in causádo. Quære vbi priùs in conclusione illa 12. & alibi antè, & pòst notaui. Deinde respondet ad illas probationes per ordinem, ostendendo quòd non procedunt de voluntate: vbi exponit in prima responsione, quæstionem illam. Et distinguit de causa indeterminata duplici, & qualiter aliter ars, vel scientia, est indeterminata, & aliter voluntas; & vltimò quomodo contingentia est nobilior conditio causæ, quàm necessitas. Et licèt loquatur cum *forsan* hîc, alibi tamen hoc asserit, vt 8. *dist. prim. quæst. finali. & 39. dist. eiusdem, &* 1. *dist.* 2. *&* 3. optimè.

Aliter ars, aliter voluntas indeterminata. Contingentia nobilior, quã necessitas in causa.

Deinde replicat contra responsionem, comparando proportionaliter effectus, & causas inter se: sed breuiter ibi posset dici, quòd sicut necessitas repugnat causæ, ita & effectui, & hoc loquendo de necessitate nedum immutabilitatis, sed ineuitabilitatis. Responsio tamen Doctoris est valde notabilis: vbi omnia verba ruminabis bene, quia plena succo.

Ad alias quatuor probationes respondet consequenter, quæ valde notabis vbique: quia nullibi ita resolutè dixit, omnia sunt satis clara. Vide 5. *dist.* 2. *quæst.* 2. & alibi vbi suprà.

THEOREMA XXI.

SCHOLIVM I.

Prima propositio, quoad primam partem, habetur Theor. 17. concl. 3. & 8. Metaph. quæst. 1. & 3. vbi fusè agit Doctor, an sit simplex, & an suscipiat magis & minus. Quòd sit perfectior quàm materia, habet c. 2. de primo princ. num. 6. & 2. dist. 3. quæst. 6. & dist. 12. quæst. 2. num. 6. Tertia pars propositionis, est clara. Circa secundam, tangit in commento tres modos dicendi de causalitate formæ vltimæ compositi, an scilicet immediatè informet materiam primam, an verò compositum ex materia prima, & forma priori, & hoc dupliciter; sed nihil resoluit. In tertia tamen propositione tenet formam priorem esse receptiuam posterioris. Quod ait, formam exemplarem magis spectare ad genus efficientis, tenet 1. dist. 2. q. 2. n. 10. & dist. 36. n. 5. Sequuntur alia maxime ex Philosopho, de forma, de quibus vide Doctorem optimè explicantem singulas, in expositione textus Metaphysicæ. Vide eum etiam de 6. lib. 7. Metaph. quæst. 9. & de aliis, quæst. 6. & 10. & lib. 8. quæst. 3. & 4.

21. Princip. 1. *Forma est essentia simplex, perfectior pars compositi, & propria sibi.*

2. *Forma est forma, vel actus materiæ, non causa formalis: quia nec pars compositi est forma, & causa formalis.*

1. Contrà, igitur vniuersalis. Respondeo, si concedatur oppositum conclusionis, tunc forma est causa duorum causatorum, & informati, extra quod est essentialiter, & informati, cuius essentiæ aliquid est: si tamen illud possit dici informatum, cùm nunquam sit informabile propriè, & tunc vigesima quarta inferiùs cũ tribus sequentibus intelligendæ sunt de causato formæ, quod est compositum, non quod est materia prima. Si teneatur quòd omnes formæ ordinatæ perficiunt materiam primam, secundùm enim aliquos, posteriores formæ magis sunt interminatæ materiæ, & penetrantes potentialitatem eius, & maiorem stabilitatem dant tam materiæ, quàm toti enti: vnde se habent ad alias sicut radix ad ramos: & sicut agens principale ad instrumentum. Hæc positio vltrà dicit formam vltimam actuare tantùm vnum, scilicet materiam primam, & tunc compositum non videretur vnum, nisi aggregatione: cùm nulla formarum ordinatarũ sit in potẽtia ad aliam; nec aliqua actus alterius, aut cum hoc, quòd actuat etiam formam quamlibet intermediam, & etiam compositum quodlibet intermedium: & tunc videtur idem esse actus multorum, etiam totorum, & partium eorum, tamen ordinatorum multorum. Secũdùm hanc viam locum habent in formis ordinatis, illæ quę excluduntur in vigesimaquarta, & tribus sequentibus: & hoc loquendo de causato formæ, sicut materia est eius causatum, nõ sicut compositum. Secundùm hanc etiam videtur poni posse vbi terminatur ordo formarum substantialium, & incipit accidens: quia illud non perficit materiam primam secundùm substantiam compositam, in specie constitutam. Sed hæc via videtur esse contra octauam.

Forma cuius est actus?

An plures immediatè materiam informent?

Quomodo se habet forma vltima compositi ad precedẽtes?

Si teneatur alia via, secundùm quam currunt vigesima quarta & tres sequentes, scilicet quòd forma perfectissima tantùm perficiat proprium perfectibile, compositum scilicet ex materia, & formis præcedentibus, vbi incipit accidens, cùm forma specifica sit per se ratio receptiua propriæ passionis; sicut forma prior respectu posterioris.

An forma prior sit ratio receptiua posteriorum?

Item, quare non dicetur, quòd primum receptiuum simpliciter est forma: non tamen informans; sed subsistens, sicut nunc?

3. *Forma prior est propria ratio receptiua posterioris: & esset si per se esset, vt videtur.*

4. *Forma exemplaris non est forma illius, cuius est exemplar: sed magis pertinet ad genus causæ efficientis.*

5. *Si forma est magis ens materia, erit & composito, propter eandem rationem.*

Text.c.2. Septimo Metaphysicæ, & iuxta septimam conclusionem vniuersalem.

6. *Forma non generatur.*

Text.c.22. & inde. Ex prima, quia non est diuisibilis, sed fit in alio, & compositum per se, ibid. c.6.

7. *Forma est in omni composito ex partibus materialibus poßibilibus manere diuisis. aliud ab illis, nec ex illis.*

Ibidem vlt. cap.

8. *Forma est principium essendi, & distinguendi.*

Text. c. 5. & inde. Octauo Metaph. c. 1. *Sumenda*, &c.

Text. c. 6. 9. *Alterius materiæ alius est actus.*

Ibidem. *Palam*, &c. conuenit cum illo primi de Anima commento 53.

10. *Quod quid est forma idem sibi existit, non sic compositi.*

Text. c. 8. Ibidem c. 2. a.

3. 11. *Definitio non est nisi substantiæ compositæ, cuius est hoc materia, illud forma.*

Text.c.9. Ibidem D. *Quare Antisthenici*, &c.

SCHOLIVM II.

Circa duodecimam, de eo quod quid est, *vide Doctorem 7. Metaph. quæst. 7. & 2. dist. quæst. 6. ad 3. & quomodo formæ sunt sicut numeri, vide eum ibi quæst. 7. & 10. De conclus. 13. de simplicitate accidentis vide eum 8. Metaph. quæst. 1. & de 14. quòd vnum per se fit ex materia, & forma, vide 8. Metaph. quæst. 4. & 2. dist. 12. quæst. 1. num. 12. & Theoremate præced. Conclus. 15. habes de primo princ. cap. 2. concl. 7. & est euidens. 16. etiam patet, quia materia non est actiua: & idem est de quantitate & relatione; quod intellige quoad actiones similium generatiuas; quia efficiunt partialiter actiones intentionales, saltem materia, & quantitas; de quo Doct. 9. Metaph. quæst. 6. & 7. Nota Mauritium aliter numerare has conclusiones, quàm notantur in margine, vna vnitate minores.*

12. *Quod quid est, si est, aliqualiter numerus hoc est.*

Quomodo formæ sunt sicut numeri? Quia iuxta decimam quartam vniuersalem ad indiuisibile statur: quia species per additionem variatur: quia aliquo alio ab elementis est vnitas: quia non est magis, &c. Non adducuntur istę similitudines de forma, cùm non sit sermo de illa: sed de substantia, quæ potest dici essentia rei, cùm hoc probant omnes similitudines: non enim forma resoluitur in indiuisibilia, nec definitur, nec ei aliquid additur, inquantum forma: quia respectu additi fieret materia; nec vnitas formæ est ab aliquo alio ab ipsa, sicut vnitas numeri est ab aliquo alio præter vnitates. Nec valet, forma non recipit magis secundùm speciem, idest, secundùm formam.

13. *Accidentia sunt puræ formæ, non habentia materiam* ex qua *sunt, sed tantùm* in qua.

Text.c.12. *Accidentia non sunt composita.* Octauo Metaph. c.3. Contrà: accidentia conueniunt realiter & differunt: non eodem, igitur ita definiuntur, sicut substãtiæ: igitur ita composita. Contrà: nec ita diuersas operationes habent; nec transmutatio possibilis per specificam, manente alia; alioquin proximum subiectum motus esset actu per formam generis.

14. *Non est dubitatio quare ex materia, & forma fit vnum; nec propter aliud, nisi propter efficiens.*

8. 4. Hic est quæstio bona mota inferiùs in 19. quæ enim differentia est accidentis, non informantis subiectum; sed in existente subiecto, & accidentis informantis subiectum? & formæ substantialis inexistentis materiæ non informantis, & informantis ipsam? cùm in secundo membro & quarto sit potentia & actus actuans; in tertio & primo, actus non actuans. 4. Text.c.15.

15. *Quæcunque carent materia, carent & forma, ac ideò se totis sunt vna.* *Carens materia, & forma.*

8. 4. e. Text.c.16.

16. *Per formam est compositum potens ad agendum: non tamen per omnem quantitatẽ relationi, &c. non igitur ad recipiendum.*

Contra secundam: quia forma prior est propria ratio receptiui respectu posteriorum: sumitur forma specifica respectu propriæ passionis. Require sup. E. F. in commento 2. Corollarium.

17. *Cuiuslibet actus primi est aliquis actus secundus proprius, aut talis forma videretur otiosa.*

Hęc videtur falsa propter instãtias in 15. positas propter probationem. Nota quòd aliæ actiones ab immanentibus, non sunt propter se, sed propter terminos: si igitur illi aliunde habeantur, sicut si per tales formas haberentur, nihil est otiosum. *Qualibet forma habet suam operationem.*

SCHOLIVM III.

Vide Doctorem in expositione textus pro concl. 18. Iuxta 19. videtur materiam ponendam esse in accidente, alioquin non haberet propriam, sed Doctor in textu 20. saluat Philosophum, quòd per materiam intelligit subiectum; & sufficit quòd reductiuè sit in eodem genere, quatenus perfectibile per accidens, esto ipsum non sit accidens, quod probat esse de mente Philosophi per exẽpla quæ adducit, vide eum. In vigesimatertia vult formam posteriorem in composito perficere compositum præuium, non tantùm materiam, de quo concl. 2. tactum est. In vigesimaquarta forma superueniens, non dat perfectiones præcedentium formarum, quatenus ordinatæ sunt, alioquin Deus posset informare. Non instes de anima rationali comparata ad sensitiuam, quia non dat perfectionem eius per modum sensitiuæ, sed eminentiùs. De quinque sequentibus conclusionibus, cape earum sensum, & non cures ordinem, vel quid significent illæ literæ: lege si vis coniecturas Mauritij.

18. *In omni genere est vnum primum.* 5.

10. Metaph. cap. 2. In quo genere causæ est illud primum? Respondeo, in genere causæ formalis, non informantis, nec existentis Text. c. 2. & inde.

In quo genere causa est primum in quolibet genere? stentis, sed vnitiuè continentis: nec istud tertium pertinet ad genus efficientis; sicut exemplaris, album non causat effectiuè nigrum.

Text.com. 19.& inde. 19 *In omni genere est propria forma; propria priuatio, proprium subiectum.*

12. Metaph. 2. cap.

20 *Iuxta secundam vniuersalem, si relatio formæ fundetur super actionem, igitur forma agit in materiam propriam.*

Quid est formam informare materiam? Contrà: quid igitur est formam informare materiam, si nihil vltra essentiam hanc & illam? quomodo fit aliquid tertium ex istis vnum, nisi aggregatione; sicut si anima in corpore ens non animaret? quare non fieret ex materia & forma, nisi vnum aggregatione.

21 *Iuxta septimam, nota, oppositum est verum de prima forma informatiua, licèt non de exemplatiua, nec vnitiua.*

Causa formalis non coincidit cum aliis. 22 *Iuxta nonam, nihil quod est causa formalis alicuius, est aliquo alio genere causalitatis causa eiusdem.*

An forma informat aliam formam? 23 *Forma prior adueniens posteriori dat perfectionem, non tantùm sibi propriam; sed etiam posteriori propriam: aliter non fieret vnum ex materia & forma, nisi aggregatione.*

6. Hæc probatio non videtur bona: quia compositum informatum posteriori forma antequam priorem recipiat, est in potentia propinqua ad illam priorem: & tunc adhuc non est in se perfectius se: idem autem quod primò est in potentia, postea in actu, recipit illud, aliter non esset priùs in potentia propria, ex 9. Metaph. text. com. 15. ex hoc autem quòd hoc potentia, illud actus fit vnum per se ex eis 8. *Theor. vlt.* Metaphysicæ conclusio videtur falsa infrà; *perfectum concl.* 4. Quare forma ignis, quæ est perfectior, non potest perficere informatum formâ aquæ, si tot formæ ordinatæ, quot differentię, & prædicata ordinata in genere? inter sensitiuam & specificam asini, erunt tot formæ in asino, quot sunt species animalis, si genus vnica diuisione tantùm in duas species diuiditur, quarum sola altera potêst esse specialissima; igitur reliqua erit genus intermedium: & ita quot species animalis specialissimæ, tot diuisiones, & tot genera, inter animal, & asinum. Item ordo formarum non videtur iuuare ad remanendum idem, specifica abiecta: illa enim non abiicitur, saltem ab homine, nisi per destructionem formæ mixti, quæ ad ipsam disposuit, maximè si fuit dispositio necessitans: si etiam maneret materia disposita ad formam corruptá, per agens naturale posset illa induci.

Non sunt tot formæ quot prædicata.

24 *Iuxta vigesimam, nunquam aliqua forma informans potest habere perfectiones aliarum ordinatarum, inquantum ordinata.*

Quia tunc haberet in se præcedentem, 7. non per modum sui, sed per modum præcedentis: sic Deus posset informare materiam, vt sufficienter secundùm vnam perfectionem disponat ad se, secundùm aliam; ergo, &c. Igitur decimasexta nihil valet.

25 *Iuxta* A.B, *hîc non habet locum: quia forma nihil est creatum, nisi cuius illa est pars immediatè constituens: sed sic non est de alia forma; quia illa est simplex.*

26 *Iuxta* A.C, *non habet locum hîc, quia forma prior non est pars perfectior illius compositi; cuius pars est forma posterior.* *Forma prior, imperfectior.*

27 *Iuxta* A.D, *plus causat non idem causatum iuxta prædicta secundùm aliud, quod actuare, est magis causare.*

28 *Iuxta* A.E, *illa videtur hîc manifesta, cùm nullum sit informabile primâ formâ, nisi proprium dispositum ad ipsam.*

29 *Iuxta* A.F, *intelligatur sicut exponitur quartadecima antè in conclusionibus vniuersalibus.*

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur illa particula: *Forma est esse simplex, &c.* 8. vbi prosequitur de causa formali in speciali, ponendo propositiones singulares, & communes; ex fundamentis antiquorum, & propriis, sale Scotico conditas, quas etiam breuibus discurram: quia alibi sæpè habentur; & sicut prius in aliis, ita hîc aduertendum duco de numero & ordine harum tantùm Topicè, & vt congruentiùs magis videbatur determinasse.

Prima propositio, quæ est notificatio formæ, habet tres partes, quarum prima est auctoris, & suprà particula *de agente*, propositione 3. tacta est. Secunda pars est Philosophi 7. *Metaph. text. com.* 7. *& inde.* Tertia est suprà sæpè pertractata, & infrà etiam tangetur, quæ omnia examinentur, vt plerumque habet iste.

Secunda propositio est valde notabilis, quæ etiam habet tres, vel quatuor partes, & ferè omnia tacta sunt suprà, in conclusionibus generalibus, & infrà magis explicantur. Obiicit consequenter contra secundam propositionem, satis mirabiliter: sed videtur inferre hoc, quòd tunc scilicet sequeretur formam esse vniuersalem, vel, vt alia originalia habent, vniuersalissimum, hoc est dictu: cùm compositum sit tanquam commune, ideò causa vt sic, erit communis. Et videtur declinare ad communem viam, quæ ponit materiam esse causam indiuiduationis, & determinationis in rebus materialibus. Vel sic & magis ad propositum: si omnis forma tantùm informat materiam, & nunquam est pars materiæ, vt informetur totum, per formam perfectiorem aduenientem; igitur tantùm materiam primam informabit: sed talis forma quæ immediatè aduenit materiæ primæ, est vniuersalis, vt patet de forma corporeitatis: ergo, &c. considera altiùs, si nosti ipse.

Si forma tantum informat materiam, est vniuersalis.

9. Ad hoc respondendo, introducit pulchra fundamenta. Primò, declarando quid sequeretur ex opposito illius conclusionis, si daretur. Vbi tangit duo causata, & duplicem informationem formæ. Et notanter dicit quòd compositum, de cuius essentia est materia, non propriè dicitur informabile, sed est potiùs forma ipsa totius, vt 2.*dist.*3. q.2. habet. Qui tamen teneret oppositum conclusionis, posset ad hæc respondere, si compositum ex vna forma, & materia, esset potentiale respectu secundæ formæ, ideò hoc excludit, cùm dicit; *si omnes formæ ordinatæ*, &c. vbi non debet esse §. principium, sed litera continua, & remittit se ad vigesimam quartam infrà, & sequentes tres. Illa vigesimaquarta est ista: *Iuxta* F.A.B. *hic non habet locum, &c.*

Duplex informatio formæ?

10. Deinde ibi; *secundùm aliquos, &c.* tangit tres modos dicendi de formis ordinatis: & primus habet duo dicta. Secundum ibi: *Hæc positio vltra dicit, &c.* & infert inconueniens, ibi: *Et tunc compositum non videretur vnum, &c.* quære Thomam & Henricum & alios antiquos, vt nosti. Secunda positio est ibi: *Aut cum hoc quod etiam formam quamlibet intermediam, &c.* Et infert quod videretur ex hoc sequi inconueniens, ibi: *& tunc videtur idem esse, &c.* & applicat illum modum dicendi ad vigesimam quartam & sequentes infrà: & declarat vlteriùs vbi incipit accidens, quia est totius, & non materiæ primæ. Et nota quòd loquitur de accidente per accidens. Ibi etiam declarat esse terminum formarum substantialium; vbi videlicet incipit accidens. Quære hunc 12.*dist.*4. *&* 3.*dist. prim. &* 2. Et ostendit consequenter quòd hæc via repugnat octauæ conclusioni infrà. Tertiam opinionem explicat ibi: *Si teneatur alia via, &c.* quæ videtur magis sua, vt suprà, in conclusionibus generalibus, & alibi sæpè tangit. Vide ante particulam illam: *Finis intrà, &c.* in commento. & *in* 4. *distinct.*11. Quære alios plerumque, & maximè VVarronem & sequaces huius. Et obiicit contra illam viam dupliciter. Primò interrogatiuè, ibi: *vbi incipit accidens.* Secundò, ibi: *Item, quare non dicetur, &c.* quæ tamen faciliter soluuntur sustinendo illum modum. Incipiet enim accidens coæuum subiecto, posterius natura passione; aut ratione formæ; aut materiæ; aut compositi; aut ab intrinseco; aut ab extrinseco causetur: nisi fortè dicas aliqua accidentia conuenire priùs tempore illi materiæ totali, quod verum est: & tunc aliqua accidentia præcedunt passionem specificam, licèt non priùs dicantur de specifico toto.

Quando accidens incipit in materia?

11. Quod quærit de forma priore, patet 8. Metaphysic. non enim vt forma est, perficitur; sed vt pars totius perfectibilis: & ita potest negari, si per se esset, quòd informaretur, vel perficeretur, seu reciperet aliam formam. Vide suprà, particula conclusionum vniuersalium. conclus. 22. in commento ad hæc. Vbi aduerte, quòd litera illa, sicut nunc debet commutari, tamen illa forma prior vsque, ibi: *Forma exemplaris, &c.* vbi incipit conclusio 3. vel 2. si primam propositionem ponis definitionem, & non conclusionem: & tota illa litera pertinet ad commentum: in quo variè habentur originalia. & ita computabis conclusiones per ordinem, & erunt tantùm vigintiocto, vel viginti septem, non connumerando primam. Examinabis optimè omnia verba Doctoris, in hoc digressu, vbi illas tres vias sub dubio reliquit.

Quomodo forma perficitur?

Deinde prosequitur propositionem tertiam, vel secundam, vt notaui de forma exemplari. & notanter conformiter dictis *in primo dist.2.quæst.*1. *in principio solutionis*, vt suprà, in illa particula: *Finis intrà, &c.* declaraui. Vnde forma exemplaris potest comparari, vel ad illud in quo est; vel ad illud, ad quod est; seu subiectiuè, & obiectiuè, vel terminatiuè. Primo modo potest rectè dici forma, maximè in creaturis: & sic loquuntur communiter Doctores: secundo modo reducitur ad efficiens, vt hîc rectè dicit Doctor, & alibi. In diuinis forma exemplaris pòtest dici idea, vt communiter ponitur; quæ tamen Deo non est forma: quia tantùm obiectiuè habet ibi *esse*, nisi ponatur respectus quidam rationis. Potest etiam Verbum diuinum appropriatè appellari talis forma, sicut ars, vel sapientia, licèt non æquè rectè. Essentiale etiam scientiæ, vel artis, potest sic nominari, & ipsa essentia Dei radicaliter: & voluntas, seu intellectus practicus formaliter, seu propinquè.

Forma exemplaris, quomodo est efficiens?

Propositiones quæ sequuntur vsque ad nonam, claræ sunt ex determinatione huius 7.*&* 8. *Metaph.* & vbi ibi notaui copiosè in doctrina huius. Quod addit infrà in commento 9. ibi: *conuenit cum illo primi de Anima*, vbi originalia communiter discorrecta erant: aduerte quòd recitat ibi dictum Commentatoris commento 53. *Membra leonis non differunt à membris cerui: nisi propter diuersitatem animæ ab anima:* quod est contra Thomistas, ponentes materiam esse primam rationem diuersitatis in formis, quia tunc circulus. Sed expone nihilominùs ibidem ly *propter* in auctoritate Commentatoris, nam neque materia formæ, nec ècontra, est prima ratio diuersitatis. 12.

Quod sequitur de *quod quid est*, & definitione, quære supra 7. Metaph. & 8. & considera. De compositione illa, de qua loquitur decima, & fundamenta Aristotelis ibidem pertractabis: posuit enim immaterialia necesse esse, &c.

Tangit consequenter in vndecima notabiliter, quomodo *quod quid est*; seu species, sunt numeri, pertractando similitudines, quas adducit Philosophus 8. *Metaph. text. com.*10. inter species & numeros. Conueniunt enim quo ad resolui in indiuisibilia; quo ad non pati diuisionem; quo ad habere per se vnitatem; quo ad non suscipere magis & minùs. Quære *in* 2. *dist.*1. *q.*7. *&* 10. *& in primo dist.*17.*q.fin. & supra* 8. *Metaph.* Hęc quatuor tangit hîc breuiter: & ostendit quòd non intelliguntur de forma partis: sed de forma totius, seu essentia, vel substantia cuiuslibet: vbi plura possunt ponderari, & specialiter de graduatione formarum.

Species sunt sicut numeri, quomodo?

Similiter quod sequitur in duodecima, de simplicitate accidentium, patet *suprà* 7.*&* 8.*Metaph. &* 8. *distinct. primo.* Quære Auicebron, & Bonauenturam & alios, vt nosti. Obiectiones ad vtramque partem, quas adducit, faciliter soluentur. Prima enim procedit Metaphysicè, & ad mentem huius, & secundùm veritatem. Secunda verò Physicè, vt patet: & quod ibi infertur ad finem, considera an currit. Similiter in substantiis, ponitur pluralitas formarum: ibi tamen non additur ad finem, *per formam generis*, in aliquibus originalibus, & satis rectè: sed terminatur sic: *esset actu*, vel sic: *esset actus*. Hoc est dictu, ponatur albedo composita ex *A.* & *B.* transmutetur *B* in *C.* manente *A*, tanquam forma communi generica, vel tanquam materia, cùm tamen *A* sit actus formalis, sequitur, subiectum transmutationis esse actu formali, vel actum talem. hoc dicit supra 13.

*Accidentia sunt simplicia 8. Met. quæst.*1.

supra 7. Metaph. omnia videbis, sed benè examinabis cuncta.

Sequens de compositione materiæ & formæ, & resultatione tertiæ entitatis tacta est suprà, particula *de materia* ad finem, & in sequentibus dubiis. Et quod ibi tangitur in quæstione habente quatuor membra, potest dici vt dixi suprà: videtur enim quòd primum membrum & tertium sint impossibilia, nisi *informare* dicatur *efficere:* quod non videtur, vt suprà in vniuersalibus conclusionibus dictum est. quære hîc Formalistas, & Nominales. Vide super primo Physicor. & 2. & 5. Metaph. benè ponderando.

14. *An omnis forma actiua?* Quod additur in 15. de quantitate & relatione, quòd non sint actiuæ, limitabis vt scis, benè examinando, & pondera ly *omnem*, vt nosti. Obiectio sequens contra secundam partem conclusionis, quæ posset poni corollarium, qualiter currit vide vbi se remittit: & sustineri potest tanquam conclusionis in multis. Patet de quantitate respectu qualitatis, & de vtraque respectu relationis. limita igitur dictum, ponderando ly *compositum*, & ly *formam*. Quære vbi suprà & 12. *dist.* 4. *& in q. Prædicabilium q.* 6. & distingue de multiplici receptione. in commento etiam sequentis 16. declarat se Doctor hîc.

An quantitas & relatio sint actiuæ? Nota valde ea, quæ dicit in commento 16. Vide 7. *q. Quodl. & alibi sæpè*, illa fundamenta: & pondera egregiè distinctionem illam de actionibus immanentibus, & transeuntibus. Et aduerte quòd illæ instantiæ, de quibus loquitur in 15. sunt istæ: *non tamen per omnem quantitatem, &c.* quære Auerroëm, & alios antiquos hîc.

Quomodo est vnum primum in quolibet genere? Deinde quod tangit in commento 17. pondera optimè, & castè de illa continentia vnitiua pertractabis. Vide 8. *dist. prim. quæst. 2. principali* optimè. Suprà etiam in particula illa: *Finis intrà, &c.* habet de hac duplici forma. Adde multa hîc de perfectione, & gradibus, & excessu entium.

15. Illam 18. sequentem expone vt suprà 7. & 8. Metaph. habet. Vide Auerroëm & alios antiquos 12. *Metaph.* Imaginationem Nicolai Turonensis examinabis de materia prima, & compositione accidentium.

Deinde ponit alias conclusiones: vtpote 19. & sequentes, referendo, vel præsupponendo conclusiones quasdam vniuersales suprà. Vbi aduerte, quòd illa obiectio post. 19.* potest euadi sustinendo, vt dixi priùs, illam relationem fundari super absolutum causæ: licèt Doctor suprà dixit hanc quæst. esse bonam, nõ tamen insolubilem. Vide vbi ibi notaui. & considera diligenter instantias, & replicas, vt scis, hîc. In aliquibus originalibus signantur hîc illæ conclusiones per literas, in aliquibus per numeros consuetudine Doctoris, vt notaui sæpè.

* Aliàs *post* 18.

In quo fundatur relatio causæ?

16. *Est* 23. Consequenter in 22. pertractat de formis ordinatis in eodem composito singularissimè. In aliquibus originalibus habetur in principio commenti sic: *hæc propositio non videtur vera, &c.* in aliis sic: *hæc probatio non videtur bona.* & vtraque litera potest benè stare. Aliqua etiam non habent illam primam impugnationem vsque ibi: *Quare forma ignis, &c.* examinabis illum digressum de pluralitate formarum: sed illa difficultas de forma ignis comparata ad formam aquæ faciliter soluitur; quia istæ sunt specificè disparatæ, vt patet. Prima impugnatio intendit, quòd illud, quod est in potentia propinqua ad actum, perfectionem actus accipit; huiusmodi est compositum ex forma priori & materia: vt dicit, & satis rectè.

Quare forma ignis non informat formam aquæ in formatum?

Deinde remittit ad particulam vltimam infrà de perfectio, conclus. 4. Vnde etiam potest confirmari illud, quod suprà de diuisione huius tractatus in particulas principales 5. seu capitula, vt Theoremata notaui. & non habetur in omnibus communiter illa remissio. Vult etiam, quasi alio medio arguendo, quòd illa conclusio 4. est contra istam; quia ex sola relatione ad perfectius, minùs perfectum perficitur: ergo non recipit propriam eius perfectionem in se formaliter; sed tantùm terminatur ad ipsam; quod infra ibidem in commento nono, declaratur optimè. Arguit consequenter contra Nominales, ponentes tot formas, quot prædicata in genere Substantiæ, satis notanter; sed quod infertur de asino, oportet limitare, scilicet, quòd velit asinum esse vltimam speciem sub animali. Vel quod loquitur de specialissimis animalis supra asinum dumtaxat, & non absolutè. Vltima ratio ibi notabilis est, sed limita eam; vt 11. *dist.* 4. exponit. Quære ad idem *dist.* 43. 4. *q.* 3. optimè. Nam hîc plerumque vtitur fundamentis communis viæ, maximè arguendo. Non intendit ergo quòd non sint ponendæ plures formæ in eodem; sed quòd non tot, quot prædicata; nec vniuersaliter perfectior est forma imperfectioris, nec formam vt talem, sed compositum perficit & informat superueniens perfectior.

Forma posterior compositum perficit.

17. Sequitur 23. conclusio quæ conformis est 20. vniuersali suprà, licèt in illa quotatione communiter originalia sunt discorrecta, & est multùm notabilis, & valde examinanda, in materia de pluralitate formarum; & pondera cùm dicit, *inquantum ordinata.* & considera quomodo intellectiua continet sensitiuam, & vegetatiuam. Nota etiam cùm dicit *forma informans*, ad differentiam formæ eminentis, vel vnitiuè continentis: & probationem expone ad vnguem. Infert corollarium destructiuum 16. vniuersalis suprà. Vbi semper aduerte, quòd illa super qua ibi posui *Extrà*, non debet numerari inter illas vniuersales: nam ista 16. est 17. vt habes quotationem, illa scilicet, *causa quanto prior, &c.* Alia multa ibi addat lector.

Quomodo intellectiua continet sensitiuam.

Vigesimaquarta & quatuor sequẽtes, de quibus fecit mentionem priùs in commento secundo, in quibus posuit literas. vt *A.B.A.C*, &c. satis difficulter applicari possunt: eo quòd illæ literæ vel omissæ fuerunt negligentiâ scriptorum, si Doctor eas in originali suo in margine, vel in principio propositionũ posuit: aut certè si implicitè eas intellexit, ab aliis intelligi non curauit: sed primum credo verius. Vnde breuiter videtur mihi, quòd hîc excludit, vel pertractat, & exponit quinque vltimas conclusiones vniuersales suprà: ita quòd 22. appellat *B.* & sic per ordinem. Per *A.* verò in omnibus potest intelligi, vel 21. vniuersalis suprà, vel prima conclusio huius particulæ, *de forma*, aut secunda. Vel fortè illa via vltimò recitata, suprà in commento 2. conclusionis huius particulæ. Vel si volueris imaginari has literas, & propositiones per eas assignatas in commento illius secundæ conclusionis, vbi recitat diuersas opiniones & impugnat, poteris probabiliter. Sententia tamen propositionum in se satis clara est. Quærat curiosus lector altiùs, si potest. Ne fortè, licèt minimè reor, Hesiodi, vel Empedoclis sermonibus Doctor voluerit hîc vti. Hîc prolixiùs immorari in applicatione

cation e varia harum, non finit temporis angustia. Vnde in summa notandum, quòd inter alia valde variè in hoc problemate procedit hic per totum: qualiter videlicet forma prior se habet ad posteriorem, vel potentiale eius, & ad materiam primam: sed huic vltimæ viæ magis adhærere videtur: vt suprà in commento 2. & alibi dixit: omnes tamen viæ sustentabiles sunt.

THEOREMA XXII.

SCHOLIVM I.

Circa tertiam, nota eam intelligi de agente, quod repatitur, acceptis in eo aliquibus dispositionibus ei non conuenientibus: vnde cœli non repatiuntur, nec fatigantur agendo in inferiora. Quod tangit de potentiis animæ, quæ fatigantur, locum habet per se in corporeis tantùm: spirituales enim per se infatigabiles sunt; hinc post excellentia sensibilia minùs benè sentimus, sed non sic post excellentia intelligibilia, in 3. de Anima, text. 7. Vide Doct. 2. dist. 9. quæst. 2. n. 26. Quinta, quòd agens sit præstantius passo, habet 1. d. 3. quæst. 8. num. 2. & d. 44. quæst. 2. ad primum, & 2, d. 2. q. vlt, in fine. benè ibi respondet ad replicam. Conclus. 6. optimè explicat, quomodo agens tam æquiuocum, quàm vniuocum assimilant sibi passum: de quo Theor. 17. concl. 9. & 10. Vide Doct. locis ibidem in Scholio citatis. Explicat benè quando forma inducta præsupponit contrariam, vel incompossibilem, nempe quando fit per motum, secus quando per mutationem: & explicat claris exemplis. Vide eum 2. dist. 1. quæst 4. ad 5. De quatuor conclusionibus, quarum mentionem facit in fine, vide Mauritium. De instrumento, de quo est 7. concl. dictum est Theor. 17. concl. 2. vide ibi Scholium.

1. 22. princ. 1 *Omne agens agit aliquo, quod est forma eius.*

Per hoc probatur definitio animæ 2. de Anima, text. com. 5. & inde Item 3. Physic. text. com. 17. species aliqua æstimabitur mouens. Instantia de intellectu secundùm Commentatorem; de caritate secundùm Magistrum Sententiarum; de visione beata secundùm Thom. 1. part q. 12. art 2.

2 *Illud quo agens agit, licèt sit forma agentis; est tamen in genere causæ efficientis respectu effectus.*

Quo multiplex, instrumentum; forma agentis, & hæc elicitiua determinatiua. & hæc imperatiua, regulatiua.

Agens agẽdo debilitatur: quando? 3 *Agens naturale per continuationem, vel frequentiam actionis debilitatur.*

Falsum est per se, verum per accidens, quando repatitur. Instantia de luminoso illuminante. Similiter agens morale, vel intelligens, fortificatur per frequentiam actionis. Quare etiam potentia vna agens intensè impedit aliam, 6. Naturalium par. 5. cap. 7. in animatis: & non ita in naturalibus aliis, lux & color? Respondeo, quia in animatis actionem vtriusque potentiæ concomitatur actio alicuius tertij, quod non potest vbique intensè agere. Contrà: sic substantia ignis agit quando color, & quando lux, &c. ergo eadem causa ibi. similiter quomodo semper est sic in potentiis animæ?

Quare agẽtia naturalia non fatigantur: animata sic?

4 *In artificialibus, ad genus causæ efficientis concurrunt imperans, dirigens, & exequens.*

Imperans, dirigens, exequens, sunt efficientes. Sed per tertium per se est efficiens proximum, per alia duo non: sed quia habens virtutem superioris agentis, sicut Deus se habet respectu naturæ, cui & imperat & eam dirigit. Quis ordo istorum dirigentis, & imperantis respectu actionis 8. si tantùm esset in isto directio, sine imperio? nunquid artifex O. 36. scilicet:

5 *Omne agens est præstantius patiente.*

Augustinus 12. super Genes. Et Philosophus 1. de Generatione. agere est formæ, pati materiæ, id est, alicuius inquantum habet formam, vel materiam: forma nobilior 7. Met. sic igitur sequitur. *Omne agens præstantius*, &c. Contra ibidem cap. de Actione: contrarietas requiritur inter actiuum & passiuum; illa est ratione formæ in vtroque. non ratione materiæ. Respondeo, requiritur vt quo patitur materia, vt sine quo non in passo vnum contrarium; sed aliud in agente requiritur, vt quo agat. similiter loquitur ibi de mutua actione & passione, vbi actiuum etiam est passiuum. 2. Cap. 29. Text. com. 53. & circiter. Text. c. 7. Text. com. 50. & inde.

6 *Omne agens agit sibi simile: vel assimilat sibi passum.*

Primo de Generatione cap de Actione. Probatur ibi: quia faciens est contrarium patienti, & generatio est in contrarium: igitur patiens transmutatur in faciens. Hęc probatio non videtur bona, cùm generatio possit esse in medium: igitur ex hoc quòd generatio in patiente est ad contrarium illius formæ præhabitæ, non sequitur passum assimilari agenti. Text. com. 52. & circiter.

Notandum, quòd hic est ordo conclusionum istarum. Prima est, *agens agit sibi simile.* Hæc est vera simpliciter in vniuocis, quia simile formaliter; aliquo modo in æquiuocis, quia simile sibi secundùm virtutem, quâ agit. Ex hac sequitur, si simpliciter vniuoca, igitur & patiens receptiuum formæ inducendæ, est eiusdem rationis cum materia agentis. Vltrà ex ratione motus sequitur contrarium termino *à quo* præesse, extendendo *contrarium* ad omnem formam eiusdem generis naturalis, scilicet ad contrarium propriè, & medium. Si autem actio illa est sine motu, cum mutatione sola, tunc non sequitur contrarium præesse: sed tantùm priuationem. Difficile tamen & rarum videtur, susceptiuum formarum alicuius generis

Assimilatio formalis, & virtualis.

Quæ formæ supponunt contrarias?

neris naturalis, nullam illatum actu habere: quia quomodo vna abiicitur, nisi alia inducatur, cum natura non intendat priuationem per se? Istud verum est in omnibus formis fortè inducibilibus per motum; quia sicut sic inducuntur, ita sic abiiciuntur, & motus habet vtrumque terminum positiuum; sed in formis inductis per mutationem, fallit. Patet de lumine in medio, de specie sensibili, & intelligibili. de anima hominis secundùm plures formas; igitur redeundo ad primum membrum, patet, quomodo ex vniuocatione actionis, & ratione terminorum motus, sequitur tertia vltra passum contrariari agenti; & quarta vltra agens repati; in actione cum mutatione non sequitur tertia, nec quarta.

7 *Instrumento datur forma, quâ est instrumentum; & ipsum habens eam cum principali agente, agit sine alia eius motione, ambo enim sunt vna causa efficiens.*

Effectus 24. & 26. generalis. & in tabula ad agens de influentia; quia requiritur præsentia amborum, vt sint vnum agens, sicut de materia & forma supra 11. quære.

SCHOLIVM II.

Hæc concl. 8. tractat de libertate, cuius tres gradus assignat. Primus, quando actio naturalis vnius subest voluntati alterius, quomodo omnis actio creaturum, est libera Deo. Secundus, quando libertas est tantùm in applicatione, vt in apertione palpebrarum, vel comestione cibi, in ordine ad digestionem. Tertius, est etiam quoad continuationem, sed in solis actibus voluntatis, elicitis immediatè; mediatè autem in aliis, quatenus voluntas potest alias potentias auertere, de quo 2. dist. 42. q. 4. §. Respondeo ergo *n. 10. De hac materia libertatis vide Doct. 1. d. 1. q. 3. 4. 5. & 2. dist. 6. q. 2. & d. 7. & 25. & 9. Met. q. 12. 14. 15. Replica, quam facit, satisfacilè solui potest, ex rationibus præmissis. Quod ait in fine, visionem impediri, etiam receptâ in oculo specie, propter nimis intensas actiones aliarum potentiarum, experientia patet. Nec obstat quod dicat 2. d. 42. q. 4. n. 10. actus aliarum potentiarum intendi, quando voluntas tendit in earum obiecta, complacendo in eis, quia id etiam experientia constat: sed si actibus nimis intensis voluntas sibi complaceret in illis obiectis, diminuerentur aliarum potentiarum actus, vel omnino cessarent, vt contingit fortè in raptis. De libertate, in quo consistat, & an sit in omni actu voluntatis, vide in nostro supplemento de Anima, disp. 3. sect. 14. & 15. Conclusionem decimam habes explicatam Theor. 19. concl. 13. & similiter vndecimam ibidem, & concl. præced. 12. vide Doct. 1. d. 39. num. 15. Sed hîc locum habet sensus compositus, & diuisus; quia pro instanti, quo vult voluntas, in sensu composito, non potest non velle. Quod ait 12. concl. solam voluntatem se applicare ad agendum, habes supra Theor. 19. concl. 12. & Theor. 20. & 9. Met. q. 15. Applicatio autem non est aliud ab actu voluntatis, vt ibi habet, & aliàs passim.*

3. 8 *Actio naturalis potest subesse imperio voluntatis.*

Sicut omnis actio naturæ subest voluntati Dei. Similiter voluntariè quis se præcipitat, vel cadit, & tamen naturaliter. Similiter naturaliter quis videt præsente obiecto, & medio illuminato, & tamen voluntariè. Hîc sunt tres gradus. In primo actio naturalis vnius, licèt necessaria respectu eius, & nullo modo sub eius potestate, est sub voluntate alicuius superioris. In secundo idem voluntariè imperat, & naturaliter exequitur: ita quòd non exequi non est in potestate sua, cùm incepit exequi. In tertio semper actus, & continuatio est in potestate volentis. Nota, actio naturalis dicitur naturalis à forma executiua: per accidens est libera, si subest imperio liberi. Nota etiam, quòd nulla actio quomodocumque omnino subsit voluntati, non necessariò imperanti eam, est necessaria: ergo naturalis actio, quæ subest voluntati mutabili tantùm, est vt in pluribus impedibilis. Nota, actio naturalis, quæ subest voluntati, non sic est libera, sicut velle: non enim potest impedire voluntas illam actionem actiuo & passiuo non impeditis, & approximatis quantumcunque tunc imperet oppositum.

Triplex gradus libertatis.

Vnde actio est naturalis?

Sed potest facere imperando agens non esse approximatum patienti, vel alterum impediri, & per hæc actionem illam impediri: suum autem actum proprium potest emittere voluntas non tantùm sic, faciendo agens non approximatum patienti: vel alterum impediri, sed sine vtroque istorum. sic saluatur illud Augustini 1. Retractationum cap. 9. & 22. *Nihil in tam potestate volentis, quàm velle*, & illud 14. Ciuit. cap. 23. *Animus imperat corpori faciliùs quàm sibi.* Primum intelligitur quantum ad actum in se; secundum quantum ad præcedentia actum. Facilius enim animus palpebras imperat claudi, ac sic rem non videri, quàm imperet sibi non amare, quod amat: vel ècontra: magis tamen est in potestate eius non amare, quia illa actio semper dum est, est in potestate volentis in se. ita vt obiecto approximato, puta actu intellectiuo, & nec ipso, nec voluntate impedita, dimittatur amatio: non sic visio stantibus omnibus præexactis ad *videre*.

Libertas actus eliciti, & imperati, differunt.

Potest etiam primum intelligi de *velle*, quod inest; non de illo, quod non inest; quia concupiuit anima mea desiderare, quod non desiderauit. Secundum verum est antecedenter, tam de *velle*, quod inest, quàm quod non inest, volitio tamen impeditur, & propter impedimentum intellectionis,

4. Psalm. 118.

lectionis, & sine impedimento. Sic voluntas copulat intelligentiam memoriæ, & conuertit cùm imperat vti forma in memoria; vel cùm imperat omnia impedimenta amoueri, quibus impediebatur talis visus: qualia potuerunt esse intensæ operationes aliarum virtutum, sicut est in dormiente. Sicut etiam species oculo raptim imprimitur, nec tamen videt: quia licèt visio sit actio naturalis, & specie recepta, agens & patiens approximentur: tamen visus impeditur agere propter fortem actionem alterius potentiæ, quam oportet amoueri, & sic intentione visum copulari rei. Nota, hîc videtur dare voluntati actionem naturalem: sicut datur arti, per quam potest conuenientia actiua adhibere passiuis, vt sic aliquid naturaliter producatur: igitur cùm sic sit actio in potestate, sicut & modus agendi, vel intensè, vel remissè, & èconuerso; sicut actio talis termini non est in potestate volentis: nisi antecedenter, sic nec eius intensio. igitur oculo non impedito, adhibito visibili non impedito, intensissimè videbit, & sic de aliis potentiis, quantumcunque voluntas imperet hoc, vel oppositum. Falsum est igitur, quod dicitur de voluntate Ciuit. 14. Ideò probatur, quia si potest minus, & minùs potest continuè diminuendo nihil agere. Econuerso probatur, quia plus repugnat principio actiuo omnino cessare, quàm minus agere.

Specie recepta in oculo, quomodo visio impeditur?

5. 9 *Agens naturale non impeditum agit secundùm vltimum suæ potentiæ.*

Sicut enim agere non est in potestate sua, sic nec intensè, nec remissè agere.

10 *Agens naturale (multò magis de voluntario) non impeditum, non necessariò agit.*

Nullus actus creatus simpliciter necessarius.

Tum ex octaua, tum septima similiter ex decimatertia vniuersali: tamen pro tanto necessariò: quia non est tunc in potestate sua non agere, & ideò ipsum necessitatur: non est necessitas simpliciter. Tamen naturalis tunc determinatè semper aget, voluntarium non: neutrum tamen necessariò agit, nisi in sensu composito.

EXTRA. *Contra hanc 10. 9. Metaph. c. 4.* T. c. 10.

11 *Agens non necessarium simpliciter, etiam quando agit, non necessariò agit, nisi in sensu composito.*

Vbi est *necessitas* concomitantiæ non concomitantis: nam in illo *nunc*, priùs est natura potens agere, quàm agat: & in illo priori naturæ, est potens non agere, & inquantum sic, prius causat actionem: non inquantum agens, quia idem causa sui.

Sola voluntas se applicat ad agendum.

12 *Nullum agens se applicat ad agendum, nisi voluntas; sed aliunde applicatur, aut quando agit, aut in productione agentis.*

Quid est ista applicatio? & destructo generante quid facit ipsum ad istam applicationem?

SCHOLIVM III.

Explicat conclus. 19. quomodo actio est causa passionis: de diuersis actionis acceptionibus, vide eum de Anima, quæst. 7, vbi in commentario plura de hoc dixi. De 14. vbi diuidit potentiam in essentialem, & accidentalem, vide eum 2. d. q. 10. num. 3. & d. 3. q. 8. ad 1. In 16. loquitur de agente principali, vt opponitur instrumentali, largè sumendo instrumentum, *pro causa dispositiua: vnde obiectio de voluntate, & charitate non currit. Vel dic obiectum voluntatis esse nobilius, quia latiùs patens. 19. concl. de instrumento tractata est Theor. 17. concl. 2. vide ibi Scholium. Ad primam instantiam, sufficit quòd habeat motionem passiuam, vt in serra. Ad secundam, illa concl. 24. est 25. Theorematis 19. cui non contradicit hæc: quia eatenus causa secunda non mouet nisi mota, quia dependet à prima, cui subordinata est, sine cuius concursu nihil potest, non quòd aliquam mutationem prauiam in se recipiat. Vide Doct. 1. d. 37. q. 2. num. 15. & suprà Theor. 19 concl. 12. & ibi Scholium. Ad tertiam, secunda non est immediatior effectui, quàm prima: instrumentum quandoque immediatione suppositi, non virtutis, immediatius est causa secunda. De 19. quomodo agitur in distans, vide 1. d. 37. & 2. d. 9. q. 2. n. 16 & d. 14. q. 3. In 21. per causam* promptoriam *intelligi puto executiuam, vel instrumentalem.*

13 *Actio est causa passionis, vel motio motus.*

Vt quia mouens mouet, ideò mobile mouetur: falsum videtur, si est idem re, actio & passio: tamen pro tanto accipitur: quia virtus actiua quod est vnum extremum, prius est naturâ ipso effectu, quod est aliud extremum: ideò intellectus accipit priùs relationem agentis ad effectum: quàm ècontrario. vnde per hoc intelligitur, quod mobile recipit moueri à vi motiua; non ècontrario. 6.

14 *Diuisio potentiæ in essentialem & accidentalem, non est nisi comparando ad secundum actum.*

Vnde non datur nisi de potentia actiua, & dicit defectum alicuius circumstantiæ necessariæ ad producendum effectum: quæ si est tota virtus actiua, vel pars eius, tunc tale est in potentia essentiali, ad agendum. si extrà, sicut in aliquo impedimento amouendo; tunc dicitur agens in potentia accidentali.

Potentia essentialis, & accidentalis.

15 *Nulla potestas est plenè actiua, si per suam essentiam in nullum actum, & in nullum obiectum potest.*

Intellige sine aliquo actuante ipsum, non per se, id est, sine instrumento, vel sine passo, vel sine actione alterius prioris agentis. voluntas respectu intellectus.

An agens principale habet nobilius obiectũ?

16 *Agens principale habet superius obiectum, ac actum nobiliorem.*

Instatur:

Instatur: Voluntas non habet obiectum nobilius, quàm habitus charitatis.

7. 17 *Instrumentum, vel causa secunda, non mouet, nisi mota priùs naturaliter.*

Igitur recipit actionem prius principalis agentis, quæ non videtur nisi applicatio eius ad agendum: & ita nullum instrumentum, nullum etiam secundum agens, erit ex se sufficienter determinatum ad actum suum. Contrà, tunc instrumentum habet actionem propriam contra septimam, de agente secundo, videtur oppositum vigesimaquarta vniuersali conclusione. Item magis videtur instrumentum, vel causa secunda esse determinata ad effectum, quàm agens principale, quia immediatior effectui.

25. Theor. 19.

Corollariũ.

18 *Nullum agens, cuius omnis actio manet in se, agit aliquid per instrumentum.*

Hoc non videtur verum de instrumento coniuncto, sicut potentia respectu essentiæ, sicut habitus respectu potentiæ: nec generaliter verum in instrumentis agendi, sed formaliter mouendi fortè, quia motus instrumenti est formalis ratio mouendi aliud: sicut baculus per naturam suam non mouet aliud localiter, sed formaliter, quia mouetur: tunc instrumentum non mouet.

An baculus mouet pilã effectiuè?

19 *Non omne agens est præsens suo patienti, vel effectui primo secundùm substantiam, nec secundùm aliquod esse: sic nec finis illi cuius est finis: sed tantùm efficaciter, vel virtualiter.*

8. Ita quòd ibi causat, vbi non est, prout determinat ibi terminum causationis: sicut ibi video, vbi non sum: cùm passum non possit esse immediatum agenti, nisi tantùm secundùm superficiem. Si enim non ageret primò, nisi in immediatum terminum, ageret in superficiem, & illa in proximam; & sic superficies esset sibi immediatè in passo, & infinita in actu: quia mouens, & motum oportet esse actu distincta. Sicut igitur non tantũ vna pars agentis primò agit secundùm totum, sic habet aliquod totum passum proportionatum sibi, quod primò patitur ab ipso, & illi toti est præsens efficaciter, siue in ratione agentis, licèt non localiter, aliàs magno agenti, & paruo virtuoso, & debili, idem esset proportionatum passiuum. Tamen distantia localis dupliciter consideratur: vno modo absolutè; alio modo quantùm ad ordinem partium. Primo modo impedire potest, propter suum excessum, actionem omnis creaturæ Secundo modo dupliciter, aut quòd actio non sit in distans, nisi sit in propinquum, sic pertinet ad omnem actionem corporalem, quæ nunquam agit in distans nihil agendo in medium. Alio 9. modo quòd actio sit secundùm ordinem partium, vt scilicet priùs naturaliter transmutetur quod propinquius: & sic nihil transmutabitur primò, & hoc negat decimanona conclusio. Sic ergo distantia nullo modo requiritur ad actionem Dei, qui si non vbique esset, adhuc fortè omnipotens esset: & ita posset causare in terra, & non per transmutationem intermediorum: quia tunc non causaret cum distantia omni modo ad actionem corporis: sicut quod determinationem requirit, & ordinem partium eius: sic quòd semper localiter est immediatè præsens suo proximo alterabili secundùm vltimum eius: sic quòd tactus virtualis, non est ibi sine tactu corporali: sicut virtus est corporalis in tactu, inquantùm totius secundùm aliquid eius, sic quòd propinquiores sunt transmutabiles ab ipso, aliàs nunquam transmutabit remotas, quia actus eius est per lineas rectas.

Agẽs corporale est sufficienter passo præsens, ad aliquam distantiã, licèt illud non tãgat.

Si Deus nõ esset vbique, an ideò omnipotens nõ esset?

Ad actionem Angeli requiritur determinata: sed non ordo partium, vel non inquantùm habens talem ordinem: potest enim agere fortè in distans, nihil agendo in propinquum: sicut in locutione, & illuminatione: non enim agit per lineas rectas: sed per conuersionem spiritualem intelligendo, & volendo: quod enim est approximatio in corporibus, est conuersio in spiritibus.

Angelus potest aliquid agere in remoto, nihil agens in medio.

20 *Causa originans non est aliud nisi efficiens, tamen fortè tale efficiens, quia consubstantiale, non materia.*

Quia tunc aliquid eius esset pars constituens originatum: & tunc in omnibus præterquam in diuinis aliquid substantiæ originantis, auferretur ab ipso per hoc quòd actu originat.

Originans nõ est causa intrinseca.

21 *Causa promptoria videtur efficiens: non principalis, sed disponens ad hoc.*

Similiter alliciens, vel inducens, similiter consulens in voluntariis: & coadiuuans, multa sunt alia.

SCHOLIVM IV.

Vigesimasecunda conclusio explicat benè quid sit creatio, & quomodo differat à generatione, & quod forma est per se terminus eius, non compositum: Vide eum 2. dist. 1. q. 2. & 4. & dist. 9. q. 2. & 4. dist. 1. q. 1. fusè. Habet optimam doctrinam in solutione instantiarum. De conclusione vigesimatertia, quæ est potiùs petitio, dicendum iuxta septimam, & octauam Theor. 17. quòd ad diuersas actiones non requiritur diuersa virtus: verbi gratiâ, in Sole ad indurandum, & emolliendum. In vigesimaquarta probo cùm dicit vnã actionẽ speciε conuenire potentia superiori, loqui de specie subalterna, non infima: & sic eius exemplis suadet de intelligere, *respectu intellectus.*

lectus. Vigesimaquinta optimè explicat id, actionis non datur actio, *scilicet qua sit terminus productus per eam. Quando verò ait quòd actio est terminus intrinsecus actionis non productus, sumit actionem terminantem, pro respectu agentis ad passum, qui resultat ex termino producto. Vide conclusionem primam huius. In vigesimanona tenendum est plures actus simul esse posse in potentia, saltem si vnus non sit perfectissimus, quem elicere potest: ita Doctor 2. dist. 42. quæst. 4.* §. Respondeo, *& 3. distinct. 26. ad quartum pro opinione num. 21. & 4. dist. 49. quæst. 10. in fine. Si tamen actus sit perfectissimus, difficile est quomodo elicere potest alios. De trigesima, vide Theor. 19. conclusionem vndecimam. Quod ibi tangit de minimo sensibili, quo scilicet minus non moueret seorsum, vide apud ipsum 2. dist. 2. quæst. 9. num. 30.*

Quid creatio?

22 *Creans non est nisi merè de nihilo nullo præsupposito.*

10. Transmutans autem materiam ad formam, inquantùm talis, non creat, sed generat, etiam si formam de nihilo produceret: sed si vtrumque facit, ita quòd formam producat, materiam non transmutando (cuius productionis per se terminus, erit forma, non compositum, quia tunc primæ impressiones omnium agentium, erũt creationes, secundùm primam opinionem) fortè ibi sunt duæ mutationes, vna creatio, alia generatio: sicut est in anima intellectiua. Si autem aliud producat, & aliud vniat; siue, quod idem est, materiam transmutat ad formam; siue, quod idem est, compositum producat; vniens dicetur generans, licèt non sit forma ab ipso. Forma enim est per accidens terminus generationis, compositum autem per se. Aut nihil omnino nouum est, aut tantùm à Deo immediatè, & ita nulla creatura aliquid operatur; aut aliquid producitur per creationem, cuius nihil præfuit. Et si creatura habet causalitatem super aliquam partem formæ, cuius nihil præfuit, pari ratione super totam, cùm tota sit eiusdem rationis, & agens totam habeat in se: nec tamen creatio, quia non est inter nihil, & ens, sed inter priuationem & formam: quia creatura inquantum talis absolutè fit ens, non alicuius forma, nec materia, illa productione: quod autem producitur primò per generationem, compositum est, & forma per accidens, inquantum aliquid eius.

Compositū est per se terminus generationis, forma creationis.

Contrà: igitur nulla necessitas ponendi animam rationalem creatam, cùm ibi compositum per se producatur, & tunc non est creatio, per te. Item, priùs naturaliter videtur, quòd oportet formam esse, quàm materiam informare. Item, non magis potens est virtus agentis, super id quod per accidens, vel secundariò attingit, quàm esset si primò attingeret, quia virtus in propinquius magis agit: igitur super formam primò posset agens naturale. Item, si actio est idem cum termino, & priùs naturaliter est actio, quàm ipsa producitur compositum; igitur prius naturaliter est forma, quàm compositum.

Ad primum ex his, quæ apparent circa transmutationem corporis humani à priuatione ad formam, vbi compositum primò generatur, non oportet fortè ponere creationem animæ: sed hoc aliunde probabitur, scilicet quòd aliquid nunc est de nouo, quod nullo modo cadit sub causalitatem agentis creati. Vnde ex medio, quod accipitur de forma ignis, quia aliquid est eius, cuius nihil præfuit, non sequitur ipsam generari. Ad secundum *falsum est prius*, &c. sed èconuerso: vbi tamen creatur, ibi producitur absolutè inquantum ens; & postea natura vnitur alia mutatione fortè. Sic ad quartum, prius enim terminus actionis est compositum, non forma. Ad tertium, benè potest aliquid in aliud per accidens, in quod per se non potest, sicut qualitas actiua in aliquam formam alterius generis consequentem qualitatem productam. Contra primum: Deus potest causare aliquid nobilius continens in virtute formam, quæ nullo modo causatur; igitur illud posset per transmutationem materiæ producere talem formam. Item: modò anima intellectiua est quâ homo agit ad dispositionẽ necessitantem ad ipsam. Item, vnde scietur compositum esse primum terminum? Ad primum: sicut non semper æquè nobile potest esse agens vniuocè, sic nec semper nobilius æquiuocè, si talis forma non sit actiua: aut igitur forma, de qua arguitur, habet de ratione sua, quòd quandocunque de nouo est, est per se producta de nihilo: & tunc non potest fieri aliquod continens ipsam in virtute actiua; aut non: & tunc potest, & conceditur conclusio. Ad secundum: aliquid potest super dispositionem: licèt non super formam. Ad tertium: compositum per se: igitur ab aliquo primo est, de forma non ponetur, nisi necessariò concludatur: quare inest isti possibilitas sine necessitate.

11. *Vnde colligitur animam creari.*

Anima rationalis prius natura est, quàm vnitur, è cōtra de aliis.

Non semper æquè nobile potest esse agens vniuocum.

23. *Nunquid duæ virtutes actiuæ ad duas actiones specie, concludunt duas formas realiter, vel tantùm duas rationes reales in vna forma?* 12.

An ad diuersas actiones diuersa requiritur virtus?

Pro primo Damasc. est 3. lib. c. 1.

24. *Superioris formæ, & perfectioris, non est nisi vna actio specie.*

Sed illa est perfectior, & ad plura se extendens, quàm actio inferioris: sicut intelligere, quàm sentire.

25. *Actio*

Quomodo actio terminus actionis?

25 *Actio est terminus actionis intrinsecus.*

Vt mutatio terminus motus, & sic passio passionis: sed non terminus productus per ipsam, sic intelligatur illud, *actionis non est actio: nec mutationis mutatio* 5. Physicorum.

T. c. 20.

26 *Actio cuiuscumque quando ipsum sit instrumentum, variatur specie ab actione eius, vt principalis agentis.*

Patet de calore, quando est instrumentum animæ.

27 *Actio non tantùm assimilatur principio agendi, sicut terminus actionis.*

Patet in naturalibus, per consequens contra Henricum de assimilatione intellectus, per actum, non erit: sicut esset per speciem.

28 *Si formæ sint plures in esse perfecto, & actiones: quia forma est principium sufficiens actionis.*

Quādo plures formæ plures habent actiones?

Propositio videtur falsa, quando forma non est totale eliciens actionis, sicut habitus, vel species: sed aliud, vt potentia agit mediante illa, quia potentia deficit.

13. 29 *Potentia habens actionem coæquatam sibi, siue secundùm totum vigorem, siue secundùm vltimum potentiæ, non potest simul alium actum habere.*

Probatur de mouente aliquod mobile secundùm vltimum potentiæ suæ, non potest simul aliud mouere. Respondetur, nisi altera illarum actionum alteram regulet, vel ordinet, vel perficiat. Contrà: semper arguitur eodem modo, ad illum alium actum requiritur aliquis vigor potentiæ: ergo non totus exhauritur circa primum actum. Respondetur aliter, glossando propositionem secundùm omnem rationem potentiæ, vel secundùm formam, quæ mediante potentia agit. Deus videtur tantùm secundùm portionem superiorem, & tantùm per suam speciem: restat portio inferior, & alia species. Contra primam glossam: Deus videtur ab intellectu secundùm omnem rationem intellectus: alioquin non omnis beatificaretur, & secundùm totam virtutem omnis rationis. Contra secundum, si operando per hanc speciem exhauritur totus vigor potentiæ, nihil potentiæ restat ad operandum secundùm aliam speciem. Aliter, propositio negatur, ignis secundùm vltimum sui calefaciendo *A*, potest simul calefacere *B*. Contrà: ista virtus *A* sphæricè multiplicatur in diuersas partes: pone totam secundùm vnam lineam multiplicari ad vnum, secundùm totum vigorem, nihil restat. Aliter, propositio falsa est. Instantia, intellectionem Dei adæquat essentia diuina in ratione obiecti, & tamen simul aliud intelligit. Contrà: hic non est alius actus, sed idem actus in aliud obiectum mediatum.

An potētia possit duos actus simul habere?

30 *Omnes formæ eiusdem rationis, sunt principia actionum eiusdem rationis.*

Aliter minima charitas non sufficeret ad actum suum: nec fides minima. Contrà: est minimum sensibile, minus si potest esse per se, non potest agere in sensum: quia tunc sensus posset crescere in infinitum in acuitate. Item, motus tardus ferri ad lapidem, non generat ignem, velox generat: similiter de sono, & corporibus sonoris applicatis. Item, minima charitas nullo modo beatificat, nec inseparabiliter vnit obiecto.

Causæ oppositæ habent effectus oppositos: & eadem eosdem.

SCHOLIVM V.

Tertiam non asserit, sed in commento pro, & contra disputat: quódnam agens agit in se, & quod non; latè tractat 9. Met. q. 14. Vide ibi Scholium, & secundum, & sextum, & loca eius ibi citata. Additio est subtilis, & pulchra, de forma, an illa sit agens primò, & compositum mediante ipsa, & tandem inclinat quòd sic. Videtur additio concernere conclusionem secundam Theorematis, seu particulæ 17. licèt aliter Doctor hîc citet; quia ordo variatus videtur. Reliquæ citationes huius additionis difficillimè accommodari possunt; fortè ideò, quia ordo textus in istis, quoad aliqua mutatus est; habet pulchram, etsi obscuram doctrinam; si lector non sistat pedem, nec cerebrum aliquantulum fatigari patiatur, fortè ex hac additione parum proficiet.

31 *Nihil agit in se.*

Quia vel idem opponitur sibi: actio enim est ratione contrarietatis: similiter agens est in actu, patiens in potentia respectu eiusdem: similiter quare non quælibet in se? Respondeo, in quadam actione, scilicet æquiuoca sufficit contrarietas virtualiter contenti in agente, ad illud quod est in patiente: Sol enim non est contrarius formaliter frigido: actus primus, in quo virtualiter est secundus, & potentia ad secundum, formaliter non opponuntur. Ad tertium, non quilibet actus primus habet virtualiter quemcumque actum secundum, qui inesse potest. Contra primum, actus virtualis stat cum carentia actus formalis; igitur non opponitur illi carentiæ. Contra secundum: si actus formalis opponitur potentiæ formali, igitur multò magis virtualis, quia ille continet actum formalem perfectiùs, quàm sit in se Aliter, quomodo Deus ad nihil est in potentia: tamen tantùm virtualiter, &c. Contra tertium, quælibet substantia est perfectior quolibet suo 14.

Quæ cōtrarietas requiritur inter agēs, & patiens?

ſuo accidente: igitur ſe mouebit. Item, vnde probabitur aliquid ab extrinſeco moueri?

ADDITIO. *Iuxta concluſionem ſecundam 22. nota quòd quando forma eſt quo, eſt cauſa effectus: non alia quàm efficiens: igitur falſum eſt, quòd illud* quo *eſt inſtrumentum agentis. Vltrà, ſi compoſitum non primò efficit, quia aliquo ſui: igitur illud prius, vel ad nullum primum erit hîc reductio. Reſpondeo, reducitur ad primum agens, non ad aliquod primò, quod ſit intrà. Et ad primum dicitur, quòd non eſt cauſa; quia non eſt.*

Contra hoc: tunc non tantùm erit non cauſa effectus: ſed nec etiam compoſiti agentis, quia non eſt. Contra aliam reſponſionem: omne prædicatum dicitur de aliquo ſubiecto primò; quia per accidens, ad per ſe, & illud ad primum: ſicut omnis veritas mediata, ad immediatam: ergo actio ſpecifica ipſius A *de aliquo dicitur primò, non de Deo: patet.*

15. *Duplex primitas; 9. Met. q. 14.* *Ad primum iſtorum: efficiens debet eſſe ens per ſe: quia agere præſupponit eſſe: & quia actio eſt ſuppoſiti. Ad ſecundum, æquiuocatur de* primo *contra partem, & contra* ſecundariò, *ſiue immediatè:* immediatè *enim dicitur de compoſito. Item tertiò, ad concluſionem illam: compoſitum ſic patitur per partem, quòd ſola materia recipit in tranſmutatione ſubſtantiali, in tranſmutatione accidentali totum primò patitur:*

Totum eſt ſubiectũ accidentium. *quia totum primò factum eſt tale: igitur ſimiliter de actione, & forma. Item, quæcumque forma ſeparata à materia, eſt cauſa propria operationis ita perfectè, ſicut in materia. Patet de anima reſpectu* intelligere, *& de accidentibus: igitur inquantum ſunt cauſæ, accidit eis materia. Item, accidens, & ſubiectum non faciunt vnum per ſe ens: ergo nec per ſe agens: igitur ſi aliquid eſt ibi per ſe agens, erit accidens tantùm. Reſpondeo: concedi poteſt, quòd accidens eſt cauſa efficiens reſpectu ſui effectus, & accidens tantùm effectus: quia accidens eſt per ſe ens habens ſuam entitatem completè, &*

Forma primò efficit nõ totum. *non eſt eſſentialiter aliquid alicuius: non ſic de forma ſubſtantiali, vnde ſimile non concludit. Tamen propter alias duas rationes præcedentes, ſcilicet tertiam, & quartam, poteſt concedi, quòd ſimiliter ſola forma ſubſtantialis primò efficit realiter. De modo loquendi non eſt diſputatio: compoſitum autem per ſe, quia per aliquid eius, & eſt vnum.*

EXTRA. *Maximè habent concedere, qui dicunt formam agere in materiam primam.*

Sed compoſitum ex ſubſtantia, & accidente per accidens, quia per aliquid ſui: ſed ipſum non eſt aliquid, ſed aliqua: quòd ſi materia, nec accidentaliter per accidens, multò magis, nec ſubiectum, ſicut vniuerſaliter eſt, comparando partes habentes oppoſitas conditiones ad totum inquantum denominatur à proprietate vnius partis, caput, pes, homo reſpectu criſpi. Tunc confirmantur duæ primæ rationes, quòd ad rationem cauſæ efficientis non requiritur, quòd ſit ens ſubſiſtens, ſed actu exiſtens pro accidente, vel actu: aliàs nec eſſentia diuina, inquantum huiuſmodi primò cauſaret. Vnde non oportet, quòd ſit actu per actum, qui ſit aliquid eius: forma autem primò eſt actus, non compoſitum. Confirmatur: quia ſicut notatur ſecundo 20. ſuprà, iuxta concluſionem ſeptimam vniuerſalem, cauſalitas efficientiæ eſt ſimpliciter perfectionis, non ſic cauſalitas formæ: actus inquantùm actus perfectio eſt. *Efficiens nõ neceſſariò ſubſiſtens.*

Et ſi arguitur, quicquid per ſe requiritur ad eſſe; *& ad* agere: *materia requiritur ad* eſſe *formæ; & ſubiectum ad accidens. Non valet, per ſe cauſa: igitur ipſum, & effectus, ſunt cauſæ per ſe ordinatæ 16.* A. *Confirmatur ſecundò: quia cui immediatè ineſt, etiam primò, id eſt, totaliter ineſt, aliàs paſſio ſuperioris primò ineſſet inferiori. Linco.* Nihil non cauſans, &c. neque ſimiliter in habitibus, *&c. obſeruantia 16.* 16.

Iuxta 19. 22. & 24. vniuerſalem, & primam, & ſecundam 17. poſſunt eſſe cauſæ per ſe ordinatæ, licèt nulla ſit cauſa alterius: faciunt enim vnam cauſam reſpectu tertij, ita quòd prior eſt perfectior, quaſi pars illius totius cauſæ, ſecunda imperfectior: & quaſi priùs, ſiue magis eſt illud tertium à priori, licèt à neutro ſine alio, inquantùm ſunt cauſæ ordinatæ: ſicut materia, & forma cauſant compoſitum, & forma magis, & perfectiùs: tamen non ſic priùs quòd poſſit intelligi cauſatum ab ipſa; & non cauſatum à materia. Intelligendo, enim ipſum cauſatum ab ipſa, intelligitur habens actum, & non actus: igitur habens aliquid aliud, quàm actus. Sic igitur non ſequitur formam habere aliquam cauſalitatem reſpectu materiæ, licèt ſint cauſæ quaſi ordinatæ reſpectu compoſiti: ſic enim ſequitur, priorem cauſam aliquam cauſalitatem habere reſpectu poſterioris: igitur ſi habet, hoc accipit inquantum eſt cauſa ſuperior. Videtur igitur 24. vniuerſalis neganda; quia cauſalitas prioris reſpectu poſterioris, facit priorem eſſe per ſe cauſam eius, non tamen per ſe ordinatam: etiam dato quòd ſecunda non tantùm in fieri, *ſed etiam in* eſſe *dependeat à priori, ſicut accidens à ſubiecto: quod tamen non eſt cauſa per ſe ordinata reſpectu accidentis, vel effectus accidentis* *Theor. 19.* *Vt cauſæ ſint ordinatæ, nõ requiritur vnam eſſe ab alia.*

quæſt.

quæst. 16. F. *Vniuersaliter quicquid* A *causaret, si* A *maneret, amoto per possibile, vel impossibile, quolibet alio, & non esset nisi* A. *Hoc dico, quia si maneret sine alio, esset Deus, & ita posset in* C, *igitur nunc non est causa secunda respectu* C, *non sequitur propter istud si esset tantùm* A, *non enim posset* C; *quia* A, *sed quia Deus, in quo includitur, ei accidit, in hoc* A *non est causa.*

17. *Igitur quantumcunque* B *sit necessarium, necessitate opposita impossibili, vel incompossibili ad esse* A, *non sequitur* B *esse causam priorem ipso* A, *comparando vtrumque ad* C, *nisi* B *vltra hoc, sit necessarium propter actionem* A, *sic quòd* C, *sit ab* A, *&* B, *vt ab vna causa integra, & ab* A, *minùs, & imperfectiùs, quàm ab ipso* B, *non solùm intelligitur hoc de* esse *simpliciter ipsius* A, *sed de quocumque* esse *per quod ipsum* A *causaret: quia semper* B *esset causa* esse A, *scilicet quod* esse *causat: multò igitur magis non oportet in causis ordinatis priorem esse causam alicuius* esse *in posteriori, quod omnino sit accidentale posteriori ad causandum: igitur influentia causæ prioris in posteriorem respectu tertij, per se loquendo, non est aliqua transmutatio posterioris, nec ipsa aliquid recipit: quia, vt arguitur, aliud agens, quicquid esset illud, amota causa priori, & illo manente, posset secundùm per se producere effectum, quod est impossibile. Sic licèt posterior, isto non recepto indiget priori: & tunc cùm non esset, nisi receperit illud, quando causaret, non esset dependentia à prima; imò prima nihil faceret in effectum. Oppositum creditur propter mouens, & motum, quòd moueri sit ratio formalis mouendi: sed tantùm est ordo huius ad hoc in essendo, à quo tertium, qui ordo communiter est secundùm ordinem essendi absolutè: nisi quandoque, propter modum essendi* A, *per transmutationem: sicut Angelus dicitur non causa formæ materialis: cuius Sol est causa.*

Influentia causæ prioris, non est transmutatio inferioris causæ, sed ordo causarum.

Si iste ordo sufficeret, tunc quæcunque distantia localis non impediret. Respondeo: distantia localis huius causæ prohibet productionem effectus, quia oportet causam præsentem esse virtualiter effectui: similiter illius causæ: oportet igitur ambas propè esse: non propter se inuicem, sed propter tertium; tunc 19. *falsa. Conceditur:*

An requiratur determinata distantia ad causandum?

18. *nisi sicut exponitur ibi, vbi motus est forma instrumenti: sed prima, & secunda* 17. *saluantur, accipiendo* operationem *pro proprio effectu. Vnde quòd prima sic accipit propriam secundo agenti, falsum est. Vnde ista opinio non distinguit inter instrumentum, & causam secundam. Si autem* operatio *accipiatur propriè, prout denominat operantem, sic primum habet propriam, & secundùm propriam. Nota* 9. *Metaph. quæst.* 1. potentialitas, potentia, potens, *primum merè importat respectum: secundum est denominatiuum respectu eius: sed abstractum respectu tertij: quod tertium denominat compositum, medium partem compositi: sicut* principiatio, principium, principians; causatio, causa, causans: *sed non sunt ista propria nomina hîc: sicut in potentia: quæ tamen in illo sensu significant principium: igitur eadem relatione denominatur immediatè pars compositi: & primò mediante parte, & per partem compositum. Exemplum* beatitudinitas, beatitudo, *quæ denominat actionem, vt visionem, vel dilectionem, cuius essentiam non dicit: sicut nec prædicando finem de ipsa, vltimum denominatiuum est* beatus. *Tenes igitur, quòd* quo *est primum principium: & eodem genere* quo *compositum principiat; imò eadem relatione numero cum illa, quæ dicitur de composito, cuius est* quo: *igitur, &c.*

Potentialitas, potētia, potens quomodo differunt?

Quo eadem relatione, qua compositum, principiat.

Contrà: igitur per solam relationem A *causat: quia per influentiam ipsius* B, *siue in virtute eius, quod idem est. Per hoc patet* 18. *vniuersalis: quia posse in virtute est posse, vt pars totalis causæ, & coniuncta alteri parti principaliori, quod non potest sine tali coniunctione Respondeo: sicut arguitur contra* 14. 20. *&* 13. 21. *essentia materiæ, & formæ non sufficiunt ad hoc, quod compositum sit vnum; sed necesse est ipsa intelligi vniri: & tamen ipsa vnio non est aliquid intra essentiam ipsius compositi: quia tunc non esset præcisè compositum ex materia, & forma. Et de essentia absoluti esset relatio; imò vltima forma eius: sed tantùm materia, & forma sunt causæ intrinsecæ: nunquam tamen causant sine relatione vnionis: sicut nec causant sine relatione causæ, quæ tamen non est de essentia compositi: sic hîc prior causa, & posterior, nunquam causant sine ordine: nec tamen ille est formalis ratio causandi in altero, sed absolutum, non tamen sine tali relatione: nec dependet inferior à relatione, sed à superiori ad quam habet relationem.*

An vnio sit de essentia compositi?

Contrà: igitur compositum est formaliter illud, quod est per relationem: igitur materia, & forma sunt relatiua 7 *Met.* G. *Respondeo: sit essentia materiæ* C, *formæ* D, *compositi* E, *dico, quòd est formaliter per* D, *sicut intelligitur* 14. *&* 20. *& integraliter ex* C D, *non tamen sine relatione: sicut efficienter lignum est calidum per calorem ignis: non tamen nisi sub relatione, quia & ignis primò fuit calidus: igitur nunc formaliter calefit per re* 19.

T c. 60. *An compositum constituitur per relationem?*

relationem: non sequitur. Elementa verò aliqua perfectione absoluta egent: quæ est de essentia compositi. Contrà, separatis C, D, *manent ipsa, & non* E, *igitur aliquid est in essentia præter ipsa: ita videtur argui* 7. *Metaphysic.* G. *Item, vnio* C D *prior est naturaliter vnitate* E: *ergo, & entitate. Confirmatur: quia non causant nisi, vt vnita, causa prior. Respondeo: separatis separabilibus naturaliter manentibus, vt ibi exemplificat, ipsa manent naturaliter, hac non: quia separatio hac est corruptio alterius extremi.*

T. c. 60.

Quomodo vnio prior composito?

Ad secundum, vnio prior: vt sine quo, non sit relatio causa: fortè tamen accipiendo E, *inquantum compositum: sic refertur ad* C D *inquantum componentia* E, *sed compositum est ens per accidens. Contra primum, de anima intellectiua. Item, naturaliter quid valet? quomodocumque enim hoc sunt, & illud non, hac non sunt tota essentia eius: quia tunc idem simul esset, & non esset. Item, ista vnio, aut mutatur sine mutatione extremorum, aut in illa separatione oportet ponere materiam mutari, vel formam: igitur aliquod absolutum priùs quod non nunc. De ista materia quare* 8. *Metaph. quæst. vltima.*

An in composito sit tertia entitas?

ANNOTAT. MAVRITII.

20. SEquitur illa particula: *Omne agens agit aliquo*, &c. vbi originalia variè habentur quantùm ad ordinem propositionum: vt suprà in illis vniuersalibus contingebat: transmutauimus literam meliùs, quo videbatur ad propositum, vt vides: si alius ordo conuenientior apparebit, eligat discretus lector. Ponitur enim primo loco ab aliquibus illa quam infrà 13. quotaui; & sic de aliis. In hac parte regreditur ad agens, seu causam efficientem: licèt suprà in generali pertractauit de ipsa, sicut ibi notaui: & nimirum, quia maximè auctores loquuntur variè de agente. Secundùm ergo sententias diuersas diuersimodè de eo sentiri potest. Fortè etiam ibi magis transcendenter, hîc verò limitatè, vel in speciali, & Physicè magis, vt patet in processu. Habito enim sermone de causis in generali, prosecutus est de omnibus in speciali; vt vides ordinatè. Omnia tamen ad agens pertinentia, possent sub vna particula locari. In hac etiam plures §§. ordinari possent secundùm quòd diuersimodè de agentibus, actionibus, & modis agendi pertractat, quæ omnia relinquo lectori. Maximè in his propositionibus loquitur assertiuè, & secundùm propriam opinionem, & vbique in via eius currunt.

Agẽs agit per formã, & instantia soluuntur.

Prima est famosa apud eum. Vide in 1. *dist.* 17. *q.* 1. & 2, & *in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. & *dist.* 8. *q.* 8. & alibi pluries, quam probat ex Philosopho notanter. Et instat contra conclusionem ex Commentatore 3. *de Anima, commento* 5. & *inde.* & alibi sæpè, in fictione illa de intellectu, & non soluit: quia nihil videlicet non meretur aliud, nisi quod primum principium negantes, sententia Auicennæ quod iam experitur in adeptione intellectus agentis cum possibili ad tormenta. Deinde 2. instat ex Magistro Sentētiarum *d.* 17. qui posuit Spiritum sanctum esse charitatem nobis assistentem, qua diligamus Deum, & non tenetur communiter: licèt exponatur curiosè ab isto *ibidem.* Tertià instantia est ex Thoma, vbi in litera allegatur, qui negat Deum posse videri per aliquam similitudinem creatam. Quære in 3. *dist.* 2. *q.* 8. vbi impugnatur, & eius motiua soluuntur.

21. Secunda est, de *quo* agendi, & est clara, & suprà tacta, vbi consequenter tangit multiplex *quo*, vt suprà etiam de agente habet, & posset poni 3. propositio. In originalibus etiam antiquis habetur sub quadam resoluta forma ad modum arborum: sed ad longum ordinaui propter facilitatem impressionis, omnia membra declarabis, vt nosti in isto plerumque.

Principium quo agendi multiplex.

Tertia est famosa apud Philosophos. Quære Aristotelem 1. *de Generatione, text. comm.* 54. & alibi sæpè. Et maximè est vera propositio apud ipsum, quando agens, & patiens communicant in materia, & hoc est, quod addit Doctor in litera cùm dicit: *Falsum est per se, verum per accidens, quando repatitur*, &c. hoc est, ratione materiæ secundùm Philosophum, & Commentatorem, vbi suprà. Deinde instat contra se: sed prima faciliter soluitur ex dictis Commentatoris vbi suprà; si verò ponatur materia in cœlo, vel corpore luminoso; non tamen suscipit peregrinas impressiones, 1. *Cœli, tex. comm.* 21. & 22. Vel fortè secundùm veritatem recurrendum est ad continuationem causæ primæ simpliciter in omnibus, & quo ad esse, conseruare, & agere. Aliam instantiam de agente mobili, *ex* 2. *Ethicor. cap.* 1. & 2. & 3. *de Anima, text. comm.* 7. adducit, & faciliter soluitur, quia intellectus, & voluntas sunt potentiæ non organicæ. Et refert fortificari, quo ad virtutem, & animam, & quoad corpus. Fortè enim in eliciendo actus maximè exterius debilitatur totum: licèt non anima, nisi inquantum dependet in agendo à potentiis organicis. Plura hîc Physicæ considerationis addantur. Mouet postea vnum dubium notabile de impedimentis potentiarum inter se. Et respondet notanter satis: sed replicat optimè. Ad cuius solutionem pondera primò, hinc argumentum ad probandum identitatem realem potentiarum animæ, secus in accidentibus ignis. Deinde tange diuersitatem organorum, & ligamina membrorum animalis, & admirationem, & stuporem in animalibus, & imperium potentiæ superioris in agendo: & plura alia, vt scis.

Quare luminosum nõ fatigatur agendo?

Quomodo anima fatigatur?

22. Quarta est de tribus ordinatis in efficiendo. Primum voluntas; secundum intellectus practicus; tertium potentia executiua: & declarat optimè, quo modo se habent inter se, & respectu efficientis. Vbi ad finem ponitur quædam quotatio communiter, tamen non habetur in omnibus originalibus, fortè est ad primum Sententiarum, in materia de ideis: sed quære in tabulis, & suprà in tractatu creditorum, & in tractatu de primo principio, & infrà hîc *conclusione* 8. & alibi. Quære in materia de praxi in *Prolog.* & 38. *dist.* 1. Benè valeret ibi 38. vel 39. vt applicaretur ad primum Sententiarum: sed reputo quod aliò direxit. Pondera quomodo dirigens, nunc præcedit, nunc sequitur imperans.

Imperans, dirigẽs, exequẽs, quomodo se habent inter se?

Quinta est famosa de præstantia agentis respectu passi, quæ est Augustini, & Philosophi 3. *de Anima, text. comm.* 19. quam declarat, & probat ex fundamentis Aristotelis; sed plenè, & resolutè 3. *dist.*

Agens præstãtius passo.

3.*dist.*1. *quæst.*7. *soluendo argumenta primæ opinionis.* Tangit etiam idem in 2. *dist.* 3. *q.*8. *& dist.*9. *eiusdem, & in* 4.*dist.*44. *q.*2. Quære alibi sæpè, vt scis. Obiicit consequenter ex Philosopho,& soluit singularissimè,vbi litera satis clara est.

23. *Duplex assimilatio, & actio.* Sexta est de similitudine agentis ad passum ex Philosopho. vbi allegatur, & 2. *de Anima*, *text. comm.* 62. & 3. *de Anima, text. comm.*37. *& inde.* & alibi sæpè. Adducit probationem Philosophi: & instat notanter contrà. Deinde declarat egregiè ipsam:& quomodo ordinatè dicta Aristotelis ibidem procedunt. Vbi aduerte de duplici assimilatione, formali videlicet,& virtuali, de qua etiam suprà pertractaui: & duplici actione, per motum videlicet,& mutationem,& terminis vtriusque: & tange ibi de terminis motus,& mutationis, vt habet in 2.*dist.*1.*quæst.*3.*soluendo* 3.*principale*, *& dist.*2.*eiusdem,q.*7.*ad finem. & in* 4.*dist.*10.*q.*1. *&* 2. *& in Quodlib.quæst.*10. Addit etiam notanter de facto saltem, & naturaliter de possibili, quomodo susceptiuum formarum eiusdem generis, naturalis, seu Physici, est sub vna, vel alia earum semper: & infrà in motu naturali, concomitantur se termini pòst,& termini concomitantes, non posito miraculo: secus in mutationibus, vt exemplificat tripliciter notanter. Ibidem etiam tangit triplicem contrarietatem conformiter dictis Philosophi 5. Physicorum. Attende optimè ad id, quod dicit de anima hominis. Nam si ponatur forma corporeitatis alia ab intellectiua in homine, tunc inductio intellectiuæ non est mutatio: si non, est. & est singulariter aduertendum, & potest applicari aliqualiter contra Thomistas. Vide in 4.*vbi suprà, & distinct.* 1. *quæst.* 1. *&* 43. *distinct. eiusdem, quæst.* 2. *&* 5. *& in* 3. *distinctione* 2. *quæst.* 3. *& distinct.* 7. *eiusdem, quæst.* 2. *& in* 2.*distinct.*17.& nota,quòd illæ quatuor conclusiones, quas recitat in litera, sunt ista 6.& præcedens tertia, & aliæ duæ in probatione istius ex Philosopho.

Triplex contrarietas.

Septima de instrumento patet suprà de agente, & vbi remisi ibidem, & de multiplici acceptione *instrumenti.* Illæ quotationes ibidem 24.&c.vsque ad finem, non habentur communiter in originalibus: sed satis benè currunt. Cùm dicit in fine; *suprà* 11. aduerte, quòd est 11. principalis supra: vt litteram ordinaui, & satis rectè per totum.Credo,quod affuit numen Scoticum,vbique: sed communiter in omnibus originalibus, non ponitur ista hîc.

24. Octaua est valdè notabilis de imperio voluntatis, vbi probabiliter posset poni principium particulæ, nisi propter dependentiam, & allegationes sequentes,quam declarat tripliciter,ex quibus infert triplicem gradum actus naturalis, sub imperio voluntatis,& totum clarum,sed maximè notandum.

Deinde ponit pulchra notanda per ordinem. Primum est, à quo dicitur actio naturalis. Quod tamen limita, & declara: vt in 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *& dist.*18. *eiusdem, & in* 4.*dist.*43. *quæst.* 4. *& alibi*, sæpè habet: & pondera quod dicit de libero per accidens.

A quo actio dicitur naturalis.

Secundum notandum, quòd aliqui conclusionem assignant, est de impedibilitate actionis naturalis talis,vbi tange plura de libertate voluntatis creatæ,& increatæ,vt scis.

Tertium notandum est,quod etiam aliqui conclusionem assignant, de comparatione actus liberi naturalis eliciti à voluntate, & imperati ab ipsa. & est meritò notandum, quia singularissimum, & in multis locis applicabile. Vbi duo dicta Augustini exponit,& declarat,& inter se comparat, & originalia fuerunt ibi vitiata communiter, benè tamen ordinauimus cuncta. Quære 3.*dist.*1.*q.*4.& in materia de lib.arbitr.in 2. & alibi sæpè,vt 2.*Physic.& 9.Metaph.*De motu etiam grauium, & leuium, & proiectorum, & huiusmodi potes hîc pertractare,& è contra. *De actu libero elicito, & imperato.*

Quartum notandum, quod similiter conclusio ponitur ab aliquibus, est impugnatiuum quodammodò præcedentium: sed patet quòd non est simile de arte, & voluntate; sicut nec de intellectu; apparenter tamen arguit. Ex præcedentibus tamen de gradibus illis, & tertio notabili patet eius solutio. Illa quotatio in fine variè habetur: nam aliqua originalia videntur quotare illam conclusionem 8.vel 7. suprà: *Actio naturalis*, &c. sed satis benè applicatur ad illud Augustini *de Ciuitate* 14. vt ordinaui. Vltimò arguit pro veritate notabilis 3. & illius dicti Augustini, satis efficaciter. 25.

Nona conclusio procedit ex 9. *Metaph. text. com.*10.*&* 1.*Cœli,text.*116. limita tamen, vt suprà in 9.Metaph. habet. Vide 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. 8. *&* 10.*dist.*1. & alibi sæpè ad hæc, vt suprà plerumque notaui.

Decima videtur contraria 9.sed non est: si rectè aduertes. Ponderabis propter ly *necessariò* additum in 10.quod non habetur in 9.& remittit se ad præcedentia. Vbi variè originalia quotant: sed satis benè habes. In dies omnes istæ quotationes literam intricantes depurabuntur, quia humana ingenia ad micrologiam inclinantur: vtinam potius veritatis subtilius cribrandæ,quàm æris abundantius cumulandi zelo. Considera. Declarat satis abundanter non repugnantiam huius conclusionis ad præcedentem tacitè. Illa obiectio ad finem ex 9. Metaph. non habetur communiter in originalibus, ideò *Extra* notauimus ipsam. soluitur tamen faciliter ex dictis, quia tantùm de necessitate secundùm quid, & de facto procedit. Adde ad hæc plura, vt expedit. Aliqua originalia habent ibi: *contra hanc* 12. vbi habes 10. fortè propter alium ordinem conclusionum, vt priùs notaui. *Nulla actio creata simpliciter necessaria.*

Vndecima satis copiosè suprà in vniuersalibus conclusionibus 12. & 13. pertractata est; ad quam se remisit ibi. & ad alias hîc circiter. Quære in doctrina huius, vt ibi notaui. Vbi aduerte in commento de duplici necessitate, vt sæpè habet iste, & maximè 39. *distinct.* 1. *&* 1. *distinct.* 2. ad propositum, & potest vocari necessitas concomitantiæ, vel consequentiæ indifferenter. 26.

Duodecima est de applicatione agentis ad agendum: & est singularis, & benè examinanda, de qua etiam suprà fecit mentionem, saltem implicitè. Mouet dubium in commento de ista applicatione. de qua loquitur conclusio,& non soluit. Et ibi multa possent adduci. Vide 2. *dist.* 2. *q.*10.*& super* 7.*&* 8.*Physicorum*, de motu grauium, &c. posset breuiter dici, quòd est in applicatione, seu in coniunctione causarum,vel ordine,siue dependentia: nam omnia diriguntur, & applicantur à prima per cognitionem, & voluntariè causante, & applicante. Sed hoc pateretur instantias in doctrina huius. Quare dic altiùs, distinguendo de applicatione, & inuestigando vtriusque causam,& totalem,& partialem. *Quid est applicatio causæ ad agendum?*

De distinctione actionis, & passionis. Decimatertia est de actione, & passione, vbi posset etiam principium particulæ poni, & accipitur ex 3. Physicorum, & primo de Generatione, & Auctore sex Principiorum: quam egregiè declarat, dando instantiam ex communi modo dicendi. Examinabis cuncta ex Logicalibus, & Physicis, & Metaphysicis considerationibus. Quod tangit de relatione actionis, & passionis, vbi notanter dicit: *Ideò intellectus accipit*, &c. Pondera, vt habet 1. *distinct.* 2. *quæst.* 2. & alibi, vt ibi quotatur, & suprà sæpè tetigi. De distinctione harum vide in 5. *Met. q.* 6. & adde plura hîc.

27. *Potentia essentialis, & accidentalis explicantur.* Decimaquarta est de illa famosa diuisione potentiæ in essentialem, & accidentalem, quæ valdè singularis est, & examinanda. Quære 8. Physicorum *text. com.* 32. *&* 2. *de Anima, text. comm.* 2. & aliqualiter *text. comm.* 55. *&* 60. *&* 3. *de Anima, text. com.* 8. 5. *& inde*. Quam probat, & declarat mirabili solertia. Vide suprà *in* 9. *&* 3. *dist.* 1. *quæst.* 7. *&* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *&* 3. *&* 25. *dist. eiusdem, & in quodlib. quæst.* 15. & alibi sæpè ad hæc. Adde instantias ex considerationibus Physicis, vt scis. Pondera ibi duplicem circumstantiam necessariam ad agendum: & similiter duplex impedimentum.

De potentia plenè actiua. Decimaquinta est de potentia plenè actiua. Vbi nota ly *plenè*, quàm egregiè exponit. Vbi etiam attende cùm dicit, *non per se actuante*, &c. In fine in aliquibus originalibus habetur, *voluntas respectu intellectus*: & sic posuimus. Quod applicabis, vel vt exemplum vltimi membri in declaratione conclusionis; vel tanquam obiectionem contra actiuitatem voluntatis: & si sic, considera quid iuris, & an faciat pro opinione Thomistarum de prærogatiua intellectus. Vide 4. *dist.* 49. *quæst.* 4. & alibi pluries. Vide Vuar. & sequaces huius.

28. *An voluntas sit causa principalis actus charitatis?* Decimasexta comparat agens principale ad secundarium: vel instrumentum. Et instantiam adducit, comparando voluntatem ad charitatem, præsupponendo voluntatem esse principale agens, in eliciendo actum. Et licèt posset solui distinguendo de agente secundario, vel instrumento, coniuncto videlicet, vel separato, altiùs tamen inuestigabis veritatem præsuppositi ex 17. *distinct.* 1. vbi habet, quòd charitas est principale vno modo: licèt voluntas sit tale alio modo, & potest ponderari, quia valdè sapit. Quære alia ad hæc.

Decimaseptima est de motione, vel determinatione instrumenti, vel causæ secundæ ad agendum, & est notabilis, & suprà sæpè tacta. Ex qua infert corollarium duplex. Et obiicit quantum ad instrumentum ex dictis suprà 7. huius particulæ. Vnde infert, quòd illa est de numero conclusionum huius partis, & etiam quòd continuatio conclusionum benè ordinata est. Quantùm verò ad causam secundam, recurrit ad vniuersalem 24. quæ tamen 25. est, vt suprà ordinaui numerum, propter illam quam superaddidi, quæ est *Extrà*. Secundò directè obiicit contra dicta, & non soluit hîc, quia consuetudo eius est, vbi non tangunt argumenta, & ex aliis iam declaratis faciliter solui possunt, non amplius de eis curat, & in hoc sollicitum reddit lectorem. Sed istæ obiectiones faciliter soluuntur ex dictis. *An causa immediatior effectui, est magis determinata?* Vide 1. *quæst.* 4. *&* 37. *dist.* 2. *& suprà de primo princ. &* 5. *&* 2. *Met. &* 2. *distinct.* 1. & alibi sæpè ad hæc. Vnde non valet, est immediatior effectui: ergo determinatior ad agendum. Vbi tamen potest distingui de immediatione entitatiua, vel virtuali; & de determinatione multiplici, vt priùs notaui. Plura hîc adducat ingeniosus lector.

Decimaoctaua, quam tamen in aliquibus originalibus corollarium præcedentis assignant aliqui, & præcedit obiectiones præcedentes, & litera variè sequitur hîc. Nam illa septima suprà ponitur post istam ad finem commenti, ibi: *tunc instrumentum non mouet*, &c. sed ordo iste placet: licèt alius esset satis conueniens: est de agente actione immanente, à quo negatur instrumentum: quam tamen singularissimè limitat, distinguendo de instrumento coniuncto, & separato; & agendi, atque mouendi. Vbi pondera ly *formaliter*. Paucis multa dixit, & exemplificat clarè. Quære vbi suprà notaui, vt 1. *&* 6. *dist.* 4. ad hæc. Multa hîc pro, & contra, adducat diligens lector: quia capit instantias, & plures pulchras subtilitates hæc materia. Quære antiquos, vt vis. 29.

Decimanona est de præsentia, & immediatione agentis ad passum primum, vbi pondera ly *primò*, & est multùm notanda in considerationibus Physicis transmutationum, & motuum, & huiusmodi. Quam declarat mirabili discursu. Ne tamen videatur repugnare fundamentis Aristotelis 7. *Physicor. text. comm.* 8. *& inde*, & alibi sæpè, distinguit de præsentia, locali, & virtuali; & de distantia locali suo modo. & qualiter impedit, & quando, & cuius actionem, loquendo de Deo, Angelo, & corporali agente. Vbi introducit de omnipotentia Dei, & eius immensitate cum *forsan*, quoddam notabile dictum: ad quod determinatè intelligendum, vide in 1. *dist.* 37. & maximè in Reportatis. Consequenter ibi pertractat qualiter distantia requiritur in agente corporali, & cum quibus conditionibus, egregiè. Deinde qualiter requiritur in Angeli actione, breuiter & Scoticè. *Quæ præsentia agentis ad passum requiritur?*

Ad quod copiosiùs considerandum, quære in 2. *dist.* 9. ad longum, & 14. *distinct. eiusdem, quæst.* 3. 2. *etiam dist. eiusdem, quæst.* 5. Vide etiam in 4. *dist.* 45. *&* 49. *&* 50. *quæst.* 3. *& in* 3. *distinct.* 14. *& super* 4. *Physicorum.*

Attende insuper ibidem ad illam quotationem, cùm dicit: *& hoc negat*, vbi habes 19. & debet referri ad hanc eandem. Alia originalia habent 20. & ita fortè supputando alio modo ista, esset 20. Alia etiam habent 29. & posset referri ad illam infrà hîc quotatam 29. vel fortè voluit intelligi suprà: quære curiosè ibidem: sed satis benè iacet litera. Quære specialiter ad propositum huius conclusionis in 2. *distinct.* 2. *quæst.* 9. *soluendo* 2. *principale ad finem.* Quod ibi vltimò tangitur de locutione, & illuminatione Angelorum, & actione per lineas rectas, & per conuersionem, vide in 2. *distinct.* 9. *&* 13. & in Perspectiua, vt volueris. 30. *De locutione, & illuminatione Angelorum.*

Vigesima est de causa originante, quam dicit reduci ad efficiens. Vnde elici potest, quòd in hac particula, vt prius notaui, agit de efficiente. Vbi aduerte, quòd originans aliquando est alterius naturæ ab originato, & communiter in omnibus ita est, præterquam in diuinis, & hoc vel alietate numerali, vel essentiali. Aliquando verò est eiusdem naturæ in numero, & consubstantiale: vt in diuinis. Vide 5. *distinct.* 1. *quæst.* 2. Adde multa Physicè, & Theologicè ad hæc. Attende etiam cautè, quo modo in diuinis potest dici efficiens, iuxta ea quæ habet iste 3. *dist.* 1. *q.* 7. *&* 25. *dist.* 2. *& supra* 9. *Metaph. q penult.* de relatione efficientis: sed dic, vt suprà dixi, quòd extensiuè accipit *efficiens*, pro *producente*. *Originãs semper increatis, alterius naturæ ab originato.*

Vi

Vigesimaprima est de alio modo causandi, vbi aliqua originalia habent *promptoria*, alia *instrumentalia*; breuiter vult, quòd omnia huiusmodi reducuntur ad efficiens. Exemplifica in artificialibus, & naturalibus, & politiis, & huiusmodi, vt nosti.

31. Vigesimasecunda est de alio speciali modo efficiendi, saltem extensiuè loquendo, qui est creare, quem modum ponunt Theologi, & negant communiter Philosophi. Vbi inuestigat optimè quid sit terminus creationis, & à quo potest produci, scilicet quòd à solo Deo. Ponitur in aliquibus originalibus ibi quædam litera, quam non habes: nec refert, quia non est necessaria, quæ sic incipit: *Philosophus videns*, &c. Vide copiosè ad hæc in 2.*dist*.1.*q*.2.& 4.*& dist*.9.& 17.*dist.eiusdem*, pro opinionibus quas recitat, maximè cùm dicit *secundùm vnam opinionem*, &c. & 1.*q*.4. Vide etiam in 3.*dist*.11.*q*.1. optimè, & in 1.*dist*.17. Quære suprà in 7.*q.de rationibus seminalibus, &* 18. *dist*.2. *& alibi pluries.* Vide antiquos Philosophos, & Theologos. Attende, quòd illa litera, *siue quod idem est, materiam transmutet ad formam*, non ponitur communiter, nec necessaria est. Ibi etiam habes qualiter homo generat hominem, licèt anima creetur, quod benè notandum est: sed instantias considera: qualiter potiùs potest creatura attingere ad vnionem formæ, quàm ad eius productionem primam origine: sed hoc infrà Doctor non omisit. Ibi etiam est via impugnandi positionem de inchoatiuis formarum. Ibi etiam notabiliter habetur, quòd terminus creationis non est forma, vt forma, sed vt tale ens; vbi instantias diligenter exclude: vt etiam Doctor ipse in sequentibus tetigit. Multa alia ibi paucis tetigit Aquila per prope Solem. Breuiter, vult quòd transmutans materiam ad formam, inquantum tale, non creat formam: nec etiam non transmutans, si producendo formã, simul natura vniat eam; nec vniens vt tale, est creans: nec ideò non creat, quia aliquid formæ præsupponit; nec si totam producat materia priuata concurrente, quia termini non sunt purum nihil reale, & ens: sed priuatio, & forma. Relinquitur ergo cùm creatura non possit aliter producere, quòd solus Deus creat. Vide 1. *q*.4. resolutè, & vbi suprà, & tange instantias Philosophorum.

Creationem aiunt Theologi, & negant Philosophi.

Quis creationis terminus?

Termini creationis purum nihil, & ens.

32. Consequenter contra dicta obiicit tripliciter. Primò, quòd sequeretur animam intellectiuam non necessariò creari, cùm ad ipsam transmutetur corpus, & totum cuius est pars, generatur; & est efficax satis argumentum, vt patet. Secundum, & quartum argumenta ostendunt ex dictis posse inferri omnem formam creari, si illa est ratio, quòd productio animæ, quia prior natura productione compositi, ideò non est generatio, sed creatio. Tertium est notabile, vt tetigi priùs, quare scilicet agens creatum vnire potest formam à Deo immediatè creatam, vel productione totius ipsam producere, & non per se, vel seorsum ipsam creare? Ad primum singularissimè respondet, declarando, vnde probatur animam intellectiuam creari, & vnde non: vide in 4. & alibi vbi suprà. Illa litera sequens, vbi declarat solutionem, & confirmat, potest benè intelligi, vt iacet, referendo ly *eius* ad materiam ignis, vel ad tertiam entitatem, vel alio modo posset sic stare, quia aliquid est eius, vel præfuit, excludendo videlicet opinionem de inchoatione formarum: vel loco ly *generari*, ad finem, pone ly *creari*. Ad 2. & 4. respondet optimè, ponendo differentiam inter productionem formæ creatæ, & generatæ, quo ad prioritatem naturæ respectu totius productionis, & est vbique notabilis: & sic Philosophus negaret animam creari: quia non prius, &c. vbi notanter redit ad prius dictum de forma, vt forma, & de forma vt ens: quæ sunt valdè notanda.

Vnde constat animam rationalẽ creari?

Ad tertium solutio clara est: sed exemplum examinandum, si loquatur de forma alterius generis, vtpotè substantiæ: sed exempla ponuntur famosè: considera omnia diligenter, & instantias exclude. Replicat dupliciter specialiter contra primam solutionem, & tertiò contra solutionem quartæ obiectionis, & aliàs sæpè dictum de termino primæ actionis: Ad primum respondet valdè eleganter. Quære in simili *quæst*. 1. *Prolog. &* 3.*dist*.1.*q*.1.*&* 3.*&* 14.*quæst.Quodl.&* 3.*distinct*.2. *quæst*.7.*& in* 4.*quæst*.1. *& alibi sæpè*. Ad 2.& 3. satis patet, & clarè, & notanter: vbi aduerte in responsione 3. quòd intendit Doctor breuiter ponere differentiam inter *esse* per se, perseitate tertij modi compositi, & *esse* formæ: quia primum est verum de facto, & possibili: secundum, & si de possibili, non tamen de facto, nisi tantùm de intellectiua: quod multi negarent. Et quod ibi finaliter tangit de possibilitate, & necessitate, examina, & adde vt expedit. Ex his enim resoluuntur multa, aliàs sub dubio omissa consuetudine Scotica. 33.

Deinde prosequitur notanter de actione per totum, vbi etiam conclusiones notauimus ordinatè. Vigesimatertia est tanquam quæstio, vel dubium, aut petitio, quæ tangit duo membra, & est problema satis commune. Vide de potentiis animæ 16. *dist*.2. sed considera quid dicendum de Sole constringente, & soluente: vide suprà particula 17. conclusionibus 7. & 8. ad hoc expresse allegat Damascenum in 3. libro, & quotatio C, nunc omittitur: nunc alio, & alio modo habetur. Quære eum c.3.& 14. sed expresse 15. facit sermonem pulchrum de actione.

Vigesimaquarta videtur repugnare 7. suprà particula 17. sed considera benè qualiter hinc inde loquitur, & de qua forma, & de qua specie: ibi enim loquitur de agente illimitato, hîc de forma, quæ multùm differunt. Exemplum de *intelligere* posset impugnari, si intendat omnes actiones intellectus esse eiusdem speciei. Nam *dicere*, & *intelligere*, sunt alterius rationis, vt patet. Ideò aliqui, & probabiliter, volunt, quòd intellectus non habet aliquem vnum actum adæquatum eiusdem rationis, nisi actus intellectus vocetur actus indifferens ad *dicere*, & *intelligere*; sed fortè loquitur extensiuè de *intelligere*, vel loquitur de actionibus absolutis propriè immanentibus. Plura hîc adiungat diligens veritatis inquisitor. 34.

Vigesimaquinta est valdè singularis, & notanda optimè. Vide in 2. *dist*.2.*q*.4. *ad finem solutionis*, expresse ad propositum, & *q*.9.*eiusdem, dist.& super* 5.*Physic*.& pondera duplicem terminum actionis, & qualiter exponit dictum famosum Aristotelis.

Vigesimasexta videtur repugnare 6. particulæ 17. Ibi tamen satis correxit illam in commento: patet, quòd hîc accipit *instrumentum* extensiuè. Examina etiam benè illud exemplum, quod adducit de calore, vt priùs notaui. Quid etiam requiritur ad specificam differentiam actionum, considera.

Terminus similior causa, quàm actio eius. Vigesimaseptima comparat actionem, & terminum eius secundùm assimilationem ad principium agendi. Exemplum de calefactione, & calore comparatis ad principium calefiendi, siue sit calor, siue forma calefacientis. Infert corollarium contra Henricum. Vide 3. *dist.* 1. *q.* 1. 3. *&* 6. *&* 3. *dist.* 2. *q.* 8. *&* 9. *& inde, & alibi sæpè.* considera vbique quo modo accipit *actionem* hîc: de similitudine etiam, vel formali, vel virtuali, potest fieri vis: alia multa adde.

Vigesimaoctaua variè habetur in originalibus: sed satis benè ordinauimus eam: vt hîc habes. Vide quæ faciunt ad propositum 3. *dist.* 1. *q.* 7. *&* 45. *dist.* 4. & alibi plerumque. Non obstante enim quòd plures species, vel habitus, ponantur in intellectu, vel voluntate: non tamen tot actus, vel actiones simul. Quære 2. *Topicorum, c.* 25. vbi etiam pondera ly *perfecto*, & ly *sufficiens*: & quomodo potentia deficit, & alia multa hîc. Vide 17. *dist.* 1. *& in moralibus.*

35. *An actus adæquatus excludit omnem alium?* Vigesimanona videtur currere iuxta dictum Philosophi 2. *Topicorum, vbi suprà, &* 1. *Cœli, text. com.* 116. *&* 7. *Physicorum, &* 2. *Cœli*, & alibi plerumque de potentia habente actionem adæquatam, intensiuè, & extensiuè: quam probat, & instat, seu limitat: & impugnat limitationem, & consequenter glossat dupliciter, & impugnat vtramque glossam. Deinde adducit duas alias euasiones falsificando propositionem, & vtramque impugnat, & ita finaliter tenet veritatem eius. Vbi totum processum valdè notabis, quia multa difficilia, & ardua elici possunt. Vide 24. *dist.* 2. *&* 15. *dist.* 3. pro his, quæ tangit de portione inferiori, & superiori. Quære etiam 3. *dist.* 1. *par.* 2. & specialiter in *Reportationibus, &* 2. *&* 5. *quæst. Quodlibeti, &* 13. *&* 14. *dist.* 3. *&* 49. *&* 50. *dist.* 4. *&* 14. *&* 15. *quæst. Quodlibeti*, ad hæc. Tange etiam ibi, an alio actu videtur essentia, & alia in ipsa ab intellectu creato. Pondera instantiam de intellectu animæ Christi.

Trigesima est de proportione, seu vniformitate formæ, & actionis, quæ etiam notabilis altercationis est: contra quam instat pulchrè. Primò verò breuibus eam probat, inferendo ex eius opposito inconueniens. Quod tangit in prima instantia de minimo sensibili, quære copiosè in *de Sensu, & Sensato*: sed ad vnguem in isto 2. *dist.* 2.
Num. 30. *quæst.* 9. & cùm dicit *per te*, vbi benè staret *per se*,
considera an aliorum opinione, an ad seipsum lo-
36. quatur. Potest solui argumentum, recurrendo ad actionem obiecti in se, & potentiæ perceptibilitatem, & partialem actiuitatem, si ponatur. Aliud quod tangit de motu, est examinandum benè. Vide 2. *dist.* 1. *p.* 2. de productis vniuocè, & æquiuocè & Aristotelem, & Commentatorē. Quære vbi ibi quotantur: & similiter de charitate minima; vbi ponderandum, an magis, & minùs variant speciem actus beatifici, & viatoris: & quæ ibi concurrunt: & quid facit approximatio talis, & talis obiecti. Vide 17. *dist.* 1. *&* 49. *dist.* 4. Quære in 3. in materia de spe, & charitate plura ad hæc. Fortè vult omnino impugnare propositionem, sed videtur benè sustinenda: quare breuiter dicendum, quòd est vniformitas rationis actionis, sicut & formæ vbique, inquantum entitas actionis habet attendi præcisè in ordine ad formam, licèt possit variari propter variationem concurrentium cum forma, quæ & quot sint, considera. In aliquibus originalibus additur quædam remissio adducta suprà ad finem huius, sic: *Item* 6. 133. *improbatur.* Vbi nota, quòd aliquando quotat omnes conclusiones à principio, aliquando particulas principales, & certas earum: recurrit etiam ad alias dicta. Quære tabulas Physicorum, & quæstiones ibidem plura addendo.

Trigesimaprima, & vltima est famosa apud Philosophos, & Theologos de via communi, saltem de actione, videlicet eiusdem in seipsum. Vbi aduerte, vt priùs notaui sæpiùs, quòd nedum famosas in via sua veras, sed in via communi; hîc inseruit, & colorauit, & impugnauit aliquando, & aliquando problematicè dimisit, vt videantur motiua vtriusque viæ: tu verò perpendiculum stabili digito oppone, & moderabere omnia rectè. *An aliquid in se agere possit?* Quære *suprà lib.* 9. *quæst. penult.* & vbi ibi quotaui copiosè, pro veritate huius. In præcedentibus etiam sæpè idem tetigi. Arguit pro veritate conclusionis inferendo tria inconuenientia ex opposito eius, quæ consequenter soluit, duo prima sub vna solutione; tertium verò seorsum infrà cùm dicit: *Ad tertium, non quilibet*, &c.

Primum inconueniens est, quòd idem opponeretur sibi ipsi. Secundum, quòd idem esset in potentia, & in actu respectu eiusdem. Tertium, quòd 37.
eadem ratione quodlibet ageret in se, quod est contra experientiam: vel si non, ergo nec aliquid: aut redde rationem diuersitatis. Solutiones claræ sunt ex suprà dictis. Replicat singularissimè contra solutiones, & nullibi altiùs: solue tamen omnia vt nosti, priùs benè ponderando. Vnde inferre potes id, quod iam notaui, quòd hîc videlicet fundamenta, pro, & contra stabiliuit, & postmodùm vt apis argumentosa subtiliora, & saniora elegit. Ad primum dic breuiter, quòd refert loqui de oppositione actus virtualiter continentis, & virtualiter contenti ad carentiam, seu potentiam formalem passi, & formalem actum, quem concomitatur, si inest. *Actus virtualis, & potentia formalis non opponuntur.*

Ad secundum, negatur consequentia: licèt aliquando sit minor conuenientia, non tamen maior repugnantia. Et quod addit, quòd continet formalem perfectiùs. hoc fortè posset negari in continente finito. Vel hoc concesso, dicendum vlteriùs, quòd nedum virtualiter, sed eminenter Deus omnia continet, qui est alius modus continendi. Vel breuiter dico, quòd non eo quòd virtualiter continet, non est in potentia formali; sed propter aliam causam, quia. videlicet summè simplex: sicut Sol respectu caloris, non quia continet, non formaliter recipit: sed quia non receptiuus peregrinarum impressionum, 2. *Cœli, text.* 21. *& inde.* *Quare Sol nō est receptiuus caloris?*

Ad tertium posset concedi, quòd infertur lo- 38.
quendo de motu ad *Vbi*: de aliis verò non sequitur, nisi forma inclinetur naturaliter ad illas; & non dependeat ab aliis in agendo. Vide 1. *Physicorum, text. com.* 80. Vocat illud argumentum Achillem alibi ironicè: vt scis. Quod finaliter dicit, *quomodo probabitur*, &c. Quære responsionem Aristotelis 8. *Physicorum, text. comm.* 26. 4. *etiam, &* 5. *Metaphysica, quærere omnium causas*, &c. Plura hîc ingeniosus moderator addat, & garrulantium proteruiam suffocabit. Numerum verò prædictarum conclusionum, si placuerit alio modo supputare, ordinabit: sed satis rectè ordinantur; licèt in dies spero si quid deest, supplere.

Deinde sequitur illa litera, super qua additionem posuimus, & satis rectè: quæ in omnibus originalibus ponebatur suprà immediatè ante propositiones creditas, scilicet ante 14. particu-

lam

iam eo modo, quo diuisæ sunt: quia verò tanguntur dicta in præcedentibus, vt vides in illa litera, conuenientiùs visum est, quòd sequeretur ea, quæ recitat, & quæ suprà dicta appellat, quàm præcederet. Aut ergo vitio scriptorum; aut Doctoris originalis transmutatione; aut in marginibus eius additione huius literæ; aut oppositione quoquo modo, ibi communiter habetur: hîc nihilominùs legatur, si placuerit lectori. Multa notanda continet, ferè tamen suprà omnia tacta sunt. Pulcherrimè ibi se resoluit de ordine causarum requisito in causando, & de vnione tam extrinsecarum, quàm intrinsecarum. Litera satis correcta est per totum, sed bone Iesu cum quanto labore, & mentis angustia, & cerebri infestatione, & maximè circa quotationes quas tangit? Diuinatus sum etiam nescio quo spiritu illud dictum Linconiensis, quod tangit, vbi omnes libri corrupti fuerunt, & ita in pluribus aliis. Tantùm hæsitaui in quotatione illius 16. quam tangit sæpè; sed lector inuestiget cuncta altè. Remissiones ad quæst.8. & 9.Metaph.ibi, non te moueant, vt suprà notaui, cuncta benè declarando. Ponitur ante illam particulam: *perfectum est*, &c. in aliquibus originalibus quædam litera longa, quam omisimus: quia non communiter habetur, nec necessaria hîc, quæ sic incipit: *Dicitur quòd finis, &c.*

THEOREMA XXIII.

SCHOLIVM I.

Affert pulcherrimas regulas de ratione perfecti, partim ex se, partim ex Philosopho, cuius loca citat Vide eum Quodlib. 5. art. 1. vbi declarat descriptionem perfecti, & de primo principio cap. 4. num. 3. & 44. & aliis locis, ibi in Scholio citatis. quibus Doctor agit de perfectione simpliciter, conclusiones sunt satis claræ per se, & sua Commenta; de quibus vide notas Mauritij.

23. princ. 1 *Perfectum dicitur, cuius non est extra aliquid accipere.*

1. Hæc communis est ratio, siue in substantia; siue in virtute; siue in quantitate durationis, vel permanente; & hoc siue perfecto simpliciter, vt Deo: siue creato simpliciter perfecto, vt vniuerso; siue hôc, vt speciei certæ. ex hoc sequitur

Quid est esse perfectũ?

2 *Perfectum est, quod potest facere sibi simile.*

T. c. 54. & circiter. Quarto Meteororum, glossatur in Procemio Metaphysicæ, hoc est perfectio virtutis.

3 *Similiter perfectum est, quod habet finem studiosum.*

T. c. 21. Quinto Metaph. hæc est perfectio aliquo modo virtutis, per quam acquiritur finis.

4 *Vnumquodque perfectorum, à meliore ipso perficitur relatum ad ipsum.*

Ethicorum 6. commento 9. post.

5 *Qualiter perficientur deteriora, ad melius ipsis, non relata.*

Post.

6 *Vnumquodque natum est suscipere melius seipso.*

Hoc suscipiens melius, & perfectius fit: non suscipiens manet in imperfecto. Ibidem ante sententialiter.

7 *Non omnis potentia perfectior fit ex operatione sua propria intensa.*

Patet de actu appetitus sensitiui in nobis.

8 *Totum, & perfectum idem 3. Physicorum.* T. c. 64.

2. Quare infinitum, vt est possibile in quantitate, non est perfectum.

9 *Bonum, & perfectum idem.*

Quare omnes considerationes tertij Topicorum de meliori, & de perfectiori intelliguntur cæteris paribus. Nota quòd suscipiens illud, si est eius perfectio perfectius fit secundùm illam perfectionem, non perfectiùs secundùm suam essentiam: materia enim ita perfectè est materia, quando non habet formam, sicut quando habet; non tamen ita perfecta perfectione formæ, quæ est aliquo modo etiam eius perfectio, sicut forma informati, non sicut intrinseca perfectio intra essentiam eius. Adhuc minùs est subiectum perfectum recipiens accidens. Iuxta hoc, nota, quòd nunquam minùs nobile propter coniunctionem cum nobiliori, nobilitatur in se: nec materia propter coniunctionem cum forma: nec sensus propter coniunctionem cũ intellectu, nec intellectus propter coniunctionem cum voluntate, plusquam sine illis essent. Tamen dupliciter nobilitatur aliquid; vno modo nobilitatione illius cui coniungitur, quæ nobilitatio est eius aliquo modo, eo scilicet modo, quo illud nobilius est causa, vel perfectio minùs nobilis. Secundo modo natura facit dispositiones, vel minùs nobilia propter nobiliora: & ideò facit ea, sicut congruunt coniunctioni cum perfectioribus: non congruerent, nisi in se fierent perfectiora, quàm si deberent remanere sola: ideò sensus etiam in se nobilior in homine, quàm in pecore.

Materia in se non perficitur per formam, nec subiectũ per accidens.

Quomodo aliquid nobilitatur per coniunctionẽ ad alia?

10 *Perfectio participata quantò simplicior, tantò perfectior.*

An sensus hominis perfectior sensu bruti?

3. Vt esse, quàm viuere. Dionysius de diuinis nominibus, cap. 1. sed ens est perfectius, quod plures perfectiones participat, hoc secundùm ipsum, vbi est compositio aggregationis, nec quantitatis, nec distinctionis.

11 *Non simpliciter perfectius est, quod per se, quàm quod per aliud.*

Quia creatura perfectiùs intelligitur à Deo (& tamen non per se, sic quòd ipsa sit ratio

ratio intelligendi se, sed essentia diuina) quàm si intelligeretur ab alio, ita quòd ipsa esset ratio intelligendi se: vt mens à se secundùm aliquos. Tamen in actionibus videtur perfectiùs per se agere, quàm per aliud, sicut Deus per se intelligit. Nota, prima instantia videtur deficere, quia in ratione obiecti melius est intelligi per se, quàm per aliud.

Perfectius per se agere, quàm per aliud.

Contrà: de visione rerum in Verbo, & in se. Respondeo, tam ad hoc, quàm ad primum, per aliud non extrinsecè continens.

SCHOLIVM II.

Quo magis aliquod absolutum est necessarium, eo nobilius: quod intellige, cæteris paribus, alioquin materia esset nobilior forma, & composito; aut fortè loquitur in opinione Philosophorum ponentium Intelligentias ita effici, vt à prima sit secunda, & ab hac tertia, &c. Sed iuxta exemplum, primo sensu loquutus videtur. Quod addit, in nullo respectu esse perfectionem simpliciter, verum est; etiam loquendo de relationibus originis in diuinis, quæ non dicunt perfectionem, vt habet Doctor 1. dist. 13. num. 9. 10. & dist. 26. num. 36. & alibi sæpè, maximè quodlib. 5. Quod ait de simplicitate, quod sit perfectio simpliciter, vide tract. de primo principio, cap. 4. num. 3. & loca ibi citata in Scholio pro declaratione perfectionis simpliciter. De simplicitate, vide 1. dist. 8. quæst. 1. simpliciter nulli creaturæ conuenit, ideò in ea perfectio simpliciter esse nequit, cùm eius naturam destruat: in se tamen perfectio simpliciter est.

Scholia hactenus elaborata, magno certè labore, & cerebri vexatione, textui in multis satis intricato inserere sategi. Nec pœnitet susceptæ molestiæ, quam spes fructus inde excerpendi, abundè recompensauit. Si quas peragraui difficultates, in initio præuidissem, perterritus fortè destitissem: sed quo rudiores reperi literæ cortices, difficilioré sque eius ingressus, eo delicatiores, profundioré sque, cum sudore tamen, occurrerunt sensus; minore sanè labore, & fatigatione in aliquem Doctoris subtilis librorum, integra edidissem commentaria: sed malui hunc subire, quo vt spero aliis, quibus plus est ingenij, & otij, viam aperui, inoffenso pede, metaphysicalia, huius Doctoris, qui altiùs omnibus speculatus est, percurrendi: & si Deus dederit, fructuosiùs doctrinam eiusdem suis commentariis illustrandi: excuser quæso, si multa pertransierim intacta; scholiasten egi, non commentatorem.

12 *Necessarium in omni absoluta perfectione, est nobilitatis maioris, quàm possibile; in nulla respectiua est simpliciter perfectionis.*

4. Sic intelligendo, quòd illud sit perfectius, in quo est respectus necessarius, quàm possibilis, imò si est ad aliud, semper est imperfectionis: quia ponit aliquam necessariam dependentiam ad aliud: vnde nulla talis est in Deo. Potest tamen aliquid esse nobilius in sua natura, quod habet respectum necessarium, alio, quod non habet: vt terra tota in grauitate perfectior vno lapide: hæc necessariò deorsum, ille possibiliter, respectus tamen ipse si in se aliqua res est, & perfectio alia à fundamento, nobilior est si est necessaria, quàm si est possibilis.

Quomodo respectus est perfectio.

13 Nota, simplicitas absolutè est perfectio, sic quod simpliciter melius est ipsum, quàm non ipsum, sicut quasi est vniuersaliter de omnibus attributis. Quod debet sic intelligi, quantùm est ex parte ipsorum, non quantùm est ex parte illius, cui comparantur, quod fortè destruunt: sicut sapientia repugnat cani.

Quid perfectio simpliciter.

14 *Non omne illud, cum quo stat simplicitas in creaturis, est melius illo cui opponitur: nec cui conuenit maior simplicitas, est melius illo, cui conuenit minor.*

Simplicitas non semper melior.

Aliter materia prima esset perfectior composito, & punctus perfectior omni continuo, & vnitas numero, & ita vniuersaliter pars toto: quia totum compositum: & tamen totum, & perfectum idem, tertio Physicorum; tamen inquantum simplicius est melius: sicut non omne incorruptibile; sicut materia prima est simpliciter melius omni corruptibili, puta homine: licèt in hoc sit melius, & ideò quia non est tantùm vna catena in mundo 2. 8. 9. 55. sub. 5.

T. c. 64.

15 Nota, simplicitas non est perfectio simpliciter in creaturis: quia quibusdam repugnat, sicut & sapientia, si tamen posset stare cum natura earum, esset perfectionis in eis.

Simplicitas non est perfectio simpliciter in creaturis.

16 *Eodem modo iudicandum est de simplicitate, & compositione in spiritualibus, & corporalibus.*

Quantum ad A B C, quia vbicumque potest stare simplicitas, cæteris paribus, perfectior est illa natura: sicut est in spiritibus, de simplicitate opposita compositioni ex diuersis rebus: non autem de opposita compositioni intentionum, siue rationum formalium realium, & similium talium: quia talis simplicitas cæteris paribus non potest esse in creatura.

ANNOTAT. MAVRITII.

Sequitur illa particula: *perfectum est*, &c. vbi vir perfectus in perfectione perficere suum laborem rectè voluit; vbi pulchras propositiones ex Philosopho, & ingenio proprio collegit: quas in plerisque locis tangit, & declarat. 6.

Prima ex 3. *Physicorum, text. comm.* 63. & 5. *Metaph. text. comm.* 21. & 10. *Metaph. text. com.* 13. Quære expositores ibidem, & hunc maximè. & specialiter in quodlibeto, *quæst.* 5. *art.* 1. Declarat illam descriptionem, seu conclusionem inducendo

cendo in pluribus modis, seu speciebus *perfecti.* Vbi aduerte cautè, cùm dicit, *creato simpliciter perfecto:* videtur enim ibi accipere *simpliciter perfectum* pro vniuersali perfecto, non eodem modo, quo in membro præcedente accepit, scilicet Deo, vt nosti. Vnde breuiter tangit triplex perfectum, scilicet simpliciter, vt est Deus; creatum, vt est mundus cum omnibus creatis; particulare creatum, seu specificum, vt homo, &c. Quæ perfectio potest considerari, vel in substantia, vel virtute, vel quantitate durationis; vel permanente. Vide suprà tractatu de primo princ. de perfectione simpliciter, maximè quære in Quodlibeto *quæst.5. art.2. ratione 2.* optimè. Quære Franc. in primo Conflat. *distin.34.& 35.*copiosè.

Triplex perfectum, Deus mundus, particulare.

C.4.n.3.44.

Perfectum, quod generat sibi simile.

Secunda propositio, quæ videtur quasi corollarium præcedentis, sed est conclusio: est etiam Philosophi in multis locis, & specialiter vbi allegatur 4. Meteororum, ad finem. Quære 7. *Physicor. t. com.*18. *& 2.de anima. t. c.*34.*& 49. & alibi sæpè.* Primo etiam Metaphysicæ in proœmio in 6. conditione sapientis, elicitur. Vbi cùm dicit Doct. *glossatur*, considera an suam, an aliorum glossam recitat, verum enim est, quòd ipse hoc tetigit optime. Quære *ad finem quæst.*1. *Metaphysic.* Declarat consequenter, de qua perfectione debet intelligi hæc conclusio.

Tertia conclusio est ex 5. Metaph. vbi allegatur. Expone, plura addendo. vide 2. *de Anima, t. com.*49.

7. Quarta, quæ fuit etiam suprà recitata, est notabilis, vbi quotatur communiter lib. Ethicorum. sed variè. quære Eustathium in commento, quem communiter allegat iste, & non Auerroëm: in moralibus enim minimè valuit. Quære 19. *&* 30. *dist.* 1. *&* 12. *Metaph. & 3. dist. primi. & 2. 49. dist. 4. & alibi sæpè.* 9.*&* 10. *Ethicorum* habetur benè ad propositum: sed instantias considera.

Quinta propositio ex eodem commento colligitur. & dependet ex præcedenti. quære 1. *&* 10. *Ethicor.*

Sexta ex eodem commento etiam colligitur: quæ suprà in tractatu de primo principio fuit pertractata aliqualiter: quam etiam limitabis, vt nosti copiosè vbique, dicta Arist. & huius pro & contra ponderando. hæ propositiones infrà pertractantur post 9. conclusionem.

Quomodo potentia perficitur per operationem?

Septima notabilis est, quæ habet instantias plures in Arist. & dictis huius. vbi tamen pondera ly *omnis*, propter potentias defectibiles, & deficientes. oportet enim quòd sit circa obiectum conueniens, & sic de aliis circumstantiis. quia bonum ex causa integra. Vide 2.3.*&* 10. *Ethicorum.* Declarat propositionem exemplariter. vbi tange de multiplici perfectione, vt nosti: & similiter in præcedentibus.

8. Octaua propositio est nota, & locus eius. Vide vbi suprà in Quodlibeto notaui, quo modo totum & perfectum aliter in quantitate molis; aliter in quantitate virtutis. Vnde Philosophus vbi allegatur, dicit quòd infinitum habet rationem partis, & materiæ, & hoc vt ipse posuit infinitum, scilicet in potentia tantùm: cuius scilicet quantitatem accipientibus, &c.

Totum idem quod perfectum.

Nona etiam est famosa. quære vbi priùs. Arist. 1. etiam Ethicorum, & Politicorum. Vbi attende quòd ly *quare*, in hac propositione, & præcedente posset assignari corollarium conuenienter.

Deinde ponit quædam notanda, quæ sunt declaratiua 4. propositionis suprà, & sequentium, optimè: vbi tota litera satis clara, sed valde notanda vbique. Vbi tangit de perfectione duplici, scilicet intrinseca & extrinseca, & dantur gradus in vtraque. ita quòd eo modo, quo variè dicitur totum, ita perfectum, & perfectio. Qualiter etiam ignobilius nobilitatur ex coniunctione, vel referibilitate ad nobilius dupliciter, & omnia verba mensurabis diligenter, vt scis. Posset illa litera conuenienter poni suprà post 6. vel assignari additio: optima tamen vbique.

Denique est ex sententia Dionys. vbi in allegatione variè quotatur. Vide in originali cap. illud. quære 1. *quæst.*4. ad propositum. & 8. *dist.*1. *alibi plerumque* 3. *etiam dist.*1.*&* 2. *&* 14. *quæst. Quodlibeti*, de veritate in communi &c. Attende ad litteram commenti, quæ variè habetur in originalibus. Aliqua habent *compositio*; alia *comparatio.* similiter aliqua habent *distractionis*; aliqua *distinctionis*: quære Dionys. & expositores. vbi tange de multiplici compositione, vt scis. suprà sæpè ad hæc plura tacta sunt: instantias vbique ponderabis.

Vndecima est singularis: contra quam possent adduci instantiæ ex 2.& 8. Physicorum: sed faciliter soluuntur. Ea quæ tangit de cognitione rerum ab intellectu diuino, sæpè prius tetigi. Limitat notanter qualiter nobilius est intelligi per aliud, & per quod aliud. vbi loco, *extrinsecè*, benè staret *eminenter.* vide 3 *quæst. prologi.* Tange hîc multa de cognitione Dei, & aliorum in Deo. & quòd aliud est intelligi per aliud; aliud intelligi per accidens.

Duodecima est multùm ponderanda, & maximè in doctrina huius. nullibi ita expresse declarauit. Pondera ly *simpliciter perfectioris* propter multas instantias euadendas. Quære benè *in* 8. *dist.* 1. *quæst. finali.& 7. quæst. Quodlib.&* 1. *dist.* 2.*&* 39. *dist.* 1. & alibi plerumque. Habet duas partes hæc propositio, vt patet. Prima pars de se nota est: secundam verò declarat egregiè. Tange fundamenta Philosophorum hîc de necessaria causalitate Dei ad extrà. Non obstat huic conclusioni, quòd personæ diuinæ sint relatiuæ: quia talis respectus necessarius non est ad aliud, scilicet in natura: licèt benè ad alium, vel aliam personam. Pondera de respectu necessario & possibili: & exemplum de tota terra & vno lapide, & instabis ex primo Cœli, *t.c.* 19. *& inde.* Ad finem etiam commenti, vbi de respectu in se, duo sub dubio tangit more suo, vt à principio notaui. scilicet de realitate eius, & perfectione distinctis à fundamentis. declarabis, vt ex dictis huius alibi scis. Vnde breuiter aliud est considerare aliquid vt includens perfectum necessarium ad aliud; aliud ipsum in se, & natura sua; aliud ipsum respectum in se. Aduerte etiam, quòd necessitas essendi non videtur arguere perfectionem simpliciter: aliter proprietates hypostaticæ in diuinis essent perfectiones tales. ideò notanter dicit Doctor in 2. par. conclusionis *simpliciter perfectionis*, propter perfectionem hypostaticam, si quæ sit, vt nosti. Vide 5. *quæst. Quodlib.&* 1. *dist.*1. *quæst.*1.*&* 2. Adde hîc plura benè speculando.

9.

Bonum, & perfectum, idem.

Persona diuina relatiua. Necessitas essendi, an arguat perfectionem.

10. Deinde ponit notabile de ſimplicitate: vbi poteſt aſſignari concluſio vt habes, vel omitti vt notabile. & tangit deſcriptionem Anſelmi in Monol. 15. & addit notanter in litera, ***ſicut quaſi eſt vniuerſaliter de omnibus attributis.*** quod dicit propter eſſentialia ad extrà. Vide 1.*quaſt.Quodlib.* Declarat conſequenter aliqualiter deſcriptionem perfectionis: ſed vide ad plenum, vt priùs notaui 5. *quaſt. Quodlib.art.2.ratione 2. principali.* Adde hîc multa ex 8.*diſt.*1.& ex dictis *ſupra* 7.& 8. *Metaph. & in tractatu de primo princ.* quære pro & contra: vt ſcis.

Conſequenter addit aliam, quam 14. notauimus de ſimplicitate in creaturis, & eſt notabilis vbique, quam declarat & probat optimè. Vide ſuprà, vbi comparatur qualitas ad quantitatem, & vbi ibi quotaui ad propoſitum. Pondera valde quod ibi tangit de materia prima & homine, & de catenis variis in mundo. Et ponitur ibi communiter remiſſio & quotatio quædam intricata vbique quæ variè habetur. Conſidera an ſummam Henr. quærit, vel Thom. aut Alex. vt notaui ſuprà; an certè ad alia ſua dirigit: ſed omittere illa totaliter parum refert: volui tamen omnia apponere pro nunc: in dies depubuntur ſingula. Octaua etiam diſt. 1. tangitur hæc propoſitio, & alibi in doctrina huius ſæpenumero.

Addit quoddam aliud notabile de ſimplicitate creaturarum, & poteſt poni 15. huius particulæ: & litera ſatis clara eſt. De gradibus ſimplicitatis, & aliis ad propoſitum neceſſariis, lector curioſus vbique tractabit, An creaturis conueniat aliqua perfectio ſimpliciter, conſidera.

Vltima propoſitio eſt comparatiua compoſitionis, & ſimplicitatis proportionaliter in ſpiritibus & corporibus. Vbi aliqua originalia habent *quantum ad dicta.* alia, & communiter, *quantum ad A B C*, per quas litteras intelligit propoſitiones tres præcedentes de ſimplicitate. Vbi notanter tangit de duplici compoſitione, rerum, ſcilicet & realitatum, ſeu rationum formalium. Quære 3. & 8.*diſt.* 1. & *diſt.*2. & alibi ſæpe apud iſtum, & pondera notanter cùm dicit, *cæteris paribus.* *Duplex compoſitio.*

Hæc ſunt quæ ad minùs prouectorum introductionē, in hoc breui elucidario digeſſi. Qua in re ſi quid perperam dictum eſt, non ita ſum amator mei, vt ea quæ ſemel effuderim, meliori ſententiæ anteferre contendam. Si enim nihil eſt ex nobis boni, nihil eſt quod in noſtris ſententiis amare debeamus. Quare ſi quid boni, vtilitatis, & fructus collegi, id ei à quo omne emanat bonum, attribuatur: minùs verò maturè dicta, & huius viri ſententiis non conſentanea, imbecillitati mei ingenioli adſcribantur. Rei etiam difficultas, temporis anguſtia, & curarum, vtriuſque hominis varietas excuſabunt. Facilius (vt verum fatear) aut in vnum Sententiarum ſcriptum; aut in Ariſtotelis aliquem librorum ſcripſiſſem, quàm huius miranda fragmenta, ſpeculationis arcana, ac ænigmata plerumque caſtigare, concordare, ac declarare auſus fuiſſem. Sed qui pro pane, vt aiunt, lucrando, quid denique pro animæ finali ſalute? Conceptuum ſcandere montes, cauſarum, ordinum, entium varietates, naturas, & conditiones, confuſa quadam ſpeculatione, ac problematica vtcunque venari: niſi veritatibus in ænigmate fidei, quas Philoſophi tantùm opinatiuè, & qui adepti, ſuccedat clara viſio, & *propter quid*, atque perfruitio illius obiecti, eminenter omnia continentis, & voluntariè ad extrà repræſentantis in ſuperna ciuitate: vbi Rex eſt Virginis Filius; eritque gaudium ſempiternum, delectatio, cibus, opus, laus perpetua Creatoris. Cui omne genu flectatur in æuum æuorum. Amen.

FINIS.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,

Ordinis Minorum,

COLLATIONES,

SEV

DISPVTATIONES SVBTILISSIMÆ.

NOVITER RECOGNITÆ, ET AB INFINITIS mendis caſtigatæ; marginalibus annotationibus, præcipuorum Doctorum citatione, reſolutionum, quæ deſiderabantur, appoſitione, & Scholijs illuſtratæ;

Per Fratrem HVGONEM CAVELLVM Hibernum, in Collegio S. Antonij Paduani Minoritarum Hibernorum Regularis obſeruantiæ, apud Louanienſes Sacræ Theologiæ Lectorem emeritum, & eiuſdem Ordinis humilem Diffinitorem Generalem.



R. P. F.

LVCÆ VVADDINGI

DE HIS COLLATIONIBVS

CENSVRA.

OPVSCVLVM *hoc inter reliquas Scoti elucubrationes reponunt Henricus VVillotus, & Antonius Posseuinus. Miror Ioannem Pitsæum, sollicitum Scoti operum indagatorem, neque inter tot codices MSS. scriptorum huius Doctoris, quos in Anglia, Lotharingia, & alibi se offendisse narrat, reperisse, neque inter alia à se recensita numerasse. Ab initio prodierunt cum reliquis Scoti operibus; sed inculta, & corrupta. Correxit primus sub annum* 1510. *Antonius de Fantis, vir doctissimus, in Scoti operibus vltra omnes versatus. Secundus paulò pòst Romulus Laurentianus Seruita Florentinus, dedicauítque suo Generali Præfecto Angelo Morellio Aretino, quem ob Scoticæ disciplinæ peritiam* Scoti animam *appellabant. Tertius Paulinus Berli Lucensis, Eremita Augustinianus. Quartam & potissimam editionem reliquis cultiorem, & Scholijs illustriorem adhibuit Illustriss. Dom. Cauellus; ipsius opusculi commendatione præfixa, quam hîc subiungo.*

Porrò Collationes has, seu Disputationes, habuit Doctor Parisiis, vnde & Collationes Parisienses *vocat Posseuinus, & codex MSS. Vaticanus, infrà à me sub finem huius opusculi citandus. Docta sunt, & maturum fœcundúmque redolent ingenium. Etsi verò plerasque habeant quæstiones Theologicas, aliásque morales, intermixta tamen sunt & Philosophica: qua de causa hîc inter alios Physico-Theologicos tractatus reposuimus, vt eiusdem generis opuscula in vnum excrescerent volumen.*



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



TRACTATVS Collationum, ſeu Diſputationum Doctoris Subtilis verè aureus, inutilis hactenus extitit, & paucorum manu tritus: vnde à pauciſſimis, iíſque Scotiſtis tantùm, citatum reperies. Cauſa huius duplex fuit, mendarum, & errorum multitudo, & reſolutio paſſim omiſſa. Vtrique malo hac caſtigatione occurrimus: mendas, quibus vbique ſcatebat opus, deterſimus, & reſolutionem ex Doctore, maximè in ſcripto Oxonienſi appoſuimus, loca, è quibus deprompta eſt, fideliter citantes. Vbi etiam materiam argumentorum, quibus ſingulas quæſtiones in vtramque partem agitat, ſedulò mouemus, nihil hîc omittentes eorum, quæ in caſtigatione reliquorum Doctoris Subtilis operum præſtita ſunt. Argumenta contra illam partem, quam alibi Doctor aſſertiuè habet, quandoque ſoluimus; non ſemper, quia cum breuitate Scholiaſtis id malè cohæreret. Habet in hiſce Collationibus Doctor ſelectas quæſtiones in vtramque partem acutiſſimè ventilatas, quaſi quodlibeticè, alteri, vt reſoluantur, propoſitas. Habent hîc iuniores Theologi quaſi armarium benè inſtructum, vnde ſine labore in Scholaſticis diſſertationibus, & veluti ex opere (vt aiunt) operato diſputent: habent etiam promptuarium difficultatum & obiectionum, quibus Doctoris Subtilis opiniones impugnari poſſint, quarum perpenſis ſolutionibus ipſius doctrina ſolida & perſpicua apparet. Lege attentè, experieris vera me loqui. VALE.




INDEX COLLATIONVM.

INDEX QVÆSTIONVM *Tractatus imperfecti de cognitione Dei.*

INDEX QVÆSTIONVM *Miſcellanearum de formalitatibus.*

COLLA



COLLATIO PRIMA.

An tantùm sit vna prudentia respectu omnium agibilium, ita quòd ad dirigendum omnes actus morales in suos fines sufficiat vna prudentia specie?

D.Thom. 1.2. *quæst*.60. *art*.1. Henric. *quodlib*.9. *quæst*.4. Scot 3.*dist*.36.*num*.21. Occam 3.*quæst*.12.*art*. 3. Bassol. 2.*dist*.35.*quæst* 2. Rubion 3.*d*.36.*q*.2.Gabr.*q*. *vnic*.*art*.3. Alm *tract*.5.*moral*.*c*.4.Assor.*tom*.1.*lib*.3.*c*.29.*q*.4.



1. VIDETVR quòd sic, quod declaratur tripliciter. Primò ex parte obiecti sic; quoniam ex parte obiecti habentis vnam rationem formalem obiectiuam; est tantùm vnus habitus; sed ratio obiectiua obiecti prudentiæ est tantùm vna, quæ est bonum humanum ordinabile secundùm rationem rectam in finem debitum: ergo prudentia est tantùm vna specie, dirigens circa omnes actus virtutum moralium.

Secundò ex parte principij practici: quoniam prudentia præsupponens ipsum primum principium practicum agibilium, ad tot secundùm vnitatem suam se extendit, ad quot se extendit illud principium practicum: quia intellectus secundùm habitum prudentiæ elicit syllogizando ex primo principio practico omnes conclusiones agibilium: sed primum principium agibilium se extendit ad omnes conclusiones agibilium; ergo respectu omnium agibilium sufficit vnam prudentiam specie ponere.

Tertiò ex parte vnitatis attributionis, quoniam quamuis sint diuersa agibilia, circa quæ dirigit prudentia monastica, tamen omnia habent attributionem ad vnum finem: nam in agibilibus est aliquid vnum, quod est aliorum finis, propter quem omnia alia agibilia sunt, & ad quem ordinanda sunt: ideò propter hanc vnitatem attributionis ad aliquod, vna prudentia vnitatem specificam sortitur.

SCHOLIVM.

Refutat primam rationem pro sententia D.Thomæ, dicentis vnam prudentiam respectu omnium agibilium, quia est vnica ratio obiectiua: contrà arguit Doctor, primò, quia esto sit vna ratio communis, sicut diuersæ speciales, verbi gratiâ, temperantiæ, fortitudinis, &c. Secundò, alius est habitus de corpore mobili vt sic, & alius de corpore locabili, vel mobili ad formam; ergo idem de bono humano vt sic, & de hoc bono, nempe temperantiæ. Tertiò ex Philosopho. Quartò, quot sunt conclusiones diuersæ specie, tot habitus. Quartò, cum notitia alicuius in vniuersali, stat eius ignorantia in particulari, & adducit exemplum ex Philosopho.

2. SEd contra rationem primam arguitur sic: Quandoque aliqua plura habent aliquam vnam rationem, ad quam conueniunt, & diuersas rationes formales, quibus in speciali specie differunt, sicut de illis est vnus habitus, vt vna scientia secundùm illam rationem communem in qua conueniunt, ita de illis sunt diuersi habitus, vt diuersæ scientiæ, prout formaliter & specificè differunt, sicut de omnibus scibilibus, in quantum conueniunt in ratione entis, est vna scientia communis, vt Metaphysica: ita etiam de scibilibus diuersis, prout differunt secundùm rationes suas formales, sunt diuersæ scientiæ, & diuersi habitus particulares: sed agibilia, circa quæ sunt virtutes morales, quamuis conueniant in ratione aliqua communi, vt in ratione boni humani, tamen differunt per rationes suas formales, quibus specifice differunt: aliud est enim bonum humanum, in quod inclinat temperantia; & aliud ad quod inclinat fortitudo; aliter enim non essent diuersæ virtutes specie: ergo licèt respectu omnium agibilium, vt conueniunt in ratione boni communis, ponatur vna prudentia, tamen respectu agibilium, prout specie differunt secundùm rationes formales agibilis, oportet ponere diuersas prudentias.

Diuersa specie agibilia; petunt diuersas prudentias.

Præterea ad confirmationem istius rationis arguitur sic: vbi minor diuersitas obiectorum sufficit ad variationem habitus, ibi maior diuersitas sufficiet ad diuersificandum habitum: sed minor est diuersitas totius vniuersalis à parte subiectiua, quàm totius integralis à suâ parte; sed diuersitas prima sufficit ad diuersificandum habitus formaliter, sicut alius est habitus de corpore mobili simpliciter, & alius est habitus de corpore mobili ad locum, vel ad formam: igitur cùm bonum speciale, vt bonum vnius se habeat ad bonum commune, sicut pars integralis ad totum integrale: (diuersa enim agibilia sunt partes vnius boni totalis humani; alia est prudentia formaliter respectu obiecti particularis agibilis, & respectu boni humani singularis, vel saltem cùm plus differat vnum bonum ab alio, quàm totum vniuersale à particulari,) alius est habitus prudentiæ respectu vnius boni agibilis, & respectu alterius.

Præterea, si bonum agibile secundùm rationem rectam sit obiectum prudentiæ; ergo vbi est aliud obiectum formale prudentiæ, ibi erit alia prudentia specie: sed secundùm Philosophum *6. Ethicorum* comparantem prudentiam ad artem & scientiam, ipsa est præceptiua respectu artis & scientiæ, obiectum verò scientiæ quantumcunque (quicquid sit de factibili, quod est obiectum artis) est aliud obiectum formaliter ab obiecto agibili, quod habet rationem oppositam: quoniam agibile est contingens, obiectum verò scientiæ est necessarium: ergo non respectu omnium diligibilium est vna prudentia specie. 3.

Quomodò differant agibile, & obiectum scientiæ.

Præterea, sicut prudentia est habitus inclinans ad consiliandum de vero agibili complexo contingenti;

tingenti, ita scientia est habitus ad speculandum de vero complexo necessario, non agibili: sed sub scientia considerante de quo obiecto in communi; de quo ostendit passionem in communi, sunt diuersæ scientiæ & diuersi habitus; respectu diuersarum conclusionum specie differentium; vt quot sunt diuersæ conclusiones, tot sunt diuersi habitus specifici respectu earundem, vt probabo: igitur cùm sub bono vno agibili humano in communi sint diuersa agibilia specie differentia, respectu eorum, erunt diuersæ prudentiæ differentes. Minor probatur per hoc, quia cum scientia vnius conclusionis in scientia naturali, stat ignorantia dispositionis de alia conclusione. Vnde cum scientia de corpore mobili ad formam, stat ignorantia de corpore mobili ad locum, vt de corpore cœlesti. Vnde etiam Philosophus benè tradens scientiam circa aliqua naturalia, errauit, & erat in dispositionis ignorantia circa quædam alia, vt Auerroïs circa animam humanam, sed ad hoc quòd sit ignorantia dispositionis de aliqua conclusione amota ab intellectu alicuius, oportet quòd hoc fiat per habitum scientiæ incompossibilem ei. Si igitur habitus scientiæ de aliqua vera conclusione sit idem cum habitu scientiæ de conclusione, de qua habebatur ignorantia dispositionis, sequitur quòd idem habitus sit compossibilis, & incompossibilis ignorantiæ dispositionis vnius conclusionis, quod est impossibile: quia tunc idem posset esse, & non esse.

Quot sunt conclusiones diuersæ speciæ, tot sunt habitus diuersi.

4. Præterea: cum notitia alicuius in vniuersali stat ignorantia eiusdem in particulari, quoniam secundùm Philosophum, *contingit scire omnem mulam esse sterilem, & tamen ignorare in vtero hanc habere*; si igitur prudentia, quæ habitus est cognitiuus, habeat pro suo primo obiecto bonum humanum agibile in vniuersali, cum habitu talis prudentiæ stabit ignorantia in dirigendo hoc bonum agibile, vt circa bonum temperantiæ. Cùm ergo non sit aliquis prudens, nisi qui benè agere habet in dirigendo *A* bonum, in particulari, circa quod habere potest aliquis habitum prudentiæ, & tamen non rectè dirigit circa agibile *B*. in particulari; sequitur quòd non est vnus habitus prudentiæ respectu omnium particularium agibilium.

Cum notitia alicuius in vniuersali, stat ignorantia eius in particulari.

Dicitur quòd de scibilibus, vt inter se distinguuntur formaliter, & vt conueniunt in ratione obiectiua scientiæ communis ex vna parte, & agibilibus diuersis secundùm speciem, & vt conueniunt in ratione boni communis ex alia parte, non est simile: quia obiecta specialia specificè differentia præter hoc, quòd conueniunt in vna ratione obiectiua communi, secundùm quam de eis est vna scientia communis, habent diuersas rationes obiectiuas, formaliter diuersas, propter quas de eis possunt esse diuersæ scientiæ speciales præter communem; sed agibilia specie diuersa præter hoc, quòd conueniunt in ratione boni humani, non habent diuersas rationes obiectiuas respectu prudentiæ: quia ex hoc est aliquod obiectum prudentiæ, quia habet rationem boni persuasibilis à ratione. Et hæc ratio eiusdem rationis inuenitur in obiecto temperantiæ, sicut in obiecto fortitudinis. Vnde agibilia diuersa inquantùm specificè differunt, tantùm sunt diuersa obiecta materialia, & respectu prudentiæ, & non formaliter diuersa, & ideò sicut vna Logica potest dirigere syllogizationem circa materiam Grammaticæ, & Geometricæ, & circa obiecta omnium scientiarum, quæ non sunt nisi materialia, respectu Logicæ; sic vna prudentia potest dirigere circa omnia agibilia in actibus virtutum moralium, quæ omnia, vt conueniunt in vna ratione boni humani, sunt obiectum formale ipsius prudentiæ.

Contrà: obiectum temperantiæ secundùm quòd est obiectum eius, est agibile formaliter distinctum ab obiecto fortitudinis, vt obiectum eius est: aliter enim temperantia & fortitudo non essent diuersæ virtutes formaliter distinctæ: si igitur per comparationem ad prudentiam non essent formaliter distincta obiecta, sed tantùm materialiter, sequeretur quòd sub alia ratione esset aliquod agibile obiectum prudentiæ & temperantiæ, & per consequens ex directione prudentiæ circa obiectum temperantiæ nunquam temperatus rectè per se eligeret per virtutem temperantiæ: sed si directè eligat, hoc erit per accidens, cùm prudentia non dirigat circa agibilia, vt sunt obiectum formaliter temperantiæ, sed tantùm materialiter. 5.

SCHOLIVM.

Contra secundam rationem, ex vnitate principij practici, concludentem vnitatem prudentiæ ad omnia agibilia; obijcit primò, quia sic ponenda erit vna scientia omnium scibilium. Secundò, ex principio practico, ex fine temperantiæ, potest quis syllogizare de iis quæ sunt ad illum finem, & repetendo actus, acquirere habitum prudentiæ, quoad agibilia temperantiæ, sed non fortitudinis, adducit & refutat solutiones aliorum ad has rationes.

Contra secundam rationem positionis arguitur sic: si propter hoc est tantùm vna prudentia secũdùm speciem respectu omnium agibilium: quia est vnum principium practicum circa finem vltimum, ex quo deducuntur per habitum prudentiæ conclusiones circa omnia agibilia, tunc tantùm erit vna scientia de omnibus scibilibus, quia est tantùm vnum primum principium, à quo dependent omnes conclusiones omnium scientiarum. 6.

Sed dicitur, quòd non est simile: quia primum principium in scientiis speculabilibus particulatur, & quando sic particulatur, vnum non dependet ab alio, & ideò sunt diuersæ scientiæ: nunc autem licèt primum principium practicum circa finem communem particuletur à prudentia syllogizando, & considerando circa ea, quæ sunt ad finem huius virtutis: hoc tamen est cum prudentia ad principium particulatum circa finem alterius virtutis, cùm virtutes sint connexæ in prudentia, ita quòd impossibile sit habere prudentiam circa ea, quæ sunt ad finem huius, vel vnius virtutis, quin etiam circa ea quæ sunt ad finem alterius virtutis simul habeatur. Et hoc ideò est, quia quicquid prudentia syllogizat, aut consiliatur circa materiam vnius virtutis, aut circa materiam temperantiæ, hoc est propter bonum rationis, vt si concludat, quòd temperatè comedendum sit propter sanitatem corporis, aut propter aliquid aliud, & non propter bonum rationis, non est actus prudentiæ, aut virtutis: bonum autem rationis est similiter in materia alterius virtutis, & ideò per prudentiam non potest quis se habere benè circa materiam virtutis, nisi etiam benè se habeat circa materiam alterius virtutis.

Contra,

7. Contrà: ex principio practico sumpto ex fine vnius virtutis, vt temperantiæ, sufficienter potest practicè syllogizari, & concludi illud quod est ad finem temperantiæ, sed principium sumptum ex fine temperantiæ non est principium ad concludendum illud, quod est ordinatum ad finem fortitudinis: igitur principium particulatum circa materiam vnius virtutis non dependet à principio particulato alterius, nec ex principio sumpto circa finem vnius virtutis potest argui aliquid circa materiam alterius virtutis.

Principium in materia vnius virtutis non dependet ab alia.

Ex hoc arguitur propositum principale: quia si ex principio practico ex fine temperantiæ potest rectè syllogizari, & consiliari de his, quæ sunt ad finem temperantiæ, ex tali actu frequenter elicito potest generari prudentia dirigens in actibus temperantiæ: quia nullus actus est actus prudentiæ: cùm igitur principium sumptum ex fine temperantiæ non sit principium, ex quo potest rectè syllogizare circa ea, quæ sunt ad finem fortitudinis, sequitur quòd potest acquiri prudentia perfecta dirigens circa agibilia temperantiæ absque hoc, quòd acquiratur prudentia dirigens obiectum fortitudinis, per consequens tot oportet ponere prudentias, quot virtutes morales.

Dicitur quòd ex fine temperantiæ inquantùm habet rationem boni secundùm rationem, sumitur principium, ad concludendum ea, quæ sunt ad finem temperantiæ, & quia bonum secundùm rationem inuenitur in fine alterius virtutis, ideò non potest quis exercere se in acquirendo prudentiam circa vnam virtutem, nisi circa omnes se exerceat, antequam habeat perfectam prudentiam.

8. Contrà: aut intelligitur, quòd ratio boni secundùm rationem, sit formalis ratio obiectiua cuiuslibet virtutis moralis, & finis virtutis moralis; aut quòd virtutes morales habeant propria obiecta formaliter distincta, quæ tamen conueniant in communi ratione boni secundùm rationem. Si primo modo, tunc sequitur, quòd non sit nisi vna virtus moralis formaliter, eo quòd tantùm vnam rationem formalem obiectiuam habent: si autem præter communem rationem boni secundùm rationem habeant propria obiecta distincta formaliter secundùm suas rationes formales obiectiuas, tunc sequitur propositum, quòd principium sumptum ex fine vnius virtutis non est medium ad concludendum ea, quæ sunt ordinata ad finem alterius virtutis.

Præterea, habitus prudentiæ non est augmentabilis in infinitum, igitur cùm prudentia augmentatur ex actibus dictandi, & dirigendi circa ea, quæ sunt ad finem temperantiæ, toties actus huiusmodi elicit, quòd prudentia sit in termino suo: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Contra tertiam inferentem vnitatem prudentiæ, ex attributione omnium dirigibilium ad vnum finem, arguit primò, quia sic vna tantùm esset virtus moralis ex attributione omnium operabilium ad vnum finem, quod falsum est. Confirmat hoc & refutat solutiones pro aduersariis. Secundò, quia virtus habet esse per conformitatem ad prudentiam, vt latè probat 1. distinct. 17. quæst. 3. à num. 1. & hîc ex Philosoph. vide eum 3. d. 36. num. 5. ergo si prudentia esset vna, omnes virtutes morales essent vna virtus. Tertiò, prudentia sub eadem ratione dirigit, quâ appetitus per virtutem in obiectum inclinatur, si ergo diuersificatur virtus, ita & prudentia, quia eadem ratio est de intellectu & voluntate, quantùm ad hoc. Quartò, actus prudentiæ circa fortitudinem & temperantiam, sunt diuersi specie, ergo & habitus quos gignunt. Hanc rationem fusè & pulchrè prosequitur, refutans solutiones & replicas aliorum & ostendens clarè duos actus specie distinctos, non posse esse causam per se vnius habitus specie. nec posset dici quòd per diuersos actus haberet habitus certos gradus, quia Thomistæ cum D. Thoma negant huiusmodi gradus in habitu 1. 2. quæst. 52. art. 1. & 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. quos refutat Doctor latè, 1. dist. 17. quæst. 5. à num. 3. & 3. physic. quæst. 3. & 4. Quintò, non est vna ars specie omnium factibilium, ergo nec vna prudentia agibilium. Sextò, in speculatiuis alius est habitus de principiis, alius de conclusione: ergo alia prudentia circa finem, & alia circa media.

Contra rationem tertiam positionis arguitur: sub eadem ratione sub qua prudentia dictat de agibili, sub eadem ratione virtus moralis inclinat in illud: si igitur prudentia dirigit circa omnia operabilia, vt habent attributionem ad finem vnum vltimum, vt ad fœlicitatem, virtutes morales eodem modo inclinabunt in sua obiecta, vt attributionem habent ad vnum finem; igitur si prudentia habeat suam vnitatem ex prima attributione, inquantùm scilicet omnia agibilia habent attributionem ad vnum finem; ergo similiter virtutes morales dicentur vna virtus specie propter eandem vnitatem attributionis, inquantum scilicet fines virtutum moralium habent attributionem ad vltimum finem moralem. 9.

Si prudentia erit vna virtus, ex attributione omnium dirigibilium ad vnum finem virtus moralis, erit tantùm vna.

Confirmatur ista ratio: nam in intellectu tantùm vna fides ponitur, quia licèt sit respectu omnium credibilium temporalium, tamen propter vnam rationem, quæ est de illis respectu primi credibilis, ad quod alia attributionem habent: similiter in voluntate est tantùm vna charitas, quia licèt sit de diuersis diligibilibus, hoc tamen est vt ordinetur ad primum diligibile; ergo similiter si virtutes morales inclinant appetitum in diuersa agibilia bonorum humanorum, vt ordinantur ad vnum principium agibile, siue ad vltimum finem moralem, sequitur quòd sit tantùm vna virtus moralis, quod falsum est: igitur virtus moralis absolutè inclinatur in vnum bonum agibile absolutè, non formaliter sub vlteriori respectu; igitur similiter prudentia diriget, contra talia agibilia absolutè; non per rationem formalem alicuius respectus, & per consequens prudentia habebit diuersa obiecta formaliter sine attributione ad aliquid vnum, & ita erunt plures prudentiæ.

Ad primum istorum dicitur, quòd licèt prudentia sit tantùm vna secundùm speciem propter vnitatem illius attributionis, non tamen erit tantùm vna virtus moralis ex eadem attributione: quia aliud est, quod formaliter & necessariò diuersificat virtutes morales, eo quòd sunt in diuersis potentiis, vt irascibili, concupiscibili; similiter quia virtutes morales auferunt diuersas difficultates potentiæ respectu diuersorum actuum, & ideò oportet quòd distinguantur specie, sicut & illæ difficultates, & actus consequentes, & non sic est ex parte prudentiæ, & ideò sufficit vna prudentia specie. 10.

Diuersitas potentiæ non diuersificat habitus.

Contrà: certum est, quòd quamuis virtutes morales

Diuersitas potentiæ non diuersificat habitus.

tales ponantur in diuersis potentiis partis appetitiuæ sensitiuæ, ista tamen diuersitas potentiarum non facit formaliter diuersitatem habituum moralium, sicut nec vnitas potentiæ vnitatem habitus. Vnde si sola diuersitas potentiæ secundùm genus arguit diuersitatem habituum, nunquam tamen formaliter & causaliter diuersitas potentiarum arguit diuersitatem habituum: quia materia est propter formam, & non forma propter materiam, ex secundo de Anima. Vnde materia habet diuersificari propter formam, & non èconuerso, sicut ibidem patet.

Item, quod dicunt de amotione difficultatis potentiæ respectu actuum, non videtur valere ad causandum diuersitatem virtutum; quia ista amotio difficultatis est consequens virtutem moralem: priùs enim virtus habet esse, antequam faciliter potentiam, amouendo difficultatem.

Facilitas non est de ratione virtutis.

Item, facilitas non est de ratione formali virtutis. Tum, quia est communis virtuti morali, & scientiæ: vtraque enim facilitat potentiam amouendo difficultatem respectu actus: tum, quia hoc non apparet in definitione virtutis, quæ est quòd *sit habitus electiuus determinatus recta ratione.*

11. Præterea ad propositum arguitur sic: ab eodem à quo virtus habet suam entitatem formaliter, ab eodem habet suam vnitatem: sed cùm virtus sit habitus electiuus determinatus recta ratione, habebit virtus suam entitatem formaliter ex determinatione rationis: ergo & vnitatem formalem habebit ex determinatione rectæ rationis. Cùm igitur determinatio rectæ rationis sit à prudentia, sequitur quòd virtus moralis habebit suam vnitatem ex prudentia, siue ex respectu ad determinationem prudentiæ; igitur si sit tantùm vna prudentia secundùm speciem, est tantùm vna virtus moralis secundùm speciem.

Confirmatur istud; quamuis virtus materialiter sit quædam qualitas animæ, formaliter tamen virtus moralis respectum dicit, scilicet, ad determinationem rationis rectæ, quæ est à prudentia, sicut patet ex definitione eius. Et ideò dicit Philosoph. 7. Physic. quòd *in habitibus virtutis non est alteratio, nec motus*: virtus igitur moralis formaliter respectum dicit ad prudentiam, sed impossibile est quòd ad eundem terminum specie sint diuersæ relationes differentes specie: ergo virtutes morales non erunt diuersæ specie, si prudentia non sit diuersa specie.

In virtute nõ est alteratio, nec motus.

12. Præterea: sub eadem ratione formali, sub quà appetitus inclinatur per virtutes morales ad eligendum, intellectus per prudentiam dirigit in eligendo, & in idem formaliter, in quod virtus inclinat, prudentia dirigit, quia si prudentià non in idem formaliter dirigit, in quod virtus inclinat, nunquam ex directione prudentiæ sequeretur recta electio secundùm virtutem, cùm prudentia dirigat in aliquid, & dictet de aliquo secundùm vnam rationem, & virtus inclinat in idem secundùm aliam rationem; sicut igitur virtutes inclinant appetitum in diuersa obiecta formaliter, ita oportet quòd prudentia sit circa eadem, vt sunt obiecta diuersa formaliter, & non secundùm aliquam rationem vnam: igitur sicut in appetitu sunt diuersi habitus virtutum, propter diuersitatem obiectorum, in quę inclinat, ita oportet in intellectu ponere diuersos habitus prudentiæ correspondenter propter diuersitatem formalem eorundem obiectorum, in quæ dirigunt.

Prudentia dirigit, sub illa ratione, sub qua appetitus per virtutem inclinatur in obiectum.

Item, si in intellectu sufficiat ponere vnam prudentiam dirigentem, & regulantem circa omnia operabilia, quare in voluntate non sufficit vna virtus ad inclinandum in ea, cùm ab vna regulare regulante non sit nisi vna regulatio passiua formaliter?

Præterea, actus generatiui habitus diuersi, secundùm speciem, sunt diuersorum habituum secundùm speciem: actus prudentiæ circa obiectum fortitudinis sunt diuersi secundùm speciem; igitur prudentia dirigens in actibus prudentiæ, erit alia specie à prudentia dirigente in actibus fortitudinis. Maior probatur per hoc, quòd impossibile est, quòd duæ causæ secundùm speciem diuersæ, sint causæ proximæ per se vnius effectus secundùm speciem; ergo cùm actus sint per se generatiui habitus, impossibile est, quòd diuersi actus secundùm speciem sint causa vnius habitus secundùm speciem. Minor probatur per hoc, quod respectu obiectorum diuersorum secundùm speciem, sunt diuersi actus secundùm speciem; sed finis, siue obiectum temperantiæ & fortitudinis sunt diuersa secundùm speciem: ergo actus prudentiæ dirigens circa obiectum vnius & alterius erit diuersus specie. Et ad clariorem intellectum illius minoris, est sciendum secundùm istos, quòd prudentia non est habitus primi principij sumpti ab vltimo fine morali, licèt fortè secundùm hanc opinionem, hoc esset dicendum, ita quòd virtualiter contineret directionem circa alia posteriora, sed secundùm eos est habitus conclusionis practicæ conclusæ ex principiis practicis, eo quòd prudentia est habitus consiliatiuus, secundùm Philosophum, qui includit discursum. Fiat ergo syllogismus practicus secundùm actum prudentiæ circa actum, vel materiam temperantiæ sic: Honestè est viuendum: sed honesta vita haberi non potest sine castitate: ergo castè est viuendum. & vlteriùs ex ista conclusione accepta pro principio vlteriùs potest argui, quòd castè est viuendum, non potest quis castè viuere, nisi moderando passiones; ergo passiones sunt moderandæ, & sic de aliis. Fiat etiam syllogismus in materia fortitudinis, sic verbi gratia: rempublicam sollicitè & cum omni virtute custodire oportet; hoc autem non potest fieri, nisi aggrediendo, & bellando: ergo pro republica bellandum est, & mors aggredienda est.

13. Actus prudentiæ circa obiecta temperantiæ ac fortitudinis, sunt diuersi specie.

Varij syllogismi practici, de variis virtutibus.

Prudentia igitur est habitus vnius conclusionis & alterius; sed actus directiui & consiliatiui respectu istarum conclusionum, sunt diuersi speciæ: quod patet, quia sunt circa obiecta formaliter diuersa specie: ergo habitus conclusionum sunt diuersi specie: principia enim ex quibus procedunt, sunt diuersa specie. 14.

Et vt videatur meliùs ista ratio, potest aliquis statim dicere, quòd sicut arguitur, quòd prudentia istius conclusionis, passiones sunt moderandæ, est alia specie à prudentia istius conclusionis, bellum pro republica est aggrediendum: quia principia, ex quibus procedunt, sunt diuersa specie: ita potest argui, quòd prudentia de ista conclusione, castè est viuendum, & de ista conclusione, iustè est viuendum, sint eadem secundùm speciem, quia principium, ex quo procedunt, est idem, scilicet illud, honestè est viuendum.

Sed nota, quòd licèt illud principium sit idem, vtrobique tamen medium, quod est minor, variatur, quia ex vna parte subiicitur, quod non potest

potest quis honestè viuere sine castitate. Et ex alia parte, quòd non potest quis perfectè, vel honestè viuere sine iustitia, & ideò sicut iustum & castum specie differunt, ita actus prudentiæ directiuus & consiliatiuus circa vnum, & circa aliud respectu conclusionum, quarum est prudentia, sunt diuersi specie, & per consequens prudentia, quæ causatur ex istis actibus erit diuersa & diuersa specie.

15. Sed dicitur hîc, quòd diuersi actus secundùm speciem non sunt diuersorum habituum secundùm speciem generatiui, sed possunt esse generatiui eiusdem habitus secundùm speciem, quoniam intellectiones albi & nigri sunt diuersæ intellectiones secundùm speciem, sicut obiecta sunt diuersa secundùm speciem, & tamen habitus scientiæ de albo, & nigro, est vnus secundùm speciem, quia eadem est scientia contrariorum, & potentia rationalis valet ad opposita, ex 9. Met. Ad probationem dicitur, quòd duæ causæ diuersæ secundùm speciem, possunt esse vnius effectus, quia illæ causæ in agendo habent diuersa obiecta specie.

Omnia indiuidua eiusdē speciei possunt fieri ab vna causa secundùm speciem.

Contra prædicta arguitur, minor probatur sic: omnia indiuidua eiusdem speciei possunt produci ab vna causa tantùm secundùm speciem, sicut quicunque calor potest produci ab vno agente secundùm speciem. Omnis igitur effectus vnus secundùm speciem producitur ab vna causa secundùm speciem proximam; igitur impossibile est, quòd duæ causæ proximæ & per se diuersæ secundùm speciem sint vnius effectus secundùm speciem.

Præterea, effectus essentialiter dependet à sua causa, sed impossibile est, quòd aliquid per se essentialiter dependeat ab aliquo inferiori, quo non causante, nihil minùs fit, aut nihil minùs habet *esse*; sed si duo actus diuersi secundùm speciem sunt generatiui vnius habitus prudentiæ, non existente vno actu, nihil minùs prudentia habet *esse* ex alio actu: similiter non existente alio actu, nihil minùs prudentia habet *esse* ex isto actu: ergo neuter est per se causa actus.

16. Præterea, si actus sit per se generatiuus habitus, reliquit suam similitudinem in passo: ergo si duo actus secundùm speciem diuersi, generant vnum habitum secundùm speciem, vnus habitus secundùm speciem erit duo secundùm speciem.

Si dicitur hîc quòd non sequitur, nisi quòd vnus habitus habeat diuersos gradus secundùm speciem, quod non est inconueniens; sicut sensitiuum, vegetatiuum, & intellectiuum sunt diuersi gradus secundùm speciem in vna forma, ita quòd per vnum actum generatur vnus gradus in habitu, & per alium actum alterius speciei, generatur alius gradus secundùm speciem.

Contra istos, qui tenent istam viam, arguitur sic: Secundùm gradus habitus est omnino simplex, nec est in eo additio gradus ad gradum, nisi tantùm secundùm rationem: igitur per alium actum non generatur alius gradus.

Intellectiuum sensitiuum & vegetatiuum, quomodo differunt.

Præterea, prima ratio stat, quia aut per secundum aliquid producitur, aut nihil. Si nihil, ergo habitus non augetur. Si aliquid, & alterius speciei à priori; ergo habitus ille continebit in se essentias duarum specierum, & ita non erit vna essentia secundùm speciem: nec valet exemplum de intellectiuo, sensitiuo, & vegetatiuo, quia non sunt diuersæ essentiæ in eadem forma, sed tantùm differunt in forma secundùm virtutem, & virtualiter.

Scientia albi & nigri non est eadem specie.

Sed etiam quod adducitur pro opinante, quòd scientia albi & nigri est vnus habitus specie, dicendum quòd non valet: nam cuiuscunque conclusionis, in qua ostenditur passio diuersa secundùm speciem à subiecto diuerso secundùm speciem à subiecto, & passione alterius conclusionis, est alius habitus specie: vnde tantùm est vnus habitus in virtute alicuius principij, aut connexione alia.

Aliter dicitur ad rationem priorem, quòd actus respectu productionis habitus est causa æquiuoca, quia actus & habitus non sunt eiusdem speciei specialissimæ, quia tunc actus esset habitus; nunc autem non est inconueniens, quòd vnius effectus specie, sint duæ causæ differentes specie, non agentes modo vniuoco, sed æquiuoco, sicut mulus generatur ab asino & equa differentibus specie. 17.

Potest acquiri prudentia circa temperantiam perfectè, licèt nulla acquiratur circa fortitudinē.

Contrà, quicunque habitus habens terminum suæ augmentationis, si augmentatur ex aliquo actu, potest augmentari vsque ad terminum suum ex actibus eiusdem speciei cum priori actu, quia qua ratione augmentatur ex vno actu, augmentari potest ex alio eiusdem speciei, & tamen illi actus eiusdem speciei possunt sibi inuicem succedere in infinitum, vel augmentabitur ille habitus in infinitum, vel per frequentationem istorum actuum tandem deueniet ad terminum: igitur prudentia, si augmentatur ex actu circa obiectum temperantiæ, & ex actu circa obiectum fortitudinis, quæ sunt diuersarum specierum, poterit ex solis actibus circa obiectum temperantiæ augmentari vsque ad terminum suum: & per consequens prudentia dirigens circa obiectum temperantiæ perfectè acquiri potest sine actibus elicitis circa obiectum fortitudinis: & ita potest esse prudentia dirigens circa actus temperantiæ, licèt non sit aliqua dirigens circa actus fortitudinis: & per consequens cuilibet virtuti morali correspondet sua prudentia, & habetur propositum.

Vnde mirabile est, quòd dicunt, cùm aliquis prudenter possit agere circa actus fortitudinis, & dictare secundùm rationem rectam, quod propter rempublicam bellum sit aggrediendum, & tamen sequi passiones delectationis, & esse Epicurus. 18.

Aliter dicitur, quòd dirigere circa obiectum temperantiæ, & fortitudinis, sunt actus prudentiæ & eiusdem speciei, quia sunt circa ista obiecta, vt habent vnam rationem formalem obiectiuam, vt rationem boni humani; & hoc sufficit ad hoc, quòd sint vnius speciei, & sic visio albi & nigri est eiusdem speciei, quia visio est eorum sub ratione coloris. Et quòd sit verum hoc, probatur: nam sub eadem ratione, sub qua potentia respicit obiectum, actus tendit in illud, quia potentia non vnitur obiecto, nisi per actum; sed primum obiectum, & formale potentiæ visiuæ est color: ergo actus videndi non est ratio albi & nigri, nisi inquantum sunt colorata: ergo visio respicit album & nigrum sub vna ratione formali: ergo sunt vnius speciei, cùm habeant vnam rationem formalem obiectiuam.

Contrà: adhuc ratio stat, quia probatur, quòd actus dictandi circa diuersa obiecta virtutum sunt alterius speciei, quia sunt obiectorum per se, & primò differentium specie, sicut & virtutes, aliter

aliter non sub eadem ratione dictaret prudentia de illo, ad quod inclinat virtus.

Quomodo color mutat visum. Præterea, albedo inquantum albedo immutat visum; ergo albedo sub ratione albedinis videtur non tantùm sub ratione coloris: vnde cùm color sit genus, & dicat aliud, quàm vnam formam realem; illud autem quod est principium immutandi visum, oportet quòd dicat vnam aliam formam, non videtur quòd color sit ratio immutandi, nisi vt habet esse in aliqua forma specifica.

19. *Non negat in Metaphysica plures habitus specie.* Item, Metaphysica est vnius habitus secundùm speciem, & tamen eius sunt diuersi actus secundùm speciem, vt considerare substantiam, & considerare accidens. Quòd si dicatur, quòd non considerat hoc, nec illud nisi sub ratione entis, tunc sua consideratio imperfectissima erit, & imperfectissimam cognitionem faceret. Etiam determinat de substantia, vt distinguitur ab accidente.

Visiones albi & nigri diuersæ specie. Ad illud quod adducitur de visione albi & nigri dicitur, quòd licèt videantur sub colore, vt sub proprio obiecto, tamen per se videntur, & ideò visiones sunt specie differentes.

Contrà, tunc eadem ratione est dicendum de habitu prudentiæ, quòd licèt ipsa habeat pro obiectiua ratione formali rationem boni humani, tamen quia per se dirigit circa obiectum temperantiæ, & circa obiectum fortitudinis, quæ differunt specie, erit alia prudentia specie.

Non est vna ars specie omnium factibilium. Præterea arguitur ad principale sic; sicut ars se habet ad factibilia, sic prudentia ad agibilia; quia ars est recta ratio factibilium : sed respectu omnium factibilium non est vnus habitus artis secundùm speciem, sed diuersus specie, sicut habitus nauis factiuę non est eiusdem speciei cum habitu artis domus factiuæ : ergo similiter respectu omnium agibilium non erit vna prudentia specie.

De hoc quolib. 16. n. 6. & 1. dist. 1. q. 4. num. 16. Præterea, sicut principium se habet in speculabilibus, ita finis in operabilibus, sed in speculabilibus alius est habitus secundùm speciem de principio, & conclusione : ergo similiter in operabilibus & agibilibus alius erit habitus secundùm speciem de fine, & de his quæ sunt ad finem, vt sic alia sit prudentia circa finem, & alia de his, quæ sunt ad finem, vt præstituat finem secundùm vnam prudentiam, & secundùm aliam dirigat virtutes in finem præstitutum.

SCHOLIVM.

Conclusio Doctoris, in hac disputatione, plures dari prudentias, iuxta pluralitatem virtutum, quarum actus prudenter dirigitur. constat enim vt hîc docet n. 18. aliquos esse, qui prudenter valde agunt in materia fortitudinis, pro republica defensione, & tamen in materia delectationum esse Epicuros; conclusionem hanc tenet 3. dist. 36. num. 21.

COLLATIO II.

Vtrùm voluntas possit amouere intellectum habituatum ab vno ad aliud dictamen?

Alens. 1. *p. q.* 107. *memb.* 1. 2. Scot. 1. *d.* 42. *q.* 4. D. Thom. 1. 2. *q.* 20. *art.* 4 Bonau. 1. *dist.* 42. *art.* 1. *q.* 1. Rich. *art.* 1. *quæst.* 2. August. 1. *contra duas. cap.* 31.

1. IDETVR, quòd sic : quia illa potentia quæ secundùm actus suos subiicitur imperio voluntatis, potest ex imperio voluntatis mutari de vno actu ad alium actum : sed intellectus, & aliæ potentiæ animales omnino secundùm actus suos subsunt imperio voluntatis: ergo ex imperio voluntatis potest intellectus, & aliæ potentiæ amoueri de vno actu ad alium, & per consequens voluntas potest auertere intellectum ad considerandum de alio obiecto. Maior patet de se. Minor probatur per Ansel. de Conceptu virginali cap. 4. vbi loquens in persona aliarum potentiarum à voluntate, dicit, *Deus nos, & potestatem, quæ in nobis est, subijcit voluntati, vt ad imperium eius non possimus non mouere nos, & facere quod vult, imò illa mouet nos, sicut instrumenta sua, & facit opera quæ videmur facere, nec nos possumus illi per nos resistere. nec quæ facit possunt non fieri dominatione, quam nobis Deus dedit, nec debemus, nec possumus non obedire.* Hæc ille. *Potentiæ interiores subsunt voluntati.*

Ex quo patet, quòd potentiæ inferiores mouentur ab vno actu ad alium ex imperio voluntatis : & multo magis per consequens ipse intellectus, qui est magis annexus voluntati habet ei obedire, vt ad imperium eius transferatur ab vno actu dicendi, vel intelligendi ad alium.

Sed contra arguitur, quia secundùm Augustinum, *inuisa diligere possumus, incognita nequaquam:* voluntas ergo non potest velle, nisi priùs cognitum ab intellectu : sed intellectus dum actualiter considerat vnum obiectum, non intelligit quodcunque obiectum : ergo intellectum considerantem vnum obiectum non potest voluntas conuertere ad intelligendum quodcunque aliud obiectum; ergo nec ad intelligendum aliud, cùm illud simul non intelligat. 2.

Dicitur ad hoc quòd sufficit cognitio alicuius obiecti in vniuersali, ad hoc quòd voluntas possit velle intellectum distinctè considerare illud. & intellectus dum considerat vnum obiectum, habet cognitionem alterius obiecti in vniuersali.

Contrà : simul duratione, dum voluntas est in actu suo, intellectus est in actu suo, & priùs natura intellectus est in actu suo, quàm voluntas sit in actu suo, quia priùs natura est aliquid cognitum, quàm volitum, aliter incognitum posset diligi, & ex hoc arguitur sic : in illo instanti, in quo voluntas auertit intellectum ab vna intellectione ad aliam, quæro quid intellectus intelligit, & quam intellectionem habet? aut intellectionem illius obiecti, à qua auertitur, aut intellectionem istius obiecti, ad quam conuertitur. Non primam, tum, quia tunc illa intellectui non inest, cùm intellectus sit auersus ab illa intellectione in instanti per conclusionem : non istam, ad quam conuertitur: quia illa naturaliter sequitur actum voluntatis, per quam intellectus conuertitur ad intellectionem, cui naturaliter præcedat effectum, & ideò naturaliter actus voluntatis, quo conuertit intellectum ad intelligendum aliud, naturaliter præcedit conuersionem intellectus, & aliam intellectionem ad aliud obiectum intelligendum. *Quid intellectus intelligit quando voluntas eum auertit. de hoc 2. d. 41. n. 6.*

Præterea si cognitio alicuius in vniuersali sufficiat voluntati ad volendum idem distinctè, & determinatè, tunc voluntas posset intellectum conuertere ad intelligendum aliquod obiectum, quod nunquam priùs intellexit, cuius species non est in intellectu, nec in phantasmate, nec quod priùs fuit phantasiatum; & tunc oporteret voluntatem facere speciem illius obiecti in phātasia, aut in intellectu, vel in vtroque. Consequentia patet, quia istud obiectum cuius species nunquam

Non sufficit cognitio alicuius in vniuersali vt voluntas velit illud in particulari 2.d.42.n.7.

quam fuit in intellectu nec in phantasmate, potest esse cognitum ab intellectu in vniuersali, sicut obiectum illud cuius species habetur in intellectu, & in phantasmate: si igitur habita cognitione alicuius obiecti in vniuersali, voluntas possit conuertere intellectum ad illud intelligendum, sequitur quòd priùs, scilicet quòd voluntas possit facere intellectum intelligere, cuius speciem non habet nec in se, nec in phantasmate, quod est impossibile.

3. Præterea, si ad hoc quòd voluntas possit conuertere intellectum considerantem naturam lapidis ad considerandum de asino, sufficiat cognitio de asino in vniuersali, quando cognoscit lapidem distinctè, tunc quæro, an ista cognitio de asino in vniuersali, sit alia cognitio à cognitione distincta, quam habet de lapide; aut non sit alia, sed eandem realiter? Primum non potest esse verum: quia tunc duo actus intelligendi simul essent in intellectu, & per consequens duo accidentia, quæ non differunt specie. Tum, quia tunc sequeretur, quòd ad hoc, quòd voluntas possit conuertere intellectum ad considerationem alterius obiecti, quàm illius, quod considerat, requiratur quòd intellectus habeat duos actus intelligendi simul, cuius oppositum experimur. Si verò dicatur; quòd illa cognitio confusa de asino non sit alia cognitio, nec alius actus cognoscendi, quàm cognitio distincta de lapide, cùm actus intelligendi lapidis non ducat in cognitionem asini; vel alterius disparati, sequitur, quòd voluntas potest conuertere intellectum ad aliquod obiectum cognoscendum, quod simpliciter non cognoscit aliquo actu intelligendi, & tunc sequitur idem quod priùs, quòd voluntas potest velle considerationem obiecti omnino incogniti.

Non sufficit cognitio entis vt voluntas illud velit distinctè 2.d.42.n.7.

Præterea: voluntas potest auertere intellectum à consideratione vnius obiecti ad considerandum aliud obiectum omnino & primò diuersum, cum quo non conuenit nisi tantùm in intentione entis, sicut à consideratione substantiæ ad considerandum de accidente: si igitur requiratur cognitio confusa illius obiecti in intellectu, ad cuius distinctam intellectionem voluntas conuertit intellectum, sequitur quòd cognitio confusa de aliquo inquantum ens, sufficit ad volendum illud distinctè per voluntatem, quod est falsum: tunc enim voluntas posset velle quodcunque incognitum habita apprehensione entis, quod primò occurrit intellectui cuiuscunque.

4. Ad primum istorum dicitur, quòd licèt intellectus distinctè non possit plura intelligere, tamen potest intelligere vnum in comparatione ad aliud, vt lapidem in comparatione ad asinum, & hæc cognitio sufficit præcedens voluntatem. Vnde dum intellectus stat in tali cognitione comparatiua duorum, voluntas potest auertere intellectum à consideratione vnius, vt absolutè consideret aliud, dimittendo primum consideratum. Per hoc patet ad formam rationis, quod in instanti, in quo voluntas auertit intellectum à consideratione vnius obiecti, considerat illud in comparatione ad aliud obiectum.

Non fit auersio per cognitionem collatiuā vtriusque obiecti.

Contrà: si in illo instanti, in quo intellectus auertitur à consideratione vnius obiecti, adhuc consideret illud obiectum, quamuis in comparatione ad aliud, nunquam auerteretur ab illo obiecto per imperium voluntatis, & habetur propositum. Probatio consequentiæ: sit obiectum à cuius consideratione auertitur *A*, & obiectum ad cuius cognitionem conuertitur *B*, tunc arguitur: in eodem instanti, in quo est auersio intellectus ab intellectione ipsius *A*, est conuersio intellectus ad intellectionem ipsius *B*, sicut in eodem instanti est generatio & corruptio. Si igitur intellectus consideret *A* in illo instanti, in quo auertitur ab *A*, igitur quando conuertitur ad intellectionem *B*, non auertitur ab intellectione *A*, igitur nunquam auertetur ab eius intellectione, quia nunquam auertitur ab *A*. nisi per conuersionem ad aliud intelligibile, nisi ponatur omnino intellectum non intelligere, cuius oppositum supponitur.

Præterea, si talis cognitio comparatiua vnius obiecti ad aliud requiratur ad hoc, quòd voluntas auertat intellectum à consideratione vnius ad considerationem alterius, tunc sequitur quòd voluntas non potest auertere intellectum à consideratione vnius obiecti, nisi intellectus priùs comparet illud obiectum ad aliud. Et tunc sequitur quòd voluntas non potest conuertere intellectum ad considerationem cuiuscunque alterius obiecti indifferenter, cuius speciem & habitum habet; quod experimur esse falsum: nam voluntas potest auertere intellectum considerantem lapidem ad intelligendum asinum, vel equum, vel quodcunque aliud obiectum, cuius species habetur in memoria, cùm tamen intellectus non simul comparet lapidem ad quodlibet aliud obiectum, cuius species reponitur in memoria. 5.

Non requiritur collatio intellectus vt voluntas auertat eum.

Præterea, patet statim esse falsum, quòd voluntas non possit auertere intellectum à consideratione vnius obiecti ibi, nisi priùs intellectus illud comparet ad aliud obiectum; post intellectionem enim Romæ potest intellectus intelligere Pascha, licèt non priùs comparet Pascha ad Romam, quæ minimè comparari possunt; vnde non videtur talis cognitio comparatiua duorum necessariò præcedere actionem voluntatis, quæ vult vnum post aliud.

Ad primum istorum dicitur, quòd quia intelligimus, & volumus cum continuo tempore, ideò non est dare vltimum instans, in quo vltimò intelligitur *A*. sicut obiectum primò cognitum; sicut nec est dare vltimum instans, in quo aliquid est album, quando aliquid mutatur de albo ad non album, iuxta determinationem Philosophi 8. Phys. & ideò in toto tempore præcedenti vltimum instans intelligit *A*. in comparatione ad *B*. & in vltimo instanti intelligit *B*, in quo etiam instanti, tunc primò non intelligit *A*. & in quo etiam instanti auertitur ab *A*, & conuertitur ad *B*, quia idem est instans vtriusque, scilicet conuersionis, & auersionis. Sed tunc stat argumentum primum; quia quæro quid in instanti conuersionis intelligit intellectus? Si dicatur ipsum *B*, ad quod conuertitur per imperium voluntatis: contrà, simul duratione currunt actus voluntatis, & actus intellectus, priùs tamen secundùm naturam est actus intellectus in intellectu, quàm actus voluntatis in voluntate; sed conuersio ad intellectionem ipsius *B*. sequitur secundùm naturam actum voluntatis in eodem instanti temporis, cùm voluntas per imperium suum sit causa conuersionis intellectus ad intelligendum in illo instanti: nec potest dici, quòd tunc intelligit ipsum *A*, quia iam ponitur quòd intellectus auersus est à consideratione ipsius *A*. 6.

Agens maximè agit in eo instanti quo inducit formam. Confirmatur ratio: agens inducens formam maximè agit in vltimo instanti, in quo inducitur forma: aliter enim induceretur forma, & nullo agente; vnde generans quod intensè agit alterando, in vltimo instanti agit, formam substantialem inducens; aliter enim forma substantialis in instanti induceretur, & à nullo. Si igitur per actum voluntatis conuertatur intellectus ad intellectionem alicuius obiecti in vltimo instanti, in quo intellectus conuersus est ad illud intelligendum, maximè voluntas operabitur per actum suum imperandi, & consequens actus voluntatis in illo instanti naturaliter præcedet actum intellectus, quod est impossibile; sic non videtur, quòd per actum voluntatis intellectus possit conuerti ab vno obiecto ad intelligendum aliud obiectum.

SCHOLIVM.

Arguit voluntatem nullo modo auertere intellectum, quia alia ab ipsa sunt sufficiens causa intellectionis, scilicet intellectus & obiectum, de quo latè 1.d.3.quæst.6. & 7.& quodlib.15.respondet id intelligendum de causa immediata, at voluntas est causa mediata, applicans intellectum, sicut & alias potentias ad suos actus. Secundò, ad idem, quia non potest voluntas auertere sensum ab actu, nisi per motum organi; ergo non auertit intellectum, quia non habet organum. Tertiò, non potest impedire vegetatiuam. Quartò, impedire causam naturalem, ne agat in passum approximatum, est miraculum, vt in igne Babylonico. Quintò, auersio illa non est actus voluntatis, nec intellectus. Sextò, ratio determinat voluntatem; ergo non è contra. Septimò, non potest hoc ratione libertatis, quia potentia ad opposita est passiua ex Philos.8. voluntas non potest habere actum sine intellectu, ergo magis subijcitur intellectui quàm è contra. De comparatione vtriusque potentiæ in perfectione, vide Doct.4.d.49.q.4.

7. *Alia à voluntate sunt sufficiẽs causa intellectionis*, 1. dist. 3. q.6 à n.7. & quol.15. Præterea, ad principalem quæstionem arguitur sic; alia à voluntate sunt sufficiens causa agens per modum, naturæ cuiuscunque intellectionis; igitur ad productionem naturalis intellectionis voluntas non agit per imperium suum, & per consequens intellectus potest intelligere quodcunque obiectum absque hoc, quòd conuertatur ad intellectionem illius per actum voluntatis effectiuè. Antecedens patet, quia sufficiens causa cuiuscunque intellectionis est intellectus agens, & intellectus possibilis, & obiectum imprimens, sicut patet in prima intellectione intellectus, vbi voluntas non concurrit, nec aliquid aliud præter illa agit per modum naturæ; sicut etiam patet in prima intellectione, respectu cuius non est in potestate intellectus non intelligere, si obiectum sit præsens: igitur alia à voluntate sunt sufficiens causa intellectionis per modum naturæ agentis: ergo voluntas non concurrit vt causa ad actum intellectus. Ista consequentia patet; quia si intellectio sufficienter producatur ab aliis à voluntate: ergo secundùm totum *esse* suum causatum est ab illis. Si igitur voluntas per actionem suam ageret ad productionem illius, sequeretur, quòd effectus bis produceretur, quod est impossibile: vel potest hæc ratio fieri sub forma syllogistica sic:

Illud, quod est extra totam causalitatem alicuius effectus, nihil operatur ad productionem illius effectus; sed voluntas est extra totam rationem totius causalitatis cuiuscunque intellectionis: quia cuiuscunque intellectionis sufficiens causa & totalis est intellectus agens cum intellectu possibili, & obiecto, siue specie impressa: igitur voluntas non operatur ad aliquam intellectus intellectionem, & per consequens, quòd intelligat vnum obiectum post aliud, non est per actum voluntatis, quo conuertit intellectum ad illud intelligendum.

Sed hîc dicitur, quòd aliquid agere ad productionem alicuius effectus est dupliciter: vel mediatè, vel immediatè & quâdam actione præuiâ: nihil autem immediatè causat actum intelligendi, nisi intellectus possibilis & obiectum, & intellectus agens, quæ directè concurrunt ad intellectionem: veruntamen voluntas concurrit suâ actione præuiâ respectu secundæ intellectionis; sed non respectu primæ, quia voluntas suâ actione auertit intellectum ad considerationem vnius obiecti, & conuertit ipsum ad considerandum aliud obiectum, & ideò voluntas non causat actus intelligendi, sicut concludit ratio, sed facit tantùm, quòd intellectus conuertitur ad aliud considerandum, & tunc intellectus cum aliis concurrentibus producit actum intelligendi. 8.

Contrà, si voluntas non faciat ad productionem intellectionis respectu alterius obiecti, sed tantùm auertit à cognitione primi obiecti: ergo non erit aliqua causa, vel ratio quare magis intelligit vnum obiectum, quàm aliud post talem conuersionem, nisi quia fortè, & quodam casu sibi occurrit phantasma vnius obiecti, & non alterius: si enim voluntas non faceret ad productionem secundi actus intelligendi, cùm non plus præcedat notitia vnius obiecti, quàm alterius non plus conuerteret ad intellectionem obiecti vnius quàm alterius. *Quomodo voluntas facit magis cõsiderare vnũ obiectum quã alia.*

Præterea, ad principale arguitur sic: voluntas sicut est copulatrix, & reparatrix ipsius intellectus respectu obiecti intelligibilis, ita etiam ipsius sensus respectu sensibilis: nunc autem secundùm Augustinum *de Ciu.c.8. de Magnis*, & 27. *de Paruis*, voluntas quæ coniũgit, & copulat sensum in sentiendo cum corpore sensibili, ipsa nõ separat, nec * diiũgit, nisi motus corporis à re sensibili auertit; ergo secundùm Augustinum sensum existentem in directione ad obiectum, non potest voluntas auertere ab actu suo, nisi quia mouet organum sensus, auertẽdo illud ab obiecto: & sic obiectum à sensu: cùm igitur ex parte intellectus non sit aliquod tale organũ, quod potest moueri per voluntatem, cuius motus separet intellectũ ab obiecto intelligibili, non potest facere vt obiectum nõ sit præsens intellectui, sequitur, vt videtur, quòd voluntas non possit auertere intellectum à suo obiecto intelligibili, sicut nec visum à visibili, nisi moueret organũ visus, auertendo ipsũ ab obiecto. 9. * al. *distinguit.* *Voluntas quomodo auertit sensum ab actu.*

Præterea, potentia vegetatiua radicatur in eadem essentia animæ cum potentia sensitiua, & intellectiua, & sicut potentia vegetatiua naturaliter fertur in subiectum suum sibi approximatum, ita & potentia sensitiua, & intellectiua: quare igitur potest voluntas magis auertere intellectum, vel sensum ab vno actu ad alium, quàm potentiam vegetatiuam. Et tu Anselme dic, quare Deus potentiam vegetatiuam non subiecit imperio voluntatis, sicut alias potentias: & hoc videtur concludere contra Anselmum. *Quare voluntas nomen imperat vegetatiuæ.*

Præterea arguitur quòd miraculum esset, si voluntas auerteret intellectum à consideratione sui obiecti, sicut si Deus impediret, quòd ignis non combureret combustibile sibi approximatum, 10.

Auersio intellectus ne consideret obiectum, quare non miraculum, sicut si ignis non combureret.

tum, natum pati; quoniam sicut combustibile approximatum igni naturaliter patitur, & ignis naturaliter agit; ita intellectus in prima apprehensione habens obiectum suum sibi approximatum, naturaliter intelligit, nec est in potestate sua non intelligere; nunc intellectus non plùs subiicitur imperio voluntatis, quàm ignis imperio diuino; ergo sicut Deus non potest facere, nisi per miraculum, quòd ignis non comburat combustibile sibi approximatum, ita videtur, quòd voluntas non possit facere, quòd intellectus non intelligat obiectum sibi approximatum, auertendo ipsum ab obiecto, nisi per miraculum, quod non est opus.

Vel arguitur sic: omne agens naturale habens passum sibi approximatum, secundùm quòd hoc natum est agere, & illud pati, necessariò agit, & si non agat, hoc erit per miraculum, sed intellectus habens obiectum suum sibi præsentatum est agens naturale, & natum est agere, & etiam pati, ita quòd non requiritur aliquid aliud, nec ex parte intellectus, nec obiecti, quia secundùm August. *non est in potestate nostra, quin visis tangamur:* ergo intellectus necessariò intelligit, ita quòd, si non intelligat, sed auertatur, hoc erit per miraculum.

II. *Auersio cuius potentia actus?* Præterea secundùm Philosophum 3. *Physicor.* actio & passio sunt idem motus, & vna res. Si igitur voluntas moueat intellectum ab vna intellectione ad aliam, oportet vt ille motus sit communis intellectui, & voluntati, aut ille motus est ipsum *velle*, & *intelligere* ambo simul, aut alterum istorum; non ambo simul, quia *intelligere*, & *velle* sunt actus realiter differentes: ergo non sunt eadem res, & per consequens non idem motus: nec est alterum istorum tantùm, quia non *intelligere*, quia tunc *intelligere* esset causatum à voluntate etiam in intellectu, & sic actio voluntatis esset transiens: si tantùm *velle*, ergo motus ille tantùm erit in voluntate, & non in intellectu, & sic intellectus non moueretur ad imperium voluntatis: nec potest esse aliquid aliud in intellectu, quia nec habitus, nec species.

Ratio determinat voluntatem. Præterea, videtur quòd magis intellectus determinet voluntatem ad certum actum, quàm è conuerso, voluntas intellectum ad certum actum intelligendi determinati obiecti; quia secundùm Philos. 7. Physic. *ratione exigente vniuersali cum apprehensione particulari, sequitur conclusio operationis*, ita quòd necesse est voluntatem operari: ergo ratio determinat voluntatem ad actum volendi.

Sed quicquid sit de ratione Philosophi in se, sufficit dicere ad propositum, quòd minor particularis non stat, quia per voluntatem auertimur ad aliud.

12. Præterea, si voluntas possit auertere intellectum à consideratione vnius obiecti ad considerandum aliud; hoc non est nisi ex libertate sua, quia ex hoc est aliquid liberum, quia est indifferens ad opposita, & contradictoria; sed secundùm Commentatorem 3. Phys. *omnis potentia quæ est respectu oppositorum, est passiua.* Vnde secundùm ipsum ibidem, *nulla potentia est indifferens ad contradictoria:* ergo ex hoc quòd voluntas est libera, ipsa est passiua, & per consequens non mouebit intellectum ab vna intellectione ad aliam.

Potentia ad oppositum est passiua, intelligitur de essentiali, non de accidentali, de quo 1.d.3.q.7.n.38. & 2.d.2.q.10. Respondetur, quòd potẽtia duplex est, essentialis, & accidẽtalis. Potentia essentialis ad cõtradictoria, & respectu contradictoriorũ est passiua sẽper, sed non potentia accidentalis ad contradictoria, cuiusmodi est voluntatis ad contradictoria.

Præterea, ista potentia magis subiicitur alteri, quę non potest habere suum actum sine illa, quàm ècontra; sed voluntas non potest habere actum suum sine intellectu, ècontra autem potest intellectus, vt de prima intellectione patet; ergo.

SCHOLIVM.

Conclusio huius disputationis habetur 2. dist. 41. q. 4. n. 10. & 11. vbi refutatis quinque modis dicendi, de quo modo voluntas auertit intellectum, resoluit eam habere quandoque cum intellectione perfecta alicuius, multas confusas, & imperfectas aliorum, & quando sibi complacet in aliquo horum, tunc intellectio intenditur & firmatur circa illud, & alia considerare desinit; iuxta hunc modum facile argumenta allata soluuntur. Ad primum, bene responsum est, ad secundum & tertium, sensitiua & vegetatiua, non subsunt voluntati, nisi mediâ loco-motiuâ, & sic magis despoticè subsunt: Doctor suprà n. 18. intellectus modo præfato magis politicè subest. Ad quartum, non impedit actionem causæ approximatæ, sed approximationem tollit. Ad quintum, intellectus determinat voluntatem, proponendo ei obiectum; voluntas determinat ipsum, complacendo in aliqua intellectione eius. Ad sextum, auersio consistit in illa complacentia voluntatis. Ad septimum, loquitur de potentia essentiali, quæ est ad principium, non de accidentali, quæ est ad actum, vt hîc in fine ait ipse Doct. vide eum de hac duplici potentia, quodlib. 15. num. 3. & 1. d. 3. q. 7. n. 38. & 2. d. 2. q. 10. Ad octauum patet ex dictis.

COLLATIO III.

Vtrùm dictamen intellectus sit primum principium actiuum respectu electionis?

Alens. 1. *p.* q. 38. *memb.* 1. D. Thom. 1. *p.* q. 82. *art.* 1. & 1. 2. q. 10. *art.* 1. & 2. Scot. 1. *d.* 1. q. 4. & *alij ibi citati n.* 3. *d.* 36. *n.* 14. Alm. Bassol. Gabr. Rubion *ibi citati in Schol.*

DICITVR quòd non, quia si intellectus per dictamen suum esset principium effectiuum electionis, sequeretur quòd voluntas non posset idem velle, & nolle: nec idem eligere, & non eligere; consequens est falsum; quia per hoc tolleretur libertas voluntatis: ergo. Antecedens est falsum: consequentia ostenditur; quia si agens necessariò agit, patiens necessariò patitur; aliter enim aliquid ageret nullo patiente, & sic actio reciperetur in nihil; sed intellectus necessariò, quantùm est ex parte sui, assentit principiis practicis, & etiam conclusioni habenti necessariam connexionem cum principio practico, ita quòd quantùm est ex parte sui, non potest illis non assentire, aut non dictare: si igitur huiusmodi assensus & dictamen sit per se principium effectiuum electionis in voluntate; sequitur quòd voluntas non potest illud non elicere, nec nolle, sed tantùm necessariò eligere, & velle. I. *Intellectus necessariò assentit principiis & conclusioni necessariæ.*

Præterea; si dictamen per se esset causa electionis; aut igitur vt causa totalis, aut vt causa partialis, vnà cum voluntate. Non primo modo, quia tunc electio nullo modo conueniret voluntati, vt actus eius, quod est contra Philosophum 6. Ethic. qui dicit, quòd *electio est appetitus intellectiuus, vel intellectus appetitiuus*; igitur saltem ad voluntatem pertinet. Et quod in 6. Ethic. dicit de disiunctione in 3. eiusdem, asserit determinatè, quòd *eligibile est voluntarium reconciliatum:* ratio

Electio spectat ad voluntatem.

ratio igitur voluntarij per se & primò pertinet ad electionem, & per consequens intellectus per dictamen suum non est tota causa electionis: nec etiam per se causa partialis, ita quòd intellectus, vt vna causa particularis cum voluntate concurrat ad causandum actum electionis; quia quando duæ causæ concurrunt ad producendum vnum effectum, oportet quòd concordent in agendo, ita quòd actio vnius non contrarietur actioni alterius; nunc autem voluntas in eligendo potest contrariari intellectui in dictando: aliter enim voluntas necessariò eligeret, quod est dictatum per intellectum, & sic voluntas posset necessitari, & tolleretur libertas voluntatis: ergo nullo modo concurrit dictando, tanquam per se causa respectu electionis, sed vel tanquam occasio, & causa sine qua non est electio: quia electio est cum ratione, & intellectu ex 3. Ethicorum.

SCHOLIVM.

Contra intentum duarum primarum rationum, nempe intellectum esse tantùm occasionem, seu causam sine qua non electionis, arguit primò, quia quando voluntas auertit intellectum ab vno actu ad alium, volitio auertendi non supponit actum à quo auertit, quia is non est, positâ auersione; nec actum ad quem intellectus, quia sequitur auersionem. Habes solutionem huius rationis Scholio vlt. disp. præced. quo explicatur quo modo fit auersio intellectus per voluntatem. Secundò arguit, quia illa causa sine qua non, cùm non sit proximatio, (quia voluntas est sibi approximata) erit quinta causa. Respondet Doct. actum intellectus esse approximationem, sine qua voluntas non est sibi approximata in ratione agentis. Soluit primam rationem disputationis inferens, si intellectus influeret in electionem, tolli libertatem; quia ad hanc sufficit principalem causam, nempe voluntatem esse liberam, esto concausa sit necessaria. Hîc videtur innuere, non sibi displicere illam opinionem. Non soluit secundam rationem, tamen tenendo intellectum esse causam partialem electionis, facile solui potest, negando vnam concausarum non posse contrariari aliis concausis. Tertiò arguit ad idem; quia voluntas necessitatur ad finem, secundùm illud, sicut principium in speculabilibus, &c. *ergo & ad media habentia connexionem necessariam cum fine. Adducit responsionem aliorum hoc admittentium, quando connexio illa necessaria ostenditur voluntati: iuxta quam infert intellectum hunc coagere ad electionem, quandoquidem voluntatem ad illam necessitat. Non loquitur secundùm propriam sententiam, quia contra D. Thom. 1. d. 1. q. 4. docet voluntatem neque ad finem, neque ad medium necessitari; & ibi n. 16. explicat illud,* sicut principium in speculabilibus, &c. *Ad idem affert duas rationes, sed facile solubiles, tenenti communem opin. quòd intellectus non influit in electionem.*

2. SEd contra hoc arguitur primò, quòd dictamen intellectus non sit causa *sine qua non*, respectu electionis, & hoc per rationem priùs factam in quæstione præcedenti; quia suppono quòd voluntas per actum volendi perfectum possit auertere intellectum ab vno actu intelligendi ad alium; respectu illius actus volendi, non est ponere alium actum intelligendi, vt causa *sine qua non*, quia non actus intelligendi à quo voluntas auertit intellectum, quia ille actus non est quando intellectus est auersus ab eo: nec actus intelligendi ad quem conuertitur, quia actus ille intelligendi naturaliter sequitur actum volendi, per quem intellectus ad secundum actum est conuersus, & causa *sine qua non* alicuius effectus semper præcedit effectum secundùm naturam: ergo actus intelligendi non potest esse causa *sine qua non*, respectu actus volendi, & ita nec respectu electionis, si electio ponitur actus voluntatis.

vide 2. d. 42. q. 4. n. 10. 11.

3. Præterea secundò probatur, quòd voluntas non sit tota causa respectu electionis, & intellectus tantùm causa *sine qua non*, sed per se causa; quia causa finalis, & formalis causa sequitur *fieri* rei, positâ causâ agente totâ, & sufficienti, & causa materiali approximatis, prout hoc natum est agere, & illud pati, necessariò ponitur effectus, si sit causa naturaliter agens, vel potest poni effectus, si sit causa liberè agens, aliter enim esset ponere quintam causam: vnde tunc cessat causa *sine qua non*, nam causa *sine qua non* vel reducitur ad approximationem passi, vel ad remouendum prohibens, sicut diuellens columnam est causa *sine qua non* motus grauis superpositi: si igitur voluntas sit totalis causa electionis, & sufficiens, & etiam ipsa est causa materialis, & susceptiua electionis, vt certum est, & ipsa sufficienter approximata sibiipsi, sequitur quòd excluso illo actu intellectus, & etiam obiecto eligibili, voluntas posset eligere, quod falsum est: ergo oportet, quòd dictamen intellectus, vel obiectum habens *esse* in dictamine intellectus, sit per se causa cum voluntate respectu electionis.

Posito agenti, & materia approximata, necessariò sequitur effectus naturalis, vel potest sequi si est liber.

Dicitur ad hanc rationem, quòd sicut in actione transeunte ad extrà, requiritur approximatio passi, in quod agat; ita etiam in actione immanente in agente requiritur ostensio obiecti: tum, quia nullum agens creatum agere potest, nisi præsente obiecto, & licèt actio voluntatis, aut intellectus realiter sit manens in agente, signatur tamen vt transiens in obiectum, ita quòd quantùm est ex parte sui, nata esset transire in obiectum, nisi ratio agentis, & natura eius impediret: tum, quia sicut agens actione transeunte requirit approximationem passi ad determinandum agens, si sit agens æquiuocum, vt Sol; ita etiam volũtas, cùm sit æquiuocum respectu actus eligendi, & intellectus respectu actus dictandi, requirit obiectum præsens determinans, non imprimendo, sicut nec in actione transeunte, sed ostendendo, & ideò vt voluntas determinetur ad eliciendum, requiritur obiectum sibi ostensum per dictamen intellectus.

4. Per hoc patet ad formam rationis, quia agente, & passo approximatis, secundùm quòd hoc tum est agere, & illud pati, potest sequi actio, sed tunc minor falsa est. Nam ab absente obiecto, & non ostenso per actum intellectus, voluntas non est sibiipsi approximata, vt nata est agere, quia non est nata agere, nisi determinetur per obiectum (vt dictum est.) Vnde sicut in actione transeunte passum non est approximatum agenti, quando est improportionabiliter distans, nam est absens, ita etiam voluntas non est approximata sibiipsi in ratione agendi, nisi obiectum sit sibi ostensum: vnde si ratio concluderet, sequeretur quòd agens actione transeunte posset agere in passum non approximatum, quia approximatio non est ratio agendi, nec ratio, quâ patiens patitur: vnde quando passum est distans, & non approximatum agenti, ponitur agens sufficiens, & passum sufficiens, nec tamen potest poni actio; nec tamen sequitur quòd approximatio sit quinta causa. Sic est in proposito, ad hoc quòd agens actione immanente agat, requiritur respectus ad

Voluntas sine actu intellectus non est sibi approximata.

ad obiectum præsens, nec tamen sequitur, quòd ille respectus sit tertia causa, nec obiectum sit causa aliqua concurrens ad agendum.

Ad libertatē sufficit primariā causā esse indifferentem, licèt alia concausa sint naturales.

Præterea arguitur, quòd prima ratio in propositione non concludat: quia quando duæ causę concurrunt per se ad agendum, si principalis sit libera, tota actio dicetur libera, licèt secundaria, & minùs principalis sit causa naturaliter agens, sicut ad actum videndi secūdum, qui est in potestate nostra, concurrit voluntas copulans, & potentia visiua, & ideò dicimur liberè videre, licèt potentia visiua sit causa naturaliter agens; & similiter dicimur liberè mouere: dicitur enim quis liberè mouere, cùm aliquis moueret manum suam liberè, licèt potentia motiua in manu sit causa naturaliter mouens. Nunc autem secundùm veritatem, dictamen intellectus non est principalis causa respectu electionis, sed voluntas quæ simpliciter libera est: licèt igitur respectu actus electionis concurrat dictamen intellectus, vel etiam obiectum, non sequitur, quòd electio non sit libera, cùm dictamen, & obiectum non sit principalis causa electionis: vnde ista ratio solùm probat, quòd dictamen intellectus non sit tota causa electionis, quod est concedendum, sed tamen est causa per se, & partialis, quæ ad actionem liberam voluntatis agit, sicut ad imperium voluntatis agit potentia motiua.

5. Præterea, sic finis se habet in operabilibus, sicut principium in speciabilibus; sed intellectus sic se habet in speculabilibus, quòd assentiens principio non potest non assentire conclusioni habenti connexionem necessariam ad illud principium: igitur voluntas, quæ est principalis causa in operabilibus, sic se habet ad finem, quòd ipsa necessariò volens finem, necessariò vult illud, quod habet connexionem ad finem: igitur voluntas sic ordinata ad finem, non potest non eligere, si sit sibi ostensum per intellectum.

Dicitur, quòd si ostendatur voluntati aliquid tale ab intellectu, ita quòd intellectus illud iudicauerit habere omnimodam connexionem ad finem, sine quo nullo modo potest finis attingi; tunc dicitur, quòd sicut voluntas necessariò vult finem, ita necessariò vult illud, quod habet connexionem talem ad finem; tunc enim illius non est electio, sed tantùm istius, quod est ostensum, vt non habet connexionem necessariam ad finem; si tamen ostendatur voluntati ab intellectu, non sub tali connexione, tunc voluntas potest illud eligere, vel refutare.

Si voluntas necessariò agit, ex quo positione intellectus hic coagit electionem.

Sed tunc sequitur quòd intellectus concurrat, vt causa agens ad volendum illud, quod est ostensum sic: quia si aliquod agens de se sit indifferens ad actionem, ita quòd potest illud agere, & non agere, si concurrente aliquo alio necessariò agat, oportet quòd sic concurrens concurrat in ratione causæ necessariò agentis, quia nunquam de agente contingenter fit agens necessarium per concursum, nisi illud concurrens necessariò agat: si igitur voluntas indifferenter se habeat ad volendum aliquid, quod habet necessariam connexionem ad finem, antequam ostendatur ab intellectu sub tali connexione, & post ostensionem illius sub tali connexione; necessariò sequitur electio in voluntate, oportet vt tale dictamen concurrens cum voluntate sit causa respectu electionis.

6. *Quod intellectus cōcurrat ad volitionem.*

Præterea, illud quod includit essentialiter respectum ad actum intellectus, dependet ab actu intellectus, sicut à causa; sed electio virtuosa in voluntate, includit ad rationem respectum, & ad actum prudentiæ, omnis enim operatio virtuosa est dictata à recta ratione, sicut patet ex definitione virtutis.

Præterea, voluntas non potest velle aliquid, nisi sub ratione boni; si igitur intellectus ostendet voluntati aliquid sub ratione boni, voluntas aut vult illud, & habetur propositum; aut non vult illud, quod non conuenit, cùm ostendatur sub ratione boni, & non sub aliqua alia ratione, &c.

SCHOLIVM.

Conclusio certa non habetur in hac quæstione apud Doctorem, sed vt dubium relinquit, an voluntatis actus afficiatur etiam partialiter ab intellectu, & sic reliquit 2. dist. 25. num. 21.

COLLATIO IV.

Vtrùm voluntas possit peccare eliciendo contra dictamen rationis rectæ.

D. Thom. 1.2.77. *art.* 2. Scot. 3. *dist.* 36. *num.* 12. 13. 14. Gabr. Occam. Rubion. Bassol. *ibi citati.*



QVòD non videtur: 1.
Omnis malus est ignorans ex 3. Ethic. ergo non est malitia ex voluntate sine ignorantia in intellectu: ergo voluntas non potest peccare stante dictatione rationis rectæ.

Dicitur, quòd est ignorantia duplex, scilicet præcedens malitiam, & concomitans: malitia verò potest esse in voluntate sine ignorantia præcedente, sed non sine concomitante ignorantia, & maximè verum est de malitia radicata.

Dictamen erroneum sequitur voluntatem.

Contra hoc arguitur, quòd malitia in voluntate non potest causare ignorantiam in intellectu. Primò per secundam regulam 1.2. collationibus: quoniam in primo instanti, in quo actus malus est in voluntate, est aliquod dictamen, siue intellectio in intellectu præcedens naturaliter actum malum in voluntate, licèt sit simul duratione; illud etiam dictamen, aut est rectum, aut erroneum: si sit rectum, habetur propositum, quia pro illo instanti, pro quo aliquis est malus, non est ignorans. Non potest dici, quòd sit dictamen erroneum, quia illud sequitur naturaliter malitiam in voluntate, quæ est causa eius per excæcationem, & oportet quòd alia intellectio præcedat naturaliter actum in voluntate. Dicitur quòd non statim malitiam in voluntate sequitur error in ratione, sed quando est malitia radicata: illa enim excæcat intellectum, & errat circa principia practica, vt dicitur 6. Ethic. & ideò in primo instanti in quo est malitia in voluntate, est dictamen rectum in ratione, sed postquam est firmata, tunc corrumpit dictamen rectum, & causat errorem in intellectu.

Contrà, pro illo instanti pro quo voluntas corrumpit dictam rectum, & causat dictamen obliquum in ratione, aut est illud dictamen rectum in intellectu, aut dictamen erroneum; si dictamen rectum, tunc sequitur propositum, quòd malitia radicata sit cum vero dictamine rationis, & similiter si tunc esset dictamen rectum in intellectu, tunc non corrumperetur illud dictamen rectum: non potest dici quòd pro illo instanti 2.

Dictamen erroneum sequitur malitiam in voluntate.

 pro

pro quo malitia est radicata in voluntate, quod sit dictamen erroneum in ratione; quia cùm causatur dictamen ex malitia in voluntate, naturaliter sequitur malitiam in voluntate, & actus intellectus naturaliter praecedit.

Sufficiẽs causa dictaminis erronei, & intellectus.

Praeterea: illud quod habet causam naturalem sufficientem producentem ipsum, aliam à voluntate, non causatur à voluntate, tunc enim idem bis causaretur; sed dictamen erroneum in intellectu habet causam naturalem, & sufficientem, aliam à voluntate, vt patet quando dictamen erroneum causatur in intellectu per paralogismum, nam per paralogismum sufficienter, & necessariò per modum naturae causatur error in ratione: ergo nullus error causatur in intellectu à voluntate mala, & haec ratio tacta est in Collatione immediatè praecedente.

SCHOLIVM.

Peccatum posse esse in voluntate sine vlla ignorantia in intellectu: quod solidè probat 3.dist.36.num.12.13. & quomodo voluntas excaecat intellectum tam priuatiue, quàm positiuè, ibi exponit num. 14.

COLLATIO V.

Vtrùm voluntas creata possit peccare?

Alens.2.par.quaest.100.m.3.2.D.Thom.1.par. quaest. 105. art.5.Scot.2.dist.37.quaest.1.num. 6. & quaest. 2. num. 9. & alij ibi citati.

1. QVòD non; quia peccatum non est de se necesse esse, nec habet aliquam causam efficientem sui: igitur non potest esse. Antecedens patet quoad primum; quoad secundum probatur per Augustinum de Ciuit. lib. 12. cap. 8. vel 7. *peccatum non habet causam effectiuam. Item, peccatum est actus voluntarius contingens effectus, non necessarius.* Tunc sic; vel voluntas non potest non peccare, quando peccat, vel potest non peccare, quando peccat: si primum, tunc esset effectus necessarius, non contingens; & ita non peccatum; similiter quando peccat, non potest non peccare: ergo. Dico quòd sic. Ad primum, peccatum habet causam non per se efficientem, sed deficientem, & quodammodo per accidens. Ad secundum, quando peccat potest peccare, & similiter quando non peccat in sensu diuisionis; quando peccat, nec peccat necessariò simpliciter, sed secundùm *quid*, & conditionaliter tantùm.

Peccatum habet causam, sed deficientem.

Contra hoc quod dicitur, quòd peccatum habet causam defectiuam; aut igitur defectiuam defectu necessario, aut defectiuam causa contingenti: si sit aliqua causa peccati necessaria, tunc non erit peccatum, quia erit necessarius defectus: si sit defectus voluntarius, erit peccatum, & peccati illius erit alia causa defectiua, & sic peccatum erit ante peccatum.

2. Contra aliud: quandocunque aliquid repugnat alicui entitati positiuè, illud non potest poni illo positiuo manente; sed voluntati, vt peccans est incompossibilis ista entitas, quae est *non peccare*: ergo voluntate peccante impossibile est *non peccare* inesse voluntati. Si de ratione voluntatis, vt voluntas est, quòd possit non peccare: ergo nunquam ponitur *peccare* in ipsa.

Ad primum non est dare primum sine secundo in eodem ordine; & dico quòd aequè primò voluntas est totius actus defectibilis: ergo conceditur maior. Ad aliud, defectibilitas necessariò sequitur voluntatem creatam, & illa defectibilitas est in libero arbitrio, sicut causa quare potest peccare, non autem defectibilitas est tota causa; ergo peccatum non est necessarium. Ad aliud, hoc posito non potest oppositum poni simul in sensu compositionis.

Delectabiliter sequitur voluntatem creatam.

Contra ista, quòd peccati non sit aliqua causa. Probatio, quia si sic, voluntas prima posset aliquid contingenter causare, inde & peccare; sed prima voluntas non vult aliquid contingenter, quia illa contingenter non potest velle aliquid liberè, nec intrinsecè, nec in obiecto volito, siue in extrinseco: quia illud obiectum extrinsecum ponitur volitum, nec sub velle, cum voluntas necessariò poneret illud in *esse*. Item cui entitati, de ratione sui ponendae in *esse* repugnat habere aliam causalitatem à se; si non est à se, impossibile est ipsum esse. Sed secundùm Anselmum *de casu diaboli*, causam quare Angelus voluit appetere similitudinem Dei, non est dare, nisi quia peccare voluit, nec est causa quare voluit, nisi quia voluit. Ad primum vult contingenter multa, & haec contingentia non est in actu suo absoluto, sed in connotato.

Causa peccati, quia vis, & causa quare vis, quia vis.

Contrà, connotatum est obiectum; ergo obiectum est illud in quo est contingentia, scilicet *A*, vt terminans actum, siue aeternum terminans: ergo in obiecto fuit contingentia ab aeterno. Dico, contingentia est in voluntate, à voluntate diuina, & per ipsum *velle* positum contingenter inesse voluntati.

Velle Dei quoad extrinseca est contingens.

Contrà: voluntas necessariò est sub *velle*: ergo necessariò ponit volitum. Dico, *velle* respectu extrinseci est contingens, vnde causa est necessaria in se, tamen non necessariò causat, immò minùs necessariò se habet ad aliud à se quantò est magis necessaria in se. Ad aliud, non fuit altera causa, vt actus secundus respectu *velle* mali, sed tantùm actus primus, sicut ante illum non alius actus secundus malus: vnde quia voluit, id est, voluit per *velle*, non quòd aliud *velle* malum fuerit causa primi *velle* mali, sicut aduersarij volunt.

SCHOLIVM.

Conclusio huius collationis, dari causam peccati, sed deficientem, non efficientem: de quo latè Doctor 2.dist. 37.quaest.2.à num.9. & quaest. 1. à n.6. Ibi habes fusè quae hîc breuiter ponit; ex quibus clarè solues quae hîc obscuriùs & breuiùs soluit Doctor.

COLLATIO VI.

Vtrùm habitus perficiens aliquam potentiam sit principium actiuum actus, ita quòd per habitum, tanquam per principium elicitiuum, vel actiuum eliciatur actus?

D.Thom. 1. 2. quaest.49. art.2. & q.51.art.2.vbi Caiet. Medina.Vasquez 1.2.d.83.cap.1.Conimbr.6.Ethic.disp.7.q. 2. art. 7. Gabr. Maior. & alij 3.dist. 23. Occam. quodlib.3. quaest.20. Heruaeus quodlib.1.quaest.13.affirmant, & inclinat Scotus 1.dist.3.quaest.7.num.20.& d.17. quaest. 2. num.8. & 3.dist.37.ad arg.princ.& 4.dist.49. quaest. 2. ad vlt. Negant Dur. 3.d.23.q.2.3.Palud.ibi q.2.Rubion.q.1. art. 3. con.4. Aureol. 1.d.17.q.1.art.2.Ioan.Andreas quaest.2.

QVòD sic videtur: forma actiua dans *esse* primum, est principium actiuum respectu 1

actus

actus secundi; sed habitus prudentiæ est huiusmodi, quia *prudentia est habitus cum vera ratione actiuus*: sicut *ars est habitus factiuus*, ex 6. Ethicorum, vbi etiam Philosophus separat prudentiam à sapientia, & scientia, & ab intellectu, per hoc, quòd prudentia est actiua: igitur prudentia est principium actiuum operationis secundæ, quo prudens agit opus prudentiæ.

Præterea: omne habens finem aliquem, habet operationem propriam, per quam attingit istum finem, quia aliter illum finem frustrà haberet; sed omne habens operationem propriam, per quam attingit finem illum, est principium actiuum illius operationis: cùm igitur prudentia habeat finem proprium, vt fines aliarum virtutum, sequitur quòd prudentia sit principium actiuum respectu propriæ actionis.

Confirmatur ratio sub hac forma: quicquid est intellectui habituato ratio, per quam habet aliquem finem, est sibi principium actiuum operationis, per quam attingit illum finem; sed habitus est ratio, qua intellectus habituatus habet proprium finem, qui non est finis intellectus, inquantum intellectus, sed inquantum habituatus; ergo habitus est principium actiuum eliciendi operationem respectu illius finis.

Habitus est forma absoluta. Præterea: habitus est forma absoluta, vt supponitur: sed vnumquodque tale habet propriam operationem in supposito, quam cùm potest habere, dicitur esse tale; cùm non potest, non dicitur huiusmodi; vnde vt ibidem vult, *omnia sunt determinata operatione*; ergo habitus habet propriam operationem, in quam potest, ipsam eliciendo.

2. *Materiæ est pati, & formæ agere.* Confirmatur ratio per Philosophum, pati est materiæ, agere verò alterius, vt formæ; sicut igitur materia est principium patiendi, ita quòd in quocunque est materia, illud est natum pati, sic forma vniuersaliter est principium agendi: igitur cùm habitus sit forma quædam absoluta, sequitur quòd erit principium actiuum actus secundi.

Præterea; agens in agendo assimilat sibi effectum per principium agendi; illud igitur est principium actiuum respectu actus secundi: per quod effectus magis assimilatur agenti, sed actus magis assimilantur habitui, quàm potentia: ergo habitus magis erit principium actiuum respectu actus, quàm potentia in qua est habitus.

Præterea secundùm Philos. 8. Physic. & 2. de Anima *inscius qui non habet habitum scientiæ, est in potentia essentiali ad actum considerandi, & sciendi*, sciens habens habitum scientiæ est in potentia accidentali, sed quandocunque aliquis est in potentia essentiali ad aliquem actum secundum sine forma, etsi habeat formam, remanet tantùm in potentia accidentali ad secundum actum, illa forma est principium respectu actus secundi, quoniam id, quo aliquis reducitur ad potentiam accidentalem respectu actus, est principium actiuum actus; sicut patet de calore respectu actus calefaciendi, & in omnibus aliis, vbi actus secundus sequitur actum primum: ergo scientia est principium actiuum respectu actus considerandi.

Responsio, sicut intellectus ante speciem est in potentia essentiali ad considerandum, sic ante scientiam est in potentia essentiali ad faciliter, & per scientiã est in potẽtia accidentali, non quidem ad considerandum, sed ad faciliter cõsiderandum.

Contrà: operatio proportionatur principio actiuo in hoc, quòd quantò operatio est perfectior, & intensior, tantò principium eius actiuum est perfectius, aut maiorem conatum habens, si sit tale principium *cui*, vel conatus; sed operatio elicita à potentia habituata potest esse perfectior, & intensior, quàm operatio elicita à potentia eadem non habituata, cum æquali, aut maiori conatu (vnde videmus, quòd virtuosus cum minori conatu potest elicere actum virtuosum fortitudinis, aut temperantiæ, quam non habens habitum virtutis, qui cum magna difficultate, & conatu potentiæ non potest talem actum elicere, sic etiam est de intellectu, & voluntate habituata) igitur principium actiuum talis operationis est perfectius, & magis actiuum, aut maiorem conatum habens: sed non est ex parte potentiæ, quia cum æquali conatu, aut maiori, non potest actum ita perfectum elicere: ergo hoc est ratione habitus potentiam perficientis; igitur habitus in potentia est principium actiuum respectu operationis, vt quia plus de actiuitate est in potentia & habitu, quàm in potentia solùm, ideò potentia habituata perfectiorem actum potest elicere. Vel sic potest argui: quod confert potentiæ facilitatem agendi, aufert ab ea difficultatem agendi: sed potentia agens cum conatur, si auferatur difficultas agendi, agit cum minori conatu: ergo cùm habitus tribuat potentiæ facilitatem agendi, potentia habituata, cum minori conatu operabitur æqualem operationem, quàm non habituata: ergo cum æquali conatu operabitur operationem perfectiorem; sed operatio perfectior est à causa potentiore, hoc autem in proposito non est ipsius potentiæ; quia ponitur æqualis conatus potentiæ æquè perfectæ: igitur est propter causalitatem habitus concurrentis. 3.

Actus potentiæ habituatæ est perfectior, quàm non habituatæ.

Præterea Philosophus 5. *Metaphys. & secundo Physicorum* reducit artem ad agens causæ efficientis, de Arte loquens, vt habitus est, à quo denominatur artifex. Vnde vult, quòd ad idem genus causæ reducatur ars, & artifex: ergo habitus factiuus, qui est ars, erit principium actiuum respectu operationis secundæ artificis. 4.

Ars ad efficiens spectat, ars est actiua.

Similiter *nono Metaphysic. cap.* 2. dicitur, quòd potentia rationalis, vt ars, & scientia factiua, sunt potentiæ factiuæ, *quia principium transmutandi aliud inquantum aliud.* Et idem vult 5. *Metaphysic.*

Præterea virtutis habitus est causa effectiua moralitatis in actu, ita quòd dat actui, quòd sit virtuosus & moralis; sed moralitas actus est eadem res cum substantia actus: ergo habitus erit principium actiuum actus quantum ad substantiam actus. Maior patet: quia quod dat actum primum, dat actum secundum, vt quod dat *esse* in quocunque genere, dat *agere*; sed habitus virtutum dat *esse* virtuosum; ergo dat *agere* virtuosè; ergo virtuositas, & moralitas in actu, est ab habitu. Maior probatur, quia si moralitas in actu sit aliud à substantia actus, aut igitur aliud absolutum, aut aliud respectiuum: non aliud absolutum, quia tunc actus virtutis non esset formaliter simplex, sed esset ens per accidens; nec est tantùm respectus, quia tunc, cùm habitus sit principium illius moralitatis, sequitur quòd ad solam relationem daretur actio.

Virtus quo modo causa moralitatis in actu.

Dans esse, dat agere.

Præterea; si habitus non sit principium actiuum actus, tunc sequitur, vt videtur, opinio Pelagij, quòd non sit ponere charitatem, & gratiam, quia

An negando efficientiam habitui, faueatur Pelagio?

quia tunc sine charitate posset quis diligere Deum super omnia, & ita quicquid potest voluntas cum charitate & gratia, potest sine tali, & per consequens, vt videtur, non est necesse ponere gratiam cooperantem, nec operantem.

SCHOLIVM.

Arguit habitum non esse actiuum actus, nec quoad substantiam, nec quoad moralitatem: pro qua parte latè agit, 1. dist. 17. quæst. 2. num. 4. 5. 6. & 10. Primum argumentum pro hoc, quia actus causat habitum; ergo non causatur ab eo, quia in causis æquiuocis non datur circulus: habet pulcherrimam doctrinam circa hoc, & an potentia sensitiua efficit actum virtutis, vt subest voluntati, & rationi; an verò voluntas, ipsa tantùm passiuè se habente: de quo mirâ subtilitate, & claritate hinc inde disputat. Argumentum de circulo in causis vniuocis non admittendo, soluit 1. dist. 17. quæst. 3. num. 10. quod probat tantùm de causa æquiuoca totali, non de partiali. Ad id de appetitu, de quo hîc nihil resoluit, iuxta eius mentem, dicendum est, quòd est principium actiuum suorum actuum, ex quibus gignitur habitus, qui potest esse virtus, vel vitium, secundùm conformitatem ad regulam prudentiæ, ita 1. dist. 17. quæst. 3. num. 8. fin. & 3. dist. 33. num. 18. Ad tertium, fauere videtur alteri parti ibi num. 13. sed absolutè tenendum, secundùm ipsum, voluntatem non producere actus virtutum in appetitu; generat tamen in se ipsa virtutes morales, vt ibi probat Doctor num. 12. contra D. Thom. præcipua difficultas de appetitu, quòd non potest producere actum virtutis, est; quia tendit in suum delectabile, quantum potest, neque potest tendere in illud vt fugibile, neque vt proponitur ab intellectu temperatè, vt habet Doctor, num. 8. Dici potest actum appetitus temperari circa delectabile, quando præsentatur ei fugibile annexum, & hîc fieri potest per intellectum; sic impetus carnis in carnem (vt habet Doct. 4. dist. 45. quæst. 3. num. 11. temperatur metu virga, cuius species, vel phantasma ostendit eam vt fugibile, eodem modo, dum repræsentatur caro in quadragesima appetitui; intellectus cogitat de igne inferni, & phantasia ostendit appetitui illud fugibile annexum delectabili, & hac ratione illud refugit, & sic de aliis.

5. AD quæstionem dicebatur, quòd habitus non est principium actiuùm respectu actus, nec quantum ad substantiam actus, nec quantum ad moralitatem in actu. Primùm istorum ostenditur sic; actùs est sufficiens, & totalis causa habitus, non est autem causa vniuoca, sed æquiuoca: nam actus & habitus non sunt eiusdem speciei, cùm habitus habeat rationem manentis, & quiescentis, actus verò rationem transeuntis: sed in causis æquiuocis impossibile est, quòd sit circulus, vt hoc sit causa illius, & è conuerso: ergo impossibile est, vt habitus sit causa effectiua actus, & principium actiuum eius.

In causis æquiuocis nō est circulus.

Maior probatur primò de actibus: actus enim voluntatis generans habitum in voluntate, sufficienter causat habitum, vt causa totalis, & nihil voluntas operatur in productione habitus, quia tunc actus nati generare habitum, ipsum non generarent, si voluntas nollet huiusmodi actus generare habitum, quod falsum est: quantumcunque enim voluntas eliciens actus iustitiæ nollet, quòd ex istis generaretur iustitia in ipsa, adhuc necessariò iustitia generaretur in ea, cùm huiusmodi actus naturaliter suam similitudinem imprimunt in voluntate: ergo voluntas nullam actiuitatem immediatè habet super habitum, sed tantùm actus ex quibus generatur habitus: ergo actus est totalis causa habitus.

Actus causat habitū independenter à potentia, si eleuatur.

Hoc probatur de habitibus moralibus, si ponantur generari in appetitu sensitiuo: nam actus, ex quibus generatur habitus temperantiæ in appetitu sensitiuo, sunt causati à voluntate ex imperio voluntatis in appetitu sensitiuo, & non sunt à potentia sensitiua, nec ab obiecto: cuius probatio est, quòd agens naturale naturaliter agens habeat contrarias actiones, vt quòd ignis moueatur sursum & deorsum: appetitus autem sensitiuus, & obiectum delectabile, & actus proprius si eliciatur à potentia appetitiua sensitiua, sunt agentia naturaliter: ergo impossibile est, quòd eliciant contrarios actus, sed actus proprius, & naturalis appetitui sensitiuo, & obiecto delectabili est contrarius actui, ex quo generatur habitus: quia obiectum sensibile delectabile de se natum est causare delectationem, & sensus appetitiuus de se natus est immobiliter, & immoderatè tendere in obiectum delectabile, ita quòd si sensus appetitiuus, & obiectum delectabile derelinquantur propriæ virtuti, causabunt actum corruptiuum habitus virtutis: ergo impossibile est, quòd ab istis sint actus quibus generatur virtus: ergo sunt impressi in appetitu sensitiuo à voluntate ex imperio voluntatis. Non igitur potentia appetitiua sensitiua habet aliquam actiuitatem cum actibus, ex quibus generatur habitus temperantiæ in appetitu sensitiuo, & per consequens actus erit totalis causa habitus, & non potentia, in qua sunt actus. Vnde siue sint à potentia, siue non sint effectiuè à potentia, sed tantùm impressi in potentia, adhuc generant habitum.

An habitus temperantiæ generetur per actus voluntatis.

Minor probatur, scilicet quòd impossibile sit esse circulum in causis æquiuocis: nam causa æquiuoca semper est perfectior suo effectu: non enim potest esse imperfectior, impossibile est enim, vt imperfectius producat perfectius: tunc enim posset dici, quòd totus mundus posset produci à musca, si non repugnaret imperfectiori producere perfectius, nec probari primum principium esse infinitum, nec etiam primum agens esse, tunc enim quodlibet à quolibet posset produci: non igitur causa æquiuoca potest esse imperfectior suo effectu: nec etiam æqualis in perfectione sibi: quia causa æquiuoca, & effectus differunt specie, & impossibile est duas species esse æquales in perfectione: igitur semper causa æquiuoca est perfectior suo effectu: cùm igitur perfectius non possit produci ab imperfectiori, vt probatum est, impossibile est quòd indiuiduum speciei effectus sit causa alicuius indiuidui speciei causæ, quæ est æquiuoca: igitur in causis æquiuocis impossibile est esse circulum, & per consequens impossibile est actum esse causam habitus, & è conuerso. 6.

Causa æquiuoca, perfectior suo effectu.

Sed huic rationi primò instatur, quia non videtur verum, quòd appetitus sensitiuus per actus suos non possit in se generare habitum, quia licèt appetitus sensitiuus, quantùm est de se, immoderatè, & effrænatè tenderet in obiectum suum delectabile, tamen quia est persuasibilis à ratione, & subiacet imperio voluntatis, potest alio modo tendere in obiectum suum, quàm modo illo, quo de se tenderet, sicut equus curreret in locum determinatum, tamen per assessorem potest dirigi nunc ad vnum locum, nunc ad contrarium: ita appetitus per causam superiorem, vt per rationem practicam, & voluntatem imperantem

Arguit appetitum efficere actū virtutis in se.

tem

tem potest alio modo tendere, & appetere obiectum suum, quàm faceret derelictus appetitui proprio.

7. Contrà, impossibile est quòd causa inferior naturaliter agens agat actionem oppositam suæ actioni, aut ex imperio, aut motu causæ superioris, nisi causa superior imprimeret aliam formam in causa inferiori, quâ mediante possit elicere actionem contrariam suæ actioni propriæ: ergo si voluntas imperio suo non imprimeret aliam formam in appetitu sensitiuo, impossibile est ipsum tendere in obiectum suum contrariâ ratione, quàm sit natus de se, & ita semper tenderet in obiectum suum, illud concupiscendo tanquam delectabile prosequendum.

Quomodo appetitus per voluntatem & intellectũ, temperet suos actus.

Dicitur, quòd non habet actionem contrariam ex imperio voluntatis actioni suæ propriæ, sed tantùm alio modo tendit in obiectum suum per directionem causæ superioris, quia ex se inordinatè, & immediatè tendit, ex imperio voluntatis, & persuasione rationis tendit ordinare secundùm debitas circumstantias: nec hoc videtur inconueniens, cùm videmus in naturalibus, quòd calor, vnde calor, habet consumere, & non nisi propriam formam inducere, & tamen vt dirigitur ab anima, est principium augmentandi, & conseruandi, cuiusmodi est calor vitalis animæ, & huiusmodi etiam calor in semine.

Affirmatio, & negatio in intellectu, & persecutio, & fuga in appetitu.

Contrà: sicut in voluntate *velle*, & *nolle* respectu eiusdem obiecti sunt actus contrarij, ita fuga, & prosecutio, siue *fugere*, & *prosequi* sunt actus contrarij in appetitu sensitiuo. Et secundùm Philosophum, quod est affirmatio, & negatio in intellectu, est fuga & prosecutio in appetitu: ergo operatio, qua appetitus tendit in obiectum delectabile, ipsum appetendo & prosequendo, est contraria actui, quo appetitus refrænatur, & fugit illud obiectum delectabile sensui, ex quibus generatur temperantia: igitur actus ex quibus nati sunt generari habitus virtuosi, contrariantur actibus quibus appetitus natus est tendere in obiectum suum delectabile ipsum prosequendo.

Quomodo agens naturale habeat actus contrarios.

Dicitur, quòd isti actus contrarij non sunt respectu obiecti sub eadem ratione obiectiua, sed sub diuersa ratione obiectiua; & ideò sunt respectu diuersorum obiectorum formaliter: quoniam appetitus sensitiuus natus est tendere de se in obiectum suum, vt est delectabile, sed illud idem apprehensum à practica iudicatur fugibile, & tunc appetitus sensitiuus persuasus à ratione practica fugit illud obiectum, & quod priùs habuit rationem delectabilis, & prosequibilis, iam ex sententia rationis practicæ habet rationem fugibilis. Quòd autem agens naturale respectu obiectorum diuersorum, habeat contrarios actus, non est inconueniens.

8. Contrà, sub eadem ratione, quâ sensibile est apprehensum à sensu apprehensiuo, sub eadem ratione appetitus sensitiuus tendit in illud: aliter enim tenderet sub ratione non ostensi: sed apprehensiuus sensus non apprehendit sensibile delectabile, nisi sub ratione delectabilis, quia sub nulla alia ratione de se natum est immutare sensum: ergo impossibile est, quòd aliâ ratione appetitus sensitiuus tendat in illud, quàm sub ratione delectabilis, & hoc per actionem sibi propriam, non igitur per suam actionem, quam elicit, tendit in illud obiectum sub ratione fugibilis.

Arguit subtiliter appetitum non posse tendere in delectabile, vt fugibile.

Præterea: sub illa ratione, sub qua est apprehensum à ratione, non est obiectum appetitus sensitiui, cùm obiectum intellectus sit vniuersale, & obiectum sensus sit singulare: ergo quamuis intellectus dicat aliquid esse fugibile, appetitus sensitiuus non tendet in illud per suam actionem sub eadem ratione, nisi ab appetitu intellectiuo causetur in appetitu sensitiuo actus, qui sit illius obiecti sub ratione fugibilis.

Appetitus nõ tendit in obiectũ, vt apprehensum ab intellectu.

Præterea, prædicta responsio multùm magis irrationabile ponit, quàm responsio ad quæstionem; maius enim inconueniens est, quòd intellectus rationem causaret obiectiuam in obiecto appetitus sensitiui, quàm quòd voluntas cuius est secundùm imperium suum mouere alias potentias, causaret aliquid impressiuè in appetitu sensitiuo, quòd sit actus obiecti sensibilis, tanquam aliqua impressio derelicta in appetitu sensitiuo ex imperio voluntatis, & eius motu.

Sed contra hoc instatur, quòd cùm voluntas non sit potentia factiua habens actum transeuntem, sed immanentem; non videtur quòd per actum suum, & per imperium possit causare in appetitu sensitiuo actum ipsius appetitus sensitiui, quomodo enim posset ibi causare, nisi per actum suum illud attingat, quod tamen non potest, cùm non habeat actum transeuntem. 9.

Præterea: ratione, quâ voluntas potest causare in appetitu sensitiuo actum ipsius appetitus, eadem ratione potest voluntas in intellectu causare actum intelligendi, cùm maiorem connexionem habeat cum intellectu, quàm cum sensu: sed hoc dicere respectu intellectus est inconueniens, quia tunc intellectus non haberet actum sibi proprium.

Videtur si volũtas causat actum appetitus, quòd causat actum intellectus.

Sed ad hoc est dicendum, quòd actus voluntatis, qui dicitur *velle*, non est actio de genere Actionis, quia actio de genere Actionis non beatificat voluntatem, sed aliquid absolutum, voluntas autem in volendo, & diligendo Deum beatificat. Similiter Philosophus Ethic. ponens quòd felicitas consistat in actu intellectus, & rationis, non ponit quòd felicitas sit actio de genere Actionis, & ideò *velle*, & *intelligere* sunt quędam qualitates productæ per actionem de genere Actionis, vt per actionem dicendi ex parte intellectus, & per actum spirandi ex parte voluntatis, & quia ad actionem de genere Actionis non terminatur productio, impossibile est, quòd actus intelligendi, & volendi, qui producuntur per actionem intellectus, & voluntatis, sint actiones de genere Actionis: sunt igitur quædam qualitates: huiusmodi verò qualitas in ipsa voluntate existens per conuersionem voluntatis ad appetitum sensitiuum, nata est actum causare in sensu appetitiuo, qui etiam actus non est actio de genere Actionis, sed est quædam qualitas in appetitu sensitiuo, ex quo derelinquitur habitus in sensu appetitiuo, & sic ex imperio voluntatis potest generari in appetitu sensitiuo, & hoc est voluntatem aliis potentiis imperare.

de hoc quol. 13. art. 3.

Operationes sunt qualitates.

Vel etiam nata est voluntas ex imperio suo causare actum, non solùm in appetitu sensitiuo, sed etiam in potentia motiua, & ideò licèt actus voluntatis, qui est de genere Actionis, non sit actio transiens, sed recepta in potentia; tamen qualitas illa quæ est actus volendi, quæ est actiua, potest agere in aliam potentiam, & causare ibi qualitatem realem, quæ sit generatiua habitus.

Actus voluntatis, an possit causare aliquid in appetitu.

Ad

Quare actus appetitus, potius, quàm intellectus causabilis à voluntate.

Ad secundum, dicendum quòd non est simile: quia appetitus sensitiuus est receptiuus alicuius, quòd non possunt causare mouentia ipsum naturaliter, quæ sunt obiectum delectabile, & ipsemet, sed intellectus non est receptiuus alicuius formæ, ad quam non mouent mouentia ipsum naturaliter.

SCHOLIVM.

Probat habitum virtutis, non efficere moralem bonitatem actus, quia hæc est aggregatio omnium, quæ actui secundùm rectam rationem debentur ex Doctore 1.dist.17.quæst.3.num.4.& 2.dist. 40. & ratione huius aggregationis nullus habitus est principium actiuum, nisi quatenus influit in actum secundum substantiam; quia consistit bonitas moralis in relationibus ad diuersa, quæ non habent aliam causam, nisi sui fundamenti. Hinc num. 11. inclinat Doctor in illam sententiam (quam docuit vt probabilem, 1.dist.27. quæst. 2. num.11.12.13.soluens argumenta contra eam, quæst.3. num. 11.) quæ negat habitum esse actiuum, sed inclinare subiectum ad actus per modum ponderis: sicut grauitas inclinat ad deorsum, si teneatur, non esset actiuum.

10. *Quòd potentia non causet substantiam actus, & habitus moralitatem.*

SEcundum principale, scilicet quòd habitus non sit causa moralitatis in actu, probatur sic: actus præcedentes habitum virtutis non secundùm rectam rationem eliciti, nunquam generarent virtuosum habitum, sed magis vitiosum: igitur cùm moralitas in actu præcedat habitum, sicut & substantia actus; habitus non potest esse causa effectiua moralitatis in actu; vnde non est imaginandum, quòd potentia, in qua est habitus, sit causa substantiæ actus, & quòd habitus sit causa moralitatis, ita quòd substantia actus correspondeat actiuitati potentiæ, & moralitas in actu correspondeat habitui, sicut quidam imaginantur; sed potentia intellectiua, & volitiua habituata secundùm actualitatem potentiæ est causa actus secundùm circumstantias actus, ex quibus dicitur virtuosus. Nam ex hoc dicitur virtuosus actus, quia est conformis suæ regulæ, quæ est prudentia, scilicet intellectui: quantumcumque enim aliquis eliciat actus temperantiæ, aut fortitudinis, qui secundùm regulam rectæ rationis nati essent generare habitum virtutis, si non sint conformes suæ regulæ, sed eliciantur ex timore, aut ex alia causa non virtuosa, nunquam generabunt temperantiam, aut fortitudinem, nec dicuntur actus virtuosi: quamuis enim ex illis actibus naturaliter derelinquatur quædam qualitas absoluta, non tamen dicetur virtus, quia non est conformis suæ regulæ, scilicet rectæ rationi, scilicet habitui prudentiæ: & virtus moralis formaliter dicit respectum ad regulam suam, scilicet rectam rationem, vt patet ex definitione virtutis, prout est dictum priùs in quadam collatione; & ideò si actus præcedentes habitus virtutis generatiui habitus, sunt conformes rectæ rationi, erunt actus virtuosi, etsi nondum habeatur habitus virtutis.

Actus virtuosus, quia cõformis prudentiæ, 1. d. 17. q 3. prin. art. 3. q. 36.

Non habens iustitiam potest operari iusta, non iustè, exponitur.

Vnde quod dicit Philos. 2. Ethic. quòd *non habens iustitiam, quamuis possit operari iusta, non tamen iustè*, hoc intelligendum quantum ad omnem conditionem actus virtuosi, quia non habens habitum non potest promptè, nec delectabiliter operari iustè, & delectatio est signum generari habitus: quòd tamen non habens habitum iustitiæ, possit iustè, & virtuosè operari per conformitatem ad rationem rectam, quamuis cum difficultate, non credo Philosophum velle negare.

Sed contra hoc arguitur, quia videmus quòd potentia habituata magis prompta est etiam ad actum eliciendum, & delectabiliùs actum elicit, quàm carens habitu: ergo habitus dat potentiæ facilitatem & promptitudinem ad agendum, & aufert difficultatem: sed quod dat potentiæ facilitatem & promptitudinem ad agendum in eliciendo, facit quòd actus elicitus à tali potentia habituata sit delectabilis & virtuosus, & per consequens habitus videtur esse causa moralitatis saltem in actu. Dicitur, quòd habitus inclinat potentiam & facilitat, sed non ad patiẽdum, nec ad agendum: non ad patiendum, & ad recipiendum actum, quia tunc actus reciperetur in toto composito ex potentia & habitu; quod est falsum, quia actus præcedentes habitum, ex quo sunt eiusdem speciei cum actibus sequentibus habitum, habebunt idem receptiuum; actus verò præcedentes habitum recipiuntur in nuda potentia; igitur similiter & actus sequentes habitum: nec etiam habitus inclinat ad agendum, vt præostensum est: sed dicitur, habitus inclinat potentiam secundùm quòd prior forma dicitur inclinare subiectum suum ad formam posteriorem, cum qua conuenit naturaliter forma prior, & per quam quodammodò perficitur & saluatur forma prior. Exemplum, si ponatur quòd grauitas non sit principium actiuum, quo graue mouet se deorsum, tunc grauitas non inclinat graue ad mouendum se effectiuè deorsum; nec etiam grauitas inclinat passiuè graue ad recipiendum *vbi* deorsum, quia sola quantitas est principium recipiendi *vbi*, sicut & replendi locum: ideò grauitas dicitur inclinare graue ad *vbi* deorsum, sicut forma prior ad formam posteriorem per quam saluatur: nam graue naturaliter quiescit & saluatur in *vbi* deorsum. 11.

Actus an recipiuntur in nuda potẽtia.

Quomodo habitus sine efficientia inclinat, exemplis exponitur.

Siccitas quomodo inclinat ad calorem.

Aliud exemplum de ligno sicco ad recipiendum calorem ab igne, in quo siccitas non inclinat ad agendum, nec etiam ad subiectiuè recipiendum; ita quòd siccitas sit ratio subiectiua in recipiendo calorem. Sed dicitur inclinare: quia naturaliter siccitas saluatur cum forma caloris: & ideò dicitur siccitas inclinare ignem ad calorem, sicut ad formam, cum qua conuenit, & per quam perficitur, & saluatur. Sic in proposito habitus perficitur & augetur per actum: & ideò dicitur habitus inclinare potentiam ad actum sicut ad formam, per quam saluatur & perficitur.

SCHOLIVM.

Sicut problematicus mansit Doctor in hac quæst. 1. dist.17.quæst. 2. & 3. magis tamen inclinans in sententiam tribuentem actiuitatem habitui: ita manet & hîc, licèt magis in oppositam partem inclinare videatur, quia soluit omnia argumenta alterius sententiæ eam, & non è contra. Soluit etiam alia argumenta contra eandem, dist. quæst. 3. num. 11. & quæst. 2. num. 12. explicat optimè, quomodo quatuor conditiones quæ conueniunt habitui, saluari possint sine illa actiuitate. Soluit nouem argumenta in principio collationis posita, per selectam & claram doctrinam; vt noto in margine, addit & soluit decimum argumentum.

12. *Prudentia dicitur actiua sine efficientia proprij actus in sua potentia.*

AD primam rationem principalem dicendum, quòd prudentia dicitur actiua & ars factiua, non quia sit principium agendi, aut faciendi

faciendi proprias actiones potentiæ, in qua sunt, tunc enim scientia, & alij habitus speculatiui essent principium actiuum respectu propriarum operationum: sed ideò dicuntur isti duo habitus principium agendi, & non habitus speculatiui, quia dirigunt circa operationes exteriores, quomodo non faciunt habitus speculatiui: prudentia enim dirigit circa actus virtutum moralium, qui actus sunt in voluntate, aut in appetitu sensitiuo, ars autem dirigit circa operationem transeuntem in exteriorem materiam.

Ad secundam, quando arguitur quòd omne habens finem, habet operationem propriam, per quam attingit finem, dicendum quòd non semper est verum, quia natura non dedit principium actiuum intrinsecum cuilibet attingendi suum finem; sicut homo non habet ex se sufficiens principium actiuum ad attingendum Beatitudinem. Similiter potentia sensitiua, si ponatur passiua, non habet principium actiuum ad eliciendum actum suum, qui est finis eius; sed hæc vera est: omne habens finem, habet in se principium actiuum attingendi finem suum, vel in natura est aliquid cuius adiutorio potest finem attingere, & sic habitus prudentiæ finem suum potest attingere per actiuitatem suæ potentiæ intellectiuæ, quam perficit.

Homo non potest attingere suum finem.

Ad tertiam, quando arguitur quòd omnis forma absoluta habet propriam operationem, dicendum quòd falsum est: non enim omnis forma absoluta est actiua; quantitas enim est forma absoluta, non tamen principium actiuum, vnde formæ rerum naturalium, per quas agunt, sunt determinatæ propriis operationibus, de quibus loquitur Philosophus 4. Metaph. cùm dicit, quòd *omnia sunt determinata operatione*.

Nō omnis forma absoluta agit.

Et quando arguitur in confirmatione, quomodo natura ipsius materiæ est pati, ita natura ipsius formæ est agere: dicendum quòd si loquitur propriè de materia prima, & forma sibi conueniente, quæ est perfectio eius, vera est propositio, quòd sicut materiæ primæ propriè est pati, ita formæ substantialis perficientis materiam, est agere: pono enim formam substantialem esse actiuam, & esse principium operationis specificæ. Si verò accipiatur materia impropriè pro quocunque habente modum materiæ, sic falsa est hæc, quòd vbique materiæ est pati, aliqua enim forma actiua respectu alterius habet modum materiæ, & potentialis, & tamen est actiua: & sic etiam falsa est, quòd vbicunque cuiuscunque formæ est agere.

Materia est pati, & forma agere, exponitur.

13. Ad quartam, quando arguitur quòd actus magis assimilatur habitui, quàm intellectui: ergo habitus magis est principium actiuum actus, quàm intellectus: dicendum quòd actus magis assimilatur obiecto, quàm habitui, & obiectum est principium assimilandi actum: & ideò sequitur, quòd obiectum cum intellectu sit principium actiuum actus, quod concedo.

Obiectũ, causa assimilãdi actum.

Ad quintam, quando arguitur per Philosophum quòd intellectus per scientiam reducitur de potentia essentiali ad potentiam accidentalem, dicendum, quòd æquiuocè accipitur scientia à Philosopho: nam ibi accipitur scientia pro specie impressa ab obiecto, quæ potest dici habitus & scientia, quia habet rationem quiescentis & permanentis in intellectu, vel etiam principium actiuum cum intellectu ad intelligendum, & acquirendum notitiam simplicem, prout habet vicem obiecti: sed alio modo accipitur scientia, & habitus pro quadam qualitate derelicta ex actibus sciendi: & ista scientia non est principium actiuum reducens intellectum de potentia essentiali ad accidentalem, & sic etiam dicendum est de habitu prudentiæ, quia species impressa in intellectu à primo obiecto practico est principium reducendi intellectum de potentiâ essentiali ad actum prudentiæ, & potest dici habitus prudentiæ illa species propter causam prædictam: sed habitus, qui qualitas est derelicta ex actibus prudentiæ, non est principium actiuum eliciendi actum prudentiæ.

Scientia accipitur pro specie impressa: de quo 1. d. 3. q. 6. 7.

Quomodo prudentia reducit intellectum à potẽtia essentiali ad accidentalem.

Ad sextam, quando arguitur quòd operatio perfectior & intensior requirit principium actiuum intensius, vel maiorem conatum in principio actiuo; dicendum quòd est verum, sed tamen quilibet experitur, quòd habens habitum cum minori conatu potentiæ, ęqualem actum elicit, quàm carens habitu, & habitus amouet difficultatem agendi: vnde videtur, quòd habitus sit principium agendi quando est diuersitas à parte susceptiui: sicut igitur ignis æquali actione intensiorem calorem causat in ligno sicco, quàm in ligno viridi, propter diuersitatem suppositi, vel susceptiui, sic in proposito: licèt enim habitus non sit ratio susceptiui, ita quòd compositum ex potentia & habitu sit proprium susceptiuum actus, tamen propter conuenientiam habitus cum actu, actus receptus in potentia habituata est perfectior, quàm in potentia nuda receptus: vnde sicut siccitas in ligno inclinat ad recipiendum calorem intensiorem propter conuenientiam, quam habet, sic & habitus inclinat potentiam respectu actus, & secundùm hoc patet, quomodo habitus dicitur amouere difficultatem. 14.

Quare ignis æquali actione magis calefacit siccũ, quàm viride lignum.

Ad septimam, cùm arguitur per Philosophum quòd *ars reducitur ad causam agentem*, dicendum, sicut suprà dictum est, quòd ibi non accipit artem pro qualitate derelicta ex actibus, sed pro specie rei artificialis impressa ab obiecto, quomodo loquitur Philosophus 6. Metaphysic. cùm dicit: *ab arte fiunt quorumcunque species est in anima, speciem autem dico, quod quid erat*, &c. & ista species potest dici ars, & habitus propter causam suprà dictam.

Ars reducitur ad agens, exponitur.

Ars sumitur pro specie impressa à Phil.

Ad octauam, cùm dicitur quòd habitus sit causa moralitatis in actu, quia dat *esse* virtuosum: igitur dat *agere* virtuosè; dicendum quòd non sequitur: quantitas enim dat *esse* primum, & tamen non est principium alicuius operationis secundæ; & ideò non est verum, quòd dans *esse* primum, dat *esse* secundum, scilicet operationem, nisi quando ad *esse* primum sequitur actus secundus, quod non contingit in proposito.

Dans esse dat agere, exponitur.

Ad nonam, dicendum quòd non sequitur opinio Pelagij; quia Pelagius dixit, quòd homo ex puris naturalibus potest mereri, quod non ponit ista opinio: licèt enim sine charitate posset habere substantiam actus, quam habet cum charitate, non tamen potest mereri sine charitate. Charitas enim requiritur propter rationem merendi, vt scilicet habens charitatem acceptetur à Deo.

Negans habitus esse actiuos nõ sentit ideò cum Pelagio.

Contrà, aliquis dicitur mereri propter aliquid quod est in potestate sua vt præparatione, quam habet: si igitur charitas non sit principium agendi, tunc sequitur quòd non sit principium merendi. 15.

gendi. Dicendum quòd maior falsa est, Deus enim acceptat te non propter actionem tuam, sed quia dat tibi charitatem, propter quam acceptat te, & non propter opus tuum.

Præterea, adhuc arguitur ad principale; actus proprius prudentiæ excedit actum intellectus non habentis prudentiam, ita quòd actus intellectus habituati per prudentiam excedit actum intellectus sine prudentia, quia actus intellectus solùm est intelligere aliqua diuidendo, vel componendo, non referendo ad vlteriorem finem, sed actus intellectus informati per prudentiam est referre in finem prudentiæ; ergo actus intellectus habituati excedit actum intellectus non habituati: illud plus in quo excedit, à quónam est? non est ab intellectu, quia tunc non excederet actum intellectus sine habitu existentis: ergo relinquitur quòd sit ab habitu, & ita habitus erit principium actiuum respectu illius. Respondeo, quòd intellectus sine habitu potest habere illum actum referendi in finem; aliter non posset habere actum virtuosum præcedentem habitum, ex quo habitus generetur, sine habitu; sed non potest habere actum ita intensum, non propter maiorem conatum, sed propter diuersitatem à parte susceptiui.

Actus prudentia excedit actum intellectus non habituati, & tamen prudentia non est actiua.

COLLATIO VII.

Vtrùm intellectus possibilis sit actiuus in causando actum intellectus?

D.Thom. 1.*par.quæst.*56.*art.*1.*&* 55.*art.*1.Scot.1. *dist.*3.*q.* 6 7. *& quodlib.*15.*&* 4.*dist.*10.*quæst.*3. Henric. *quodlib.* 4.*quæst.*7. Conimbr. 2. *de Anima,cap.* 6. *quæst.* 2. *art.*3. Capr. 2. *dist.*35.*quæst.*1.*art.*1.

SCHOLIVM.

Arguit subtilissimè intellectum possibilem non esse actiuum. primò, quia secundùm Philos. agentis est agere, & possibilis pati. Respondet possibilem pati, & agere. Contrà, quia sequeretur eum perfectiùs agere, quàm agentem; quod est inconueniens: cùm possibilis sit imperfectior agente. Respondet agentem non tantùm concurrere ad speciem, sed ad ipsam operationem immediatè cum possibili. Contrà, vterque intellectus sunt vna natura simplex, ex 2.d.16. ergo non concurrunt in eundem actum, quodam ordine, ita vt agens sit perfectior, & nobilior causa, quia causæ subordinatæ habent diuersitatem in reali nobilitate. Respondet, instando quòd voluntas, & intellectus sunt vna simplex natura, tamen subordinantur, & voluntas mouet intellectum: & est nobilior eo, ex 4.dist.49.quæst. 4. Contrà, quia si nulla est diuersitas realis, vna potentia non est realiter nobilior alia, & illa subordinatio est tantùm secundùm actus, inter quos est realis diuersitas nobilitatis. Præterea instatur, quia possibilis se habet ad suum actum, sicut sensus ad suum; ergo sine concursu immediato agentis eum efficiet. vide Doctorem quodlib. 15.n.13. vbi ponit quatuor argumenta pro hac parte.

1. RGVITVR quòd non; intellectus agens non potest pati: ergo nec intellectus possibilis potest agere. Consequentia probatur ex 3. de Anima, *sicut intellectus agens est omnia facere, sic intellectus possibilis est omnia fieri.*

Responsio. Dicitur quòd consequentia non valet: quia licèt agens, aliquid agendo, non moueatur, non prohibet tamen quòd idem, quod mouetur, moueat, & quòd illud quod patitur, agat, sic est de intellectu agente, & possibili.

Contrà, probatio, quòd si intellectus agens tantùm agat, quòd intellectus possibilis tantùm patiatur; quia possibilis intellectus, si sit actiuus respectu actus intelligendi, sequitur quòd magis actiuus, quàm intellectus agens; consequens est falsum. Probatio consequentiæ: actus intelligendi est qualitas quædam perfectior, & actualior, quàm species abstracta à phantasmate per actionem intellectus agentis; sed effectus nobilior, & perfectior est semper ab agente nobiliori, & magis actiuo producente secundùm vltimum potentiæ suæ: si igitur actus intelligendi producatur per actionem intellectus possibilis, & species repræsentans per actionem intellectus agentis, sequitur quòd intellectus possibilis sit magis actiuus, quàm intellectus agēs, & nobilior intellectu agente, cùm tamen semper patiens sit ignobilius suo agente: & intellectus agens tantùm dicitur agens respectu possibilis, & non respectu phantasmatis: quia nihil imprimit in phantasmate, sed cum phantasmate agit in intellectum possibilem. *Replica.*

Intellectus agens respectu cuius dicitur talis.

2. *Replica.* Dicitur quòd adhuc non sequitur, quòd intellectus possibilis sit magis actiuus, quia etiam respectu intellectionis, & actus intelligendi intellectus agens est magis actiuus, & non solùm respectu speciei impressæ in intellectu possibili.

Responsio. Contrà; impossibile est quòd in vna natura simplici respectu vnius effectus simplicis producendi, sint causalitates duarum causarum essentialiter ordinatarum; sed intellectus agens, & possibilis sunt vna natura simplex, quia natura animæ, supponendo quòd potentiæ animæ non sint aliqua accidentia absoluta superaddita: ergo impossibile est quòd intellectus agens, & possibilis concurrant ad productionem actus intelligendi sub quodam ordine, ita quòd intellectus agens sit causa principalior, quàm possibilis. Maior probatur per hoc, quòd causæ essentialiter ordinatæ, habent diuersitatem in reali nobilitate; cùm in causis essentialiter ordinatis vna sit nobilior alia, reali nobilitate: sed impossibile est quòd in natura simplici sit diuersitas realis nobilitatis: tunc enim eadem natura esset realiter nobilior seipsa, quod est impossibile: ergo impossibile est, vt in aliqua natura simplici sit causalitas nobilitatis duplicis essentialiter ordinatæ.

Vide 2.sen. dist.16.

In natura simplici potest esse diuersitas essentialis.

3. Dicitur quòd maior falsa est, quia voluntas est potentia nobilior, quàm intellectus, vel è contra, & tamen sunt vna essentia animæ, & vna nihilominus habet causalitatem nobiliorem aliâ, tanquam causæ essentialiter ordinatæ, cùm voluntas possit intellectum mouere. Contrà, illud non euacuat probationem maioris, quia cùm impossibile sit in natura simplici, quòd sit diuersitas nobilitatis realis, oportet quæcunque duo sunt vna natura simplex, quòd vnum non sit nobilius alio reali nobilitate: ergo si intellectus & voluntas sint vna natura simplex in tertio, vt iam supponitur, sequitur quòd impossibile sit voluntatem esse nobiliorem intellectu, aut è conuerso, reali nobilitate, & ideò si intellectus, & voluntas sint vna essentia animæ, quæstio quæ quærit, quæ potentia sit alia nobilior, nulla est, nisi per comparationem ad actus; quia cùm sint vna natura, vnum eorum non potest esse nobilius alio reali nobilitate; & ideò nunquam duo ex parte animæ possunt esse causæ essentialiter ordinatæ ad effectum aliquem producendum, & simul stat quòd potentiæ animæ excedant, quantum

Vide 4.sen. d.49. q.4. *Responsio.*

Replica.

Tenendo intellectum, & voluntatem non distingui ab anima, an stat vna esse alia nobiliorem.

quantum ad actus, sed non quantum ad nobilitatem realem in se absolutam, quia vna natura potest esse causa etiam agens secundùm vltimum potentiæ suæ respectu diuersorum effectuum, quorum vnus sit perfectior altero, dummodo tamen sit causa æquiuoca, sicut Sol respectu diuersorum ab ipso productorum; & sic anima potest esse causa vnius actus, vt volendi, & actus alterius, vt intelligendi, quorum vnus sit nobilior alio, & vt eliciat vnum, quòd sit vna potentia, vel vt alium, alia potentia, licèt in se non habeat potentia diuersitatem in nobilitate reali.

Item, quod dicitur, quòd voluntas mouet intellectum, & agit in ipsum, hoc non est intelligendum immediatè, sed voluntas causat actum volendi, qui est quædam qualitas, & per istam qualitatem potest agere in intellectum, mouendo ipsum, & alias potentias, & hoc est voluntatem mouere secundùm imperium suum, vt *suprà* dictum est.

4. Item, intellectus possibilis non est minùs sufficiens ad causandum actum suum, quàm potentiæ sensitiuæ inferiores; sed potentia sensitiua præsente suo obiecto, vt visus cum obiecto visibili sibi præsentato, causat actum videndi, nec requiritur visus agens: ergo similiter præsentato obiecto intellectui possibili, intellectus possibilis cum obiecto erit sufficiens causa ad præsentialitatem obiecti causandam, & propter hoc videtur solùm Philosophus ponere intellectum agentem: quòd etiam intellectus sit actiuus, & habeat propriam operationem. & quòd forma hominis, à qua homo est homo, sit actiua, non solùm forma accidentalis, dicit Albert. *super 1. Ethic. tractatu quarto, cap. 5.*

Præterea, si intellectus agens dicatur actiuus respectu actus intelligendi, hoc non est, nisi quia mouet intellectum possibilem ad intelligendum: sed hoc videtur falsum, quia tunc per istam motionem intellectus agens aliquid causaret in intellectu possibili: aut igitur actum intelligendi, aut speciem: non actum, quia prius intellectus possibilis mouetur ab agente secundùm dictam responsionem, quàm actus intelligendi elicitur: & non speciem, quia post impressionem, & abstractionem speciei à phantasmate, intellectus agens ponitur secundùm istos mouere possibilem ad intelligendum; ergo, &c.

An agēs aliquid producat in intellectu possibili.

SCHOLIVM.

Adducit alia tria argumenta contra actiuitatem intellectus possibilis, cum responsione & replica ad singula. Primum, quia tunc superflueret agens, quia possibilis causaret hanc speciem, cùm ponatur causare actum, quia hic est nobilior effectus. Secundum, quia posset per voluntatem impediri ab actu, si esset actiuus. Tertium, quia posset intelligere sine specie, cùm sensus posset sentire cum specie, & voluntas vult sine specie.

5. PRæterea, arguitur sic ad principale: si intellectus esset actiuus, qui dicitur possibilis, tunc intellectus possibilis posset sibi fabricare speciem: consequens est falsum, quia tunc intellectus sibiipsi sufficeret ad intelligendum, & superflueret ponere intellectum agentem. Consequentia probatur: id quod est actiuum respectu formæ nobilioris & perfectioris, est actiuum respectu formæ ignobilioris præcisè, cùm forma ignobilior sit dispositio respectu formæ nobilioris, sicut patet in actiuis naturalibus: & propositio videtur vera per hoc, quòd minor entitas requiritur ad productionem formæ ignobilioris, quàm ad productionem formæ perfectioris: igitur actiuum respectu formæ nobilioris sufficit ad productionem formæ ignobilioris, sed actus intelligendi est forma nobilior, quàm species abstracta à phantasmate, quæ species est sicut dispositio requisita in intellectu possibili ad actum intelligendi: ergo si intellectus possibilis sit actiuus ad producendum actum intelligendi, poterit producere in seipso speciem intelligibilem.

Si possibilis esset actiuus an superflueret agens intellectus.

Dicitur quòd maior non est vera: aliquod enim agens est productiuum formæ perfectioris, quod non est productiuum formæ ignobilioris; quia non conuenit sibi talem formam producere; etiam licèt sit dispositio ad formam perfectiorem: forma enim substantialis potest formam sibi similem producere, & tamen non formam alteratiuam, quæ est vt dispositio ad inductionem formæ substantialis, quia forma substantialis sibiipsi sufficeret ad inducendum formam suam. *Responsio.*

Contrà, si producere speciem repugnet intellectui possibili productiuo actus intelligendi, aut hoc est propter imperfectionem intellectus possibilis, aut propter eius perfectionem. Si propter eius imperfectionem repugnet sibi, habetur propositum, quòd repugnabit sibi producere actum intelligendi, quia imperfecto, cui repugnat producere ignobilius, repugnat producere nobilius, cùm maior perfectio requiratur ad producendum nobilius, quàm ignobilius ens. Si autem non repugnet intellectui impossibili propter eius perfectionem: ergo cùm intellectus agens sit perfectior, & magis actiuus, quàm intellectus possibilis; intellectui agenti repugnabit causare speciem in intellectu possibili per abstractionem à phantasmate. *Replica.*

Vnde repugnat possibili producere speciem.

Præterea ad principale arguitur sic: omne actiuum subiectum imperio voluntatis potest impediri à sua actione per imperium; sed intellectus possibilis habens obiectum sibi sufficienter præsentatum, non potest impediri à voluntate, quin illud intelligat: voluntas enim cùm ante intellectionem intellectus non habeat illud obiectum sibi ostensum, non potest intellectum impedire, nec aliquem actum habere, cùm voluntas non habeat actum, nisi circa obiectum cognitum: ergo intellectus non habet actiuitatem subiectam voluntati, sed erit passiuus ab obiecto, vt quia voluntas non potest impedire phantasma quin moueat intellectum causando passionem, quæ dicitur intelligere; ideò non possit impedire intellectum ab intellectione obiecti sibi ostensi. 6.

Dicitur quòd voluntas non potest impedire intellectum à prima intellectione obiecti: quia *non est in potestate nostra, quin visis tangamur:* potest tamen impedire intellectum à secunda intellectione, & tertia, & vniuersaliter ab exercitio actus intelligendi, postquam obiectum intellectum est solùm ab intellectu, & ostensum voluntati.

Contrà, intellectus habens demonstrationem alicuius conclusionis scibilis, ita firmiter adhæret conclusionis veritati, intelligendo ipsam, & considerando; quòd voluntas non potest facere intellectum dissentire tali conclusioni: ergo intellectus non habet actiuitatem subiectam, quia si talem haberet, voluntas posset hoc facere: ergo quòd

An voluntas potest impedire assensum conclusionis demonstratæ.

quòd hoc non possit facere est, quia obiectum causat assensum in intellectu, & non quia intellectus ex se effectiuè assentit conclusioni.

Præterea ad principalem arguitur sic: omne habens entitatem actiuam ab alio distinctam, habet operationem distinctam, in quam potest: sed intellectus possibilis habet entitatem distinctam à specie intelligibili, & per te habet actiuitatem distinctam à specie; ergo potest in operationem intelligendi sine specie, quod falsum est.

7. *Responsio.* Dicitur, quòd species, licèt non requiratur propter substantiam actus intelligendi, qui est ab intellectu, est tamen propter actuum determinationem.

Replica. Contrà, si intellectus habeat aliquam actiuitatem, hoc est respectu determinati actus & singularis, non respectu actus vniuersalis: actus igitur productus ab intellectu ex se singularis est: ergo ab eodem habet, quòd sit habens substantiam suam, & singularem, quod igitur est causa actus secundùm substantiam, erit causa actus secundùm suam singularitatem. *Causa actus secundùm entitatem est causa eiusdē secundū singularitatem.*

Præterea, arguitur quòd non sit necesse ponere speciem intelligibilem in intellectu possibili, si sit actiuus: quia in ordine agentium videmus, quòd quantò agens est superius, & perfectius, tantò minùs patitur, & magis actiuum est, vt patet in ordine agentium corporalium. Vnde cœlum, quod est perfectius inter agentia corporalia, minùs patitur: immò non recipit ab exterioribus, & inferioribus aliquam passionem. Ideò similiter in ordine vitalium agentium, quantò agens est superius, tantò minùs patitur, & magis agit: si igitur sensus ad actionem requirat speciem impressam, quâ agat, ascendendo erit tandem deuenire ad agentem naturæ intellectualis, qui sic agat, quòd non patiatur recipiendo speciem. *Quòd possit intellectus sine specie agere.*

Præterea, intellectus, & voluntas, cùm sint potentiæ eiusdem immaterialitatis, ea quæ ponuntur propter actionem vnius ex parte vnius potentiæ, possunt saluare actionem alterius potentiæ; sed nunc est ita, quòd ad hoc, quòd voluntas velit agendo actum volendi, non requiritur aliquid impressum in voluntate, sed sufficit sola ostensio obiecti in intellectu: ergo ad hoc quòd intellectus, si sit actiuus, intelligat, sufficit quòd obiectum sit sibi ostensum in phantasmate, in virtute intellectus agentis, nec oportet speciem aliquam imprimi in intellectu possibili.

SCHOLIVM.

Circa responsionem quandam ad vltimum argumentum (quod concludit, si ponatur possibilem esse actiuum, non requiri speciem) quâ dicitur intellectum non esse causam totalem, sed speciem, quatenus tenet vicem obiecti, esse concausam intellectionis, vt docet 2.d.3.q.7.n.20.& q.8.vbi n.2. probat intellectum esse causam principaliorem respectu visionis, ad quam naturaliter mouetur; arguit multipliciter, quòd intellectus sit tota causa intellectionis, & argumenta sunt pulcherrima, & satis vrgentia: alia argumenta ad idem habet 1.d.3.q.7.n.1. & 2.& soluit n.24.& 40. & iuxta doctrinam sparsim datam, ibi q.6.& 7. argumenta hîc posita solui possunt. Quòd verò species dentur, contra quod, aliqua ex his argumentis faciunt, latè probat ibi q.6 à num.5.

8. Præterea, quod dicitur, quòd intellectus, licèt sit actiuus, non tamen est tota causa actus, sed species, inquantum tenet vicem obiecti, ita quòd intellectus cum obiecto relucente in specie est totalis causa actus.

Contra hoc arguitur, primò specialiter de actu intelligendi reflexo: nam intellectus non solùm intelligit aliquod obiectum, vt lapidem, sed etiam intelligit suum *intelligere*, quod quidem est per se intelligibile, quia vera qualitas, & absoluta.

Quæro igitur, an intellectus sit tota causa actus intelligendi, quo intelligit suum *intelligere* lapidis, aut obiectum sit causa cum intellectu: si intellectus sit tantùm, habetur propositum, quòd intellectus sit totalis causa efficiens actus intelligendi. Si dicatur quòd intellectus cum obiecto est causa actus intelligendi, qui intelligit suum *intelligere.*

Contrà, quando intelligit actu reflexo suum *intelligere*, illud *intelligere* non est, quia non est qualitas mansiua, & per consequens non durat in alio actu intelligendi, aliter enim duo actus intelligendi simul essent in intellectu, & infiniti, cùm in infinitum contingat reflectere super actus intelligendi; sed quod non est, non est principium actiuum actus: igitur non semper obiectum est principium actiuum respectu actus intelligendi cum intellectu. *Quomodo cognoscit intellectus reflexè.*

Præterea, si obiectum præsens in specie, esset causa partialis actus intelligendi, tunc sequeretur quòd actus intelligendi respectu ignobilioris obiecti, esset perfectior, quàm respectu obiecti perfectioris, quod falsum est; consequentia probatur, quia si obiectum relucens in specie esset causa actus intelligendi, tunc illud obiectum, quod perfectiùs relucet in specie, & perfectiùs *esse* habet in intellectu per speciem, perfectiùs esset principium causandi actum intelligendi, quia quantò aliquod actiuum verius *esse* habet, tantò est magis actiuum; sed quiditas accidentis verius *esse* habet in intellectu per speciem, quàm quiditas substantiæ, quia fortè substantia non intelligitur per speciem propriam, eo quòd speciem propriam non facit in intellectu, nec in sensu. Similiter quiditas substantiæ materialis verius *esse* habet in specie intelligibili, quàm substantiæ immaterialis, quæ non habet proprium phantasma: ergo actus intelligendi accidentis perfectior esset, quàm actus intelligendi substantiæ materialis, & actus intelligendi substantiæ materialis perfectior, quàm actus intelligendi substantiæ immaterialis, & sic respectu nobilioris obiecti esset imperfectior actus intelligendi. 9. *Cognitio accidentis an perfectior cognitione substantiæ.*

Præterea, secundùm quod innuitur à Philosopho 2. *Metaph.* & expressiùs ibidem habetur à Commentatore, difficultas in cognoscendo res materiales est ex parte rerum naturalium: sed huius oppositum sequeretur, si obiectum materiale concurreret cum intellectu ad actum intelligendi substantiæ materialis: quia omne actiuum natum est facere de se actionem sibi proportionatam secundùm virtutem suam: vnde actiuum perfectius, vt calor intensus natus est facere actionem calefaciendi proportionatam suæ virtuti, & calor paruus & remissus in obiectum sibi proportionatum, natus est facere actionem proportionatam suæ virtuti, licèt non ita perfectam, sicut calor intensus: ergo si obiectum rei sensibilis concurrat cum intellectu ad actum intelligendi, ita in illud obiectū aget actionem sibi proportionatam, sicut obiectum nobilius cum intellectu: igitur difficultas ad cognoscendum res 10. *Difficultas intelligendi est ex parte rerum.*

res materiales cognitione eius proportionatâ, non erit ex parte rerum; sed intellectus esset sola causa actus, tunc posset saluari, quòd difficultas esset ex parte rerum, quia intellectus non potest cognoscere rem propter mutabilitatem rei, non propter imperfectionem suam.

Esse abstractum à singularibus, an actiuum. Præterea, obiectum non habet *esse* in specie, nisi *esse* cognitum in intellectu; hoc *esse*, aut est *esse* abstractum à singularibus, nihil autem secundùm tale *esse* est principium actiuum realis operationis, quia omne tale actiuum est singulare: igitur obiectum secundùm *esse*, quod habet in specie, non videtur quòd possit esse principium realis operationis.

II. Præterea, omne agens respectu duorum effectuum, quorum vnus est nobilior alio, si sit totale principium actiuum respectu effectus nobiliotis, erit multò fortius respectu effectus imperfectioris, vt patet de Sole producente diuersa animalia ex putrefactione, quorum vnum est perfectius alio: & ratio est, quia minor virtus requiritur ad productionem effectus ignobilioris, & quod potest in maius, potest in minus; sed anima separata est æquiuoca causa respectu intellectionis sui, & aliorum sensibilium, & intellectio sui est actus nobilior intellectione rei materialis, quia obiectum est nobilius: respectu autem intellectionis sui est causa effectiua totalis, quia in hac intellectione intellectus & obiectum sunt idem: ergo respectu intellectionis materialis intellectus est totale principium. *Intellectus est causa totalis intellectionis sui.*

Si essentia quam talis causat visionem naturaliter agit ad extra. Præterea, hîc arguitur de visione beata: nam si ad actum videndi beatificum concurrit intellectus beati, & obiectum, vt essentia diuina; sequitur quòd essentia diuina necessariò habebit actionem ad extrà. Probatio, omnis actio, quæ competit Deo priùs secundùm ordinem, quàm per respectum voluntatis, competit sibi ex natura rei, & ex necessitate: sed essentia diuina, vt essentia, est obiectum beatificum, sic autem secundùm respectum præcedit seipsam, vt volens est: igitur si vt obiectum est intellectionis beatæ, concurrat ad causandum ipsam, sequitur quòd necessariò causabit ipsam. Confirmatur: si Angelus videat Angelum, si obiectum concurrat ad actum intelligendi causandum, Angelus visus, non obstante quòd sit intelligens, & volens, vt tamen quoddam ens, & natura, necessariò concurreret ad illum actum: igitur cùm Deus consimiliter non solùm vt intelligens, & volens, sed vt natura sic concurreret ad actum videndi, necessariò causabit illum actum in inlectu Beati.

Præterea, si in cognitione intuitiua, qua anima separata, vel Angelus videt aliquod singulare præsens, concurrunt intellectus possibilis & obiectum extrà: sequitur quòd non sit necessarium ponere intellectum agentem: quia actus intelligendi perfectior est, quàm species: si igitur ad actum intelligendi causandum sufficit intellectus cum obiecto materiali, multò fortius sufficiet cum obiecto materiali ad causandum speciem, & sic non requiritur intellectus agens; vnde si propter translationem de ordine materialis ad immateriale, ibi non requiritur intellectus agens, nec oportebit in abstractione speciei, cùm intellectio sit ita immaterialis, sicut species.

SCHOLIVM.

Scotus in hac quæstione, an intellectus possibilis sit actiuus nécne, problematicus est, quodlib. 15. vbi à n. 16. soluit argumenta pro vtraque parte; argumenta hîc posita, sunt vrgentissima, quibus in particulari satisfacere, breuitas instituti non permittit.

COLLATIO VIII.

Vtrùm actus intelligendi sit ab obiecto effectiuè?

Doctores citati *disput. præcedenti.*

SCHOLIVM.

Probat obiectum effectiuè concurrere ad actum, quia actus distinguuntur per obiecta, non formaliter, materialiter, aut finaliter. Respondet, quòd tantùm manifestatiuè distinguuntur. Contrà, non possunt intellectiones diuersæ specie esse à sola potentia intellectiua. Respondet, habere diuersas virtutes, obiectum eam determinare, & substantiam actus esse ab ipsa, & determinationem ab obiecto. Refutat tria dicta huius responsionis clarè & subtiliter, quamuis ipsam replicam non tanti faciat 1. d. 3. q. 7. n. 40. ad tertium: quia Sol multos specie diuersos effectus efficit: de quo etiam hîc n. 7. latè disputat à n 8. si intellectus solus producere posset infinitas intellectiones successiuè, an inde sequeretur esse infinita virtutis.



VIDETVR quòd sic: actus distinguuntur per obiecta sua *ex 2. de Anima:* hoc autem non potest intelligi formaliter, quia obiectum non est formaliter actus intelligendi. ergo formaliter per obiecta non distinguuntur; nec materialiter; certum est quòd materia actiuum est subiectum, in quo est, quod ex anima. 1.

Similiter operationis manentis in agente non est aliquid aliud, quod est finis eius, præter vsum, ex 9. *Metaph.* ergo distinguuntur per obiecta effectiuè: ergo obiecta efficiunt in intellectu actus intelligendi diuersos secundùm speciem, imprimendo suas similitudines.

Dicitur quòd nullo illorum modorum actus distinguuntur per obiecta, nec in aliquo genere causæ, sed tantùm manifestatiuè: nam cùm actus intelligendi assimilentur obiectis, & non potentiæ intellectiuè; ideò distinctio actuum magis manifestatur per obiecta, quamuis effectiuè sint actus intelligendi à potentia intellectiua sola.

Contrà; eadem causa limitata, & eiusdē rationis non potest esse efficiens principium effectiuum respectu diuersorum specificè distinctorum: ergo cùm diuersorum obiectorū secundùm speciē sint diuersę intellectiones secūdùm speciem, non possunt diuersæ intellectiones secūdùm speciem esse sola potētia effectiua intellectiua, nisi concurrant effectiuè obiecta distincta secundùm speciem.

Dicitur ad hoc, quòd potentia intellectiua ex sua dignitate & perfectione actiua habet diuersas virtutes, per quas potest in diuersas operationes secundùm speciem; & obiectum, licèt non causet effectiuè actum intellectus in potentia intellectiua, tamen determinat intellectum, qui est potentia indeterminata omnino, ad hunc actum, vel ad illum, ideò intellectus per hoc, quòd habet diuersas virtutes, & per hoc, quòd obiecta diuersa determinant, potest elicere intellectiones distinctas secundùm speciem, vt sic solus intellectus facit ad causalitatem actus, quantum ad 2. *Responsio.*

differentiam actus; sed obiectum quantùm ad determinationem actus, vt actum determinat, tamen potentia indeterminata de se determinata ab obiecto eliciat.

Replica. 3. Contra hoc quod dicitur, quòd obiectum determinat potentiam ad actum; ex hoc sequitur propositum, quia quicquid est in intellectu impressiuè ab alio, est vel species, vel actus, vel habitus. Si igitur obiectum effectiuè determinat intellectum, illud impressum in intellectu, quod ipsum determinat ad actum, erit vel species, vel habitus, vel actus, & tunc sequitur propositum dupliciter.

Si obiectum determinat intellectum, agit actum. Primò, quòd tale non sit species, quia ante talem determinationem intellectus, species imprimitur, in qua obiectum relucet, quod ponitur potentiam intellectiuam determinare; nec habitus, quia huius determinatio potest præcedere actum intelligendi, & habitus causatus ex actu intelligendi sequitur actum: ergo relinquitur, quòd illud impressum sit actus intelligendi.

Secundò sequitur propositum, quia cùm huiusmodi determinatio intellectus non potest in actum intelligendi, nisi inquantum determinatur ab obiecto: igitur intellectus non sufficit ad causandum actum intelligendi sine actione obiecti in intellectum: ergo concurrit obiectum ad causandum actum intelligendi, quia determinatio actus concurrit ad eliciendum actum, cùm intellectus (inquantum sic determinatur) actum eliciat, & sic habetur propositum, quia actus intelligendi non fit à sola potentia intellectiua effectiuè.

4. *Diuersæ virtutes intellectus, sunt diuersæ potentiæ.* Contra hoc, quod secundò dicitur, quòd intellectus habet diuersas virtutes ad causandum diuersas operationes secundùm speciem. Nam siue potentia animæ ponatur essentia animæ, siue absolutum additum per hoc, quòd animal habet virtutes respectu diuersarum operationum secundùm speciem, habet diuersas potestates; aliter enim intellectus, & voluntas non essent diuersæ potentiæ; ergo si intellectus habeat virtutes diuersas respectu diuersarum operationum secundùm speciem, sequitur quòd intellectus sit plures potentiæ.

Ab eodem est actus substantia, & determinatio, de quo collat. 6. num. 10. Contra hoc, quod tertiò dicitur, quòd intellectus causat substantiam actus, & obiectum determinationem in actum; quoniam hic actus, vt hic actus, quo attingitur obiectum, determinatus est; ergo quod habet sufficientem causalitatem respectu substantiæ istius actus, habet etiam sufficientem causalitatem respectu determinationis in isto actu; si igitur solus intellectus sit per se causa substantiæ illius actus, sequitur quòd solus intellectus sit causa determinationis illius actus. Vnde ab eodem est actus secundùm substantiam, & secundùm determinationem illius.

5. Ad primum istorum dicitur, quòd illud impressum ab obiecto in intellectu, quo intellectus determinatur ad actum determinatum eliciendum, non est species, nec habitus, nec actus, sed est sola passio de genere Passionis, qua intellectiua potentia inclinatur ab obiecto, ad actum determinatum, sicut *intelligere* non est aliquid absolutum, sed actio quædam, vel passio simplex, quæ est actus perfecti.

Ad actionem nõ est motus. Contrà, Philosophus 5. *Physic.* probat per plures rationes ex intentione, quòd ad actionem non est motus, neque ad passionem; ergo impossibile est, vt motus quo intellectus mutatur ab *A*, esse indeterminato ad *esse* determinatum per actionem obiecti determinantis effectiuè, terminetur ad solam passionem.

Nihil mouetur secũdùm motum, neque patitur secundùm passionem. Præterea, quicquid patitur realiter, patitur secundùm aliquam formam; quod enim aliquid patiatur, & tamen quòd nihil absolutum in passo relinquatur, est oppositum in adiecto; vnde sicut nihil mouetur secundùm motum, sed secundùm aliquam formam, secundùm quam mouetur; ita nihil patitur secundùm passionem, sed secundùm aliam formam, secundùm quam patitur: ergo si intellectus patiatur ab obiecto per hoc, quòd ab ipso determinatur, oportet vt aliam formam imprimat, secundùm quam patiatur.

Præterea, nihil potest esse principium & ratio formalis operandi, nisi aliqua forma absoluta, & non sola passio; non enim per solam passionem, vt per principium & rationem formalem, dicitur aliquid agere; sed secundùm dictam responsionem intellectus non potest agere, nisi inquantum ab obiecto determinatur; ergo illud per quod intellectus sic determinatur, non potest esse sola passio, sed aliqua forma absoluta.

Præterea, positâ causâ sufficienti & naturali, & materiâ circa quam agit, si habeat operationem transeuntem, potest agere circumscripto quocunque alio; aliter enim non esset causa. Si igitur intellectus sit sufficiens causa, & totalis respectu intellectionis, cùm ipse sit causa naturaliter agẽs, & non liberè, circumscriptâ determinatione, & quocunque alio, adhuc poterit agere: ergo intellectus ageret, licèt ab obiecto non determinetur ad intelligendum.

Vel sub alia forma sic: intellectus aut habet totam causalitatem respectu intellectionis, aut non; si non totam causalitatem habet, habetur propositum, quòd actus intelligendi non fit à sola potentia intellectiua. Si verò intellectus habet totam causalitatem respectu intellectionis, cùm positâ totâ causalitate, effectus naturaliter causandi, ponitur effectus; sequitur quòd intellectus sine obiecto, & sine determinatione facta ab obiecto intelligere posset. *Intellectus posset intelligere sine obiecto, si non est actiuum.*

Aliter dicebatur ad rationem superiùs factam, quòd alio modo determinatur potentia actiua & potentia passiua; nam potentia passiua est potentia contradictionis, & non determinatur ad aliquem actum secundum, nisi per aliquam formam quæ sit principium actus secundi sibi impressam, vt lignum non determinatur ad calefaciendum, nisi per calorem sibi impressum; sed potentia actiua ad hoc, quòd determinetur ad agendum, non requirit quòd aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola appproximatio materiæ, circa quam agit; hoc patet 9. *Metaph.* vbi probat Philosophus, quòd ad hoc, quòd potentia naturalis exeat in actum, non requiritur, nisi quòd sit approximatum passum, ita quòd hoc sit natum agere, & illud pati, & non quòd aliquid sit potentiæ actiuæ impressum, &c. ideò secundùm prædictam opinionem potentia intellectiua, ad hoc quòd determinetur ad certum actum eliciendum, non requiritur quòd aliquid sibi imprimatur, sed sufficit sola exhibitio obiecti, in quod per actum suum tendit. Ratio igitur superiùs facta falsum supponit, quòd obiectum effectiuè determinat intellectum: & ideò non imprimit obiectum aliquid intellectui, nec actum, nec speciem, nec habitum; sed intellectus in seipso causat actum intelligendi. 6. *Quomodo potentia possit determinari, nullo ei impresso.*

Sed

7. Sed tunc restat respondere ad vnam rationem priùs factam, quando arguitur quòd causa vnius rationis non potest esse principium sufficiens respectu diuersarum operationum distinctarum specie.

Ad quod dicitur, quòd hoc verum est de causa vniuoca, sed non de causa æquiuoca, quæ per exhibitionem diuersorum obiectorum causat diuersas operationes specie distinctas, vt Sol constringit lutum, & dissoluit glaciem: intellectus verò est causa æquiuoca, & aliquo modo limitata respectu intellectionum, & ideò per conformitatem ad diuersa obiecta, potest suâ causalitate diuersas intellectiones causare.

Posse producere infinitas intellectiones, an arguat infinitatem in potentia.

Sed contra hoc arguitur; quia posse producere duas intellectiones duorum obiectorum specie distinctorum est maioris perfectionis, quàm posse producere vnam istarum tantùm: sicut posse producere duas species, & duos effectus specie distinctos, maioris perfectionis est, quàm producere vnum istorum; aliter enim habens virtutem ad producendum vnum istorum, tantùm haberet virtutem ad producendum ambos, quod falsum est: & eadem ratione posse producere tres intellectiones, maioris perfectionis est, quàm producere duas: cùm igitur intellectiones possint inuicem succedere in infinitum, si intellectus habet virtutem actiuam sufficientem respectu vnius intellectionis, habebit virtutem causandi infinitas intellectiones successiuè, sed hoc est infinitæ perfectionis, vt probatum est, cùm posse in tres intellectiones successiuè sit maioris perfectionis, quàm posse in duas, & ita posse in infinitas successiuè erit infinitæ perfectionis: igitur intellectus erit infinitæ perfectionis, & infiniti vigoris, quod est impossibile.

8. Ad hanc rationem dicebatur, primò ostendendo quòd hæc ratio non magis concludit contra opinionem ponentem, quòd intellectus sit totalis causa intellectionis, quàm contra aliam opinionem ponentem, quòd non sit tota causa intellectionis, sed partialis, quæ cum obiecto concurrit ad efficiendum actum intelligendi: quoniam causalitas, & actualitas partialis, quâ intellectus cum duobus obiectis specie distinctis potest producere diuersas intellectiones specie distinctas, est maioris perfectionis, & virtutis in intellectu, quàm causalitas partialis, quâ cum vno obiecto potest in vnam intellectionem secundùm speciem. Probatur hoc, sicut ipsi probant, quia aliter habens causalitatem partialem respectu vnius intellectionis tantùm, haberet causalitatem partialem respectu duarum intellectionum specie distinctarum; & hoc etiam patet esse verum, cùm intellectus maiorem visum, & maiorem virtutem habet ad intelligendum maius intelligibile, vt substantiam determinatam, quàm ad intelligendum minùs intelligibile: & maioris difficultatis est ad cognoscendum maius intelligibile, quàm minùs: hæc autem difficultas non est ex parte intelligibilium, quia vnum obiectum, quantùm est de se, natum est imprimere & agere cum intellectu, sicut aliud: igitur secundùm deductionem rationis prædictæ posse successiuè in infinitas intellectiones secundùm speciem, sicut causa partialis concludit in intellectu infinitatem virtutis.

9. Ad rationem in se dicebatur, quòd ratio supponit, quòd potest esse processus in infinitum in speciebus & obiectis distinctis secundùm speciem, respectu quorum possunt esse intellectiones infinitæ distinctæ secundùm speciem: hoc autem suppositum dubium est valde, an Deus super omnem speciem posset aliam in infinitum producere; hoc tamen supposito, vlteriùs dicitur ad rationem, quòd posse producere hanc intellectionem & illam, est maioris virtutis, quàm producere vnam tantùm: & hoc, quia istæ intellectiones sunt inæquales, & vna est nobilior, quæ erit respectu nobilioris obiecti, cuius cognoscibilitas non excedit virtutem intellectus, sed sic procedendo in infinitum in obiecto secundùm speciem & intellectionem, vltimò erit deuenire ad aliquod obiectum adæquatum virtuti intellectus, cuius cognoscibilitas adæquat virtutem cognitiuam intellectus, quod etiam natum est ab intellectu cognosci, quantùm cognoscibile est, & circa illud obiectum intellectus natus est habere actum intelligendi perfectum, quem habere potest, & si tunc producatur aliqua species nobilior, quæ excedit virtutem cognitiuam intellectus, circa illud obiectum intellectus non habebit perfectiorem actum cognoscendi, & tandem ascendendo habebit actum imperfectiorem cognoscendi, & minùs intensum circa obiectum nobilius, quàm circa obiectum adæquatum sibi, & tunc posse producere aliam intellectionem imperfectiorem & perfectiorem circa obiectum sibi adæquatum, non est maioris virtutis producere illam intellectionem perfectiorem tantùm, quia per eandem virtutem in summo, per quam potest in actum perfectiorem, potest etiam in actum imperfectiorem circa nobilius obiectum, quod excedit virtutem intellectus cognitiuam.

Contrà: fiat ratio prædicta non de inæqualitate obiectorum & intellectionum, sed de pluralitate intellectionum secundùm speciem, quamuis essent æquales, & obiecta æqualia; sic posse producere duas intellectiones æquales secundùm speciem maioris virtutis est, quàm posse producere vnam tantùm: ergo posse producere infinitas intellectiones diuersas secundùm speciem etiam æquales, erit infinitæ perfectionis, & virtutis; sed hoc posse conuenit intellectui, si sit sufficiens causa respectu intellectionis cuiuslibet obiecti: ergo vt priùs sequitur quòd intellectus sit infinitus in vigore. 10.

Posse producere infinitas intellectiones æquales, an arguat infinitatem potentia.

Præterea, quod dicitur, quòd dubium est de processu in infinitum in productione specierum, hoc nihil facit ad propositum; quia siue possibile hoc sit, siue impossibile, ratio æqualiter concludit; quia si ponatur per impossibile, quòd super quancunque speciem posset produci alia in infinitum, & quòd solus intellectus causet intellectionem, cùm omne producibile possit ab intellectu cognosci, & posse cognoscere plura obiecta secundùm speciem sit maioris virtutis in intellectu, etiam successiuè, quàm posse cognoscere pauciora; sequitur secundùm rationem priorem, quòd intellectus sit infinitus in vigore; sed hoc impossibile non sequitur propter propositum hoc, quo ponitur processus in infinitum in speciebus rerum: quia & si hoc verum esset, quòd essent species infinitæ, adhuc cum hoc esset vna species limitata, sicut modò est intellectus eius, esset finitus in perfectione: ergò illud impossibile sequitur ex hoc, quòd ponitur intellectus actiuus sufficiens ad causandum intellectionem. Vnde & Philosophus aliquando in arguendo supponit impossibile, dum tamen ex impossibili

Licet arguere ex positione impossibili.

non sequatur impossibile, vt probando quòd tempus non sit motus cœli, arguit quòd tunc, si plures essent motus cœli, plura essent tempora, cùm tamen antecedens sit impossibile apud eum.

Similiter Augustinus probando quòd innascibilitas & paternitas non sint eadem notio, arguit quòd si Pater esset ab alio in Diuinis, adhuc esset Pater, & non innascibilis.

11. Ad primum horum dicitur, quòd si essent æquales species in perfectione, tunc posse producere duo, non esset maioris perfectionis, siue virtutis, quàm posse producere vnam, sicut nec successiuè producere duo indiuidua arguit maiorem perfectionem intensiuam, quàm posse producere vnum indiuiduum, imò tunc per eandem virtutem, per quam ratio, vel causa potest producere vnam, & aliam.

Contrà, si esset aliqua causa, quæ haberet formaliter causalitates infinitarum causarum vniuocarum æqualium in perfectione, illa esset infinita: ergo cùm habere causalitatem alicuius virtualiter, sicut habet causa æquiuoca; sit perfectiùs habere causalitatem, quàm habere formaliter; sequitur quòd causa æquiuoca virtualiter habens causalitatem respectu infinitorum effectuum specie differentium, licèt essentialium, sit infinitæ perfectionis intensiuè: igitur si intellectus habeat causalitatem respectu intellectionum infinitarum specie æqualium in perfectione, erit infinitus in perfectione.

Præterea, si posse producere duas species in perfectione non sit maioris virtutis, quàm producere vnam, tunc habens virtutem ad producendum vnam, haberet virtutem ad producendum duas, & sic cùm vna species habeat virtutem ad producendum indiuiduum speciei suæ, sequitur quòd vnaquæque species possit producere aliam indifferenter, quod falsum est.

Ad primum, quòd si omnes species essent æquales in perfectione, sicut indiuidua vnius speciei, tunc illa causa, quæ includet formaliter causalitates omnium, non esset infinita intensiuè, sed solùm extensiuè. Si enim esset infinita intensiuè, necessariò perfectio vnius speciei esset maior, quàm perfectio alterius.

12. Ad primum principale arguitur per Philosophum 7. *Metaph.* vbi vult, quòd principium omnium in syllogismis practicis, *est quod quid est, ex quo fiunt syllogismi.* Vnde ait ibi, quòd sicut eorum quæ fiunt à natura, est potentia in spermate, per quam fit aliquid simile; sic eorum, quæ fiunt ab arte, est principium rei factæ, vt conclusiones practicæ reducantur in principia, & principium, *quod quid est*; sed *quod quid est*, obiectum est intellectus: ergo obiectum intellectus est principium actiuum eorum, quæ fiunt ab arte, quorumcunque species est in anima; speciem autem dico *quod quid erat esse* cuiuscunque, & illud, *quod quid erat esse* rei artificialis in anima dicit esse principium actiuum cognitionis factiuæ, siue artificialis, propter quod etiam principium dicit in artificialibus, *simile fit à simili.*

Obiectum secundùm Phil. esse actiuum.

Vnde concludit, quòd si sanitas fit ab arte, tunc species, quæ est ab anima, est faciens, vnde inchoatur motus sanandi. Et sic dicit, quòd accidit sanitatem ex sanitate fieri, quia ex sanitate in anima fit sanitas in re extrà: si autem solus intellectus esset principium actiuum cognitionis artificialis, tunc in artificialibus nullo modo fieret simile ex simili, nec ex domo in anima fieret domus extrà, sed ex solo intellectu, qui non magis assimilatur domui, quàm sanitati.

Sanitas fit ex sanitate, & domus ad extrà à domo ad intrà.

SCHOLIVM.

Resolutio Doctoris, in hac collatione habetur, 1. d. 3. quæst. 7. num. 3. & 20. vbi authoritatibus & rationibus probat speciem esse concausam intellectionis, & declarat, quomodo ipsa & intellectus sint causæ subordinatæ. & soluit argumenta in contrarium, n. 24. & 40. vide ipsum ad idem 2. d. 3. q. 8. n. 8.

COLLATIO IX.

Vtrùm intellectus, circunscripto omni actu voluntatis, possit assentire omni per se scibili?

Alens. 3. *part. quæst.* 80. *membr.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 24. *art.* 2. & 2. 2. *q* 4. *art.* 2. D. Bonauen. 3. *d.* 23. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *art.* 6. *q.* 1. Suar. 3. *part. tom.* 1. *q.* 7. *in art.* 3. Vasq. 1. 2. *quæst.* 186. *cap.* 2. Scot. 3. *d.* 25. *quæst.* 1.

DICITVR, quòd omni per se scibili à nobis in via potest intellectus assentire circumscripto imperio voluntatis, non tamen omni scibili in se. 1.

Primum probatur per hoc, quòd omnis potentia habet in se suam operationem, quæ est salus, & perfectio eius, circunscripto quocunque alio, quod non facit ad suam operationem; sed ostenso aliquo scibili à nobis ipsi intellectui, assentire veritati illius, & intelligere veritatem illius scibilis, est operatio intellectus, quæ est salus, & perfectio eius, ad *esse* cuiusmodi operationis nihil facit actus voluntatis; tum, quia non est in voluntate nostra, quin visis tangamur: tum, quia actus intelligendi prior est actu voluntatis, & primum non dependet à posteriori: ergo circunscripto omni actu voluntatis, intellectus potest de se assentire omni scibili ab alio.

Non tamen omni scibili in se, quia creditum, aut Deum esse trinum & vnum, est scibile in se, & tamen ei non assentit intellectus, nisi concurrat actus voluntatis, quia secundùm Augustinum *cætera potest quis nolens, credere verò non nisi volens.*

Contrà arguitur, probando quòd cuilibet scibili, etiam credito, potest intellectus assentire sine imperio voluntatis, ita qùòd si est scibile in se, quòd sit scibile à nobis. Et arguitur sic: omnis compositio cuius termini possunt apprehendi ab intellectu, si est scibilis in se, est scibilis intellectui; sed huiusmodi complexionis, *Deum esse trinum*, termini possunt apprehendi ab intellectu nostro: ergo talis complexio scibilis est ab intellectu nostro.

An ad credere requiratur actus voluntatis?

Dicitur, quòd maior vera est, si termini complexionis possint apprehendi ab intellectu secundùm suas rationes quiditatiuas; tunc enim complexio potest sciri ab eodem intellectu: sed quando termini solùm apprehenduntur in generali, non oportet, sic verò solùm apprehenditur Deus in via à nobis, non secundùm suam essentiam, vt est hæc essentia in se, sed solùm secundùm generales rationes attributorum. 2.

Contrà: maior probatur generaliter, sic arguendo: omnis propositio constituta ex terminis in generali cognitis, scibilis est ab intellectu apprehendere illos terminos in generali, vt sunt extrema illius propositionis; sed hæc. *Deus est trinus*, est huiusmodi propositio constituta ex terminis

Propositio scibilis est ab intellectu, apprehendente terminos.

minis in generali cognitis:ergo est scibilis à nobis in generali ab intellectu nostro in generali apprehendente illos terminos, vt sunt extrema illius complexionis. Maior sic probatur. Nam talis propositio, aut est immediata, aut mediata: si est immediata: ergo scibilis est ab intellectu apprehendente terminos illos confusè, & in generali, vt sunt termini illius propositionis. Si est mediata, ergo medium habet inter extrema, sed si extrema apprehēdi possunt ab aliquo intellectu, & medium inter illa potest apprehendi, de quo medio quærendum est sicut priùs, aut est immediata propositio, aut mediata. Si immediata, ergo scibilis est ab intellectu apprehendente terminos: si mediata, ergo habet medium, & sic vsque ad aliquod immediatum principium deueniatur: ergo omnis complexio cuius termini in generali apprehendentur ab intellectu aliquo, scibilis est ab eodem intellectu.

3. Aliter verò potest sic formari ratio: omnis complexio scibilis ex terminis confusè cognitis scibilis est ab intellectu confusè apprehendente terminos; sed hæc *Deus est trinus* scibilis est ex terminis confusè cognitis: ergo scibilis est à nobis apprehendentibus confusè terminos. Si verò istius syllogismi concedatur maior, & negatur minor.

Complexio necessaria ex terminis confusè cognitis, est scibilis.

Contrà; omnis complexio necessaria ex terminis confusè cognitis, scibilis est ab intellectu confusè apprehendente terminos; sed hæc, *Deus est trinus*, necessaria est ex terminis confusè cognitis, quia est aliqua, vel est vt sic, & non contingens; ergo necessaria, ergo hæc, *Deus est trinus*, scibilis est ex terminis cognitis. Maior probatur vt priùs: quia omnis complexio necessaria ex terminis confusè cognitis est immediata, aut mediata, sicut priùs argumentatum est.

SCHOLIVM.

Resolutio huius collationis habetur apud Doctorem 3. dist. 25. quæst. 2. num. 2. nempè, non requiri actum positiuum voluntatis, vt intellectus assensum præbeat, etiam creditis; sed sufficere quòd non contrà moueat: quod benè confirmat hac collatio obiectionem aduersariorum contra hoc ex Tridentino, & Arausi. solui in Scholio quæst. 1.

COLLATIO X.

Vtrùm ad hoc, quòd intellectus assentiat alicui vero, requiratur aliquod lumen infusum?

Alens. 3. *part. quæst.* 2. *membr.* 3. D Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 4. & *q.* 85. *art.* 1. Scot. 3. *d.* 23. & 24. & *quodl.* 14. & 1. *d.* 2. *q.* 7. & 2. *d.* 3. *q.* 9.

SCHOLIVM.

Etsi titulus vniuersaliter quærat de omni vero, collatio tantùm agit de vero mysterij Trinitatis: rationes hìc adducta benè probant nos posse assentiri huic vero naturaliter, sed non possumus naturaliter demonstrare Trinitatem. Rationes hìc posita, tam ista, quàm alia vrgentiores Doctoris, 1. dist. 2. quæst. 7. à num. 3. adeò premunt, vt quidam recentiores dixerint Doctorem intendisse demonstrare Trinitatem: quam tamen ipse clarè docet indemonstrabilem 2. dist. 3. quæst. 9. & latius quodlib. 14. à num. 9. tam à priori, quàm à posteriori: voluit ergo per hac suo fœlicissimo ingenio supposità fide huius mysterij; ostendere quàm sit euidenter credibile, & lumini naturæ, (vt videtur) consonum, esto demonstrari non possit. Quare autem non possit intellectus creatus cognoscere Deum distinctè, vnum vel trinum; varij variè sentiunt, Doctor tenet repugnare essentiam Dei, quà talis, mouere intellectum creatum, quia naturaliter ageret ad extra. Vide eum locis citatis.



QVòd non videtur: per rationem naturalem cognoscimus quòd Deus est intellectiuus, & natura intellectualis, & per consequens quòd sit natura volitiua: ex quibus etiam cognoscimus, quòd sit conuersiua suprà se. 1.

Omne intellectiuum est dictatiuum.

Ex hoc autem, quòd Deus est intelligens, & conuersiuus supra se, sequitur quòd sit dicens: omne enim intellectiuum conuertens se supra se, est expressiuum, & per consequens dictatiuum; dicere enim importat notitiam expressiuam, luminis declaratiuam: ergo per rationem naturalem possumus cognoscere, quòd Deus sit dicens; sed vbi est dicens, ibi est quod dicitur: ergo naturaliter possumus cognoscere, quòd in Deo est dicens, & quod dicitur; sed illud, quod dicitur, importat relationem oppositam ad dicentem; relationes verò oppositæ non possunt esse in eodem supposito; ergo per rationem naturalem possumus cognoscere in Deo pluralitatem suppositorum. Sic etiam argui potest ex parte voluntatis, quòd si Deus sit natura volitiua, & conuersiua supra se, quòd sit spiratiua; ergo sine infuso lumine naturaliter cognoscere possumus in Deo Trinitatem personarum, & si hoc verum possumus cognoscere sine lumine infuso, multò fortiùs quodcunque aliud.

Arguitur naturaliter cognosci Trinitatem.

Responsio.

Dicitur ad hoc, quòd per rationem naturalem solum potest probari, quòd in Deo sit dicens, & quod dicitur, differentia solâ ratione; sed non quòd differant realiter, quemadmodum personæ differunt, sicut nec intellectus, & intellectum differunt in Deo realiter.

Replica.

Contrà: quando aliquid est sufficiens principium alicuius, per rationem naturalem cognosci potest, quòd in quocunque est illud principium sine imperfectione sui, & in dispositione, quòd in illo etiam est principium productiuum, & hoc respectu producti adæquati, si agat naturaliter, & vniuocè: sed memoria, vnde memoria, est principium sufficiens productiuum Verbi, & intelligo per memoriam, quemadmodum Augustinus intelligit, totum, quod concurrit ad productionem Verbi, vt memoriam actuatam per obiectum: sic enim accipiendo memoriam ipsam, vnde memoria, est sufficiens principium productiuum Verbi, non inquantum est ex nihilo, nec inquantum est ens habens imperfectionem; quia tunc quodlibet aliud imperfectum posset producere, sed sicut calor, non inquantum est ex nihilo, nec inquantum habet imperfectionem, sed inquantum calor, est principium calefaciendi: sic memoria inquantum memoria, est principium producendi Verbum; ergo in quocunque est memoria sufficiens, habens obiectum sibi præsens, in illo erit sufficiens principium producendi productum adæquatum, cùm agat naturaliter: ergo cùm in Deo sit intellectus habens obiectum sibi præsens, & ita memoria sine imperfectione, per naturalem rationem cognosci potest, quòd in Deo sit principium sufficiens productiuum producti adæquati; sed nihil est adæquatum memoriæ Dei, 2.

Memoria comprehendit totum, quod requiritur ad productionem Verbi. de hoc 1. d. 2. q. 7. num. 3.

Dei, nisi infinitum; ergo per rationem naturalem concludi potest, quòd Deus producit Deum, & sic per consequens, quòd in Deo sint plura supposita, & hæc ratio etiam valet ad principale.

3. *Probat hoc nos posse assentiri, dicenti Deum esse trinum, & vnum, sed nō demonstratur hoc naturaliter.*

Præterea arguitur per rationem præcedentis collationis: omne necessarium, cuius termini possunt naturaliter apprehendi ab intellectu, potest ab eodem intellectu apprehendi, vel vt principium, vel vt conclusio, quantumcunque termini confusè apprehendantur, vt sunt extrema illius propositionis necessariæ; sed cuiuslibet necessarij, & crediti, vt huiusmodi, *Deum esse trinum & vnum*, termini possunt naturaliter ab intellectu nostro apprehendi, licèt confusè, vt sunt extrema propositionis, aliter complexio non posset credi, ergo quodlibet necessarium potest in lumine naturali apprehendi ab intellectu sine lumine infuso; assumpta priùs probata est.

Præterea, omnis forma, quæ propter sui nobilitatem, & dignitatem producibilis est à Deo solo, perfectior est, quàm producibilis ab ente creato; si igitur agens creatum potest in formam perfectiorem: ergo non repugnat virtuti creatæ illam formam producere, quæ à solo Deo producibilis est. Patet igitur maior: sed si oportet ponere lumen infusum, & lumen fidei, illa solùm producibilis est à Deo: ergo est forma nobilior, quàm forma quæcunque producibilis ab agente creato; & sic fides esset nobilior, quàm scientia, quod est contra Hugonem de Sacramentis: vbi dicitur, quòd fides est media inter scientiam, & opinionem.

SCHOLIVM.

Quodlib. 14. n. 7. ostendit maiorem esse certitudinem fidei infusæ, quia repugnat ei subesse falsum; vbi ponit alias differentias acquisitæ & infusæ. Idem habet 3. d. 23. n. 15. Vide nostrum Scholium ibi ad n. 14. Rationes hîc positæ à prouectioribus solui possunt. sed iuniores soluant eas in sudore vultus sui.

4. *An maior certitudo habeatur per fidē infusam, quàm per acquisitam?*

PRæterea: non maior certitudo in actu credendi per habitum infusum potest haberi de aliquo obiecto credibili, quàm per actum credendi fidei acquisitæ, ideò non requiritur lumen fidei infusum, vt in isto lumine intellectus firmiter adhæreat in cognoscendo aliquod obiectum. Probatio antecedentis: non maior certitudo est in aliquo actu dependente ab alio, quàm sit in illo à quo dependet; sed actus credendi fidei infusæ dependet ab actu fidei acquisitæ, & fide acquisitâ: nam puer baptizatus, licèt habeat fidem infusam, non tamen propter hoc potest actum credendi elicere, sed solùm quando acquisierit sibi fidem acquisitam credendo prædicanti, & dicenti articulos.

August. contra Epist. fundamenti, non credit Euangelio, nisi quia ecclesia credit.

Vnde Augustinus contra Epistolam fundamenti; *non credo Euangelio, nisi quia credo Ecclesiæ Catholicæ*, à qua acquiritur fides de credendis; ergo non maior certitudo est in actu fidei infusæ, quàm acquisitæ; ergo frustrà ponitur lumen fidei infusæ ad intelligendum aliquod verum, cùm sufficiat fides acquisita.

Hæc ratio fuit contra dictum respondentis, dicentis quòd non sufficit fides acquisita, quia illa innititur ei, qui potest fallere, & falli; sed fides infusa illi, qui non potest fallere, nec falli.

Theologi est ostendere nihil impossibile doceri à fide.

Præterea, quilibet Theologus fatetur, quòd potest ostendere naturaliter fidem suam non esse impossibilem, nec illa esse impossibilia, quæ credimus, dum potest soluere rationes in contrarium, fidem impugnantes; sed quod non est impossibile est possibile: ergo Theologus potest ostendere per rationem naturalem, & probare omnia credibilia esse possibilia, vt Deum esse trinum; sed cùm in Diuinis non sit potentia ad vtrumlibet; ergo per rationem naturalem potest concludere, quòd Deum esse trinum, & vnum est possibile necessarium, & sic de aliis, ergo, &c.

Præterea, cùm sint tria genera relationum *ex 5. Metaph.* & in Diuinis non sit relatio per modum numeri, quia non est continuum, vnde causetur numerus: nec etiam relatio per modum mensuræ, & mensurati, quia scientia non mensuratur ab aliquo, quia non causatur nec ab aliquo extrà, nec ab aliquo intrà: ergo relinquitur quòd ibi sit relatio per modum actiui, & passiui producentis, & producti, vt sic essentia diuina, vt est sub vna relatione actiuitatis, constituat vnum suppositum, & eadem essentia sub eadem relatione opposita aliud suppositum. 5. *In Deo tantùm est relatio producentis & producti.*

Præterea, in per se ordinatis, sicut simpliciter ad simpliciter, & maius ad maius; sic maximum ad maximum; sed verum potest cognosci intellectu nostro: ergo magis verum magis cognoscetur ab intellectu nostro, & maximè verum, maximè potest cognosci ab eodem intellectu sine aliquo lumine infuso: ergo, &c. Nec valet dicere, quòd consideratio tenet in his, quæ sunt in eodem genere, quia etiam tenet in analogis, vt si calor paruus potest producere calidum, si virtus caloris maior esset in alio, quàm prior, magis calidum potest producere: sic etiam, cùm sapientia sit scientia perfectior, perfectius verum illa potest cognoscere.

Præterea, fides est quædam forma, quæ obscurè repræsentat Deum, & ita est forma imperfectior: ergo non repugnat, quòd causetur creatura rationalis, quæ includat perfectionem illius; ergo talis creatura ex puris naturalibus potest omne credibile cognoscere, & firmiter assentire: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Si conclusionis titulus intelligatur vniuersaliter de omni vero; videatur Doct. 1. d. 3. q. 4. vbi à num. 5. refutat Henricum dicentem nullam veritatem certitudinaliter sciri sine speciali illustratione, ostendens à num. 27. dari certitudinem quoad principia & conclusiones necessarias, & hominem velle, videre, audire etiam esse propositiones per se notas.

COLLATIO XI.

Vtrùm ad hoc, quòd intellectus noster videat Deum in præsentia, requiratur lumen infusum?

D.Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 3. & 4. *d.* 49. *quæst,* 1. *vic. ibid. art.* 1. *quæst.* 6. Dur. *q.* 2. Soto *q.* 1. *art.* 2. Suar. 1. *p. tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 8. 9. Vasq. 1. *p. d.* 11.

QVòd non arguitur: quoniam intellectus noster in lumine suo naturali per actum intelligendi attingit Deum in ratione obiecti; ergo cùm intellectus, & lumen naturale non sint minoris virtutis post separationem à corpore, videtur quòd intellectus in lumine suo naturali per actum intelligendi, potest attingere Deum sub ratione obiecti in præsentia; sed non attingit 1.

attingit Deum, vt obiectum absens: quia hoc est impossibile in patria; ergo vt præsens: sed attingere obiectum vt præsens, est ipsum attingere cognitione intuitiuâ, non obscurâ, sed clarâ: ergo intellectus in patria lumine proprio potest Deum videre: ergo, &c.

Responsio. Dicitur, quòd non est idem de lumine naturali, & intellectu respectu Dei in via, & in patria: quia in via intellectus noster cognoscit Deum per creaturas, discurrendo à creaturis ad Deum, qui modus cognitionis non est in patria, & ideò licèt hîc intellectus noster per actum discursiuum Deum attingat, non tamen in patria in lumine naturali, sed requiritur supernaturale, in quo Deum intuitiuè videat.

2. *Replica.* Contrà, quamuis intellectus hîc in via discurrat à creatura ad Deum, tamen in fine discursus, oportet quòd directè intelligat Deum, ibi insistendo: aliter enim in fine discursus non directè intueretur Deum in ratione obiecti, sed aliud ab illo, & vlterius esset discurrere ad cognoscendum Deum, & esset processus in infinitum. Oportet igitur quòd intellectus tandem, siue memoria hîc cognoscat Deum directè: ergo & à corpore separatus, quia tunc potest intellectus per actum suum directè intelligere Deum, sed non vt absentem: ergo vt præsentem.

Responsio. Dicitur ad hoc, quòd intellectus in fine discursus non intelligit Deum in se, etiam absolutè, sed in respectu ad creaturam, puta inquantum est principium, vel causa creaturæ, etiam referendo ad Deum ea, quæ conueniunt creaturæ, vt cùm intelligitur, vt ens incorporeum, simplex, & immutabile, qui modus intelligendi non est in patria.

Replica. Contrà, adhuc ratio stat, quia licèt ponatur tanquam dubium, quòd intellectus noster in fine discursus non intelligit Deum nisi sub respectu ad creaturam, cum isto tamen respectu oportet cointelligere aliquid absolutum, cui conuenit iste respectus; quia non intelligit solùm illum respectum ad creaturam: ergo hîc in via intellectus noster per actum suum attingit essentiam suam sub respectu ad creaturam: ergo cùm intellectus cum lumine suo separatus, & in patria existens non sit minoris perfectionis, ibi poterit Deum intelligere per essentiam diuinam, licèt sub respectu ad creaturam, sed non intelligit in patria essentiam eius, vt absentem: ergo vt præsentem, vt priùs argutum est.

SCHOLIVM.

Posito primo argumento suadente lumen non esse necessarium ad videndum Deum, (quia in via scilicet, intelligitur naturaliter absens, ergo in patria præsens,) adiunctis duabus responsionibus, totidemque replicis, ponit ad idem secundum argumentum, quia scilicet, in patria intellectus & obiectum sunt debitè approximata, & non dependet intellectio, nisi ab istis. Circa hanc habet 4. responsiones, & totidem replicas pulcherrimas.

3. PRæterea, secundò ad principale arguitur; positis principiis concurrentibus quæ sufficiunt ad actum intelligendi, necessariò ponitur actus intelligendi: quia positis causis, à quibus effectus essentialiter dependet, ponitur effectus; sed intellectus & obiectum concurrunt ad actum intelligendi, tanquam principia; à quibus essentialiter dependet: ergo istis positis sufficienter, & approximatis, necessariò ponetur effectus, vt actus intelligendi; sed in patria est obiectum, & intellectus sibi præsens; ergo ex istis potest sequi actio sine lumine quocunque infuso, & supernaturali. Maior est euidens: minor probatur; quacunque positâ opinione de intellectu, siue quòd sit potentia actiua tota simpliciter, siue passiua simpliciter, siue partim actiua cum obiecto, semper verum est, quòd actus cum obiecto, semper verum est, quòd actus intelligendi dependet ab obiecto, & intellectu: si enim sit purè passiua, tunc solùm dependet ab obiecto imprimendo, & ab intellectu recipiendo: quia intellectus de se respicit quemcunque actum intelligendi. Si etiam sit potentia simpliciter actiua sola causans actum intelligendi, & ab obiecto determinante, siue excitante potentiam, quocunque modo dicatur: si etiam actus intelligendi eliciatur à potentia concurrente cum obiecto, manifestum est adhuc, quòd solùm dependet ab illis; igitur quacunque viâ datâ, actus intelligendi solùm dependet essentialiter ab intellectu, & obiecto: ergo istis positis & approximatis, sequitur necessariò actus intelligendi. *In patria an intellectus & obiectum sine lumine concurrere possint ad actu videndi.* *Actus intelligendi, solum dependet essentialiter ab obiecto, & intellectu.*

2. *Responsio.* Dicitur ad maiorem, quando aliqua duo concurrunt ad aliquam actionem, vnum in ratione agentis, & aliud in ratione patientis, non propter hoc sequitur actus, nisi hoc natum sit agere, & illud natum pati, ita quòd sit in tali dispositione, quòd vnum possit pati, & aliud agere: sicut materia prima non est immediatè disposita ad omnes formas in potentia, sed mediante vnâ, tanquam dispositione ad aliam, est in potentia ad illam, eodem modo de agente quantumcunque approximetur, nisi sit in debita proportione ad agendum, non sequitur. *Lumen gloria an medium ad recipiendum, & causandum visionem?*

Nunc autem secundùm hanc viam intellectus non est dispositus ad recipiendum actum intelligendi essentiæ diuinæ in patria, nisi disponatur per lumen gloriæ, nec etiam sufficienter ad agendum illum actum est dispositus sine illo lumine; ergo sine tali lumine in patria non potest intelligere essentiam diuinam, quia lumen gloriæ est medium, tanquam dispositio media præparans intellectum ad recipiendum, licèt actus intelligendi immediatè recipiatur in intellectu.

Replica. Contrà, quòd non requiratur illud lumen ad disponendum intellectum ad recipiendum, probatio: quia quando aliquæ perfectiones sunt ordinatæ, illud quod secundùm se, & immediatè est receptiuum infimæ perfectionis, est etiam receptiuum perfectionis supremæ illius ordinis immediatè; sed in ordine actuum intelligendi, actus intelligendi in patria est supremus & perfectissimus: cùm igitur intellectus sine medio disponente sit receptiuus actus infimi, erit & similiter receptiuus actus intelligendi in patria sine medio disponente.

Nec etiam videtur, quòd illud lumen acquiratur ad disponendum intellectum in agendo; quia illud lumen erit totale principium, aut partiale. Non totale, quia facit vnum per accidens cum intellectu, & sic intellectus diceretur actiuus per illud, quod facit vnum per accidens cum eo, & erit formale principium intellectui ad agendum, quod est sibi accidentale, & sic non plus dicetur, quòd intellectus intelligit in patria, quàm quòd lignum calefaciat, quod verum est per accidens, quia per calorem, qui sibi accidit. *Lumen an sit causa partialis, vel totalis visionis?*

Nec est etiam principium partiale respectu actus

actus intelligendi in patria, quia tunc requireretur propter imperfectionem actiuitatis intellectus: igitur si fieret intellectus perfectior à Deo, & maioris actiuitatis, ille sine tali lumine immediatè posset videre essentiam Dei.

5. *Responsio.* Dicitur ad maiorem, quòd quando aliquæ perfectiones sunt ordinatæ sic, quòd sunt vnius generis, vel vnius modi, vel vnius rationis, tunc quod est immediatum receptiuum vnius, & alterius; sed actus intelligendi in via, & in patria non sunt vnius rationis, siue vnius modi, quia vnus est naturalis,& alius est supernaturalis; vnde quando actus intelligendi sunt sic ordinati, quòd omnes sunt naturales, vel omnes supernaturales,tunc verum est, quod accipitur;sed quando vnus est naturalis, & alter supernaturalis, non oportet, quòd illud quod est immediatè receptiuum vnius, quòd sit immediatum receptiuum alterius.

Replica. Fides, charitas, lumen gloriæ recipiuntur immediatè in potentia. Contrà, Charitas est perfectio,& forma supernaturalis, & tamen voluntas immediatè sine aliquo dispositiuo recipit eam, sic de fide respectu intellectus,sic etiam de lumine illo gloriæ, quod ponitur supernaturaliter infusum: ergo licèt actus intelligendi in patria non sit naturalis, sed supernaturalis,ipse poterit recipi in intellectu sine medio dispositiuo.

Ad aliud dico, quòd consequentia illa non valet, sicut quantumcunque augmentatur, virtus etiam voluntatis creatæ nunquam supplebit actiuitatem gratiæ, & charitatis, tunc enim esset per naturam impeccabilis.

6. *Replica.* Contrà,visio beata, si sit ab intellectu Beati,& à lumine, & non est tota ab vtroque, quia tunc vtrumque esset tota causa eius: ergo secundùm aliquem gradum est ab vno,& secundùm aliquem gradum est ab alio; sed omnis gradus intellectiuus intellectiuæ essentiæ potest esse à natura intellectiua:ergo ille gradus,quem habet à lumine, potest esse ab aliquo intellectu perfecto.

Responsio. Confirmatur, ille gradus operationis beatæ, qui ponitur esse à lumine, æquè perficit intellectum Beati,sicut alius: ergo æqualiter possunt esse à principio intellectiuo. Dicitur quòd non sequitur,quia vnus est naturalis,& alius supernaturalis.

Replica. Contrà,ex perfectione naturali,& non naturali non sit vna forma, tunc esset partim naturalis,& partim supernaturalis.

Supernaturalitas quid dicit in operatione? Item,ista supernaturalitas aut dicit gradum infra substantiam operationis beatificæ, aut modum;si tantùm modum:ergo tota substantia actus beatifici est ab intellectu nudo,quod est propositum;si primo modo;ergo actus beatificus non esset simplex,sicut alia operatio intellectiua.

Quæ sunt eiusdem rationis, ab eodem possunt effici. Item, isti gradus aut sunt eiusdem rationis, & ordinis,aut non; si primum, ergo vterque potest esse à principio intellectiuo, quia quandocunque aliqua duo sunt eiusdem rationis, à quocunque principio potest esse vnum,& alterum. Si alterius rationis, ergo vnus est perfectior alio; non ille gradus, qui est à lumine, quia tunc lumen esset perfectius suo subiecto, quod est intellectus:non secundum, quia tunc gradus naturalis esset perfectior gradu supernaturali.

SCHOLIVM.

Suadet tertiò non requiri lumen,quia intellectus noster,& essentia Dei, sunt extrema naturaliter annexa, quia continetur essentia sub intellectus obiecto adæquato, & hîc sunt duæ pulchræ replicæ. Quartò ad idem, quæ omnis actio essentiæ diuinæ est necessaria, quæ præcedit voluntatem: ergo non eget lumine, quia necessarium non dependet à contingenti. Hîc sunt duæ responsiones cum suis refutationibus. Quintò, secundùm alios Christus ponitur videre sine lumine. Sextò, non requiritur lumen ad recipiendum, neque vt ratio efficiendi, neque vt confortans. Septimò, intellectiua quo perfectius est obiectum, eo perfectiùs tendit in illud, & sensitiua ècontra se habet.

PRæterea tertiò ad propositum arguitur sic: quandocunque aliqua duo extrema habent adinuicem connexionem aliquam naturalem per aliquod medium connectens, oportet illud medium connectens extrema esse naturale: aliter enim aliqua essent naturaliter connexa ad inuicem per medium non naturale; sed vbi medium connectens non est naturale, nec connexio erit naturalis:ergo extrema essent naturaliter connexa sine connexione naturali,quod est oppositum in adiecto. Vnde patet, quòd quando aliquid naturaliter ad aliud ordinatur per aliquod medium, oportet illud esse medium naturale; sed intellectus noster ordinatur ad essentiam diuinam, ita quòd intellectus noster, & essentia diuina sunt extrema naturaliter connexa:igitur medium,quo connexionem habent,erit naturale; sed hoc medium est actus intelligendi; ergo intellectus vnitur essentiæ,& etiam lumen tale ponitur medium disponens ad illam vnionem: ergo actus intelligendi in patria erit naturalis simpliciter, & per consequens sufficit lumen naturale respectu illius actus, nec requireretur lumen supernaturale medium. Maior est euidens, & probata; minor probatur sic, quandocunque aliqua potentia per se, & primò respicit aliquod obiectum sibi adæquatum, eadem potentia respicit per se quodlibet obiectum per se contentum sub primo obiecto suo sibi adæquato, vt patet de visu respectu coloris, & respectu albi, & nigri, & aliorum obiectorum per se contentorum sub colore; sed intellectus primò,& per se respicit ens, inquantùm ens,ad quod ordinatur, sicut ad obiectum suum primum sibi adæquatum: igitur cùm Deus contineatur sub ente, sequitur quòd intellectus naturaliter, & per se respiceret essentiam diuinam tanquam per se obiectum,quod habet connexionem naturalem. 7. *Intellectus noster, & essentia Dei an sunt extrema naturaliter connexa. Potentia attendit in omne contentum sub obiecto adæquato naturaliter.*

8. *Responsio.* Dicitur, quòd intellectus noster respicit ens, tanquam obiectum primum suum,sed non quodlibet,vel quocunque modo, sed vt est collectum à sensibilibus, & sic etiam intellectus noster respicit naturaliter Deum non in se, quomodo videbitur in patria,sed in creaturis, & sic naturaliter intelligitur à nobis.

Replica. Si Deus non sit sub obiecto adæquato, intellectus, repugnat eü intelligi. Contrà: impossibile est quòd aliqua potentia per se tendat in aliquod obiectum, quod non continetur sub obiecto suo sibi adæquato, sicut impossibile est, quòd visus videat aliquid, quod non sit coloratum, vel lucidum; si igitur obiectum adæquatum intellectui nostro sit ens, non inquantùm ens,sed inquantùm collectum à creaturis,cùm Deus sic non contineatur sub ente,impossibile est, quòd intellectus noster per quamcunque virtutem videat essentiam diuinam in se, nisi solùm in creatura.

Responsio. Præterea, quòd si loquamur de intellectu, vt est cognitiuus naturaliter, & supernaturaliter; sic obiectum

obiectum eius est ens, vt commune enti naturali, & supernaturali. Si loquamur de intellectu solùm, vt est cognitiuus naturaliter, & modo naturali; sic, vt dictum est, obiectum eius est ens collectum à creaturis sensibilibus: vnde dicitur quòd intellectus non potest tendere modo naturali in obiectum, quod non continetur sub obiecto suo naturali, sed tamen supernaturaliter potest.

9. *Replica.* Contrà; illud non soluit; quia potentia intellectiua est quædam potentia naturalis ipsi animæ, sicut visus, aut quæcunque alia, siue cognoscat modo naturali, siue modo supernaturali: sed potentia naturalis habet obiectum sibi adæquatum, & proportionatum naturaliter: ergo intellectus, vt potentia animæ naturalis, habebit obiectum sibi adæquatum. Illud non est ens solùm abstractum à sensibilibus, vt priùs probatum est, quia tunc non posset intelligere, nisi contentum sub ente creato, quia per nullam virtutem potest potentia eleuari ad attingendum obiectum aliquod, quod non continetur sub obiecto adæquato sibi, vt est potentia naturalis (tunc fieret non potentia animæ naturalis, scilicet ipse intellectus) ergo oportet quòd obiectum adæquatum intellectui, vt est potentia naturalis, sit ens commune ad ens creatum, & ens increatum, & tunc arguitur sicut priùs, quòd essentialiter & per se respicit quodlibet contentum sub ente sic accepto.

Ens vt sic obiectum intellectus 1. d.3.q.3.

10. *Omnis actus essentiæ diuinæ competit ipsi necessariò, & naturaliter.* Prætereà, arguitur quartò ad principale sic: omnis actio, quæ competit essentiæ diuinæ, vt essentia est, necessariò sibi competit, & non liberè; sed mouere intellectum Beati ad videndum ipsum in patria, competit essentiæ diuinæ, vt essentia est: ergo competit sibi necessariò mouere intellectum Beati in patria ad ipsum videndum; sed actio necessaria non dependet à contingenti, nec à voluntario (contingens, & voluntarium est, quod Deus infunderet lumen in intellectu Beati) ergo ad hoc, quòd intellectus Beati moueatur, non requiritur lumen infusum. Maior probatur per hoc, quòd prima ratio libertatis in Deo est voluntas, & essentia secundùm rationem præcedit voluntatem; quod igitur competit essentiæ, vt essentia est, competit sibi naturaliter, & non liberè. Vnde & Filius in Diuinis producitur naturaliter, & necessitate naturali, quia est productio cuius principium non est voluntas, sed intellectus per modum naturæ, & natura, siue essentia. Minor probatur, quia sub eadem ratione Deus est obiectum intellectus sui, & intellectus Beati in patria, aliter ipsum non beatificaret; sed essentia diuina est obiectum intellectus diuini, vt essentia est, & non vt volens, quia hoc sequitur; ergo essentia diuina, vt essentia est, non vt volens, est obiectum Beati in patria, sed vt est obiectum intellectus Beati in patria, sic mouet intellectum Beati in patria: ergo vt essentia est, & non volens mouet intellectum Beati in patria ad actum intelligendi: ergo, &c.

Responsio. Dicitur, quòd licèt essentia diuina, vt essentia est, moueat intellectum Beati in patria, non tamen necessariò, quia liberè, & per voluntatem ostenditur intellectui beato per modum essentiæ.

11. *Replica.* Contrà, omnis actio naturalis non impedibilis, est necessariò non dependens à contingenti; sed essentia diuina naturaliter mouet intellectum Beati, & non liberè; quia per modum essentiæ, & non voluntatis, cùm sic moueat intellectum suum proprium: ergo necessariò mouet intellectum eius, cùm non sit impedibilis per voluntatem. Si dicas aliter, quòd producta ratio præcedit, ac si esset intellectus simpliciter passiuus tantùm, mobilis ab essentia, cùm tamen sit actiuus. *Responsio.*

Contrà, hoc non euadit, quia quamuis actus intelligendi eliciatur ab intellectu, Deus tamen potest creare intellectionem in intellectu immediatè, sicut visionem in visu. Tunc sic: cuiuscunque essentia diuina est productiua, vt essentia est, & non volens, & libera, illud necessariò producit; sed essentia diuina est productiua intellectionis in intellectu, sicut probatum est, quia sic naturaliter est motiua eius: ergo, &c. *Replica.*

Contra hoc ad principale arguitur sic, secundùm communem opinionem, anima Christi ponitur vniri Verbo sine gratia media, & sine aliquo medio de potentia Dei absoluta, & secundùm etiam illos, ex vi illius vnionis potest frui voluntas Verbo, & videre Verbum: ergo intellectus potest videre Verbum, & essentiam diuinam sine lumine medio; & si Deus potest per talem vnionem facere sine lumine medio, quòd intellectus potest videre Deum, potest etiam sine tali vnione de potentia sua absoluta. *5. Arg.*

Præterea, si lumen infusum requiratur ad videndum Deum in patria; aut igitur requiritur ad repræsentandum obiectum, aut vt ratio formalis eliciriua actus videndi; aut confortans intellectum: non primo modo, quia essentia diuina ex sua actualitate est sufficienter suiipsius repræsentatiua, quantùm est de se. Nec secundo modo sic, quia tunc actus visionis magis esset attribuendus lumini, quàm intellectui beato, quod non est verum, quia tunc magis esset beatificabile. Nec tertio modo ad confortandum intellectum, quia non plus dependet actus visionis Beati ab ipso lumine infuso, quàm actus naturæ humanæ à supposito humano: nunc autem actus naturæ humanæ potest esse eius sine hoc, quod existit in proprio supposito, vt patet in Christo: sufficit enim ad hoc, quòd natura humana habeat proprium actum, quòd subsistat in supposito Verbi, ita quòd Verbum per talem illapsum, & vnionem sufficit ad omnem actum eliciendum: ergo similiter essentia diuina præsens intellectui beato, & ei illapsa, sufficere potest ad confortandum intellectum ad actum visionis eliciendum sine aliquo speciali lumine. 12.

Vno è tribus medijs lumen requiri videtur.

Præterea; potentia, quæ non debilitatur in agendo, perfectiùs tendit, aut tendere potest in perfectius obiectum, quia si perfectiùs tenderet in obiectum imperfectius, quàm in obiectum perfectius, hoc non esset, nisi quia esset minùs debilis in eliciendo actionem respectu illius obiecti; sed intellectus, secundùm Philosophum 3. *de Anima* est potentia, quæ non debilitatur in intelligendo, quia intelligendo perfectius intelligibile non minùs intelligit, imò magis, & perfectiùs, quàm imperfectius intelligibile (opposito autem modo est de potentia sensitiua in sentiendo, vt de visu) ergo quantò obiectum est in se perfectius, tantò intellectus natus est perfectiùs illud intelligere, ergo ad videndum Deum per essentiam non requiritur aliquod lumen in intellectu beato, sed ad hoc videtur sufficere intellectus ex propria natura. 13.

6. Arg. Intellectiua perfectiùs intelligit perfectius obiectum, sensitiua econtra.

SCHOLIVM.

Resolutio secundùm mentem Doctoris, quòd Deus non mouet vllum intellectum naturaliter nisi suum; ab aliis autem si vult videtur, si non vult videtur *ex Ambros. vide Doctor. 1. dist. 3. q. 2. num. 16. & 2. d. 3. q. 9. & quodlib. 14. n. 10. & 4. d. 49 q. 11. n. 9. repugnat ergo videri Deum nisi ipse velit, alioquin naturaliter ageret ad extra, quod implicat, quia nihil creaturæ communicari ab eo potest, nisi per voluntatem liberè ipse id largiatur. Iuxta hoc facile solui possunt argumenta omnia allata, quibus suadetur intellectum naturaliter posse videre Deum, quæ tamen in via aliorum potentium essentiam mouere intellectum creatum, difficillimè soluuntur. An autem requiratur lumen gloriæ inhærens, dixi quodlib. 14. in Schol. num. 5. & 4. d. 49. quæst. 11. num. 3. in Schol. quid secundùm Scoti mentem, & veritatem tenendum sit.*

COLLATIO XII.

Vtrùm intellectus possit quietari in aliqua relatione simpliciter.

Scotus 1. *d. 13. num. 9. & d. 26. num. 36. & quodlib. 5. à n. 7. & aliis dictis locis citatis.*

1. *Arguitur relationem posse quietare intellectum.* VIDETVR, quòd sic: quia relatio aut dicit perfectionem, aut non: si sic, habeo propositum, quia in Diuinis non dicit nisi infinitam; quia nihil est ibi nisi infinitum: ergo intellectus potest quietari in illa: si verò dicit imperfectionem, contrà: primo Ethi. *in omni genere est ens & bonum*; ergo propria perfectio.

Item, Hieronymus super illud Matth. 1. *generationem eius quis enarrabit*, dicit, quòd *non putemus prophetam Euangelistæ esse contrarium, vt quòd iste impossibile dicit effatu, hic enarrare incipiat: quia hîc de Incarnatione, ibi de Generatione Diuinitatis est dictum*: ergo secundùm eum ibi, generatio secundùm Deitatem est inenarrabilis: sed generatio est relatio, & nihil est inenarrabile, nisi infinitum: ergo relatio est infinita, & per consequens in tali potest intellectus quietari: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Positis duobus argumentis pro parte affirmatiua; arguit rationibus pro parte negatiua; nempe quòd relatio non potest beare, & soluit duo argumenta affirmatiuæ partis.

2. *Arguitur ad oppositum.* RESpondetur quòd non; quia nihil potest quietare intellectum ex se perfectè, nisi habeat rationem obiecti, simpliciter; & primò primi; sed relatio non habet rationem primò primi obiecti: ergo intellectum non potest perfectè quietare. Probatio maioris, intellectus inclinatur in obiectum suum per modum naturæ: ergo sicut natura tantùm determinatur ad vnum, ita & intellectus ad vnum obiectum præcisè inclinatur: ergo sicut natura non quietatur nisi in illo, ad quod determinatur, ita nec intellectus quousque habeat illud ad quod summè, & maximè inclinatur: tale nihil est, nisi infinitum: ergo, &c. Probatio minoris, quia relatio capit realitatem à fundamento.

Item Auicenna 6. *Metaph.* dicit quòd relatio potest fundari in omni ente propter vilitatem, & minimam entitatem: ergo in nullo tali potest intellectus quietari.

Item, Augustinus 7. de Trinit. *nihil habet rationem entis simpliciter, nisi quod est verum*, & ante cap. 3. eiusdem libri, quòd *non est eo Deus, quo Pater*; tunc arguo, verum, vel ens est obiectum intellectus, & eò quò Deus est verum, bonum, vel ens, & non eo, quo Pater est: igitur distinguendo paternitatem à deitate, in ipsa non quietatur.

Item, perfectio simpliciter secundùm Anselmum est, quæ *in omnibus melius est ipsum, quàm non ipsum*; sed talis non est aliqua relatio, quia tunc vna persona esset perfectior alia.

Item, secundùm Athanasium in symbolo, in Diuinis sunt tres personæ; & tres relationes, *sed non tres immensi*; sed nihil potest quietare intellectum perfectè, nisi immensum: ergo relatio non est quietatiua.

Ad primum dicitur; quòd relatio habet aliquam perfectionem: & cùm arguitur vlteriùs, ergo relatio in Diuinis habet infinitam perfectionem, nego. Cùm probas, nihil est in Deo, nisi sit infinitum, verum est, nihil ibi, quin sit infinitum identicè, sed non formaliter. *Soluit argumenta affirmatiuæ partis.*

Ad secundum dico, quòd generatio Filij æterna non est inenarrabilis, nec ineffabilis ratione formali generationis Filij, sed ratione fundamenti, vt essentiæ, de se est infinita simpliciter. 3.

Contra positionem, quòd minor assumpta in positione, scilicet quòd relatio non habet rationem primi obiecti, simpliciter est falsa. Boëtius *in lib. Topi.* dicit, quòd cuius visus est infinitus, ipsum est infinitum, quia actus infinitus non potest esse sine causa infinita, vel forma infinita. Relatio refert personas infinitas: ergo formaliter infinita, quia nihil denominat infinitum, nisi ipsum sit infinitum.

Item, si illud quod habeat rationem primi quiditatiuè, sit substantia, cùm substantia, & relatio æquè diuidant ens, & sicut illa in quæ primò descendit ens, & in quolibet genere sit propria perfectio, quâ ratione potest quietari in substantia, & in relatione.

Item, contra illud quod dicitur, *non est eo Deus, quo pater*, quia Deitate est Deus, & infinitus, non sic paternitate. Probatio quòd Pater eo quo Pater, scilicet paternitate, sit formaliter infinitus, quia quælibet persona est adoranda adoratione latriæ, & de pluribus personis sunt distincti articuli fidei; nihil est adorandum adoratione latriæ, vt obiectum fidei, nisi formaliter infinitum: ergo. *Quælibet persona est adoranda latria.*

Item contra rationem ad secundum argumentum arguo sic: essentia secundùm Hieronymum non generatur, sed Filius generatur formaliter, & si Filius est formaliter infinitus, & est Filius formaliter per relationem generationis: ergo generatio formaliter est infinita. Certum enim est, quòd loquitur Hieronymus ibi, non de generatione essentiæ, sed de generatione personæ, quam dicit esse ineffabilem & inenarrabilem.

Ad primum istorum dicitur, quòd visus relationis non est formaliter infinitus, nec personæ, vt relatiuè subsistunt formaliter per relationes, sunt infinitæ; sed tantùm habent identitatem infinitam, inquantum scilicet sunt idem cum essentia, quod est eorum fundamentum, quod ex se formaliter, & simpliciter est infinitum. *Relationes habere infinitatem, identicè tantùm.*

Contrà: secundùm dicta, relatio est aliqua perfectio, & habet realitatem à fundamento secundùm data: ergo à fundamento infinito infinitam entitatem: ergo perfectio est formaliter infinita.

Dicitur quòd perfectionem aliam non habet, quàm perfectionem sui fundamenti. Vnde identicè,

ticè, & fundamentaliter est perfectio, sed non formaliter.

4. *Inter opposita vnum est nobilius.* Contrà Phil.7. Metaph. inter opposita omnia cuiuslibet generis alterum est perfectius, & nobilius, & alterum vilius; igitur in genere relationis opposita diuidentia relationem vnum erit vilius, alterum nobilius; ergo relatio habet aliquam nobilitatem, & ita aliquam perfectionem. Consequentia probatur, quia quantum aliquid habet de nobilitate, tantum de identitate, & de perfectione, quia quantò aliquid est positiuum, tantò magis nobile. Ad hoc dicitur, quòd non valet, quantum aliquid habet de identitate, tantum de bonitate, & nobilitate, nisi sit perfectio aliqua.

Replica. Contrà: perfectum, & imperfectum diuidunt omne ens simpliciter: ergo omne ens quantum habet de entitate, tantum de perfectione.

5. *Responsio. Perfectum & imperfectum, quomodo diuidunt ens.* Respondeo, quòd perfectum & imperfectum diuidunt ens quiditatiuum, quod est ens perfectum, & non diuidunt ens simpliciter, quia nihil est quiditatiuum in Diuinis, nisi natura diuina: ideò ipsa formaliter est perfectio, & nihil aliud nisi ratione ipsius.

Contrà, primæ substantiæ, sicut personæ aliquid addunt in Diuinis super quiditatem, & generaliter secundùm te, omnis substantia prima aliquid addit super quiditatem naturæ specificæ, & secundùm illud additum dicitur maximè substantia perfecta.

Respondeo; est maximè substantia, & maximè subest alteri, & sic maximè ens: ergo maximè perfecta fallacia secundùm *quid* ad *simpliciter*; maximè substantia: ergo maximè perfecta, non valet; antecedens est ad oppositum.

Substantia diuiditur in materiam, forma & compositum. Item, 7. *Metaph.* substantia diuiditur in materiam, & formam, & compositum; & dicit quòd ratio substantiæ, quæ est compositum, est nobilissima; talis est prima substantia: ergo, &c.

Item, vnumquodque, sicut est ens, ita est bonum; sed prima substantia est ens: ergo est bona: sed quantum vnumquodque habet de bonitate, tantum habet de perfectione.

Ad primum sicut priùs.

Quod est bonum quod conuertitur cum ente. Ad aliud dico, quòd peccat secundùm æquiuocationem, & consequens, quia duplex est bonum, vnum quod conuertitur cum ente, & de illo bono tantum habet vnumquodque, quantum habet de entitate: aliud est bonum, quod est idem, quòd perfectum, quod non incurrit aliquem defectum: & tale non est in quocunque genere, nisi diminutè, loquendo de quiditatibus specierum contentarum sub genere, & tale non est prima substantia.

6. *Æqualitas melior inæqualitate.* Contrà, Augustinus de quantitate animæ dicit, quòd *æqualitatem inæqualitati in repræponimus, nec æstimo quemcumque humano sensu præditum, cui illud non videatur*: ergo inæqualitati æqualitas præponitur, tanquam aliqua perfectio: sed non est perfectio; vt præponitur ratione fundamenti, quia inæqualitas potest fundari in illis, quæ sunt maioris nobilitatis, vt in Deo & creatura, & æqualitas in illis, quæ sunt minoris nobilitatis, sicut inter indiuidua: ergo æqualitas formaliter dicit aliquam perfectionem respectu inæqualitatis.

Ad istud dicitur, quòd argumentum Augustini tenet gratia materiæ, in quo ait, quòd æqualitas sit nobilior in figuris: quàm inæqualitas, sed non simpliciter.

Contrà, Augustinus probat ibi in figuris, quòd vna figura triangularis sit nobilior alia figura triangulari, & alia circularis nobilior altera, per hoc medium, quòd æqualitas inæqualitati sit iure præponenda: si igitur hoc non sit verum, nisi in figuris; ergo petit conclusionem in præmissa, & probat idem per idem, non per aliquid magis notum.

Ad istud dico, quòd æqualitas dicit perfectionem aliquam, quoniam in omni natura comparando ad aliquid eiusdem naturæ, melior est æqualitas suo opposito, scilicet inæqualitate, quia oppositum eius de necessitate dicit imperfectionem, non est inæqualitas in eadem natura, nisi aliquod medium imperfectè habeat illam naturam.

Tunc ad argumentum, verum est, quòd est præponendum, non quia dicit aliquam perfectionem simpliciter, sed quia comparando in eadem natura aliqua indiuidua secundùm æqualitatem & inæqualitatem, vnum de necessitate dicit imperfectionem. *Quomodo inæqualitas dicat imperfectionem.*

Contra priorem responsionem: ens dicitur de prima substantia, & de secunda; de qua igitur priùs dicitur in entitate, vnitate, & perfectione? 7.

Respondeo, quòd æquè vera est vna prædicatio, sicut alia, licèt vna prædicatio sit nobilior alia, quia de vna prædicat quiditatem, de alia non: nec est ordo, quin æquè verè prædicetur de vna, sicut de alia, quia etsi animal immediatiùs sit substantia, quàm homo, qui vtrumque includit: includit tamen rationem formalem illius, quod prædicatur de eis. *Æquè dicitur ens de prima & secunda substantia.*

Ad argumentum contra primam rationem dicitur, quòd non valet, sed supponit vnum falsum, quòd substantia sit primò primum obiectum, quod non est verum, quia nihil est primò primum, quod est determinati generis, sicut est substantia, & quodcunque aliud tale. *Prima ratio posita est n. 2. & arg n. 3.*

Ad aliud quod dicit, illud de quo est fides & articulus fidei, est infinitum, verum est formaliter quantùm ad aliquos articulos, qui pertinent immediatè ad Deitatem, sed personæ relatiuæ, de quibus sunt speciales articuli credibiles, sunt infinitæ identicè, sed non formaliter: quia ratio formalis credibilis non est infinita, nec aliqua relatio est adoranda latria, sed tantùm tres personæ inquantum sunt vnus Deus. *Ad 3. arg. num. 3.* *Persona quatales an adoranda latriâ.*

Ad illud de generatione dico, quòd non sit intentionis suæ, quòd generatio sit infinita ratione notionis, sed ratione totius suppositi, quod est formaliter infinitum per essentiam, quæ est simpliciter infinita. *Generatio diuina an infinita.*

Dicitur aliter, quòd est ineffabilis ex parte nostra, nullus eam explicare potest perfectè, nec est ineffabilitas in relatione ipsa, si circumscribatur infinitas naturæ, & fundamenti.

Contrà, Deus non dicitur ineffabilis, & tamen generatio dicitur ineffabilis: ergo est ineffabilitas in ipsa ratione relationis, & non ratione essentiæ. 8.

Respondeo, in generatione est emanatio, & productio, similis in natura eadem; primum non est ineffabile, sed secundum, & hoc ratione essentiæ.

Contrà, illud quod determinat, & continet infinitum manens infinitum, est infinitum; talis est relatio, ergo. Probatio minoris, quia relatio essentiam in persona subsistente continet: ergo est formaliter infinita.

Item, Pater producit Filium intuendo aliquod obiectum; aut essentiam, & tunc erit Filius essentiæ, *Continens infinitum an ideò infinitũ.*

tiæ, aut se Patrem, & tunc erit Pater communicabilis, quia communicabit Filio paternitatem, quod falsum est, quia nihil est in Patre, circunscriptâ essentiâ, nisi paternitas; igitur cùm Filius sit formaliter infinitus, cùm non sit Filius essentiæ, videtur quòd habeat propriam infinitatem, aliam ab illa, quam habet ab essentia.

Spiratio quia communis, an ideò perfecta. Item, illa quiditas est infinita, quæ potest eadem numero, & indiuisa subsistere in pluribus suppositis distinctis: sed talis est relatio aliqua formaliter, vt spiratio actiua in Patre, & Filio omnino eadem, quia aliter Pater, & Filius non spirarent Spiritum sanctum, inquantum omnino vnum principium. Patet etiam quòd sit vna: quia relatio spirationis passiuæ sibi correspondens est omnino vna. Probatio maioris, hæc est causa, quare essentia est infinita, scilicet quia indiuisa est in distinctis: ergo similiter in proposito aliqua relatio erit infinita, quia subsistens in pluribus distinctis.

9. Item, actio adæquata principio infinito est infinita, quia si esset finita, iam non esset adæquata infinito; sed generatio productio est actio adæquata principio productiuo infinito. Probatio, quia aliàs posset esse principium productiuum alterius Filij, quod est impossibile: ergo formaliter est infinita.

Ratio subsistendi, an perfectio? Item, *subsistere* propriè acceptum est perfectissima ratio essendi aliquid; sed relatio est formalis ratio subsistendi in diuinis: ergo relatio habet perfectissimam rationem essendi: perfectissima ratio essendi est infinita, ergo, &c. Probatio minoris, quia si non relatio, ergo essentia erit ratio perfectissimè subsistendi: hoc falsum est, quia nihil potest esse ratio alterius subsistendi, nisi ipsum sit de se subsistens, talis non est essentia; ergo, &c.

Ratio terminandi naturam alienam an perfectio. Item, illud est infinitum formaliter, quod est ratio formalis concipiendi infinita, quia si pluralitas concipiendi dicat maiorem perfectionem, & pluralitas perfectionum in essendo dicat perfectionem aliquam, & infinitas addet infinitam perfectionem, tam in essendo, quàm in concipiendo; sed proprietas personalis verbi inquantùm huiusmodi, est ratio concipiendi omnes proprietates personales, etiam infinitas, ergo est formaliter infinita. Probatio minoris, quia proprietas personalis Verbi est ratio terminandi, & concipiendi assumptam naturam humanam, & ita erit supplens, & continens rationem suppositi creati, & quâ ratione istam, posset infinitas alias.

10. *Ad arg. posita n. 8. in secunda replica.* Ad primum istorum dicitur, quòd relatio non contrahit, nec determinat rationem diuinam, quia sic contractum incurreret aliquam imperfectionem, & possibilitatem, & reciperet à contrahente aliquam actualitatem vltimam, quod non est verum.

Filius quomodo Verbũ essentiæ. Ad secundum dicitur, quòd essentia est principale obiectum intellectus paterni: ergo Filius est Verbum essentiæ, concedo, non absolutè, sed essentiæ vt in Patre.

Contrà, tunc inciditur in aliud membrum, quia ly *vt in Patre* reduplicat Patrem, tanquam rationem formalem Patris, & tunc sequitur, quòd paternitas est ratio formalis Verbi; aut notificat illud, quod sequitur, scilicet Patrem accipi secundùm rationem suam formalem, & tunc sicut priùs, essentia est principaliter ratio primi obiecti gignitionis Verbi; ergo Filius est Filius essentiæ.

Item, potentia vna tantùm habet vnum obiectum adæquatum, & primum, quod virtualiter includit, vel eminenter omnia alia obiecta; sed paternitas non est huiusmodi, quia non includit sibi oppositam relationem, scilicet filiationem, ergo, &c.

Ad illud dicitur, quòd duplex est obiectum adæquatum, & primum: secundùm prædicationem, sicut color est primum obiectum visus adæquatum, quia quicquid videtur est coloratum. Aliud est obiectum primum, & adęquatum secundùm eminentiam, & virtualiter: & tale non est formaliter paternitas, quia non includit filiationem, sed tale primum obiectum est Deitas. *Duplex est obiectum adæquatum.*

Ad argumentum dico, Pater intuendo aliquod obiectum, gignit Verbum, ita quòd intuitio obiecti non sit formalis ratio prædicati, scilicet gignitionis Verbi; sed Pater dum intuetur essentiam, gignit Verbum, quia gignitio est expressio formalis Verbi ab essentia, ita quòd obiectum vt intellectum non habet ita perfectam rationem, sicut vt subsistens, quia obiectum intellectus est ens rationis, & ideò non gignitur Verbum, nisi dum intuetur obiectum, quod potest dici gignere Verbum, sicut ratio formalis gignitionis. 11. *Ad arg. n. 8. positum.* *Quomodo potest essentia dici gignere Verbum.*

Tunc ad formam argumenti, cùm dicis: essentia est principalis ratio parentis; ergo Filius est Filius essentiæ.

Respondeo, dico quòd non valet: essentia est principalis ratio gignendi: ergo est gignens; sed est fallacia figuræ dictionis, commutando *quale* in *hoc aliquid*; quia ratio principalis formalis gignendi dicit *quale quid*: gignens dicit *hoc aliquid*, quia actiones sunt singularium, & suppositorum; exprimens siue gignens semper dicitur ab expresso, siue genito, quia nihil est quod seipsum gignat, *primo de Trinit. cap.* 1. ergo si essentia esset exprimens notitiam genitam, vel verbum; tunc essentia distincta esset à verbo, quod non est verum; & concedo quòd verbum exprimitur ab essentia, siue à causa formali, & à Patre, tanquam ab exprimente distincto. *Si essentia gigneret Verbum, distingueretur ab eo.*

Ad aliam probationem, dico quòd Verbum potest dicere expressionem distinctam ab exprimente: & hoc est relatio realis Verbi. Alio modo potest dicere declarationem eius, de quo est, & concedo, quòd Verbum est notitia declaratiua, essentiæ, sicut Verbum in nobis est declaratiuum illius, quod definitur.

Ad argumentum dicitur, quòd maior est falsa, loquendo de alia relatione.

SCHOLIVM.

Resolutio Doctoris in hac collatione est negatiua, quia secundùm eum, 1. d. 13. n. 9. & d. 26. n. 36. & 4. d. 13. q. 1. n. 32. relatio diuina non est infinita, nec dicit perfectionem, de quo latè tradit quodlib. 5. à n. 7. vide Scholium ibi positum.

COLLATIO XIII.

Vtrùm per naturalem inuestigationem de Deo possumus cognoscere quid est.

Scotus 1. *d. 3. quæst. 2. & dist. 8. q. 3. & quodlib. 14.*



ARGVITVR quòd non: sic se habet ad phantasmata intellectus, sicut sensus ad sensibilia: ergo non intelligimus, nisi phantasmalia. 1.

Item, Damascenus *libr. 1. cap. 2.*

Item, *cap. 4.*

Item

Item Dionysius *de Diuinis Nominibus cap.2.*

Contrà:ad quæstionem, quâ quæritur, *quid est Deus*. Respondetur benè, quòd est substantia incorporea, &c. sed hoc inuestigamus per naturalem rationem:ergo,& quid est Deus.

Item, Augustinus super Ioannem Sermone primo. *Cùm audis* Deus, *magna quædam substantia facta est in corde tuo.*

Notitia confusissima, qua scitur quid, significatur per nomen.

Ad quæstionem, primò videnda est opinio Philosophi. Dico secundùm eum, quòd notitia prima, & confusissima, quæ habetur de re, est notitia quâ scitur quid significatur per nomen, & ista est magis suppositio, quàm scientia, vel notitia, & non determinat sibi *esse*, quia contingit significare, quæ non sunt, *primo Posteriorum.*

Habemus si est per se, quando habemus per speciem rei.

Secunda notitia est scire *si est*, quod significatur per nomen, *si*, scilicet aliquid est in natura, quia quod non est, non quæritur de eo, nisi *quid* nominis. Istud, *si est*, secundum eum, potest haberi per se, & per accidens, & secundùm Linconiensem tunc habemus *si est*, per se, quando habemus per speciem rei, & per accidens, quando per speciem alterius.

Exemplum: si quis esset super Lunam, per se sciret eclipsim: in terra autem sciret per accidens eclipsim, *si est*, scit enim quòd aliquid interest, sed an hoc sit interpositio talis, nescit, loquendo de *si* primo modo, secundùm eum, quia quæ verè sunt, habent *si est*, faciliter potest habere de *quid est*, secundo modo, *si est*, nullo modo se habet ad *quid est*.

Ex ista sententia Aristotelis nullus potest habere cognitionem *quid est*, de Deo, nec de substantia. Patet quòd non de Deo; quòd nec de substantia, patet similiter; quia non cognoscimus substantiam per propriam speciem: aliter cognosceremus absentiam panis in hostia consecrata.

2. Contrà, accidentia conferunt magnam partem ad cognoscendum *quod quid est*, &c.

Item, de Deo patet, non enim inuocaretur, si non sciretur.

Ideò dico, quòd Philosophus sic intelligeretur; contingit de accidente non habere conceptum, nisi accidentis in communi, & quod habetur; & contingit habere conceptum illius, cui inest, sed quid illud est, non habet aliquis ex hoc.

Ideò ex sola specie accidentis habetur solùm conceptus substantiæ; ideò nec ex *si est*, habetur sic cognitio *quid est*: sed contingit scire, quòd inhærentia stat ad per se stans; & contingit habere conceptum per se stantis, & hic est conceptus substantiæ; ideò habendo *si est*, per speciem alienam accidentis, habetur *quid* substantiæ secundùm genus vniuersalissimum, & quantum habeo *si est*, sic per accidens tantùm de eius *quid est*: vnde per speciem creaturæ cognoscimus quia est, & etiam quia est actus purus, &c. ideo cognoscimus de Deo, quid est, per speciem alienam, tamen ista cognitio, *quia est*, per speciem alienam, non est facialis, vt res videatur, sicut est in se: sed sicut relucet in effectu, sic patet sententia Philosophi.

SCHOLIVM.

Positâ opinione Philosophi, quòd non potest haberi scientia quid est *de Deo, vel substantia; ponit modum dicendi, quòd Deus relucet in creatura, & substantia in accidente, non secundùm rationem propriam istorum, sed secundùm rationem communem vniuocam vtriusque, & adducit rationes probantes vniuocationem entis Deo & creaturæ substantiæ, & accidenti; de quibus latiùs agit 1.dist.3.quæst.2.à num.5.& quæst.3.à n.7. & dist.8.quæst.3.à num.11.*

Quomodo substantia lucet in accidente, vel Deus in creatura?

Modò in speciali videndum, quomodo cognoscimus de Deo, vel substantia, *quid est*. Ideò videndum est, quomodo substantia lucet in accidente, vel Deus in creatura.

Quidam dicunt, quòd substantia non relucet in accidente secundùm rationem propriam, qua non vniuocatur accidenti, sed secundùm rationem communem, quâ vniuocatur accidenti; ideò vt lucet; & continetur in accidente, continetur secundùm rationem vniuocam sibi, & accidenti, sic est de Deo, & creatura. Vnde Deus cognoscitur secundùm conceptum vniuocum Deo & creaturæ, ideò non cognoscimus *quid* proprium.

Item, nullum absolutum facit conceptum in intellectu de aliquo, nisi contineat ipsum formaliter, sicut inferius continet superius; vel virtualiter, sicut subiectum continet proprias passiones; accidens non continet substantias, nec phantasma continet Deum neutro modo; ergo, &c. 3.

Item, ens ordinis superioris non relucet in ente ordinis inferioris, nisi inferiori modo; creatura, & accidens est ens inferioris ordinis, quàm Deus, & substantia; ergo secundùm propriam rationem, quâ Deus excellit creaturam, non relucet in creatura; ergo, &c.

Item, cognitio est per assimilationem; sed secundùm proprias rationes non assimilatur: ergo, &c.

Item, quando facimus attributiones ad Deum, remouemus à perfectionibus imperfectiones creaturæ, & illud quod remanet, attribuimus Deo; quæro si illud remanens sit vniuocum Deo, & creaturæ? si sic, habeo propositum. Si non, non magis attribuitur sapientia Deo, quàm lapis.

Item, in conceptibus vniuersalis habentis singularia imaginabilia propria possumus stare fixi, non autem in non habentibus, veritas non habet proprium singulare imaginabile secundùm Augustinum: *cùm audis* veritas, *quare quid veritas, statim obijciunt phantasmata*, &c.

Item, omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de duobus, habet vnum communem neutrum, aut intellectus simul esset certus, & dubius de eodem. Philosophi certi fuerunt de primo principio, quod est ens, dubij autem, an hoc ens, &c. & ideò stabant in conceptu vno certo præter vtrumque dubium.

Item, omnis conceptus communis indeterminatus, à quo si descenderetur in determinatos, prædicaretur de eis per se, & in *quid*, prædicatur vniuocè de eis: huiusmodi est conceptus entis respectu Dei, & creaturæ. Ad aliud de veritate dico, quòd licèt non habeat singulare proprium in intellectu, habet tamen aliud singulare commune.

Ad illud de conceptu certo & dubio, dico quòd conclusio est vera, ens habet conceptum vnum secundùm *quid*, vnitate scilicet aggregationis, & confusionis, non tamen vnitate vniuocationis.

Ad aliud, conceptus non remanet in eis vnus simpliciter, sed vnitate confusionis.

Ad quæstionem dico, quòd non possumus intelligere Deum quid est facialiter per speciem creaturæ, sed tantùm secundùm conceptum proprium, qui est vniuocus creaturæ, sed vt excellit 4.

creaturam: ex creatura autem possumus intelligere, quòd creator est, sed non quid est. Hic cognoscendo, quod producit de nihilo, & est actus purus intelligibilis, & quantum sic cognosco, cognito de eo *si est*, tantum cognosco de eo, *quid est*, & sic habebo definitionem de eo: sed secundùm hoc intellectus noster vertendo se ad partem definitionis, habemus *quid* virtualiter creaturæ; tamen quia animus non stat in ista parte, abstrahit à Deo istos conceptus, & stat per ignorantiam, & negationem: & hæc est vera cognitio, quam habemus de Deo hîc. Dictum est, quòd cognoscimus de Deo, *quid est*.

Vera cognitio de Deo per ignorantiam, & negationem.

Contrà; supereminentissimi sunt super bonum, &c. secundùm Dionysium cap.3. illi conceptus remouentur à Deo; ergo non sunt quiditatiui, & proprij conceptus Dei.

Dico quòd conceptus conclusi per modum complexionis conueniunt Deo, nec conueniunt creaturæ; huiusmodi sunt conceptus compositi, non autem simplices conceptus; cuiusmodi sunt conceptus entis, boni, &c. Nam tales conceptus dicuntur vniuocè de Deo, & creatura.

5. Ad argumentum dico, quòd remotio, vna à Deo, alia ab animo. Exemplum, si occurrat conceptus ebrij, vel superbi, remouetur à Deo, si autem occurrat *super bonus*, huiusmodi debet remoueri ab animo, quia per hoc intellectus intelligit aliquod compositum, sed intendit aliquid aliud amare, quod est simpliciter simplex. Sed quia primus modus *super bonum*, &c. est modus compositus, non placet animo: ideò stat in ignorantia, ideò licèt in altissimo conceptu nihil concipimus, nisi modo composito, tamen intendimus conceptum simpliciter simplicem, quia illum habemus in communi tantùm, & confusissimum, & communem Deo, & creaturæ.

Non habemus de Deo nisi conceptũ compositum, sed intendimus simplicem.

Quòd ens non sit commune virtualiter, probo; nulla intentio vniuoca statim est in sua inferiora, sed descendit in ea per addita, vt animal non est statim homo, & asinus, sed descendit in ea per differentias, & ita per addita; ergo ens, si est vniuocum substantiæ & accidenti, non est statim substantia, & accidens, sed descendit in eas per differentias: quæro igitur vtrùm prædicetur de illis differentiis in *quid*, vel non. Si sic, ergo non sunt differentiæ: similiter tunc illæ, cùm includant ens quiditatiuè, erunt differentes aliis differentiis, & non primò diuersæ, & de illis differentiis similiter est quærendum.

de hoc 1.d. 3.q.3.n.6.7.

Si dicas non: ergo cùm ens habet differentias, & non prædicatur de eis in *quid* per te, est genus.

Item, omne diuisibile diuiditur in diuisione primaria diuisione bimembri secundùm Boëtium *lib. Diuisionum.*

Similiter hoc patet per rationem, quia omnis diuisio est monadis secundùm essentialem partitionem; sed prima diuisio entis est in decem genera: ergo non est vnum.

Dices; diuiditur in ens in alio, & in ens non in alio.

6. Contrà, ideò intentio entis est vniuoca substantiæ, & accidenti secundùm te, quia substantia non concipitur, nisi per speciem accidentis: ideò secundùm modum vniuocum continet; ergo per oppositum, cùm nouem accidentia concipiantur, per species proprias concipiuntur.

Item, intentio vniuoca non descendit in alterum vniuocatorum causaliter mediante altero vniuoco: verbi gratiâ, animal æquè descendit in hominem, & in asinum, ita quòd neutrum est causa animalis descendendi in alterum. Hoc patet ratione, quia aliter differentiæ non essent coæuæ in genere.

Similiter nec essent in potentia in genere, sed in actu, quia sumo signum naturæ, in quo intelligo animal, in alio signo immediatè intelligere possum asinum, sed non sic, si homo priùs intelligeretur, quia est causa intelligendi asinum; si detur oppositum in primo signo intelligere hominem, & in conceptu animalis intelligeretur homo; ergo, &c. sed ens est talis intentio, quia non contingit descendere ab eo in ens creatum analogum, nisi mediante intellectu entis, quod est Deus; ergo non est vniuocum eis. Probatio minoris, in intellectu enim huius, inquantum hæc scilicet creatura, includitur respectus ad ipsum Deum, cuius participatione est, non enim est intelligibilis, nisi vt includit respectum ad Deum; sed Deus intelligitur sine respectu, sed vnumquodque includens aliud, & non è conuerso, posterius est eo, ideò ordine tali descendente ad hoc ens, oportet descendere mediante ipso intellecto.

An descenditur in ens creatum, per conceptum increatum.

Item, per naturam indeterminata sunt priùs intellecta; huiusmodi est Deus, quia ens analogum ad decem est indeterminatum, sed determinabile per modos; Deus autem non est determinabilis: ergo magis est indeterminatus. 7.

Item, ponatur quòd aliquis habeat conceptum iusti in communi, & nondum inuestigatum, & occurrat sibi an hæc actio sit iusta per applicationem ad ipsum iustum: ergo ipsum iustum includitur in conceptu iusti in communi. Minor patet per Augustinum 6. *de Trin.* quærit an actus sit perfectior, & applicat ad ipsum pulchrum, id est, Deum, qui est pulcher, & priùs non habuit conceptum pulchri, nisi in communi: ergo conceptus ipsius iusti, id est, Dei, includitur in conceptu iusti in communi.

Dices, non potest applicari ad iustum in communi, nisi priùs sciat ipsum iustum.

Contrà, loqueris eum pulchrum, & non nosti eum priùs, cùm inuenis eum iustum, nescis an inuenisti, nisi intelligeretur in iusto in communi; ergo in iusto in communi includitur ipsum iustũ. 8.

Ad rationes alias, quæ fiunt in oppositum, scilicet quòd ens sit vniuocum, quia in omni genere est primum simplicissimum, sed primum omnium est ens; ergo simplicissimum; & sic vniuocum.

Solutio, primum obiectum intellectus potest dici primum prioritate adæquationis, vel communitatis. Alio modo prioritate generationis, vel aduersionis, quo primò aduerto, vel prioritate virtutis, in cuius scilicet virtute intelligo omnia; sic essentia diuina est primum obiectum sui intellectus: primo modo est ens communissimum obiectum; secundo est nunc vnum, nunc aliud; quod scilicet vehementiùs immutat intellectum primò, primum obiectum virtute non habet viator, sicut dicunt quidam. Sed hoc est falsum, quia habet ipsum *esse*, quod est pelagus primum causalitate, scilicet Deus, qui priùs intelligitur, quàm infinitæ virtutis; quod patet, quia illud est alio quocunque prius naturaliter, & causaliter. Tunc dico, prioritas virtutis est prioritas simpliciter, aliæ verò prioritates secundùm *quid*, ideò ens non est simplicissimum, sed ens.

Obiectum primum multifariam dicitur.

Contra hoc probatio, quia creatura dicitur relatiuè

relatiuè ad Deum:ergo non intelligitur,nisi Deus priùs intelligatur. Similiter per creaturam intelligimus Deum, nec eum intelligimus, nisi per creaturam; ergo non priùs intelligitur Deus, quàm creatura.

Dico,non video colorem,nisi videndo lucem, & lux fecit videre colorem, & lux est primum causalitate; tamen talis oculus posset esse, qui videret lucem in se. Similiter talis oculus mentalis posset esse, qui videret Deum in se: sicut enim color est causa secunda; quare video lucem, tamen lux est causa prima, sic intellectus,&c.

Item, arguo sic, vnius potentiæ vnum est obiectum primum simpliciter.

Item,omnis conceptus indeterminatus, quando descendit in inferiora, & est vnus in eis, est vniuocus,vt patet de animali: talis est conceptus entis,quia prædicatur de eis in *quid.*

SCHOLIVM.

Resolutio materiæ huius collationis habetur apud Doctorem, 1. dist. 3. quæst. 2. à num. 5. & aliàs sæpè, vbi docet primò Deum cognosci à nobis conceptu quiditatiuo confuso, & non tantùm conceptu attributali, vt vult Henricus. Secundò docet eum cognosci conceptu vniuoco sibi, & creaturis, aliàs nullum conceptum haberemus de Deo ex creatis, neque plus constaret nobis esse sapientem ex conceptu creaturarum, quàm esse lapidem.

COLLATIO XIV.

Vtrùm voluntas naturaliter determinetur ad volendum.

Alens. 1.*part. quæst.*8.*membr.*1.2. *&* 2.*p.quæst.*74.*membr.*7. D.Thom.1.*part.quæst.*82. *art.*3. *&* 1.2. *q.*10.*art.*1.*&* 2. Vasq.1.2.*d.*39.Scot.1.*q* 4.*& alij ibi citati.&* 4.*d.*49.*q.*6. *& quodlib.*16.

1. VÒD sic: Augustinus 12. de Trinit. cap.8.*ad volendum Beatitudinem natura compellit.*

Arguit multipliciter Beatitudinē naturaliter appeti.

Item, potentia habet naturalem habitudinem ad actum, & obiectum, quia cadit in sua definitione, & definitio indicat quid est *esse* rei,scilicet habere naturalem habitudinem,& naturaliter determinari:ergo,&c.

Item,quæ conueniunt omnibus, & vniformiter,conueniunt ex suis principiis naturæ;sed velle Beatitudinem conuenit omnibus, & appetunt omnes Beatitudinem:ergo,&c.

Item, mobile, & contingens reducitur ad immobile, & necessarium, sicut notitia conclusionis contingentis ad notitiam principij necessariò, & immobiliter noti; ergo similiter in voluntate.

Item, anima est naturaliter capax Beatitudinis, & nulla creatura capax alicuius boni, caret naturali motu ad illud, aliter natura deficeret in necessariis.

Item, omne generans determinat generatum ad motum,quo conatur aliquando coniungi cum generante: ergo Deus creans determinat sic voluntatem,vt conetur,&c.

Item,specialiter de Deo arguitur sic:gloriosius habetur,quod habetur necessitate naturæ, quàm quod habetur aliter: sed Deus vult se gloriosissimè: ergo,&c.

Item,Dei voluntas est eius intellectus re,& intentione:si igitur intellectus intelligit modo naturæ,voluntas vult modo naturæ.

SCHOLIVM.

Adductis octo rationibus suadentibus Beatitudinem naturaliter appeti, adducit alias quatuor in contrarium,& rursus alias tres pro illa parte. Videtur resoluere etiam hîc inclinationem habitualem voluntatis ad finem, esse naturalem, sed actualem, liberam. Saltem id resoluit, 1. dist. 1. quæst. 4. à num. 12. & 4. d. 49. quæst. 6. quodlib. 16. vbi ostendit voluntatem nunquam agere naturaliter; & loquendo de creata, docet eam minimè necessitari; diuina tamen habet actus necessarios ad intrà, qui tamen liberi sunt, iuxta dicta 1. dist. 10. & quodlib. 16. num. 8. 9. & hîc num. 4. argumenta non probant de appetitu elicito, sed de innato qui non distinguitur à potentia sic inclinata; de quo Doctor 3. dist. 15. & 4. dist. 43. quæst. 4. & dist. 49. quæst. 10.

CONtrà; principium vt natura, dicitur contra principium vt intellectus 2. *Physicor.* sed intellectus est natura,vt principium:ergo,&c. 2.

Arguit multipliciter voluntatem nō naturaliter velle Beatitudinem.

Item, voluntas non fertur in ea, quæ sunt ad finem,vt naturaliter determinata; ergo nec in finem. Probatio consequentiæ, voluntas sicut est causa lationis voluntatis in ea, quæ sunt ad finem, ita & ad finem: quia sicut intellectus se habet ad principium in speculabilibus, sic voluntas ad finem in moralibus.

Item,pars non mouet,nisi in virtute totius.

Item,*de Trinitate* 13.*cap.*5. propter Beatitudinem appetunt omnes cætera,quæ appetunt.

Item,ad principale, quod inest, naturaliter inest, siue volumus, siue nolumus; sed appetimus Beatitudinem etiam si non vellemus, secundùm B.Augustinum.

Item, potentia, quæ in ferendo magis agitur, quàm agat, non fertur liberè; sed potentia taliter determinata ad obiectum est huiusmodi: ergo.

Item,intellectus diuinus esset æquè liber,sicut voluntas sua.

Dicitur,quòd *velle* aliquando sumitur pro quacunque determinatione in voluntate, siue innata, siue impressa nouiter ab obiecto: alio modo pro actu elicito à voluntate.

Sed propter argumenta sciendum, quòd vno modo dicitur naturale, quod distinguitur contra violentum; secundo modo contra deliberationem; tertio modo contra aduentitium; quarto modo contra spontaneum,siue vltroneum:primo modo,secundo, & tertio, velle finem est naturæ, sed quarto modo non, sed liberum. Sed de isto *velle* spontaneo adhuc est distinguendum, scilicet quòd potest sumi pro latione passiua ipsius voluntatis,vel actiua:si primo modo,hoc tripliciter, primò,quantùm ad determinationem voluntatis ad ipsum,& sic purè est naturale. 3.

Naturale dicitur quatuor modis.

Vel quantùm ad exercitium, & hoc quantùm ad continuationem, & sic est omnino liberum, quia in potestate voluntatis est continuare actum suum circa obiectum.

Vel quantùm ad inchoationem, cùm non sit in potestate nostra, quin visis tangamur, stante intellectu in actu suo, & sic est naturalis: potest tamen auertere considerationem, & pro tanto liberè. Et intelligit, quòd voco hîc lationem passiuam, actum secundum consequentem impressionem factam in voluntate, sicut motus

Velle quod est actio, est liberum. grauis in graui sequitur formam grauis, *velle* tamen vbi est actio, est omnino liberum; & per hoc patet ad argumenta.

4. *Loquitur de voluntate diuina.* Sed vt expressiùs videatur circa dicta de habituali inclinatione, & actuali, quæ dicitur latio passiua; *velle*, quod est inclinatio primo modo est omnino naturale: secundo modo quantum ad inclinationem, indirectè est liberum. Sed tunc quæritur, vtrùm liberè fertur in finem, & cum hoc naturaliter, dico quòd sic.

Contrà; tunc duo actus essent in voluntate, qui habent oppositas conditiones: dico quòd verum est, quòd sunt duo *velle*; vnum vt passio, & aliud vt actio. Exemplum, sicut simul sunt actus voluntatis, & delectatio sequens, quæ quoddam velle, quod liberè fertur in finem. Probatio, quia delectabilius fertur, quod spontaneè fertur, quàm quod necessariò; sed voluntas delectabilissimè fertur in finem; igitur, &c.

Collatio XV.

Vtrùm voluntas informata charitate possit non velle Deum visum per essentiam in patria?

Doctores *citati collat. praced. & alij citati 4. dist. 49. quæst. 6.*

1. Argvitvr quòd sic; quia idem principium actiuum eodem modo se habens, non elicit actum modo necessario circa idem obiectum; sed voluntas cum charitate est agens huiusmodi: ergo, &c.

Iuxta hoc quæritur vtrùm Beatus videns Deum, & amans eum, posset non velle eum, & sic peccare? Quòd sic: quia in eo est potentia, quâ peccari solet, scilicet voluntas, quæ est opposita, & est de nihilo potens deuiare: ergo, &c.

Item, posse peccare est laudabile, ideò non aufertur per statum nobilissimum.

Contra 12. *de Ciuit. cap.* 11.

Item *cur Deus homo, à cap. decimo.*

Item, si quis videns Deum per essentiam, non potest non velle, vt dictum est, magis videns, & valens non potest.

Dicendum, quòd non, secundùm Sanctos. Causa assignatur à quibusdam ex parte Dei tantùm, quia Deus vult, quòd Angelus feratur continuè, sicut modò fertur. vide 2. *Confess. & 12. de Ciuit. cap. vlt.*

2. Contrà, ponatur quòd Deus dimittat Angelum sibiipsi sub generali influentia, & quòd Angelus haberet habitum gloriæ, & videret Deum per essentiam, Angelus non posset peccare; nec eum non velle, nec aliquid sibi præponere, nec eum minùs velle. Patet primum; ergo.

de quo 4. d. 49. q. 6. Alij dicunt, quòd secura scientia de non cadendo, est de ratione illius status.

Contrà, etsi non esset certitudo de eius ratione, adhuc propter eandem rationem, quæ priùs, non posset peccare.

Alij dicunt, charitas, quæ est donum gratuitum, est ratio impeccabilitatis. Illud non valet, quia tunc voluntas non esset libera. Charitas enim viæ, & patriæ, sunt eiusdem rationis, & eadem quæ est in via, est in patria, quia nunquam excidit secundùm Apostolum 1. *ad Corinth.* 13. ergo sequitur, quòd charitas immobiliabit voluntatem in via, sicut in patria, & sic non potest voluntas ad oppositum in via peccare.

Item, illud donum inclinat per modum naturæ, nec liberè quantum est de se: ergo voluntas necessitatur per illam formam inclinantem per modum naturæ.

Alij dicunt causam ex parte voluntatis effrænatæ ferentis se in Deum, & è conuerso de dæmonibus. de hoc 2. d. 7. n. 3.

Scholivm.

Tangit varios dicendi modos, de necessitate Beatitudinis, & impeccabilitate Beati; resolutio eius est, Beatum liberè continuare suum amorem ad Deum visum; non posse tamen ex suppositione desistere, vel peccare, de quo 4. dist. 49. quæst. 6. optimè hîc in fine explicat, quomodo cum libertate stat necessitas, de quo latiùs 1. dist. 10. & quodlib. 16. vide Scholium collationis præced.

Contrà, in priori per naturam, quo Beatus videt Deum, ante velle effrænatum habet velle: ideò prior est impossibilitas peccandi, quàm effrænatio ferendi. Ideò dico, quòd quatuor concurrunt ad volendum Deum in illo priori per essentiam visum, videlicet continua exhibitio præsentiæ, & eminentia obiecti visi per essentiam, & causa continuæ contemplationis: quocunque enim vertitur essentia ad videndum res in proprio genere, videt Deum per essentiam. Continua contemplatio obiecti, & continua fruitio in voluntate. Ista continua impressio est quasi pondus inclinans voluntatem exercere aliquem actum in obiectum. 3.

Quatuor occurrunt quibus Beatitudo perpetuatur.

Contrà: istud pondus inclinat per modum naturæ: ergo necessitat eam, & sic non manet libera. Dico, quòd est necessitas, non est violentiæ, sed immutabilitatis.

Esse ab agente extrinseco, non facit violentiam. Contrà, est ab agente extrinseco. Dico, quòd illud extrinsecum magis habet rationem finis, quàm efficientis, & si se habeat in ratione efficientis: non tamen infert violentiam, quia violenter est, cuius causa est extrinseca, & passo non confert vim; sed hæc voluntas confert: quia habet in obiecto, cur ipsum super omnia velit, & non habet cur ab eo resiliat, vel cur ad aliud conuertatur, & sic ipsum necessariò vult, & est impeccabilis. Primò, quia mobili reducto ad actum perfectum, vbi nulla est priuatio, necessariò quiescit: sed voluntas sic videns, & amans Deum reducitur ad actum perfectum, vbi nulla est priuatio: ergo. Probatio minoris, quia motus est actus entis in potentia ad terminum, quo priuatur mobile: reducto igitur mobili ad terminum, vbi nulla est priuatio, iam non potest esse motus.

Item, vltimatè quietatum, vlteriùs non mouetur: sed voluntas in vltimo fine habito vltimatè quietatur; ergo.

Item, omne bonum reficit aliquo modo voluntatem; ergo infinitum bonum habitum infinitè reficit: ergo.

Item, Anselmus *de casu diaboli*, Beati adepti sunt quietem, &c.

Item, Boëtius *de consolatione in principio.*

4. *Ad argum. in principio.* Ad primum, potentia est in dispositione tali, & extra priuationem, sic quòd non potest in oppositum actum. Ad aliud laudabile est secundùm *quid*, posse peccare, sed non simpliciter, ideò aufertur.

Vtrùm igitur, qui sic necessariò vult, etiam libere

liberè vult? Quòd non: Augustinus in Enchir. *bonum & malum secundùm rationes speciales non compatiuntur se, nec vitium cum virtute*; sed libertas, & necessitas opponuntur, sicut bonum, & malum: ergo non in eodem.

Item, *de lib. arbitr.* Ideò voluntas nostra est libera, quia est in potestate nostra, sic non in potestate nostra, quod necessariò vult.

Item, voluntas est potentia realis; ergo valet ad opposita; sed respectu illorum, quæ necessariò vult, non valet in oppositum.

Vult Deus se necessariò, nec potest non velle se, sed liberè.

Ad opposita, patet ex dictis, tum quia cùm necessitas, vt sic, non tollat libertatem, vel diminuat; dico quòd non malum est in Deo, quia necessariò vult se, nec potest non velle se, tamen liberè vult se secundùm Augustinum 22. *de Ciuit. cap.* 11. contra stoicos. Sed vna necessitas includit subiectionem alteri, siue extrinseco, siue intrinseco præuenienti, vel inferenti vim, necessitas talis repugnat libertati, & dicit seruitutem: ideò quæ sic mouentur ab extrinseco, non mouentur liberè, vt proiecta, nec quæ mouentur ab extrinseco secundùm impetum naturæ, vt grauia & leuia, non mouentur liberè, quia natura præueniens ab extrinseco cum impetu mouet ea, hæc necessitas includit subiectionem. Alia est necessitas spontanea in actu, non præueniens, & illa stat cum libertate.

Collatio XVI.

Vtrùm apprehenso in vniuersali fine vltimo voluntas possit non velle illum?

1.  I c o quòd *velle* sumitur largè pro quacunque inclinatione impressa, siue à Deo, siue à quocunque in ea; vnde potest aliquid esse impressum in voluntate, non quòd elicit *velle*, sed quo inclinat *velle*.

Contrà, illud impressum est velle aliquo modo; vnde Augustinus super illud: *Inclina cor meum: cor inclinari est velle*; sed delectatio est inclinatio: ergo *velle* consequenter sumitur pro inclinatione, siue delectatione, aliquando pro actu elicito, & non est tantùm actus elicitus: ergo *velle* sumitur largè pro omni inclinatione passiua, impressa à Deo, & sic inclinatio non est in potestate voluntatis: quoniam secundùm Augustinum, non est in voluntate nostra, *quin visis tangamur*; vnde aliqua passio fit in voluntate, quæ non est in potestate voluntatis.

Similiter Anselmus *de concord. & praedest.* Deus impressit affectiones in voluntate, per quas quodammodo inclinatur ad aliud, sic non est actus elicitus, sed passiua inclinatio.

2. *An voluntas potest nolle bonum in cõmuni.*

Similiter sumitur *velle* pro actu elicito. Sic igitur sumpto potest dici, quòd voluntas apprehenso fine in vniuersali, potest non velle illum vno modo, quia licèt idem sit bonum in communi, & in particulari, etsi sit apprehensum in communi, non tamen in particulari: & sic ab illo potest voluntas auerti. Alio modo potest intelligi, quòd voluntas non potest velle oppositum boni in communi apprehensi, & nolle illud, scilicet bonum in communi: sed hoc est impossibile secundùm Augustinum 14. *de Trinit. cap.* 8. *& in Enchirid. cap. nono.*

Aliter potest intelligi, quòd voluntas est ibi libera ad actum, scilicet elicere, vel non elicere, ita quòd bono in communi apprehenso voluntas est in potentia actum omnem suspendere, & ita nolle, nec velle.

Contrà, illud *suspendere*, vel est agere, vel non; si est agere, ergo dicis opposita, quia sic suspenderet etiam omnem actum suspendendi: si non est agere.

Contrà; impressio facta ab obiecto in voluntate est pondus, & inclinatio; sed omne pondus inclinans necessitat inclinatum suum, nisi inclinatum renitatur, sed non renititur, nisi per actum, &c. 3.

Item, si voluntas non esset libera, tale pondus in ea necessitaret eam; sed si voluntas nullam libertatem exerceat agendo, sic se habet pondus ad eam, vt non liberam: ergo necessitat eam.

Item, si potest nullum actum exercere, hoc est inquantum libera, & tunc includitur in ratione libertatis posse non velle: hoc est falsum: voluntas enim Dei semper est in actu, & tamen est libera.

Voluntas Dei semper est in actu, tamen est libera.

Ad primum in oppositum; nihil tam subest voluntati, sicut voluntas; sed sicut actus intellectus est in potestate voluntatis, ita voluntas, quare potest diuertere actum volendi, sicut intelligendi, non tamen omnem actum suspendere.

Ad aliud; agens ita, quòd per nullam potestatem potest non agere; necessariò agit; voluntas autem potest diuertere intellectum, & se, & per consequens ad aliud; ideò licèt necessitetur, stante consideratione, non tamen simpliciter, sicut visus à colore, vel luce, & sic nullum actum elicit, quia nullum actum elicit, nisi per aliquid impressum ab obiecto, & ideò æquè, vt videtur, necessitatur respectu omnium; sed impressum in voluntate est tantùm inclinans, ideò voluntas nunquam necessitatur ab obiecto, tamen magis inclinatur respectu finis, quàm respectu alterius obiecti; ita quòd non potest ferri in oppositum, licèt sic possit diuertere ab eo, non tamen repudiando.

Volũtas nunquam necessitatur ab obiecto.

Ad argumentum 15. *de Trinit. cap.* 41. & Anselmus *Cur Deus homo lib.* 1. *cap.* 7: Beati Angeli non possunt peccare, cuius oppositum videtur tenere. Si enim possunt non velle, possunt peccare peccato omissionis. Et isti dicerent forte, licèt deliberatæ voluntatis possunt non velle Deum, tamen quia Deus tenet eos in Beatitudine, vt efficiens, non possunt peccare. 4.

Aliqui assignant causam, quare non possunt peccare Beati à parte voluntatis.

Aliqui dicunt, quòd causa est voluntas Dei confirmans, & efficiens, ita quòd non possunt velle oppositum illius, quod Deus vult. Hoc habetur secundùm Augustinum 12. *Confess. & 22. de Ciuit. cap. vlt.*

Alij dicunt causam ex parte obiecti Beatitudinis, non vt efficiens: intellectus enim beatus videt diuinam essentiam per essentiam: quia Deus per essentiam præsens est intellectui beato; ideò quomodocunque verterit se, videt Beatus Deum, ex quo potest videre Deum per essentiam, & Deus est vbique, ideò quocunque verterit se, videt Deum: ergo si voluntas Beati habentis Deum præsentem in intellectu informata charitate, potest non velle Deum, hoc est, vel nullum actum eliciendo erga Deum; hoc improbatum est priùs, aut diuertendo intellectum non cogitando de Deo;

Deo; hoc improbatum est modò, quia quocunque vertitur ad videndum alia, etiam in genere proprio, videt Deum: aut hoc est, quia potest nolle Deum in præponendo aliud sibi, hoc impossibile. Probatio, quia quando voluntas præponit aliquid alij, vel non vult aliquid, hoc est, propter aliquod *cur*, secundùm Anselmum de veritate, sed Deo viso per essentiam nulla potest apparere ratio nolendi ipsum, vel præponendi aliquid sibi. Probatio, quia hoc non esset, nisi quia hoc cui aliquid præponitur est malum simpliciter, vel quia non est bonum in se, sed aliud est simpliciter bonum, sed alterum melius, vel quòd sint æqualia bona. & voluntas potest præponere vnum alteri: sed nullum istorum contingit in proposito, quia omne bonum includitur in hoc bono, melius quàm in se.

An voluntas potest praeponere aliquid Deo, & quo modo non?

Ad argumentum illorum idem principium actiuum, & eodem modo se habens, non aliquando elicit actum contingentem, aliquando necessarium; dico hoc est, per mutationem in alio factam, quàm in principio, vel obiecto. Principium priùs agens contingenter pòst necessariò agit, vt moriens in charitate est Beatus, voluntas non mutatur, nec charitas, nec obiectum; diligam tunc Deum, sicut modò, tamen tunc necessariò, modò contingenter propter realem mutationem factam in intellectu; fides modò erit tunc visio, tamen obiectum non mutatur, sed alio modo se habet ad voluntatem.

5. *Idem principium, quomodo potest nunc liberè, nunc necessariò elicere actum.*

Ad secundum, si voluntas fertur necessariò in patria in Deum, quid facit necessitatem? dico non potest non velle Deum ibi, neque nullum actum exercendo circa hunc, sed circa alium exercendo, neque adimendo. Causa primi est, quia non posset, nisi per libertatem hoc, & tunc per exercitium, & ita per actum. Causa secundi est, quia intellectus semper est præsens voluntati, mouens, & imprimens, quia non potest per libertatem non imprimere, & inclinare ad velle Deum; patet prius, ideò respectu illius non est liber. Similiter causa tertij est idem.

SCHOLIVM.

Resolutio huius collationis eadem est cum resolutione trium collationum præcedentium: nihil ergo addendum occurrit.

COLLATIO XVII.

Vtrùm voluntas necessariò velit vltimum finem sibi ostensum à ratione?

Doctores citati 1. *dist.* 1. *quæst.* 4.

SCHOLIVM.

Tota hæc collatio tractat de refutatione cuiusdam rationis (quâ D. Thom. probat voluntatem necessitari ad amandum vltimum finem, in communi ostensum, quia scilicet, nihil ibi est mali) quam reiicit Doctor 1. dist. 1. q. 4. à n. 5. varijs rationibus, quarum vna est, quòd sequeretur voluntatem necessitari ad continuationem considerationis vltimi finis, quod est contra experientiam. Hanc rationem mira subtilitate prosequitur, conuellens omnes responsiones, (vt videtur) quæ humanitus possent excogitari. Solutiones, & replicæ sunt clarissimæ, & subtilissimæ, habetur ferè tota substantia huius collationis in additione longa, 1. d. 1. q. 4.

1. DICITVR quòd sic: quia illud in se habet omnem rationem appetibilis, & nullam rationem fugibilis: ergo necessariò appetitur à voluntate: nam ideò voluntas non necessariò, sed variabiliter vult aliud, quia rationem aliquam fugibilis habet, & non habet rationem appetibilis; sed vltimus finis est huiusmodi: hîc enim vocamus vltimum finem, quod continet in se omnem rationem appetibilis, vel appetiuitatis, & nihil fugibilis; ideò voluntas necessariò vult vltimum finem in vniuersali acceptum vt bonum sub ratione boni.

Nihil habens mali, an necessariò appetitur.

Contrà; omne agens necessariò, eadem necessitate, qua agit, remouet prohibens, si sit in potestate sua ipsum amouere, vt patet de graui superposito trabi; sed impediens voluntatem ad volendum vltimum finem, est non consideratio intellectus: si igitur voluntas necessariò vult vltimum finem, necessariò amouebit impedimentum non considerationis, conuertendo necessariò intellectum ad considerandum vltimum finem: ergo intellectus necessariò considerabit vltimum finem, quod est impossibile.

de hoc 1. d. 1. q. 4.

Dicitur, quòd maior, si vera est, veritatem habet de agente necessariò, quod eadem actione agit propriam actionem, & remouet prohibens, vt patet exemplo de graui, quod eâdem actione, quâ mouet deorsum, frangit trabem, si potest. 2. *Responsio.*

Nunc autem voluntas aliâ actione vult vltimum finem, & aliâ intellectum intelligere vltimum finem, cui imperat considerare vltimum finem, & ideò non oportet, quòd necessariò velit intellectum intelligere vltimum finem, licèt necessariò velit vltimum finem sibi ostensum.

Contrà, maior probatur, siue tale agens agat propriam actionem, & amoueat prohibens vnâ actione, siue duabus; quoniam agens, quod necessariò agit, necessariò amouet omne incompossibile impediens suam actionem, sine cuius amotione non potest agere, si potest illud amouere; quia si potest illud incompossibile impediens amouere, & non necessariò amouet; tamen non potest agere stante illo incompossibili impediente, sequitur quòd illud agens non necessariò agit, quantum est ex parte sui, & hoc patet de igne necessariò calefaciente, qui non potest calefacere, nisi desiccando, auferendo humidum impediens, necessariò desiccat, licèt aliâ actione desiccet, & calefaciat: si igitur voluntas necessariò velit, quantùm est ex se, vltimum finem, & non potest illum velle, nisi considerando ipsum, sequitur quòd voluntas necessariò mouebit intellectum ad considerandum vltimum finem.

Replica.

Si voluntas necessariò vellet vltimum finem, necessariò faceret intellectum semper illum considerare.

Præterea, quod dicitur posteà, quòd aliâ volitione voluntas vult finem vltimum, & intellectum intelligere ipsum, hoc non est verum, quia secundùm Augustinum eodem actu, quo voluntas complacet sibi in obiecto aliquo, copulat potentiam cum ipso obiecto, sicut eodem actu quo voluntas delectatur in videndo aliquod obiectum, vult visum videre illud obiectum, & copulat visum cum tali obiecto: ergo eodem actu voluntas vult finem vltimum, & intellectum intelligere finem vltimum.

3. *An eodem actu voluntas vult finē, & considerationem eius.*

Ad primum horum, quòd agens, quod necessariò agit, necessariò amouet impediens actionem suam, licèt aliâ actione. Dicitur quòd hoc est verum, quando agens secundùm eundem modum fertur in vtrumque, cuius oppositum accidit in proposito, quia secundùm alium modum voluntas fertur in finem, & secundùm alium in ea,

Responsio.

ea, quæ ſunt ad finem: quia liberè in ea, quæ ſunt ad finem, ſed neceſſariò in finem.

4. *Replica.* Contrà, maior illa probatur vniuerſaliter ſic, ſi aliqua extrema ſunt connexa per aliqua media, ſi illa connexio extremorum ſit neceſſaria, oportet quòd media, ex quibus dependet connexio extremorum, ſint neceſſaria, quia ſi iſta media eſſent contingentia, & connexio ex illis dependens neceſſaria, neceſſarium dependeret à contingenti, quod eſt impoſſibile: ſi igitur voluntas, & obiectum, quod eſt vltimus finis, neceſſariò connectuntur, connexio habet media præcedentia, ex quibus dependet, vt actum voluntatis, & actum intellectus, ſequitur quòd actus intellectus reſpectu eiuſdem obiecti, erit neceſſarius.

Reſpõſio ſubtilis ad arg. in prima replica. Dicitur quòd neceſſitas duplex eſt, abſoluta, & conditionis, ſiue præſuppoſitionis, & conſequentiæ; quando autem aliqua extrema connectuntur neceſſariò neceſſitate abſolutâ per aliqua media, oportet quòd illa media ſint neceſſaria, ſicut probat ratio; ſed quando extrema connectuntur in neceſſitate non abſoluta, ſed conditionata, vt ſtante medio prædicto, tunc non oportet media eſſe neceſſaria abſolutè. Sic autem eſt in propoſito, quòd voluntas non vult finem vltimum neceſſariò neceſſitate abſolutâ; tunc enim ſemper vellet finem vltimum, ſed tantùm neceſſitate conditionata: puta dum intellectus oſtendit voluntati obiectum, quod eſt finis vltimus. Vnde non quæritur, an voluntas neceſſariò velit finem vltimum, ſed an neceſſariò velit finem vltimum ſibi oſtenſum ab intellectu. Et per hoc patet reſponſio ad rationem principalem. Omne agens neceſſariò neceſſitate abſolutâ, eâdem neceſſitate remouet prohibens; ſi autem neceſſitate conditionatâ, tunc non neceſſariò remouet prohibens.

5. Contrà, omne agens neceſſarium agit per principium ſibi intrinſecum; ſed actus intelligendi, quo oſtenditur voluntati vltimus finis, non eſt principium intrinſecum voluntati: ergo voluntas non neceſſariò vult vltimum finem, propter oſtenſionem eius in intellectu.

Agens neceſſarium conditionatè, quantum eſt de ſe, tollit prohibens, vt in exemplo. Præterea, ratio prior adhuc videtur ſtare, agens, quod neceſſariò agit quantùm eſt ex natura ſua, licèt non abſolutâ neceſſitate agat, eadem neceſſitate abſoluta, ſi poteſt, remouet prohibens; ſicut ignis, qui agit non neceſſitate abſolutâ, quia ſic ſemper ageret, nec ſua actio tunc poſſet impediri, ſed neceſſitate conditionatâ, vt ſi paſſum diſpoſitum ſit ſibi approximatum, quod quantùm eſt ex ſe neceſſariò agit, eâdem neceſſitate amouet impediens ſuam actionem, ſi poteſt. Et probatur, ſicut primum, quia ſi poteſt impediens ſuam actionem amouere, & non neceſſariò amouet, ideò contingenter ſe habet circa amotionem illius: cùm igitur actio ſua propria circa proprium obiectum dependeat ex actione illius, ſequitur quòd contingenter ſe habeat ad ſuam actionem propriam ex ſe, & non neceſſariò, quantum eſt ex ſua natura; ſed voluntas quantum eſt ex ſua natura fertur in vltimum finem ſecundùm hanc opinionem, ita quòd quantum eſt ex parte ſua, neceſſariò vult finem vltimum: ergo quantum eſt ex parte ſua, neceſſariò amouet non conſiderationem intellectus, impedientem actionem ſuam, conuertendo neceſſariò intellectum ad conſiderandum de vltimo fine.

6. Confirmatur hæc ratio ſub alia forma ſic: agens, quod neceſſariò agit, quantum eſt ex parte ſua; eadem neceſſitate facit obiectum ſuum ſibi eſſe præſens, ſi poteſt, ſine quo non agit, vt patet de igne, qui, ſi poteſt, neceſſariò faceret combuſtibile ſibi eſſe præſens: & hoc patet etiam de magnete, quòd eâdem neceſſitate attrahit ſibi ferrum, quâ agit in ferrum, coniungendo ipſum ſibi: ſi verò voluntas quantum eſt ex parte ſua neceſſariò vult vltimum finem, eadem neceſſitate faciet illud obiectum, quod eſt vltimus finis, ſibi præſentari per intellectum, cùm hoc poteſt: ergo neceſſariò tenebit intellectum in conſideratione vltimi finis, quantum eſt ex ſe, ſicut magnes tenet ferrum. *Appoſitum exemplum.*

Reſponſio. Ad primum iſtorum dicitur, quòd agens, quod neceſſariò agit, quantum eſt ex parte ſua, agit per principium intrinſecum ſibi completiuè, tamen poteſt agere per principium extrinſecum diſpoſitiuè, & ſic voluntas agit diſpoſitiuè per intellectum ſibi oſtendentem vltimum finem.

Replica. Contrà; agens, quod in ſe habet totam cauſam ſuæ actionis, non dependet ab alio in agendo; ſed voluntas, ſi neceſſariò vult vltimum finem, habet in ſe totam cauſam ſuæ actionis, quia ipſa ſola agit ſuam actionem, & eandem recipit; igitur in agendo ſuam actionem non dependet ab intellectu.

Reſponſio. Dicitur, quòd agens, quod habet in ſe totam cauſam ſuæ actionis completiuam & diſpoſitiuam, non dependet ab alio: ſed ſic non eſt in propoſito: cùm actio intellectus ſit diſpoſitiua reſpectu actionis voluntatis.

Replica. Contrà: neceſſitas agendi principalis agentis totaliter eſt in principali agente: quia ſi non totaliter, ſed partim in principali agente, & partim in extra; ergo agens principale, neceſſariò ageret per illud, quod eſt extra ipſum, quod eſt impoſſibile.

Ad illud principale poteſt dici ſic, quòd aliquod agens eſt, quod ex natura ſua ſic neceſſariò agit, quòd propriam actionem impedire non poteſt, nec directè, ſuſpendendo propriam actionem, nec indirectè agendo circa aliud, quod impedit actionem circa proprium obiectum, & de tali agente vniuerſaliter videtur eſſe verum, quòd agens, quod ex natura ſua neceſſariò agit, neceſſariò amouet impedimentum ſuum, ſi poteſt, ſicut patet in omnibus naturaliter agentibus. Aliquod verò eſt agens, quod neceſſariò, quantum eſt ex parte ſua, agit circa aliquod obiectum, circa quod, licèt directè non poſſit impedire propriam actionem, eam ſuſpendendo, (quia hoc includit contradictionem, quod aliquod agens neceſſariò aget, quantum eſt ex natura ſua, & tamen quòd ex natura ſua poteſt ſuſpendere propriam actionem directè) tamen poteſt propriam actionem impedire, agendo circa aliud, & huiuſmodi agens eſt ſola voluntas, quæ quantum eſt ex parte ſui, neceſſariò tendit in vltimum finem in vniuerſali ſibi oſtenſum: quæ licèt non poſſit propriam actionem impedire, eam directè ſuſpendendo, tamen poteſt eam indirectè impedire, agendo circa intellectum præcipiendo ſibi de vltimo fine non conſiderare, conuertendo ipſum ad aliud intelligendum: & ſic, quia non eſt tunc vltimus finis cognitus, non poteſt voluntas illum velle. Et per hoc ad maiorem rationis eſt dicendum, quòd agens, quod ſic neceſſariò agit ex ſe, quòd in poteſtate ſua non eſt impedire propriam actionem directè, nec indirectè, eadem neceſſitate amouet 7.

amouet impedimentum suæ actionis: sed non est verum de agente, quod sic necessariò agit, quòd in potestate sua est indirectè suam actionem impedire, cuiusmodi est voluntas.

8. *Replica.* Sed contra hoc arguitur; agens, quod ex natura sua necessariò per actionem suam tendit in obiectum determinatum, quantum est de se, non potest auertere se ab actione respectu talis obiecti: hæc enim videtur esse manifesta, quia prædicatum includitur in subiecto: si enim agens, quantum est de se possit auertere se ab actione circa vnum obiectum de se, quantum est de natura sua, non determinatur ad actionem respectu illius obiecti; sed voluntas volens vltimum finem sibi ostensum ex voluntate sua, potest auertere se ab actu volendi vltimum finem, quia potest impedire intellectum, vt non consideret vltimum finem, sed aliud obiectum, vt concessum est, & ita potest se auertere à volitione vltimi finis; igitur voluntas ex sua natura, quantum est de se, non determinatur ad volendum vltimum finem necessariò.

Voluntatem non necessitari circa finē, aut considerare necessariò finem.

Præterea: voluntas volens vltimum finem sibi ostensum, potest ex se velle, & non velle vltimum finem sibi ostensum: consequentia probatur ex opposito, quoniam si voluntas de necessitate vult aliquid, quantum est ex se vult se velle illud. Antecedens probatur: quia voluntas volens vltimum finem sibi ostensum potest auertere intellectum à consideratione illius finis ostensi; sed non auertit intellectum à consideratione vltimi finis, nisi quia vult se non velle vltimum finem, sed aliud obiectum: quamdiu enim se vult velle vltimum finem; intellectum non auertit à consideratione vltimi finis: ergo voluntas vltimum finem ostensum sibi potest ex se velle se non velle illud.

Ergo nō vult illum necessariò.

Præterea, omnis potentia attingens suum obiectum formale per actum attingit ipsum secundùm rationem formalem; & propriam ipsius potentiæ; sed potentia volitiua secundùm rationem suam formalem libera est, & ad vtrumlibet se habens in eliciendo actum; per hoc enim distinguitur à potentia intellectiua, quæ de se non est libera, nec ad vtrumlibet se habens, nisi quatenus determinatur per voluntatem; obiectum autem formale voluntatis est bonum: ergo voluntas per actum suum liberè attingit bonum sub ratione boni, liberè ad vtrumlibet, ita quòd potest illud velle, & non velle, quando est sibi ostensum.

SCHOLIVM.

Reijcit rationem D. Thomæ, quia si valeret, multò magis probasset, quòd vltimus finis in particulari necessitaret, quod tamen ipse negat; quia secundùm fidem ostenditur ille finis sine omni defectu, & ratione mali. De hoc agit Doctor contra D. Thomam 1. dist. 1. quæst. 4. num. 13 si concedatur hæc consequentia, quæ negari non potest, adducit Doctor multa absurda in contrarium: & varias confirmationes imaginabiles refutat solidissimè, num. 13. disputat an Deus velit peccatum, sicut nos. De quo vide ipsum hoc explicantem, 2. dist. 37. quæst. 1. à num. 6. & quæst. 2. à num. 9. causa Deus materiale peccati, sed tota deordinatio à nobis est.

9. PRæterea, arguitur contra rationem positionis, quòd non concludat: quia si voluntas ideò non potest non velle finem vltimum sibi ostensum, quia in ipso non est aliqua ratio fugibilis: sed omnis ratio appetibilis, cùm intellectus informatus habitu in lumine fidei ostendit voluntati finem vltimum in particulari, & hoc sub ratione summi boni, in quo est omnis ratio appetibilis, & nulla ratio fugibilis, sequitur quòd voluntas non potest non velle vltimum finem in particulari sibi ænigmaticè cognitum. Consequentia patet, quia intellectus in lumine fidei certitudinaliter ostendit voluntati Deum, vt est vltimus finis; nec de hoc plus dubitat, quòd Deus trinus & vnus habeat in se rationem omnis appetibilis, & nullam rationem fugibilis, quàm de fine vniuersali: & etiam cognoscens finem vltimum, sic in particulari perfectiùs cognoscit, quàm solùm cognoscens in vniuersali ipsum. Si igitur voluntas non potest non velle vltimum finem sibi ostensum in vniuersali, multò fortiùs non potest non velle vltimum finem sibi in particulari ænigmaticè cognitum, quod tamen negat Doctor istam opinionem tenens.

Si finis vltimus in vniuersali necessitat, idem faciet in particulari. contra D. Tho. de quo 1. d. 3 q. 4.

Quòd si concedas conclusionem: contrà, per eandem naturam, per quam mouetur quis in finem, quiescit in fine: si ergo voluntas mouetur necessariò ex se in finem vltimum in particulari, vt in Deum: ergo necessariò quiescit in isto, ita quòd non potest non velle istum, & ita non potest voluntas auelli à dilectione Dei, & sic fit confirmatus in bono. *Replica.*

Præterea; omne, quod mouetur ex se in aliquid, mouetur in illud secundùm modum naturæ suæ; si igitur voluntas moueatur necessariò in finem vltimum, & contingenter in ea, quæ sunt ad finem; sequitur quòd non erit eadem potentia, & natura: quoniam eadem natura non potest esse principium agentis necessariò, & contingenter, quantum est ex se.

Eadem natura non potest esse principiū liberum, & necessarium.

Confirmatur per Philosophum 6. *Ethicor.* vbi dicit, quòd ad ea quæ sunt altera genere, sunt alteræ particulæ animæ, & ideò contingit, quòd *scientificum* alia particula est, quàm *ratiocinatiuum*, quia *scientificum* est circa necessarium, & *ratiocinatiuum* circa contingens: si igitur voluntas necessariò se habeat circa finem vltimum, qui est ens necessarium, & contingenter circa ea quæ sunt ad finem, quæ sunt contingentia; sequitur quòd voluntas non erit vna potentia. 10.

Præterea, Philosophus probat 8. *Physic.* quòd grauia, & leuia non mouentur à se. quia tunc ex se starent, & essent principium sui status ex se circa terminum, sicut animalia: igitur à simili, & per eandem rationem, cùm voluntas moueat se liberè finem vltimum, voluntas posset habere principium sui status, circa finem vltimum, ita quòd posset non velle illum.

Præterea: Philosophus arguit contra Platonem 1. *de Anima:* quòd intellectus non sit circulus, quia tunc intelligentia esset circulatio.

Ex quo accipitur, quòd si natura esset eadem natura, actus est idem cum actu; si ergo voluntas necessariò volens vltimum, sit eadem cum volente contingenter, ea quæ sunt ad finem, tunc actus respectu finis erit eiusdem rationis cum actu respectu eorum quæ sunt ad finem, & ita si vnus est liber, contingens. & alter erit.

Præterea, si voluntas, quantum est ex se, necessitetur ad volendum bonum sub ratione boni; sequitur quòd non potest non nolle malum sub ratione mali. Consequentia patet: aliter enim simul posset velle aliquid sub ratione boni, & mali:

mali: consequentis falsitas probatur multipliciter.

Primò sic: malum peccati secundùm rationem propriam peccati per se respicit libertatem voluntatis, quia secundùm Augustinum, *Peccatum est adeò voluntarium, quòd non est peccatum, si non est voluntarium:* ergo peccatum sub ratione peccati est voluntarium: sed peccatum sub ratione peccati malum est: ergo voluntas potest velle aliquid sub ratione mali.

An voluntas velit malum quà tale.

Confirmatur, actus malus peccati, inquantum peccatum est, aut est voluntarium, aut non; si sic, habetur propositum, quòd voluntas velit malum sub ratione mali; si non sit voluntarium, vt malus: ergo actus vt malus non est peccatum.

An peccatum quà tale est volitum.

Præterea; voluntas respuit malum, aut sub ratione mali, aut sub ratione boni. Si secundo modo, ita quòd nolit malum sub ratione boni: ergo ratio bonitatis est causa nolendi aliquid, & per consequens voluntas non necessariò vult bonum sub ratione boni.

12. Si nolit malum sub ratione mali; contra cuilibet potentiæ secundùm actus suos correspondet vnum obiectum formale sibi adæquatum; sed actus nolendi est actus positiuus, sicut actus volendi: ergo voluntas habebit vnum obiectum positiuum sibi proportionatum, & adæquatum secundùm vtrumque actum. Non igitur actus volendi erit respectu mali, scilicet sub ratione mali, & velle respectu boni.

An voluntas habeat vnum obiectum, abstrahens à bono, & malo.

Præterea: si voluntas creata, & humana non posset velle nisi bonum verum, aut bonum apparens, & nō malum per se: nec per se deordinationem in actu peccandi, tunc non posset plus peccare voluntas creata, quàm voluntas diuina, & increata. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Probatio consequentiæ, omnia volibilia à nobis sunt etiam volibilia à Deo; ergo quicquid bonitatis, & entitatis substratæ est in quocunque actu volendi vitiosè, est volitum à Deo, sicut à nobis: si igitur voluntas nostra creata non potest velle per se deordinationem, & deformitatem in actu volendi vitioso, non potest plus voluntas nostra ferri in illam deordinationem, quàm voluntas diuina increata, & per consequens non potest plus peccare in volendo illam deformitatem, quàm voluntas diuina.

13. Confirmatur per hoc, quòd quicquid est per se volitum ab aliqua voluntate, quod est coniunctum sibi, est per accidens volitum ab eadem voluntate: sicut si visus per se videat aliquod visibile, vt coloratum, videt per accidens, accidens quod est coniunctum per se visibili: vt musicum & diaphanum, & probatur: quia nisi volens aliquid per se, & per accidens, voluit illud quod coniungitur volito per se; tunc voluntas nostra volens per se actum vitiosum, quantum ad substantiam actus, non oporteret quòd per accidens voluerit deordinationem in actu, & ita non peccaret: igitur voluntas diuina volens per se actum quemcunque nolendi, quantum ad bonitatem in actu, per accidens vult priuationem in actu; si igitur voluntas nostra non peccet, nisi quia per accidens vult priuationem difformitatis in actu: sequitur quòd non plus peccet voluntas nostra, quàm diuina, quia non alio modo vult actum vitiosum, quàm voluntas diuina.

An voluntas diuina velit per accidens deordinationem annexā actui, sicut nos.

Item, ad confirmationem eiusdem rationis, arguitur: quia non videtur quòd voluntas sit per se principaliter damnata propter illud, quod est per accidens volitum per voluntatem; cùm potentia correspondeat actui culpabili: cùm igitur voluntas damnetur propter volitionem malum; sequitur quòd illic actus non sit respectu obiecti mali per accidens, sed per se.

Præterea: in Angelis malis, & damnatis Deum odientibus, odium Dei est apprehensum, & ostensum voluntati eorum odienti Deum. Aut igitur volunt odium Dei sub ratione mali, & habetur propositum, quòd malum sub ratione mali possit esse volitum; aut est volitum sub ratione boni; quod si concedat: quia non apprehendunt odium Dei sub ratione boni: tunc enim errarent in intelligendo, & sic plus errarent, quàm nos: quia non apprehendimus sub ratione boni, nec etiam sub ratione alicuius boni potest apprehendi, cùm amor Dei sit per se bonum, & odium sit per se malum. 14.

Odium per se malum, sicut amor bonum.

Item, apprehenso vltimo fine per intellectum, voluntas necessariò delectatur; quia delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti, & dum summum bonum ostenditur voluntati, necessariò est talis coniunctio, tum quia delectatio causatur ab obiecto, & tunc obiectum est præsens, sed delectatio, vel est dilectio, vel ipsam concomitans: quia apprehenso vltimo fine voluntas necessariò diligit illud.

Item, apprehenso malo sub ratione mali, voluntas necessariò restringit, & tristatur, si est imminens: ergo apprehenso bono sub ratione boni, voluntas necessariò diligit.

COLLATIO XVIII.

Vtrùm voluntas per aliquid aliud à se, vt per habitum gratiæ, & gloriæ possit necessitari, vt possit non velle finem vltimum sibi clarè ostensum?

Doctores citati *Collat.* 14.

SCHOLIVM.

Probat efficaciter, & clarè, per habitum voluntatis in patria minimè necessitari voluntatem; & refutat pulcherrimè solutiones aliorum, quas vel imaginari possint, de quo agit 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. *num.* 13. *è contra D. Thom. & Henric.*

DICITVR quòd per obiectum, qui est finis vltimus sibi clarè ostensus, necessitatur voluntas ad eliciendum actum volendi circa illud obiectum, ita quòd non possit non velle obiectum illud, dum est sibi ostensum: quia illud obiectum habet in se omnem rationem boni, & appetibilis. Per habitum verò charitatis, aut gratiæ necessitatur, vt non possit non velle illud, volendo contrarium, vt malum; ita quòd per habitum charitatis necessitatur in patria, vt non possit auerti ab vltimo fine sibi clarè ostenso. 1.

Sed contra hoc arguitur; quoniam illud, quod immobilitat aliud, videtur habere rationem dominij respectu illius; si igitur aliquis habitus possit immobilitare, & necessitare voluntatem, vt necessariò velit vltimum finem sibi ostensum clarè; sequitur quòd aliquid creatum habeat dominium supra libertatem voluntatis, quod falsum est: quia immediatè subditur Deo.

Refutatio.

Responsio. Dicitur quòd habitus solùm immobilitat voluntatem, ne possit tendere in malum, & auerti ab vltimo fine, nunc autem posse velle malum, non est libertas, nec pars libertatis, immò immobilitare voluntatem ad bonum, nec possit tendere in malum, non est dominari libertati eius.

2. *Replica.* Contrà: si voluntas immobilitetur, & necessitetur per habitum charitatis; aut ergo ad necessariò volendum vltimum finem clarè ostensum; aut igitur habitus respectu voluntatis est vt agens instrumentale: aut vt agens principale. Si vt agens instrumentale; igitur voluntas non necessitatur per charitatem, quia agens principle non necessitatur per instrumenta. Nec etiam est vt agens principale voluntatis, quia tunc voluntas principaliter non eliceret actum tendendi in finem vltimum; sed charitas, aut gratiæ habitus; & ita habitus principaliter præmiaretur, & non voluntas.

Voluntatem nullo modo, necessitari per charitatem.

Responsio. Dicitur quòd voluntas per habitum charitatis, aut gratiæ non immobilitatur, vt per agens prius principale, nec vt per agens instrumentale: sed tanquam per principium habilitandi, & perficiendi libertatem voluntatis in bono.

Replica. Contrà: si voluntas sit de se indifferens respectu *A*, & *B*, & adueniente habitu charitatis, vt in patria, determinata sit, & immobilitata, & necessitata ad *B*, ita quòd non possit in *A*: necesse est, vt habitus in hoc sit agens, & principium agendi principale: quia cùm voluntas, & habitus charitatis, siue gratiæ concurrant ad necessariò eliciendum actum respectu *B*, oportet quòd voluntas sit principale agens, & charitas secundarium, aut è contra. Et ne fiat calumnia in verbo *agendi:* dicatur oportet, quòd voluntas sit principale principium, quo eliciatur actio, & charitas secundarium, aut è contra: si voluntas sit principium principale, quo agens agit in istam actionem; ergo ad actionem illam non necessitatur per charitatem: quia nunquam principium secundarium agendi immobilitat, aut necessitat principale agendi principium.

Principium minus principale, non necessitat principale.

3. *Agente principali necessariò agente, minus principale non agit liberè.* Si dicatur, quòd charitas sit vt agens principale, siue vt principium agendi principale, & voluntas vt principium agendi secundarium; sequitur hoc inconueniens, quòd voluntas omnino per modum naturæ tendet in vltimum finem, & nullo modo liberè, nec rationale: quoniam quando agens principale necessariò agit, agens secundarium necessariò aget: quia cùm agens secundarium dependeat à principali agente, nec agit, nec mouet, nisi inquantum mouetur ab agente principali; sed agens principale necessariò agit, & mouet, & agens secundarium necessariò mouetur: cùm igitur agens principale mouet, secundarium non mouetur, nisi quia mouetur ab agente principali, sequitur quòd secundarium agens necessariò mouebit, si principale agens necessariò mouet. Si habitus charitatis, & gratiæ necessariò mouet, & inclinat, & necessariò est principium mouendi: quia non est forma libera, sed necessariò determinata ad vnum. Si igitur voluntas sit principium secundarium agendi respectu gratiæ; sequitur quòd necessariò mouebit, & per modum naturæ, sicut habitus per modum naturæ inclinat in finem.

Agens principale, manens tale, non necessitatur ab alio. Fiat igitur ratio sic in forma: agens principale manens agens principale, quocunque sibi addito, se habet mobiliter, sicut priùs; sed voluntas informata habitu charitatis, aut gratiæ in patria, est agens principale; igitur immobilitanda se habet, sicut priùs ante aduentum gratiæ. Maior probatur per prædicta: quoniam agens principale eo ipso quòd est agens principale, non mouetur ab alio: ergo eo ipso quòd est agens principale immobiliter se habet ad suam actionem, sicut priùs: impossibile est enim quodcunque aliud à principali agente immobilitare principale agens.

Præterea arguitur ad principale, & contra positionem, quòd voluntas non necessitatur ad volendum vltimum finem per habitum charitatis, & gratiæ: quia priùs natura oportet obiectum beatificum ostendi voluntati, quàm voluntas per habitum inclinet in illud: sed in illo priori instanti naturæ, cùm obiectum beatificum sit ostensum, vt continens omnem rationem boni, & appetibilis, necessitat voluntatem ad eliciendum actum volendi circa ipsum: ita quòd non possit non velle ipsum: ergo in illo instanti voluntas non potest auerti ab eo: igitur in secundo instanti naturæ habitus non necessitat voluntatem, ne auertatur. 4.

Arguit secùndùm mentem aliorum.

Præterea, principium principale agens ex necessitate habet necessariã habitudinem ad actionem illius agentis, quia cùm agens non agat, nisi per principium agendi, oportet quòd qualem habet agens ad actionem suam necessariam, vel contingẽtem, quòd talem habeat habitudinem principium agendi ad illam actionem; sed voluntas Beati in patria est vt agens eliciens actum volendi, quo tendit in Deum, aliter non esset liber: igitur si Beatus in patria necessariò se habeat ad volendum vltimum finem, ita quòd non possit non velle illum; sequitur quòd principium agendi illius actus, quod est voluntas, de se, necessariò se habeat ad istum actum: ergo frustrà videtur ponere aliquem habitum, vt voluntas immobiliter & necessariò tendat in finem vltimum.

Si Beatus necessariò amaret, voluntas absolutè esset potentia necessaria.

Præterea: sicut materia se habet ad formam, & actum, ita potentia videtur se habere ad obiectum; quia sicut forma est determinatiua & actuatiua materiæ, ita obiectum determinat, & actuat potentiam; sed materia non potest ita perfici, nec actuari per vnam formam, quin appetat aliam, & sit indifferens ad aliam: igitur nec similiter potentia volitiua potest sic determinari per quodcunque obiectum sibi tale ostensum, quin adhuc sit mobilis & indifferens ad aliud obiectum volendum. 5.

Obiectum ad potentiam, sicut forma ad materiam.

Præterea, non videtur quòd aliquis habitus habeat maiorem rationem immobilitandi, & necessitãdi voluntatem, quàm aliquis habitus respectu alterius potentiæ, cùm voluntas sit potentia magis libera, quàm aliqua alia potentia: sed habitus existens in intellectu non potest sic necessitare intellectum in actu sciendi, quin aliquando possit impediri ab actu intelligendi, vnde secundùm Philosophum habens habitum scientiæ potest impediri ab actu considerandi; ergo multò fortiùs, vt videtur, voluntas non potest necessitari ab aliquo habitu, ita quòd per illum necessariò habeat actum respectu obiecti illius habitus, & sic non videtur, quòd voluntas per habitum charitatis necessariò velit vltimum finem sibi ostensum.

Intellectus non necessitatur per habitum, quin impediri possit ab actu.

SCHOLIVM.

Resolutio huius collationis habetur apud Doctorem, 1. dist. 1. q. 4. n. 13. & latius 4. d. 49. art. 6. à num. 8. vbi resp

refutando opinionem D.Thom. 1.2.quæst.10.art.2.docet Beatum neque ab obiecto, neque ab habitu necessitari ad amorem beatum, sed ex Dei decreto Beatitudinem perpetuari, voluntate Beati, quoad intrinseca omnia, manente liberâ, ad non amandum, & ad peccandum.

COLLATIO XIX.

Vtrùm hæc essentia diuina, vt hæc, distincta à seipsa, vt concipitur sub omni ratione attributali speciali, sit primum obiectum intellectus?

Scotus 1.*dist.*13.*num.*23.& 2.*d.*1.*q.*1.& *alij ibi citati.*

1. QVÒD non videtur: quia omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum; ratio assimilationis est veritas. Probatio, quia *veritas est adæquatio rei ad intellectum, siue conformitas*; & talis adæquatio, siue conformitas intellecti ad intellectum est veritas: ergo veritas est primum obiectum intellectus sui, vel essentia diuina sub tali attributo.

Veritatis descriptio.

Item, quod est perfectissimum in entibus, & aliorum omnium maximè contentiuum, est primum obiectum intellectus diuini, quia illud, quod est primum, est perfectum; sed diuina essentia sub ratione exemplaris est perfectissimè omnium contentiua; ergo ipsa sub tali ratione est primum obiectum intellectus sui, & ita veritas est primum obiectum, quia veritas est conformitas exemplaris ad exemplata.

Respondetur, quòd hæc essentia diuina, vt hæc, est primum obiectum intellectus. Quod declaratur sic; illud debet poni primum obiectum potentiæ, quod primò mouet potentiam, & sub cuius ratione eam mouent omnia quæcunque mouent ipsam: exemplum de colore, qui primo mouet visum, & non album & nigrum, quia neutrum eorum mouet visum, nisi sub ratione coloris, quod est primum obiectum; sed essentia diuina primò mouet: quia ratio eius est ratio prima, & *prius* ibi, idem quod perfectius: nam creatura non potest primò mouere intellectum diuinum: quia tunc vilesceret intellectus diuinus: quia perficeretur formaliter aliquo finito, nec essentia diuina sub aliqua ratione attributali: quod notitia attributorum non naturam dicunt, sed ea quæ circunstant naturam, secundùm Damascenum *lib.*1.*cap.*4. Præsupponunt igitur subiectum tanquam perfectius se, quia est causa illorum aliquo modo: ergo essentia diuina, vt hæc, est primum obiectum intellectus.

Quòd essentia sit primũ obiectum intellectus Dei.

Attributa nõ naturam dicunt, sed quæ circunstant eam.

2. Item, obiectum primi intellectus simpliciter debet esse principale intelligibile simpliciter, sub ratione simpliciter primaria; sed primus intellectus simpliciter est intellectus diuinus, & primum intelligibile simpliciter, est essentia diuina, quia vnumquodque sicut se habet in entitate, ita in cognoscibilitate: ergo, &c.

Item, quòd ratio entis, vel essentiæ, prima sit ratio, patet per Auicennam, qui dicit, quòd illud, quod primò occurrit intellectui, & in quod omnia resoluuntur; ipsum autem in nullum aliud, est ens: ergo ratio entis est ratio prima.

Ad primum dicitur, quòd omnis cognitio fit per assimilationem, tanquam per aliquam habitudinem mediam cognoscentis ad cognitum, non quòd assimilatio sit obiectum ipsum, sed aliquid communicans ipsum, sicut quædam relatio. Exemplum; color omnis est visibilis, non quòd visibilitas sit ratio obiectiua, sed est quædam relatio media communicans colorem, prout comparatur ad potentiam visiuam, & ita ly *per* in propositione prima, vel potest dicere circunstantiam modi obiecti referentis vnum ad aliud obiectum, & ad potentiam, & sic nihil ad propositum.

Cognitio fit per assimilationem, exponitur.

Ad secundum dicitur similiter; quòd essentia diuina est priùs aliquo modo prioritatis, perfectissimum obiectum intellectus sui, & perfectissimè omnium contentiua, quàm sub ratione exemplaris: quia ipsa est quoddam pelagus infinitum: nec ipsa ratio exemplaris est primum obiectum, sed quidam modus circunstans obiectum in comparatione ad medium eius, & sub ipsa ratione essentiæ est perfectiùs omnium contentiua, quàm sub ratione exemplaris: quia ratio eius, vt essentia, est prius, & fundamentum ipsius, vt est exemplar.

SCHOLIVM.

Probauit aliquot argumentis essentiam, quà talis, & quà veritas, esse obiectum intellectus diuini: & soluit duo argumenta in contrarium: nunc arguit ens esse eius obiectum, & quòd vilesceret si moueretur à creatura; prosequitur vtrumque latè, subtiliter, & claré.

CONtra positionem quæstionis arguitur sic: Intelligens communissimum debet habere obiectum communissimum sub ratione communissima: talis est essentia diuina, vt est ens, vel essentia absolutè sumpta, & non vt hæc est. 3.

Arguit ens esse obiectum intellectus Dei.

Contra illud, quod dicitur, quia tunc vilesceret, si creaturæ essent primum obiectum, arguitur. Non minùs potens est intellectus diuinus, & nobilis ex re sua intranea, quàm sit Sol, nec est magis infectibilis, & passibilis, vel communicabilis: sed Sol irradians super fœtida, non est fœtidus, nec magis vilescit: ergo intellectus diuinus, & si talia primò intelligit, non esset imperfectus.

Item, receptum est in recipiente per modum recipientis, & non per modum recepti: ergo quodcunque intelligit intellectus diuinus per modum suum intelligit: & sic nunquam vilescit.

Contra rationem ad primum argumentum; nihil est intelligibile, nisi sub ratione qua potest manifestari intellectui; sed nihil potest manifestari intellectui sine veritate: ergo veritas est primum obiectum intellectus. Minor probatur per Augustinum, & Hilarium.

Arguit iterũ essentiam sub ratione veri esse obiectum.

Contra responsionem ad secundum argumentum sic: de perfectione Dei est non solùm quòd contineat intrinseca, sed etiam extrinseca, & omnia; sed essentia diuina sub ratione, sub qua hæc, continet tantùm intrinseca, & ipsa sub ratione exemplaris non solùm continet intrinseca, sed extrinseca, & omnia: ergo illa sub illa ratione erit primum obiectum intellectus sui.

Ad primum dicitur, quòd obiectum debet esse communissimum sub ratione terminandi actum potentiæ, sed non sub ratione mouendi.

Contrà: per se ratio formalis obiecti est terminare actum potentiæ operatiuæ, vel actiuę, siue obiectum moueat, siue non; si enim potentia est simpliciter actiua, non requiritur in ea actio obiecti ad hoc, quòd agat, sed necessariò semper requiritur, quòd terminet actum potentię in omnibus vniuersaliter; secundùm etiam illos, qui po- 4.

Ens esse obiectum intellectus diuini.

nunt species concreatas in Angelis; non ponunt obiectum mouere potentiam, cui concreatæ sunt illæ species, sed tantùm terminare actum potentiæ; hoc igitur competit formaliter, quòd terminet actum; sed per se sub ratione terminandi obiectum intellectus diuini est communissimum, quod est ens: ergo per se ratio obiecti est ens, vel essentia absoluta, & non hæc essentia, vt hæc.

Præterea; obiectum mouens per modum naturæ, & sufficienter, mouet ad se, sicut ad actum potentiæ: si igitur essentia diuina vt hæc, sit primum obiectum: ergo erit primum obiectum vt terminat actum primum intellectus: quia ipsa non mouet nisi ad se, & ita nihil valet, dicendo illa.

Item, illud est primum obiectum adæquatum intellectus diuini, sub ratione cuius omnia alia intelliguntur, quæcunque intelliguntur, & sub cuius ratione omnia alia terminant actum potentiæ; sed Deus intelligit lapidem sub propria ratione, quâ est lapis, & asinum similiter: ergo aliquid debet esse obiectum adæquatum commune omnibus terminantibus; tale est ens communissimum: quia lapis est ens formaliter, & asinus est ens, sed non sunt essentia Dei formaliter, sed ratio terminandi est communis ratio obiecti: ergo ens, & non essentia Dei, vt hæc, est obiectum intellectus sui.

5. Ad hoc dicitur, & ad alia, quòd essentia Dei potest esse primum obiectum, & communissimum adæquatum: quia includit omnia alia sub ratione terminandi actum potentiæ, & communitate continentiæ; & non communitate prædicationis, continet enim, & includit omnia alia, non tamen adæquat communitate prædicationis, sicut & ens.

Contrà: tunc eadem ratione essentia diuina esset primum obiectum nostri intellectus: quia includit in se, & continet omnia quæ possunt terminare actum intellectus nostri.

Item, tunc albedo esset primum obiectum visus, quia continet omnes perfectiones cuiuscunque coloris.

Quare essentia est obiectum intellectus diuini, & non nostri.

Ad primum istorum respondeo, non sequitur quòd essentia diuina sit primum obiectum intellectus nostri, licèt contineat omnia alia, sed requiritur, quòd actus intellectiuæ potentiæ feratur immediatè in illud obiectum, & quòd in illo obiecto resplendeant omnia, quæ secundò possunt terminare illam intellectionem: sic est obiectum respectu intellectionis Dei, & non nostri, quia intellectus noster non immediatè fertur in essentiam diuinam, & omnia alia, quæ continet per eam.

6. Ad secundum dico, quòd essentia Dei continet omnia alia per modum speculi, in quo relucent omnia alia, non est sic albedo speculum respectu aliorum colorum, & ideò nihil ad propositum.

Contra primum; tunc idem esset obiectum vnius actus potentiæ & ipsius potentiæ, quod non est verum, quoniam sunt plures actus illius potentiæ. Probatio consequentiæ: ideò est adæquatio obiecti ad intellectionem diuinam: quia intellectio diuina est vna: si igitur potest per vnam intellectionem omnino vnam intelligere omnia, vel etiam ex vno, vel in vno, adhuc esset idem primum obiectum, scilicet, commune, quod est modò, siue sit ratio cognoscendi alia, siue non.

Item, tunc essentia diuina esset primum obiectum intellectus creati, vt Angeli, vel alterius.

Ad primum istorum dico, quòd si intellectus sit talis, quòd vnâ intellectione feratur in omnia, & illa intellectio adæquat virtutem eius, tunc maior est vera: talis est intellectus diuinus, & eius intellectio. 7.

Intellectus creatus habet essentiam pro primo obiecto Beatitudinis.

Ad secundum dico, quòd intellectus creatus potest dupliciter considerari, vel vt est potentia naturalis præcisè, vel vt est Beatus. Primo modo non habet essentiam diuinam pro primo obiecto, nec aliud supernaturale, sed vt Beatus; cùm Beatitudo sit perfectio obiecti supernaturalis, sic potest habere essentiam diuinam pro primo obiecto.

Contrà; intellectus qui potest habere plures intellectiones diuersas secundùm rem, vel secundùm rationem, non potest habere idem obiectum omnino re, & ratione illas terminans: quia tunc essent plures intellectiones, & non plures; sed essentia diuina, vt terminat omnino vnam intellectionem, includit omnia alia vt adæquatum obiectum: ergo non omnino eodem modo plures intellectiones.

Respondeo: sicut in obiecto sunt diuersæ rationes, & sic proportionabiliter in potentia sunt diuersæ rationes, prout est plurium, & diuersarum intellectionum.

SCHOLIVM.

Disputat modò egregiè, non essentiam, sed Deitatem esse obiectum primum intellectus diuini. Item, omne attributum esse eius obiectum primum, tenendo attributa distingui ab essentia. Resolutio collationis est apud Doctorem, 1. dist. 13. num. 23. & 2. dist. 1 quæst. 1. num. 18. essentiam diuinam esse primum, & adæquatum obiectum intellectus, & voluntatis Dei.

Intellectus intelligit entia, & non entia.

AD principale, quòd Deitas sit primum obiectum intellectus: quia operatio intelligendi non tantùm est circa entia, sed circa non entia, ita intellectus intelligit cæcitatem esse cæcitatem, sicut bonum esse bonum; sed ens non est tale, quia tantùm prædicatur de entibus, & non de non entibus: ergo aliquid aliud, tale est veritas: ergo, &c.

Dicendum, quòd non entia non intelliguntur nisi per comparationem ad suos habitus, sicut priuationes; sed suis habitibus communius est ens, & ideò operatio realis & positiua est circa realia & positiua. 8.

Item, illud est primum obiectum intellectus diuini, sub cuius ratione omnia alia subiiciuntur intellectui; sed tale non est essentia diuina, vt hæc, quia lapis non intelligitur sub ratione huius essentiæ, quia tunc non intelligeretur distinctè, & sic, tunc confusè.

Respondeo, intellectus diuinus, ex quo formaliter est infinitus, non formaliter perficitur, nisi infinito: tale est solùm essentia diuina vt hæc, & ideò licèt lapis sub propria ratione esset intelligibilis, nunquam tamen, vt intelligitur sub propria ratione, perficeretur ipso, quia ita perfectus est ex intellectione primi obiecti, quod est infinitum, quòd nunquam potest perfici actione alicuius secundarij obiecti, sed semper præuenitur actione primi obiecti, quod est formaliter infinitum.

Item ad principale, illud est primum obiectum intellectus, in cuius ratione & virtute omnia alia mouent; sed tale est quodlibet attributum supposità

positâ distinctione, quia quodlibet eorum est infinitum formaliter: ergo, &c.

Item, idem est obiectum intellectus simpliciter, & obiectum intellectus in quocunque; sed obiectum intellectus simpliciter est ens: ergo & cuiuslibet intellectus: ergo & intellectus diuini. Item, diuersæ potentiæ secundùm genus requirunt diuersa obiecta prima.

Ad primum potest dici, quòd ratio infinitatis per priùs inuenitur in hac essentia, vt hæc, quàm in ipsa sub ratione attributali, & ideò ratio non concludit.

Ad secundum dicitur, quòd maior est falsa, quia potentiæ visiuæ simpliciter est obiectum omne visibile; sed visui vespertilionis non est visibilis lux excellentissima, ideò non videt lucem excellentem.

Ad tertium dico, quòd accipit falsum, quia idem obiectum sub eadem ratione est formale obiectum cognitiuæ, & suæ appetitiuæ.

COLLATIO XX.

Vtrùm essentia diuina sub eadem ratione formali sit obiectum intellectus diuini, & intellectus Beati, ita quòd sub eadem ratione formali terminet actum visionis animæ, & actum visionis Beati alicuius?

D.Thom. 1. *par. quæst.* 12. *art.* 8. *&* 3 *par. quæst.* 10. *art.* 2. Scot. 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *ad* 3. *& quæst.* 2. *à num.* 16.

1. DICITVR quòd non; quia sub ratione infiniti terminat actum visionis diuinæ; sub hac autem ratione non est obiectum intellectus Beati, cùm eius potentia sit naturæ finitæ; & per consequens non potest habere obiectum sub ratione opposita, vt sub ratione infinita.

Beatos intelligere Deum, vt infinitum.

Contrà: quicunque intellectus cognoscit, aut intelligit aliquod obiectum, intelligit omne illud quod inest ei per se, primo modo dicendi per se; sed quicquid est in Deo, conuenit ei in primo modo dicendi per se: ergo intellectus intelligens essentiam diuinam, intelligit omnia, quæ conueniunt, & insunt eidem essentiæ; talia autem sunt infinita: ergo intellectus Beati intelligit infinita: ergo intelligit Deum sub ratione infinita. Maior est euidens, quia quicunque intelligit aliquid siue distinctè, siue indistinctè, clarè, siue obscurè, intelligit eodem modo istud quod est de per se intellectu, & conceptu eius: vt qui intelligit hominem, intelligit animal; vel saltem quicunque intelligit aliquod obiectum, potest intelligere omnia illa, quæ sunt de per se intellectu eius: quia illa non continentur in illo obiecto, nisi virtualiter, & per consequens plus est intelligere illud obiectum, quàm illa, quæ sic includuntur; huiusmodi autem sunt, quæ per se, primo modo dicendi per se conueniunt alicui per se primo modo, est eius essentia, vel principium essentiæ, *ex primo posteriorum*; sed quicquid est in Deo, est essentia diuina, & idem cum ea: ergo quicquid est in Deo, conuenit ei primo modo dicendi per se: ergo, &c.

2. *Quòd non quietatur intellectus, nisi in infinito.*

Præterea: nulla potentia quietatur in aliquo obiecto, nisi sub illa ratione, sub qua includitur in eo totalis perfectio sui primi obiecti, sicut potentia visiua non quietatur in aliquo obiecto, nisi in illo includatur omnis perfectio sui primi obiecti, quia sub alia ratione illud primum obiectum non adæquat potentiam, & per consequens eam non quietat: ergo intellectus nõ quietatur in videndo essentiam diuinam, nisi sub illa ratione, sub qua essentia diuina includit totam perfectionem veritatis, aut entis, aut cuiuscũque, quod ponitur primum obiectum intellectus; sed ratio totalis perfectionis veritatis alicuius entis, est ratio infiniti intensiuè, quia est ratio rei non habentis excedentiã: ergo intellectus non quietatur videndo essentiam diuinam, nisi videat eam sub ratione infiniti.

Præterea: potentia quæ tendit in diuersa obiecta per se, non quietatur in vno, nisi sub ratione, sub qua eminenter includuntur perfectiones illorum in illo vno, sicut potentia visiua tendens in album & nigrum per se, non quietatur in aliquo obiecto, nisi sub ratione, sub qua includit perfectiones omnium colorum; sed intellectus noster potest cognoscere infinita obiecta, vnde est cognitiuus infinitorum; non igitur quietatur in essentia diuina, nisi sub ratione sua, quâ includit perfectiones infinitorum intelligibilium; sed hæc ratio est ratio infinitatis; ergo, &c. 3.

Præterea, cognitio intuitiua differt à cognitione abstractiua in hoc, quòd abstractiua abstrahit ab existentia rei, quia potest esse de re absente, sicut præsente, cùm sit per speciem æqualiter essentialiter repræsentantem rem absentem, sicut præsentem; sed cognitio rei intuitiua est de re, vt præsens est: sed cognitio Dei, & Beati in patria respectu essentiæ diuinæ, est intuitiua: maximè ergo est respectu essentiæ diuinæ, vt existens est: ergo sub eadem ratione essentia diuina terminat cognitionem diuinam, & Beati in patria. Vnde si esset essentiæ, sub alia ratione, quàm sub ratione, quâ existens est, posset cognosci cognitione abstractiuâ, & non intuitiuâ à Beatis.

SCHOLIVM.

Disputauit quatuor medijs Beatos videre Deum quatenus infinitus est, neque aliter quietari posse. Disputat in sequentibus, eos videre infinita in Deo: & rationes sunt clarissima & ingeniosissima. Resolutio, Beatos videre Dei infinitatem, ita Doctor 3. *d.* 14. *q.* 1. *ad* 3. *an autem possint videre omnia in Verbo, & quomodo, vide eum ibi, q.* 2. *à n.* 16. *vbi latè disputat an anima Christi videat infinita, & quomodo sustineri possit vidisse, si omnia in eo videret, non ideò comprehenderet Deum, vt probat ibi n.* 11. *contra D.Thom.* 3. *p. q.* 10. *art.* 2. *&* 1. *p. q.* 12. *art.* 8.

PRæterea, arguitur quòd Beatus videns essentiam diuinã videat infinita, & per consequens videat essentiam sub ratione infinita, quia sub ratione, quâ repræsentat infinita. Antecedens ostenditur sic, quia si videns essentiam diuinam non videret omnia, quæ in Dei sunt essentia, hoc non esset, nisi propter aliquã differentiam ipsorum, quia quòd vnum cognoscitur, & aliud non, hoc non est nisi propter aliquam differentiam; hęc autem differentia, aut est secũdùm rationem, aut secundùm rem; nõ autem propter differentiam realem: quia nihil differt realiter in Diuinis ab essentia. Tum, quia in Diuinis non est differentia realis, nisi personarum: sed hæc differentia non impedit, quin intellectus videns vnam personam, videat aliam: ergo differentia realis nõ impedit: non etiam differentia rationis: quia persona differt ab essentia

Arguit Beatum videre infinita in Verbo.

secundùm rationem, & tamen intellectus videns essentiam, videt & personam: ergo differentia secundùm rationem non potest impedire, quin Beatus videns essentiam diuinam, videat omnia, quæ continentur in ea, quæ sunt infinita.

Præterea, ad idem sic: si intellectus Beati videns essentiam diuinam non videat omnia, quæ relucent in essentia; aut hoc est propter impotentiam intellectus videntis, aut propter diuersitatem speculi repræsentantis, quia magis clarè repræsentat vnum, quàm aliud; aut propter diuersitatem illorum, quæ includuntur, quia scilicet vnum natum est cognosci ab intellectu, & non aliud. Non illo tertio modo: quia quâ ratione vnum est cognoscibile ab intellectu, & aliud: nec propter diuersitatem speculi repræsentantis, quia illud vniforme est simplicissimum; nec propter impotentiam intellectus cognoscentis, quia potest cognoscere essentiam diuinam, & non est magis cognoscere ea, quæ includuntur in essentia, quàm essentiam. Et hoc est sic arguere: imperfectio potentiæ cognitiuæ respectu vnius, & non respectu alterius, non est, nisi quia vnum obiectum est perfectiùs cognoscibile, quàm aliud: si enim essent æqualiter cognoscibilia, & æqualis cognoscibilitatis, non est potentia magis imperfecta ad cognoscendum vnum, quàm aliud; sed essentia diuina est obiectum ita perfectum cognoscibile, sicut illa, quæ includuntur in essentia, vel maioris: ergo non est propter imperfectionem potentię cognoscentis, quòd cognoscat essentiam, & non alia quæ includuntur in essentia.

Pulcherrima ratio.

5. Præterea: intellectus Beati quietatur in videndo essentiam diuinam; sed non quietaretur, nisi videret infinita, quæ relucent in ea, quia si cognosceret finita, oporteret plura cognoscere, cùm ea potest cognoscere: ergo appetitus eius non quietaretur: ergo, &c.

Præterea; Beatus videns essentiam diuinam, aut videt sub ratione infinita, aut non sub ratione infinita; si primo modo, habetur propositum; si secundo modo: ergo cùm videat essentiam diuinam sub alia ratione, & non sub ratione infinita; sequitur quòd videat eam sub ratione finita, & ita finitum quietaret, quod falsum est.

Item, essentia diuina, vt nuda, est obiectum intellectus diuini, & sic est obiectum intellectus Beati.

Item, est obiectum intellectus diuini sub ratione veri, & sic est obiectum intellectus Beati.

Item, beatificat intellectum diuinum, vt bonum vltimum, sic etiam & intellectum beatum: ergo, &c.

Item, infinitum nunc scitur de Deo; ergo in patria videbitur.

Item, modus intrinsecus obiecti videtur; ergo obiectum per se videtur sub isto modo.

Collatio XXI.

Vtrùm essentia Dei secundùm rationem essentiæ sit aciei intelligentiæ principium formale intelligendi?

Scotus *locis citatis disput.* 19.

1. ET intelligo de intelligentia propriè dicta. Quòd sic; in Deo idem est *esse & intelligere* 1. libr. de Trinit. cap. 4. 1. particula 4. sed essentia diuina est ratio essendi: ergo & ratio intelligendi: ergo, &c.

Ad quæstionem dico, quòd quæstio, si quærat de ratione intelligendi, potest habere triplicem intellectum, vel de ratione elicitiua, vel repræsentatiua, vel obiectiua, & terminatiua. Tamen videtur quæstio magis quærere de ratione principij elicitiui, talis est essentia. Quod declaratur sic: illud quod est sufficiens repræsentatiuum ex parte intellectus, qui est respectu omnium, quæ potest intelligere, videtur ratio formalis intelligendi omnia; talis est essentia: ergo. Minorem probo per Augustinum 15. *de Trinit. cap.* 14. *vbi priùs.*

Contrà, videtur quòd distinctio non sit conueniens, quia quæstio quærit de ratione formali, & in tanto videtur se determinare, & præscindere rationem formalem, contra rationem repræsentatiuam, & rationem obiectiuam; ergo non oportet distinguere. 2.

Item, contra aliud in positione quæstionis, quia quando dicitur, quòd est ratio repræsentatiua; aut ratio elicitiua, & ratio repræsentatiua sunt eadem secundùm rem, aut secundùm rationem tantùm; si secundùm rationem tantùm, sic omnia sunt eadem in Diuinis.

Item, in nobis non videtur quòd principium repræsentatiuum sit ratio formalis; quia si sic, eadem species esset repræsentatiua, & elicitiua: ergo sequitur quòd primus actus intellectus erit reflexus, quia species est forma intellectus, & antequam intelligat, oportet quòd se conuertat super speciem.

Item, Augustinus non videtur esse pro hoc, quia nihil loquitur de principio formali, sed de principio effectiuo, sicut patet per eundem in capitulo sequente, *quòd Verbum omnia nouit, sicut Pater*, & sicut Pater effectiuè, sic concludit ibi de Filio.

Ad primum dicitur, quòd non distinguit illa, nisi ex parte intellectus, quia intellectus potest esse ratio repræsentatiua sub vna ratione, & sub alia ratione, ratio obiectiua, non autem distinguitur ex parte obiecti. Per hoc etiam patet ad secundum. 3.

Contrà: medium repræsentatiuum non potest intelligi, nisi dicitur ex parte intellectus, vel sumitur pro aliquo tali, quod est simile speciei in nobis, vel pro obiecto, secundùm quòd dicimus essentia diuina repræsentat se intellectui, vt obiectum primo modo, licèt species sit eadem secundùm rem, tamen differt secundùm rationem, vt repræsentat, & vt elicit.

Item, oportet quòd præsens intellectui repræsentaret obiectum, antequam intellectus habeat aliquem actum; ergo ante omnem actum directum est actus reflexus; similiter conuertet se in obiectum, antequam habeat præsens sibi, & ita conuersio est actus, vt intellectus intelligit formam, antequam conuertatur super suam formam.

Ad primum dicitur, quòd obiectum repræsentat, & species; sed alio, & alio modo, nec quando conuertit se super se, habet aliquem actum elicitum: sed, &c.

Item, intentionale tantùm non est propria ratio, vel principium alicuius actionis realis; sed species virtute luminis est quid intentionale: ergo, &c.

Item, operatio præsupponit esse: ergo *per se operari*

operari per se esse: ergo operatio vnum principium; sed intellectus & species non sunt vnum: ergo,&c.

Ad primum dicitur, quòd verum est de intentionali tantùm,non de intentionali, vt innititur alicui reali;sic est de specie respectu obiecti.

Ad secundum dicitur,quòd non oportet,quòd sit similis vnitas hinc,& inde,&c.

Item, si essentia sub ratione essentiæ sit principium formale cognoscendi, & intelligendi, cùm essentia sit tantùm essentia, sicut equinitas tantùm equinitas;ergo tantùm erit ratio intelligendi se.

SCHOLIVM.

Resolutio, essentiam esse rationem formalem, repræsentatiuam,obiectiuam,terminatiuam, respectu diuinæ intellectionis, vide Doctor. locis citatis, collat. 19. *in Scolio.*

COLLATIO XXII.

Vtrùm attributa distinguantur ex natura rei.

D.Thom.1.*part.quæst.*28.*art.*6.Alens.1.*part.q.*68.*membr.*5. D.Bonauen.1.*d.*33.*q.*1.2.Rich.*art.*1.*q.*1.Suar.1.*p.tract.*3. *lib.*4.*cap.*2.*&* 4.Scot.1.*d.*2.*q.*7.*n.*41.*& dist.*5 *quæst.*4.*& d.*13.*& d.*26.*num.*8.*quem sequuntur.* Dur.Occam.Gabr. Marsil.*citati* 1.*d.*34.*in Schol.*

1. VÒD non; quia si sic, sapientia non esset formaliter perfectio simpliciter. Probatio consequentiæ; quia perfectio simpliciter est cuilibet melius esse,quàm non esse;sed sapientia non est formaliter in bonitate,si distinguantur:ergo,&c.

Vel sic formetur: bonitatem esse formaliter sapientiam,est perfectio simpliciter;sed perfectio simpliciter cuiuslibet est melius ipsum, quàm non ipsum,secundùm Anselmum *Mono.* bonitati igitur formaliter melius est esse sapientiam formaliter;sed quod melius est, ponendum est in diuinis:ergo,&c.

Item, attributa differunt à relationibus, quia relationes non sunt de ratione intrinseca essentiæ;sed magis extrinsecæ, quasi pullulantes ab ea.

Vnde relationes habent essentiam vt fundamentum,propter quod possunt plures relationes fundari in essentia diuina,differentes formaliter; vnde non dicitur, quòd essentia sit pelagus relationum, sed tantùm attributorum, quia ipsa intrinsecus claudens, quia attributa sunt essentiæ intrinseca,& intra eam includuntur.Si igitur distinguuntur formaliter ex natura rei, videtur quòd intra essentiam simplicem sit aliqua compositio ex potentia,& actu, vel aggregatio,quod repugnat diuinæ simplicitati.

2. Tertiò, attributum est absolutum, & secundùm te est infinitum formaliter, & est quædam perfectio infinita; infinito autem nihil est aliud, quod sibi addi potest: ergo formaliter non erit distinctum ab aliquo alio: quia importat limitationem: est enim distinctio quædam præcisio vnius ab altero; si igitur sit infinitum formaliter, vt dicis, non erit formaliter distinctum ab eo.

Arguit relationem distingui ab essentia, non attributa. Item quartò, relatio duplicem habet rationem, siue respectum, vnum ad fundamentum, alium ad oppositum; licèt ergo secundùm respectum, quem habet ad fundamentum transeat, & non distinguatur ab essentia formaliter, nec ab opposito; secundùm tamen illam rationem, secundùm quam respicit oppositum,non transit;& ideò non est mirabile, si secundùm illam potest relatio distingui formaliter ab essentia,& ab opposito: tunc autem formaliter attributa tantùm vnam habent rationem, scilicet ad fundamentum, quia absoluta sunt, secundùm quòd transeunt in fundamentum; ergo nullo modo possunt distingui formaliter, nec ab essentia, nec ab opposito.

Ad hoc est auctoritas Dionysij *de Diuin.Nom.* 5.*&* 6. quantò numeri distant magis à monade, tantò magis distant inter se, & quantò minùs, minùs;sed Deus est monas:ergo in ipso est minima distantia.

Item, Anselmus *monol.cap.*2.

SCHOLIVM.

Positis quatuor rationibus,& authoritate Dionysij, suadentibus attributa non distingui ex natura rei; respondet & replicat multipliciter circa easdem rationes: quæ hìc fusè tractat, de perfectione simpliciter facilè solues, ex ijs quæ habet 1. *dist.*2. *quæst.*7. *num.*39. *& dist.*8. *quæst.* 1. *num.*7. 8. *vbi describit perfectionem simpliciter.*

AD primum; perfectio simpliciter potest dici vt vniuersaliter perfectio,& est in quolibet melius ipsum, quàm non ipsum; sic sapientia est perfectio simpliciter. Alio modo perfectio simpliciter dicitur, prout distinguitur contra *secundùm quid*, hoc modo sapientia non est formaliter perfectio simpliciter, talis autem perfectio non est illud, quod in quolibet melius est ipsum, quàm non ipsum. 3.

Contrà;sapientiam esse formaliter sapientiam, est perfectio simpliciter; si igitur esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter, & iustitia sit omnis perfectio simpliciter, vel habet omnem perfectionem, tunc iustitia est formaliter sapientia. Verum est quòd omni modo est perfectio simpliciter, quo potest esse: ergo omne aliud est fallacia consequentis, quia nihil aliud formaliter potest esse illud, nisi ipsum; sed alia possunt esse ipsa formaliter perfectio simpliciter: ideò idem est,ac si argueretur,omnis homo; ergo omne animal. *De perfectione simpliciter,*vide 1. d. 8. q. 1. num.7.8.

Contrà: membra distinctionis coincidunt, quia perfectio simpliciter,non secundùm *quid est*, cui deest alia perfectio, sed tale melius est cuilibet esse, quàm non esse, & illud est vniuersalis perfectio:verum est realiter,sed non formaliter.

Contrà; si non diminuit à perfectione, melius est cuilibet cognoscibili ipsum, quàm non ipsum.

Dico quòd distinctio est bona,perfectio enim simpliciter vno modo est, quæ nullam imperfectionem includit; sicut paternitas est perfectio simpliciter, quæ scilicet nihil diminuit de perfectione, & hoc modo non intelligit perfectionem essentiæ.Vnde esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter,prout dicit non diminuere à perfectione.

Vnde bonitas,si esset formaliter sapientia,non diceret perfectionem simpliciter,nec esset melior sic,quàm non.

Contrà; tunc esset hæc, & alia perfectio simpliciter,nec sic de Deo,& creatura, quia Deus includit omnem perfectionem creaturæ, ideò non

non est. melius ista duo, quàm vnum; bonitas autem formaliter non includit sapientiam, quorum vtrumque, vt sic, est perfectio simpliciter: ergo videtur quòd perfectio est bonitati includere sapientiam.

4. Dico quòd esse per identitatem sapientiam est perfectionis simpliciter, & perfectius, quàm non esse; non autem formaliter.

Contrà: melius est bonitatem esse identicè sapientiam, & etiam formaliter; quàm formaliter solùm, sicut melius est bonitati esse formaliter bonitatem, quàm identicè solùm.

Præterea: si sapientia non esset bonitas, nisi identicè solùm, tunc non esset magis bonitas, quàm relatio.

Ad primum istorum dicitur, quòd non esset bonitati perfectio simpliciter esse formaliter sapientiam, sed sapientiæ est perfectio simpliciter gratia materiæ. Vnde bonitas non est formaliter sapientia, quod non est propter incompossibitatem extremi, sed modi vniendi. Vnde perfectioni simpliciter melius est, non esse formaliter aliam, quàm esse.

Contrà, si est perfectio simpliciter, includit aliam.

Responsio, includere in ratione sua quiditatiua, non est perfectio simpliciter, nec est perfectius, quàm non includere.

5. Arguitur, finitum, & infinitum non distinguuntur, quia infinito non est possibilis additio.

Quòd aliquod sit infinitum, non ideò formaliter aliud.

Responsio, quòd falsum est: quia si color esset infinitus, adhuc non esset linea, nec in eadem specie esset hîc; & si esset hæc albedo, non esset alia albedo: ideò nec in eadem specie, nec in diuersis speciebus: sequitur quòd si aliquid sit infinitum, quòd sit formaliter aliud.

Contra hoc arguitur, & ad quæstionem secundùm Sanctos, personæ distinguuntur per respectus, hoc concedunt omnes, nec pro alia causa ponunt Sancti illud, nisi quia repugnat pluribus formis absolutis esse vnum in abstracto: personæ autem sunt simpliciter idem in essentia, ideò personæ non distinguuntur absolutis formis, sed attributa distingui formaliter, & esse idem identicè, est incidere in illud, quod vellent vitare.

6. Præterea, diuinæ bonitati congruit esse omnis perfectio simpliciter; sed esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter: ergo diuinæ bonitati congruit esse formaliter sapientiam. Probatio maioris: nihil est perfectio simpliciter, nisi sit melius cuilibet ipsum, quàm non ipsum; hæc est huiusmodi: ergo sibi conuenit omnis perfectio simpliciter.

vide 1. dist. 8. quæst. 1. Dicitur quòd verum est cuilibet melius est, cuilibet supposito.

Contrà, Anselmus probat quòd essentia diuina est vna, non quòd Pater, & Filius sit tantùm rationis, & arguit: melius est cuilibet inesse perfectionem simpliciter: ergo melius est essentiæ diuinæ; quod non sequeretur, nisi *cuilibet* in antecedente distribueret pro formis, & non tantùm pro suppositis.

Confirmatur; nisi forma ignis esset melior, si esset forma ignis, & sapientia; quàm nunc est sapientia, non est perfectio simpliciter. Probatio minoris, scilicet quòd esse formaliter sapientiam est perfectio simpliciter secundùm quòd formaliter determinat compositionem, quia esse formaliter sapientiam est quædam perfectio; sed omnis perfectio habet suam perfectionalem quantitatem; sed finitum & infinitum congruunt quantitati, sicut par & impar numero, ita quòd ex simili distinctione sunt conuertibilia quantitati; ergo si est perfectio, & non finita: ergo infinita simpliciter perfectio, scilicet quòd cuilibet melius sit ipsum esse, quàm non esse.

Item, relatio diuina non est finita, neque infinita secundùm eos, quod est contradictio, cùm habeat quantitatem suam. 7.

Item, probo minorem sic; esse formaliter sapientiam, vt *formaliter* determinat compositionem: aut est formaliter idem cum *esse sapientiam*, aut non? si sic, habeo propositum, cùm esse sapientiam sit perfectio simpliciter: ergo esse formaliter, est quidam modus, & formalitas, & est in Deo: aliter nihil esset in Deo, quod esset formaliter sapientia, quod est falsum; quia sapientia est formaliter sapientia, & non est eadem secundùm re: ergo sunt duæ formalitates; illa quæ erit in formalitate *A*, quæro vtrùm erit *A*: & esse formaliter *A*, sit idem? si sic, ergo eâdem ratione standum erit in primo: si non, erit processus in infinitum.

An formalitas infinitatis, & attributi, sit eadem.

Item, ad principale, licèt sapientia distinguatur formaliter à bonitate, vtraque tamen est infinita formaliter: sapientia igitur infinita est, & non solùm, quia est eadem essentiæ, sed formaliter: tunc arguo, infinitas formalis, & sapientia si sint duæ formalitates, ista infinitas non est sapientia, nisi identicè, & tunc sapientia non est infinita formaliter; sic est infinitas ista in paternitate: ergo paternitas est æquè infinita formaliter, sicut sapientia: ergo sapientia non est infinita formaliter, sicut nec paternitas. Si sint vnà formalitas eadem ratione infinitas bonitatis est bonitas: ergo quot sunt attributa, tot sunt distinctæ infinitates formaliter; sed omnis infinitas perfectionalis est pelagus infinitum: ergo tot sunt pelagus infinita, quot sunt perfectiones attribuibiles, quod est contra Damasc. cap. 6. *vnum est pelagus diuinæ essentiæ, aliæ sunt circumstantiæ.*

Item: nisi in Patre essent duæ formalitates, non esset intelligibile, quòd Pater esset idem simpliciter cum Filio, & tamen distinctus personaliter ab eo; sed quia alia formalitas est essentia, & alia relatio, ideò sunt idem, & distinguuntur, sed in formalitate, quæ est sapientia, non sunt duæ formalitates secundùm eos, sed sapientia est vna formalitas; ita etiam quòd infinitas eius est eadem formalitas cum sapientia, secundùm eos; ergo non est intelligibile, quòd sapientia habeat, quòd sit idem singulare cum bonitate, & tamen formaliter distinguantur ab ea, & multò fortiùs, Pater enim licèt habeat duas formalitates, non prædicatur identicè de Filio. Hæc enim est falsa omnino: Pater est Filius; sed hæc est vera, sapientia est bonitas: ergo sapientia est magis eadem bonitati, quàm Pater Filio, quia Pater saltem identicè dicitur de ea. 8.

Vrgens ratio contra distinctionem formalem.

Item, si sapientia diuina esset ita sapientia, quòd nullo modo bonitas, nec formalitas, nec formaliter, nec virtualiter, tunc esset finita secundùm omnes; ergo si sapientia est sic formaliter sapientia, quòd non formaliter bonitas, & formaliter finita.

Vt ponitur aliquid infinitum, an includit omne aliud.

Item, qualitercunque ponatur aliquid infinitum eo modo, quo ponitur infinitum, includit omne aliud Probatur inductiuè; si aliquid est infinitum corporaliter, vel dimensiuè, includit omne

omne aliud corpus, & omnem aliam dimensionem corporaliter, & dimensiuè: ergo si aliquid est infinitum formaliter, includit omnem aliam formam formaliter.

Item; sapientia non esset infinita identicè, nisi identicè haberet in se omnem perfectionem; ergo sapientia non erit formaliter infinita, nisi habeat in se omnem perfectionem simpliciter.

SCHOLIVM.

In sequentibus disputat, egregiè attributa ex natura rei distingui, impugnans alterius partis solutiones. Resolutio Doctoris, 1.d.8.q.4. n.17. attributa ex natura rei distingui formaliter, vel non esse idem formaliter; & ibi probat rationibus, & authoritate Damasc. Hilarij & Augustini.

9. *An Deus videt distinctas formalitates in se.* Contrà arguitur; intellectus Dei in primo signo æternitatis, aut intelligit distinctè istas perfectiones, aut non: si sic, cùm intelligit ea in se, idem sunt absque negociatione; ergo sunt distinctæ ante omnem negociationem; si non, ergo intelligit eas confusè, & ita non perfectè, qualiter non distinctè, & perfectè.

Responsio patet secundùm loquentes de lumine, quòd in potentia solùm sunt formalitates distinctæ, & non ex natura rei, sed ex lumine ostendente.

Tamen aliter dico, quòd hîc est æquiuocatio, & consequens; nam indistinctè & etiam distinctè æquiuocum, & indistinctio vna prouenit ex potentialitate, *secundo Metaphysicæ*, in fundamento naturæ nihil est distinctum, hæc indistinctio est potentialis: alia indistinctio est ex actus puritate, hæc indistinctio est vnitio, & sic alia sunt ibi indistinctè, id est, vnitiuè, & tamen distinctè, id est, actualiter, non potentialiter. *Quomodo aliquid in Deo distinctè & indistinctè.*

Item, arguitur, sapientia & bonitas dicuntur in creaturis secundùm suas rationes formales: infinitas autem adueniens non tollit ab eis suas formalitates: ergo in Deo vbi vtraque est infinita, erunt distincta formaliter.

Dico quòd in creaturis sunt formalitates, & etiam distinctæ.

Infinitas autem in Deo non tollit ipsas formalitates, sed tollit earum distinctionem; in Deo autem est formaliter sapientia, & formaliter bonitas, distinctio tamen eorum est ablata.

10. *Si linea, & superficies essent infinita, non ideò vna esset alia.* Contrà, superficies est vna formalitas, alia à linea, si vtraque esset infinita, adhuc linea non esset superficies, ideò infinitas non tollit earum formalitates, nec distinctionem: ergo infinitas non tollit attributorum formalitates, nec distinctionem.

Responsio, superficies bicubita est formalitas, qua est species continui, & alia quæ est species continui numerati, addatur tricubitum; quod si fiat, nihil addatur formalitati, inquantum est superficies, quia nunc est superficies, sicut priùs; sed tantùm vt sit superficies maior in partibus quantitatiuis, sed non intenditur in sua formalitate, sed secundæ formalitati apponitur aliud quo resultat formaliter perfectior, quàm sine ipso. Nam bicubiti quantitas continetur in tricubita, sicut trigonum in tetragono; & hinc est, quòd infinita superficies non tollit distinctionem formalitatis superficiei à formalitate lineæ, inquantùm linea est.

Item arguitur; determinata relatio consequitur determinatum modum in fundamento, *quinto Metaph.* omnis relatio est modus suæ mensuræ, & numeri, vel potentiæ: ergo si huiusmodi, scilicet attributa non distinguuntur in essentia Dei sine opere intellectus, ex quo relatio non consequitur essentiam modo naturæ, si consequitur essentiam continentem omnem modum vnitiuè, quia essentia est omnis perfectio vnitiuè secundùm te, relatio sequens essentiam naturaliter continet etiam omnem relationem vnitiuè.

Dico, quòd si (per impossibile) Deus non esset causa alicuius, nisi necessitate naturæ, sicut Philosophi dixerunt, sicut Sol producit radium; tamen illud ens esset ens participatum, & non esset ens per essentiam, nec æquaret Deum, nec esset infinitum, sicut Deus: ergo licèt relatio sequatur essentiam infinitam, continentem vnitiuè omnia, non æquatur ei: causa agens quantùm est de se æquat sibi effectum; sed effectus sortitur quidem & limitationem à gradu, in quo recipitur, & recipitur in gradu, & distantia determinata à monade; ergo non infinita, licèt gradus non sit aliud, quàm creatura.

Item arguitur, in vna intentione simplici non potest esse ordo secundùm rem: in essentia, vt fundat relationem est ordo secundùm eum; quia ordinatè fundat: ergo ante relationes illas est ordo realis, & relatio realis.

Dico, quòd essentia diuina simul, & sine ordine, quantùm est de se, fundat omnes suas relationes, ita quòd omnes relationes sunt simul æquantes vnum essentiæ fundamentum; sed aliquando habent ordinem: sicut enim non habent infinitatem propriè * internalem, sic habent ordinem propriè internalem: de natura enim geniti est, quòd priùs generetur, quàm amor spiretur: ergo internalis inter Patrem & Filium est prius internali inter spirantem & Spiritum sanctum; ideò est ordo inter illas relationes. * al. rationē internam.

COLLATIO XXIII.

Vtrùm cum summa simplicitate personæ diuinæ possit stare pluralitas respectuum realium in eadem natura ante omnem actum intellectus?

Scotus 1.d.5.q.2.& d.8.q.1. & alij ibi citati.

PROBO quòd non: quia pluralitas rationum intelligibilium subiectiuè existentium in eadem re, non potest stare cum simplicitate illius rei: ergo nec pluralitas rationum realium poterit stare cum simplicitate alicuius rei. Consequentia patet, quia maior est compositio rei, & rei, quàm aliquorum tantùm ratione differentium. Maior probatur: quia ratio intelligibilis in intellectu, aut est species, aut est verbum; sed non conuenit ponere plures species, vel plura verba in aliqua persona Dei, ante omnem actum intellectus: ergo, &c. 1. *Arguit relationes non distingui ab essentia.*

Item, illud non debet poni, quo circumscripto, ponitur perfectio in Deo, quanta poneretur ipso posito; sed hoc ponitur ponendo tales rationes reales plures ante omnem actū intellectus: ergo, &c. Maior patet de se, & minor probatur sic: realitas essentiæ nudæ æquiualet rationi sapientiæ positæ cum realitate essentiæ; ergo à simili realitas essentiæ nudæ æquiualet rationi relationis positæ cum realitate essentiæ: non igitur oportet ponere

ponere tales rationes reales in personas diuersas ante omnem actum intellectus.

Relationes distingui ab essentia. Respondetur quòd sic: quod declaratur sic: essentia de se est communicabilis ante omnem actum intellectus secundùm omnes, ex natura rei; relatio personalis de se incommunicabilis; hæc duo sunt in Patre ante omnem actum intellectus. Probatio, quia oportet vnumquodque priùs esse perfectum in *esse* primo, quàm in *esse* secundo; ergo oportet quòd Pater priùs habeat essentiam, & relationem in se, quàm intelligat, & inter se, vt argumentatum est, differunt; ergo ante actum intellectus differunt.

2\. Item, perfectio simpliciter essentiæ diuinæ includit omnem perfectionem simpliciter; ergo ante omne opus intellectus, &c. sed vbicunque sunt aliqua, & aliquid est subiectum vni, & obiectum vnius, quod non alterius, inter se ipsa differunt; quia contradictio est, quòd aliquid sit obiectum vni ex natura rei, & non alterius, nisi illa essent aliquo modo diuersa ante omnem actum, intellectus; sed aliquid est subiectum diuino intellectui, vel obiectum est diuino intellectui, quod non est subiectum diuinæ potentiæ, vel obiectum eius: ergo ex natura rei differunt.

Ad primum argumentum respondetur, quòd maior est vera in creaturis, vbi tales rationes intellectuales sunt accidentia, & necessariò faciunt compositionem cum anima, quæ est substantia; in Deo tamen maior ista est falsa, sicut patet de diuinis personis, & de rationibus attributalibus.

Ad probationem dico, quòd facit fallaciam consequentis, arguendo ex insufficiente: quia tales rationes reales non sunt species, nec verba, sed rationes consubstantiales, & formaliter diuersæ, eædem realiter in essentia diuina.

Ad secundum, concedo totum, quòd non sit ibi res & res, sed tantùm absoluta res, & res respectiua; quia relatiua comparata ad rem absolutam, idem est realiter cum ea, & tunc negatur similitudo, quia non est sic de essentialibus sic vniuersaliter comparatis, & relatiuis, quorum essentia in relatione consistit.

3\. *Contra rationem, qua ponitur distinctio relationum ab essentia.* Contra positionem arguitur sic: si essentia diuina sit formaliter recta, vel iusta, & bona, & intellectus potest formare de ea conceptum distinctum sapientis, & iusti, & boni, & sine alia diuersitate essentiali, vel reali à parte essentiæ: ergo à simili potest intellectus idem circa personam formando circa eam conceptum relationis realis, & rei absolutæ sine alia distinctione reali à parte personæ. Nec ratio positionis concludit, quia non includit contradictionem, quòd aliquid subdatur diuino intellectui, & non diuinæ potentiæ: quia contradictio est respectu vnius: & eiusdem omnino; sic non est in proposito.

Ad primum dicitur, quòd hoc est impossibile, quòd intellectus diuinus faciat circa Deum conceptus distinctos, vt sapientiæ, vel bonitatis, nisi in re sint talia distincta.

Contrà, intellectus potest formare conceptum vnum de simpliciter diuersis: ergo conceptus distinctos de termino omnino eodem.

Ad hoc dicitur, quòd consequentia non valet, quia conceptus vnus potest ferri circa omnino diuersa realiter, dummodo in illis diuersis sit aliquis ordo ad tertium; sicut patet de tribus speciebus eiusdem generis, de quibus habetur conceptus vnus, & tamen non est vnitas realis in eis, non sic ex altera parte.

Arguit compositionem sequi ex distinctione formali. Item, contra primam rationem arguo sic: si Deitas, quæ est de se communicabilis, & paternitas, quæ de se est incommunicabilis, sunt in persona Patris secundùm te, & distinctæ ex parte rei, ergo compositio. Probatio consequentiæ, quia aliquo modo prioritatis priùs est Deitas, quàm sibi insit paternitas. Probatio, quia priùs Deitas est Deitas, & paternitas est paternitas, quàm sint vnita. Per quid igitur ex eis fit vnum? non ex se præcisè ex suis rationibus formalibus, quia tunc non priùs esset hoc hoc, & illud illud, quàm hæc vnita: ergo per aliquid aliud. Quæro de illo vtrùm sit actus, vel potentia? si actus, ergo aliquod istorum est potentia: ergo compositio.

Item, probatio consequentiæ, quia priùs competit rei illud, quod est sui in se, quàm illud quod conuenit sibi ex comparatione ad alterum: ergo priùs Deitas est Deitas, antequam sit paternitas, & hæc potentia, & hic actus: sequitur compositio, quia stando præcisè in eis nunquam ex eis fit vnum, quia sic nullam habent habitudinem ad inuicem. 4.

Dicitur quòd essentia, quæ est fundamentum relationis, & relatio, faciunt per se vnum ex seipsis, quia vnum non differt realiter ab altero: sed prout comparatur relatio ad essentiam, est idem realiter cum illa.

Contrà, licèt ex materia, & forma præcisè natum sit fieri vnum: tamen quando vnum non vnitur alteri, si debeant vniri adinuicem, aliquid est ratio vnionis, quod nec est vnum, nec aliud. 7. *Metaph.* separatis *A*, & *B*, aliud manet quod nec est *A*, nec *B*: igitur à simili in proposito est. De illo alio fuit quæstio, quid sit, quod ex essentia, & proprietate sit vnum ex potentia, & alterum est actus: ergo compositio, nec potest esse aliud, quàm potentia, vel actus; quia ex duobus in potentia, vel ex duobus in actu non fit vnum.

Item, in primo signo originis res sub vno modo, vt Deitate, differt à seipsa sub alio modo, scilicet paternitate: ergo quando isti modi secundùm se considerantur præcisè, non sunt simul vniti; ergo ad hoc quòd simul vniantur, oportet intelligere aliquid vniens, & vnum actuans alterum, vel ambo tertium, & vtroque modo compositio.

Item, quòd sit compositio, probatio: suppono quòd Pater sit aliquod per se vnum reale suppositum, & quòd eius forma, quâ sit Pater, sit paternitas; tunc sic: Pater, inquantum Pater, est persona realis: ergo paternitas, quâ formaliter est Pater, est forma realis, & vnibilis: sed essentia diuina, quæ est in Patre, similiter est res: ergo duæ reales, & vnibiles: ergo compositio. 5.

Item, si Deitas sit ibi ante omne opus intellectus, & similiter paternitas; ergo personæ sunt productæ ante opus intellectus. Probatio consequentiæ: personæ realiter sunt personæ per relationes oppositas reales, nec videtur alia ratio diuersitatis personarum, nisi diuersæ relationes oppositæ reales; sed positis illis, quæ tu ponis ante omne opus intellectus, sequitur quòd in Deo sunt relationes oppositæ reales: ergo, &c.

Item, si Deitas est ibi ex natura rei, & similiter paternitas, & distinguuntur, & hoc ex natura rei, per consequens Deitatis ad paternitatem est aliqua diuersitas, & dissimilitudo, & èconuerso paternitatis ad Deitatem est aliqua diuersitas, & dissimilitudo, & hoc totum ex natura rei per te, ante omne opus intellectus; quia hæc diuersitas differt

differt ab hac diuersitate, & hæc ab illa alia diuersitate,& sic in infinitum.

SCHOLIVM.

Multis, & vrgentibus rationibus disputat hac collatione, non stare relationes reales in Deo, sine compositione. Resolutio Doctoris 1.dist.2.quæst.7.num.41.& alias passim relationes ex natura rei distingui ab essentia, aliisque absolutis in Deo; neque hinc sequi compositionem; quam in Deo esse impossibilem fusè docet, 1.d.8. quæst.1. & dist.5.quæst.2. à num.14. optimè explicat quomodo essentia & relationes confluunt in vnum, constituendo personas, sine eo quòd vnum sit potentiale, & alterum actuans.

COLLATIO XXIV.

Vtrùm essentia sola sit principium formale producendi non vt determinata relatione.

Scot.1.*dist.*2.*quæst*.7.*n*.18.*&* 22.*&* *d*.28.*quæst*.3.*&* 2.*d*.1. *q*.1.*& alij hisce locis citati.*

1\. Rgvitvr quòd sic. Indeterminatio potentiæ actiuæ est altera,quàm indeterminatio passiuæ:non enim est ad contradictoria,scilicet *agere*,& *non agere*, sicut potentia passiua indeterminatur ad esse sub actu, & non esse sub actu; sed actu indeterminata est ad effectus diuersos,non ad *agere*,& *non agere*.

Exemplum de Sole,qui est indifferens ad multos effectus: ergo in materia posita essentiæ potentia est potentia actiua,& indeterminata, non ad *generare* & *non generare*, sed ad *generare* & *spirare*, tunc est indeterminata, vt possit in hoc & in illud;sed potentia indeterminata ad contradictoria non determinatur, nisi per aliquod additum; ergo potentia actiua indeterminata ad diuersos effectus determinatur per se,& sine aliquo medio.

Exemplum, virtus formatiua fœtus de materia, quæ est vniformis vbicunque in omni parte potest causare de illa carnem,& ossa,& huiusmodi: ergo essentia diuina, quæ est actiua potentia indeterminata, sine respectu erit principium generandi,& spirandi.

2\. *Potentiam esse determinatam, estne perfectionis.* Item: potentia actiua determinata est aliquid perfectionis. Exemplum in potentia calefactiua est, quòd agat præsente obiecto, & quòd non requirit aliud ex parte sua est perfectionis; sed quòd non potest nisi in vnum, est imperfectionis: ergo in essentia erit primum,& tolletur secundum.

Item, omne illimitatum, & infinitum secundùm perfectionem est indeterminatum; ens autem in communi est indeterminatum priuatiuè, quia potest determinari; sed essentia est indeterminata negatiuè: ergo non potest per respectum determinari.

Item,in aliis à Deo, est aliud ratio agendi, & ratio agentis, vt calor est ratio calefaciendi, ratio calefacientis est ratio suppositi: relatio secundùm eos est ratio suppositiua:non igitur ratio agendi.

Item, Damasc. cap.8. relatio non determinat essentiam,sed hypostasis.

Dicitur, essentia ex se est determinata ad generandum, & spirandum, tamen requirit aliquid sine quo, sicut ignis non calefacit, nisi obiecto præsente,&c. Sic licèt essentia de se determinata sit ad agendum,non tamen generat,nec spirat,nisi in supposito conueniente.

SCHOLIVM.

Adductis quatuor argumentis suadentibus essentiam de se sine vlla relatione determinari ad processiones, arguit contra adducta, & producit quinque rationes pro altera parte; & subiungit solutiones illorum quatuor argumentorum; etsi præter morem videtur resolutè in hac collatione asserere: essentiam diuinam de se immediatè determinari ad primam personam, ita 1. dist.28.quæst.3.num.12.& hac per memoriam fœcundam producit secundam, & vtraque per voluntatem fœcundam producunt tertiam, ita 2. dist.1. quæst.1. num.13.& 1.dist.2.quæst.7.num.18.& 22.& d.12. quæst.1.& 2. hoc sensu dici potest, essentiam aliquomodo determinari per relationes ad secundam & tertiam personam,quia prærequiruntur vt ista producantur;tamen non est propriè determinatio, quia essentia non est determinabilis, vt probat Doctor contra Henricum sex rationibus, 1.d.7.num.4.

Contra ista; quando dicunt, quòd essentia indeterminata indeterminatione sua determinat se ad actum,arguitur:aut intelligunt,quòd determinatur sic formaliter vtraque potentia, vel identicè: non primo modo,scilicet quod essentia sit formaliter generatiuitas & spiratiuitas, tunc dicunt contradictoria; quia intellectus est, qui dicit Verbum, voluntas autem spirat Spiritum sanctum, & vtraque formalitas est vna formalitas, sed isti dicunt, quòd istæ sunt duæ formalitates;ergo dicunt opposita. 3. *Contradictio quòd essentia de se determinetur ad productiones.*

Similiter,sequitur contradictio, si sit formaliter ista duo;ergo est vna formalitas,ergo vna potentia: sed omnis potentia excedens suum effectum est æquiuoca;sed ista potentia excedit:ergo generatio in Diuinis est æquiuoca.

Si secundo modo, scilicet identicè habeat vtrumque in se, tunc sequitur propositum, quia tunc de se non est formaliter determinata, quia per istas formalitates determinatur, quæ superueniunt ei, & informant eam; essentia autem potest determinare seipsam, & ita sequitur contradictio.

Item, ideò essentia determinat se, quia est indeterminata negatiuè, & per consequens indeterminabilis, quia quod sic est in determinatum, est indeterminabile.

Item, omnis relatio realis est quædam applicatio sui fundamenti,& fundamentum sui correlatiui, sed de intellectu est determinatio applicationis: aut igitur nulla relatio realis est in Deo, aut sic applicabit essentiam, & sic determinabit in primo intellectu essentiæ, inquantum est ratio generandi,includitur quòd sit generatiua formaliter,& per consequens relatio,sed non vt relatio elicitiua:ergo vt determinata. 4.

Item,essentia, vt absoluta,est ratio essendi; ergo non est nisi vnum *esse* in Diuinis; si igitur essentia,vt absoluta,esset ratio producendi,non erit nisi vna productio in Diuinis.

Item,in ordine essentiali,primum est causa posterioris, sed relatio cadit media inter formã elicitiuam actus,& ipsum actum, & si est ideò elicitiua:ergo relatio aliquo modo habebit rationem causæ respectu actus; nũquam negat Philosophus quòd relatio non sit aliquo modo principium motus,vel terminus,sed vult quòd non per se.

Ad

5. Ad primum, conceditur quòd indeterminatio potentiæ actiuæ non est ad contradictoria, vt ad *agere*, & *non agere*, de potentia actiua naturali, non voluntaria.

Potentia indeterminata ad multos effectus, quãdo determinatur per aliquid additum.

Ad minorem, potentia indeterminata ad multos effectus determinatur ad quemlibet effectum, sine addito absoluto, si intelligitur sine omni addito, nego de potentia naturali; licèt in voluntaria sit verum, in naturali, vel additur aliquid à parte sui, vel à parte materiæ, vnde respectu Solis est alia dispositio materiæ: vnde dico, quòd per vnam formalitatem licèt sit infinita, non agit naturaliter, nisi vnum. Vnde Commentator 2. *Metaph.* si agens est vnum, & materia vnum, & actus est vnum, propterea nunc ponit plures regulas.

Tunc dico, potentia naturalis vna secundùm formalitatem vna, non producit plura sine determinatione à parte sui, vel à parte materiæ; sed in proposito non est realis differentia, nisi inter relationes: igitur.

Ad exemplum de scientia, quòd est vniforme in omni parte; dico, illa agit in virtute artis, operatio naturæ est operatio intelligentiæ.

Essentia quomodo determinata ad generare.

Aliter dico, cùm dicitur, potentia indeterminata actiua ad multos, de se determinata est, &c. verum est, sicut substantia ignis de se determinata ad calefaciendum, quia est determinata, vt sit calida, & habet calorem, mediante quo calefacit; sic essentia determinata est de se ad actum generandi, quia determinata est de se, vt fundet relationem paternitatis.

Per hoc ad secundum, potentia naturalis actiua necessariò includit respectum, nec calor exit in actum calefaciendi, nisi includeret respectum. Vnde respectus, quo refertur calefactiuum ad calefactibile, & calefaciens, & calefactum, & aduenit noua applicatio, & non nouus respectus; sic de creatiuo, & creante est alia relatio media inter actum & potentiam.

Ad tertium dico, quòd essentia est infinita, & illimitata negatiuè, & per consequens indeterminata ad omnes perfectiones absolutas, potest determinari ad relationes & per relationes. Ad aliud, eadem realitas entis infiniti potest esse vtraque intentio, scilicet & ratio supposita, & ratio generandi determinatiuè.

Ad Damascenum dico, quòd loquitur de determinatione ad *esse* hypostaticum.

Collatio XXV.

Vtrùm personæ diuinæ sint relatiuæ?

Alens. 1. *part. quæst.* 38. *membr.* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 40. *art.* 2. *&* *d.* 26. *q.* 2. *art.* 1. Scot. 1. *d.* 26. *q. vn. & alij ibi citati.*



1. Vòd non: quia quod relationi præsupponitur, non constituitur; sed quod refertur est huiusmodi, sed persona refertur: ergo, &c.

Dico quòd minor est falsa in Diuinis, quia ibi hoc, quo refertur est de primo, & per se intellectu subiecti, scilicet illius quod refertur; sicut cùm dicitur, Filius refertur, ideò Filius non præsupponitur relationi: benè suppositum humanum refertur illo, quod est extra suum intellectum, & ideò præsupponitur relationi, suppositum diuinum non, & si dicis oppositum, petis.

Item arguitur, realis distinctio extremorum habet aliquam causalitatem super realitatem relationum suarum: quia ibi extrema non distinguuntur secundùm rem, nec illa relatio est realis: ergo distinctio realis suppositorum diuinorum est prior causalitate ipsâ relatione reali, quia causat realitatem relationum suarum: ergo non constituitur ex illis, quia sunt posteriora.

Dico quòd maior est falsa, quando ipsum referri est distingui, & distinctio est ipsa relatio: quia ipsa relatio est distinctiua extremorum. Patet falsitas maioris tam in distinctis realiter, quàm in distinctis secundùm rationem; creatura refertur ad Deum, & tamen ipsa creatura, vt distincta à Deo, non præcedit relationem. Similiter intellectus diuinus distinguit attributa diuina comparando, & non præcedunt distincta ipsam operationem.

Item arguitur, persona in Diuinis dicitur relatiuè, respectus ergo aut fundatur in essentia, aut in persona: non in essentia, quia vt sic diceretur de essentia, sed vt dicitur de essentia, est rationis tantùm: vt dicit respectum realem, competit personæ tantùm; ergo relatio realis ibi immediatè fundatur in supposito, non in essentia: ergo præsupponit suppositum, sicut relatio fundamentum. 2.

An relatio diuina fundatur in opposito.

Dico, quòd non sequitur, relatio est fundamentaliter in essentia; ergo dicitur de essentia, vt relata; sicut nec similitudo dicitur de albedine, qua similitudine Socrates est similis: tamen fundatur in albedine, non tamen refert albedinem, in qua fundatur, sed suppositum relatiuum, scilicet personam.

Item arguitur; proprietates hypostaticæ sunt primò diuersæ, aliter non essent vltimæ; quia esset dare quibus distinguerentur; sed relationes non sunt huiusmodi, quia omnes sunt relationes, modo potentiæ, & in hoc communi conueniunt.

Dico quòd relationes diuinæ sunt primò diuersæ formaliter suppositæ, licèt conueniant modo potentiæ, quia potentia generatiua actiua, & passiua, & etiam spiratiua sunt primò diuersæ.

Contrà, relatio cùm non sit infinita formaliter, quomodo hæcceitas sua est idem cum ea. 3.

Quomodo vna relatio diuina est identicè alia, vt paternitas, & spiratio actiua, cùm neutra sit infinita.

Respondetur, sicut in creaturis aliqua distinguuntur realiter, & formaliter, ita quòd non conueniunt in vna ratione, vt velle, & intelligere; sed humanitas, & hæc humanitas est vna res, vt proprietas formaliter indiuidualis, & differunt formaliter; licèt vna res, & ideò formalitas vna sit identitate alia, licèt non sit infinitas, ita in Diuinis: sed in illis, quæ sunt formaliter diuersa in creaturis, sicut velle, & intelligere, ad hoc quòd sint idem identicè, requiritur infinitas, sed in illis, quæ in creaturis sunt idem, licèt diuersæ formalitates, cùm transferantur ad Diuina, ad hoc quòd sint idem, non requiritur infinitas, sed simplicitas, ideò relatio est sua hæcceitas in Diuinis, licèt non sit formaliter infinita.

Item arguitur, proprietas hypostatica est incommunicabilis per rationem propriam; paternitas non est huiusmodi, quia non inquantum dicitur actiua, quia illa ratio est communis sibi, & spirationi actiuæ, quæ communicabilis est. Nec inquantum paternitas, quia sic omnis paternitas esset incommunicabilis.

Item, si Pater priùs spiraret, & pòst generaret, spiratio repugnaret Filio, & non paternitas, &

Pater

Pater communicaret eam ſpirando, ſicut modò communicat ſpirationem genito.

4. Dico, quòd paternitas eſt incommunicabilis, quia paternitas abſolutè; nec quia diuina, ſed quia ipſa eſt proprietas prima æquat fundamento, vti in eſſentia, & eſt de primo intellectu eius, quòd ſit ſingularitas: vnde duplex eſt incommunicabilitas; vna eſt implurificata; hæc conuenit eſſentiæ diuinæ, quia non eſt plures: alia quæ repugnat pluribus communicari: ſic eſſentia non eſt incommunicabilis; paternitas eſt incommunicabilis vtroque modo: primo modo, quia æqua eſſentialiter vni fundamento; ſi igitur ſic eſt incommunicabilis, eſt prima, & eſt incommunicabilis ſecundo modo; quia paternitas ſi communicatur Filio; aut alia, & tunc non eſt alia incommunicabilis. Si eadem, tunc non refertur ad Filium, quia relatio in Filio non refertur ad Filium.

Dico tunc, quòd eſt incommunicabilis, quia eſt prior ſpiratione, & hæc eſt cauſa eſſe incommunicabilem per ſe, & formaliter, quia de ratione ſua eſt prior ſpiratione, vnde ſi ponis ſpirationem eſſe priorem ea, tollis à paternitate rationem paternitatis.

Item arguitur, conſtitutum ex diuerſis communibus non eſt per ſe vnum, nec in re, nec in intellectu; eſſentia & relatio pertinent ad diuerſa genera, ideò non conſtituunt ſuppoſitum, quod eſt per ſe vnum.

Dico quòd in creaturis diuerſa genera non faciunt per ſe vnum, ſicut in Diuinis relatio, & eſſentia.

Triplex vnū. Alij dicunt, quòd ſuppoſitum quod eſt in eſſentia creata non eſt per ſe vnum, ſed aggregatum eſt ex natura, & proprietate indiuiduali, quæ eſt actualis; ita in Diuinis; niſi eſſet proprietas hypoſtatica identicè idem cum eſſentia, non eſſet ſuppoſitum per ſe vnum, ſed modò oppoſitum eſt verum.

Alij dicunt, quòd diuinum ſuppoſitum eſt perfectiſſimè vnum, non tamen per ſe vnum: vnum enim eſt tripliciter; vno modo, ſicut conſtitutum ex rebus diuerſorum generum, quæ tamen ſunt idem identicè, eſt vnum ſimplicitate. Alio modo ſicut compoſitum ex materia, & forma eſt vnum per ſe. Tertio modo, ſicut lignum, & album faciunt vnum per accidens.

Item, ſi relatio conſtituit, aut effectiuè, quod falſum eſt; aut formaliter, & tunc relatio eſt formaliter in genere ſubſtantiæ, cùm conſtitutum ſit perſona, quæ non eſt niſi in genere Subſtantiæ.

SCHOLIVM.

Reſolutio huius collationis, iuxta Doctorem, & communem, 1.d.26.à n.4. perſonæ conſtituuntur relationibus, & explicatur & probatur ibi vſque ad n.10. & inde latiſſimè per quatuor vias impugnatur. Prima via eſt ex comparatione relationis ad relatum, n.10. Secunda, ex comparatione relationis ad originem, n.13. Tertia, ex ratione propria conſtituti, n.13. Quarta, authoritatibus Auguſt. Damaſ. Anſel. inter has impugnationes habentur ferè omnes difficultates hac collatione adducta pro hac parte, & multò plures, & grauiores; ſed omnes impugnationes eo ordine quo poſitæ ſunt, ſoluit ſubtiliſſimè, à n.41. quod verò hæc ſententia communis ſit ipſius Doctoris, patet intuenti eum 1.d.2.q.7. & d.5.q.2.n.16. & d.18. & d.13.q.3. & quodl.4. Ponit tamen ſententiam, quòd perſonæ conſtituuntur abſolutis, 1.d.29.n.23. eiuſque fundamēta; & ſoluit omnia argumenta contra eam, à n.31. & ideò tribuitur ei, quòd hanc ſententiam tenuerit: neque diffiteor, quin indicauerit eam defenſibilem, & non improbabilem variis locis. Quidam tamen recentiores, qui eius ſolutiones, & fundamenta non viderunt, vel non benè ponderarunt, eam cenſurant, ſed temerè.

COLLATIO XXVI.

Vtrùm intellectus paternus ſit principium formale producendi Verbum in Diuinis?

Alenſ. 1.*part.quaſt.*42.*membr.*2. D.Thom. 1.*part. quaſt.*27. *art.*5. D.Bonauen. 1.*diſt.*2.*quaſt.*2. Rich. *art.*2.*q.*1. Scot. *ibi q.*7.*à num.*4. *& alij ibi citati.*

QVòd ſic; quia voluntas in Patre, & Filio eſt principium immediatum, & formale producendi Spiritum ſanctum: ergo & intellectus paternus erit principium formale producendi Verbum. Conſequentia probatur per hoc, quòd duo ſunt tantùm modi intrinſeci producendi in Diuinis, per modum liberi, & amoris; & per modum naturæ: ſed voluntas eſt principium productionis liberè, & per modum amoris; ergo intellectus erit principium producendi per modum naturæ; ergo, &c. 1.

Item; Verbum ſecundùm definitionem eius, eſt terminus intelligibilis actionis, & manat ab intellectu, & cum eo; ſed quod manat ab aliquo, & eſt in eo, habet illud prò principio eius formali: ergo, &c. Iſtam rationem quære in ſumma Henrici *quaſt.*4.

Dicitur quòd intellectus eſt principium formale producendi Verbum, quia intellectus in Patre eſt potentia operatiua, quâ intelligit ſe, & omnia alia, quæ ſunt in eſſentia diuina, & mediante illo *intelligere* gignit Verbum, ita quòd intellectio illa actualis ſit principium producendi Verbum. Hoc declaratur ſic, attribuimus operationes conſimiles intellectui diuino, quales attribuimus intellectui noſtro, remouendo ab eis imperfectionem, quam habet in creaturis: ſed verbo noſtro formaliter intelligit intellectus noſter: ergo à ſimili de intellectu diuino, quòd Verbo formaliter intelligit Pater: ergo notitia actualis eſt formale principium producendi Verbum. *de hoc latè 1.d.2.q 7.n.13.& ſeqq.*

Contrà, ſecundùm Auguſtinum ſuper Ioan. & de Trin. vbique, *Verbum eſt ipſa cognitio formata*: ſi igitur principium formale producendi Verbum ſit ipſa cognitio: ergo idem erit ratio producendi ſe, quod eſt impoſſibile ſecundùm Auguſtinum 5.*de Trinit.* 2.

Item, ſi eſt actus, aut actus ſpeculatiuus, aut practicus: non ſpeculatiuus, quia ille non eſt productiuus alicuius: nec practicus, quia ille eſt ad extrà: relinquitur igitur, quòd non eſt actus. Probatur per Philoſophum, qui ſufficienter diuidit actus, & habitus *primo de Anima* per praxim, & ſpeculationem. *1.de Anima & 2.Met.*

Contra rationem arguitur: ſi Spiritus ſanctus producatur per amorem actualem, tanquam per principium formale, & ipſemet ſit amor actualis ſecundùm omnes Sanctos: ſequitur quòd idem erit ratio producendi ſe.

Item, notitia perfecta determinatiua obiecti in nobis eſt Verbum: ergo notitia perfecta determinatiua ipſius eſſentiæ diuinæ, tanquam obiecti diſtincti, & notitia diſtincta, eſt Verbum: ergo *Arguitur intellectionem eſſe rationem gignendi Verbum.*

ergo essentia vt actu intelligibilis præsens intellectui suo diuino, erit ratio exprimendi Verbum, & non intelligentia actualis.

Quid memoria? de hoc 1. d. 2. q. 7. n. 22, & 24.

Item, quòd memoria sit ratio exprimendi Verbum. Probo, & memoriam voco obiectum præsens intellectui sub ratione actu intelligibilis. Tunc sic: obiectum perfectissimum in nullo impeditum exprimit notitiam sui in intellectu nostro, & hoc est perfectionis in intellectu: nec potest intellectus perfectus non habere notitiam talis obiecti; sed si esset talis notitia per se stans, esset major perfectio: cùm igitur essentia diuina in primo signo est præsens intellectui paterno sub ratione actu intelligibilis, necessariò exprimet notitiam eius, quam voco Verbum; sed intelligentia actuali per te gignitur Verbum: igitur & duo verba.

Item, intellectus Filij non minùs est conuersiuus supra se, quàm intellectus paternus, loquendo de intelligentia actuali: igitur Filius posset producere Verbum, & Spiritum sanctum, cùm memoria & intelligentia, & voluntas sit in qualibet persona secundùm Augustinum 1. *lib. de Trinit.* ergo multa Verba.

Ad arg. in princip.

3. Ad primum dicitur, quòd obiectum sub ratione actu intelligibilis non est ratio producendi Verbum, sed notitia actualis, vel intelligentia.

Contrà, ex aliquo obiecto præsente intellectui sub ratione intelligibilis gignitur Verbum, & non gignitur, vel exprimitur de essentia, quæ est primum obiectum: ergo de aliquo obiecto posteriori eo potest exprimi Verbum eius.

Dicitur, quòd memoria non est principium gignendi in Patre, & obiectum tali modo præsens, quod vocatur memoria; sed aliquid posterius eo secundùm rationem, quia obiectum tali modo præsens, quod dicitur memoria, est principium operatiuum, & non productiuum.

Essentia est primum mouens respectu Verbi gignendi.

Contrà, primum obiectum intellectus diuini est primò mouens intellectum eius sub ratione actu intelligibilis, ita quòd nullum aliud secundarium obiectum mouet nisi in virtute illius ad cognitionem sui, vel cuiuscunque alterius: si igitur primum obiectum non mouet, & eius vt cogniti non exprimatur Verbum, nihil aliud mouet ad productionem Verbi.

Item, si est ordo perfectionis, & in aliquibus obiectis, impossibile est esse posterius principium producendi Verbum ita perfectum, sicut primum; sed Verbum in Diuinis est perfectum, & producitur per modum similis in natura; si posterius produceretur, tunc esset primum, & non primum, quia sicut deficiunt in entitate, ita deficient in cognoscibilitate.

Aliter dicitur, quòd memoria tali modo descripta est principium producendi Verbum in *esse* quieto, & quasi in potentia, sed in actu per conuersionem actualem intellectus super eam.

4. *Ipsam memoriã, omni alio secluso, esse principium Verbi.*

Contrà, calidum est perfectum principium producendi calorem, & in ipso passo debitè approximato statim calefacit sine alia mutatione, vel additione à parte agentis, & si aliquid concurrat, nihil tamen est ratio agendi, vel producendi actiuè, quod non præfuit in virtute & in potestate eius; sed ita est in proposito, quòd memoria, quæ habet obiectum præsens intellectum sub ratione actu intelligibilis, est agens perfectum: ergo nihil est in eo per notitiam actualem, quod non præfuit in *esse* quieto: ergo necessariò erit Verbum, per hoc principium exprimendi illud.

Dicitur, quòd impedimentum quare actiuum non semper agit, hoc est, vel propter indispositionem agentis, vel indispositionem passi; hîc autem est indispositio à parte agentis: quod potest esse sub *esse* quieto, non potest esse principium formale, & immediatum exprimendi Verbum.

Contrà, illud in agentibus quibus deficit dispositio, causa quare non perfectissimè agunt, est, quia deficit eis aliqua virtus, vel aliqua dispositio ad agendum; ad hoc igitur, vt agant, requiritur vt perficiantur, & disponantur ab aliquo alio: ergo per oppositum perfectissimum agens, quod omnia alia agentia perficit, & disponit, nullo alio indiget ad agendum. *Causa perfecta nihil eget, vt agat.*

5. Item: omne impotens ad agendum propter aliquam indispositionem, oportet quòd per aliquod aliud perfectius eo disponatur; sed nihil propter aliquam indispositionem, oportet quòd per aliud potest reperiri perfectius essentia diuina, vel intellectu eius, prædicto modo se habente, quia est agens perfectissimum.

Item, omne indispositum ad agendum, oportet quòd per aliquid disponatur: aut igitur à se, vt sub *esse* quieto, & habetur propositum, quòd ipsa de se est ratio simpliciter actiua ad producendum Verbum; aut à se vt sub *esse* actuali, & habetur similiter propositum; aut ab alio, & hoc est impossibile, quia de illo alio quæro vtrùm ex se, vel ex alio: si ex se, eadem ratione fuit standum in primo, & habetur propositum, quia illud prius est memoria tali modo dicta; si ab alio, quæro, vt priùs, & sic est in infinitum.

Item, quando quæritur de principio formali alicuius productionis, non quæritur de productione, quâ producit. Exemplum de omnibus, sed ipsa actualis intellectio, quæ ponitur secundùm te, principium formale productionis, est actio: ergo, &c.

Ad illud, intellectio actualis est absoluta, non de genere Actionis, sed de genere Qualitatis, actio autem de genere Actionis est habitudo illa, quæ est ad terminum *ad quem*.

Contrà, actionis non est actio.

Respondeo, actionis de genere Actionis non est actio de eodem genere; sed actionis de genere Qualitatis est actio, &c. & èconuerso.

Contrà, in Patre est intellectus agens, quia in ipso est quodlibet, quod melius est ipsum esse, quàm non esse; sed in ratione intellectus agens est quid nobilissimum, quia omne agens est præstantius, quàm patiens: ergo debet attribui Patri: sed si intellectus non potest circa suum primum obiectum habere aliquam actionem, non poterit habere aliquam actionem circa quodcunque obiectum secundarium. 6. *In Patre an sit intellectus agens.*

Item, quòd intellectus paternus non sit ratio producendi Verbum, quia quando est ordo aliquorum ex natura rei, posterius non potest esse ratio formalis communicandi prius. Patet, quia impossibile est terminum formaliter productum præcedere formale principium producendi; sed ita est in proposito: quia essentia, quæ priùs est, quàm intellectus, est formalis terminus productionis, igitur, &c. *Posterius non potest communicare prius.*

Item, intellectus est potentia: aut igitur actiua, aut passiua; sed perfectio prima potentiæ actiuæ, vel passiuæ est actio, vel passio de genere Actionis, vel Passionis.

Ad illud dico, perfectio intellectus est intelligere,

ligere, non quidem de genere Actionis, vel Passionis, sed de genere Qualitatis; & illa actio, quæ etiam potest dici intelligere, siue sit actio, siue passio, dicit quandam habitudinem, vel respectum ad intellectum, vel intelligere, quæ est perfectio absoluta ipsius intellectus, & ita æquiuocè dicitur actio, vel de genere Qualitatis, vel de genere Actionis.

7. Item, si intellectus possibilis sit cognitiuus, siue productiuus Verbi in Diuinis, & cuius est potentia, eius est actus, vt dicitur *in 1. de Somno & Vigil.* ergo superflueret ponere intellectum agentem ad eius perfectionem.

Item, quòd essentia diuina cum intellectu non principiat Verbum, tanquam vna causa totalis probatio, quia quandocunque sunt principia, & principia per modum naturæ, & vtraque principiat secundùm vltimum potentiæ suæ, aliquid virtualiter est in causa totali, quod non est in causa partiali, & aliquid deficit causæ principali, quod est in causa totali. Exemplum de multis trahentibus nauem, & in intellectu & specie obiecti respectu intellectionis; sed essentia Dei est infinita; ergo nihil sibi deficit in principiando, quia si sic, infinito aliquid posset addi.

Responsio, dicitur infinita, quia facit tantum, quantum faciunt infinita agentia, si essent; non tamen sumpta præcisè habet omnem modum per se, quem habet cum intellectu, aliter concluderetur, quòd Filius esset productus, & non per modum naturæ, & Spiritus sanctus, & non per modum voluntatis.

SCHOLIVM.

Resolutio, memoriam fœcundam, id est, intellectum cum obiecto præsente, vt actu intelligibili esse principium gignendi Verbum, & idem proportionabiliter de voluntate cum obiecto ostenso, respectu Spiritus sancti; ita Doct. latè, 1. d. 2. q. 7. à n. 4. improbans Patrem in gignere quatenus intelligit, quia si per impossibile non intelligeret, gigneret, & d. 3. quæst. 6. num. 9. & dist. 6. num. 5. & d. 12. q. 1. & 2.

COLLATIO XXVII.

Vtrùm Verbum diuinum sit de essentia, sicut de quasi materia?

Alens. 1. *part. quæst.* 42. *membr.* 4. *art.* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 41. *cap.* 3. D. Bonauen. 1. *d.* 5. *art.* 1. *q.* 2. Rich. *q.* 3. Scot. 1. *q.* 2. & *alij ibi post titulum citati.*

SCHOLIVM.

Adducit exquisitissimas rationes suadentes cum Henrico Verbum produci de essentia, sicut de quasi materia, & arguit subtilissimè, in passiua potentia esse perfectionem, & hanc secludi posse ab omni imperfectione, & sic transferri in Deum, sicut generatio transfertur, in eum qua in creatis dicit mutationem. Pro hac parte adducit alia quinque acutissima argumenta.

1. QVòd sic, probatur ex creaturis. Licèt eminenter sint in causis, quæ sunt creatorum: tamen non omnia, quæ in creaturis sunt, possumus attribuere Deo propriè: vt si dicatur propriè album, &c. tunc illæ solæ perfectiones Deo attribuuntur propriè, quæ sumptæ in sua intentione nullam dicunt imperfectionem, vt est sapientia, & potentia actiua, &c.

Item, primò ostendo quòd materia & potentia passiua; dicit aliquam perfectionem, & est aliqua perfectio, quia Augustinus *de natura boni*, si forma est bonum aliquod, capacitas formæ est bonum: ergo, &c.

Item, ens & bonum conuertuntur: cùm igitur materia sit ens, ergo bonum: non enim est nihil, quia substantia. Probatio, ex non substantia non fit substantia, 1. *Physic.* & 2. *de Anima* dicitur, quòd est substantia.

Secundò ostendo, quòd in materia, vel eius potentia passiua secundùm aliquam eius intentionem non includitur aliqua imperfectio; vbi notandum quòd in omni ente intelligitur aliqua perfectio, non tamen illa ponuntur in Deo, quia etiam dicunt imperfectionem; sed aliqua est intentio potentiæ inclusa in eius quiditate, quæ nullam includit imperfectionem, & separabilis secundùm intellectum ab intentione imperfecta. Probatio, transmutatio est actus proprius potentiæ passiuæ, sed actui proprio correspondet propria potentia secundùm intentionem actus proprij, & è conuerso: aut secundùm eius intentionem aliam: aliàs non esset eius potentia; sed transmutatio passiua est proprius actus potentiæ actiuæ, & potentia passiua vnam habet intentionem, quæ est mutatio: aliam habet quæ est separabilis à mutatione secundùm intellectum, & secundùm quòd conuenit diuersis, quæ non includunt imperfectionem, conuenit Deo, sicut productio; ergo potentia passiua præter mutationem, quæ dicit imperfectionem, manet in Deo. *Potentia passiua, an aliquo modo poni possit in Deo.*

2. Aliter ostenditur idem, quia aliquando est mutatio ad aliquid, quod capit *esse* post aliud *esse*, & post priuationem, aliquid capit *esse* post nihil; prima est generatio, secunda creatio; & est alia productio. quæ non dicit aliquam mutationem, nec per quam capitur *esse* post *non esse*, vel post nihil, sed tantum capitur *esse* de *esse*, tunc videtur, quòd sic est dare signum originis, in quo est Pater, non Filius, quod non est nisi esse in priori originis essentiam in Patre, quæ in Filio non est in illo priori, non tamen essentiam non esse sub filiatione, quia semper actualissimè est sub filiatione, sed posterius origine habere filiationem à se, quod stat cum hoc, quòd actualissimè habet filiationem: ideò non est dare signum naturæ, in quo Pater sit, vel intelligit, non existente Filio, vel non intelligente, sed tantùm Pater intelligit priùs origine, hoc est à se: ergo licèt essentia priùs sit sub non filiatione, non tamen in priori signo naturę; sed omnis mutatio est post negationem, vel priuationem in alio signo naturæ: ergo illa generatio non est mutatio. *Tripliciter aliquid capit esse post esse post nihil, neutro modo.* *Pater est simul natura, sed prior origine, Filio.*

Tunc dico, sicut generatio potest perdere intentionem, quæ est mutatio, retentâ intentione, quâ est productio, sicut in Diuinis: & ideò non dicit imperfectionem, & secũdùm omnem modum actui debet correspondere potentia passiua; ergo potentia passiua potest perdere intentionem, quâ est passiua susceptiua mutationis, retenta, quâ est potentia susceptiua productionis.

3. Contrà arguitur, in eodem secundùm numerum potentia est prior actu; Deus est idem numero, si ibi est potentia, ipsa erit prior actu, hoc falsum est.

Istud argumentum est Gandau. 4. *quodlib. quæst.* an in Deo sit potentia.

Respondeo, aliter est potentia in Deo, quàm in creatura: nam priuatio abscinditur à potentia in Diuinis, nec potẽtia est ibi prior actu, nisi origine, *Potentia in Deo tripliciter differt à creatura.*

& verum est formali prædicatione potentia est actus: accipitur enim ibi, vt non distat ab actu; sed in creaturis est potentia prior actu in eodem, sic non hîc in Filio, solùm est cum non esse à se.

Arguitur, quid notat ly *quasi*; aut veritatem, aut falsitatem, dico quòd ibi materia, & ly *quasi*, est nota veritatis, quoad perfectionem; non falsitatis quoad imperfectionem.

Insignis difficultas pro Henrico de quo 1. dist. 5. quæst. 2.

Similiter non est ibi compositio, quia ex ea parte quâ concurrunt, vnum est idem simplici identitate cum alio. Quòd ibi sit quasi potentia secundùm fidem, essentia priùs ordine originis est sub paternitate, quàm sub filiatione; sed omne quod in aliquo priori non est aliquid, vel ad aliquid, est in posteriori tale aliquid, vel ad aliquid, in priori fuit in potentia tale: ergo essentia habet quod per generationem est in Filio: aut igitur educitur Filius de essentia, quasi materia, quod non dicunt, quia si sic, esset ibi potentia obiectiua, quæ in creatura dicit imperfectionem, sicut subiectiua: ergo vtraque erunt ibi æquè, si imperfectio auferatur.

4. Item, relationes sunt formæ suppositorum, quia distinguunt; sed forma suppositi est, vel forma totius, vel forma partis: forma totius, sicut humanitas forma Socratis, forma partis, sicut anima est forma Socratis, nunc autem relatio non est forma totius, quia non formaliter includit essentiam: ergo est forma partis, & quasi pars; sed in creatura forma pars est forma partis, vt anima corporis; ergo in Deo forma quasi pars, erit quasi forma partis: ergo essentia est quasi materia respectu compositi.

Dices, pars distinguitur à toto; sed relatio est identicè essentia, ideò non est pars, nec forma, quia non inhæret.

5. Contrà, non tollit hanc rationem partis concurrere cum alio formaliter distincto; sed essentia & relatio ad constitutionem vnius, & sic concurrunt, habent vnionem, & sic non claudunt identitatem, quia sic non facerent vnionem; & relatio & essentia non sunt formaliter vnum in Filio, sed vnita non concurrunt identicè, sed vt materia & forma: ergo, &c. Potest dici, quòd ista potentia est Logica.

Contrà, prioritas originis est realis: ergo illam sequitur realis ordo, & realis potentia. Si dicatur, quòd est potentia obiectiua.

Contrà, omnis imperfectio in creatura, quæ sequitur potentiam passiuam subiectiuam, sequitur obiectiuam.

Item, relatio, & essentia concurrunt ad constitutionem suppositi, vt sunt duæ formalitates, seruatâ distinctione formali istorum in illa coniunctione; si igitur concurrunt ad vnitatem, antequam habent non identitatem (licèt vnum sit idem alteri, tamen concurrunt ad vnitatem vt dicitur) ergo concurrunt ad vnionem; ergo vnum est quasi materia, & alterum quasi forma.

Item, relatio est modus, & circumstantia termini: ergo modificat, & informat rem, cuius est modus, scilicet essentiam, ergo.

Item, generatio est opus naturæ, quæcunque autem operatio naturæ fit per modum impressionis formæ in materia.

SCHOLIVM.

Adducit tres instantias vrgentes, quòd essentia non potest esse quasi materia in generatione Verbi, quibus assignat subtilissimas solutiones, mirum in modum sententiam Henrici confirmantes. Miscet varias solutiones argumentorum quæ hîc non habentur: fortè apud Henricum sunt.

Contrà, quasi in materia est, quasi in potentia respectu formalis termini productionis, similiter personæ distinguerentur specie, sicut relationes. 6.

Item, ex vi productionis non habetur in aliquo nisi vno modo; sed essentia Dei habetur in Filio, vt formalis terminus: ergo non vt materia.

Item, habens in se essentiam diuinam, quacunque ratione, omni aliâ ratione amotâ, est in se perfectus, sed Filius habet eam sub ratione quasi materiæ: ergo quacunque aliâ ratione amotâ est perfectus, & ita esset perfectus Filius, non habendo essentiam diuinam, vt terminum formalem, quod est falsum.

Ad primum, si intendunt quòd essentia est formalissimus terminus generationis, cùm formalissimum in supposito distinguat suppositum, essentia distingueret; tunc dico quòd relatio est terminus aliquo modo, sicut enim in forma est terminus duplex formalis, vnus terminus specificus, vt rationalitas; alius suppositiuus, siue sit duplex negatio, siue humanitas, siue socrateitas; sic in filio Dei vnus terminus est natura, terminus suppositiuus est proprietas hypostatica; sic essentia est terminus specificus, relatio est terminus formalis hypostaticus; ideò non priùs terminatur generatio ad relationem, sed ad essentiam, vt formalem terminum, tamen sub illa proprietate: ideò non est ad aliquatio: similiter species sumitur ibi ex essentia, sicut in creaturis sumitur ex natura, ideò non distinguitur specie.

Terminus formalis duplex, specificus & hypostaticus.

Ad primum tunc dico, quòd sicut in creatura, quę est aliquid in potentia, respectu sui in actu, vt in simplici ratione, est sumere differentiam, & genus, sic aliquo modo est ibi, intellectus Dei informatur notitiâ simplici, & ille idem, vt nudus, conuertitur super seipsum, vt informatum, & ille vt informatus imprimit in nudum, ideò ille intellectus, vt nudus, & quasi informis est quasi materia, & informans est quasi forma; relatio autem est quasi forma.

de hoc latè 1. d. 2. q. 7. à num. 13.

Et cùm arguis, habens essentiam, vt quasi materia, est suppositum perfectum; dico quòd sicut sequitur, principium est: ergo principatum est, propter correlationem; & propterea additâ exclusione, sequitur opposita: vnde habere eam vt materiam, includit habere eam vt formam, & nota exclusionis addita excludit inclusum.

Ad secundum, maior non est vera in nobis: intellectus enim continens notitiam memorialem est eadem res cum nudo conuerso, qui nudus est materia verbi respectu intellectus, vt informati. 7.

Ad aliud, cùm arguitur, agens sicut producens non refertur ad materiam, nisi inquantum mouens, dico quòd hoc est falsum, vbi materia non differt à producente.

Non reperio in hac collat. arg. huius solutionis, nec sequentis.

Ad aliud, quòd producit aliquid ex materia, priùs refertur ad patiens, quàm ad productum: ergo Pater priùs refertur ad essētiam realiter, quàm ad Filium; dico quòd antecedens non est verum, nisi vbi materia differt realiter à producente, vel antecedens est verum, quando agens disponit materiam, & abiicit formam præcedentem.

Item, potentia prima actiua non requirit aliquam causam, sicut patet in creatura; ergo nec potentia prima productiua requirit causam aliam; ergo

ergo nec quasi materia; dico quòd antecedens est verum, quia infert, quòd de iure non est in causa actiua requirere aliam causam, sed de ratione causæ productiuæ est requirere aliam causam, vt quasi materiam.

Ad aliud, quod tam in generatione, quàm in spiratione vtrobique est impressio quasi formæ in materiam, arguitur.

de hoc 1. d. 5. q. 2. Item arguitur, si essentia est quasi materia, cui imprimitur relatio vt forma, quæro an essentiæ, vt est Patris, vel vt Filij, vel vt Spiritus sancti, vel vt indifferens? non primo modo, quia tunc Pater & Filius erunt vnum suppositum; nec secundo modo, nec tertio, quia illa impressio prior est, quàm sit Filius, vel Spiritus sanctus; nec quarto modo: quia sic Filius non esset magis de essentia Patris, quàm Filij, vel Spiritus sancti.

8. Respondeo, in creaturis est considerare signum, quo materia est sub forma abiicienda, aliud in quo forma educitur: terminum, quo est subiectum generationis, & quasi materia. Si quæris tunc, quando est generatio ignis in aëre, vt materia sit ignis, vel aëris; neutrum est: sed indifferens vtrique; similiter in Diuinis non imprimitur relatio in essentiam, vt est Patris, nec vt Filij, vel Spiritus sancti, sed est quasi signum primum, in quo intellectus Patris informatur simplici notitiâ; secundum in quo intellectus nudus conuertitur super informatum; tertium in quo nudus conuersus informatur. Ideò in essentia imprimitur, vt indifferens, tamen magis dicitur Filius de essentia Patris, quàm Filij, vel Spiritus sancti: sicut dicimus, quòd de materia vini educitur acetum, quia priùs fuit sub vini forma, sicut in Diuinis Filius est de essentia, vt est Patris, quia est de essentia, quæ priùs origine est essentia Patris.

Ad aliud, generatio subita, & genitum non sunt vna res, tamen generatio est priùs genito secundùm rationem, secundùm quòd intellectus priùs accipit eam, vt in primo signo; secundò vt *genitum esse* sit in Diuinis distantia generationis à *genito esse*, seu potentiæ ab actu, & hoc non est nisi in ratione.

9. Item arguitur: nihil informatur ab eo, respectu cuius est actus purus, respectus relationis non habet *esse* nisi ab essentia: ergo non informatur relatione.

Dico essentia intentione, qua est essentia fundat Filiationem immediatè, immediatione scilicet naturæ, quia nullam relationem priùs naturâ fundat: in quo enim signo naturæ fundat vnam, & aliam, tamen fundat filiationem mediatè, scilicet mediatione originis, quia mediatè generatione, tamen immediatè immediatione naturæ.

Tunc dico, essentia est purus actus respectu filiationis, inquantum fundat eam immediatè immediationem naturæ; tamen est in potentia ad eam mediatione originis.

Item, arguitur, producens inquantum huiusmodi refertur ad productum; sed inquantum mouens refertur ad materiam: pater est mouens: ergo, &c.

Dico quòd producens vt sic non refertur ad materiam, nec inquantum mouens, sed inquantum imprimens.

Qui vellet sustinere, quòd essentia non se habet vt materia in generatione, posset respondere ad rationes factas.

SCHOLIVM.

Soluit sex argumenta, posita in principio suadentia Verbum gigni de essentia, vt de quasi materia, per claram & pulchram doctrinam: & egregiè disputat circa solutionem asserti, quomodo essentia & relatio faciunt vnum per se, sine eo quòd vnum sit potentia, & alterum actus, & hæc est eius resolutio 1. d. 5. q. 2. n. 5. vbi quinque argumentis eam probat contra Henricum.

AD primam, quando arguitur, quòd non includit imperfectionem, est in Deo, concedo: sed ratio subiecti non includit imperfectionem, nego. Ad probationem, mutationi correspondet ratio subiecti secundùm omnem sui rationem, seu intentionem, concedo; sed productio includit in aliqua ratione mutationem: dico quòd falsum est, vnde dico quòd productio, & formatio habent formales rationes distinctas formaliter, & sunt sine contradictione separabiles ab inuicem: quia productio est formaliter ipsius producti, & accidit sibi quòd fiat cum mutatione alicuius partis compositi; mutatio autem formaliter est actus mutabilis, quod de priuatione transit ad formam. Quòd autem mutatio concomitetur productionem in creaturis, hoc est propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non potest dare totale *esse* termino productionis, sed aliquid præsuppositum transmutat, & sic producit compositum: ergo sine contradictione poterit separari comparando ad potentiam productiuam perfectam, sicut patet in creatione, vbi propter perfectionem potentiæ productiuæ ponentis primò *esse* totum, verè est ratio productionis inquantum per eam verè productum accipit *esse*, sed non est ratio mutationis, inquantum mutatio dicit aliquid substratum aliter se habere nunc, quàm priùs, secundùm Philosophum 6. *Physicor.* quoniam in creatione non est aliquid substratum. 10. *Creatio quomodo non mutatio.*

11. Ad arg. n. 3. Ad secundum, cùm arguitur, illud quod in quocunque priori non est sub aliqua forma, & in posteriori est sub aliqua forma, in priori fuit in potentia ad illam; sed essentia priùs origine fuit sub paternitate, quàm sub filiatione in illo: ergo priori originis fuit in potentia ad filiationem.

Ad maiorem dico, quòd est falsa, si fiat distributio pro priori originis, sicut accipitur in minori, quia quòd Pater habeat essentiam priùs origine, non est aliud, nisi quòd habeat essentiam à se, & quòd Filius habeat in posteriori originis signo, non est aliud, nisi quòd habeat essentiam ab alio; modò ista possunt simul stare, quòd Pater habeat essentiam à se, & Filius à Patre, & tamen quòd in eodem signo naturæ habet eam, & nunquam Filius fuerit in potentia ad eam habendam: vnde sic arguitur, non habent eam in priori originis; ergo non habent eam in priori signo naturæ: quod requiritur ad hoc, quòd fuerit in potentia ad eam, est fallacia secundùm *quid* ad *simpliciter*, arguendo à negatione secundùm *quid*, ad negationem simpliciter. *Carens forma priùs non ideò in potentia ad eam.*

Ad tertium num. 4. Ad tertium dico, quòd ibi est potentia obiectiua: & quando tu dicis, quòd potentia obiectiua dicit imperfectionem in creatura sicut subiectiua, distinguitur: est enim quædam potentia obiectiua producibilis, quædam creabilis: prima non dicit imperfectionem, & est in Diuinis: secunda dicit imperfectionem, & est in creaturis. *Potentia obiectiua producibilis, non dicit imperfectionem.*

12. Ad quartum dico, quòd relatio est forma partialis. Et cùm dicis, quòd est forma partis, dico quòd esse formam partis potest intelligi dupliciter, vel sicut fundamenti, vel sicut subiecti: quod autem se habet in ratione subiecti respectu formæ partialis, est quasi materia, non autem quod est fundamentum.

Ad quintum, cùm dicitur, quòd prioritatem realem originis sequitur talis ordo, & realis potentia, dico quòd non est verum, nisi de potentia obiectiua, vt expositum est *suprà*, & cùm dicis, omnis imperfectio, quæ sequitur potentiam subiectiuam, sequitur obiectiuam, patet *suprà* in solutione tertij argumenti.

Ad sextum, ex duobus formaliter distinctis non constituitur quid vnum per se, nisi vnum sit actus, alterum potentia 7. *Metaph.*

Persona ita simplex sicut essentia.

Solutio secundùm Philosophum *in eodem* 7. *cap. vlt* & 8. vnitas compositi necessariò est ex compositione actus, & potentiæ, nunc autem persona in Diuinis non est composita, nec quasi composita: sed simpliciter simplex, & ita simplex, sicut essentia secundùm se considerata, nullam habens compositionem, nec quasi compositum in re, & tamen formalis ratio essentiæ est distincta à formali ratione relationis, nec vna est alia.

13. Contrà, quando ex duobus, vt sunt distincta, fit aliquid vnum maioris vnitatis, quàm sit vnitas illorum, vt distincta sunt; vnum eorum est potentia, & reliquum actus: quia si neutrum est actus alterius: ergo non magis ex eis fit vnum, quàm vt sunt distincta, cùm nullam videntur habere habitudinem ad inuicem: relatio & essentia, inquantum sunt distincta, constituunt personam, quæ est persona Deitate sola, hæc persona est magis vna, quàm ipsa, vt distincta: igitur, &c.

Item, si terminus formalis communicatur alicui, cùm dicitur terminus formalis communicatus, præsupponit illud, cui communicatur; respectus non præsupponitur cui communicetur essentia, quia tunc relatio esset prius, quàm essentia; ergo essentiæ communicatur relatio, vt essentia præexistit: ergo essentia est quasi materia.

Ad primum dicitur, quòd maior est vera, quando vtrumque est res & res, non quando vnum est res, & alterum modus intrans realitatem eius, & maximè, quando illud, quod est res, est infinitum.

14. Contrà, quæro an ex re & modo sit magis vnum per se, quàm ista, vt in se distincta sunt. Si dicis quòd sic, vnus est actus & alterum potentia, quia si vnum non sit actus, & alterum potentia: tunc erit tantùm hoc, & hoc: & tunc compositum non est per se vnum ex istis, sed ex alio. Aut si est magis vnum illa in tertio, quàm inquantum sunt distincta, oportet aliquid esse in composito vltra rationem huius & huius, & tunc aut est absolutum, & tunc hoc & hoc: aut respectus, & tunc ille respectus, per quem vnum respicit aliud, erit intrinsecus, & tunc ille respectus est actus & potentiæ secundùm Philosophos. Vis rationis stat in hoc, si *A* non est actus *B*, nec èconuerso: ergo in tertio *A*, non est vnum ipsi *B*, sicut quando distincta non sunt per se vnum, quia neutrum est de per se alterius intellectu: ergo vt in toto neutrum est per se vnum alteri: ergo totum non est per se vnum. Et tunc nihil erunt per se suppositi naturæ diuinæ, quia nec hoc, nec illud, nec hoc & illud est per se suppositum naturæ; prima consequentia probatur ex opposito consequentis.

Respondeo, ex eis fit vnum, non quia hoc & hoc, sed aliquid aliud, non per respectum, nec per absolutum, sed illud includit magis absolutum, & respectum. Contrà, si illud tertium aliud, quàm hoc: ergo persona erit aliud, quàm hoc & hoc: dico illud tertium est ista, & simul.

Contrà. ergo tantùm hoc & hoc. Solutio, illud tertium est simul vtrumque, vt habens respectum adinuicem, non tamen vt potentia & actus, sed vt res & modus. 15.

Ad primum, dicitur ad maiorem, cùm accipitur ex distinctis, vt distincta sunt, non est veriùs vnum, quàm ex eis vt distincta, nisi per aliud, quàm per rationem formalem distinctionum. Dico illud aliud, quod est ratio vniendi est identitas, scilicet quòd ista duo sunt idem identicè.

Contrà, vt distincta sunt excluditur ab eis identitas realis.

Contrà, accipiamus præcisissimè, vt potest accipi ab intellectu, essentiam illam; essentia sic accepta & paternitas non sunt idem, quia vnum ad se, alterum ad aliud. Ex illis igitur est diuersitas formalis, ex illis etiam præcisissimè sumptis est vnitas identica, si enim deitas hoc habet, quòd quodlibet sibi possibile sit idem sibi, in illo habet vnde relatio sibi compossibilis sit eadem sibi, aliter nunquam erit compossibilis sibi.

Dico aliter, quòd nunquam per aliquid quomodocunque in ratione principij vnum est ex istis formaliter, quod est aliud formaliter ab illis, vt distinguitur; vnde idem potest esse ratio conuenientiæ vnius, & distinctionis alterius, ratio quiditatis eorum est ratio non inclusionis eorum, & non identatis formaliter, & eadem est ratio proxima identitatis realis eorum, & ideò compossibilitatis eorum.

Collatio XXVIII.

Vtrùm voluntas in Diuinis, vt concors sit principium formale spirandi Spiritum sanctum?

Alens. 1. *part. quæst.* 70. *membr.* 3. *art* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 36. *art.* 4. D. Bonauen. 1. *dist.* 11. *quæst.* 2. Rich. *quæst.* 3. Scot. 1. *dist.* 12. *quæst.* 1. & *alij citati.*



ARGVITVR quòd non; quia nulla potentia liberè actiua, inquãtum talis, est principium formale productiuum productionis necessariæ; voluntas vt concors est huiusmodi: ergo. Probatio antecedentis, quia secundùm Philosoph 6. *Eth.* actiuum distinguitur à factiuo: & quia actiuum non habet terminum alium ab actu, potentia autem factiua, seu practica habet alium terminum, quàm ipsam productionem; sed voluntas vt concors est actiua: ergo vt est sic, non est productiua. Minor patet, quia non est concors, nisi per *velle*, sed *velle* est actio manens in agente. 1.

Item, quid intelligitur per *concors*, aut dicit aliud à voluntate, vel ratione, aut nihil? Si nihil, habeo propositum, videlicet quòd voluntas absoluta, sumpta absque aliquo addito, est principium, &c. Si aliquid ratione, aliquid rationis esser principium, &c. Et tunc etiam alia persona ad *esse* suum reale supponeret aliquid rationis. Si sit aliquid re, hoc non esset, nisi relatio, & tunc plures essent relationes in Diuinis, quàm communiter ponuntur à Doctoribus.

Contrà, Richard. 3. de Trinit. cap. 2. *amor iucundissimus*

cundissimus non potest esse, nisi in amore mutuo, sed hoc inest voluntati vt concordi.

Ad primum dico, quòd quia voluntas in volendo nihil producit, ideò manet; secunda ad producendum.

2. Contrà nulla potentia habens actum adæquatum, potest habere alium; sed voluntas diuina habet actum adæquatum, scilicet velle infinitum; ergo.

Dicitur, quòd verum est alium vniformem & eiusdem rationis. Sed istud non videtur valere, quia ex eo, quòd potentia est adæquata actui suo, & per actum infinitum adæquatum, non potest in alium.

Ad secundum, potest esse relatio realis, & tunc est eadem, quòd spiratio actiua, vel relatio rationis per comparationem Patris ad Filium, & è conuerso.

Contrà, principium formale productionis Spiritus sancti præsupponitur Spiritui sancto, & per consequens, vt sic non dicit respectum ad Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus intelligitur non esse.

Item, arguitur quòd non vt concors, quia quibuscunque suppositis, voluntas vt concors est ratio formalis producendi Spiritum sanctum: ista supposita producunt Spiritum sanctum, vt concordes: si igitur ratio formalis producendi Spiritum sanctum Patri & Filio est voluntas vt concors: igitur vt concordes producunt, & ita non vt distincti: ergo non sunt vnum principium producendi Spiritum sanctum contra Augustinum.

Item, ratio formalis proxima respectu productionis Spiritus sancti, est distincta in Patre & Filio: ergo Pater & Filius sunt distincta principia. Probatio antecedentis, quia secundùm te voluntas non absolutè sumpta, sed sub actu impendendi gratuitè, vel rependendi, hoc est, sub amore Filij debito ad Patrem, & sub amore gratuito Patris ad Filium, est ratio formalis proxima. Nunc autem sub isto actu tendit in obiecta, vt duo, *velle* enim Patris tendit in Filium, vt est Filij tendit in Patrem.

Dicitur quòd terminus est vnus, vel volitio vna secundùm rem, distincta tamen secundùm rationem, sicut eadem via est ab Athenis ad Thebas, &c.

3. Contrà, quæro an Pater vt diligit Filium est principium totale producendi Spiritum sanctum; quod non potest dici, quia tunc Filius nihil faceret, vel esset superfluus: tunc enim Spiritus sanctus esset ab aliquo, quo non existente nihil minùs esset: aut partiale, quia tunc imperfectum principium, & erunt sicut duo trahentes nauem, quod est inconueniens.

Dico quòd Pater est totale principium secundùm rem.

Contrà, voluntas est res, & non sic est principium, sed vt concors secundùm te, hoc est, sub duplici respectu, vt dictum est; sed voluntas non potest esse formale *quo*, sub isto duplici respectu, nec in Patre, nec in Filio: ergo neuter erit principium totale secundùm rem, sed quodlibet partiale.

Item, si voluntas est principium formale, tunc essentia habetur in Filio, & Spiritu sancto æquiuocè; quia Filius producitur ab essentia absolutè, quia essentia est principium formale producendi Filium: sed non est formale principium producendi Spiritum sanctum; sed voluntas vt concors, & productio tunc dicitur æquiuoca, quando productum non assimilatur principio productiuo.

Contra illud, quod dicebatur in quæstione, quòd *amor iucundissimus non potest esse nisi amore mutuo*; quia amor iucundissimus est beatificus, aliàs voluntas non quietaretur ibi; sed Pater non beatificatur videndo Filium, sed essentiam suam; ergo non oportet quòd amor iucundissimus sit mutuus.

SCHOLIVM.

Resolutio huius collationis, Patrem & Filium vt vnum principium, producere Spiritum sanctum, quia Pater priùs origine per intellectum dat Filio vtramque fœcunditatem, quàm exeat in actum secundæ fœcunditatis, vt habet Doctor 1. dist. 2. quæst. 7. à num. 18. ita resoluit 1. d. 12. quæst. 1. num. 2. & 11. & à num. 5. latè probat non spirari Spiritum sanctum voluntate quatenus concors, seu per amorem impensum & repensum, vt loquitur ille, pro quo faciunt rationes vrgentes hic adductæ: dici tamen potest amore mutuo, vel concordi spirari Spiritus sanctus, quia voluntate Patri & Filio communi, nata ad talem spirationem eliciendum, & sic (inquit Doctor num. 12) explicetur Richardus, fauens Henrico; vel reijciatur, quia contra Augustinum est. Secundo modo Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, explicat Doctor 2. dist. 32. num. 11. contra D. Thom.

COLLATIO XXIX.

Vtrùm alia à Deo sint volita necessariò ab eo ad esse existentiæ?

Alens. 1. *par. quæst.* 4. *membr.* 3. Rich. 1. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 1. D. Bon. 1. *par. art.* 2. *quæst.* 2. D. Thom. 1. *par. quæst.* 9. *art.* 2. Henric. *quodlib.* 8. *quæst.* 9. Scot. 1. *dist.* 8. *quæst.* 5. & alij ibi citati.

QVòd sic: quia immutabiliter volita necessariò sunt volita; sed sunt immutabiliter volita, quia ab æterno; quod autem est æternum, & immutabile: ergo, &c. quia si non necessariò voluit ea; ergo possibile est Deum non velle ea, & possibile est velle ea; ergo voluntas eius se habet ad vtrumlibet, & ita imperfecta. 1.

Dicitur, quòd non, & per hoc adducitur Anselmus: *Cur Deus homo.*

Item, voluntas est respectu finis, & essentialem ordinem habet ad finem: ideò in finem fertur: sed non habet necessariam habitudinem, nec essentialem ordinem ad alia, quæ sunt ad finem: ergo non necessariò sunt volita.

Ad primum, non sunt mutabiliter volita, licèt sint ab æterno volita, quia ibi est temporale connotatum.

Ad secundum, non est imperfectio in voluntate, sed in effectu.

Contra positionem: eodem actu vult se, & alia. Probatio, quia in Deo suum *velle* est suum *esse*, quod nullo modo est aliud, & aliud, nec mutatur, sed est idem omnino.

Contra responsionem ad primum argumentum, si non immutabiliter vult alia potest ea non velle; quæro igitur, an antequam voluit, quod non potest dici, quia ab æterno voluit; nec pòst, quia in æternitate: nec est prius, nec posterius, 2.

rius, tunc etiam esset mutabilis; nec simul dum voluit, quia tunc esset contradictio.

Ad primum, non sequitur consequentia, ipse enim est finis sui, & ideò vult se necessariò, alia autem ad istum finem ordinem habent accidentalem; vnde actus est in se necessarius, non tamen respectu talis obiecti.

Ad aliud potest non velle, & antè, & pòst.

An Deus necessariò vult esse quidditatiuum creaturarum.

Contra solutionem primi, quia non essentialiorem ordinem habet *esse* quiditatiuum rei, ad diuinam bonitatem, quàm *esse* existentiæ; sed Deus non necessariò vult per se *esse* existentiæ: ergo nec *esse* quiditatiuum; hoc est inconueniens, quia tunc habens scientiam ab æterno de lapide, non habuisset Metaphysicam scientiam, vel scientiam realem, quod est falsum, quia ab æterno habuit scientiam realem: scientia autem realis habet obiectum reale; obiectum autem scientiæ est *quod quid* rei: quia scientia quam quis habet, non est nisi de scito: ergo erit aliquid, & distinctum ab eo, & erit *quid*, quia scientia est de *quod quid est*.

3. *Potētia cum actu ab æterno qualis?*

Item, contra aliud: omnis potentia, vel est ante actum, vel cum actu, vel post actum: & ita potentia, secundùm quam *esse* habent res ab æterno, & *quod quid est*, repræsentatum cum actu simul, Deus non potest velle quod vult ante actum, quia tunc realiter non vellet, & postea vellet, nec potentia cum actu potest non velle, quia potentia cum actu est, quando actus est: ergo simul opposita.

Ad primum, dicitur quòd sufficit, quòd illud de quo est scientia, habeat *esse* repræsentatiuum, non tamen quiditatiuum, & reale.

Contrà: scientia, quam habet Deus de lapide, non est de illo secundùm *esse*, quod habet in Deo, quia tunc non esset, nisi scientia de se ipso: ergo est de aliquo, quod habet quiditatem aliam.

Dicitur, quòd verum est de aliquo repræsentato, quod repræsentatum, vt repræsentatum, non habet nisi *esse* repræsentantis, sed intellectus distinguit repræsentando, quòd *quid* repræsentatum est indifferens, vt sit ens, vel non ens, & tale non oportet habere aliquod *esse* existentiæ, vel quiditatiuum.

Contrà: actus sciendi non potest esse actus sciendi, nisi terminetur ad aliquod obiectum, quia mensuratur ab obiecto: mensuratum autem dependet realiter à mensura; ergo iste actus, vt est huiusmodi, transit super illud. Quæro igitur de illo tali super quod transit huiusmodi actus: aut est ens perfectum, aut diminutum, aut nullum. Si nullum, nulla erit de eo scientia realis: si diminutum, ergo habet entitatem diminutam realem distinctam.

4. Item, repræsentans non primò repræsentat se, vel illud in quo est, sicut species in anima non primò repræsentat se, vel animam, sed aliud repræsentandum: igitur non est nihil, & cùm idea referatur ad ideatum, & relatum ad nihil sit absolutum; tunc idea inquantum idea esset absolutum, aut diminutum, aut perfectum, sicut priùs.

Ad primum, & secundum, dicendo, quòd intellectus Dei fertur super aliquod factibile, & terminatur non ad nihil: nec ad ens diminutum, sed ad ens perfectum: non perfectum in *esse* substantiæ, nec quiditatiuo, sed ad *esse* repræsentatum, scilicet in idea, vnde benè terminatur ad ideam, ad rem vt repræsentatam in idea.

Contrà; res ista est correlatiua ideæ: ergo aliud ab idea, & sic loquimur de ea ad præsens, vt idealis, & sic aut est nihil, aut est ens diminutum, &c. vt priùs.

Ideale quomodo distinguitur ab idea.

Dico quòd ideale, vt est correlatiuum ad ideam, non est distinctum, nisi secundùm rationem intelligendi, & secundùm intellectum, sicut si pingatur in pariete Hirco-ceruus, qui non est, nec est possibilis, imago illa non repræsentat se, cùm correspondeat aliquid sibi secundùm *esse* quiditatiuum, nec secundùm *esse* existentiæ: sed intellectus dicit aliquid repræsentatum, sic intellectus Dei intelligens ideas repræsentatiuas ideatorum, distinguit repræsentata ab ideis, secundùm rationem intelligendi: nec correlatiuum est aliquid secundùm *esse* quiditatiuum, vel existentiæ.

Contrà, relatiuum ad nihil est absolutum: ergo idea est absolutum; quia correlatiuum suum est nihil. Respondeo esse ideabile in idea, est *esse* ideæ. 5.

Contrà, ad hoc arguitur, non aliter nouit Deus fienda, quàm facta: si non nouit Deus lapidem per ideam lapidis, nisi tantùm vt distinguitur ratione ab idea: ergo nec modò aliter nouit creaturam, quàm vt non factam in re, sed tantùm nouit rationes distinctas in seipso.

Item, in primo instanti, in quo idea repræsentatur intellectui, est absolutum: ergo tantùm repræsentabit ad distinctionem rationis per te, vel repræsentabit vt repræsentatiuum aliud, &c. ad distinctionem rationis, erit repræsentatum distinctum ab idea repræsentante; aut igitur habet *esse* imperfectum, & tunc vt priùs.

Dico quòd repræsentabit illud, quod prius, sed non eodem modo.

Contrà, si actus terminabatur ad idem ab æterno, ad quod modò, sed non modò determinatur vt ab æterno, ad aliquid distinctum ratione tantùm ab idea: ergo ad aliud.

Dico, vtrumque vidit ab æterno.

Contrà, si ab æterno non cognouit lapidem, nisi tantùm vt distinctum ratione ab idea: & modò cognoscit re distinctum: ergo est aliquid in obiecto vt determinat modò actum eius, quod non tunc.

Dico quòd alietas est ex parte rei, quæ ab æterno distincta ratione ab idea, modò distinguitur re ab ea. 6.

Contrà, ergo res modò obiiceretur alio modo intellectui, quàm ab æterno.

Dico, quòd non.

Contrà arguitur sic: res hæc secundùm *esse*, secundùm quod intelligitur, distingui realiter ab idea, terminat actum intellectus, non autem ab æterno: ergo non terminauit tunc secundùm *esse*, secundùm quod modò: dico quòd res non terminat actum intellectus Dei secundùm *esse* hoc, vel illud; sed *esse*, vel idea tantùm terminat.

Contrà, intelligitur secundùm aliquid *esse*, modò, secundùm quod non intelligebatur tunc: verum est à parte rei, & non à parte intellectus. Ad aliud, in primo instanti repræsentatur.

Contrà, igitur repræsentatum non habet primò *esse* suum per rationem distinctam.

Dico, idea statim repræsentat aliud.

Contrà, tunc distinguitur ex natura rei. Nego.

Contrà, ergo in primo instanti ante actum rationis, tantùm est possibile distingui, quia non distinguitur secundùm rem, nec rationem, quia tunc

tunc esset distinctio rationis ante distinctionem rationis.

An actus liberi Dei aliquid addant super actum necessarium.

Ad aliud principale, quid addit velle lapidem, super *velle?*

Dicitur, nulla realitas additur.

Contrà: igitur totum, quo vult lapidem esse, vt huius obiecti, est necessarium formaliter, cùm nihil reale additur parte obiecti, nec actus additur super actum: ergo necessariò vult, quia per nihil rationis vult me sedere.

Dico, effectus contingenter est à causa necessaria, licèt totus actus sit necessarius.

Aliter dicitur ad illud, *velle* Dei, vt est respectu me sedere, addit entitatem positiuam differentem ratione à *velle*, sicut differt relatio in Diuinis ab essentia, per intellectum; & ista entitas est intrinseca entitas Deo, cui repugnat mutabilitas, cui tamen non repugnat possibilitas.

Similiter de *nolle*, hoc est perfectionis in voluntate; quia id est ab ea differens, saltem ratione, & tamen potest esse, vel non esse.

Contrà, ex hoc sequitur aliud inconueniens, scilicet aliquid intrinsecum Deo esse possibile non esse, &c. verè idem simplex non potest esse ex possibili, & necessariò: non enim idem perfectè simplex est possibile & necesse, aliter idem erit, & non erit.

Dicitur quòd distinguitur formaliter vt res & modus.

Contrà, tunc res est quando est secundùm formam suam, 2. *Physicor.* & quando non secundùm illam formalitatem, tunc non est, &c.

SCHOLIVM.

Resolutio correspondens titulo, Deum nihil causare necessariò, ita latè Doctor contra Philosoph. 1. dist. 2. quaest. 2. num. 21. & dist. 8. quaest. 5. à num. 17. & dist. 39. à num. 12. quia verò tota ferè collatio est de scientia per ideas, & de differentia ideae & ideati, vide Doctor. 1. dist. 35. num. 12. vbi ponit ideae descriptionem ex Augustino, & num. 13. docet non esse aliud ab ipsa creatura, vt à Deo cognita, de qua ibi per totum, & dist. 38. num. 2. & 5. & dist. 39. num. 7. vbi ostendit contra D. Bon. existentiam non posse sciri à Deo per ideas, quia eodem modo repraesentant, existentia & possibilia. Resoluit scientiam non dici realem ab obiecto, vel quiditate aeterna, quia non datur distincta ab esse *diminuto de quo fusè 1. dist. 36. à num. 3.*

COLLATIO XXX.

Vtrùm Theologia Dei sit practica, vel speculatiua?

Alens. 1. *par. quaest.* 21. *membr.* 1. *art.* 4. D. Thom. 1. *par. q.* 1. *art.* 4. D Bonau. *quaest.* 3. *Prolog.* Rich. *quaest.* 4. Henric. *sum. art.* 8. *q.* 1. Vasquez 1. *par. disp.* 8. 9. Scotus *q* 4. *prolog.*

SCHOLIVM.

Resolutio huius collationis ferè est, vt hîc habetur in principio, sed latiùs habetur in quaest. 4. Prolog. nempè Theologiam Dei esse de necessariis practicam, quia conformis recta rationi, & prior volitione, ita dicta quaest. 4. num. 34. sustinet tamen Doctor num. 36. non esse practicam, quia Dei volitio non est regulabilis. Vnde problematicus in hoc videtur, ibi & 1. dist. 38. Scientia Dei de contingentibus speculatiua est, quia rectitudo contingens priùs est à voluntate eius, quàm cognoscatur ab intellectu dicta quaest. 4. num. 37. vbi tamen docet nostram Theologiam de contingentibus esse practicam, quia prior praxi & directiua eius. De necessariis idem ait num. 31. vide Schol. ibi num. 44. vbi conformiter ad Doctorem (vt videtur) dictum est Theologiam nostram esse quoad partes speculatiuam & practicam. Quod hîc num. 2. tangit, an habitus sit practicus ab obiecto, latè docet quòd sic, & non à fine, vel actu, dicta quaest. 4. num. 13.



QVÒD speculatiua: quia Theologia eius est nobilissima: aliqua speculatiua est nobilior omni practica, 1. *Metaphysica:* ergo, &c. 1.

Contrà, finis speculatiuae est veritas; sed si scientia Dei est speculatiua propriè; igitur tantùm consistet in speculatione veritatis, & non vltrà ordinaretur ad dilectionem eius, quod falsum est.

Habitus practicus dependet à quatuor.

Dicitur, quòd est practica, sed habitus intellectualis practicus dependet ex quatuor causis, scilicet obiecto practico, vel materia practica, & fine practico, & dependet ab intellectu, tanquam ab efficiente practicum habitum, vt tamen mouetur ab appetitu 6. *Ethic.* est quidem habitus practicus ab obiecto practico materialiter, quod oportet esse appetibile, & non tantùm speculabile; etiam in nobis requirit obiectum contingens operabile, formaliter autem est practicus à seipso, si duplex potest esse habitudo eius formalis notitiae conformis appetitui. Et haec est prima ratio eius formalis; secundaria, quâ est directiua, & consideratiua; obiectum etiam duplex est, appetibile, & contingens operabile, respectu scientiae nostrae; omnia ista quatuor sunt in Deo, quia essentia eius, sicut obiectum, vel materia, est summè appetibile, vel diligibile, & intellectus tanquam efficiens priùs intelligit hoc, quàm voluntas velit hoc, & ideò respectu sui, & à se Theologia eius est simpliciter practica: respectu autem aliorum à se, si sint operanda, est aliquo modo practica formaliter: non quia intellectus priùs dictat illa facienda, & postea illa voluntas velit, sed priùs intelligit simplicia, & pòst voluntas determinat ea esse facienda, & pòst intellectus intelligit ea facienda, & eadem voluntas vult inexecutiuè illa, & propter conformitatem illam, est scientia practica.

Qua ratio formalis practica.

Theologia Dei respectu sui practica, q. 4. prolog.

Ad primum dicitur, quòd Philosophus non ponit scientiam practicam respectu dilectionis, sed solùm respectu praxis, quae est in viribus inferioribus, & quae est respectu operabilis contingentis, & verum est, quòd omni tali practica est speculatiua nobilior, sed loquendo de praxi, quae est actus elicitus voluntatis, & hóc respectu obiecti nobilis, non est ita. 2.

Speculatiua non est nobilior suprema practica.

Contra positionem quaestionis, & primò contra illud, quod dicitur, quòd habitus dicitur practicus materialiter ab obiecto, & effectiuè ab intellectu, quia *sicut se habet finis in operabilibus, sic principium in speculabilibus*, quantùm ad hoc, vide licet, quòd sicut principium in speculabilibus est principium effectiuum respectu conclusionis, sic finis in operabilibus est principium continens virtualiter, & efficaciter omnia alia, quae sunt ad finem, ita quòd nihil est tale formaliter, & essentialiter, nisi per illud, quod est tale virtualiter, & effectiuè. Exemplum de subiecto, & passione, & principio, & conclusione, quia nunquam est conclusio formaliter vera, nisi quia est principium efficaciter, & virtualiter tale; & similiter de passione respectu obiecti; sed essentia diuina est huiusmodi,

Habitum nõ dici ab obiecto tantùm materialiter practicum.

iusmodi, vt finis, ideò continet omnia alia virtualiter, & efficaciter, quæ sunt ad finem, non igitur tantùm materialiter; igitur.

Item, quod dicitur in Theologia Dei ordinatur ad dilectionem vt ad finem.

3. *Finis causa nobilissima.* Contrà, finis est causa nobilissima, vnde si de omnibus causis esset scientia: scientia de fine esset nobilissima secundùm Auicennam 6. *Metaphysic.* ergo si essentia, vt obiectum non habet rationem finis; sed ipsa dilectio, ratio essentiæ in se, non esset ratio nobilissima, quod est falsum.

Contra responsionem ad argumentum, scientia speculatiua est sui gratiâ, non autem sic practica: sed gratiâ alterius; ergo scientia speculatiua est nobilior scientia practica.

An dilectio Dei sit sibi praxis. Item, contra illud, quod dicitur in positione, quòd dilectio est praxis, quia praxis est in potestate illius, cuius est praxis; sed dilectio Dei non est in potestate eius, quia necessariò se diligit, ergo dilectio Dei non est praxis.

Ad primum dicitur, quòd obiectum & finis sunt causa effectiua respectu veritatum practicarum, & operabilium, sed non tota causa sine intellectu similiter efficiente; vnde obiectum & finis, quæ idem sunt in essentia diuina, differentia solâ ratione cum intellectu diuino, sunt tota, & completa causa efficiens respectu veritatum illarum operabilium, & neutra per se est tota causa, sed tantùm causa partialis.

4. *Collat. 26.* Contrà, illud est argumentum vltimum, quod fit in illa quæstione, vtrùm intellectus paternus sit principium formale exprimendi Verbum, quòd si essentia diuina, vt obiectum, vel finis non sit tota causa efficiens respectu talis veritatis operabilis, & praxis, vt dilectionis; ergo non est simpliciter infinita, quia perfectiorem modum causandi habet cum intellectu suo concurrente, quàm per seipsum: ergo, &c.

Respondetur ibi aliqualiter.

Ad aliud, cùm dicitur, quòd praxis, quæ est dilectio, est finis, sed ratio finis est ratio nobilissima, non ergo ratio essentiæ.

Essentia obiectum, & finis dilectionis Dei. Dico, quòd actus est finis, scilicet dilectionis; sed vlteriùs ordinabilis ad finem vltimum, qui est essentia diuina, & ideò essentia sub eadem ratione à parte sui est obiectum, & finis, sicut motus ab anima, & ad animam, est ab eadem, & ad idem.

Ad aliud dicitur, quòd praxis est in potestate cuiuscunque est, ita quòd potest elici ab eo, sed potestas eius non est potestas elici, & non elici, quia hoc est potestatis imperfectæ.

Contrà 6. *Ethicor.* dicit Commentator, quòd praxis sequitur electionem; ergo potest voluntas non elicere praxim.

5. Item, necessitas naturalis non potest stare cum potestate voluntatis, quia ista sunt principia actiua opposita, necessitas naturalis, & libertas, vel potestas voluntatis; sed in potestate voluntatis non est magis diligere, quàm intellectus intelligere, non solùm non diligere.

Item, non est in potestate Dei esse non voluntas; sed dilectio sua est idem quod voluntas eius; ergo non est in potestate voluntatis ad diligendum essentiam suam.

Praxis nostra sequitur electionem, Dei non ita. Ad primum dico, quòd praxis in nobis sequitur electionem: nam quia voluntas nostra est mutabilis, ideò determinatur per circumstantias, tanquam directiua ad multa; voluntas autem Dei immutabilis, & ideò dilectio in Deo non sequitur dictamen, & consilium intellectus, & ideò in Deo non valet, quod obiicitur.

Contrà, virtus est habitus electiuus; ergo sicut possumus habere habitum intellectiuum respectu eorum, quæ sunt ad finem, ita & respectu finis, sicut patet de charitate, quæ est virtus, & respectu finis; igitur & respectu finis potest esse electio; sed electio potest dici nolitio sequens perfectam cognitionem obiecti, siue sit deliberatio, siue non; nam deliberatio, sicut consiliatio est de conclusione tantùm, & non de principio, siue de eis, quæ sunt ad finem, sed non de fine. Nam propter perfectam cognitionem principij, si assensero operari, est electio propriè, sine tamen assensu conclusionis; vt respectu huius: *honestè est viuendum*, est electio respectu huius conclusionis conclusæ, scilicet *castè est viuendum:* sed imperfectior prima, sicut cognitio conclusionis est imperfectior cognitione principij. Vnde cognitio strictè est perfectior cognitione conclusionis, quæ est imperfecta: quia non habetur ex terminis, sed concluditur ex terminis. Alio tamen modo electio perfecta est principij sine discursu, & deliberatione cogniti, tamen perfectiùs cogniti, & sic electio est praxis. *Electio dupliciter sumitur.*

Item, circa finem post cognitionem perfectam potest esse electio, & peccatum; sed summum peccatum est vti fruendis, & frui vtendis. 6.

Item, secundùm Augustinum 83. *quæst. quæst.* 7. Omne peccatum aut est ex infirmitate, aut ex malitia, aut electione; sed quando aliquis vtitur fruendis non hoc facit ex malitia, aut infirmitate; ergo electione, ergo est praxis circa finem vltimum, vnde habitus practicus est directiuus praxis, quæ est electio voluntatis. Prima igitur praxis est electio formaliter, vel secundùm electionem actus, vt volitio, & ponit necessariò delectationem circa finem in operatione practica, quâ attingit finem, sicut & speculatio ponit circa obiectum speculatiuum necessariò delectationem, quæ est passio, & non operatio: quia non est practica, nec directiua passionis, nec delectationis, quia ex obiecto præsente, & praxi elicita necessariò sequitur praxis illa, quæ est delectatio. *Omne peccatum est ex infirmitate, malitia, aut electione.* *Ex praxi elicita sequitur practica delectatio.*

Ad aliud, speculatiua est nobilior practica, quia sui gratiâ, verum est, accipiendo vtrumque in se, quando tamen speculatiua ordinatur moraliter, & in genere moris, inferior est ipsa practica, ad quam ordinatur.

Contrà: speculatiua est simpliciter nobilior in se practica: ergo etiam in speculatiua ordinata in genere moris. Probatio consequentiæ, quia mos non peruertit ordinem naturæ, sed conformatur sibi quantum potest, sed natura non statuit nobiliùs ordinari ad ignobilius. 7.

Respondeo, dico quòd intellectio non est nobilior volitione, sed appetitiua, vt appetitui finis est.

Contra hoc, quod dicitur rationem appetitiuæ esse finem; probo quòd non est finis, quia appetitio si sit moralis, non tantùm dependet à fine, sed ex omnibus circumstantiis aliis, vt per quas fit, sicut debet, & quando debet, & circa quod debet, & cætera; sed intellectio practica est nobilior tam in entitate naturæ, quàm moris, quacunque appetitiua virium inferiorum; quia est directiuum, & regula respectu actuum aliarum virium inferiorum, & sic causa: ergo non ordinatur in genere moris ad aliam appetitionem, *Arguit intellectionem esse nobiliorem appetitione.*

nem, tanquam ad finem cuiuscunque virtutis inferioris, vnde praxis non est finis intellectus practici, sed obiectum.

Dicitur quòd scientia practica ordinatur ad praxim, vt finem propinquum, talis est electio.

Contrà, tunc habetur propositum, quia consiliatio intellectus habet ordinem ad volitionem, cùm volitio sit praxis absque omni posteriori: ergo est verà practica, & hoc habes concedere, vnde volens dare pecuniam debito modo, & hoc eligens, non minùs est liberalis moraliter, & si non habet pecuniam, dum in imagine congruè eligat dare, sicut debet. Aliter enim nec Christus, nec Apostoli, nec alij pauperes, quibus deficit materia exterior verè essent liberales. Similiter eligere fortiter agere in imagine, est esse moraliter fortem, etsi nihil terribile occurrat.

An pauperes possint esse liberales, & corpore debiles, fortes.

SCHOLIVM.

Resolutio sequentis literæ habetur apud Doctorem q. 3. Prolog. num. 14. vbi docet contra D. Bonau. & alios Christum non esse obiectum Theologiæ: & contra Linconien. num. 16. Christum non esse tale obiectum, secundùm triplicem vnitatem, scilicet ad alias personas, ad naturam assumptam, & ad membra eius quæ sunt fideles. Rationes hîc factæ vtrumque benè probant.

8. AD principale, quòd Theologia Dei sit practica; illa scientia Dei dicitur esse practica, cuius primum obiectum est operabile, contingens, huiusmodi est primum obiectum Theologiæ Dei: ergo, &c. Probatio minoris, Christus totus est obiectum istius scientiæ, quia continet virtualiter omnes veritates illius scientiæ, & secundùm aliquid sui est operabile contingens, vt secundùm naturam humanam, & est factibile, quia tota Trinitas fecit Verbum esse hominem: ergo, &c.

An Christus sit obiectum Theologiæ.

Dicitur quòd non est factiua, ita quòd habeat pro termino suo necessario aliquod operabile.

Ad probationem dicitur, quòd Christus dicit compositum contingens, & operabile subsistens in duabus naturis, & ita est primum obiectum.

Dico, quòd Christus non est primum obiectum continens virtualiter omnes veritates istius habitus, sed essentia diuina.

Contrà, essentia diuina non continet virtualiter articulos fidei, qui pertinent ad humanitatem Christi, sed humanitas.

de hoc q. 3. Prol. n. 16. Item, subiecta partialia se habent ad subiectum totius, sicut partes ad totum, sed multa tractantur in hac scientia, quæ non sunt partes Dei, sed Christi, & corporis eius, vt decem tribus sunt subiectum Osee, sicut dicit glos. Totum autem subiectum est totus Christus triplici vnitate, sicut dicit Linconiensis.

Ad istud quòd omnes articuli reducuntur ad Deum mediatè, vel includuntur in ea mediatè, ita quòd omnes veritates scibiles includuntur in Deo virtualiter, sed Christum esse passum non est veritas scibilis, vt *scibile* sumitur propriè, sed benè creditum.

9. Contrà, illæ veritates contingentes, licèt sint contingentes, tamen necessariò continentur in aliquo subiecto; sed septem sunt articuli huius scientiæ, quæ tantùm conueniunt Christo, vt Christus: vnde siue sint scibiles, siue non: illud est subiectum eorum primum, cui insunt primò, & formaliter talis est Christus, & non Deus: quia illud est subiectum in scientia, de quo dici possunt omnia, quæ sunt in illa scientia, talis est Christus vnus totus triplici vnitate.

Contra istam opinionem arguo sic: de eodem subiecto est Theologia Dei, & nostra; si igitur Christus est subiectum Theologiæ; ergo nulla veritas de Trinitate est Theologica, nec multæ contingentes, vt, *Deus misit filium suum*, &c. consequens est impossibile; igitur & antecedens. Consequentiam probo. Nulla est veritas necessaria alicuius scientiæ, nisi subiectum illius scientiæ illam veritatem contineat. Vnde oportet quòd illa prima veritas sit de subiecto primo illius scientiæ, vel parte aliqua illius subiecti, vel parte integrali, vel subiectiua, vel essentiali, vel de aliquo attributo essentialiter ad ipsum primum subiectum; multę veritates necessariæ sunt, quæ non sunt de Christo, vt Pater generat, Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, nec Pater est Christus, nec pars Christi, nullo modo attribuitur ad Christum, quia si secundùm eum Christus est vnum triplici vnitate, quia sic includit personam; ergo ei non attribuitur Pater, nec attribuitur ad Patrem Verbum, quia Filius non esset essentialiter posterior Patre, nec è conuerso: ergo, &c.

de hoc q. 3. Prol. n. 14.

Quanam pertineat ad aliquam facultatem.

Item, si Christus est primum obiectum, nulla veritas necessaria est Theologica. Probo, quia quod de se est falsum, de omni est falsum, & de nullo verum *5. Metaph. cap. de Falso:* ergo quod de se non est necessarium, de nullo est necessarium; huiusmodi est Christus, quia est quoddam operabile contingens: ergo nulla veritas in eo necessaria continetur: ergo non est primum obiectum.

Item, nullum ens per accidens, habens in se conceptus diuersos, est obiectum primum primò scientiæ, quia ante scientiam de toto aggregato per accidens, præsupponitur scientia de vtraque parte eius, sicut ante scientiam de numero sonoro, præsupponitur scientia de numero, & de sono in se: quia quiditas vtriusque partis est prius scibile, quàm ipsum totum per accidens: sed Christus includit partes ex quibus non fit vnum per se, sed per accidens: ergo priùs erit scientia Theologica de vtraque parte, vel nulla erit Theologia prima. 10.

Scientia totius per accidens, supponit scientiam partium.

Ad primum dico, quòd Christus vt subiectum includit omnes veritates istius scientiæ virtualiter, sicut obiectum debet includere, scilicet primò & adæquatè, ita quòd nihil sit per se prius eo, licèt enim quodammodò accipitur per accidens.

Contrà: quod per accidens includit non est subiectum; sic enim possem dicere, quòd festuca includit omnes veritates scientiæ Mathematicæ, Metaphysicæ, & naturalis; & sic quòd festuca sit subiectum illarum, & ideò quod primò eas continet, debet esse primum obiectum, hoc est Deus: ergo sequitur oppositum positi.

COLLATIO XXXI.

Vtrùm esse *intelligibile creaturæ præsupponant Trinitatem personarum?*

D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 6. Henr. *quodlib.* 6. *q.* 2. Rich. 2. *d* 1. *a.* 4. *q.* 3. D. Bon. 2. *d.* 16. *dub.* 1. Scot. 2. *d.* 1 *q.* 1. & alij ibi citati.

QVòD sic: quia Deus non potest intelligere alia à se: nisi priùs intelligendo essentiam 1.

tiam concurrentem cum voluntate affectata: sed Deus intelligendo essentiam, producit Verbum, & Pater & Filius volendo essentiam amicitiâ affectatâ producunt Spiritum sanctum: ergo,&c.

Item; de ratione causæ potentis sufficienter,& perfectissimè aliquid producere, est perfectissimè in se subsistere: ergo cùm essentia diuina non perfectè subsistat, nisi in tribus personis; videtur, &c. Maior probatur, quia actiones sunt suppositorum. Minor patet de se.

Contrà: illud, quod pluribus conuenit per aliquid commune, dempto vno illorum, nihilominùs alteri potest conuenire: sicut sentire conuenit homini, & asino, tanquam passio, destructo homine, vel asino, nihilominùs conuenit alteri istorum; sed productio creaturæ in *esse* intelligibili conuenit personis ratione essentiæ, quia infinita est: ergo circumscriptâ vnâ personâ, nihilominùs potest alia omne producibile in *esse* intelligibili producere.

2. Item, illud de se,& ex se est perfectum principium alicuius actus, quod potest immediatè exire in illum actum, respectu cuius est principium perfectum; sed Pater de se est principium perfectum cuiuscunque creaturæ in *esse* intelligibili: ergo. Probatio minoris, quia Pater continet essentiam, quæ sufficiens principium est cuiuslibet productionis, & illud habet ex se formaliter, & non ex Filio, quia nihil habet ex Filio, sed quicquid habet Filius, & Spiritus sanctus, hoc hab t à Patre: saltem loquendo de perfectionibus essentialibus: & de his, quæ respiciunt aliquid extrà: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Iuxta duas primas rationes docet personas diuinas cùm sint ex se necesse esse, priùs habere esse, *quàm creaturas in* esse *intelligibili. Circa hoc disputat pro & contrà, exquisitas adducens difficultates; Angelico ingenio dignas; & rem penitus declarat, num.7. & 8. de quo agit latè 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. num. 13. vbi hanc habet resolutionem, & ex his dictis, quæ ibi docet solidissimè confirmantur: & licèt variæ difficultates, hìc contra ea excitet, solui possunt ex resolutionis fundamentali ratione. Vide ibi de duplici instanti naturæ, de quo Doctor hìc loquitur, & de duplici ordine originis ad intrà, & extrà, de quo etiam hìc fit mentio, & hæc cum ibi traditis collata, mutuò sese declarant & confirmant.*

3. Dicitur, quòd productio in *esse* intelligibili, præsupponit de necessitate, productionem duarum personarum,& vnius improductæ: & ita Trinitatem in personis, quod declaratur sic: omne quod est ex se necesse esse, prius est omni eo, quod non est ex se necesse esse; sed personæ diuinæ sunt ex se necesse esse, & creature in *esse* intelligibili non: ergo sunt personæ diuinæ priùs quàm creaturæ in tali *esse*. Maior probatur: quia illud quod est ex se omnino independens prius est eo, quod ab alio secundùm omne *esse*, quod habet, dependet; talia sunt creaturæ: ergo. Minor probatur, quia personæ diuinæ sunt idem realiter cum essentia diuina, quæ ex se & formaliter est necesse esse, non sic creaturæ in *esse* intelligibili, quia essent Deus; igitur.

Declaratur quomodo creatura in esse intelligibili supponũt Trinitatem.

Tamen ad argumenta potest dici, quia sicut ad possibile positum, sequitur possibile, sicut posito homine ponitur risibile: sic posito impossibili,& incompossibili non est inconueniens ex illo impossibili, & incompossibili inferre contradictionem. Ita dico in proposito quòd posito possibili, & necessario, quòd tres personæ sunt in essentia diuina: dico quòd necessariò eorum emanatio quantum ad istas, quæ emanant, præsupponitur illis, quæ non sic emanant; sed positâ personâ absolutâ, quæ positio impossibilis, vel incompossibilis est: non oportet quòd Trinitas præcedat creaturas productas in tali *esse*.

Ad primum in oppositum dicitur, quòd maior est vera: quia illud commune plurificatur in eis, sicut est in exemplo addito de *sentire*, non sic essentia plurificatur in personis.

Ad secundum dico, quòd quando aliquod principium habet aliquos actus ordinatos, non potest in actum posteriorem, nisi præsupposito actu priori. Exemplum de anima respectu *velle*, & *sentire*: sic autem comparatur essentia diuina, vel intellectus, vt principium respectu actuum ad intrà, & ad extrà.

Argumẽtum pro prima parte quæst.

Ad formam argumenti dico, quòd maior est vera, quando illa quæ procedunt ab illo principio, non habent inter se ordinem necessariò, qualis est in proposito. 4.

Contra positionem quæstionis, & contra minorem rationis pro positione; in essentia diuina non est ordo, nec prius, nec posterius: sed essentia diuina ab æterno est imago, & exemplar creaturæ in *esse* intelligibili: ergo non necessariò est ibi prior emanatio personarum præsupposita ipsi *esse* intelligibili creaturæ.

Item: contra aliam partem minoris, non sequitur si essentia diuina sit necesse esse ex se: ergo personæ diuinæ productæ erunt necesse ex se, quia essentia est aliquo modo prior personis ipsis productis: quia aliquo modo præintelligitur in eis, & personæ sunt aliquo modo posteriores; sed non valet, prius est ex se necesse esse: ergo posterius, &c.

Contra responsionem ad primum argumentum; in creaturis ponuntur duo subiecta talia, & posito per impossibile, quòd vna albedo esset in eis, nihilominus vno albo abstracto, aliud album disgregaret: ergo à simili in proposito. Et sic essentia communis eadem tribus personis vnâ personâ per impossibile circumscriptâ, nihilominus esset productio ab alia.

Ad primum dicitur, quòd licèt essentia diuina ab æterno fuerit causa exemplaris lapidis in *esse* intelligibili, tamen aliquo ordine prioritatis fuerunt personæ priùs productæ, quàm lapis in isto *esse*. Et cùm dicis, in essentia non est prius, nec posterius: verum est in ea, tamen est ordo originis, vt comparatur ad personas intrinsecas, & ad intrà productas, & vt comparatur ad quodcunque ad extrà productum: quia quodcunque aliud à Deo productum in quocunque *esse*, etsi sit æternum, tamen dependet à personis priùs origine productis, quàm aliquid producitur. 5.

Ad argumentum pro altera parte num. 4. positum.

Contrà: æternum vt sic, est formaliter necesse esse: sed necesse esse vt tale, non dependet: ergo nec essentia in *esse* intelligibili ab aliquo dependet. Probatio antecedentis: omne *esse* in quocunque genere erit formaliter necessarium, vel possibile; sed lapis in tali *esse* non est possibile: quia tale habet prius *non esse*, quàm *esse*, quia habet de se *non esse*, & vnumquodque priùs habet quod in se habet, quàm quod habet ex alio: ergo est necesse. Hæc est demonstratio probans quòd creaturæ non potuerunt esse ab æterno.

Lapis ab æterno si esset, an esset necesse esse.

Ad

6. Ad secundum dicitur, quòd essentia diuina non est nata perfectè subsistere, nisi in personis diuinis & suppositis suæ naturæ. Et cùm dicis, est prius personis productis, verum est, prioritate originis, & non prioritate simplicitatis: quia hæc prioritas non est prioritas simpliciter: & ideò non prohibet eandem esse necessitatem omnibus personis, & ipsi essentiæ, licèt necessitas intelligatur priùs origine in essentia, quàm in personis.

Ad primum dicitur, quòd posito tali casu sequitur aliud impossibile, scilicet quòd nullum verum est ita necessarium, quin posito aliquo casu destruatur.

Contrà: omne quod est in Patre est à se, & necesse esse; intelligere lapidem est in Patre; ergo est necesse; sed omne tale est prius aliquo modo illo, quod est ab alio: ergo personæ productæ ab alio erunt posterius lapide in *esse* intelligibili, quod est contra responsionem ad primum argumentum.

7. Contra responsionem ad tertium argumentum, quando aliquid est commune aliquibus, & prius est illis, quibus est commune; & omne commune est prius distinctis, quæ consequuntur illud commune; talis est essentia diuina: ergo, &c.

Ad argumentum statim positum. Ad primum; cùm dicitur, omne *esse à se* præcedit *esse ab alio*; dico quòd sunt quatuor termini, quicquid est à se prius omni eo, quod est ab alio; *esse* intelligibile est à se, hæc est falsa; quia tale *esse* est ab alio etiam causaliter.

Cùm probas, *intelligere* Patris est à se; verum est, quòd *intelligere* Patris intrinsecum non connotando extrinsecum est à se; hæc est forma argumenti.

De hoc 2.d. 1.q.1.à n.13. *An prius origine possit esse sine posteriori.* Ad rationem dico, quòd Pater habet à se *intelligere* lapidis, sed ordo naturæ est prius sine contradictione esse sine posteriori, & hoc ex ratione prioris, licèt sit contradictio ex parte posteriorum. Istud patet *5. Metaph. cap. de Priori*; sed ordo originis est esse aliquid ab alio: & isto ordine non potest esse prius sine posteriori sine contradictione, quia in priori potest esse completus totus ordo originis, & prius & posterius origine possunt esse in eodem signo naturæ, comparando intellectum diuinum, & voluntatem diuinam respectu obiecti extrinseci, & prius natura.

8. Vnde vna persona est & alia completè in vno scilicet instanti naturæ: quando comparatur intellectus & voluntas ad vnum obiectum, in primo signo naturæ intellectus habet obiectum adæquatum præsens memoriæ, & in illo signo potest producere productum sibi adæquatum; hoc autem est persona Filij infinita, quia adæquata potentiæ producentis infinitæ; & in illo primo signo naturæ communicatur natura, & voluntas, quæ in duobus est principium sufficiens productiuum amoris infiniti, scilicet Spiritus sancti; & ideò nihil aliud, præter essentiam, est intelligibile, nisi tres personæ in illo primo instanti naturæ essent productæ; hac origine positâ per intellectum, in primo instanti naturæ; comparatur intellectus & voluntas ad alia in secundo instanti naturæ, in quo est idem ordo originis in personis, qui fuit *Non omne quod est à se, prius est omni quod est ab alio.* priùs in primo instanti naturæ, quia in illo secundo instanti naturæ Pater habet à se intellectionem lapidis, & Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque; tunc quicquid est in Patre est à se, comparando ad intrinseca, non tamen in primo instanti naturæ est priùs, quàm quod est ab alio in eodem instanti naturæ, & ideò priùs Pater intelligit essentiam, quàm Filius.

Vnde primus ordo, scilicet originis est in primo signo naturæ, & ideò si nihil aliud esset intelligibile, nisi intrinsecum Deo, nulla perfectio tolleretur à personis: non autem intelligentia Patris producit aliquid in Filio, quæ producit intrinseca in tali *esse*: sed producit in Filio essentiam, quâ Filius habet posse intelligere: & ideò concomitatur intellectionem eorum, quæ dicuntur per intelligentiam. Similiter in instanti naturæ producitur lapis in *esse* intelligibili à memoria paterna, vt est in memoria: quia nihil habet in memoria, nisi essentiam, & essentialia: sed tantùm est in intelligentia; si enim lapis in tali *esse* esset à memoria, cùm à memoria sit actus intelligendi secũdus, sequitur quòd intellectus diuinus vilesceret, quia reduceretur ad actum aliquem per alia à se: vnde non est res in *esse* intelligibili priùs, quàm in *esse* intellecto in tali *esse* sit à memoria, cùm memoria sit actus, cuius virtute habetur actus intelligendi secundus; & sequitur quòd intellectus diuinus producit per actum intelligentiæ in omnibus personis in secundo instanti naturæ, vt potentia propinqua, lapidem in *esse* intelligibili. 9.

Creatura an in memoria Dei, vel in intelligentia.

SCHOLIVM.

Contra resolutionem personas priùs produci, quàm creaturas in esse *intelligibili, adducit quinque rationes, quas variis solutionibus & replicis amplificat, nihil intactum relinquens quod humano ingenio (vt videtur) indagari potuit. Rationes, earúmque solutiones, etsi satis claræ non sint, declarare nõ aggredior, quia adeò profunda sunt, vt paucis parùm proficerem; neque fusiùs agere, institutum permittit: non enim commentatorem ago.*

Contrà: non tantùm essentia Patris continet virtualiter cuiuslibet essentiæ perfectionem, sed etiam perfectiones attributales omnes, quia essentia vt in Patre in primo signo originis, est abyssus omnium perfectionum diuinarum; sed priùs absque contradictione potest esse sine posteriori, ergo, &c. 10.

Item, priùs natura est essentia ipsis rationibus attributalibus: ergo in primo instanti naturæ, qua completur totus ordo originis, non cõmunicatur essentia Filio, vt abyssus omniũ, & tunc nulla perfectio attributalis communicaretur Filio à Patre.

Item, quod Anselmus de concor. dicit, quòd in diuinis non est prioritas.

Item, intellectio lapidis, quòd habet *esse* à Deo in primo instanti naturæ, probatio, quia per Hilarium, *omne, quod est in Filio est natum, vel habet nasci*: ergo cùm Filius producitur per modum intelligendi, & vt Verbum, omne quod intelligitur, priùs intelligitur simplici intelligentiâ saltem; ergo priùs intelliguntur ideæ, & rationes omnium factibilium.

Pulcherrimè rationes.

Item, quando potentia adæquatur obiecto, secundùm id, quo adæquatur, neutrum præcedit aliud: ergo si in primo instanti, quo intellectus intelligit essentiam, est infinitæ intelligibilitatis; essentia repræsentabit infinita, quia est infinitæ intelligibilitatis; & ita repræsentabit omnia factibilia, & primò non fabricabit alias rationes, quia quanta intellectus potest intelligere, tanta obiectum potest repræsentare in primo instanti.

Ad primum, cùm dicitur, quòd essentiam esse intelligibilem, lapide non existente intelligibili, includit contradictionem à parte essentiæ: ergo, &c. potest concedi consequens, vel negari conse- 11. *Ad argum. num. 10.*

 quen

quentia: nam posterius naturâ est dependens, sed identicè idem alij non dependet ab eo; lapis in *esse* intelligibili dependet, non autem aliquid idem essentiæ diuinæ.

Ad secundum dico, quòd Anselmus loquitur de primitate naturæ. Vnde ponit exemplum, quòd materia est prior forma, quia in potentia & est perfectibilis, & mouetur ad actum: non autem est sic ibi primitas præcedens aliquid per mutationem ad actum, sicut loquitur Aristoteles de illa, secundùm quòd prioritas, quæ sine contradictione esset, sine posteriori; illa est prioritas ad secundum, aliter non esset secundum obiectum secundum illud, cùm in tota intelligibilitate dependet à primo, primum in nullo dependet ab isto. Ad aliud dico, quòd Filius non nascitur per *intelligere*, sed per *dicere*, quod est exprimere de notitia habituali perfecta illius, quod habetur actu primo, quia *exprimere* est memoriæ, non intelligentiæ, actu intelligendi, non producit Verbum, sed actu dicendi, qui præsupponit cognoscibile, scilicet essentiam.

12. Contrà, nihil concipit Pater, nisi cognitum. Respondo, quòd si caperetur *concipere*, pro *parere*, sic est falsum, quia si sic, nihil conciperet, nisi cognitũ; sic Pater priùs intelligeret Verbum, quàm conciperet Verbum, & si nosceret lapidem priùs, de notitia lapidis produceret Verbum, quia essentia æquè repræsentaret Verbum. Vnde Verbum concipitur non de cognito verbo, nec de lapide, nec de essentia, vt cognita, sic à Patre.

Contrà; si Pater non conciperet essentiam, non conciperet essentiam Verbo. Prius enim est sic notitia, quâ intelligit essentiam, quàm notitia expressiua, quæ concipit aliquid de essentia: non enim conciperet essentiam, vt communicando eam concepto, nisi priùs intelligeret essentiam simplici notitiâ: ergo cùm communicat Filio omnia intelligibilia, & rationes omniũ factibilium, pats ea intelligit: ergo cùm communicat intellectionem omnium, priùs omnia intelligit. Respondeo, prioritas, quæ est Patris, intelligendo essentiam, ad ipsum Patrem in producendo Filium, scilicet intellectus actualis essentiæ, non est ratio principij productiui, sed in proposito non est principium. Tunc dico, quòd in essentia tantùm est ratio formalis respectu productionis: si per impossibile Pater priùs non intelligeret, nihilominùs produceret Filium, sed quod est principium operandi, siue habendi actum in se, & principium producendi, priùs est principium operandi, quàm producendi: essentia autem est primum obiectum Patris perficiens Patrem in operando, & producendo, & primò perficit Patrem in operãdo, quàm in producendo; non tamen ista est ratio producendi, sed Pater habet essentiam præsentem memoriæ, & communicat eam Filio, quæ vt in Filio est ratio ita perfectè repræsentandi Filio, sicut Patri lapidem in quocunque *esse*, & alia quæ nõ sunt perficientia, sed quando aliquid potest esse principium producẽdi vniuocè, & alia æquiuocè, priùs producit se in simili vniuocè, quàm alia æquiuocè; alia producta extrinsecè sunt æquiuocè producta: quia sunt alia essentialiter à Deo: ideò non priùs pater nouit alia à se, quàm producit sibi simile in natura vniuocè, cui communicat virtutem producendi omnia alia æquiuocè, & ideò principium in operando; sed quæ æquiuocè exprimuntur ab illo principio, ideò non præcedunt illam productionem, quia Pater producit vniuocè.

13. *Si per impossibile, Pater non intelligeret essentiam produceret Filium.* Vide 1. d. 2. q 7. n. 22.

Contrà: sicut in Patre est essentia primum obiectum, idealia secundum; ita in Filio, sed licèt secundaria obiecta non sint perfectiua Patris, tamen essentia verè, & actualiter & perfectissimè continet illa: igitur essentia, vt primum obiectum nõ perfectissimè intelligitur, nisi illa intelligãtur. 14. *An essentia perfectè intelligi possit non intellectis idealibus.*

Item: idealia secundùm *esse* ideabile sunt æterna: ergo primò intellectu, & sic perficiunt intellectum diuinum Patris.

Item: contra dicta in priori, ante productionem Filij, quando Pater intelligit essentiam, essentia est ratio repræsentandi, & exprimendi se, non ante gignitionem Verbi: ergo cùm gignit Pater, alia intelligit, quæ non antè; ergo Pater aliquid acquirit per gignitionem.

Item, ex dictis erunt plura verba in diuinis: quia essentia diuina priùs communicat se sub ratione vniuoca, quàm æquiuoca; sed essentia vt in Patre est ratio communicandi se, & ita producendi Verbum: ergo à simili in Filio erit ratio communicandi se, & producendi Verbum, & similiter in Spiritu sancto, & sic multa verba. de hoc 1. d. 2. q. 7. à n. 21.

Item, voluntas antequam communicatur Filio, non est principium proximum productionis Spiritus sancti; vt autem communicatur Filio, est principium productiuum: ergo si sola sit principium productiuum, & operandi, & producendi, scilicet Filium, cùm intellectu, & non rationes attributales, vt sapientia, bonitas: illæ rationes attributales in Filio erunt rationes producendi aliam personam, scilicet sapientiam existentem. Hîc dicitur, quòd sapientia non est principium productiuum sicut essentia. 15. *Quare sapientia non est productiua sicut essentia.*

Contrà: quòd sit actiuum, non sicut potentia, sed sicut obiectum: ergo vel erit principium producendi, siue communicandi sapientiam in Filio, vel habebit Filius sapientiam per generationem æquiuocam, vel per alterationem sequentem.

Item, *intelligere* Patris respectu essentiæ, & respectu lapidis non differunt essentialiter, quia sunt vnus & idem actus.

Ad primum dicitur, quòd obiectum communicari præsupponit ipsum cognosci, quia cognitum est principium perfectiuum intellectus, non quod est ratio producendi; sic autem obiectum secundarium non est perfectiuum intellectus.

Ad probationem, dico quòd in primo instanti tres personæ cognoscunt essentiam, non aliud.

Cùm dicis non æquè perfectè.

Dico quòd non cognoscuntur alia, nisi quia tantùm sunt in primo obiecto, & priùs perfectè cognoscunt intensiuè primum obiectum, licèt nihil aliud cognoscatur ab eo. Exemplum, principium in cognitione diffinitiua est ex terminis, licèt nunquam aliqua conclusio cognoscatur ex cognitione diffinitiua extremorum, tamen cognitio eius virtualiter continet cognitionem omnium conclusionum, & extensiuè quasi in potentia; sed noscere principium diffinitiuè, quòd virtualiter continet conclusiones, est noscere principium tantùm, & non conclusiones, nisi potentialiter: quia potest esse causa earum, sicut lapis cognitus in essentia Dei virtualiter est cognitio Dei tantùm, & essentiæ & non lapidis, nisi potentialiter, & ita potest haberi perfectissima ratio essentiæ, & cognitio intensiuè, etsi nunquam lapis cognosceretur: sic igitur Deus in primo instanti naturæ cognoscitur, lapis in secundo. 16.

Contrà: obiectum primum fuit perfectissimè cognitum; ergo, &c.

Respon

Responsio, verum est intensiuè, lapis non habet *esse* perfectissimè cogniti.

Ad aliud dico, quòd quando est aliqua causa effectuum ordinatorum, & neuter effectuum producit alium, priùs causa producit vnum effectum, quàm alium, sed tunc causa non est potentia proxima & propinqua applicabilis ad actum secundum, nisi vt subest actui priori; vt anima ad *velle* & *intelligere*, non tamen habet causalitatem per actum secundum, nec ab effectu posteriori essentia est principium communicandi se vniuocè personis diuinis, & est principium communicandi se æquiuocè creaturis, quas habet in se virtualiter: illæ communicationes sunt ordinatæ respectu eiusdem principij, & non existit in actu respectu posterioris, nisi priùs sit sub priori: non tamen acquiritur sibi causalitas per illud, sed quasi tollitur impedimentum, non tamen datur actualitas alia in essentia. Vnde non potest causare lapidem in *esse* intelligibili, nisi producto Filio, & producto Filio potest; non quia hoc accipit ab eo, sed producto Filio tollitur impedimentum, scilicet potentia propinqua ad productionem.

Causa effectuum ordinatorum, non potest in primum ante secundum.

Collatio XXXII.

Vtrùm ad intellectionem, quâ Deus intelligit lapidem & asinum, præexigantur respectus diuersi, & rationes diuersæ?

Alens. 1. *p. q.* 23. *m.* 4 D. Thom. 1 *p. q.* 14. *art.* 6. *& q.* 15. *per totum.* D. Bon. 1. *d.* 33. *art.* 1. *q.* 1. Rich. *d.* 16 *art.* 2. *q.* 2. Henr. *quodlib. q.* 3. Scot. 1. *d.* 35 *q.* 1. & alij ibi.

1. QVòd sic; quia idem manens idem omnino, non potest esse ratio cognoscendi diuersa: quia tunc eodem modo se haberet ad idem, & diuersa; sed essentia diuina, vt primum obiectum intellectus Dei, est vnum: scilicet essentia diuina omnino, & eodem modo se habens: ergo non est secundùm se ratio cognoscendi distincta, vt distincta.

Contrà: Dionysius *de Diu. nom. cap.* 2. Deus per speciem omnia contemplans, vel sub vna esse circumstantia omnia contemplans: ergo per vnam præsuppositam omnia cognoscit.

Item: quod posterius est in essendo, est posterius in cognoscendo; sed iste respectus est posteriùs in essendo, subiecto; quia sequitur extrema: ergo est posteriùs in *esse* cognito: ergo non est ratio cognoscendi prius.

Ad quæstionem dicitur, quòd respectus rationis præcedit in essentia determinans ipsam in cognoscendo illud, cuius est respectus. Et hoc probatur ratione sic, vniuersaliter est verum tam in agente naturali, quàm in artificiali, quòd agens agit distincta per distinctas rationes. Hoc idem dicit Commentator *de Diu. nom. cap.* 6.

2. Ad primum argumentum in oppositum dicitur, quòd Deus est omnia contemplans per vnam causam realem, scilicet essentiam; sed diuersam secundùm rationem: quia determinatur secundùm diuersos respectus.

Ad secundum argumentum dicitur, quòd minor est falsa de respectu rationis, quia ille non sequitur extrema, nec terminos, quia in *esse* cognito est prius suo obiecto.

Contrà: si aliquod cadit medium inter potentiam cognoscendi & ipsum obiectum, priùs fertur potentia per actum suum cognoscendi super illud; quod præsentatur per illud medium, quàm super illud obiectum: si igitur respectus rei præcedit suum obiectum in *esse* cognito, quæro per quid cognoscit respectus illos; si per se, ergo eâdem ratione priùs intelligit ista, quorum sunt respectus isti. Si per alios respectus, erit quæstio de illis respectibus quomodo cognoscat: ergo erit processus in infinitum; vel oportet dicere, quòd essentia diuina sine aliquo respectu prout est illimitata ex se ad hominem & asinum indistinctè, sit ratio cognoscendi ista.

Item, quod causatur per actum rationis non est aliquid reale; sed iste respectus causatur per actum rationis; igitur isti respectus, qui dicuntur determinare intellectum diuinum, vel obiectum ad cognoscendum diuersa, quæ non sunt nisi respectus rationis, non possunt esse ratio producendi aliud reale, sed *intelligere* Dei respectu distinctorum est actus realis: ergo non causatur ab istis respectibus rationis: quia magis debet ens esse causa, vel illud quod habet rationem causæ, quàm effectus, vel illud, quod habet rationem effectus.

Item, omnis relatio sequitur suum fundamentum; fundamentum, vel ratio fundandi sequitur rem, quæ dicitur fundamentum: ergo si relatio sequitur ipsam rem in qua fundatur; ergo isti respectus rationis non sunt ratio cognoscendi istas distinctas res, vt hominem, & asinum. 3.

Ad primum dicitur, quòd maior est falsa, quando vtrumque, scilicet tam potentia, quàm obiectum est indeterminatũ: sic est in proposito, quia essentia de se est illimitata ad cognitionem illius, vel illius, & determinatur per relationẽ rationis.

Contrà: infinitum non determinatur nisi per infinitum; istæ rationes non sunt infinitæ: ergo non determinant essentiam.

Contra ita simul, & contra positionem; si medium limitatum ad *A* potest esse ratio distinctè cognoscendi *A*, & medium limitatum ad *A*, *B*, *C*, potest esse medium cognoscendi *A*, *B*, *C*, sine determinatione aliqua ex se potest esse medium cognoscendi *A*, *B*, *C*; ergo & medium infinitum ex se potest se solo, sine alia determinatione ex parte sui, esse ratio cognoscendi infinita: talis est essentia diuina: ergo. Probatio consequentiæ medio illimitato per hoc, quod ponitur illimitatum ad *A*, & *B*, nihil tollitur ab eo, quod est perfectionis, medio limitato tantùm ad *A*, si additur sibi perfectio, inquantum est illimitatum ad *A*, & *B*. Probatio aliter, species albi est medium distinctè cognoscendi album, & si sibi esset concreata species odorum, posset simul esse ratio illimitata cognoscendi album distinctè, & odorabile, & hoc simul est probatio consequentiæ & antecedentis.

Quòd vna ratio essentia repræsentet infinita.

De hoc 1. d. 15. n. 5.

Item, essentia diuina, vt est sub relatione rationis comparata per intellectum ad lapidem; aut est finita, aut infinita: si finita sine aliqua determinatione, vel relatione, vel ratione determinante ex parte sui est determinata: & similiter illa relatio est mutabilis, & non essentia diuina, quia ipsa est de se formaliter infinita. Si autem infinita, cùm respectus hominis non sit talis, nihil facit ad intellectionem cuiuscunque. 4.

Item: quòd alia sit relatio repræsentatiua, vel ratio intelligendi aliquod obiectum, & quòd intellectus non potest in tale obiectum de se, hoc est dicere simul cõtradictoria, siue conclusio sit vera, siue falsa, non curo. Istam vultis inferre ponendo essentiam esse rationem repræsentandi intellectui diuino omnia intelligibilia, & tamen quòd non

non possit in ea intellectus diuinus ferri sine talibus relationibus rationis.

Ad primum de medio limitato, & illimitato, dico quòd nec medium, nec limitatum, nec illimitatum est ratio cognoscendi alia, inquantum secundùm suam rationem absolutam considerantur, sed inquantum tale medium est, vel relatio, vel determinatum per relationes, potest esse ratio repræsentandi diuersa: & ita essentia diuina, inquantum secundùm se absolutè consideratur, non est ratio cognoscendi aliud: quia impossibile est aliquid repræsentare aliud, nisi ipsum sit similitudo alterius, vel includens eius similitudinem; & isto modo conceditur consequentiam esse bonam, sed antecedens est falsum secundùm se sumptum absolutè, & sine respectu.

5. Contra illud; si nihil est ratio distinctè cognoscendi, nisi per relationem diuinam: ergo essentia diuina non erit ratio cognoscédi se sine respectu; igitur & in visione essentia repræsentat se intellectui Patris, vel alicuius alterius personæ mediante relatione; sed non mediante relatione rationis, quia ista relatio præcedit omnem actum intellectus, & est ratio intelligendi, sed mediante relatione reali: ergo in vna persona intelligente essentiã erunt duæ relationes reales: hoc est falsũ.

Item: si relatio similitudinis determinat essentiam, cùm qualitas in oculo, vt albedo, dicatur similitudo alterius albedinis; non quia est relatio, sed quia qualitas absoluta; ipsa de se erit secũdùm rationem eius absolutam, ratio repræsentandi aliud, nec ista relatio similitudinis communicatur cum ista qualitate, nec sic est ratio repræsentandi aliquid. Primò, quia non est maior vnitas in effectu, quàm sit vnitas in causa: ergo actionis per se vnius est tãtùm vna causa per se; sed relatio rationis cum essentia diuina, vel quacunque essentia absoluta, non est per se aliquid vnum: ergo non sunt ratio vnius intellectionis: ergo vel est essentia diuina, vel relatio tantùm: sed non potest esse relatio tantùm, quia relatio non est causa actus realis, sicut intellectionis: relatio etiam nec est principium, nec terminus alicuius actionis absolutæ. Minor patet, quia non est per se vnum cum alio, quia non habet *esse* ex eisdem principiis, si sit principiatum; vel si non sit principiatum, adhuc erit illud, quo erit vnum principium: sed iste respectus rationis non est ex principiis rei, vt essentiæ, quia tunc esset relatio rationis; vel si secundum tenetur, saltem essentia diuina est vt principiata, relatio autem omnis, quæ tantùm est rationis, causatur per intellectum.

Non est maior vnitas in effectu quã in causa, non sumitur vt certum.

Relatio rationis non facit per se vnum, cum vllo reali.

6. Ad primum istorum dicitur, quòd essentia intellecta à Patre, non requirit se ex parte intelligibilitatis, vt rationem intelligendi; sed ipsa intelligitur ab intellectu, vt obiectum eius, primò primum, & non vt secundarium. Vnde quia superiùs dicitur, quòd impossibile est aliquid repræsentare aliud, nisi sit similitudo eius, vel includens similitudinem eius, vel relationem rationis, hoc intelligebatur de obiecto secundario quocunque, sed non de primo. Vnde impossibile est essentiam diuinam, vt secundarium obiectum repræsentare aliqua distincta, nisi per relationes rationis distinctas determinatur ab intellectu.

Contrà: si aliquid ex se solo sine alia relatione rationis potest esse ratio cognoscendi obiectum excellentius, licèt nihil repræsentet illud, vt similitudo eius; illud potest ex se esse ratio sufficiens cognoscendi quodcunque aliud inferius, sine omni respectu, quando inferius includitur in suo superiori secundùm totam intelligibilitatem sui; sed essentia diuina se solâ est ratio cognoscendi seipsam sine omni respectu secundùm se, & includit eminenter intelligibilitatem cuiuscunque obiecti secundarij: ergo se solâ sine omni respectu potest esse medium cognoscendi omnia alia.

Repræsentans excellentius per se, repræsentat minùs excellens, & quando?

Respondeo; quando obiectum est extra intellectum, & non est ipsum, requiritur similitudo obiecti in intelligente obiectum: quando autem obiectum est præsens, non requiritur: sic est in proposito de obiecto primo, & secundo, quòd essentia vt primum obiectum, semper est ex se ratio cognoscendi se; vt autem repræsentat alia quæ non sunt ipsa, determinatur similitudinibus ipsorum. 7.

Ratio quare requiruntur ideæ, ad intelligenda obiecta secũdaria, non ad essentiam.

Tunc ad formam argumenti, dico quòd prima consequentia vera est cæteris existentibus æqualibus; sed quia obiecta extrinseca, vt secundaria, non sunt per se principia, ideò requiruntur eorum similitudines; obiectum autem primum, ex quo est præsens semper intellectui paterno, ex se solo est ratio cognoscendi intrinseca, & se.

Contrà: si intellectus præcisè, vt præcedit intellectionem obiecti determinantis actum intellectus, ex hoc solummodò, quòd potentia est, nihil requirit circa obiectum eminentiùs: multò magis nec requirit aliquid circa quodcunque aliud obiectum inferius: ergo si essentia non solùm habet rationem terminantis actum potentię, sed etiam rationem principij principiatiui, habetur propositum. Probatio consequentiæ; quæcunque potentia se solâ est principium sufficiens eliciendi actum, & potest habere actum circa obiectum eminentissimum, potest circa quodcunque inferius obiectum.

Dicitur, quòd verum est, aliis existentibus æqualibus; videlicet quando vtrumque intellectui æqualiter est præsens, quæ autem sunt principia secundùm se, non requirunt similitudinem, sicut de aliis extrinsecis.

Contrà: potentia, quæ non habet suum obiectum præsens, & potest per actum suum facere suum obiectũ pręsens, potest se solâ elicere actum. Exemplum, si calor potest se solo facere obiectum sibi præsens per actum suum, potest se solo elicere actum calefactionis; sed si intellectus diuinus ex se solo facit omnia obiecta præsentia: ergo se solo intelligit: ergo sine talibus respectibus. 8.

Item, essentia diuina sub ista relatione, aut est finita, aut infinita: si finita, igitur est imitans, & non imitabilis, quod falsum est. Si infinita, tunc non est magis propria vni ad repræsentandum vnum, quàm aliud.

Essentia diuina, sub idea finita potius.

Dico quòd nec sub ratione finita, nec infinita, est ratio repræsentandi sic asinũ; sed vt determinata respectu intellectus accipitur sub ratione finita.

Contrà: illud, cuius est intellectus, non intelligitur, quod est impossibile: quia intellectus comparat aliquid, vt essentiam ad aliud sub alia ratione, sub qua intelligit eam; sed si intellectus non comparat essentiam ad aliud, nisi vt in se intellecta: ergo intellectus potest ex se vtrumque extremum distinctè cognoscere.

Item: si nõ vt infinita est ratio repræsentandi: ergo non vt imitabilis est ratio repræsentandi: quod falsũ est, quia nõ est imitabilis, inquantũ finita, & si vt infinita erit de se ratio omniũ repręsentatiua.

Essentia vt finita non est imitabilis.

Item; illi respectus rationis repræsentantes essentiam, intelligibiles sunt, vt obiecta; quæro per quid intelliguntur: si per essentiam: ergo propositum; 9.

tum; quòd eſſentia de ſe ſine aliqua relatione eſt ratio cognoſcendi alia: ſi per alias relationes, quæro de aliis rationibus, ex quo ſunt intelligibiles per quid cognoſcuntur? ſi per eſſentiam, ſicut priùs: ſi per alias, proceſſus in infinitum. Nec poteſt dici, quòd ſunt cognoſcibiles per ſe ipſas, quia quodcunque obiectum intelligibile etiam minimum, natum eſt formare in intellectu conceptum ſuum, ſicut in paſſo approximato, ſed ſi intellectus diuinus intelligit infinitas relationes per ſe, vileſceret: quia pateretur, vel reciperet aliquam perfectionem formaliter ab aliquo, quod formaliter non eſt Deus.

Si Deus intelligeret res ad extra per ipſas, vileſceret.

Dicitur, quòd intelligit, vt obiecta non mouẽtia intellectum, ſed intellectus de ſe mouet ſe ad intelligẽdum talia intelligibilia, ſiue cognoſcibilia.

Contrà: aut intellectus ſe ſolo mouet ſe ad intelligendum iſtas relationes diuerſas, aut eſſentia ſola, aut iſtæ relationes ſolæ mouent. Si iſtæ relationes ſolæ mouent, vel etiam partialiter, vileſceret intellectus diuinus: ſi eſſentia ſola, habeo propoſitum: ſi intellectus ſolus: ergo ſe ſolo eſt ratio cognoſcendi diſtincta, quod eſt priùs negatum.

Item, intellectio lapidis eſt perfectio ſimpliciter, & per conſequens infinita; ſed relatio rationis, quâ per te eſſentia determinatur, eſt finita; & ens minutum, 6. *Metaph.* ergo non poteſt eſſe ratio cognitionis alterius infiniti.

SCHOLIVM.

In hac collatione ſtatim poſt initium ponit opinionem dicentium Deum nihil ad extrà cognoſcere poſſe niſi per reſpectus ſuperadditos eſſentia ſua, ſeu ideas, contra quam diſputat, ſed vſque ad finem, omnibus obiectionibus, & replicis mirabili ſubtilitate reſpondet. Eius reſolutio, tales reſpectus minimè admittendos in Deo, vt cognoſcat per eas creaturas: & probat 2. d. 35. n. 5. tribus rationibus claris & efficacibus, & alijs rationibus ſpecialibus, contra D. Thom. ibi à n. 7. & ponit deſcriptionẽ idea, n. 12. quòd ſit ipſa creatura, vt à Deo cognita, *& ſic n. 13. intelligendum vult Auguſtinum dicentem* neminem eſſe poſſe ſapientem niſi cognitis ideis: *quia Deus non eſſet extenſiuè infinitè ſapiens, ſi non cognoſceret creaturas. Vide eum d. 38. n. 2. & 5. & d. 39. n. 7. vbi probat contra D. Bonauenturam exiſtentias, vel eorum conditiones non poſſe ſciri per ideas, quia aquè repræſentant poſſibilia, futura, & præſentia; videndus etiam 2. d. 1. q. 1. n. 12. vbi tria abſurda refert ex ideis practicis, ſi in Deo ponantur ante productionem ad intrà. Doctores alterius partis, ſi viderent qua ſubtilitas Scoti hîc pro eis adinuenit; mirum in modum in ſua confirmarentur ſententia.*

COLLATIO XXXIII.

Vtrùm intelligi *lapidis à Deo neceſſariò concomitetur in lapide aliquod* eſſe *reale extra intellectum diuinum.*

Alenſ. 1. *p. q.* 23. *m.* 4. *art.* D Bonau. 1. *d.* 36. *art.* 1. *q.* Rich. *q* 4. Henric. *quodlib.* 8. *q.* 9. *& ſum. art.* 2. *q.* 23. 25. Vaſquez 1. *p. d.* 70. Scotus 1. *d.* 36.

1. QVòd ſic: omni exemplari in actu correſpondet exemplatum in actu; ſed Deus eſt cauſa exemplaris lapidis, & hoc in actu: tale eſt reale: ergo. Minor patet de ſe. Maior probatur per hoc, quòd relatiuum requirit correlatiuum in actu; exemplar refertur ad exemplatum: ergo exemplar in actu ad exemplatum in actu.

Arguit creaturas habuiſſe eſſe reale ab æterno.

Item; ſcientia non dicitur realis, niſi ſit obiecti realis; ſcientia Dei reſpectu creaturarum eſt maximè realis: quia maximè Metaphyſica: ergo obiectum ſcitũ ab ipſo eſt ens reale; quia quale eſt ens, tale eſt *eſſe*: nec poteſt dici, quòd illud *eſſe* non eſt aliud ab *eſſe* diuino, quia Deus cognoſcit ea in proprio genere, & ſic habet ſciẽtiã de illis, vt ſunt aliud à ſe: ergo habẽt *eſſe* reale aliud ab *eſſe* diuino.

Contrà: terminus *à quo* creationis eſt omnino non ens; ſed ſi lapis ante productionem habuit aliquod *eſſe* reale, non fuit omnino non ens: ergo non potuit produci per creationem, quod eſt inconueniens.

Item, per auctorem Auguſt. 5. ſuper Gen. loquitur de electis. *Illos ab æterno Deus apud ſe habuit, non in ſui natura, quâ nondum erant, ſed in ſui præſentia, quâ illos nouit, ac ſi eſſent.*

Dicitur, quòd nõ; quia ſi lapis intellectus ſit res, aut accidens, aut ſubſtantia: non ſubſtantia: quia cũ illius ſit propria ratio ſubſiſtere; ſequitur quòd ſubſiſtẽtia eius fuiſſet ab æterno, & per cõſequens nihil poſſet Deus facere de nouo: ſi accidens, cùm accidẽtis ſit in eſſe ſubſiſtẽti, ſequitur quòd priùs: ergo nullo modo præceſſit creationem, vt res alia. 2. *Opinio.*

Item: ſi ſic, aut habet *eſſe* creatum, aut increatum: non increatum: quia tunc eſſet Deus, ſi creatum: ergo totum ſecundùm ſe nouum.

Item Auguſt. ad Voluſianum, *tota ratio facti eſt potentia facientis in rebus mirabiliter factis*: ergo nihil præfuit eius, quod producitur.

Ad primũ dico, quòd cauſæ in actu, correſpondet effectus in actu; verum eſt in actu intellecto, ſed non in actu reali, realitate propriâ cauſati. *Ad argumentum in initio.*

Ad ſecundum dicitur, quòd ſcientiæ reali correſpondet obiectum reale intellectum, non reale ſub proprio actu, & in proprio genere, & hoc ſufficit ad ſcientiam realem.

Contra poſitionem quæſtionis arguitur ſic: ſubſtantia dicitur de quiditate ſubſtantiæ, quæ eſt natura, & de prima ſubſtantia, etiam ſecundùm perfectiorem rationem realem; & accidens dicitur de quiditate accidentis, & ipſo vt ſubſiſtit in ſubiecto: ergo negare ſimpliciter in communi aliquo, per defectum alicuius infimi, & poſtremi in genere illo, eſt facere fallaciam conſequentis. *Contra rationem opinionis.*

Item, ratio quiditatis eſt naturaliter prior ratione ſuppoſiti, & primæ ſubſtantiæ: ergo non oportet ad negationem poſteriorum, ſequi negationem prioris eſſentialiter, & hoc ita concludit de ſubſtantia, & accidente, & de ratione eorum quiditatiua, & de ratione ſuppoſiti. 3.

Item: licèt inconueniens ſit aliquid ſimul eſſe creatum, & increatum ſecundùm aliquod *eſſe*; tamen ſecundùm aliud & aliud *eſſe* non; ſicut ſecundùm *eſſe* in intellectu diuino eſt increatum, & ſecundùm *eſſe* extra, eſt creatum. Et tunc arguo; exemplatum terminat actum exemplaris, ſecundùm illud *eſſe* quod eſt producibile ab exemplari, ſed lapis eſt producibilis ab exemplari ab æterno, & hoc eſt in *eſſe* reali: ergo ab æterno terminabit actum exemplaris, ſecundùm illud *eſſe*, ergo. *Iterum vrget eſſe diminutum ab æterno eſſe aliquid reale.*

Item: ſi ſcientia realis eſt obiecti realis: ergo de obiecto non reali non eſt ſcientia realis; ſed Deus ab æterno intellexit lapidem; ergo ſi non fuiſſet lapis in aliquo *eſſe* reali, non habuiſſet Deus de eo ſcientiam realem, quod eſt inconueniens.

Item; non tantùm intellexit ſe, ſed alia à ſe ab æterno, ſicut & modò intelligit: ſed alia à ſe non intelligit, vt ſunt in ſe, quia ſic ſunt idem quod ipſe; ergo ab æterno intellexit alia à ſe extra ſe.

Item, scitum à Deo refertur ad Deum, sicut mensuratum ad mensuram; sed relatio mensurati ad mensuram est realis ex parte mensurati maximè: ergo scitum quod sic refertur, est res.

Item 7. *Metaphys.* causæ in actu correspondet effectus in actu secundùm idem genus causæ.

4. Ad primum dicitur, quòd hæc non est formalis consequentia; substantia: ergo subsistentia; tamen hæc est bona consequentia, substantia est realiter extra animam; ergo subsistit, quia nunquam secundùm rem separantur: ideò si quiditas ab æterno fuisset realiter, tamen nunquam realiter esset, nisi in subsistente concomitante substantiam realiter ab æterno.

Arguit fortiter esse diminutum nō esse reale. Contrà: dicit aduersarius, non est probatum, quin quiditas posset esse exemplatum, & sic posset habere *esse* reale sine particulari quiditate. Ideò ponitur alia ratio fundamentalis talis; omnis entitas quæ non est Deus, habet entitatem à Deo, & priùs nihil erat: ergo est productum: quiditas non habet *esse* à se, ergo à Deo, & non de aliqua materia: ergo de nihilo, & sic creatur, & ita creatio est prima productio.

Item: creatio non est nisi respectu *esse existere*, sed ab æterno habuit *esse* quiditatiuum, & essentię ad quæ non terminatur creatio, scilicet *esse* intelligibile, & est productio rei in *esse* intelligibili: ergo creatio non est prima productio.

Item: ab æterno fuerunt in *esse* volito producto, ergo prius in *esse* intelligibili: ergo creatio non est prima productio; infert ex ista qualiter sequitur lapidem habuisse ab æterno verū & reale *esse*; quia si lapis ex se non habet aliquod *esse*, cùm lapis ex se in nullo *esse* habeat necesse esse; ergo in omni *esse* est productum & creatum: ergo est productum in *esse* intelligibili: ergo creatio non est prima productio. Vnde si sit, cùm sit ab æterno creatum in *esse* intelligibili; & omne creatum est productum in *esse* reali secundùm te: ergo ab æterno habuit verum *esse* reale.

5. Contra istas rationes, quòd essentia, & *existere* non differunt secundùm eos, & ideò si essentia sit ab æterno, sequitur quòd creatio sit ab æterno.

Respondeo; licèt alia opinio concedat contradictoria, tamen si debet argui contra eam, conuenienter debet argui per aliquid priùs maximum, quod posset concludere maius inconueniens, quā quod ponitur, & non debet argui contra eam per illa, quę sequuntur ad illam, tanquam inferiora ad superius; vel per ea, quæ continentur sub ea: sed quòd creatio sit ab ęterno, & ita existentia, non est magis inconueniens, quàm quod ponitur, quàm etiam dicere existentiam secundùm totam realitatem eius præcedere ab æterno, nec quòd non potest Deus annihilare aliquam rem, concederetur ab opinante, & ita per ista non sufficienter arguitur contra eum.

Quam refert Moyses in Genesi 1. c. Contrà: tunc creatio Moysi nihil esset, quàm generatio, si aliquid præfuisset ab æterno, secundùm aliquod *esse* reale.

Dicitur, quòd non: quia aliquid existens præcedit in generatione, vt materia realiter existens; vel aliquid huiusmodi in motu & mutatione præcedit *subsistere*, non tantùm materia existens.

Contrà: in Eucharistia, quando transubstātiatur panis in corpus, ibi conuertitur essentia panis in essentiam corporis, alioquin totum non conuerteretur: ergo totaliter adnihilatur essentia panis.

Dico, quòd transubstantiatio est substantiæ in actu, in substātiam in actu, quæ sunt termini illius mutationis non *esse* essentiæ, sed *esse* existentiæ: ita quòd ante creationem mundi non potuit transubstantiare vnum in aliud, vt panem in corpus, nec manent ibi duo *esse* propriè, quia est *esse* existētiæ in proposito, sed tantùm istæ duæ essentiæ.

Contrà: Deus potest conuertere quiditatem in quiditatem. *An quiditas conuerti possit in quiditatem.*

Respondeo quòd non, quia vtraque formaliter necessaria.

Contrà: generatio est de *non esse* ad *esse*, ita quòd aliquid sibi subsistat: tunc creatio est generatio.

Item, producēs aliquid; & cognoscēs, cognoscit omne illud, quod producitur, & *non esse*, & prius *non esse*, quàm *esse*: ergo omnino nihil pręsupponit.

Ad primum dicitur, sicut priùs, quòd generationi præsupponitur *esse* existentiæ; creationi autem tantùm *esse* essentiæ.

Ad secundum, quòd falsum est quod assumitur; Deus enim licèt intelligēdo produceret Filiū, non tamen cognoscit *non esse* Filij: falsū est ergo, quando per cognitionem aliquid producitur. Vnde respectu illorum Deus nō dicitur agens artificiale, sed producit illa, vt natura, non vt cognoscens.

Contra primam responsionem, quæro de *esse* exemplari; aut *existere* est alia essentia ab essentia existentiæ, aut eadem essentia: si eadem, ergo creatā vnā, creatur altera, & si vna ab æterno, & altera, si esse existere sit; vel alia essentia & aliud ab *esse* existentiæ, & quælibet res secundùm istos; sed *esse* essentiæ est ab æterno: ergo adhuc *esse* existentiæ secundùm essentiam, erit ab æterno; & tunc vlteriùs erit quæstio, quæ prior, de *existere* & essentia eius, vtrùm sint eadem, vel non, vt priùs, & est processus in infinitum. 7. *Argumētum vrgentissimū contra ponentes essentias rerum ab æterno.*

Ad primum dicitur, quòd actio secundi agentis præsupponit *esse existere* alicuius, & termini primi agentis, vt *existere*.

Contrà, cognoscens producens aliquid, priùs cognoscit illud.

Responsio: falsum est quando illud per cognitionem producitur. Vnde respectu istorum, Deus est naturalis artifex, & omnia producit vt natura, non vt cognoscens in *esse* essentiæ.

Contrà, generatio est de non tali ad tale, id est, de *non esse existere*, ad *esse existere*: ergo generatio est creatio.

Responsio: verum est, si *non existere* dicat priuationem, quæ est in materia.

Contrà: quiditas magis habet intelligibilitatis, quàm materia; ergo magis habet actualitatis, quàm materia: ergo si materia prohibet creationem, magis quiditas. 8. *Quiditas an plus habet entitatis, quàm materia.*

Dicitur, quòd *esse existere*, & *esse* quiditatiuum, sunt *esse* alterius rationis, & ideò non comparabilia; & ideò non potest cōcludi, quòd vnum sit magis ens, quàm aliud, cùm vnum sit aliud per virtutem infinitam, quia potest vertere albedinem in Angelum. Vnde vno modo quiditas est intelligilior, & magis ens: quia prior aliquo modo. Aliter *esse* existens est magis ens, & actualius: quia imitatur Deum secundùm duplicem rationem causalitatis, exemplaris videlicet, & efficientis, ideò habet creationē: quia talis entitas est in termino *ad quem*. Aliud est in termino *à quo*, & è conuerso.

Ad argumenta in oppositum dicitur, quòd *esse* volitum lapidis ab æterno est *esse*, quod lapis habet modò, & omne creatum voluit ab æterno modò esse.

Ad aliud, quod *intelligi* lapidis non dicitur ab *intelligi* Dei, &c.

SCHO-

SCHOLIVM.

Disputat subtilissimè hac collatione, an creaturæ habuerint esse *aliquod reale ab æterno, vt tenet Henric. per rationes hîc primò positas, dicens illud* esse *non esse à Deo efficiente, sed exẽplante, cuius opinionem sequi volentibus, hîc ministrat Doctor miras solutiones & euasiones. Resolutio eius habetur, 1. d. 36. vbi à n. 3. refutat Henricum. Primò, quia tollit creationem, quod vrget 6. rationibus. Secundò, eadem hinc sequerentur absurda, ac si ponerentur creaturæ necessariæ existentes, de quo 1. d. 8. q. 5. n. 18. Tertiò sequeretur Deum mutari, qui tamen immutabilis est, d. quæst. 5. & d. 30. Quartò ideæ essent perfectiores ideatis, (est ad hominem) & ibi soluit rationes Henrici.*

Ibidem, n. 10. docet esse *creaturarum, vt terminat cognitionem Dei ab æterno, non esse reale, nec essentiæ, nec existentiæ, sed* esse *aliquod diminutum vtriusque; vt explicat exemplo, illius* esse*, quod habet Cæsar mortuus in sua imagine, quod non est* esse *diminutum, quasi aliquid Cæsaris haberet tale, sicut Æthiops est albus secũdùm* quid*; sed est* esse *diminutum totius Cæsaris. Ex quibus patet Scotum, per* esse *diminutum non intelligere ens reale, nec medium inter reale & rationis, sed tantùm rationis. Vide quæ de hoc habet 1. d. 3. q. 4. n. 18. & d. 39. n. 30. & 2. d. 1. q. 1. n. 14. & aliàs passim.*

COLLATIO XXXIV.

Vtrùm relatio creaturæ ad Deum sit realiter ipsa essentia creaturæ, vel alia res ab essentia creaturæ.

Alens. 2. *part. q. 6. membr.* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 3. Henric. *quodlib* 9. *q.* 3. D. Bonauen. 2. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 3. Rich. *art.* 1. *q.* 4. Vasquez 1. *p. d.* 173. *c.* 3. Scot. 2. *d.* 1. *q.* 4.

1. QVÒD non; quia omnis relatio habet suam realitatem à fundamento, & est realitas fundamenti; sed essentia creaturæ est immediatum fundamentum relationis eius ad Deũ: ergo realitas eius est realitas fundamenti. Probatio maioris, quasi realitas eius sit alia realitas à realitate fundamenti; ergo ad eam posset esse mutatio realis, quod falsum est secundùm Philos. 5. *Physic.* quia *in Ad aliquid* non est motus, neque vt termini, neque vt subiecti.

Item: non minùs dependet essentia cuiuscunque ad Deum, quàm inhęrentia accidẽtis ad subiectũ; sed essentia accidentis est sua inhærentia: ergo & dependentia creaturæ ad Deum est sua essentia.

Contrà: secundo de Trinit. dicit Augustinus *quòd omnis relatio creaturæ ad Deum est accidens.*

Item, 5. de Trin. c. 5. omne; *quod non secundùm substantiam dicitur, restat vt secundùm accidens dicatur.*

2. Henr. quodl. 9 q 3. Ad quæstionem dicitur, quòd relatio creaturæ ad Deum realiter differt ab essentia creaturæ. Quod probatur per auctoritatem Beati August. lib. 7. de Trin. c. 7. & 2. *omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid exceptâ relatione.*

Et ibidem c. 3. *omnis essentia, quæ non est ad se, secundùm accidens dicitur.*

Item, per rationem sic: quandocunque aliqua duo sic se habent, quòd vnum potest manere quocunque casu posito possibili, & non possibili, alio non manente; illud non est idem realiter cum eo; sed posito casu possibili, vel non possibili, quòd Deus non esset adhuc essentia creaturæ posset esse, sed independens, quia à quo dependet, ponitur non esse: ergo eius essentia, & eius dependentia non sunt eadem res.

Item, si lapis essentialiter dependet ad Deum, ergo includit duas formalitates: ergo & duas realitates, quia formalitates diuersæ accipiuntur à diuersis rebus; & quâ ratione duas, & infinitas, ergo est impossibilis.

Ad primum argumentum dicitur, quòd maior est falsa, quia relationis realitas non est realitas fundamenti, nisi materialiter, sed non formaliter; sicut actio, & passio sunt diuersa Prædicamenta realiter, & tamen sunt idem realiter in motu, in quo fundantur. 3. Ad arg. in principio.

Ad probationem dicitur; quòd non est inconueniens, quin ad rem de genere Relationis possit esse mutatio.

Ad secundum dicitur, quòd accidens non est sua dependentia, nisi denominatiuè, sed non formaliter, nisi loquendo de relatione, quæ secundùm illud, quod est, dependet formaliter. *Accidens quomodo est sua dependentia.*

Contra solutionem quæstionis; quo aliquid distinguitur ab alio, est idem realiter cum illo. Exemplum de differentia, quæ distinguit vnum ab alio, quia idem est principium essendi, & distinguendi; sed quæcunque essentia creata, est essentialiter dependens; ergo. Probatio minoris, quia quæcunque alia essentia ab essentia diuina, non est ipsum *esse*, sed illi conuenit *esse* participatum; tale est dependentia, ergo, &c. *Distinguens idẽ distincto.*

Item, quod non potest esse, nec intelligi sine alio, videtur esse idem realiter, & essentialiter cum illo: sed essentia creaturę non potest esse sine dependentia eius ad Deum; ergo. Probatio minoris, creatura non potest esse, nisi effectus Dei sit; effectus essentialiter includit relationem ad Deũ, vt ad causam; relatio includit dependentiam; nec potest intelligi sine alio extremo, quia vt sic, aut vt essentia determinata, aut vt indifferens: si vt indifferens tantùm; igitur distincta non potest intelligi sine dependentia: si vt determinata: ergo intelligit relationem eius ad Deum, quia posita essentia creaturæ, & Deo, statim ex natura extremorum necessariò oritur relatio inter illa.

Contra responsionem ad primum argumentum: si sit idem materialiter, ergo idem realiter, quod est propositum. 4.

Contra secundum est Philosophus 5. & 7. *Physic.* quòd in *ad aliquid* non est motus, & nota rationem eius ibi. *Est ad solutionem probationis.*

Contra tertium argumentum sic: *accidentia non sunt entia, nisi quia sunt entis*, 7. Metaphysicæ: ergo eorum essentia est eorum dependentia: & cùm non minùs dependeat creatura ad Deum, quàm accidens ad substantiam, essentia creaturæ non est ens, nisi quia dependet ad Deum.

Ad primum dicitur, quòd illud, quod distinguit, potest esse aliquid illius generis, cum illo, quod distinguit, & de natura sua intrinseca: sic maior est vera, vt patet de differentia essentiali, quæ distinguit rem intrinsecè, & sic est minor falsa: quia relatio non distinguit primò tanquam intrinsecum rei, sed sicut secundariũ, & accidens rei. Ad primum contra solutionem q.

Ad secundum dicitur, quòd consequentia non valet, si non potest intelligi, nec esse sine alio: ergo est de essentia eius intrinsecè. Exemplum: vita hominis non potest intelligi, nec potest esse sine proportione humorum ad inuicem; tamen illa proportio est accidens homini de genere Relationis, ita hîc. *Quod non potest esse sine alio non ideò indistinctum ab eo.*

Ad probationem dico, quòd non potest creatura intelligi, nisi sit effectus Dei, vel actualiter, vel aptitudinaliter; sed istud nomen *effectus* includit duplicem conceptum in omnibus, exceptâ relatione, 5.

tione,quia formaliter dicit conceptum relationis ad causam,& materialiter, siue denominatiuè includit omnem conceptum illius,in quo fundatur, quod formaliter refertur;& cùm vlteriùs infers, quòd posita essentia creaturæ, & Deo,statim oritur relatio, & dependentia ex parte creaturæ,verum est aptitudinaliter, vel fundamentaliter, vel denominatiuè,sed non formaliter : quia inquantùm est creatura, dicit conceptum duplicem. Et cùm vltrà dicis ; si per essentiam distinguitur:ergo non distincta, concedo quòd per essentiam suam quæcunque creatura distinguitur, & primò à Deo , & à quocunque alio , sed secundariò per accidens,& communiter per relationem.

Ad impugnationes argumentorum pro sol.quæst. Ad aliud dico,quòd in *Ad aliquid* est mutatio. quære Henricum & Varronem.

Ad aliud dico,quòd accidentia sunt entia,quia entis,verum est effectiuè,quia ab aliquo efficiuntur,& causantur ad hoc , quòd sint essentia : cum hoc tamen stat , quòd sint entia in se formaliter, alia à substantia.

6. Contrà : relatio si sit alia realitas à realitate fundamenti:ergo illa realitas aut erit formaliter alia habitudo, aut aliquid aliud præter habitudinem:si sit aliud ab habitudine, ergo est absolutũ, quod est impossibile,quia diuidentia ens sunt incompossibilia ; ens ad se,& aliud sunt talia : ergo est indifferens, & indistincta secundùm se ad omnem habitudinem hanc & illam,& per consequẽs genus relationis non habet proprium distinctiuum in genere suo. Illud nihil valet, quia dico, quòd quiditatiuè est alia realitas à realitate fundamenti : ergo indifferens,falsum est;quia omnis relatio creaturę ad Deum fundatur super tertium modum relatiuorum : quia super rationem mensuræ & mensurati,vel super primum & secũdum, & determinatæ,& distinctę habitudines,& maximè relatio existens in alio,cùm sit accidens:maximè erit distincta,quia existit in distincto, sicut albedo,licèt per se sit indifferẽs,vt existat in aliquo supposito,semper est necessariò determinata.

7. Contrà Augustinus *5.de Trin.c.5.*docens naturam accidentis,dicit *quòd non solet dici accidens,nisi quod aliqua mutatione accidentis amitti potest*; tunc arguo sic : illud, quod non est amissibile, non est accidens:sed aliqua relatio nullâ mutatione accidentis amitti potest; ergo non est accidens. Probatio minoris , impossibile est intelligere essentiam lapidis amittere rationem exemplati ad intellectum diuinum,vt exemplar: ratio exemplati dicit relationem:ergo non est accidens.

Arguit relationem creatura ad Deũ non esse accidens.

Item:si sit aliud à sua relatione , ergo illa relatio quâ refertur , habebit aliam relationem , quâ referetur,& illa aliam,& sic erit processus in infinitum,quia secundùm Augustinum 7.de Trinit. cap.5.*Omne quod relatiuè dicitur.*

Item:tunc essentia lapidis necessariò dependet ad Deum,& quælibet alia res relatiuè habet quatuor terminos,quia essentia creaturæ absolutè est dependens ad Deum,& similiter relatio, vt quædam res alia dependet ad Deum : ergo includit alios terminos, ergo quatuor termini, duo reales in creatura,duo secũdùm rationem ex parte Dei.

8. Ad primum dicitur,quòd Augustinus distinguit ibi duplex accidẽs,scilicet separabile,& inseparabile;separabile potest amitti,non inseparabile. Ad minorem, cùm dicis,quòd relatio nulla mutatione amitti potest,manente subiecto denominatiuè relatio,sed non essentialiter;ergo non est accidẽs; non sequitur,sed est fallacia consequentis ab ali-

Insignes difficultates pro Henric.

quo habente plures causas veritatis ad vnam:non enim sequitur,nullâ mutatione amitti potest ; ergo non est accidens , quia accidens inseparabile non potest amitti,& tamen est accidens.

Contrà,si hoc est verum,quòd secundùm substantiam dicitur,secundùm accidens dicitur,consequens est falsum. Probatio consequentiæ:nihil destruitur destructo subiecto,quod non est essentiale subiecto:ergo si subiecto destructo destruatur relatio,vel è conuerso,destructa relatione necessariò destruitur subiectum , sequitur quòd vnum est de essentia alterius.

Ad hoc dicitur , quòd peccat secundùm fallaciam consequentis , quia & si dicat Augustinus quòd omne accidens est mutabile,non tamen dicit quòd omne mutabile sit accidens,sed est consequens ab inferiori ad superius,affirmando.

Contrà:Augustinus probat hanc passionem,scilicet *esse accidens* de subiecto per hoc mediũ,quod est *esse mutabile*; sed ego arguo eodem modo,quia est accidens,igitur mutabile,& non èconuerso. 9.

Ad hoc dicitur , quòd mutabile non est medium,sed quia de se est mutabile:igitur quod non est mutabile,non est accidens ; non valet pro accidente inseparabili.

Ad secundum dico , essentia creaturæ nullam dependentiam dicit formaliter circunscriptâ relatione ad Deum , sed formaliter refertur per relationem,& denominatiuè ex se:quia denominatur relatione,quæ est formalis dependẽtia ad Deum; & cùm dicis , ergo relatio habebit aliam relationem , quâ formaliter refertur ; nego consequentiam,quia relatio seipsâ tãtùm refertur ad Deum, & ibi erit status , nec erunt duo termini ex parte subiecti,nisi materialiter , vel denominatiuè tantùm;sed formaliter termini erunt ex parte illius, quâ refertur formaliter,& correlatiuum eius.

Ad 2.argum. positum n.7.

Relatio seipsâ refertur ad Deum.

Item : illâ relatione non refertur aliquid formaliter,& primò,quâ circunscriptâ , refertur nihilominus , sed circunscriptâ omni dependentiâ, & relatione creaturæ,manente creatura non minùs ipsa ex se intrinsecè dependet ad Deum,ergo relatio creaturæ ad Deum , & eius dependentia, erit eius essentia.

Item ; ideò vnum non dependet ex alio totaliter, quia est aliquid secundùm quod non refertur ad aliud : ergo per oppositum cùm creatura dependeat formaliter ad Deum ; & totaliter eius dependentia erit eius essentia. 10.

Item:ens diuiditur per creatum , & increatum sufficienter;ergo omne,quod non est creatum, est increatum , quia diuidentia prima euacuant totam naturam diuisi ; sed essentia creaturæ per se est extremum creationis : ergo est creatura : ergo includit formaliter respectum:ergo,&c.

Creaturam includere respectum.

Item:quandocunque aliquid prædicatur de aliquo primò,& per se,& passiones eius prædicantur de eodem per se secundo modo : si igitur prædicatur ens de lapide, & omnes passiones eius prædicantur de eo, tam conuertibiles , quàm disiunctæ : ergo sicut lapis est essentialiter bonus , vel vnus,sic creatum,vel increatum.

Ad primam rationem dicitur, quòd minor est falsa, quia circunscriptâ omni relatione essentiæ absolutæ ad Deum,non refertur ipsa essentia nisi potentiâ ; nec potest fieri circumscriptio, nisi intellectu tantùm,& non in re,quia simul sunt realiter,& eius dependentia.

Exemplum:positis duobus albis, statim ex natura extremorum oritur relatio similitudinis ; & 11.

tamen

tamen posset natura vtriusque albi intelligi, & esse per potentiam Dei sine relatione actuali similitudinis, & ibi similitudo est posterior naturaliter naturâ extremorum: quia effectus eorum, nec tamen potest intelligi, nec esse sine relatione similitudinis aptitudinali, per quamcunque, credo, potentiam, nisi Deus mutaret alborum naturam, & tunc non essent alba, quia ex natura rei sunt apta nata; vt sint totalis causa similitudinis.

Creaturam tantùm materialiter depēdere à Deo.

Ad secundum dicitur, quòd creatura non dependet totaliter ad Deum, nisi materialiter, & subiectiuè, loquendo de creatura, quæ essentialiter includit duos conceptus acceptos à duabus rebus, cuiusmodi sunt omnia Prædicamenta, & res omnium Prædicamentorum, excepta sola relatione, quia res cuiuslibet generis includit & essentiam absolutè sumptam, & creationem, & sic formaliter non dependet ad Deũ, nisi per relationem.

Ad tertium dico, quòd quælibet res est creata, non tanquam res vna includens formaliter dependentiam ad Deum, sed omnis res excepta relatione, dicitur creata, tanquam duæ res includentes dependentiam ad Deum formaliter per relationem, & subiectiuè, vel denominatiuè per propriam essentiam absolutam, quæ nata est materialiter per se, & formaliter referri per relationem.

12. Ad arg. n. 2. *Positio includens contradictionem, nõ admittenda.* de quo 1. dist. 21. q. 2.

Ad primam, dicitur ad maiorem, quòd tale impossibile non debet poni, quod includit contradictionem ex ratione intrinseca illius, de quo ponitur: ita dicerent ipsi, quod est in proposito; quia posito, quòd Deus non esset; ponitur positio impossibilis, & includens contradictionem illi, respectu cuius ponitur; nam intrinsecè ipsa est essentia essentialis dependentia ad Deum, & ideò posito, quòd Deus non esset, ponitur etiam ex hoc consequenter, quòd creaturæ essentia non sit, quia essentialiter est dependentia quædam ad Deum, & ideò ponitur incompossibile.

Includẽs plures formalitates, nõ ideò est plures res.

Ad aliud conceditur, quòd eadem res includit multas formalitates: igitur realitates: nego consequentiam, quia in multis eadem res habet multas formalitates acceptas sub eadem re, diuersimodè significantes illam rem, sicut omnia attributa sunt eadem realiter, & differunt formaliter, & eadem res in creaturis est ens, & vna, & bona, & sic de aliis, & eadem albedo est albedo, & color. Vnde est fallacia consequentis ab aliquo habente plures causas veritatis, ad vnam.

Cùm vlteriùs dicitur, quòd continet duas, igitur infinitas, non valet; quia non est res in quocunque genere, & in relatione, quin contineat multas realitates, scilicet hæcceitatem, & naturam speciei; & similiter multas formalitates hæcceitatis, naturæ communis, & tamen hic non continet infinitas, quia nulla talis est, quæ sit, vel contineat naturas, vel res infinitas, si illa sola, quæ est infinita, talis est Deus tantùm.

SCHOLIVM.

Resolutio Doctoris in hac collatione habetur 2. dist. 1. q. 4. à n. 21. vbi multis probat relationem creaturæ ad Deum non distingui realiter ab ipsa, & n. 26. soluit argumenta pro opposita sententia, quæ est Henrici, & Varronis, pro qua in hac collatione adinuenit tales, támque varias ac subtiles explicationes, responsiones, & euasiones, vt stuporem causent cuicunque rem hanc, vel mediocriter intelligenti, qui in hac sententia & in alijs tractatis præcedentibus duabus collationibus cupit Henricum sequi, legat has collationes & non deerunt miræ solutiones difficultatibus oppositis.

COLLATIO XXXV.

Vtrùm vestigium sit ratitudo?

D. Thom. 1. p. q. 45. art. 7. & q. 39. art. 6. Henr. quodl. 3. q. 9. & quodl. 9. q. 2. D. Bonau. 1. dist. 3. art. 1. q. 4. Rich. art. 3 q. 1. Scot. quæst. 5.



VOD sic: quodlibet præter primum, componitur ex *quod est*, & *quo est*, vel ex essentia, & *esse*, ex aliquiditate, vel ratitudine; sed essentia rei est vestigium in re, sicut *esse* in eo, quod est, & sic ratitudo in aliquiditate; ergo vestigium est ratitudo. 1.

Contra hoc arguitur, quòd vestigium non sit ratitudo, & ratitudo non sit in aliquiditate. Probatio, quia illa aliquiditas, aut est opinabile; & tunc, cùm tale sit fictitium, & nihil, ratitudo fundatur in nihil, & fictitio: aut aliquiditas est res quiditatiua; & cùm omnis talis sit res rata, sequitur quòd ratitudo fundatur in ratitudine, & ita idem in se, & sic erit processus in infinitum.

Item: aut aliquiditas est positiuum absolutum, & cùm omne tale sit exemplatum, & non sit fictitium, & *esse* exemplatum est ratum: ergo ratitudo fundatur in rato: & ita fundatur vestigium in vestigio; aut respectiuum, & tunc fundatur in nihilo, quod est inconueniens: aut est dare aliquod aliud, in quo fundatur.

Item: aut illa aliquiditas determinat sibi *esse*, ita vt *esse* clauditur in sua intentione, & tunc semper esset, & esset Deus: aut determinat in intentione sua *non esse*, & tunc non potest fieri: aut est indifferens ad *esse*, & *non esse*; sed omne tale est absolutum, & per consequens exemplatum, quia non fictitium: ergo vt priùs.

Item; quòd respectus ratibilis non sit ratitudo rei, quia omnis res est actiua sua ratitudine, nulla res est actiua sua relatione, *ex 5. Physic.*

Item: quòd ratitudo non sit tantùm respectus ad Deum. Probatio, tum quia plus differrent personæ diuinæ inter se, quàm Deus, & creatura: quia tantùm per respectum differunt, rationis ex vna parte, & reali ex alia, sed personæ diuinæ differunt per respectus reales ex vtraque.

Item; quæ differunt formaliter, sunt alia, & alia formalitas; sed absolutum & respectiuum differunt formaliter, ergo sunt alia, & alia formalitas; sed ratitudo est formalitas absoluta, (quia formalitas rei absolutæ est absoluta, ergo ratitudo,) sed relatio non est formalitas absoluta: ergo ratitudo non est tantùm relatio.

Item: Philosophus 4. *Metaphysic.* reducit dicentes omnia apparentia esse vera, ad hoc inconueniens, quòd omnia sunt ad aliquid; sed omnia esse ad aliquid denominatiuè non est inconueniens, cùm omnia sint vel causa, vel causatum: ergo est inconueniens, quòd omnia sunt ad aliquid essentialiter: ergo respectus non est illud, quo res sunt ratæ, sicut ponit positio prima.

SCHOLIVM.

Ponit sententiam Henrici de ratione vestigiali, & differentiam, quam D. Thom. constituit inter vestigium & imaginem, quam clarè impugnat hîc, & latius 1. dist. 3. q. 5. à n. 3. Adducit multa & exquisita pro sententia Henrici suadentia respectus ad Deum includi essentialiter in omni alio ente, de quibus agit loco citato.

AD quæstionem dico, quòd vestigium est impressio derelicta ex transitu gradientis, conformis 2.

Quomodo mūdus vestigium Dei. formis sibi ex ea parte, quâ tangit in gradiendo: sed ante mundi creationem intellectus, & voluntas ferebatur super mundum creandum; ex illo velle & intellectu sequitur in tempore mundus, conformis illi *velle*, & *intelligere*; ideò mundus est vestigium Dei. Illud patet 22. *de ciuit. Dei, cap. 9.*

Vestigium imago, vmbra, & similitudo differunt & quomodo? vide 1. dist. 3. q. 5. n. 3. Secundò dicendum est de differentia inter imaginem, vmbram, & vestigium, & similitudinem. Ad cuius intellectum sciendum est, quòd omnia ista important relationem, & respectum; sed similitudo non importat causalitatem, sed vestigium importat causalitatem secundùm Augustinum *lib. octoginta trium quaestionum, quaest. 64.* Vmbra habet confusam conformitatem ad corpus interpositum: confusam dico, quia videntes vmbram, scimus corpus interpositum inter Solem & vmbram, sed nescimus cuius figurae, quia quandoque corpus rotundum facit aliam figuram in vmbra: imago repraesentat rem non secundùm genus, nec speciem tantùm, sed secundùm indiuiduum, & secundùm lineamenta, quod scilicet longa sit, lata, &c. vestigium repraesentat rem medio modo perfectiùs vmbra, & imperfectiùs imagine, quia non repraesentat rem secundùm indiuiduum, nec tantùm secundùm genus: sed secundùm speciem, vel secundùm indiuiduum vagum † sic videntes vestigium cerui, scimus quòd transiuit ceruus, sed nescimus inde, iste vel iste. Sic Angelus, vel anima quantum ad potentias vel actus importat ordinem vel distinctionem formalem in eadem essentia, ideò est imago Dei. vestigium repraesentat Deum, vt est causa efficiens formalis & finalis, quae appropriatur personis, tamen non tantùm repraesentat Deum, vt vnum, nec secundùm proprietates personales, sed secundùm appropriata personis, scilicet potentiam, bonitatem, sapientiam, siue secundùm triplicem causalitatem.

† al. vt.

3. *Refutat differētiam vestigij & imaginis contra D. Thom. art. 1 dist. 3. q. 5. n. 3.* Contra ista arguitur de differentia vestigij, & imaginis. Contingit enim animal transiens non habere nisi vnum indiuiduum specie, & tunc est species tota in indiuiduo illo, & tunc vestigium, quod est similitudo secundùm speciem, erit similitudo secundùm indiuiduum.

Item: in Deo non est distinguere genus, nec species, nec indiuiduum: ergo non est dare vestigium Dei, si repraesentat secundùm genus, vel speciem, ideò assignat causam accidentalem vestigij.

Ideò est alia differentia, quòd vestigium differt ab imagine, quia repraesentat partem quantitatiuam, imago totum, non autem quòd vestigium repraesentat vniuersale, & imago particulare. Ideò quod derelinquitur ex transitu partis, simile parti, est imago partis, & totius vestigium: quia repraesentat totum animal ratione partis.

4. *Ad argum. iam posita num. 3.* Ad primum istorum dico, quòd scientia est tantùm de vniuersalibus secundùm Aristot. & significat subiectum essentiale scientiae, non accidentale: nec est hîc dicendum, cùm scientia potest esse de aliquo, cum quo conuertuntur propositiones de vniuersali, & de indiuiduo, vt de Deo, vel de Sole, tantùm vniuersale est subiectum in scientia essentialiter. Vnde 7. *Metaphys.* Si aliqua scientia est de vno, vt de Deo, vel de Sole, est de Deo, ac si essent mille Dij; patet secundùm Commentatorem 6. *Ethic.* ideò scientia est de eo; vt de vniuersali, ac si essent plures, licèt sit singulare: sic tamen conuertitur species cum indiuiduo, & repraesentat indiuiduum in vniuersali, ac si mille indiuidua essent in specie.

Dari scientiā de singulari.

Ad aliud; in Deo non est genus, nec species Vnde secundùm eos distinctio personarum assimilatur magis indiuiduali distinctioni, quàm specificae; tamen relationes differunt quasi specie. Vnde provt conueniunt in essentia, vt vno, essentia est quasi species, ideò aliquid est in illa repraesentans personas, quantum ad propria, aliquid quantum ad appropriata, quia personae differunt, tamen conueniunt in aliquo.

Ad positionem istorum, dicunt falsum: si enim sigillum imprimeretur cerae, delebitur, ita quòd nihil derelinquetur de sculptura, & colatura, sed de quantitate est vmbra, si colatura, & totum, quo distinguitur ab illo sigillo derelinquatur, nō esset imago, sed vestigium: sic hîc derelictum ex pede, non est imago pedis, nisi distinguat pedem ab alio eiusdem speciei. *Impressio sigilli non est imago.*

5. *Quid per ratitudinem, & quid per aliquiditatem intelligitur. vide 1. dist. 3. q. 5. n. 8.* De alio dico, quòd res cōponitur ex aliquiditate & ratitudine, & res rationis ex aliquiditate solùm; non ratitudine. Vnde per aliquiditatem intelligo, quod est per ratitudinem, illud quo existens in aliquo, & habet essentiam, & omne existens, sicut lapidem esse, est, quod est eius, & existentia est, quo est: essentia etiam lapidis distinguitur in *quo est*, & *quod est*: igitur essentia *quod est*, & esse existens *quo esse*, & sic accipiendo essentiam est aliquitas purè potentialis, quae non habet aliquam formalitatem, sed est omnino informis de illa aliquitate, quae informis est respectu omnium superuenientium, loquor sicut Philosophi loquuntur de materia, vt in potentia ad omnes formas.

Vnde materia sic est in potentia, quòd si omnis forma tollatur, materia est tantùm in anima, nec tamen forma aduenit rei in anima, quando aduenit materiae: sic aliquitas de se non est intelligilis, nec est ens, tamen ratitudo prima aduenìens ei, aduenit enti, qua est ens, & non enti, sicut patuit de materia. Exemplum aliud, quantitas non est in substantia non quanta, tamen substantia ante omnem quantitatem est non quanta de se, tamen quantitas aduenit rei quantae, & non rei non quantae. Vnde per *esse* intelligo *esse* vel rei, vel rationis; aliquitas, quod est, sicut homo humanitate est homo. Si quaeratur, quo humanitas est, dicam quòd *esse* est. Et secundùm Boëtium *esse* praeter primum, habet *quo est*, & *quod est*, quae non sunt idem. Vnde Commentator, homo est per se *esse*, esse aliquid humanitate: ergo. *Omne esse praeter primū habet quo est, & quod est.*

6. Ostendo, quòd in omni intelligibili, citra primum, respectus positiuus ad Deum intelligitur, vt de primo intellectu eius. Commentator: *est alia forma quae non mutuat hoc nomen, & alia forma, quae ab alio mutuat hoc nomen* est, & sequitur, *de illis dicitur*, est *in ordine ad suum principium*, ideò cùm *esse* intelligibile positiuum primò intelligat esse, & *esse* est respectiuum: ergo, &c.

Item August. 6. de Trin. c. 4. *quando intelligit hoc bonum, simul intelligit illud cuius participatione est bonum*: sed intelligendo lapidem, intelligit hoc bonum: ergo simul intelligit bonum ipsum, non vt aliquid eius: ergo vt hoc refertur ad aliud. *Arguitur respectum ad Deum esse de essentia omnis entis praeter Deum.*

Item Dionys. *de Diuin. nom.*

Item 6. *Physic.* non potest intelligi aliquid habens causas nisi extrinsecae causae cognoscantur vt pars: ergo vt terminans respectum.

Item Commentator 7. *Met. circa principium.*

Item, illud quo distinguitur ens à non ente, & hoc positiuè, est de primo eius intellectu, inquantum est; sed illud quo ens distinguitur à non ente, est *esse*: sed illud *esse* est respectiuum. Probatio: quia illud *esse* vel est ipsum *esse* à se, vel ab alio *esse*;

esse; diuisio patet per Auicennam 1. *Metaph*. esse ab alio est, cui conuenit esse: *ab alio* dicit respectum.

7. Negatur ista minor; quia respectus non est primum, quo aliquid distinguitur à Deo. Intelligendo enim Deum absolutè, & lapidem absolutè, non intelligendo sub ratione causæ, vel causati, vel non ab alio, vel ab alio, erunt duo distincta, licèt fortè ab alio sit primò notum.

Quomodo intelligitur conceptus compositus de Deo & creatura. Contrà, nullus conceptus proprius creaturæ est simpliciter simplex, & primus conceptus, quem habeo, est ens: ergo intelligitur in communi conceptu priori; conceptus creaturæ proprius est posterior conceptu entis (quia ens est commune Deo & creaturę) quem hîc habemus, non est igitur simpliciter simplex, quia includit ens, & conceptum exprimentem Deum; sed differentia inter conceptum compositum de Deo & creatura, quia compositioni in conceptu proprio de Deo, non correspondet compositio in re ex *esse* & *non esse*, de *esse*; & hoc includitur in proprio cóceptu lapidis; ergo si in primo conceptu entis, non à se, intelligitur ab alio: ergo hoc est, & non à se, ergo ab alio.

Dicitur, non sequitur vltima consequentia.

8. Contrà, ista negatio *non esse à se*, dependet ab alia priori affirmatiuè, in quam reducitur; non ab *esse*, quia tunc omne *esse* esset *esse non à se*, quod est falsum, quia Deus non est *non esse à se*, sed est *esse à se*, relinquitur quod dependet ab *esse* ab alio, tale includit respectum, &c.

Item: in intellectu Dei intelligitur esse per se ipsum, ergo in intellectu creaturæ intelligitur oppositum, scilicet non per se, sed participatum, ita quòd sicut Deus distinguitur à quolibet alio per *esse à se ipso*; sic non Deus primò distinguitur per oppositum, scilicet *esse ab alio*, sicut *esse* participatum; quia non per se, siue ab alio opponitur ei, quod est per se, & participatum opponitur ei, quod est ipsum.

Confirmatur, quia primæ differentiæ sunt oppositæ, & includuntur in primo intellectu differentium.

Item, sapientia prædicatur communiter de Deo & creatura; quo igitur primò differunt sapientia creata à Deo? non per sapientiam, quia illa communis analogicè; ergo per aliam rem, quæ est de suo intellectu, quâ distinguitur à Deo, puta, quia est qualitas accidentalis: ergo cùm accidentalis includit respectum, & prior & essentialior est eius respectus, vel dependentia ad Deum, scilicet esse à primo, vel ab alio, quàm ad subiectũ, & *esse* in alio.

Essentialior dependentia accidentis ad Deum, quàm ad subiectum.

9. Item, Præsuppositiuus quæsiuit cùm ab *esse* in loco consurgat Prædicamentum, & ab *esse* in tempore similiter, quare ab *esse* in subiecto, non consurgit Prædicamentum vndecimum?

Dicit Simplicius, quòd aliqui respectus non sunt de intellectu eorum, in quibus fundantur, & alij sunt de intellectu eorum, in quibus fundantur, & ita essentiales secundùm eum, & ita in eodẽ Prædicamento est talis respectus accidentalis ad subiectum: ergo ille respectus est de genere Qualitatis, sicut est respectus secundùm eum: quia albedo est in primo modo dicta per aliquid, quod est de primo eius intellectu; sed analogia accidentis ad Deum est intimior & essentialior accidenti, quàm analogia eius ad subiectum, quia *esse in*, potest separari ab accidente, sicut patet in Sacramento, sed non *esse ab*; ergo si illa est de eius intellectu, multò magis ista.

Esse obiectum an de essentia creaturæ. Item primum in ordine essentiali includitur in intellectu cuiuslibet posterioris; sed obiectum esse est primum in ordine essentiali, quia illud habuit res ab æterno; ergo includitur in *esse* cuiuslibet creati: sed esse obiectum est relatiuum, cùm sit in *obijci*, & ad aliud esse.

Item, sicut se habet cognitio perfecta causæ ad cognitionem perfectam causatorum, ita imperfecta ad imperfectam; sed non habetur perfecta cognitio causatorum, nisi habitâ perfectâ cognitione causæ, sicut patet in visione Dei in patria: ergo nec imperfecta, nisi habitâ cognitione imperfectâ ipsius causæ: ergo, &c.

Cognitio causatorum perfecta non habetur sine cognitione causæ.

Item, qui nunquam inuestigauit definitionem iusti, nec quid est iustum, audiens actionem esse iustam, habet penes se, quo iudicet de illa actione, an illa actio sit iusta; an non, scilicet ipsum iustum essentialiter, non habet tamen conceptum vt innatum: ergo impressum audiendo hoc iustum: ergo in impressione huius iusti includitur ipsum in eius intellectu.

Item indeterminata sunt priora ordine essentiali; sed ipsum *esse* est indeterminatum, cùm sit indeterminatum negatiuè, & ens analogum priuatiuè tantùm. 10.

Quid esse, & quid aliquitas. Tunc dico, quòd *esse* est id, quo res est; & id quo res est aliquid, hoc, vel illud, est aliquitas: sicut homo est aliquid humanitate, scilicet homo, sed non *esse*. Vnde in humanitate non includitur *esse*, tunc dico, quòd homo humanitate est homo, ita quòd humanitas est aliquitas tantùm, & nulla distincta ab *esse*, sic aliquitas nullum *esse* sibi determinat, nec erit in intellectu ens rationis, nec *esse* ratum. Vnde Auicenna 5. *Met*. equinitas est tantùm equinitas, nec vna, nec multæ, nec actu, nec potentia, nec in intellectu, nec extra, ideò humanitas vt sic, nullo modo est ens, nec rationis, nec ratum, sed tantùm determinat sibi consignabilitatem, quòd scilicet sit significabile per nomen, & hoc non est determinatum sibi, quod est intelligibile, est enim significare, quæ nõ sunt, & possunt esse, non autem est intelligere, nisi quæ sunt, vt dicit ibidem. Vnde ens prima impressione imprimitur in intellectu, secundùm Auicennam. Vnde nihil significat Hircoceruus; similiter tamen non potest intelligi, quod est impossibile.

Humanitas secundùm Henricum nõ est ens.

Hircoceruus nihil significat.

Contra illud, omne significabile per nomen est esse aliquid, cui possumus nomen imponere, sed secundùm Philosophum 7. *Met*. non possemus nomen imponere, nisi illi quod intelligimus; si igitur aliquitas per te determinat sibi *esse* significabile; ergo & *esse* intelligibile.

Item, quod determinat sibi definibilitatem, determinat sibi intelligibilitatem; sed humanitas determinat sibi vel homini definibilitatem, vt genus, & differentiam, ergo, &c.

Item, intellectus distinguit humanitatem ab aliis intelligibilibus: ergo eam intelligit, quomodo enim loqueremur de ea, nisi intelligeremus? non solùm igitur quod intelligimus, erit intelligibile, sed etiam actu intellectum.

Non intelligibile, vtrum nominabile. Ad primùm istorum: imponere nomen est ad placitum: ideò possumus nomẽ imponere ei, quod non cognoscimus, nec intelligimus, vt quoddam intelligibile, sed ei quod intelligimus esse quoddam significabile. Exemplum, nullus intelligit nihil, & tamen *nihil esse* significabile, & est intelligibile significabile, licèt non sequatur tunc, est intelligibile significabile, ergo est intelligibile.

Vnde quiditas omnino nuda præter *esse*, nihil est, nec ens rationis, nec ratum, ideò tantùm significabile per nomen, & ideò non est intelligibile, quia

quia non ens,tamen intelligibile ſignificabile, non tamen intelligibile.

Ad ſecundum,minor eſt falſa:Humanitas vnde humanitas,non eſt niſi humanitas tantùm,nec determinat ſibi definibilitatem, quia vt ſic, nec in genere, nec ſpecie, ſed tantùm ſignificabile per nomen. Vnde ſi eſſet definibile,& in genere,ſimiliter,& Hircoceruus,& ſimilia.

11\. *Ad arg. in 1. quæſt.*

Ad argumenta principalia. Ad primum in oppoſitum, quid intelligitur per aliquitatem: dico quòd aliquitas non determinat ſibi intentionem opinabilis,nec ratitudinis,nec rationis,ſed determinat ſibi *eſſe* ſignificabile per nomen.

Ad ſecundum dico, quòd aliquitas nec eſt aliquid abſolutum,nec reſpectus,ſed tantùm aliquitas,& ſignificabile per nomen *aliquitas*,aut eſt aliquid poſitiuum, aut non? Dico quòd poſitiuum; ſed per illud poſitiuum non intelligo,nec ens abſolutum, nec reſpectum, ſed tantùm ſignificabile per nomen. *Aliquitas quid ſit.*

Ad tertium dico,quòd nec includit ſibi *eſſe*,nec *non eſſe*,ſed tantùm eſt ſignificabile per nomen.

Contrà,ſi non determinat ſibi *eſſe*:ergo de ſe eſt nihil,ſed in nihil nec poteſt recipi *eſſe*,nec ratitudo alia: ergo in eo non fundatur reſpectus ad Deum,nec *eſſe*.

12\. *Non eſſe eſt duplex, cui repugnat eſſe, & cui non repugnat.*

Reſpondeo,ſignificabile per nomen eſſe nihil, poteſt intelligi dupliciter:vel quòd ſignificabile, quod eſt *A* determinet ſibi *non eſſe*, & *nihil*, & ſic chimera eſt nō ens,& ſignificabile per nomē,quod determinat ſibi ſemper *non eſſe*. Alio modo *A*, eſt non ens,quia non determinat ſibi *eſſe*, non tamen determinat ſibi *non eſſe*, ſed poſſibile eſſe indifferens ad *eſſe*,& *non eſſe*,tale poteſt recipere *eſſe*,& reſpectum, aliter creatio erit impoſſibilis, quod eſt contra articulum fidei. Vnde quod ante creationem fuit poſſibile obiectiuè,ſiue verè nihil,tamen non determinauit ſibi *non eſſe*, ita ſemper in intentione ſua intelligitur eſſe tale, quod poteſt fieri,& eſſe.

Contrà, ſaltem homo componitur ex ente, & non ente,non abſolutè,ſed ex ente,& non ente de ſe æquiuocè,cum entitate poſitiua, quæ *eſſe* recipit, ſicut materia prima, ex quo per ſe de ſe nullum habet *eſſe* in effectu,ſed tantùm in anima,nec tamen ſequitur, quòd forma recipitur in ea, vt habet *eſſe* in anima tãtùm,ſed in eo,quod ſecundū ſe non habet *eſſe* niſi in anima tantùm, tamen *eſſe* extra per aliquid aliud, ſcilicet per *eſſe* ipſius formæ.Similiter patet de quantitate,vt ſuprà,ita ratitudo recipitur in aliquitate rata, quæ de ſe eſt nihil,rata tamen ipſâ ratitudine,nunquam tamen recipitur in non rata, ſed in non rata ex ſe tantùm, & hoc eſt neceſſarium. Cùm dicitur vltrà, quòd eſt exemplatum, falſum eſt, nec eſt enim fictitium,nec exemplatum.

13\. *Eſſe an ſit ratio agendi.*

Ad quartū,res rata agit ſuâ ratitudine,&c. falſum eſt. Vnde *eſſe* rei nulli enti creato eſt ratio agendi,hoc eſt elicitiua actionis, inquantum eſſe aliquitas abſoluta formalis ſub ratitudine, calori enim calefacienti cauſalitate tribuit,non ſuū *eſſe*, quia tunc non plus ageret ad calorem, quàm frigus,quia *eſſe* eſt indifferens,& eiuſdem rationis ſecundùm Boëtium *de Hebd.* ergo res non agit ratitudine,id eſt,illo *eſſe*,quo etiam res rata eſt formaliter.Si accipis ratitudinem pro re,quæ rata eſt,ſic ratitudo non eſt reſpectus,ſed res abſoluta.

Contrà,tunc non ſequitur in ſuo intellectu reſpectus.Dico,non eſt forma abſoluta, niſi per *eſſe* & reſpectiuum,tamen reſpectus non eſt eius abſolutio,ſed tamen reſpectus,ſiue *eſſe*, eſt quo res eſt abſoluta.Vnde res agit aliquiditate,non aliquiditate nuda ab ente,quod eſt nihil,ſed aliquiditate, vt ſub *eſſe*.

Ad aliud,creatura minùs differret à Deo,quàm perſonæ diuinæ ab inuicem; dico quòd non ſequitur.

Vnde malè imaginatur, ſcilicet quòd creatura nō ſit niſi reſpectus,hoc eſt falſum;ſed dico quòd omne creatum componitur ex reſpectu,& aliquiditate. Vnde creatura eſt aliquitas abſoluta ſub reſpectu,tamen vt abſoluta includit † reſpectum, ideò creatura differt à Deo aliquitate abſolutâ,vt lapis lapiditate,non includente ad aliquid in ſua aliquitate. *Quid creatura ſecundùm Henricum.* † *al.* reſpectiuum.

Ad aliud, quæ differunt formalitate, non ſunt formalitas vna, &c. Dico quòd ratitudo eſt formalitas reſpectiua,non abſoluta. 14.

Contrà,aliquitas vt ſic,nec eſt abſoluta,nec reſpectiua; ergo non eſt quo ſubſtantia eſt rata, & abſoluta,& ratitudo;ſcilicet reſpectus nō eſt quo res eſt abſoluta, vel rata; ergo ratitudine non eſt ſubſtantia abſoluta,vel rata.

Reſpondeo.Sicut materia eſt ens intra intellectum, circumſcriptâ omni formâ, forma tamen, quæ eſt diſparata à materia,quæ non eſt materia, eſt quâ formaliter materia eſt materia extra, & quo habet *eſſe* in re extrà, quia eſt de ſe materia, non eſt extrà.

Similiter ſubſtantia de ſe non habet partē extra partem, vt ſubſtantia eſt quantitas, tamen eſt quædam forma diſparata à ſubſtantia,ſicut reſpectus ab abſoluto,quo formaliter ſubſtantia habet partes extra partes de genere Subſtantiæ, ſic reſpectus eſt quo aliquitas eſt rata,& abſoluta.

Vnde ſi *eſſe* differt realiter ab eſſentia, eſſentia vt nuda ab *eſſe*,nullum habet *eſſe* extrà:de ſe tamen *eſſe* reperitur in eſſentia, quia ſecundùm illos, *eſſe* eſt primus actus,quo eſſentia eſt eſſentia extrà;ſic formalitas reſpectiua eſt illud quo aliquitas, quæ de ſe eſt abſoluta,ſit abſoluta.

Ad illud Philoſophi dico, quòd illa eſt falſa; creatura eſt tantùm ad aliquid,& nō eſt ad aliquid præter ad aliquid,tamen eſt tale per reſpectum,vt per *eſſe*.Vnde in omni creatura eſt,& *quo eſt* in omni creatura,eſt aliquid præter ad aliquid,&c.

SCHOLIVM.

Difficilè valdè eſt capere, quid per terminos, quibus vtitur Henricus,in hac quæſtione intelligi debeat,ſcilicet per ratitudinē & aliquiditatem videri poteſt quodl. 3.q.9.& quodl.5.q.2.& aliàs paſſim.Sed in re vult ad minùs reſpectum ad Deum includi in omni ente extra Deum,pro quo faciunt rationes multa valdè vrgentes in hac collatione adductæ:hanc totam eius ſententiam refutat Doctor efficaciſſimè & clarè,1.d.3.q.5.à n.8.ad intentum autem tituli quæſtionis Henricus quodl.9. q.1. & 2.ponit rationem veſtigij in triplici relatione creaturæ ad Deum,ſecundùm tres modos relatiuorum. Per reſpectum ſimilitudinis exemplati ad exemplar,ad Filium per reſpectum cauſati ad Patrem, per reſpectum menſurati ad Spiritum ſanctū:Hanc refutat Doctor ibi n.2.& n.5.Iuxta mentē Auguſtini ponit rationē veſtigij quod eſt in creatura reſpectu Dei, in vnitate, pulchritudine,& ordine,& fatetur aliter rationem veſtigij aſſignari poſſe,vide huius rei explicationē ibi clarè poſitam.



IVDICIVM R.P.F. LVCÆ VVADDINGI de his quatuor à ſe nouiter additis collationibus.

SEQVENTES quatuor collationes inueni in Bibliotheca Vaticana, cod. MS. membraneo. num. 876. inter reliquas, quæ hîc præmittuntur, quibus omnibus præfigebatur titulus, Collationes Pariſienſes. *Et in alio codice MS. 890. recenſentur iſtæ quatuor collationes in indiculo, ſeu tabula reſolutionum operum Scoti, quam nos dabimus in tomo poſtremo. Eandem ſapiunt Scoti doctrinam, & argumentandi, diſſoluendíque acutiem, quam priores præferunt collationes. Incertus eſt numerus harum collationum, quippe in impreſſis deerant iſtæ, & in citatis codicibus Vaticanis aliquot ex ijs, quæ excuſæ ſunt, deſiderantur. Non vno eodémque tempore omnes continuatâ ſerie ſcripſit Scotus, ſed prout occaſiones, concertationéſque Academicæ, aut publici congreſſus, vel conferendæ in Scholis Laureæ poſtulabant. Proinde ſingulæ ſuis inſcriptæ ſchedis facilè decidere poterant, aut perire. Porrò ſolutis ſchedis exaratas inſinuat prædictus indiculus,* cedularum *nomine ſingulas indigitans. Breuia Scholia & reliqua, quæ deerant, nos adhibuimus.*

COLLATIO XXXVI.

Vtrùm in Diuinis poſſit eſſe maior diſtinctio, & diuerſitas, quàm conceptuum?

Alenſ. 1. *par. quæſt.* 48. *mem.* 3. D.Thom. 1 *par. quæſt.* 28. *art.* 2. *& quæſt.* 7. *de verit. & in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. Rich. *ibid. art.* 1. *quæſt.* 2. *&* 3. Durand. *q.* 2. Heuric. *quodlib.* 5. *quæſt.* 1. *& quodlib.* 13. *quæſt.* 1. Goffred. *quodlib.* 7. *quæſt.* 1. Doctor *in* Oxon. 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 7. *à num.* 41. *& diſt.* 8. *quæſt.* 4. *& in collat.* 22. *& quæſt. de formalitatibus.* Suarez 1. *part. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. Vaſquez 1. *part. diſp.* 115. *&* 120.

1. *Argum. pro parte affirmatiua. An principiũ vnius rationis reſpiciat determinatos effectus.*

DICITVR quòd ſic; vt perſonarum quæ eſt realis, & attributorum, quæ differunt præter omnem operationem intellectus, quod probatur ſic. Quandocunque aliquid vnius rationis reſpicit plura vnius rationis, non determinat ſibi quot reſpicit, nec tot reſpicit, quin plura; hoc enim patet de comparatione naturæ vnius rationis ad ſuppoſita vnius rationis, vt hominis ad Socratem, & Platonem, & infinitos alios. Hoc etiam patet de comparatione cauſæ vnius rationis ad effectus vnius rationis; calor enim exiſtens vnius rationis, qui poteſt plures calores producere, non determinat ſibi, quot poſſit producere: ſed eſſentia diuina reſpicit plura ſuppoſita vnius rationis, & non habens diuerſas rationes prout eis communicatur, non determinabit ſibi tot ſuppoſita, quin plura, & ſicut tunc vna perſona producit aliam, & duæ tertiam, & ſic tres producere poſſunt quartam in infinitum, quod eſt impoſſibile. Oportet igitur quòd eſſentia diuina in ſe habeat diuerſas rationes formales, ſeu perfectiones, vt intellectum, & voluntatem, quas deinde communicat Pater Filio, & Spiritui ſancto, & ſi eſſentia diuina ante omnem operationem intellectus habeat iſta attributa ex natura rei; ſcilicet intellectum & voluntatem, eadem ratione & omnia alia.

Maior etiam huius argumenti patet per rationem, quia ſi aliquid vnius rationis, qua reſpicit, ſuus ambitus, vel ſua virtus non eſt exhauſta per vnum illorum, & eâdem ratione nec per aliud, nec per tertium, & ſic in infinitum; ergo tale non determinat ſibi tot, quin plura poſſit habere. Et additur *eſſe vnius rationis*, quia ſi aliquid habens in ſe diuerſas rationes, ſeu perfectiones, reſpiciat alia vnius rationis vt eſt eſſentia diuina, ſecundùm hanc opinionem determinat ſibi quot reſpicit, ita quòd non plura; ſed hoc non eſt inuenire alibi, quia per diuerſas rationes & principia producendi non producuntur alia vnius rationis; ibi verò communicatur eadem eſſentia diuerſis ſuppoſitis; ſi tamen aliquid vnius rationis reſpiciat alia diuerſarum rationum, poteſt determinare ſibi illa, quæ reſpicit, ita quòd non poteſt in plura, vt patet de Sole, qui poteſt plura diuerſa ſpecie producere, & tamen certum numerum ſpecierum ſibi determinat, inquantum poteſt, & ſic patet maior.

Si verò dicas ad minorem, quòd ſuppoſita in 2.
Diuinis non ſunt vnius rationis, quia non vnius ſpeciei, ſicut nec relationes, quibus conſtituũtur; hoc non obſtat, quia ſaltem ſunt vnius rationis, quantum ad illud, quod eis principaliter communicatur, quod eſt eſſentia, quia ſi ſequantur relationes, aut alia quæcunque, non impedit quin ſint vnius rationis, quantum ad terminum per

per se communicatum. Et tunc resumatur maior sub hoc intellectu sic; quando aliquid vnius rationis respicit plura vnius rationis, quantũ ad illud, quod per se eis communicatur, non potest in tot, quin in plura. Et probatur hæc maior sicut priùs per comparationem virtutis productiuæ ad producta, & tunc accepta minore, quòd supposita diuina sint vnius rationis quantum ad essentiam, quæ eis principaliter communicatur, sequitur sicut priùs.

3. Sed contra minorem argumentor sic: Quorum obiecta non distinguuntur præter operationem intellectus, neque ipsa distinguuntur sine operatione intellectus, sed *verum* & *bonum* non distinguuntur sine operatione intellectus: igitur nec intellectus & voluntas in Deo distinguuntur sine operatione intellectus. Probatio assumpti per rationem Commentatoris 4. *Metaph. com.* 18. Si *bonum* secundùm aliquam perfectionem formalem distinguatur à *vero*, illa formalitas necessariò aliquid est, & est ens, & sic bonitas inquantum distinguitur à *vero* aliquid est: de illo igitur prædicabitur *verum*. Aut igitur per se, aut per additum? Si per se, habetur propositum, quòd illa formalitas, per quam bonitas distinguitur à veritate, cùm sit aliquid, sit per se verum. Si per additum, cùm prædicetur de illo, de illo etiam addito est quærendum; aut per se est verum, aut per additum? & erit processus in infinitum, nisi stante in primo, quòd bonitas & veritas sint eadem formalitas circumscripta operatione intellectus.

Bonũ & verum *an distinguantur formaliter.* Comment.

4. Respondeo, quòd quando dicitur bonitas, in quantum distinguitur à veritate, est aliquid; dicẽdo, quòd si reduplicatio dicat causam inhærentiæ, falsum est; quia distinctio à veritate non est causa quare bonitas sit aliquid. Si verò reduplicat rationem formalem ipsius reduplicatiui, sic verum est. bonitas enim in quantum bonitas, aliquid est, & ens est. Et tunc vlteriùs ad argumentum dico, quòd *verum* cùm prædicatur de ente, non prædicatur primo modo dicendi per se; sed prædicatur denominatiuè, & sic etiam probatur de *bono*. Vnde licèt essentialiter formalitas bonitatis sit ens, non tamen essentialiter est vera prædicatio, sed est prædicatio denominatiua veritatis de formalitate bonitatis; cum quo stat distinctio formalis eorum ab inuicem.

An bonum *possit apprehendi ab intellectu, &* verum *appeti à voluntate.*

Contrà: Si *bonum* secundùm suam rationem formalem distinguatur à veritate, illa formalitas non apprehendetur ab intellectu, cùm *verum* sit obiectum intellectus, & intellectus nihil apprehendat nisi sub ratione *veri*. Similiter etiam arguitur, quòd formalis ratio veritatis non potest esse volita à voluntate, si de se distingueretur à bonitate, cùm *bonum* sit obiectum voluntatis.

Respondeo quòd obiectum intellectus & voluntatis est vnum & idem, quod est ipsum ens, quod est de essentia cuiuslibet, & æqualiter prædicatur de *vero* & *bono*, licèt non è conuerso: nam est idem quod est apprehensum ab intellectu, & sub eadem ratione est volitum à voluntate, & sunt potentiæ æqualis communitatis in actibus: sed potentiæ apprehensiuæ, & appetitiuæ sensitiuæ est vnum & idem obiectum formale, & ideò licèt illa formalitas, quâ bonitas distinguitur à veritate, non sit veritas, est tamen ens, & è conuerso de veritate, ideò potest apprehẽdi illa bonitas ab intellectu, & illa veritas potest esse volita à volũtate.

5. *Identitas obiectorum non arguit identitatem potẽtiarum.*

Contrà: Potentiæ, quæ habent idem formale obiectum, sunt eadem potentia; igitur si ens esset formale obiectum voluntatis & intellectus, intellectus & voluntas essent eadem potentia, quod falsum est.

Respondeo, quòd licèt ex diuersitate obiectorum sequatur diuersitas potentiarum, quia visus non potest in sonum, nec auditus in colorem, tamen ex identitate obiecti non sequitur identitas potentiæ; idem enim est obiectum appetitiuæ sensitiuæ, & apprehẽsiuæ, quia sub eadem ratione appetitur, quâ apprehenditur. Vnde non dixit Philosophus 9. *Metaph. text. com.* 3. quòd potentiæ sunt eædem, quarum obiecta sunt eadem, sed quòd potentiæ distinguuntur per obiecta, sicut & actus. Aristot.

6. Præterea, quodlibet attributorum, & etiam essentia est formaliter infinitum, quia infinitas non est proprium attributum, sed est intrinsecus modus cuiuslibet attributi, essentia ergo diuina, & bonitas sua est formaliter infinita; sed illud quod est formaliter infinitũ, formaliter includit omnẽ perfectionem; quia est formaliter pelagus omnis perfectionis: ergo essẽtia diuina formaliter includit iustitiã, & bonitatẽ, & iustitia bonitatẽ, & per consequens sunt eadem formaliter, & sic in Deo nõ distinguũtur præter operationem intellectus.

Infinitas non inducit identitatem formalem.

Respondeo quòd illud, quod est formaliter infinitum, includit realiter, & per identitatem realem omnem perfectionem, sed tamen non includit formaliter; quia infinitas addita attributo, vt ipsi sapientiæ, non variat rationem formalem eius; si igitur sapientia secundùm suam rationem formalẽ non includit bonitatẽ, ergo nec sapientia infinita formaliter includit bonitatem infinitam.

Præterea. Quæcunque differunt formaliter, sic se habent ad intellectum, quòd intellectus potest intelligere vnam rationem formalem, non intelligendo aliam; sicut patet de genere & differentia, quarum formalis ratio vnius est extra formalem rationem alterius, & ideò nata sunt facere alium & alium conceptum in intellectu, & intelligi diuersis conceptionibus; & per consequens intellectus potest tendere in vnum non tendendo in alterum. Si igitur attributa differunt ab essentia secundùm suam rationem formalem, intellectus Beati poterit videre essentiam diuinam, non videndo eam vt bonam, nec vt iustam, quod est inconueniens. Et hæc ratio est contra responsionem prædictam; quia tunc aliquis posset videre essentiam vt infinitam, non videndo eam vt bonam, si illud quod est infinitum formaliter, non includat formaliter bonitatem. 7.

An possit intelligi aut videri vnum attributũ sine alio?

Respondeo, quòd si fiat argumentum de intellectu viatoris, quæstio est concedenda, scilicet quòd possumus intelligere Deum vt infinitum, non intelligendo actu ipsum vt sapientem, aut bonum, non tamen separando ipsa. Si autem fiat argumentum de intellectu Beati, tunc non concludit, quia vnico actu realiter, differente solùm secundùm rationem, videt Beatus essentiam diuinam infinitam, vt bonam & sapientem, quia ipsa essentia diuina mouens intellectum Beati ad visionem sui, mouet necessariò ad visionem eorum, quæ necessariò consequuntur essentiam diuinam, quæ sunt attributa, ideò licèt nata sint de se facere diuersum conceptum, tamen quia necessariò concomitantur essentiam diuinam, non potest Beatus videre essentiam diuinam nisi videat attributa.

8. Præterea: Idem secundùm identitatem realem, & formalem potest esse principium diuersarum actionum, & productionum absolutarum; igitur idem realiter & formaliter potest esse principium productionum relatiuarum; igitur in essentia, quæ commu

An ex ratione productionum inferatur distinctio intellectus & voluntatis in Deo.

communicatur Filio & Spiritui sancto, non oportet ponere differentiam formalem attributorum, vt intellectus & voluntatis, propter communicationes relatiuas, quibus essentia communicatur Filio, & Spiritui sancto, & sic verum est quòd ratio superiùs facta non concludit. Cõsequentia patet, quia maior diuersitas in principio videtur requiri ad actiones respectu productionum absolutarum, quàm productionum relatiuarum, eo quòd differunt absoluta magis quàm relatiua. Antecedens patet de calore, qui idem existens re, & formâ, potest producere diuersos calores, nec præterea habet diuersitatem aliam formalem aliquorum in se, quia tunc esset processus in infinitum in illis formalitatibus, sicut in productis ab ipso.

Respondeo, quòd hoc soluitur suprà, quia ex hoc quòd aliqua vnius rationis producantur ab alio secundùm eundem modum producendi, non oportet ponere differentiam realem, & formalem in producente. Sed quando aliqua vnius rationis secundùm diuersum modum producendi producuntur ab aliquo, necesse est vt in producente sint diuersa principia producendi, quia idem principium re, & formali ratione, non potest esse productiuum secundùm diuersum modum producendi alia vnius rationis. Nunc autem Filius producitur per modum naturæ, & intellectus; Spiritus sanctus per modum voluntatis & libertatis, & ideò necesse est ponere, quòd essentia in se formaliter contineat rationem intellectus & voluntatis præter operationem intellectus, ita quòd intellectus non liberè intelligat, nec voluntas naturaliter velit, sed sunt formaliter distincta in modo producendi.

9. *An ex hac distinctione inferatur cõpositio.*

Præterea arguitur sic: Quidquid ex natura rei habet aliquid, quo conuenit cum aliquo, & aliquid quo distinguitur ab illo, habet in se compositionem realem; sed si circumscriptâ operatione intellectus attributa distinguerentur inter se, & ab essentia diuina, essentia diuina haberet aliquid ex natura rei, per quod distingueretur ab attributo, & certum est quòd realiter conuenit cum eo; ergo essentia diuinã realem compositionem haberet, quod est inconueniens.

Identitas formalis maior est identitate reali.

Respondeo quòd identitas formalis, & realis maior est, quàm identitas tantùm realis, quæ non est formalis, nunc autem quòd aliquid conueniat, & sit idem alicui identitate minori, & quòd differat non differentiâ oppositâ identitati, sed differentiâ oppositâ identitati maiori, non est inconueniens. Imò per illud idem, quo aliquid conuenit cum alio identitate minori, differre potest ab eodem differentiâ oppositâ identitati maiori, & ideò essentia diuina per idem realiter, quo conuenit cum attributo identitate reali, potest per idem realiter differre ab eo differentiâ formali, quæ opponitur maiori identitati, & ideò non sequitur quòd habeat aliquid quo conuenit, & aliquid quo differt ab attributo.

10. *An detur distinctio specifica in Diuinis.*

Præterea arguitur sic: Illa quæ distinguuntur secundùm formales rationes specificas, distinguuntur realiter; quod patet esse verum in creatis, & etiam in Diuinis, quoniam in creatis illa quæ distinguuntur genere & Prædicamentis, realiter distinguuntur; cùm igitur species maiorem entitatem includant, quàm genera, sequitur quòd realiori differentiâ distinguentur, quæ specificè distinguuntur.

Hoc etiam apparet in Diuinis, in quibus relationes oppositæ, specificè, vel quasi specificè distinguuntur; sed si in Deo iustitia & sapientia distinguantur præter operationem intellectus, specificè distinguuntur; tum quia ipsæ secundùm se dictæ specificè distinguuntur, & infinitas non variat rationem formalem sapientiæ & iustitiæ, vt concessum est: sic iustitia & sapientia quamuis sint infinitæ in Deo, specificè distinguuntur; tum quia si relationes in Diuinis, quæ sunt ibi præter operationem intellectus ex natura rei specificè distinguuntur, vel quasi specificè, eo modo quo ibi est ratio speciei, non videtur maior ratio cur iustitia & sapientia, si sint ibi ex natura rei, specificè distinguãtur; ergo relationes realiter distinguũtur.

Respondeo quòd in Diuinis non est differentia specifica attributorum, quia quodlibet attributum est perfectio simpliciter simplex non resolubilis in alias. Vnde in Deo non est genus, nec species præter sui intellectionem; nec iustitia, nec sapientia secundùm suas rationes formales specificè differunt: sed nec *verum* & *bonum*, quia æqualiter sunt transcendentia, licèt enim vt sunt qualitates, specificè differunt, non tamen vt sunt communes Deo & creaturæ.

Sed dices, quòd sicut in Diuinis est ratio generis vt substantiæ & relationis, & etiam ratio speciei, vt relationum, sic videtur esse differentia specifica, vel ratio differentiæ specificæ relationum. 11.

Sed dico, quòd non est simile; quia relationes, quasi specificè distinguuntur, quia sunt oppositæ, & præter rationes oppositionis, non sunt finitæ, nec infinitæ: quodlibet verò attributum est formaliter infinitum includens aliud, & ideò non possunt ibi distingui specificè.

Contrà autem arguitur, quòd attributa distinguantur ex natura rei, præter operationem intellectus, & per consequens quòd in Diuinis sit maior distinctio, quã conceptuũ; quia illa distinctione, quæ est ex natura rei, distinguuntur, ergo, &c. Minor probatur, quoniam differentia est inter cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, quòd cognitio abstractiua, quæ est per speciem, non est rei, vt est existens, nec vt præsens est, sed indifferenter potest esse rei absentis, & præsentis, sicut & species; in qua repræsentatur obiectum, & relucet, sed cognitio intuitiua est rei existentis, vt existens est; cùm igitur diuinus intellectus, siue quicunque alius intellectus beatus videns essentiam diuinam vt bonam, vt veram, vt sapientem, & sic de aliis, videat illam cognitione intuitiua, & abstractiuâ, oportet quòd videat eam, vt in se existentem, & vt habet formaliter rationem *veri* & *boni*, & cuiuscunque alterius attributi.

An possit videri intuitiuè essentia sine attributis.

Confirmatur ratio, quia quæro, An ratio *veri* & *boni*, & aliorum attributorum præcedant in obiecto intellectionem Beati, & Dei, aut non? Si sic, habetur propositum, quòd non distinguantur per operationem intellectus. Si verò non præcedant formaliter in obiecto, cùm formaliter ratio obiecti cognitionis intuitiuæ sit in obiecto, & non causatum per intellectum, sequitur quòd nec intellectus diuinus, nec alicuius Beati videat essentiam diuinam sub ratione *boni* aut *veri* cognitione intuitiua, sed solùm cognitione abstractiuâ, qua fabricat tales conceptus, tunc igitur facerent sibi vnam logicam de intentionibus fabricatis. Vnde quòd cognoscantur in essentia diuina esse huiusmodi attributa, & tamen quòd fabricentur, includit contradictionem. 12.

Opinio Henric quodl 5. q. 1 & quodl. 13. q. 1.

Dicitur, quòd ratio *boni*, & ratio *veri*, & sapientiæ formaliter est in essentia diuina præter operationem

tionem intellectus, quia formaliter essentia diuina præter operationem intellectus, sapiens est, & bona in se, tamen distinctio illorum non est nisi per intellectum comparantem illa ad inuicem, & ideò cognitio intuitiua est essentiæ diuinæ, vt bona est in se formaliter, & sapiens. Sed cognitio intuitiua non est ratio distinctionis attributorum, sed cognitio secunda sequens simplicem apprehensionem, quæ est fabricatiua.

13. Sed hoc non videtur soluere, quia formalis ratio obiecti cognitionis intuitiuæ, vt distincta est ab alia ratione, præcedit cognitionem intuitiuam, quia cognitio intuitiua non est alia respectu obiecti, vt habet in se distinctam rationem obiectiuam; igitur cùm intellectus diuinus, & beatus videat essentiam diuinam, vt bona est, & vt vera est, necesse est, vt videat eã vt in se habet has rationes distinctas ante operationem intellectus.

Præterea: omne absolutum per se intelligibile ab aliquo intellectu, natum est facere conceptum vniuocum, quo perfectè intelligitur ab intellectu, sicut natum est ab illo intellectu intelligi, vt si sit intellectus, qui comprehendit obiectum, tunc intelligitur obiectum, quantum intelligibile est; si autem non comprehendit, tunc natum est facere conceptum in illo intellectu ita perfectum, sicut natum est ab illo intellectu intelligi, sed essentia diuina est huiusmodi obiectum respectu intellectus sui, & beati; quia hoc potest etiam obiectum creatum, vt lapis; igitur natum est facere in intellectu creato Beati vnum conceptum, quo intelligatur secundùm quòd intelligibile est ab illo intellectu perfectè, & per consequens intellectus Beatus non fabricabit circa essentiam diuinam diuersos conceptus *veri*, & *boni*, sed vnico intuitu omnes illas rationes distinctè apprehendit, videndo essentiam, in qua relucet eorum formalis distinctio, quæ est ex natura rei, licèt non propriè dicatur distinctio realiter, nec realis.

SCHOLIVM.

Licèt vbique, & sparsim per vniuersam suam doctrinam Scotus dicat distinctionem hanc formalem inter essentiam diuinam, & relationes, atque attributa, & inter attributa sibi inuicem comparata, præcedere omnem operationem, & comparationem intellectus, & ex natura rei distinctionem hanc dari inter prædictas formalitates, seu quiditates, attamen non admittit appellari distinctionem realem actualem, *sed potiùs* realem virtualem, *de quo videri potest* in Oxon. 1. dist. 2. q. 7. n. 43. *Similiter in alijs locis potest consuli circa varias difficultates, quas in hac collatione breuiter attingit. Primam, an scilicet principium vnius rationis, quod ad plura eiusdem rationis se extendit, determinetur ex se ad certum numerum illorum? habes* eadem q. 7. n. 19. in additione. *Secundam, de definitione* boni à vero, *& an sint obiecta intellectus, & voluntatis, vide* in 4. d. 49. q. 4. n. 10. & in 1. dist. 3. q. 3. n. 7. & in Metaph. lib. 6. q. 3. n. 3. *Tertiam, si distinctio, aut identitas obiectorum distinguat, aut identificet potentias?* 1. dist. 3. q. 3. ad 1. & 2. dist. 24. q. 1. ad 2. *Quartam, an infinitas inducat in attributis identitatem formalem, & proinde necessariò omnia simul videri?* 1. dist. 8. q. 4. n. 17. *Quintam, an ex ratione productionum inferatur distinctio intellectus, & voluntatis in Deo?* dist. 2. q. 7. à n. 18. *Sextam, an distinctio formalis inferat compositionem, & an identitas formalis sit maior identitate reali?* dist. 8. q. 4. n. 22. & dist. 2. q. 7. *Septimam, an distinctio formalis inferat specificam, & an detur distinctio specifica, vel quasi specifica in Diuinis?* in 2. d. 3. q. 4. n. 18. & in 1. dist. 26. n. 48. *Demum nihil fermè est quod faciat in hac opinione de distinctione formali difficultatem, quod hîc non insinuet breuiter, & dissoluat.*

PRæterea arguitur per responsionem illius, qui respondet: Illa distinctio, quæ est ex natura rei, maior est illa, quæ est tantùm conceptuum. Sed distinctio attributorum in Deo & personarum est ex natura rei; igitur, &c. Minor vera est, quantum ad distinctionem personarum patet; quantum ad distinctionem attributorum probatur sic. quia quandocunque aliquæ operationes, & productiones distinguuntur ex rei natura, oportet quòd principia illarum operationum distinguantur ex natura rei, quia idem realiter ex natura rei non potest esse principium diuersarum operationum differentium ex natura rei; sed productio Filij & Spiritus sancti sunt differentes ex natura rei; ergo cùm principium productionis Filij sit intellectus paternus, & Spiritus sancti sit voluntas, oportet quòd intellectus & voluntas in Deo distinguantur ex natura. 14.

Sed dices, quòd maior non est vera, quia Sol per idem principium producit diuersas species, diuersificatur ex natura rei in hoc, quòd producit illa. Sed hæc responsio excluditur per rationem superiùs factam ad conclusionem. Vnde ista ratio efficaciam sumit ex illa ratione, & patet quomodo ista ratio tenet per illam ibi positam.

COLLATIO XXXVII.

Vtrùm in essentia diuina possit esse aliqua persona producta?

Alens. 1. p. q. 25. *memb.* 5. D. Bonau. *hic art.* 1. q. 2. Richard. q. 1. D. Thom. 1. p. 39. *art.* 2. Henr. *quodl.* 6. q. 1. Doctor *in Oxon. hic q.* 6. *& in Theor.* §. Non potest probari. Suarez 1. *part. tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1.

QVòd non videtur; quia illa productio aut terminaretur ad personam absolutam, aut respectiuam: non autem ad personam absolutam, quia tunc in persona esset realis compositio ex essentia, & aliquo alio reali absoluto. Nec terminatur ad aliquod respectiuum, quia respectus non potest esse terminus motus, sicut nec principium *ex* 5. *Physic. text. com.* 10. Ergo, &c. 1. *Argum. primum pro parte negatiua.* Aristot.

Dicitur quòd non est simile de respectu in Diuinis, & increatis, quia in Deo subsistens in essentia constituit personam subsistentem, non sic autem in creatis. *Responsio.*

Contrà: Quandocunque formalis ratio geniti non est ratio substantialis, productio illius non potest dici generatio substantialis, vt patet inductione in creatis. Vnde si calor sit formalis ratio calidi producti, eius generatio dicetur calefactio, & sic de aliis. Si igitur formalis ratio Filij geniti in Diuinis esset relatio, sequeretur quòd generatio Filij in Diuinis non sit substantialis. *Reijcitur.*

Ideò dicitur sic ad has rationes, quòd non est idem esse primum terminum alicuius productionis, & esse formalem terminum productionis; quia primus terminus productionis est hoc aliquid per se subsistens. & hoc secundùm Philosophum 1. *Phys. c.* 7. *&* 7. *Met. c.* 8. est compositum, quòd primò generatur, & ad quod primò terminatur generatio; sed formalis terminus productionis est illud in quo productum assimilatur producenti. Vnde calor est formalis terminus calefactionis, sed calidum est primus eius terminus. 2. *Quid est primus, & quid formalis terminus generationis.* Aristot.

In Diuinis assignatur hi termini. nus. Sic dico in proposito quòd primus & per se terminus generationis in diuinis est ipse Filius & & persona, sed formalis terminus est ipsa essentia, quia non video quomodo realis productio terminetur ad relationem, sicut ad formalem terminum, non enim esset productio, sed tantùm adauctio. Vnde ipsa essentia per productionem communicatur Filio, & est formalis terminus productionis, quia, vt dicitur in Euangelio, *Quod Pater dedit Filio, maius omnibus est.* & hoc est essentia. Ioan. 10. 29.

3. *Obiectio prima. An relatio possit esse terminus formalis productionis diuinæ.* Sed contrà. Illud est formalis terminus productionis, in quo productum assimilatur producenti. Ista autem assimilatio personarum non potest esse præcedens essentiam, sed præcedens relationem potiùs: quia similitudo requirit vnitatem & distinctionem, nihil enim simile est sibi. Vnitas autem non est formale in similitudine, quia hæc vnitas est à parte fundamenti, à quo relatio non habet suam rationem formalem; ergo formale in similitudine erit distinctio, & per consequens Filius assimilabitur Patri formaliùs per relationem, quâ distinguitur à Patre, quàm per essentiam, quâ non distinguitur ab eo, & sic relatio, vt videtur, est formalis terminus productionis Patris.

4. *Obiectio secunda.* Præterea, formalis terminus productionis sequitur productionem, & est posterior productione; sed essentia non sequitur productionem Filij, sed præcedit; nec etiam sequitur similitudinem, sed est fundamentum eius: ergo, vt videtur, essentia non est formalis terminus Filij producti.

Respondetur ad primam obiectionem. Respondeo ad primum, quòd assumptum est falsum, vnitas enim est illud, quod est formalius in similitudine, & fundamentum dat *esse* formalius relationi, quã *esse ad aliud*, quia in hoc conueniunt omnes relationes, scilicet per *esse ad aliud*, & non in vnitate fundamenti, vnde fundamentũ formalius intrat rationem relationis, quàm *esse ad aliud.*

5. *Instantia pro prima obiectione.* Contrà: Illud formaliùs intrat rationem formalem relationis, à quo relatio specificatur; relatio autem non specificatur à fundamento, sed ab opposito & termino; magis igitur, &c.

Soluitur. Respondeo, quòd licèt relationes disparatæ possint fundari super eodem fundamento, & ideò non distinguantur specificè per rationem fundamenti; relationes tamen communes, quæ fundantur super vnitatem formaliter magis respiciunt fundamentum, provt duo extrema fundantur super idem.

6. *Respondetur ad secundam obiectionem. An essentia diuina sequatur processionem?* Ad aliud dicitur, quòd licèt essentia secundùm se considerata sit prior productione Filij, vt tamen est in Filio, sequitur productionem Filij.

Aliter etiam potest dici ad rationem, quòd sicut propter infinitatem, & illimitationem essentiæ ipsa potest esse fundamentum relationum oppositarum, ita propter sui illimitationem potest esse formale principium communicandi se ipsam, vt formalem terminum, & ita sequi suam communicationem.

7. *Argum. 2. pro parte negatiua: An esse Filij sit ab alio.* Præterea secundò ad principale arguitur sic: *Esse* Filij aut est ab alio, aut non est ab alio. Si *esse* Filij non sit ab alio. igitur Filius non producitur ab alio, quia quicunque ab alio producitur, suum *esse* est ab alio. Si verò *esse* Filij sit ab alio, vt Patre, cùm impossibile sit, quòd idem sit à se ipso realiter; sequitur quòd non sit idem *esse* Filij, & *esse* Patris; quod est impossibile, quia in Diuinis est tantùm vnum *esse.*

Responsio. Dicitur quòd *esse* subsistentiæ Filij est ab alio, videlicet à Patre, & ideò Pater & Filius non habent idem *subsistere*, sed *esse* existentiæ. Filij, quod est essentialiter in tribus personis, non est ab alio, sed consequitur essentiam, vt essentia est.

Aliter dicitur, quòd hæc, *esse Filij est ab alio*, est distinguenda secundùm sensum compositum, & diuisum; & in sensu composito vera est, quia *esse* vt est Filij, est à Patre; & sic sequitur conclusio vequia aliud est *esse* Filij, vt Flius est, & aliud est *esse* Patris, vt Pater est. In sensu verò diuiso, falsa est, quia significat quod *esse* sit à Patre, & quòd illud sit Filij, & sic non sequitur, quòd Filius non sit à Patre. *Alia responsio.*

SCHOLIVM.

Omnes difficultates, quas hîc attingit Doctor, videlicet an essentia sit formalis terminus generationis in Diuinis? & an essentia diuina, provt est terminus generationis, sequatur, vel antecedat processionem personæ productæ? & an esse Filij sit ab alio? latè examinat Scotus in Oxonien. lib. 1. dist. 5. q. 2. *Aliquas verò responsiones, quas hîc exhibet, ex aliorum profert sententijs.*

Præterea tertiò arguitur sic per rationem Commentatoris 12. *Metaph. c.* 39. In Diuinis si Filius produceretur à Patre, seu Verbum, hoc est per actum intellectus, & sic esset ibi notitia alia genita realiter differens à gignente: sed hoc est impossibile, vt probatur per rationem Commentatoris vbi suprà. Ergo, &c. Probatio assumpti. Quandocunque potentia & obiectum sunt idem realiter, ibi actio medians erit idem realiter cum vtroque extremo, & ideò patet, quòd in separatis à materia, in quibus intellectus & intellectum sunt idem, quòd in eis intellectio est eadem. Et hoc probatur sic: quia plus differunt extrema, quàm media, sed notitia mediat inter potentiam intellectiuam & obiectum: ergo si hæc sunt eadem, medium erit idem cum eis. Cùm igitur in Patre essentia diuina, quæ est obiectum intellectus paterni, sit eadem realiter cum intellectu paterno, sequitur quòd notitia medians sit eadem realiter, & per consequens non erit alia notitia genita realiter differens à Patre. 8. *Auerr. Argum. 3. An in Diuinis detur notitia genita distincta à gignente.*

Hæc autem ratio potest formari aliter, vt maiorem difficultatem includat, sic: Quæcunque potentia & obiectum sunt suppositiuè, & in eodem supposito, seu identitate, oportet quòd actio medians sit eadem suppositiuè, & in eodem supposito, quia non est transiens, & intellectus Patris & essentia sunt idem suppositiuè; igitur notitia, quâ nouit essentiam suam, erit idem suppositiuè, & per consequens vna erit notitia genita constituens aliam personam.

Confirmatur hæc ratio, quia notitia, qua Pater nouit essentiam suam, aut est perfecta, aut nõ; sed aliquo modo exspectat notitiam perfectiorem? Si verò sit notitia omnino perfecta, quæ est in Patre, igitur non requirit notitiam vlteriorem tanquam alium terminum, & sic non erit alia aliqua à Patre genita. Si verò notitia Patris non sit perfecta; igitur non perfectè Pater notitiâ suâ nouit essentiam suam, quod non est verum. 9. *Confirmatio.*

Respondeo quòd falsum accipitur, quòd quãdo potentia & obiectum sunt idem realiter, quòd actus medians sit idem realiter; primò, quia actus medians aliquando plus potest differre à potẽtia & ab obiecto, quàm obiectum & potentia, quia siue obiectum cum potentia causet actum intelligendi, siue obiectum sit totalis causa, agentia duo particularia, vel actiuum, & passiuum plus conueniunt, quàm actio illorum cum altero. *Respondetur ad tertium argumentum.*

10. Similiter secundùm veritatem, quando anima, aut Angelus intelligit se, ibi actus differt, & tamen idem sunt intellectus & intellectum, licèt Commentator diceret, quòd non; ponens quòd separata à materia non sunt receptiua accidentium, etiam quando dicitur, quòd medium non tantùm differt ab extremis, sicut extrema inter se. Dicendum quòd hoc verum est de medio propriè, vt est in naturalibus, vbi transitur ab extremo ad extremum per medium; non sic autem est quando aliquid intelligit se; non enim intellectus existit extra se, quasi stans ante se, vt sic actus mediet inter se, vt intellectus est, & vt intellectum est, nec sic reflectit se supra se, sed solùm, quia actus, quo cognoscit se, recipitur in eo, dicitur supra se reflectere.

Qualiter differat medium ab extremis.

11. Sed quando arguitur, quòd quando intellectus & intellectum sunt idem, quòd tunc intellectio & *intelligere*, siue notitia erit idē cum eis suppositiuè.

SCHOLIVM.

Potissima quæ hîc pertractat Doctor de notitia ingenita in Patre, & de notitia genita per se subsistente in persona distincta, per quam Pater nullo modo perficitur, qui priùs origine à se habebat omnem perfectionem, latè prosequitur ipse in scripto Oxoniensi lib. 1. dist. 2. q. 7. à num. 4.

In Patre est vna notitia ingenita, præterquam est alia genita.

Dicendum, quòd in Patre est alia notitia eadem cum essentia, & cum Patre, sed tamen præter illam oportet ponere aliam genitam. Primum ostenditur per hoc, quia Pater beatus est, & perfectus notitia, & amore suo, & non aliquo genitò, non enim Pater sapit sapientiâ genitâ, secundùm Augustinum 15. *de Trin. c.* 7. vnde Pater non beatificatur per Verbum, sed in actu suo, qui est intellectus & voluntatis, & ideò in Patre est notitia, quæ est eadem cum Patre.

Augult.

12. Dico tamen, quòd præter illam oportet ponere notitiam genitam, quia quandocunque aliquid habet principium productiuum alicuius, si illud principium quasi producat aliquid, non tamen realiter oportet quòd habeat terminum, quem realiter producat, cùm sua virtus non sit exhausta ex priori productione, vt si ponatur quòd sit alia notitia consubstantialis animæ nostræ, quam aliqui secundùm Augustinum *de Spiritu, & an. c.* 7. vocant notitiam abditam, quæ sit quasi, & non realiter producta; nihilominus animæ memoria erit productiua notitiæ simpliciter distinctæ. Nunc autem memoria perfecta Patris quasi producit notitiam Patris, sed non realiter, quia est eadem cum memoria Patris; igitur cùm sit principium perfectum producendi, & sua virtus non sit exhausta, sequitur quòd producit realiter aliam notitiam, quæ sit simpliciter genita.

August. vel si quis alius huius libri author.

13. Et hac ratio confirmatur per rationem superiùs factam in collatione de memoria, quòd in quocunque est summum, in perfectione est principium productiuum.

Vide collat. 26.

Per hoc patet ad confirmationem, quòd notitia Patris perfecta est, sed propter perfectionem suam vt perficiatur, non producit aliam notitiam, sed hoc est ex plenitudine suæ perfectionis.

Ad confirmationem.

Præterea arguitur sic quartò. Cuiuslibet rei perfectio vltima consistit in sua operatione, vt patet *ex* 10. *Ethic. c.* 7. *&* 8. Sed propria operatio naturæ rationalis est notitia, & actus intelligendi; igitur vltimata perfectio Patris, qui habet naturam rationalem perfectissimam, consistit in notitia sua, quâ perficitur, igitur non habet vlteriorem terminum ad sui perfectionem, & per consequens Pater præter sui perfectionem non producit aliquam notitiam genitam aliam à se, cùm illâ non perficiatur.

Argum 4. Aristot.

An in Diuinis Pater perficiatur suâ operatione.

Confirmatur hæc ratio, quia secundùm Philosophum 1. *Ethic. c.* 2. in finibus subordinatis semper ille finis, qui est perfectio operantis, est perfectior, ad quem alij fines subordinantur; igitur in Diuinis notitia Patris non habebit aliquem finem, aut terminum productum non habentem *esse* in Patre suppositiuè, & per consequens non erit ibi notitia genita constituens aliam primam.

Confirmatio. Aristot.

Respondeo, quòd secundùm Auicennam 6. *Metaph. cap. vlt.* omne agens vt perficiatur exspectans aliquid ex sua operatione est agens imperfectum, & non agens liberaliter ad modum in actibus humanis, quo ille non dat liberaliter, qui in dando exspectat aliquid, sed ille tantùm, qui nil retributionis exspectat, & ideò agens perfectum sine imperfectione, sic agit liberaliter, quòd non perficitur, nec exspectat perfici suâ actione. Cùm igitur omne agens imperfectum reducatur ad agens perfectum, & liberalissimum, quod est primum agens, oportet quòd primum agens sic liberaliter producat, vt suâ productione, & operatione non perficiatur, & ideò Pater, qui est agens perfectissimum, liberalissimè agens, non perficitur sua actione. 14.

Ad argum. 4. Auicenn.

Ideò dico, quòd Pater non perficitur productione Filij, sed in se est beatus, non indigens Filio, nec productione Filij ad suam beatitudinem, sed est propriâ notitiâ & dilectione perfectus, cùm ex plenitudine suæ perfectionis necessariò communicat essentiam suam Filio, sicut Sol necessariò producit aliud hîc inferiùs. Non igitur agit Pater propter vlteriorem perfectionem, quâ perficiatur, sed ex plenitudine suæ perfectionis producit Verbum.

Ad confirmationem dicendum, quòd verum est quòd Philosophus 10. *Ethic. c.* 7. *&* 8. posuit vltimum finem, & perfectionem esse immanentem, vt actum intelligendi, & quòd non producatur alius terminus, sed nos, qui ponimus Deum agere liberalissimè, habemus dicere, quòd ex plenitudine suæ perfectionis per notitiam suam producit notitiam aliquam genitam per se subsistentem.

Ad confirmationem. Aristot.

Præterea arguitur sic quintò: Quæcunque vni & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; igitur cùm Pater & Filius in Diuinis sunt idem essentiæ, inter se erunt idem, & sic vnus non producitur ab alio. 15.

Argum. 5.

Respondetur primò logicè, quòd sicut super illam primam. *Quæcunque vni & eidem sunt eadem,* &c. fundantur syllogismi necessariò concludentes, ita etiam paralogismi & sophismata non necessariò concludentes. Vnde ad hoc, quòd hæc sit vera, requiritur quòd extrema vniantur in medio secundùm aliam vnitatem, & medium in se habeat illam vnitatem; & tunc sequitur vnio extremorum inter se secundùm vnionem eorum in medio, aliter enim non sequitur conclusio, vt si arguatur: Homo est animal; asinus est animal; ergo homo est asinus, vel, igitur asinus est homo; non sequitur. Nunc autem cùm accipitur; quòd Pater est essentia, Filius est essentia, vniuntur Pater & Filius in essentia secundùm *esse* subsistentiæ, & hanc vnitatem non habet essentia de se, sed tantùm *esse* existentiæ, & ideò non sequitur, quòd Filius sit ille, qui Pater, secundùm *esse* subsistentiæ, sed

Soluitur. Explicatur illud axioma. *Quæcunque sunt eadem vni tertio, &c.* Vide Scot. in 1. dist. 2. q 7. n 47.

sed tantùm sequitur quòd Pater sit illud, quod Filius secundùm vnitatem medij.

Aliter dicitur ad rationem, quòd quando aliqua vniuntur in aliquo illimitato, non sequitur eorum vnio inter se, sicut non sequitur in mensura illimitata, vt de æternitate idem præteriti & futuri. Similiter Deus est illimitatus quoad locum, ideò non sequitur quòd quæ sunt simul cum eo, quòd sint simul in eodem loco. Similiter anima propter quandam sui illimitationem est in qualibet parte corporis, ideò non sequitur quòd pars carnis in manu & in pede sint simul; sicut in proposito essentia diuina formaliter est infinita, & propter sui illimitationem communicatur pluribus personis: & relationes quibus constituuntur, non sunt perfectiones simpliciter. Ideò non sequitur, quòd si personæ sint eadem cum essentia illimitata, quòd sint eadem inter se.

16. *Argum.6.* Præterea aliter arguitur sic: Vel in constituendo excedit relatio rationem suæ formæ, quod tum contingeret, si relatio constitueret primam substantiam, quia tunc excelleret relatio propriam rationem relationis, & propriam perfectionem.

Respondetur. Respondeo, quòd secunda substantia communicabilis est pluribus, & etiam est diuisibilis, quia diuiditur omni communicatione. Prima autem substantia habet oppositas conditiones, quia nec communicabilis est, nec diuiditur in plura numero. Relatio verò constituit primam substantiam, non quantum ad hoc, quod est esse communicabile, quia hoc conuenit essentiæ secundùm se, sed quantum ad rationem non diuisibilitatis; & hoc non est perfectio simpliciter, & ideò relatio constituens primam substantiam, quantum ad hanc rationem, non excedit suam virtutem, quia ipsa est incommunicabilis.

Collatio XXXVIII.

Vtrùm in Diuinis Filius generetur de substantia Patris, quasi de materia?

Alens. 1. *par.quæst.* 42. *membr.* 4. *art.* 2. D. Thom. 1. *par.q.* 41. *art.* 3. Henric. *in sum.art.* 5 *quæst.* 3. D. Bonau. *in* 1. *dist.* 5. *art.* 1. *quæst.* 2. Richar. *ibid. quæst* 3. Capreol. *quæst.* 1. Gregor. *quæst.* 2. *art.* 2. Doctor *in Oxon. & in Parisien. ibid. quæst.* 2. *& collat.* 27. *&* 9. *Metaph. quæst.* 10. 11. *&* 13. Suarez 1. *part.tract.* 3. *lib.* 6. *cap.* 6. Vasquez 1. *part. disput.* 162.

1. *Argumentum primum pro parte affirmatiua.* Aristotel. *An essentia respectu Patris habeat rationē materiæ, aut potentiæ?*

V ò d sic videtur. Quandocunque ex duobus fit vnum, oportet quòd vnum concurrat vt actus, & reliquum vt potentia ex 7. *Metaphys. text. comm.* 49. sed relatio & essentia concurrunt ad constitutionem personæ Filij, ergo alterum vt actus, & alterum vt potentia; sed respectus non concurrit vt potentia; ergo essentia habebit rationem potentiæ, & relatio rationem actus: sed idem est subiectum generationis & formæ terminantis eam: igitur, &c.

Præterea eadem difficultas sub alia forma sic arguitur: Quandocunque aliqua duo sic se habent, quòd vnum inest alteri, illud cui alterum inest, habet modum, siue rationem materialis, quia subest alteri, sed relatio inest essentiæ, & essentia quasi subest relationi; igitur habet modum materiæ respectu relationis.

Præterea, sub alia forma idem arguitur sic: Quandocunque aliquid est indifferens ad diuersas rationes explicabiles de eo, se habet ad illas vt potentiale; sed essentia secundùm se est indifferens ad diuersas rationes, & proprietates relatiuas explicabiles circa essentiam, quarum nullam in conceptu suo formaliter includit: ergo, &c.

Maior probatur, quia quando aliquid sic est indifferens ad diuersas proprietates, circa ipsam explicabiles, nullam includit in conceptu suo. 2. Vnde nec essentia diuina, vt essentia est, includit proprietatem aliquam relatiuam formaliter: ergo proprietas relatiua non est formaliter inclusa, nec per se primo modo in conceptu illius; ergo se habet ad illud per se secundo modo: sed in secundo modo illud, quod comparatur alteri, quod per se sibi inest, habet rationem subiecti & materialis: ergo, &c.

Præterea, sub alia forma arguitur sic: Illud, quod est medium inter producens & productum, habet rationem subiecti & materialis respectu productionis: quia si est medium? aut ergo vt medium materiale, de quo producens producit, aut vt medium formale, & consubstantiale, de quo producit. Si primum, habetur propositum. Si secundum, contrà, si habet rationem medij consubstantialis, aut igitur vt consubstantiale Patri, aut vt consubstantiale Filio? non vt consubstantiale Patri, quia si habet rationem incommunicabilis, nec vt est in Filio, quia secundùm rationem debet præcedere.

Ad ista dicitur per idem, quòd ex essentia & relatione fit vnum, non sicut ex potentia & actu, sed sicut ex fundamento & relatione, & similiter relatio est in essentia, non sicut in subiecto, sed sicut in fundamento, & hoc non est *esse in* sicut in subiecto, quia relatio quando est in aliquo sicut in subiecto, illud denominat, & refertur, relatio autem non dat *esse* relatum essentiæ, sed personæ, quia essentia non refertur, nec dicitur esse ad aliud.

Sed contra hoc arguitur sic: Quandocunque ex aliquibus duobus est aliquid vnum, quod est in se magis vnum, quàm sunt illa, ex quibus est, vt distincta sunt, necesse est vt alterum sit vt potentia, & alterum vt actus, sed ex essentia & relatione est persona, quæ est in se magis vnum quàm essentia & relatio, vt intelliguntur distincta & separata, quia in se persona est formaliter vna. Non sic autem essentia & relatio, vt intelliguntur distincta secundùm suos conceptus, quia conceptus vnius non est formaliter conceptus alterius; ergo alterum erit potentia respectu alterius, aut modum potentiæ habens. 3. *Obiectio.*

Sed quia maior negatur, probatur sic: Quandocunque aliquid est ex aliquibus, si non est præcisè hoc, nec præcisè illud, oportet quòd sit aliquid præter illa, ita quòd aliquid sit in illo toto præter illa: igitur si persona sit ex essentia, & relatione, non est præcisè altera, oportet quòd sit aliquid aliud, illud aliud autem est aliquid absolutum, aut relatiuum? non absolutum, quia tunc in Diuinis essent plura absoluta. Sed relatio est habitudo illorum ex quibus componitur; aut igitur habitudo ad extrà, aut habitudo ad intrà? Non ad extrà, quia per habitudinem ad extra accipitur vnitas intrinseca: ergo per habitudinem ad intrà. Sed habitudo aliquorum ad intrà, non potest esse causa, quare faciunt vnum si sit, quia hic est actus, & illud potentia.

Ista ratio declaratur in exemplo de composito aliquo, 4.

aliquo, vt de igne, qui componitur ex materia & forma, & est magis vnum, quàm materia & forma, vt sunt distincta, quarum neutra est præcisè. Et ideò requiritur aliquid aliud ad hoc, quòd sit in igne præter illa, vt vnio istorum, sine qua non est ignis, licèt non formaliter per illam, quia tunc esset formaliter per relationē; & habitudo istorum ad inuicem est potentiæ ad actum.

Quo modo relatio est in essentia? Præterea, Philosophus ponit octo modos *essendi in*, vel inessendi, & non videtur quòd ad aliquem istorum modorum possit reduci modus, quo relatio est in essentia, nisi ad primum, quo aliquid est in alio, vt forma in materia.

Respondetur ad obiectionem. Dicitur quòd non, quia infinitum, inquantum infinitum, non habet informari, nec determinari; tale autem est essentia: ideò reducitur ad illum modum essendi, in quo totum dicitur esse in aliquo, & pars eius, licèt non primò, sed per se, & ideò sicut persona primò & per se est in essētia, sicut suppositum in natura, ita relatiò per se, licèt non primò est in essentia eodem modo *essendi in*.

5. *Obiectio.* Contrà: eo modo, quo relatio est in essentia, ex eis constituitur vnum; sed ex essentia, & relatione non constituitur vnum vt ex natura & supposito: ergo relatio non est in essentia, vt suppositum in natura.

* *Num. 2.* Item dictum est priùs *, quòd relatio est in essentia, vt in fundamento, hæc autē non reducitur ad modum *essendi in*, quo suppositum est in natura.

Altera obiectio. Præterea, quando aliquid diuiditur secundùm diuersas diuisiones, necesse est vt vna diuisio contineatur sub alia; quia prima diuisio non est nisi per duas diuisa. Vnde si substantia diuidatur per corporeum & incorporeum, & per animatum, & inanimatum, oportet quòd vna diuisio contineatur sub alia: si igitur potentia & actus sint differentiæ vnius, & similiter fundamentum & relatio, oportet vt altera diuisio contineatur sub alia; sed potentia & actus non continentur sub fundamento & relatione, sed sunt communiora; igitur oportet vt è conuerso fundamentum, & relatio contineantur sub actu & potentia, & sic si persona sit ex essentia & relatione, oportet quòd sit ex actu & potentia.

6. *Argumen. 2. principale.* Præterea, ad principale arguitur sic: Productio, quæ est per propagationem, quâ viuum est ex viuo, & Filius à Patre, nobilior est generatione, quæ communis est animatis & inanimatis: *Per quid distinguitur propagatio in animatis, & inanimatis?* igitur illud per quod propagatio distinguitur à generatione, nobilius est in propagatione: sed propagatio non distinguitur à generatione per communicationem formæ, quia communicatio formæ in genere est inanimatorum, vt quando ignis ex ligno generat ignem; ergo propagatio distinguitur à generatione, non per communicationem alicuius formalis, sed alicuius communis producenti & producto, quod non est formale, & per consequens materiale. Vnde in generatis per propagationem semper generans communicat aliquid de substantia sua, de quo vt de materia producit Filium: ergo cùm generatio in Diuinis sit vera propagatio Filij à Patre, oportet quòd illa fiat non solùm per communicationem alicuius formalis, sed alicuius quasi materialis, quod est commune producenti & producto, & hæc est essentia.

Respondetur ad 2. argumentum. Vide Scot. 1. d 5 q 2. n. 13. Dicitur, quòd propagatio, quæ est in animatis distinguitur à generatione, quæ est in inanimatis, per hoc, quòd in generatione propagans communicat aliquem terminum formalem, qui erat pars sui, & aliquid eius; quòd autem communicet illud vt materiale principium, de quo fiat genitus Filius, hoc accidit; sicut quando bos generat per decisionem seminis, semen est terminus, & si esset perfectum agens potuisset immediatè generasse bouem. Vnde accidit, quòd sit materiale principium, quia tamen non immediatè potest generare bouem, quia natura agit ordinatè ab imperfecto ad perfectum deducendo, ideò oportet quòd communicet aliquid, quod est materiale respectu geniti. Vnde generans per propagationem, vel immediatè de sui substantia producit formalem terminum perfectum, vel terminum, in quo virtualiter continetur genitum, & ideò distinguitur propagatio à generatione inanimatorum, non solùm propter communicationem principij materialis (immò hoc est accidentale generationi per propagationem, vt dictum est) sed in communicando formalem terminum, quia propagans communicat formalem terminum partem sui: non sic generans inanimatum: quia de aliena materia producit terminum formalem, & ideò cùm Pater in Diuinis sit perfectum, propagans communicabit terminum formalem sine materiali principio.

Præterea, illud, quod producitur, & non de aliquo cōsubstantiali, & materiali, creatur; sed relatio & proprietas, quâ constituitur, producitur per generationē, & non de aliquo sibi consubstantiali, quia relatio relationi non est consubstantialis: ergo si non producitur de aliquo quasi materiali, vt de essentia, ergo creatur, quod falsum est. 7. *Argum. 3.*

Præterea, essentia respectu illius, quod non habet à se, sed ab alio, habet rationem materialis; sed essentia non habet relationem à se, sed ab alio, scilicet Patre, quia quidquid Filius habet, ab alio habet, & quidquid essentia vt est in Filio habet, ab alio habet: ergo cùm Filius habeat relationem, & essentia in Filio habet relationem, ergo ab alio habet, vt à Patre; ergo habet modum recipientis respectu illius. *Argum. 4.*

Præterea, non solùm Filius dicitur esse de substantia Patris, sed è contra Pater de substantia sua generat Filium, & producit Filium: ista autem productio sicut est à potentia productiua Patris, ita est in aliquo, & quasi recipitur in alio; sed illud, in quo perfectio Filij recipitur, habet modum materialis, & receptiui respectu illius: ergo, &c. 8. *Quintum.*

Confirmatur. Ista productio est in essentia, non autem vt est in Filio, quia præcedit, nec vt in Patre vt Patris est, quia sic est ab eo, ergo erit in essentia, vt est medium quasi inter Patrem & Filium productum, & sic essentia habebit rationem subiecti, in quo recipitur productio, vt quasi subiectum generationis. *Confirmatio.*

SCHOLIVM.

In hac collatione potissimus vtitur rationibus Henrici, & Goffredi, quibus probant Filium generari de substantia, seu de essentia Patris, vt de quasi materia; & essentiam se habere in Filio quasi subiectum generationis; quorum argumentis aliorum adhibet solutiones; suam autem vel datâ operâ omisit, vel collationem non absoluit. Si qua tamen hic desunt, videri possunt in vtraque lectura Oxoniensi, & Parisiensi dist. 3. quæst. 2. *vbi docet simpliciter & absolutè dici posse Filium generari de substantia Patris, non tamen vt de materia, vel quasi materia. Quod verò hic sequitur in argumento sexto, an essentia sit primus, an verò formalis terminus generationis in Diuinis, doctè expen*

expendit ibid. in Oxonien. à num. 5. & quodlib. 2. art. 3. *& quod opponit in argumento 7. de ratione totius, & partis in Diuinis, diffusè tractat in Parisiensi* 1. dist. 19. quæst. 4. *vbi à Diuinis reijcit omnem rationem materia, & forma, & potentia receptiua.*

9. *Sextum.* PRæterea, essentia non est formalis terminus generationis, seu productionis in Filio, sed relatio; igitur cùm non sit primus terminus productionis, & concurrat ad generationem, oportet quòd concurrat in ratione subiecti generationis. Assumptùm probatur per hoc, quòd formalis terminus per se producitur, nec primus terminus producitur, nisi ratione formalis termini, sicut nec calidum producitur, nisi ratione caloris, essentia autem per se non producitur, sed solùm si dicatur produci, hoc est per accidens ratione, quâ relatio subsistit in ea, cum qua constituit suppositum productum. Vnde Filius non producitur per se ratione essentiæ, sed ratione relationis, sicut nec compositum dicitur generari ratione materiæ per se, sed solùm per accidens, ratione verò formæ per se.

Septimum. Præterea, in Diuinis est ratio totius & partis, laxato nomine *totius* & *partis*, ergo ibi est ratio formæ & materiæ, laxato nomine *forma*, & *materia*. Consequentia patet, quia per Philosophum 2. *Physic. text. comm.* 31. & 5. *Metaphysic. text. com.* 3. partes reducuntur ad genus causæ materialis, sicut totum ad genus causæ formalis. Antecedens probatur. Tum per hoc, quòd sponsus alloquens sponsam in Canticis, ait, & *totus desiderabilis*: tum per hoc, quod dicitur in Symbolo *tota tres persona coaterna sibi sunt*. Vnde benè dicitur. Totus Pater, & totus Filius, tum quia secundùm Philosophum, *totum* & *perfectum* idem sunt, vel consequuntur se; sed natura perfectionis conceditur in Deo, quia verè dicitur perfectus Deus, sicut perfectus homo, & perfectus Pater, & perfectus Filius; igitur ibi conceditur esse ratio totius; & si ratio totius; ergo est ratio Patris, quia secundùm Auicennam 5. *Metaphys. com.* 2. totum dicitur respectu partis simpliciter. Vnde laxato nomine, vel ratione *partis* ad rationem cuiuslibet quasi contenti sub ratione perfectionis, & complementi in se, sic potest transferri ad Diuina. Deus enim Trinitas habet in se multitudinem attributorum, personarum, & principalium proprietatum sub vna ratione *esse* perfectissimi. *Videntur aliqua deesse.*

Aristotel. Cantic. 16. Symbol. Athan. Auicen.

COLLATIO XXXIX.

Vtrùm Verbum in Diuinis producatur per actum intellectus formati notitiâ simplici agentis in intellectum nudum conuersum supra se, vt informatum notitiâ simplici?

Henric. *in summa, art.* 54. *& in quodlib.* 6. *quæst.* 1. *& quodlib.* 2. *quæst.* 6. Doctor *in Oxon. lib.* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. *à num.* 13. *& d.* 3. *quæst.* 7. *& d.* 5. *quæst.* 2. *& d.* 27. *quæst.* 1.

SCHOLIVM.

Hæc quæstio non differt à priori, nisi quia ibi quæritur de Filio, hîc autem de Verbo.

1. *Argum. 1. pro parte negatiua.* QVÒD non, arguitur: quia intellectus Diuinus non conuertit se supra intellectum informatum notitiâ simplici, nisi vt habet *esse* particulare in aliqua persona, quia sicut intellectus est quo aliquid conuertit, & agit, ita est alicuius suppositi agentis; Actio enim non est nisi suppositi, intellectus ergo vt conuertitur supra se informatum, aut est in supposito Patris, aut in supposito Filij. Si in supposito Patris, ergo notitia declaratiua, quæ est Verbum, imprimetur ab intellectû informato notitiâ simplici in intellectum conuersum, vt Patris est: & sic Pater esset sapiens sapientiâ genitâ, quod est contra Augustinum 15. *de Trinit. c.* 6. Consequentia probatur, quia passiuum approximatum actiuo, secundùm hoc, quòd natum est pati, & illud agere, necessariò patitur ex 9. *Metaph. cap.* 6. sed secundùm tenentes istam opinionem, intellectus, vt conuersus supra notitiam simplicem est potentia propinqua, passiua, quasi receptiua impressionis notitiæ declaratiuæ ab intellectu informato notitiâ simplici, eam imprimente: ergo si intellectus vt sic conuersus sit in supposito Patris, sequitur quòd Verbum & notitia declaratiua imprimetur in intellectum Patris, vt Patris est. August. Aristot.

Hæc etiam ratio formaretur aliter sic propter responsionem, quæ potest dari. Cuiuscunque personæ est intellectus, vt conuersus supra memoriam perfectam in intellectum eius imprimitur notitia declaratiua: si ergo intellectus conuersus supra notitiam simplicem, quæ tenet secundùm eos locum memoriæ, sit intellectus Patris, vt Patris est, sequitur vt priùs, quòd in intellectu Patris vt Patris est, imprimatur Verbum & notitia declaratiua. Maior patet, quia in quocunque est proprium receptiuum alicuius, necesse est, vt in illo mediante tali receptiuo recipiatur illud: si ergo secundùm eos notitia declaratiua imprimatur in intellectum nudum, & conuersum supra se, vt informatum, necesse est vt intellectum illius personæ in qua est, imprimatur Verbum; ergo patet quòd cuius personæ est intellectus nudus conuersus supra se, vt informatum, quòd in intellectu eius imprimitur notitia declaratiua. 2.

Confirmatur ratio: si aliquod est receptiuum proprium alicuius formæ, de quo producitur, & in quo recipitur, necesse est, quòd illud suppositum, in quo est illud receptiuum, quòd sit tale per illam formam: vt si albedo recipiatur in superficie, & de ea producatur, necesse est, quòd illud suppositum, in quo est illa superficies, sit tale per illam formam: si igitur intellectus nudus conuersus supra se informatum notitiâ simplici, vt est in patiente, sit illud de quo, & in quo recipitur, & imprimitur notitia declaratiua, sequitur quòd Pater sit talis: scilicet sapiens & noscens notitiâ genita. Non igitur potest dici, quòd intellectus nudus vt conuersus supra se informatum, sit in supposito Patris. *Confirmatio.*

Nec potest dici secundum membrum principale, quòd sit in supposito Filij, quia iste intellectus vt conuersus supra memoriam in Patre, præcedit Filium productum, quia de illo intellectu nudo secundùm eos producitur, & in illum imprimitur: ergo si esset in supposito Filij, sequeretur, quòd Verbum esset antequam produceretur.

Dicebatur; quòd Verbum producitur in intellectu nudo conuerso supra se, vt informatum, sed ei non imprimitur, quia Verbum, cùm sit persona subsistens, in nullo imprimitur, & per hoc dicitur ad omnes deductiones. *Responsio.*

Contrà arguitur sic in terminis generalibus: Intellectui nudo conuerso, aut aliquid imprimitur, aut nihil? Si aliquid, tunc sequitur vt priùs, cùm 3. *Instantia.*

cùm ille intellectus sit Patris vt Patris, quòd illud imprimatur in intellectum Patris, vt Patris est, & sic vt priùs probatur esse aliquid, vel aliquale, seu tale, per aliquid, quod est in Filio, quia quodcunque imprimatur, illud est Filij, cùm pertineat ad productionem Verbi. Si nihil imprimatur? ergo omnino receditur ab opinione Gandauensis, qui ita frequenter dicit, quòd Verbum gignitur per impressionem factam à notitia simplici, in intellectum nudum vt conuersum.

Alia instantia. Secundò probatur ad euidentiam rationis prioris, quòd magis euidens est., si fiat prædicto modo, quàm si fiat ex ratione productionis sic: Si memoria producat de intellectu nudo conuerso notitiam declaratiuam, aut igitur, vt est in persona Patris, aut in persona Filij? quia dicerent secundùm Gandauensem, quòd nec sic, nec sic, sed vt est quasi in medio, vt est potentia subiectiua, quasi præcedens secundùm rationem, Filium productum. Vnde dicit quòd hæc non est propositio vera: *Filius generatur de substantia Patris*, sed *de substantia qua est Patris*, & non vt est Patris.

Sed sic non euacuatur ratio prima, quia secundùm ipsum intellectus, vt actiuus est, conuertit se supra intellectum informatum, & per consequens, conuertere est quoddam agens, & actio non est nisi suppositi, quare oportet quòd intellectus, vt sic conuertit se, sit in aliquo supposito; aut ergo in Patre, aut in Filio, vt priùs argumentatum est.

4. *Argumentum secundum.* Præterea, arguitur secundò contra illam conuersionem, quam ponit ipsius intellectus nudi supra intellectum informatum notitiâ simplici. Nam quæro, quare est alia conuersio? Aut est aliquid, aut nihil? si nihil, & ista conuersio secundùm eum præsupponit productionem Verbi; igitur nihil præsupponitur necessariò productioni Verbi. Si verò sit aliquid positiuum, aut igitur actus primus, aut actus secundus. Actus primus non potest esse, quia actus primus respectu productionis Verbi, non est nisi memoria, vel intellectus in se consideratus, qualis est conuersio ipsius intellectus respectu essentiæ, à qua imprimitur secundùm eum notitia simplex. Si autem est actus secundus, cùm in Diuinis non sit actus nisi operatio & productio, neutra potest esse. Non operatio, quæ est notitia essentialis in Diuinis, quia hæc secundùm eum imprimitur ab essentia, quæ præcedit conuersionem intellectus nudi. Nec etiam productio Verbi, quia secundùm eum ista conuersio intellectus nudi præcedit productionem Verbi: ponit enim primò notitiam simplicem, quasi imprimi ab essentia in intellectum, & secundò, quòd intellectus vt nudus conuertit se supra notitiam simplicem, & obiectum, & intellectum, & tertiò quòd ab illa notitia simplici imprimitur notitia declaratiua in intellectum, vt conuersum supra intellectum informatum. Nullo ergo modo ad gignitionem Verbi requiritur talis conuersio, sed dicitur, quòd ista conuersio intellectus nudi supra intellectum informatum, non est nisi directio potentiæ intellectiuæ secundùm se consideratæ, scilicet quâ statuitur indirectum respectu notitiæ simplicis, & obiecti vt in ipsam sic directam imprimatur notitia declaratiua, vel vt de ipsa producatur ipsa notitia declaratiua.

5. *Instantia prima.* Contra, secundùm hoc ista conuersio non est, nisi aspectus ipsius potentiæ, quâ directè suum obiectum aspicit: sed talis est conuersio cuiuslibet potentiæ ad obiectum suum; sic enim visus conuertitur super colorem ad videndum ipsum. Ergo nec alio modo dicitur intellectus nudus conuerti supra se informatum, quàm quæcunque potentia materialis supra suum obiectum, quod est contra Auctorem illius opinionis, qui dicit, quòd intellectus ex hoc, quòd immaterialis, sicut & quæcunque alia potentia immaterialis, conuersiua est supra se, & supra suum actum, & supra suum obiectum.

Instantia secunda. Item, isto modo conuersionis intellectus conuertitur supra essentiam imprimentem notitiam simplicem quâ aspicit illud obiectum, quod imprimit sibi notitiam simplicem de illo tum intellectu vt sic negatur quòd conuertatur supra essentiam, & conceditur in secundo instanti, quòd intellectus nudus conuertitur supra se informatum: ergo non potest esse talis conuersio intellectus nudi secundùm ipsum supra se informatum.

Tertia. Item dicit, quòd in nobis ad hoc, quòd generetur Verbum, requiritur talis conuersio intellectus nudi, ita quòd ad hoc, quòd in nobis generetur Verbum, requiritur quòd intellectus in nobis sciat se scire secundùm ipsum. Cùm igitur ex tali conuersione in nobis declaret conuersionem intellectus nudi in Deo, non potest secundùm intentionem eius intelligi talis conuersio Dei, sed vt quâ intellectus intelligat se intelligere, & obiectum suum, & seipsum.

Quarta. Item dicit, quòd intellectus eo quòd actiuus est, sic conuertit, sicut & quæcunque alia potentia immaterialis, quamuis non ponat quòd intellectus sit passiuus respectu notitiæ simplicis; actiuus tamen est ad conuertendum se supra se, sed intellectus, vt statuitur in directum ad hoc, quòd de eo producatur Verbum per memoriam, habet rationem passiui tantùm: ergo nullo modo est talis conuersio secundùm intentionem eius.

Argum. tertium principale. Præterea, tertiò arguitur contra eum, quantum ad hoc, quòd ponit Verbum gigni in nobis per conuersionem supra notitiam simplicem, quoniam intellectus Beati in patria format verbum circa essentiam diuinam. Quod probatur per Augustinum 15. *de Trinit. cap.* 16. vbi dat differentiam inter Verbum nostrum, & formatum in patria, licèt semper maneat, & inter verbum Diuinum, quod etiam in patria priùs secundùm naturam est formale, quàm formatum. *August.*

Hoc etiam probatur per hoc, quòd in Beato est perfecta potentia respectu suorum actuum, & per consequens ibi est voluntas & memoria pares, & sic intelligentia informata Verbo; sed in Beato ad formationem verbi non requiritur actus conuersiuus ipsius intellectus supra se informatum, &c.

SCHOLIVM.

Videtur imperfecta hæc quæstio, & aliqua adhuc in ea desiderari. Eam nouit Doctor contra opinionem Henrici asserentis intellectum paternum, quando est sub actu simplici, siue recto, reflectere super se, & mediâ illâ notitiâ simplici producere notitiam genitam; idque ipsum aperit de formatione verbi nostri, quorum vtrumque Scotus latè impugnat in Oxonien. lib. 1. distinct. 2. quæst. 7. à num. 13. & dist. 3. quæst. 7.

EIVS



EIUSDEM DOCTORIS SUBTILIS DE COGNITIONE DEI

TRACTATUS IMPERFECTUS.

Cum Notis & Scholiis R.P.F. Lucæ VVaddingi.

CENSURA.

SCripsisse *Scotum de cognitione Dei librum vnum, referunt Trithemius, Henricus VVillottus, Antonius Posseuinus, & Ioannes Pitsæus, atque ab ijs verbis sumpsisse initium,* Quia summa nobis cognitio. *Ego in fine codicis MS. Vaticani num.* 890. *reperi mancum & mutilum tractatum hunc, deerant enim folia aliqua tam in principio, quàm in fine Opusculi. Quod possumus exhibemus, neque enim aliunde accipere potuimus complementum. Redolent hæ pauculæ quæstiones Scoti doctrinam & notissimis concordant principijs. Breuiusculas notas & Scholia nos adiunximus, & Doctorum, quos citat, loca inseruimus.*

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm de Deo possit haberi cognitio media inter cognitionem fidei & patriæ?

D. Thom. 1. *par. quæst.* 56. *art.* 3. Henric. *quodlib.* 3. *quæst.* 1. & *quodlib.* 4. *quæst.* 7. & *quodlib.* 12. *quæst.* 2. Occam *quæst.* 1. *Prolog. art.* 5. Bassol. 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. Capreol. *art.* 3. Durand. *quæst.* 3. *Prologi.* Doctor *in Oxon. lib.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. & *in Parisien. quæst.* 2. *Prologi.* & *quæst.* 3. *art.* 2. Vasquez 1. *part. disput.* 134. *cap.* 5.

1. *Argum.* 1. *Negatiuum.* VIdetur quòd non; quia quod est præsens intellectui, si cognoscitur, cognitione intuitiuâ cognoscitur; quia cognitio intuitiua est præsentis vt præsens est, & existentis vt existens est; Deus semper est præsens intellectui: ergo, &c.

Secundum. Item, omnis cognitio media est abstractiua, vel intuitiua; sed de Deo non potest haberi cognitio abstractiua, quia illa abstrahit ab *esse*, sed essentia est necessarium *esse*; nec potest abstrahi ab *esse*, quia est suum *esse*: ergo, &c.

Contrà: de Deo potest haberi dilectio propria media inter dilectionem viæ, & patriæ: ergo & cognitio correspondens. Probatur consequentia, quia potentiæ sunt ad se inuicem correspondentes; ergo & habitus etiam, & actus. Probatio antecedentis; quia aliàs non plus diligerem Deum ex charitate, quàm lapidem; quia lapides conueniunt in ratione boni, siue vniuocè, siue analogicè.

Ad quæstionem respondeo sic, quòd Dei est cognitio quædam abstractiua, quædam intuitiua: vnde differunt illæ cognitiones in hoc, quòd cognitio intuitiua cuiuslibet rei concernit ipsum *esse* rei in effectu, sed abstractiua non concernit *esse* rei in effectu, sed abstrahit ab *esse* rei in effectu. 2. *Resolutio quæstionis. In quo differunt cognitio intuitiua, & abstractiua.*

Ad cuius euidentiam sciendum, quòd aliqua cognitio potest concernere *esse* rei in effectu dupliciter; vno modo quo ad rationem obiecti cogniti, ita quòd *esse* in effectu sit obiectum cognito. Alio modo quoad rationem alicuius necessariò secum coëxigiti in existentia. Et sicut *concernere* potest intelligi dupliciter, ita *abstrahere ab esse actualis existentiæ* potest intelligi dupliciter. Vno modo fit abstractio ab *esse* actualis existentiæ, quoad rationem obiecti cogniti, ita quòd *esse* actualis existentiæ non sit obiectum cognitum. Alio modo fit abstractio, vel cognitio secundùm quòd abstrahit ab aliquo necessariò secum exigito. Modo quamuis quoad primum modum differant istæ cognitiones, puta quòd *esse* actualis existentiæ cadat sub cognitione intuitiua, & non sub abstractiua, licèt etiam dici possit quòd cadat sub vtraque cognitione, quia omnis modus, & omne *esse* se tenens ex parte obiecti, potest cadere sub vtraque cognitione. Vnde sicut *esse* actualis existentiæ cadit sub cognitione intuitiua, ita sub cognitione abstractiua, possum enim abstractiuè cognoscere, & habere cognitionem abstractiuam de *esse* actuali existentiæ alicuius.

Quantum autem ad secundum modum differunt, quia cognitio intuitiua concernit *esse* actua

actualis existentiæ, scilicet quoad rationem obiecti cogniti, & quoad rationem alicuius necessariò secum cum cognitione coëxigitam, scilicet illud, quod cadit sub cognitione intuitiua, sit in actuali existentia, sicut ipsa cognitio; quia talis cognitio concernit *esse* vt necessariò coëxigit rem actu existentem; sed cognitio abstractiua licèt possit concernere *esse* quoad rationem obiecti cogniti, non tamen quoad rationem alicuius necessariò coëxigiti cum ipsa cognitione abstractiua. Iuxta illa possumus videre quòd *esse intellectum* non arguit *esse in effectu*, nam potest *esse* actualis existentiæ esse intellectum, & tamen non erit propter hoc in effectu.

SCHOLIVM.

Præmissâ distinctione cognitionis intuitiuæ & abstractiuæ, de qua latè agit in Oxonien. 2. d. 3. quæst. 5. num. 6. & in 4. dist. 10. quæst. 8. num. 5. *resoluit posse dari in viatore cognitionem quandam de Deo, mediam inter cognitionem fidei & patriæ, quam vocat abstractiuam immediatam & distinctam essentiæ, quam in Angelis à sua creatione dari aliquo modo naturalem per speciē concreatam docet probabiliter* in Oxon. 2. dist. 3. q. 9. *vbi multas ex his rationibus congerit; eandemque dari posse in viatore docet cum Henrico Gandauen.* in Parisien. quæst. 2. & 3. Prologi, *licèt rationes quibus Henricus sententiam hanc probat, Doctor reijciat.*

3. *De Deo potest dari cognitio abstractiua in viatore. Probatur primò.*

HIs præmissis, probo quòd de Deo possit haberi cognitio abstractiua, sicut de aliqua quiditate. Quia quicunque cognoscit actum visionis beatificæ, & respectum fundatum in actu visionis beatificæ, eadem cognitione quoque cognoscit actum, & cognoscit terminum & obiectum illius visionis, quia impossibile est intelligere visionem, & respectum fundatum in ea ad obiectum, quin habeatur cognitio de termino; sicut impossibile est intelligere Patrem, vt Pater est, quin intelligatur Filius; sed potest aliquis habere cognitionem abstractiuam de actu visionis beatificæ, & de respectu fundato in ea ad Deum tanquam obiectum. ergo, &c. Probatur minor dupliciter. Primò, quia de omni quiditate creata potest haberi cognitio abstractiua; sed visio beatifica, & respectus fundatus in ea sunt quiditates creatæ: ergo, &c.

Confirmatio. Item confirmatur, quia actus visionis beatificæ est minùs necesse esse, quàm quæcunque quiditas substantialis, quia est accidens; sed de substantia Angeli, quæ non includit suum *esse*, nec est suum *esse*, potest haberi cognitio abstractiua. ergo multo magis de actu visionis beatificæ.

Probatur secundò. August. Item visio beatifica est perfectior actus, quàm quicunque actus intellectus creati; sed ex quocunque alio actu secundùm Augustinum 14. *Trinit. cap.* 9. derelinquitur quoddam vestigium in memoria, per quod potest recordari se habuisse talem actum sic, similiter erit de visione beatifica, quòd ex ipsa derelinquitur quoddam vestigium in memoria, si poneretur quòd ille actus beatificus cessaret; talis autem recordatio est actus cognitionis abstractiuæ: ergo, &c.

4. *Probatur tertiò.* August. Item secundùm Augustinum 10. *de Trinit. cap.* 7. memoria & intelligentia sunt æqualis ambitus: quicquid igitur cadit sub intelligentia, vel quoad actum intentionis, vel quoad actū visionis, potest cadere sub memoria; sed actus visionis diuinæ dum est, cadit sub actu intelligentiæ, etiam quando non potest cadere sub actu memoriæ; igitur potest aliquis memorari se habuisse actum beatificum, si caderet ab illo, sed hoc est habere cognitionem abstractiuam de tali actu.

Confirmatur. Confirmatur ratio de raptu Pauli, qui quidem raptus non fuit aliud, quā visio beatifica, & tamen recordabatur de raptu, quando dicebat. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum,* &c. 2. Cor. 12. Cùm igitur hoc sit habere cognitionem abstractiuam, potest concludi conclusio in prima ratione, scilicet quòd eâdem cognitione cognoscatur actus & respectus terminatus ad obiectum; si prima duo possunt cognosci abstractiuè, vt probatum est; ergo & obiectum, seu terminus, & sic de Deo, vt videtur, potest haberi cognitio media inter cognitionem fidei, & patriæ.

5. *Argum. primum principale. Intellectus nō cognoscit se intuitiuè.* August. Ad rationes in principio quæstionis, cùm dicitur primò. *Illud, quod secundùm se est realiter præsens intellectui, si cognoscatur, cognoscitur cognitione intuitiua:* dico quòd ista est falsa: intellectus enim noster se ipsum intelligens est realiter præsens sibi, & per modum obiecti cogniti. Probatur per Augustinum *de Spiritu & anima, cap.* 2. qui dicit, quòd anima sui meminit, & tamen certum est quòd nullus homo de intellectu suo habet cognitionem intuitiuam.

Ad secundū. Ad secundum. *Omnis cognitio vel est intuitiua, vel abstractiua.* Concedo vt expositum est in principio quæstionis. Ad minorem dico, quòd falsa est. Ad probationem, cùm dicitur quòd cognitio abstractiua abstrahit ab *esse*; dicendum quòd *abstrahere ab esse* potest intelligi dupliciter. *Duplex abstrahere ab esse.* Vno modo, quoad rationem obiecti cogniti, & sic falsum est, quòd cognitio abstractiua sic abstrahit, quia cognoscit *esse* actualis existentiæ. Alio modo potest intelligi, quòd abstrahat ab *esse*, quoad rationem alicuius necessariò in eo coexigiti; quia scilicet non necessariò coexigit rem secum actualiter existere, & in effectu: sed intuitiua cognitio necessariò coëxigit rem secum in effectu existere, & sic verum est, quòd abstractiua sic abstrahit. Nec est hoc inconueniens de Deo, sicut nec de quolibet alio.

6. *An de Deo possit dari cognitio intuitiua mediata.* Sic ad quæstionem posset aliquis dicere, quòd rationes illæ non probant quòd aliquis habeat cognitionem de essentia diuina abstractiuam immediatè, sed tantùm mediatè, scilicet mediante aliquo obiecto, sicut mediante actu. Et dico quòd similes rationes non plus probant, quàm quòd de Deo potest haberi cognitio abstractiua mediatè. & similiter ego probabo tibi quòd scilicet de Deo potest haberi cognitio intuitiua mediatè & resumitur ratio. Quicunque cognoscit actum visionis & respectum fundatum in eo, eodem genere cognitionis, cognoscit terminum illius visionis; sed aliquis habens actum visionis potest cognoscere actum visionis intuitiuè, quia præsens; ergo si eodem genere cognitionis quo cognoscit actum, potest cognoscere obiectum, si cognoscit actum visionis intuitiuè, & obiectum; sed cognoscit obiectum mediante actu, & tamen intuitiuè: igitur de Deo potest haberi cognitio intuitiua mediatè, quod falsum est.

7. *Vel abstractiua immediata.* Secundò probatur per illud medium, quòd de Deo potest haberi cognitio abstractiua immediatè, quia cuicunque obiecto infinito non repugnat repræsentari per aliquid aliud, tanquam per obiectum repræsentans mediatè, provt per actum visionis, eidem obiecto non repugnat repræsentari per speciem tanquam per repræsentans immediatè.

diatè. Declaratur propositio; quia sicut obiectum finitum, & limitatum in infinitum distat ab obiecto infinito, ita species creata: si ergo non repugnat obiecto infinito repręsentari per actum, sicut per obiectum, eidem non repugnat repræsentari per speciem, sicut per rationem repræsentantem: sed omnis habens speciem de aliquo obiecto, potest per illam speciem habere cognitionem de illo obiecto abstractiuam immediatam; igitur ex quo non repugnat obiecto infinito repræsentari per speciem, per illam poterit cognosci immediatè cognitione abstractiuâ.

8. Tertiò sic: si Deus potest cognosci abstractiuè per actum visionis mediatè, tanquã per obiectum priùs cognitum, tunc actus visionis beatificæ in quantum habet rationem obiecti primò cogniti, habet habitudinem alicuius causæ respectu cognitionis abstractiuæ, vt terminatur in Deum; & tunc quæritur an habeat habitudinem causæ materialis; an causę formalis inhærẽtis; an causæ formalis exemplaris, an habitudinem causæ efficientis; certum est quòd actus ille non habet habitudinem causæ materialis; nec habitudinem causæ formalis inhærentis; quia est forma simplex; nec habitudinem causæ finalis, quia causa finalis sua est obiectum huius: secundò, quia operationes materiales in agente ipsæ sunt fines. Restat ergo quòd habeat habitudinem causæ efficientis, vel formæ exemplaris. Si formæ exemplaris; illa reducitur ad habitudinem causæ efficientis. Tunc enim restat, quòd habeat habitudinem causæ efficientis: & tunc argumẽtor. Quia quicquid Deus potest facere mediante causâ secundâ, realiter distinctâ à prima, potest facere per se; igitur si ille actus habet habitudinem causæ efficientis, potest Deus per se facere, & causare notitiam abstractiuam immediatè de se sine actu.

9. Item, quandocũque aliqua duo sic se habent ad cognitionem abstractiuam, quòd nata sint æqualiter cadere sub actu cognitionis abstractiuæ, si vnum illorum per se sumptum potest esse obiectum cognitionis abstractiuæ, & illud sumptum cum alio poterit esse obiectum cognitionis abstractiuæ: sed essentia & *esse* actualis existentiæ æqualiter nata sunt cadere sub obiecto cognitionis abstractiuæ; igitur si essentia per se sumpta potest habere rationem obiecti cogniti abstractiuè; igitur & essentia sumpta cum *esse* actualis existentiæ; sed si essentia diuina non clauderet in se *esse* formaliter, de ipsa per se sumpta posset haberi cognitio abstractiua, sicut de essentia rosæ potest haberi cognitio abstractiua: igitur, &c. Probatur minor, scilicet quòd *esse* actualis existentiæ, & essentia æqualiter cadunt sub cognitione abstractiua, quia sicut de essentia, seu quiditate rosæ potest haberi cognitio abstractiua, quia quiditas rosæ non includit in sui ratione *esse* actualis existentiæ; ita etiam de *esse* actualis existentiæ potest haberi actus cognitionis abstractiuæ. Probatur, quia sicut Deus cognouit ab æterno essentias rerum, ita cognouit existentias rerum, & tamen ab æterno non fuerunt res in actu.

10. *In sententia Thomistarum non potest dari huiusmodi cognitio abstractiua de Deo.* Ex his autem apparet, quòd si ponatur solùm distinctio secundùm rationem inter *esse* actualis existentiæ, & essentiam diuinam, non potest haberi cognitio abstractiua de essentia diuina, siue de *esse*, quia si differunt solùm secundùm rationem factam ab intellectu, non differunt realiter, immò à parte rei totum est idem; igitur quando cadit *esse* sub actu cognitionis abstractiuæ, similiter cadit sub eodem actu *esse* existentiæ, ex quo sunt idem in re, licèt non sub isto respectu rationis, qui est causatus à ratione. Vnde supposito quòd solùm differant secundùm rationem, habitâ cognitione abstractiuâ de essentia diuina, non potest concedi propter illam differentiam rationis solùm, quòd non haberem de *esse* cognitionem abstractiua; sed tantùm sequeretur quòd non haberem cognitionem abstractiuam de quodam respectu rationis, quia non differunt, nisi secundùm rationem, nec sunt ibi duo nisi secundùm rationem, secundùm istos.

Qvæstio II.

Vtrùm talis cognitio abstractiua possit dici cognitio scientialis?

Alens. 1. *p. quæst.* 1. *membr.* 3. D. Thom. 1. *part. quæst.* 1. *art.* 3. Mayron. *quæst.* 14. *Prologi.* Doctor *in Oxon. quæst.* 2. *collater. & in Parisien. quæst.* 1. *Prologi. & collat.* 19.

INQVIRENDVM est, vtrùm ponens talem cognitionem, possit saluare quòd Theologia dicatur cognitio scientialis? & videtur quòd non, quia illud quod non cadit sub demonstratione, non cadit, nec potest cadere sub scientia. Hoc patet 1. *Poster. cap.* 2. quia *scire* est per demonstrationem intelligere; sed nihil, quod est in Deo, potest cadere sub demonstratione; ergo. Probatur minor, quia medium demonstrationis est definitio, seu quiditas; sed Deus non habet definitionem. Patet per Auicennam *lib.* 1. *suffic. cap.* 2. & per Damasc. *lib.* 1. *orthodoxæ fidei, cap.* 4. qui dicit, quòd Deus non habet *quod quid*. 1 *Argum.* 1. *negatiuum.* Aristotel. Auicen. Damasc.

Item, demonstratio est vniuersalium; sed quicquid est in Deo, est singularitas. *Secundum.*

Item, demonstratio est per causam; sed Deus nullam habet causam. *Tertium.*

Contrà. In quocunque genere cognitionis inueniuntur aliqua principia necessaria, & aliquæ conclusiones necessariæ aptæ natæ deduci ex illis principiis, talis cognitio potest dici scientialis: sed in his, quæ cognoscuntur de Deo illâ cognitione abstractiuâ, inueniuntur aliqua principia necessaria, & aliquæ conclusiones necessariæ aptæ natæ deduci ex illis; ergo, &c. Probatur minor, quia in quocunque genere cognoscibilium inuenitur aliquis conceptus simpliciter primus, qui non est resolubilis in alium, & ad quem alij conceptus habent ordinem necessarium; in illo ordine est dare aliquod principium necessarium, & aliquas conclusiones aptas natas deduci ex illis principiis; sed in his, quæ cognoscuntur de Deo tali cognitione est aliquis conceptus simpliciter primus, qui non resolubilis in aliquem alium, vt primum conceptum essentiæ, & alij conceptus habent ordinem ad istum, & sunt resolubiles in ipsum, sicut est conceptus sapientiæ & bonitatis; ergo, &c. 2.

Hîc tria dicenda sunt. Primò distinguetur de cognitione scientiali. Secundò inquiretur, quæ sint conditiones essentiales requisitæ ad rationem scientiæ, & quæ accidentales; & tertiò ad quæstionem. 3.

Dicitur ergo quòd aliqua cognitio potest dici scientialis dupliciter. Primò virtualiter. Secundò propriè, & formaliter. Illa cognitio potest dici virtualiter, quæ est principium cognitionis scientialis, sicut aliquid potest dici principium calidi, *Scientia dicitur dupliciter.*

Scientia virtualiter. calidi, quod est virtualiter calidum. Sed isto modo dicitur quòd cognitio subiecti, de quo possunt demonstrari aliquæ passiones, dicitur scientialis virtualiter, quia illud subiectum virtualiter continet illas passiones. Similiter cognitio medij, vt medium est, dicitur scientialis virtualiter, quia virtualiter continet conclusiones, & ideò cognitio eius potest dici scientialis virtualiter. *Scientia formaliter.* Secundo modo aliqua cognitio potest dici scientialis formaliter, & propriè; & isto modo cognitio omnium conclusionum demonstratarum in aliqua scientia, vel demonstrabilium, dicitur cognitio scientialis formaliter & propriè, quod patet *Aristotel.* per Aristotelem *primo Post. text.* 35. dicentem *quòd intellectus est principiorum & scientia conclusionum.*

4. *Conditiones essentiales scientia. Vide Scot. in Parisien. q. 1. Prol. n. 4.* Secundò videndum, quæ sint conditiones essentiales scientiæ, & quæ accidentales. Et primò, quæ sint conditiones essentiales. Et dicitur, quòd illæ sunt essentiales, *quòd scientia sit alicuius complexi mediati alicuius necessarij euidenter deducti ex quibusdam necessarijs per se notis mediatè, vel immediatè.* Per primam conditionem, quâ dicitur, quòd est *complexi*, distinguitur cognitio scientialis à notitia simplicium terminorum. Per secundam conditionem, quâ dicitur quòd est *complexi mediati*, distinguitur cognitio scientialis à notitia primorum principiorum, quæ est immediata. Per tertiam conditionem, quâ dicitur, quòd est *alicuius necessarij*, distinguitur à cognitione fidei, vel opinionis, quia fides & opinio possunt esse de contingentibus. Per hoc quod dicitur *euidenter deducti*, distinguitur à syllogismis peccantibus in materia, vel forma, quia licèt sit ibi deductio, non tamen euidens, & maximè in peccantibus in forma. Per hoc quòd dicitur *ex aliquibus* distinguitur cognitio scientialis à notitia habita per enthymemata. Per hoc, quòd subditur *ex aliquibus necessariis per se notis mediatè, vel immediatè*, distinguitur cognitio scientialis à cognitione habita per Syllogismum dialecticum, quia licèt Syllogismus dialecticus possit aliquando concludere necessariò, quia tamen non concludit ex necessariis, sicut Syllogismus demonstratiuus: ideò, &c.

5. *Conditiones accidentales.* Secundò videndum est, quæ sint conditiones accidentales scientiæ? Respondetur, quòd aliquæ sunt conditiones, quæ se tenent ex parte obiecti, aliquæ ex parte subiecti, in quo est scientia. Vnde illa, quæ se tenent ex parte obiecti, quæ accidunt scientiæ, vt scientia est in creaturis, sunt quatuor. *Ex parte obiecti.* Prima conditio, quæ accipitur in scientia ex parte obiecti in creaturis est, quòd cognitio scientialis sit de vniuersalibus. Secunda est, quòd medium demonstrationis sit definitio, vel quiditas. Tertia conditio quæ accidit, est, quòd nulla demonstratio concludat passionem de subiecto secúndùm actum, sed secundùm aptitudinem. Quarta conditio, quæ accidit scientiæ, est, quòd omnis demonstratio est de aliquo causato, quia fit per causas.

6. Prima probatur, scilicet quòd accidat scientiæ ex parte obiecti in creaturis, quòd scientia sit de vniuersalibus, quia omnis scientia est alicuius passionis propriæ de subiecto, quia omnis scientia sicut habet subiectum proprium, ita passionem propriam, quam cóncludit de subiecto; sed nullum singulare in quantum singulare habet passionem propriam; sed vniuersale in quantum vniuersale habet; hæc igitur scientia non est de singulari causato in quantum singulare, sed de vniuersali in quantum vniuersale. Probatur minor, quia omnis passio propria, vel dicit aliquid absolutum, vel dicit respectum, sicut dicunt aliqui de risibili; sed siue dicat absolutum, siue respectum, singulare non potest habere propriam passionem. Probatur, quia omne subiectum propriæ passionis determinat sibi passionem propriam; sed nullum singulare inquantum singulare determinat sibi propriam passionem, vnde non magis determinat sibi hanc, vel illam, sicut Socrates non magis determinat sibi hanc risibilitatem, quàm illam; sed homo determinat sibi risibilitatem ex natura sua: ergo, &c. Secunda conditio est, quòd medium sit *quod quid*, quia medium in aliqua demonstratione, vel se tenet ex parte subiecti, vel ex parte passionis, vel se tenet à parte vtriusque: sed siue se teneat à parte subiecti, vel passionis, vel vtriusque, cùm vtrumque sit limitatum ad genus, & per differentiam, & per consequens sequatur quòd vtrumque sit definibile, & per consequens si medium accipitur, erit definitio medium in demonstratione, vel *quod quid est.* Tertia conditio est, quòd nulla demonstratio concludit passionem de subiecto secundùm actum, sed solùm secundùm aptitudinem. Hoc patet, quia omnis passio propria sequens subiectum, vel dicit absolutum, vel dicit respectum; sed si dicit absolutum, probatur quòd ex hoc sequitur propositum: quia Deus potest facere subiectum sine passione: ex quo enim differt re absoluta subiectum absque aliqua contradictione potest esse sine illa passione, & ita demonstratio concludens passionem talem de subiecto faciens scientiam, nó concludit eam secundùm actum, sed secundùm aptitudinem, aliàs sequeretur quòd scientia posset falsificari, & esset falsa demonstratio; & similiter, si passio dicat purum respectum, probo quòd demonstratio concludens passionem de subiecto non cócludit eam secúdùm actum, sed secundùm aptitudinem, quia omnis respectus necessariò conrequirit duo extrema: modò autem nullam contradictionem implicat, quòd vnum extremum possit esse sine alio extremo; ergo subiectum respectus poterit esse sine respectu: vnde subiectum cuiusque respectus poterit esse sine respectu excepto respectu creaturæ ad Deum, quia est idem creaturæ realiter, differens formaliter; igitur nulla via demonstratio debet concludere passionem inesse subiecto secundùm actum, sed tantùm secundùm aptitudinem. Vnde quando demonstratur illa passio, *habere tres angulos æquales duobus rectis*, non demonstratur illa passio actu inesse, sed aptitudine. Istud etiam patet, quia triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, sed possibile est, quòd non sint duo recti in actu. Quarta conditio patet ex prædictis; quia omnis demonstratio est alicuius passionis de subiecto; sed omnis passio & subiectum est aliquid causatum: ergo demonstratio est de aliquo causato.

Ex parte autem subiecti, in quo est scientia, dico, quòd accidit scientiæ quòd sit per discursum, *Ex parte subiecti.* quia intellectus noster semper discurrit à præmissis ad conclusiones. Aduertendum tamen quòd ille discursus potest accipi dupliciter: & vno modo accidit scientiæ, alio modo non accidit.

Discursus enim potest accipi pro deductione alicuius conclusionis ex principiis priùs notis secundùm ordinem durationis; & sic dico, quòd accidit scientiæ, & scientia est, quia contingit sibi ratione illius intellectus, in quo est. Alio modo accipitur discursus pro deductione alicuius conclu

conclusionis ex principiis, non priùs notis duratione, sed naturâ. Et sic dico, quòd talis discursus non accidit scientiæ. Quod probo, quia sicut omnis conclusio scientialis à quocunque intellectu est deducibilis ex principiis, priùs cognitis secundùm aptitudinem, ita omnis conclusio cognita in actu est actu deducta ex principiis priùs cognitis.

SCHOLIVM.

Adhibitâ distinctione scientia in virtualem & formalem, & enumeratis conditionibus essentialibus, & accidentalibus scientia, tam ex parte obiecti, quàm subiecti, & assignatâ duplici ratione discursus, resoluit cognitionem hanc abstractiuam de Deo posse dici scientiam virtualiter, & formaliter, monétque neque primam, neque secundam perfectionem in Deo posse demonstrari. Demum declarat quomodo possit hac cognitio dici sciemtia respectu contingentium in Deo, & qualiter possit dari scientia de contingentibus, de quo latè agit in Oxonien. in Prolog. quæst. 2. collaterali, & in Parisien. quæst. 1. & 1.

7. Tertiò, his præmissis est respondendum ad quæstionem. Et dico quòd cognitio illa media potest dici scientialis virtualiter, & formaliter. Potest dici cognitio scientialis virtualiter, quia cognitio primæ perfectionis, quæ est in essentia diuina, potest dici cognitio scientialis virtualiter.

Cognitio scientialis virtualiter.

Hoc probo, quia in quibuscunque perfectionibus alicuius subiecti est dare aliquam primam perfectionem simpliciter, cognitio illius perfectionis potest dici cognitio scientialis virtualiter, quia talis perfectio continetur virtualiter in subiecto; sed in perfectionibus Diuinis est dare aliquam perfectionem omnino propriam & simpliciter primam, quia non est ibi processus in infinitum; igitur cognitio illius perfectionis, de qua sunt aliæ perfectiones demonstrabiles, est cognitio scientialis virtualiter.

Secundò probo quòd cognitio aliarum perfectionum de Deo potest dici scientialis formaliter; quia in quibuscunque perfectionibus alicuius subiecti habentibus ordinem, est dare aliquas perfectiones demonstrabiles de subiecto, cognitio illarum perfectionum potest dici cognitio scientialis formaliter. Exemplum; quando habeo notitiam de subiecto, & de subiecto probo passionem, cognitio istarum passionum potest dici scientialis; sed in perfectionibus Diuinis est dare perfectiones habentes ordinem ad primam, & sunt demonstrabiles de prima: igitur, &c.

8. Aduertendum tamen quòd prima & secunda perfectio in Diuinis sunt indemonstrabiles, scilicet perfectio essentiæ, quæ est prima, quia non habet aliud de quo possit demonstrari, ex quo est prima. Secunda etiam perfectio quæ immediatè se habet ad primam, non potest demonstrari, quia licèt habeat, de quo possit demonstrari, non tamen habet per quod possit demonstrari, quia non perfectionem mediam, quia nulla cadit inter primam & secundam, nec per definitionem primæ perfectionis, quia prima perfectio, cùm sit indiuisibilis est irresolubilis in plures perfectiones secundùm rationem. Impossibile est ergo, quòd sit demonstrabilis. Omnes autem aliæ perfectiones sunt demonstrabiles; quia prima perfectio cum secunda est ratio demonstrandi tertiam perfectionem de prima: nec solùm sunt demonstrabiles secundùm aptitudinem, sed etiam secundùm, quia quælibet perfectio, quæ ponitur in Deo, est ibi actualiter.

In Diuinis prima & secunda perfectio sunt indemonstrabiles.

Vlteriùs ad euidentiam quæstionis sciendum, quòd essentia diuina potest considerari, vt est præuia determinationi voluntatis diuinæ. Alio modo, & sequitur determinationem voluntatis diuinæ. Si primo modo consideretur, sic dico, quòd essentia diuina cognita abstractiuè est ratio cognoscendi terminos absolutè, puta quiditatem hominis in se, & est ratio cognoscendi complexiones necessarias, vt quòd triangulus habet tres angulos, & est ratio cognoscendi complexiones contingentes non de facto, sed de possibili. Si autem consideretur essentia, vt est sub determinatione voluntatis diuinæ, sic etiam essentia diuina abstractiuè cognita: est ratio cognoscendi quiditates terminorum, & complexiones necessarias, & contingentes, & de facto & de possibili. Similiter essentia diuina clarè visa potest considerari vt est præuia determinationi voluntatis, vel vt est sub determinatione. Primo modo est ratio cognoscendi quiditates terminorum, & complexiones necessarias, & contingentes de possibili tantùm. Vt autem est cognita clarè, & vt est sub determinatione voluntatis, est ratio cognoscendi omnia prædicata, & complexiones contingentes de subiecto, & de possibili. 9.

Essentia diuina est ratio cognoscendi res necessarias & contingentes.

Nec valet quod dicitur, quòd scientia est de necessariis, sed Theologia determinat non solùm de necessariis, sed etiam de contingentibus. Respondeo negando, quia hoc argumentum faceret contra omnem opinionem: & vlteriùs dico quòd licèt de contingentibus non possit esse cognitio scientialis quoad inhærentiam actualem, tamen contingentibus potest esse cognitio scientialis quoad inhærentiam aptitudinalem. Vnde & passio potest separari virtute diuinâ à subiecto. Item, licèt de contingentibus secundùm se non possit esse scientia, tamen de contingentibus in ordine ad determinationem voluntatis diuinæ, quâ positâ necessariò ponuntur, potest esse scientia. Exemplum de eclipsi Solis, quæ est quoddam contingens secundùm se, non potest esse scientia, tamen de ea in comparatione ad suas causas potest esse scientia. 10.

Qualiter de contingentibus possit dari scientia.

Ad argumentum in principio quæstionis, cùm dicitur. *Illud quod non cadit sub demonstratione, non habet rationem scientia*, verum est, & cùm dicitur quòd *nihil in Diuinis potest cadere sub demonstratione.* dico quòd falsum est. Ad probationem dicendum, quòd accidit scientiæ in quantum scientia est, quòd medium de demonstratione sit *quod quid est*, vel definitio, quia hoc accidit scientiæ ratione subiecti, quod est limitatum, & passio similiter est limitata ad genus & differentiam, & ita subiectum est definibile, & passio definibilis. 11.

Ad primum argum. principale.

Ad aliud, quòd *Demonstratio est de vniuersalibus*, dico hîc, quòd demonstratio sit de vniuersalibus, & similiter scientia, hoc accidit scientiæ, in quantum scientia est, quia scientia potest esse de omni eo, quod potest habere propriam passionem. Talia sunt aliqua singularia, sicut est essentia diuina, & sic oporteret dicere, si quilibet Angelus faceret vnam speciem. *Ad secundũ.*

Ad tertium, quòd *habere causam*, &c. dicitur, vel in inferendo, vel in essendo: modò dicitur, quòd in Diuinis est causa in inferendo, non in essendo. *Ad tertium.*

Sed contrà, quia tunc non esset differentia inter demonstrationem per effectum, & per causam; quia effectus est causa in inferendo respectu causæ, & è conuerso: ideò dico ad argumentum aliter, quòd scilicet accidit scientiæ inquantum scientia est, & demonstrationi, quòd sit ex causis in essendo.

QVÆSTIO III.

Vtrùm cognitio abstractiua proprietatum personalium possit habere rationem scientiæ?

Vide Doctores citatos *quæstione antecedenti*; & Doctorem *quodlib.3.art.2. & 3.*

1\. *Argumentum negatiuum.* QVòd non. Illud, quod non cadit sub demonstratione, non cadit sub scientia; sed proprietates personales non cadunt sub demonstratione: ergo. Minor probatur, quia si proprietates essent demonstrabiles, aut de personis, aut de essentia: non de personis, quia nulla passio demonstratur de subiecto, quæ non sit extra rationem subiecti sui, sed quælibet proprietas est de intrinseca ratione suppositi, vt patet: ergo, &c. similiter nec de essentia, quia nulla passio demonstratur de subiecto, nisi illa, quæ est conuertibilis cum subiecto, sed proprietas personalis non est conuertibilis cum essentia.

Argumentum affirmatiuũ. Contrà: Omnis propositio necessaria,& mediata, & non essentialis est demonstrabilis; illa propositio patet de se; sed propositio, in qua proprietas dicitur de essentia,est necessaria, quia quælibet proprietas personalis necessariò fundatur in *esse*, & est mediata, quia inter proprietates personales, & essentiam cadunt multæ perfectiones absolutæ, vt intellectus,& memoria Et quòd proprietas non sit idem cum ratione essentiæ,patet, quia etiam hoc omnes dicunt, quia dicunt quòd non sunt conuertibiles.

2\. Hîc primò ostendentur, quæ faciunt difficultatem in ista quæstione; & sunt tria. Primum sumitur ex parte subiecti. Secundum ex parte medij. Tertium ex parte proprietatum.

Omnis passio debet demonstrari de aliquo subiecto. Primum ex parte subiecti, quod facit difficultatem, est, quia omnis passio demonstrabilis habet subiectum, de quo potest demonstrari; sed proprietas non habet subiectum de quo possit demonstrari, quia illud subiectum aut est personæ, aut essentiæ: non personæ, quia omnis passio demonstrabilis de subiecto est extra rationem subiecti, sed proprietas est intrinseca ratione personæ; igitur. Non potest autem habere pro subiecto essentiam, de qua possit demonstrari. Probatur, quia quando aliqua passio inest alicui subiecto, primò inest vbicunque reperitur subiectum: sed proprietas personalis non reperitur formaliter, vbi reperitur essentia; ergo, &c.

Subiectum demonstrabile debet esse conuertibile cum extremis. Aristot. Secundum, quod facit difficultatem ex parte medij est, quia subiectum demonstrabile debet esse conuertibile cum vtroque extremo, *ex 2. post cap. 2.* sed nullum medium cadens inter proprietatem & essentiam est conuertibile cum proprietate personali, licèt sit conuertibile cum essentia. Patet, quia quicquid præintelligitur ante proprietatem personalem est commune tribus; sed illud quod est commune tribus, non est conuertibile cum proprietate personali, vt patet de se; ergo, &c.

Tertium, quod facit difficultatem ex parte proprietatum, quia de nullo subiecto vt videtur, possunt demonstrari immediatè oppositæ passiones; sed paternitas & filiatio sunt oppositæ passiones. *Opposita passiones an possint de vllo subiecto demonstrari.*

Hoc viso, dico ad quæstionem tria. Primò, quòd alia est comparatio naturæ ad supposita, & naturæ ad indiuidua, & hoc, quia comparatio naturæ præcisè ad supposita non est comparatio superioris ad inferiora,& ideò non oportet quòd numeratis suppositis plurificetur natura. Hoc vult Augustinus *7.de Trinit.cap.vlt.* vbi vult quòd essentia diuina comparata ad personas non comparatur sicut superius ad inferius,quia non se habet sicut genus & species. Comparatio autem naturæ ad indiuidua, & singularia est comparatio superioris ad inferiora, & ideò numeratis indiuiduis numeratur natura: sicut numerato Socrate, & Platone, numeratur natura humana in eis. 3. *August.*

Secundò distinguitur de conuertibilitate;quia est quædam conuertibilitas secundùm vniuersalitatem, & hoc est, quando passio reperitur in quolibet inferiori, in quo reperitur subiectum, sicut habere tria, & triangulum sunt conuertibilia secundùm vniuersalitatem. Alia est conuertibilitas secundùm identitatem, & est quando passio est eadem cuicunque subiectum est idem. Alia est conuertibilitas secundùm singularitatem, & est quando aliqua passio de se est hæc, determinat subiectum primum quod de se sit hoc; similiter subiectum ex ratione sua determinatur ad hanc passionem, quæ de se est hoc. 4. *Triplex conuertibilitas.*

His visis, applicando ad diuina, dicitur quòd prima conuertibilitas, scilicet secundùm vniuersalitatem non est in diuinis, & ratio est dicta; quia ibi natura non se habet sicut superius, nec multiplicatur. Similiter proprietas & essentia non sunt conuertibilia secundùm identitatem. Probo, quia alicui est idem essentia realiter, cui proprietas personalis non est idem realiter; immò differt, sicut patet, quia essentia est idem realiter paternitati, cui paternitati Filiatio nõ est eadem realiter,immò differunt istæ duæ proprietates realiter. Sed tertiò dico,quòd est ibi singularitas secundùm singularitatem, quia illa proprietas,scilicet paternitas diuina, quæ de se est hæc,ex ratione sui determinat sibi naturam diuinam, & natura diuina ex sui ratione determinatur ad hanc proprietatem. 5.

SCHOLIVM.

Declaratis ijs, quæ requiruntur ad demonstrationes conficiendas, resoluit Doctor posse dari cognitionem scientificam de proprietatibus personalibus respectu essentiæ; & probat discurrendo per omnes conditiones, quæ requiruntur ad rationem demonstrationis.

HOc viso,ad quæstionem dico, quòd cognitio proprietatum personalium potest habere rationem scientiæ;& probatur ista propositio, de omni illo de quo potest esse demonstratio, de omni illo potest esse scientia: sed de proprietatibus personalibus, potest esse demonstratio; ergo de iis potest esse scientia. Minor probatur, quia omnis propositio necessaria mediata non essentialis, *Resolutio quæstionis.*

tialis, habens prædicatum conuertibile cum subiecto, omnis talis est demonstrabilis. Hæc propositio patet discurrendo per conditiones scientiæ positas in quæst. antecedenti. Sed propositio, in qua dicitur in esse proprietas personalis ipsi essentiæ diuinæ, est necessaria. Patet etiam quòd sit mediata, quia inter proprietates & essentiam sunt perfectiones mediæ. Est etiam non essentialis, quia proprietas non est de ratione intrinseca essentiæ. Est etiam conuertibilitas proprietatis cum subiecto, & cum medio, loquendo de conuertibilitate singularitatis, quia sicut proprietas quæ determinat subiectum de se est *hac*, sic etiam illud medium, scilicet intellectus, vel memoria de se est *hac*, per quod potest demonstrari proprietas de essentia.

6. *Ad argumentum principale.* Ad rationem in contrarium, quando dicitur, *Si demonstraretur, aut de personis, aut de essentia?* non non de personis concedo, & tu dicis, quòd non de essentia, quia omnis passio est conuertibilis de subiecto. Modò proprietas non est conuertibilis cum essentia, dico quòd verum est primo modo & secundo, sed benè est conuertibilis tertio modo.

Ad difficultates obiectas. Per idem patet ad illa, quæ faciunt difficultatem. Ad primum, quando dicitur quòd non demonstratur de essentia, nego. Ad probationem dicendum, quòd loquitur de passione conuertibili primo & secundo modo. Ad secundum patet per idem. Ad tertium, quod facit difficultatem, quando dicitur quòd de nullo subiecto possint demonstrari passiones oppositæ, concedo quòd verum est de subiecto limitato, non de illimitato, cuiusmodi est essentia diuina, ideò non valet.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm talis cognitio abstractiua, quæ ponitur media, possit haberi de Deo per aliquod commune repræsentatiuum limitatum?

D. Thom. 1. *p. q.* 56. *art.* 3. Henric. *quodl.* 5. *q.* 15. *& quodl.* 12. *q.* 2. Bassol. 1. *dist.* 3. *q.* 2. *art.* 2. Occam *q.* 1. *Prol. art.* 5. Duran. *q.* 3. Doctor *in Oxon.* 1. *dist* 3. *q.* 9. *& in Parisien. q.* 2. *prol. & q.* 3. *art.* 2. Vasquez 1. *part. disp.* 134. *c.* 5.

1. *Argum. primum negatiuum.* Et arguitur quòd non: quia essentia diuina est suum *esse*; sed nulla species creata est suum *esse*, quia hoc est proprium Dei: ergo de Deo non potest haberi talis cognitio per tale repræsentatiuum.

Secundum. Item, vna species creata magis distat à Deo, quàm vna creatura ab alia; sed vna creatura perfectè non potest aliam repræsentare.

Argum. affirmatiuum. Contrà: omnis cognitio est per assimilationem; sed species videtur esse ratio assimilandi potentiam intellectiuam obiecto cognito; non essentialiter, quia nihil est ratio assimilandi aliud alicui, nisi illud inhæreat sibi, sed essentiæ diuinæ nihil inhæret: ergo oportet ponere speciem, quæ inhæreat ad hoc, quòd repræsentat.

2. *Obijcitur prima difficultas.* Hîc ponentur primò aliquæ difficultates, & prima, quæ occurrit est illa, ideatum ducere primò & immediatè in cognitionem suæ ideæ, quia omne exemplatum primò repræsentat suum exemplar; sed quicquid est in creatura est exemplatum & ideatum: ergo primò repræsentat suam ideam, & non essentiam diuinam.

Secunda difficultas si aliqua species creata potest repræsentare immediatè essentiam diuinam apud intellectum meum, eadem ratione alia species repræsentabit eandem essentiam apud intellectum alium. Tunc argumentor. Istæ duæ species, cùm non sint de se *hæ*, conueniunt in specie, & potest abstrahi conceptus communis speciei. Tunc quæritur an istud commune repræsentaret sub ratione vniuersaliori, quàm illa species & illa, aut sub ratione eadem? nec sic, nec sic, vt probabitur; ergo, &c. Probatur primò quòd non sub ratione vniuersaliori, quia tunc in Diuinis esset tale, quod non est verum, nam si duceret sub ratione vniuersaliori, tunc per speciem creatam non haberemus aliquam cognitionem propriam essentiæ diuinæ. Nec potest ducere sub eadem ratione, quia quanto species est vniuersalior, tanto sub vniuersaliori ratione duceret; quia illa species sic abstracta ab illis est vniuersalior. *Secunda.*

Tertia difficultas est ista, quantò aliqua species repræsentat nobilius obiectum, tantò species est nobilior; si ergo species creata repræsentat diuinam essentiam, cùm essentia diuina sit obiectum nobilissimum, tunc species creata excederet in infinitum omnem creaturam, & esset quasi perfectionis infinitæ. *Tertia.*

Quarta difficultas, quia nihil potest causare speciem alicuius obiecti in aliquo, nisi vel ipsum obiectum, vel aliud, quod continet perfectionaliter, vel virtualiter perfectionem obiecti; sed essentia diuina, quæ ponitur hîc obiectum, non potest causare speciem; quia tunc causaret naturaliter, quod non est verum, quia ad extra Deus nihil causat naturaliter; nec potest aliquid aliud, quia nihil est in mundo, quod contineat virtualiter perfectionem diuinam; ergo videtur quòd non sit dare tale repræsentatiuum. *Quarta.*

Quinta difficultas, si deberet poni talis species, aut illa species poneretur ad faciendam præsentiam obiecti, aut ad determinandum potentiam? Sed propter neutrum istorum potest poni; ergo, &c. Probatur quòd non propter præsentiam obiecti, quia essentia diuina secundùm se est præsens cuilibet intellectui. Item, dato quòd ponamus istam speciem, tamen Deus est intimior intellectui, quàm species. Hæc propter secundum, scilicet vt determinet potentiam, quia sicut se habet principium in speculabilibus, sic finis in agibilibus; sed voluntas secundùm se est determinata respectu finis vltimi, saltem vt naturaliter conuertibilis, igitur similiter intellectus erit determinatus & non indigebit specie determinante. *Quinta.* *7. Ethic.*

SCHOLIVM.

Propositis quibusdam difficultatibus, quas in fine quæstionis dissoluit, docet cognitionem Dei abstractiuam dari posse per speciem creatam, quæ repræsentare possit essentiam diuinam. Potissima quæ hîc habet, diffusius tractauerat in Oxon. 2. dist. 3. q. 9. *præsertim* à n. 12. *in responsionibus ad argumenta Henrici.*

Secundò ostendendum, quòd non obstantibus istis difficultatibus, talis cognitio potest haberi per aliquod medium repræsentatiuum limitatum, vel speciem repræsentantem, quia in essentialiter ordinatis, cui non repugnat primum, nec vltimum, nec medium: sed ita est, quòd potentia intellectiua, & ratio intelligendi, & actus intelligendi sic se habent, quòd sunt essentialiter ordinata, 3. *Resolutio affirmatiua quæstionis.*

 nata,

nata, quia ratio intelligendi est media inter potentiam & actum; ergo cui non repugnat potentia intellectiua, & actus intelligendi ad cognoscendum Deum abstractiuè, nec ratio intelligendi repugnabit sibi, talis autem ratio intelligendi est species.

Item, cuicunque propter suam imperfectionem, vel propter cognitionem importantem imperfectionem, non repugnat illud, quod est magis perfectum, nec quod est minùs perfectum, quia imperfectum, in quantum imperfectum, non repugnat alicui nisi ratione perfectionis alicuius; sed exprimere essentiam diuinam per modum actus vltimi est perfectius, quàm exprimere eam per modum speciei: igitur cùm cognitioni habitæ de Deo, vel possibili haberi, non repugnat exprimi per actum, vt probatum est, sibi etiam non repugnabit exprimi per speciem.

4. *Ad argum. principalia.* Ad argumenta in principio quæstionis. Ad primum, cùm dicitur, essētia diuina est suum *esse*; sed nulla species creaturæ est suum *esse*, &c. Ad hoc dicendum, quòd maior potest concedi, & minor negari, quia in specie creata secundùm multos, non differt essentia & *esse*; & dato quòd differret, non valet ratio, quia ad actum repræsentandi non requiritur conformitas, quæ consurgit ex vniuocatione omnimoda, sed sufficit conformitas, quæ consurgit ex immutatione, sicut potest patere in illo exemplo de actu, & ideò non valet.

Ad secundū. Duplex instantia. Ad secundum. *Omnis species limitata magis distat*, &c. Respondeo distinguendo de *distantia*; quia est quædam, quæ est secundùm gradum perfectionis, & isto modo magis distat species à Deo, quàm vna creatura ab alia creatura. Alia est distantia, quæ est secundùm gradum proportionis, & isto modo non magis distat species repræsentans ab essentia, quàm ab alia creatura, in quam secundùm gradum proportionis immutatur essentia diuina.

5. *Ad primam difficultatem.* Ad primam difficultatem, cùm dicitur, *omne ideatum*, &c. *quia exemplatum est primò expressiuum sui exemplaris.* Respondeo: hîc distinguitur de ideato, quia est aliquod ideatum, quod sic fit ad idem, quod est similitudo ideæ, & non est alicuius alterius similitudo. Aliud est ideatum, quod sic fit ad ideam, quòd non tantùm est similitudo ideæ, sed alicuius alterius. Modò loquendo de primo ideato, verum est quòd primò repræsentat ideam: non de secundo.

Ad secundā. Ad secundam difficultatem de specie, concedo quòd quâ ratione potest fieri apud intellectum meum species repræsentans essentiam diuinam, eâdem ratione apud tuum. Et cùm quæris de specie abstracta à duabus *vtrùm*, &c. Dico, quòd illa species sic abstracta, cùm sit abstracta sicut superius ab inferiori, non poterit ducere nec sub ratione vniuersaliori, nec sub ratione propria in cognitionem essentiæ diuinæ; quia non potest habere actum realem, sicut nec homo abstractus à Socrate & Platone.

Ad tertiam. Ad tertiam difficultatem de specie, quæ esset perfectionis infinitæ, dico quòd illud possit argui de actu. Aliter potest dici quòd verum est, quod dicitur in maiori. Quando illud repræsentatiuum repræsentat de se illud, quod repræsentatur, quantum illud est repræsentabile, sed nulla species creata potest repræsentare essentiam diuinam, quantum repræsentabilis est, ergo, &c.

Ad quartam. Ad quartam. Quòd nihil potest causare aliquid, quod repræsentet obiectum, nisi vel obiectum, vel quod continet virtualiter, vel perfectionaliter perfectionem obiecti. Dico quòd omittis istud tertium, scilicet vel nisi sit aliquid, quòd sit idem realiter cum obiecto; modò dico, quòd licèt essentia diuina non causet, tamen voluntas diuina, quæ est idem realiter cum essentia diuina, potest causare eam.

Ad quintam: species requireretur aut propter repræsentationem, aut propter determinationem; nec sic, nec sic; dicendum quòd illa ponitur nec propter hoc, nec propter illud, sed ponitur propter causationem. Imaginatur etiam aliquis, quòd ad causandum actum intellectionis requiruntur duæ causæ partiales, ita quòd potentia intellectiua est causa partialis, & species est causa partialis supplens præsentiam obiecti, & sic istæ duæ partiales poterunt facere vnam causam totalem. Et tu dices, quòd Deus potest supplere causationem speciei, concedo: sed dico non supplendo, hoc est, si Deus non suppleat, requiritur species, & ideò ponenda est. *Ad quintam.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm cognitio intuitiua & abstractiua possibilis haberi de Deo sint eiusdem speciei.

Almain. *in* 3. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 2. Duran. *q.* 3. Doctor *in Oxon.* 2. *dist.* 3. *q.* 9. *n.* 11. *&* 4. *dist.* 49. *q* 12. *n* 6. *& quodl.* 13. *art.* 3. §. *circa secundum, & lib.* 2. *Metaph. q.* 3. *& lib.* 7. *q.* 5. Cauell. *in supplem. librorum de Anima, disp.* 3. *sect.* 11. Conimbricen. 3. *de Anima, cap.* 5. *quæst.* 5.

ARGVITVR quòd sic; quia magis clarum, & minùs clarum non diuersificant speciem; cùm ergo cognitio intuitiua & abstractiua non differant nisi sicut magis clara, & minùs clara cognitio, ergo, &c. 1. *Primum arg. negatiuum.*

Item, quæ diuiduntur in inferioribus, vniuntur in superioribus; sed cognitio intuitiua & abstractiua diuiduntur in potentiis sensitiuis; patet de visiua, & imaginatiua: igitur, &c. *Secundum.*

Contrà, quòd ordinatur ad aliquid sicut ad finem, differt ab eo specie; quia inter finem, & id quod est ad finem, est ordo essentialis; ordo autem essentialis non est nisi inter differentia specie, patet 3. *Metaph. cap.* 2. *text.* 11. in indiuiduis eiusdem speciei non est principium perfectius; sed abstractiua ordinatur ad intuitiuam, vt ad finem: igitur, &c. Aristot.

De ista quæstione primum, quod facit difficultatem est, quia ab eadem potentia respectu eiusdem obiecti, & sub eadem ratione non potest dici nisi vnicus actus, quia idem secundùm idem non est natum facere nisi idem; sed abstractiua & intuitiua sunt eiusdem potentiæ & respectu eiusdem obiecti, & sub eadem ratione; ergo videntur esse vnicus actus. Quòd sint sub eadem ratione patet, quia sub omni ratione, sub qua potest cognitio intuitiua esse obiecti, potest & abstractiua. 2. *Prima difficultas.*

Confirmatur ratio, quia 2. *de Anima, text.* 33. potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta; igitur vbi est idem obiectum, & sub eadem ratione, ibi vniuntur actus. Confirmatur etiam, quia 3. *de Anima*, *text. com.* 38. secantur scientiæ, quemadmodum & res de quibus, sed hîc est res eadem & sub eadem ratione: ergo & scientia. *Confirmatio prima.* Aristot. *Confirmatio secunda.* Aristot.

Se cundum

Secunda difficultas. Secundum, quod facit difficultatem, est, quia illud, quod non variat rationem obiecti, non variat rationem actus: sed absens & præsens non variant rationem obiecti; ergo nec rationem actus: sed intuitiua est semper respectu præsentis, abstractiua respectu absentis, & præsentis; & per aliud non videntur differre, nisi per absens & præsens; igitur, &c.

Tertia. Tertium, quod facit difficultatem est, quòd inter quæcunque duo extrema natum est cadere medium differens specie ab extremis, non est natum vnum extremum immediatè succedere alteri: sed secundùm Augustinum 20. *Ciuit. cap.* 20. cognitionem fidei sequitur visio; igitur non est illa aliquid tertium differens specie ab vtroque; sed cognitio ista abstractiua differt specie à cognitione fidei, quia illa, scilicet abstractiua, potest esse scientifica, & illa quæ est fidei, non: ergo cognitio abstractiua & intuitiua non differt specie à visione. *August.*

SCHOLIVM.

Asserit scientiam intuitiuam distingui specie ab abstractiua, probátque quatuor rationibus; primâ desumpta ex comparatione potentiarum; secundâ ex parte cognitionum; tertiâ, ex differentia obiectorum vtriusque scientiæ; quartâ, quia abstractiua est media inter intuitiuam & cognitionem per fidem.

3. *Resolutio quæstionis.* Secundò ostenditur, quòd differt specie intuitiua & abstractiua. Et primò arguitur ex comparatione potentiarum, quia quæcunque arguunt diuersitatem specificam in potentiis inferioribus, arguunt diuersitatem formalem in actibus potentiæ superioris: sed in potentiis sensitiuis cognitio abstractiua variat specie rationem potentiæ; igitur, &c.

Patet etiam ratione, quia si quod minùs videtur inesse & inest, & quod magis; sed minùs videtur, quòd facientia diuersitatem formalem specificam in actibus potentiarum inferiorum faciant diuersitatem formalem in actibus potentiæ superioris, quàm quòd facientia diuersitatem formalem in potentiis inferioribus faciant diuersitatem formalem in actibus potentiæ superioris, quia semper magis vniuntur potentiæ, quàm actus, & tamen ita est: ergo, &c.

Quòd autem illa, quæ diuersificant actum in potentia inferiori, diuersificent actum in potentia superiori, patet exemplo, quia enim album & nigrum differunt specie, & visio albi differt specie à visione nigri, ideò diuersitas istorum actuum est causa diuersitatis in actibus intellectiuis, quia intellectio albi differt specie ab intellectione nigri: igitur multò magis illa quæ diuersificant potentiam inferiorem, sunt causa diuersitatis in actibus potentiæ superioris. Probata est igitur maior, sed minor patet, scilicet quòd in potentiis sensitiuis cognitio intuitiua & abstractiua variant speciem ratione potentiæ inferioris. Patet de visiua & imaginatiua potentia: igitur, &c.

4. Secundò ostendo ex parte cognitionum, quia quæcunque infra proprium genus differunt plusquam numero, & non differunt secundùm magis & minùs, differunt specie ad minùs. Et dico *infra genus proprium*, quia in genere extraneo non oportet: sicut homo albus & homo niger differunt plusquam numero in genere extraneo, non tamen differunt specie; sed ita est, quòd illæ cognitiones infra genus proprium differunt plusquam numero, & non differunt secundùm magis, & minùs: ergo, &c. Patet minor, & probo quòd plus differant, quàm numero, quia istæ cognitiones, scilicet intuitiua & abstractiua plus differunt, quàm duæ abstractiuæ, & duæ intuitiuæ, & istæ differunt numero; ergo illæ plusquam numero. Quòd non *secundùm magis & minùs*, patet, quia quæ sic differunt, vnum per intensionem infra suam rationem specificam factam potest adæquari alteri, sed non sic abstractiua intuitiuæ quantumcunque crescat, ergo, &c.

Tertia ratio est illa. Illa cognitio quæ indifferenter est obiecti præsentis & absentis, non est eiusdem speciei cum cognitione, quæ determinatè est obiecti præsentis; sed cognitio abstractiua est obiecti præsentis & absentis indifferenter: intuitiua determinatè est præsentis; ergo, &c.

Item, quando inter aliqua extrema est aliquod medium, si differat specie ab vno, & ab alio; secundùm Commentatorem 6. *Physi. com.* 32. Sed cognitio abstractiua est media inter cognitionem intuitiuam & cognitionem fidei, & differt specie à cognitione fidei, quia potest esse scientifica, cognitio fidei non: ergo, &c. *Comment.*

5. *Ad primum argum. principale.* Ad rationes. Ad primam in principio quæstionis cùm dicitur, quòd *magis & minus non diuersificant speciem*, dicendum quòd licèt magis & minùs præcisè non diuersificent speciem, tamen si generaliter accipiatur ista propositio, quòd *magis, & minùs non diuersificant speciem*, id est, non sunt nisi in eadem specie, propositio non est vera: substantia enim est magis ens, quàm accidens, & tamen ens, quòd dicitur de substantia & accidente, non est eiusdem generis, nec speciei.

Ad secundū. Ad secundum. *Quæ diuiduntur in inferioribus, vniuntur in superioribus*, dicendum, quòd illa propositio, *quæ plurificantur in inferioribus*, &c. non est vniuersaliter vera, aliàs cùm potentia cognoscitiua & etiam appetitiua plurificentur in parte sensitiua, sequeretur quòd essent vna potentia intentionaliter. Similiter cùm intellectus & voluntas sint duæ potentiæ in homine, sequeretur quòd essent vna potentia in animali, quod non est verum.

6. *Ad primam difficultatem.* Ad difficultates respondendum est. Ad primam cùm dicitur *idem inquantum idem*, &c. Dico quod ista propositio potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, quod idem actiuum in quantum idem, semper est natum facere idem, hoc est, eundem effectum. Aliter potest intelligi, quòd etsi actiuum natum est facere plures effectus, semper tamen idem passiuum natum est facere eosdem effectus. Primo modo propositio est falsa tam in agente libero, quàm natura æquiuoco. Secundo modo est falsa in agente libero. Patet. Deus enim in aliquo passiuo posset facere effectus, quos nunquam fecit; vera autem est de agente merè naturali, quia circa idem passiuum vniformiter dispositum, natum est eosdem effectus producere.

Triplex subordinatio potentiarum. Ad confirmationem, *potentiæ distinguuntur*, &c. Dicendum quòd quædam sunt potentiæ organicæ disparatæ omnino, vt visus & auditus, quædam sunt potentiæ organicæ subordinatæ, vt visus & sensus communis, & de illis habet propositio veritatem. Aliæ sunt potentiæ ordinatæ non ratione maioris & minoris communitatis obiecti, sed ratione dignitatis ipsarum, vt intellectus Angelicus & humanus; & de istis non est propositio vera, quia quicquid natum est esse obiectum intelle-

ctus

ctus Angelici, natum est esse obiectum intellectus humani. Aliæ sunt potentiæ ordinatæ, quia actio vnius ordinatur ante actionem alterius, vt intellectus & voluntas; & de istis etiam est propositio falsa *.

* Deest responsio ad secundam confirmationẽ.

Ad secundã. Ad secundum, cùm dicitur. *Illud quod non variat rationem obiecti, non variat rationem actus*, dicendum, quòd falsa est, quia absens & præsens non variant rationem obiecti, & tamen variant actum. *Ad tertiam.* Ad aliud, *inter quæcunque duo extrema*, &c. Respondeo distinguendum est de immediato & successiuo, vel secundùm rationem meriti & præmij, vel ex natura rei. Modò dico, quòd cognitionem fidei non sequitur visio immediatè ex natura rei, sed secundùm rationem meriti, & præmij.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm cognitio abstractiua possibilis haberi de Deo, & intuitiua de eodem simul possint stare in intellectu?

Vide Doctores citatos *in quæst. anteced.*

I. *Arg. primum negatiuum.*



VIDETVR quòd non. Quia intellectus immediata cognitione refertur ad obiectum cognitum; si igitur intellectus posset habere simul duas cognitiones de eodem obiecto, intellectus bis diceretur ad idem obiectum; consequens est falsum, vt patet 9. *Metaphysic. cap. 6.* Aristot.

Confirmatio. Confirmatur, quia relatio actus ad obiectum est essentialior, quàm relatio habitus, quia habitus non tendit in obiectum nisi mediante actu: habitus autem refertur; igitur, &c.

Secũdum argumentum. Item, adueniente perfecto, euacuatur quod est imperfectum; cognitio intuitiua de Deo est perfectissima possibilis haberi de Deo, abstractiua est imperfecta: igitur, &c.

Arg. affirmatiuum. Contrà, non plus repugnant cognitio abstractiua & intuitiua de Deo, quàm cognitio matutina & vespertina de eodem, sed istæ possunt simul stare in intellectu beato. Patet per Augustinum suprà 4. *de Genes. ad literam cap.* 29. 30. 31. igitur, &c.

Circa istam quæstionem dicunt aliqui, quòd sic: prima ratio eorum, quia diuersa accidentia alterius speciei, & non contraria, possunt stare simul. Patet de similitudine, & dissimilitudine in superficie; sed istæ cognitiones non sunt contrariæ, & sunt diuersarum specierum, vt dictum est priùs: ergo, &c.

Item, licèt duæ cognitiones, quarum vna est euidens, & alia obscura, non possint simul stare, tamen duæ euidentes possunt simul stare; sed istæ ambæ sunt euidentes, quia vtraque scientifica.

RELIQVA DESVNT.



EIVSDEM
DOCTORIS SVBTILIS
QVÆSTIONES MISCELLANEÆ
DE FORMALITATIBVS.
TRACTATVS IMPERFECTVS.

Cum Notis & Scholiis R. P. F. LVCÆ VVADDINGI.

CENSVRA.

QVÆSTIONES *has, præter primam, exſcripſimus ex codice vetuſto membraneo MS. Bibliothecæ Vaticanæ, num.* 869. *in quo poſt quæſtiones Scoti in libros de Anima, hæc promiſcuè ſequebantur. Libri titulus erat:* Scotus in libros de Anima, & alia pulchra. *Miſcebantur alij aliorum tractatus, & ſolutæ quæſtiones; quædam Alberti Magni; quædam Richardi, quæ circumferuntur inter eius Quodlibeta ad finem libri* 4. *Sententiarum; aliæ Aureoli nondum impreſſæ; vt aliæ Nicolai Lirani, qui & Commentarios Theologicos, & quæſtiones ſcripſit Quodlibetales. Primam quæſtionem de attributorum diſtinctione, imperfectam tamen, accepimus ex eadem Bibliotheca codice* 879. *ad finem libri ſecundi Reportatorum Pariſienſium. Stylus, methodus, doctrina Scotum redolent; & fortaſſis quæſtiones has, aliáſque multas, quas tabulæ Guillelmi de Miſſale indicant, & adhuc deſiderantur; ſub* Commentariorum imperfectorum *nomine recenſuit Pitſeus. Nos propter materiæ, & diſputationum varietatem* Miſcellaneas *nuncupamus; & reliquarum more Notis & Scholijs illuſtramus.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm omne intrinſecum Deo ſit omnino idem eſſentiæ diuinæ, circumſcripta quacunque operatione intellectus.

Alenſ. 1. *part. quæſt.* 48. *mem.* 3. Richard. 1. *diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 2. & 3. Henric. *quodl.* 5. *quæſt.* 1. & *quodl.* 13. *quæſt.* 1. Goffred. *quodl.* 7. *quæſt.* 1. D. Thom. 1. *part. quæſt.* 28. *art.* 2. & *quæſt.* 7. *de verit. art.* 6. *opuſc.* 9. *quæſt.* 1. 2. & 3. & 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. Capreol. *diſp.* 8. *quæſt.* 4. *art.* 1. Durand. *diſt.* 2. *quæſt.* 2. Arim. *diſp.* 8. *quæſt.* 1. Aureol. *quæſt.* 3. *art.* 2. Antonius Syrectus, Faber, & alij Scotiſtæ *peculiari tractatu de formalitatibus.* Idem Faber *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 7. *diſp.* 19. & 20. Rada *in* 1. *controu.* 4. Suarez 1. *part. tract.* 1. *lib. cap.* 10. Vaſq. 1. *part diſp.* 116. & 120. Vide Doctorem 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 7. & *diſp* 8. *quæſt.* 4. & *collat.* 22. & *alibi paſſim.*

1. RESPONDEO ſuppoſito ex aliis quæſtionibus quid ſit tenendum de diuerſis modis identitatis, & non identitatis, concedendis; vel negandis in diuinis; ſuppoſitis etiam rationibus terminorum explicantium talem identitatem, vel non identitatem; hîc videndum eſt de propoſitionibus concedendis, vel negandis. & oportet dicere de ordine inter illas. Et ad breuiter loquendum; eſſentia ſub præciſiſſima ratione ſit *A*; paternitas ſub propria, & præciſa ratione ſit *B*. Hæc videtur eſſe propoſitio prima concedenda in iſta materia: *A. non eſt formaliter B.* vel iſta, quæ æquipollet ei: *A. non eſt formaliter idem B.* quòd videtur formaliter remotior à multitudine & varietate intellectuum, ſeu ſenſuum diuerſitate. In iſta quidem: *A, non eſt formaliter B.* non negatur abſolutè *A*, eſſe *B*. Sed eſſe ſic, ſiue ſub tali modo, vt *formaliter* & compoſito modo, negatur, non ratione eius, quod importat compoſitio, ſed ratione modi, ſicut iſta: *Æthiops non eſt homo albus.* Similiter hîc: *A. non eſt idem formaliter B.* negatur identitas non abſolutè, ſed ſub iſto modo, & hoc ratione negationis modi.

Quænam ſunt propoſitiones concedendæ, vel negandæ ratione diſtinctionis formalis.

Prima propoſitio concedenda.

Secunda propoſitio, qua multi vtuntur quaſi æquiualenter cum prima, videtur eſſe iſta: *A. & B. non ſunt formaliter eadem.* & tamen iſta non eſt præciſè determinata ad illum vnum ſenſum, ſicut prima. Nam aliquis altercari volens, diceret quòd hic 2.

Secunda concedenda.

hîc ponitur pluralitas: *A* & *B. non ſunt eadem*, tum ex copulatione poſita inter *A.* & *B.* quæ non poteſt eſſe ſine aliqua diſtinctione, quia non videtur quòd omnino idem poſſit ſibi ipſi copulari, tum ex pluralitate conſignata, & ex copula, & prædicato, cùm dicitur, *ſunt eadem.* Vnde & aliqui in illo verbo Chriſti Ioannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus*, notant pluralitatem perſonarum in copulatione, & plurali numero, *ſumus*; ſed vnitatem eſſentiæ, in prædicato ſingulari *vnum*, quare ſequitur illud, ſi *vnum*, non igitur diuerſum; ſi *ſumus*, ergo Pater & Filius, & ſimilis eſt ſententia Magiſtri ex Auguſtino & Hilario lib. 1. Sententiarum diſtinctione ſecunda, pertractando illam auctoritatem, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: vbi ait, dicendo *Faciamus*, & *noſtram* pluralitatem perſonarum oſtendit: dicendo verò *imaginem* vnitatem eſſentiæ.

Confirmatur ratione, quia ad iſtud antecedens *non ſemper Pater eſt idem Patri*, non videtur inferri, *ergo pater & pater ſunt commune.* Nam antecedens eſt verum, ſicut iſtud, *Pater eſt Pater*, conſequens videtur falſum, quia notat pluralitatem in ſuppoſito, & in appoſito.

3\. Obiicies. Hîc non videtur quòd iſta conuertantur in negatiuis, hoc non eſt formaliter idem illi, & hoc & illud non ſunt formaliter eadem.

Reſpondeo tamen non faciendo vim in verbis, vbi ſanus intellectus haberi poteſt, ibi negatur identitas *A*, & *B.* cùm dicitur, *A.* & *B. non ſunt eadem*, ſicut negatur in antecedente: ſicut in communi modo loquendi pro eodem habemus, Socrates eſt ſimilis Platoni, & Socrates & Plato ſunt ſimiles.

Et cùm arguitur de illa pluralitate, quæ videtur poni in conſequente propter copulationem in ſubiecto, & numerum conſignificatum in prædicato, poteſt dici quòd ad vtrumque ſufficit diſtinctio rationis, imò minima, illa ſcilicet, quæ ſufficit ad diſtincta nomina ſynonyma, hæc enim non negaretur: *Gladius & enſis ſunt idem*, vel, *Marcus & Tullius ſunt idem.*

Et quod notatur in dicto Chriſti, efficaciam habet in ſuppoſito, quòd non ſit ſola diſtinctio rationis inter copulata, quia ſuppoſitum licèt non habeatur ex ratione copulationis; habetur tamen ex rationibus illorum quæ copulantur, quia implicatur in eis oppoſitio relatiua realis.

Ad rationem, poſſet dici quòd alia diſtinctio requiritur inter copulata, ſaltem rationis, vel nominis, iſta autem poſita eſt de extremis. *A* & *B.* Vnde videntur illæ propoſitiones primæ & i a eundem intellectum importare, vel ſaltem ſine improprietate poſſint à ſanè intelligentibus accipi, quaſi connaturales quantùm ad intellectum.

4\. Iuxta iſtas duas, in quibus negatur conuertibilitas, ſunt aliæ duæ affirmatiuæ diſtinctionis iuxta primam. Iſta; *Deitas eſt formaliter diſtincta à paternitate*, & è conuerſo. Iuxta ſecundam iſta, *Deitas & paternitas ſunt formaliter diſtincta.* Propoſitionum iſtarum vna eſt minùs determinata ad vnum intellectum; quàm illæ negatiuæ. Nam iſta, quæ minùs videtur poſſe habere diuerſos intellectus, ſcilicet, *Deitas eſt formaliter diſtincta à paternitate*, videtur poſſe habere duplicem intellectum. Vnum, quòd modus importatus per ly *formaliter*, affirmetur circa iſtud determinabile, quod eſt *diſtinctum*, ſicut affirmatur in iſta: *hoc eſt formaliter idem iſti*, circa iſtud determinabile quod eſt *idem.* Alius intellectus poſſet haberi, quòd negatio incluſa in hoc quod eſt *diſtinctum*, negat modum importatum per hoc, quod eſt *formaliter.* Et ſi iſte intellectus poſſet haberi ex vi ſermonis, tunc non ſequitur; non eſt idem formaliter, ergo eſt diſtinctum formaliter; ſed eſt fallacia Conſequentis; quia in antecedente negatur prædicatum compoſitum ex determinabili & determinante, & verificatur iſta affirmatio circa determinabile negatum. Sicut nec tenet iſta conſequentia: homo non eſt neceſſariò albus, ergo eſt neceſſariò non albus: & in multis aliis, vt *homo non eſt eſſentialiter, & quiditatiuè, vel per ſe primo modo riſibilis: ergo homo eſt eſſentialiter, vel quiditatiuè per ſe primo modo non riſibilis.* In antecedente quidem negatur *riſibilis* ſub iſto modo, & hoc eſt, quia iſte modus negatur: in conſequente verò modus affirmatur reſpectu prædicati negati. Et ideò conſequens eſt falſum, nam iſtud prædicatum negatum *non primò eſſentialiter, vel quiditatiuè, vel per ſe primo modo*, dicitur de ſubiecto; imò nec alia negatio prædicatur per ſe primo modo de aliquo poſitiuo, nec negatio alia ingreditur eſſentialiter in eſſentiam aliquam poſitiuam.

Contra hoc: *idem* & *diuerſum* ſunt immediatè oppoſita circa ens. *ex 5. Metaphyſica text. com.* 15. ergo pari ratione *idem formaliter*, & *diſtinctum formaliter* erunt immediatè oppoſita circa *A.* reſpectu *B.* & per conſequens ſequitur, ſi *A* non eſt formaliter idem ipſi *B.* ergo eſt diſtinctum formaliter ab ipſo *B.* 5.

Et confirmatur in ſimili, quia ita ſequitur hîc de *eodem* & de *diſtincto*, ſicut cum aliis determinabilibus. Sequitur enim, ſi *A.* non eſt realiter idem ipſi *B.* ergo eſt diſtinctum realiter ab ipſo *B.* & ſimiliter in ſingulis modis, quos ponit Philoſophus 1. *Topic. cap. 6.* puta, hoc non eſt idem illi genere, ergo eſt diſtinctum genere, & ſi ſpecie, ſpecie, & ſi numero, numero, & ita in aliis modis videtur, vbi eſt ſola diſtinctio rationis. Sequitur enim, ſi iſta non ſunt eadem ratione, ergo ſunt diſtincta ratione, & in diuinis etiam ſequitur, Pater & Filius non ſunt idem perſonaliter, ergo ſunt diſtincta perſonaliter.

Non videtur ergo inſtantia contra iſtam conſequentiam, niſi dicatur præciſè eſſe in propoſito de ſignificatione iſtius propoſitionis: *A. eſt diſtinctum formaliter ab ipſo B.* & vtrùm determinatè importet primum ſenſum prædictum, vel alium. Vel dicam multipliciter ad iſtos duos ſenſus, & diſcuſſionem exquiram: & multa alia huiuſmodi relinquo Logicis, ſequendo communem modum loquendi. Poteſt ergo iſta concedi, ſaltem concedendo illum intellectum, ſecundùm quem non videtur multùm diſtare ab intellectu negatiuæ primæ conceſſæ.

Nec iſtæ inſtantiæ ſuprà adductæ in oppoſitum, mouent, quia ſi accipiatur conſequens in eodem intellectu reſpectu antecedentis, ſicut hîc, omnes illæ conſequentiæ eſſent concedendæ, puta exemplificando de vno pro aliis, quod non eſt *riſibilis eſſentialiter*, vel ſi eſſet alia dictio ei impoſita, quod eſt *non riſibilis*, puta *C.* tunc hæc eſſet concedenda, *homo eſt C. eſſentialiter.* Et cùm arguitur quòd *C.* non cadit in definitionem hominis, ſicut nec *A.* negatio in definitione poſitiui.

Reſpondeo, ſi negatio libera, vel incluſa in hoc, quod eſt *C.* poſſit negare modum additum ſignificatum per hoc, quod eſt *eſſentialiter*, tunc concedo iſtam,

istam, *hoc est C. essentialiter*, & ideò conceditur quòd *C.* prædicatur essentialiter de homine, quia in antecedente negatur modus ille *essentialiter*, in consequente affirmatur.

Aliter etiam posset dici, quòd accipiendo ista aduerbia *essentialiter* & *formaliter*, & similia, vt præcisè dicunt modum distinctionis, sicut modum identitatis, immediatè opposita sunt ista. *A est sic idem B. A est sic distinctum B.* non faciendo vim de affirmatione, vel negatione importati per hoc quod est, scilicet, *C.* &c.

6. Contra hoc instantiæ sunt: quia sicut risibile non est essentialiter idem homini, ita est distinctum essentialiter ab homine, hoc est, distinguitur secundùm essentiam, quia essentia est distincta ab essentia, & hæc essentia naturaliter non est determinatio huius compositionis, *hoc est distinctum*, sed determinatio prædicati huius, scilicet, quod est *distinctum*; obligatio verò quæ procedit secundùm quod est negatio, vel distinctio, notatur esse de essentia subiecti, & procedet de alio intellectu prout essentialiter intelligitur determinare compositum.

Isto modo intelligendo hoc totum, quod est *formaliter distinctum*, *formaliter* est determinatio diminuens à distinctione, sicut & hîc, *non idem formaliter*, *formaliter* diminuit à non identitate; ita quòd sicut formaliter non sequitur; *sunt non formaliter eadem, ergo sunt non eadem*: sed est fallacia secundùm quid, & simpliciter; ita non sequitur, *sunt distincta formaliter, ergo sunt distincta*: sed est similis defectus.

7. Si quis proteruiendo per illam propositionem, *A non est distinctum formaliter à B.* velit alium intellectum concipere, quàm intellectum distinctionis diminutæ, patet quòd ista non sequitur ex præmissis, nec potest ex istis ad vltima inferre tanquam sequens ex datis.

Ex tertia & quarta inferuntur propositiones aliæ vt conuertibiles, puta iuxta primam & tertiam, ista quinta: *A habet distinctam formalitatem à formalitate B.* vel, *formalitas A. est distincta à formalitate B.* Et iuxta secundam & quartam ista, *A & B. habent distinctas formalitates*; vel, *formalitas A. & formalitas B. sunt dua*, siue *distincta formalitates.*

Quòd aliæ sequantur ex præmissis, probatur in simili, quia si *A* est distinctum realiter, ergo alia est realitas *A.* & alia realitas *B.* & similiter. ergo *A* & *B.* habent duas realitates à simili, etiam si *A* & *B* sunt distinctæ rationes, ergo habent distinctas rationes, sic ergo *A* habet distinctam rationem ab ipso *B.*

8. Contra, in antecedente negatur hoc, quod est *formaliter* secundùm illum intellectum, secundùm quem sequitur ex prima, quæ vera est, vel saltem hoc quod est *formaliter*, est determinatio diminuens respectu eius, quod est *distinctum.* In alia autem, nec formaliter negatur, nec affirmatur, nec distinctio videtur diminui, quia nulla sibi additur dictio diminuens.

Posset dici, quòd ex aliquo diminuto non sequitur idem simpliciter acceptum. Cùm ergo ista propositio, *A. est distinctum à B.* non est concessa, nisi prout negatur hoc quod est *formaliter* per negationem inclusam in hoc; quod est *distinctum.* Vel secundùm aliam viam, hoc quod est *formaliter diminutum*, hoc est quod est distinctum: ideò nullo modo sequitur consequens, in quo affirmatur formalitas & distinctio simpliciter. Stat vis in hoc: si ista propositio, *formalitas A. est distincta à formalitate B.* Vel alia æquiualens sibi, puta *formalitas A. & formalitas B. sunt dua*, vel *distincta formalitates*, ponet formalitatem, & cum hac distinctionem simpliciter; quia si sic, nulla istarum sequitur ex propositionibus priùs datis, secundùm intellectum, in quo datæ sunt. Si autem in aliqua istarum distrahatur distinctio, siue diminuatur, sicut in antecedente, vel negetur modus importatus per hoc, quod est *formaliter*, poterunt istæ sequi ex illis.

De isto, scilicet, quod ponitur in antecedente, potest esse duplex modus dicendi. Vnus iste, quòd hoc, quod est *distinctum*, aliquid præexigit quasi materiale, puta entitatem, & aliquid per se ponit quasi formale, puta *non identitatem.* Ad hoc quòd sit distinctio simpliciter, requiritur quòd sit simpliciter entitas, & simpliciter non identitas: & per consequens duplex potest esse distinctio secundùm *quid*, vel ex parte materialis, quia est entitas tantùm secundùm aliquid, vel ex parte formalis, quia in identitate simpliciter est non identitas solùm secundùm *quid.*

Vtrùm autem hoc, quod est *distinctum*, possit diminui primo modo per hoc, quod additur tali determinabili, nullum proprium *esse* est *esse* secundùm *quid*, puta cùm dicitur: ista est ratio distincta ab illa ratione, dubium est. Videtur enim quòd sic, ex communi modo loquendi in quocunque, sicut & hîc. 9.

Et hæc ratio est distincta ab illa ratione, vbi non significat secundùm communem modum loquendi distinctio realis, sed tantùm in tali *esse*, quale *esse* competit extremis, quod est *esse* rationis. Hoc videtur posse confirmari, quia determinatio habet *esse* secundùm *esse* determinabile, vel saltem non verius.

De diminutione distinctionis secundo modo, videlicet quantùm ad formalem rationem non identitatis, non videtur quòd ista possit haberi per hoc, quod *distinctum* additur tali, vel tali determinabili: quia determinabile non est formaliter determinans suam determinationem. Sed si contrahat ipsam, hoc est tantùm materialiter; tum, quia quodcunque determinabile potest intelligi determinari distinctione tali, vel tali, puta simpliciter, vel diminuta; & hoc sine repugnantia intellectuum, vt pote quòd duæ rationes distinguuntur specificè, & ita simpliciter quantùm est ex ratione non identitatis. Si autem determinabile diminueret quantùm ad rationem sui, non posset intelligi, vel poni quantùm ad illud distinctio simpliciter, siue non diminuta, quin videretur repugnantia intellectuum.

Hoc tenendo, consequenter dicendum esset quòd ista est simpliciter falsa: *Formalitas A. est distincta à formalitate B.* quæ videtur forsan alicui magis probabilis, quàm prima, pro tanto. quia hîc ponitur, *formalitas* & *distincta* ex eadem parte compositionis. In prima autem parte non; sed vnum tantùm in subiecto, & aliud in prædicato. Sicut autem non contrahitur aliquid propriè, nisi per determinationem secum ex eadem parte compositionis positam; aliàs ista posset concedi: *Omnis homo est albus*, quia subiectum tantùm contraheretur ad standum pro homine albo. Ita similiter vel magis non contrahitur aliquid, vel diminuitur per illud, quod non ponitur secum ex eadem parte compositionis. Vnde hæc est simpliciter prima: *Omne opinabile est*, vel *est* 10.

eſt ens. Sed iſta dicuntur inter iſtas, *formalitas eſt diſtincta à formalitate*, & *formalitas eſt diſtincta formalitas à formalitate*, non ſufficit ad hoc quòd ſecunda ſit vera, quia in neutra probatur hoc quod eſt *formalitas*, diſtrahere; ſiue diminuere hoc, quod eſt *diſtincta*, & hoc quantùm ad formalem rationem diſtinctionis, ſiue non identitatis.

Notatur igitur in vtraque quod eſt diſtinctio ſimpliciter, & hoc quantùm ad non identitatem ſimpliciter; hoc autem falſum eſt, ſicut dictum eſt in præcedentibus, quia diſtinctum præcisè formaliter, etſi habeat actualitatem plenam contra *diminutum eſſe*, & actualitatem propriam contra *potentialiter & virtualiter eſſe*; & actualitatem puram contra *confuſum eſſe*, ſiue *mixtum eſſe*, & quantum eſt ex iſtis diſtinctionibus habeat alia requiſita ad diſtinctionem ſimpliciter, tamen deficit vltimum complementum, ſcilicet, non identitas ſimpliciter; quæ nunquam eſt *A* ad *B*. niſi reali ſimplicitati eiuſdem entis repugnaret *A* & *B* verè, realiter, & actualiter ſimul eſſe in ipſo, ſic non eſt de eſſentia & proprietate.

11. Alius modus dicendi fortè placet quibuſdam, ſcilicet quòd concederetur; *hac formalitas diſtincta eſt ab illa*, vel ſaltem quòd eſt diſtincta formalitas ab illa. Sed tunc oporteret illas exponere, qualiter poſſet hæc diſtinctio diminui quantùm ad rationem ſuam formalem per hoc, quod eſt *formalitas*, quia in quocunque antecedente præconceſſo, vel diſtinctio diminuitur, vel negatur modus importatus per hoc, quod eſt *formaliter.* Saltem, qui vult vti verbis minùs dubiis iſta formalitate poteſt concedere: *formalitas A. eſt formaliter diſtincta à formalitate B.* ſed nec iſta formalitas *A* eſt diſtincta à *B*. nec ..:.. alia eſt perſonalis eadem perſonæ. *Locus corruptus.*

12. Ad argumentum in oppoſitum, quod procedit à ſimili, *diſtincta realiter, ergo diſtincta formaliter*, nego conſequentiam; quia cùm dicitur *diſtincta realiter*, ponitur diſtinctio ſimpliciter, & hoc quantùm ad vtramque conditionem, tam videlicet quantùm ad entitatem, quæ hìc omnis intelligitur per hoc quod dicitur *realiter*, quàm etiam quantùm ad non identitatem, quia nihil eſt ibi diminuens rationem non identitatis ſimpliciter, & ideo ſequitur conſequens, quòd ſunt diſtinctæ realitates, ſiue res, quia non infertur aliquid ſimpliciter ex ſeipſo ſecundùm *quid* accepto.

Cùm etiam dicitur, *hæc ſunt diſtincta ratione*, diminuitur ibi diſtinctio, ſaltem quantùm ad *eſſe*, ſicut diminuitur quodcunque aliud ſic determinatum, puta cùm dicitur *eſſe in opinione, vel in intellectu*: non autem diminuitur quantùm ad formalem rationem diſtinctionis, quia ſi ponatur ibi alia determinatio ſic per ſe diminuens, ſequitur conſequentia, quòd ſunt rationes diſtinctæ, ſaltem in intellectu: quia ens rationis non habet *eſſe*, niſi diminutum, ita & quodcunque determinans ipſum non habet *eſſe*, niſi diminutum. Ideò in conſequente ſic intelligendo, nihil infertur ex ſe ipſo diminuto, vel ſecundùm *quid* accepto in antecedente.

Aliter eſt de iſta: *A. eſt formaliter diſtinctum ab ipſo B.* nam determinatio *formaliter* diminuit hoc determinabile, quod eſt *diſtinctum* non primo modo, ſcilicet quantum ad entitatem, ſed ſecundo modo, ſcilicet quantùm ad non identitatem; ſiquidem eſſe formaliter diſtinctum non includit ſimpliciter diſtingui, ſicut apparet ex dictis in iſto articulo: quando ergo infertur, *A, eſt diſtinctum formaliter à B.* ergo *formalitas A. eſt diſtincta à formalitate B.* eſt falſa ſecundùm *quid*, & ſimpliciter, quia diſtinctio, quæ ponitur in antecedente ſecundùm *quid*, in conſequente ponitur ſimpliciter.

Recolligendo igitur à principio iſtius articuli, qui hucuſque conſiſtit in hoc, quod eſt *componere*, vel *diſtinguere* cum hoc, quod eſt *formaliter*, vel *formalitas*; primò concedenda eſt iſta, ſcilicet *A non eſt formaliter idem B.* ſecundò iſta: *A eſt diſtinctum formaliter ab ipſo B.* intelligendo ſanè, vel negando modum importatum per hoc, quod eſt *formaliter*, vel intelligendo diſtinctionem diminui per iſtum modum additum, ſicut dictum eſt priùs.

SCHOLIVM.

Ex hoc loco, & illatione iſtarum propoſitionum manifeſtè colligitur Scotum admittere diſtinctionem formalem inter eas realitates, quæ non ſunt eadem formaliter; & propterea inanem eſſe illorum ſcrupulum, qui in diuinis negant diſtinctionem formalem inter eſſentiam & attributa, atque inter eandem & relationes, & inter ipſa attributa ſibi inuicem comparata; quæ tamen admittunt non eſſe eadem formaliter, ſeu non habere identitatem formalem. Neque ſufficienter deducunt hanc ſuam doctrinam ex illo loco Scoti in 1. diſt. 2. quæſt. 7. num. 44. vbi negat illationem diſtinctionis formalis ex non identitate formali; etenim paſſim & vbique, præſertim diſt. 8. lib. 1. quæſt. 4. diſtinctionem hanc formalem ex natura rei ante omnem actum intellectus admittit inter perfectiones eſſentiales Dei. Cautè tamen, & cum moderamine loqui voluit, vbi primùm diſtinctionem hanc in diuinis ſub illis terminis excogitauit, & Scholis inuexit. Ne etenim plus æquo vnitiſſima, ſimpliciſſima, & actualiſſima arcana diuina videretur diſtinguere, vti maluit negatione identitatis, quàm affirmatione diſtinctionis; Melius, *inquit,* eſt vti iſta negatiua, hoc non eſt formaliter idem, quàm hoc eſt ſic & ſic diſtinctum. *Securius ita videbatur loquendum tunc, donec explicatis in ſequentibus diſtinctionibus diuinarum emanationum diſtinctis principijs, ſimplicitate eſſentiæ, varietate attributorum, & qualitate perfectionum eſſentialium, clariùs licuit diſtinctionem hanc explicare, & firmiori fundamento ſtabilire, vti ampliſſimè præſtitit diſt. 8. Quòd autem loco ſuprà citato conſequentiam illam,* Non ſunt idem formaliter, ergo diſtinguuntur formaliter, *non admiſerit, vel non oportere ſequi dixerit, benè explicant Lychetus, & alij Scotiſtæ, propterea dictum, quia vt ipſe Scotus diſt. 8. quæſt. 1. in reſponſione ad primum principale aſſerit, aliqua non ſunt idem formaliter, & tamen non diſtinguuntur formaliter; vt gradus intrinſecus non eſt idem formaliter cum eo, cuius eſt gradus, & tamen non ſequitur, ergo diſtinguitur formaliter ab eo; non enim dicit per ſe formalitatem, per quam formaliter diſtinguatur à re cuius eſt modus, non formalitas. Vnde* non identitas *latiùs patet, quàm* diſtinctio: *quod varijs inſtantijs fuſiùs docet hìc Tartaretus, præſertim in non identitate & diſtinctione reali; probatque non benè ſequi, non ſunt eadem realiter, ergo diſtinguuntur realiter. Vide Smiſing. de Deo vno tract. 2. diſp. 1. quæſt. 2. num. 40. Vide Scholium quæſtionis ſequentis.*

Tertia propoſitio, ſcilicet, quòd *formalitas A eſt diſtincta à formalitate B.* ſimpliciter eſt neganda, & præcisè concedenda cum iſta determina- 13. *Tertia propoſitio, neganda.*

minatione *formalitas A est distincta formaliter à formalitate B.* & ita quodcunque essentiale concedendum est esse distinctum formaliter à quolibet personali, non autem simpliciter distinctum.

Restat adhuc vnum dubium, de multis propositionibus pertinentibus ad istam determinationem importatam per *formaliter*, puta de ista, *Ipsius A. ad B. distinctio formalis*: sed ista statim sequitur ex illa. *A est distinctum formaliter à B.* sicut sequitur, *homo est specie distinctus ab asino*, sicut *hominis ad asinum est distinctio specifica*; quia vtrobique est eadem distinctionis determinatio in antecedente, quæ in consequente.

Alia propositio: *A formalitate est distinctum ab ipso B.* siue *secundùm formalitatem*, cum suo causali secundùm Priscianum æquiualeat aduerbiali determinationi, & ablatiuus iste *formalitate* cùm additur ei quod est *distinctum*, notet formalem distinctionem ipsius, videtur quòd concedens istam esse formaliter distinctam, debeat concedere necessariò aliam, quia in consequente per illam determinationem *formalitate*, siue *per illam formalitatem* diminuitur hoc, quod est *distinctum*, sicut in antecedente per hoc, quod est *formaliter*.

14. Contrà. *Formaliter* non dicit identitatem, sed diminuit aliquid aliud, & magis determinat ad completam & propriam rationem ipsius; ergo nec determinans hoc, quod est *distinctum*, diminuet ipsum.

Confirmatur, quia *formaliter* videtur includere hoc, quod est *essentialiter*, & formalitate aliquid superaddere: sed hoc, quod est *essentialiter*, non diminuit distinctionem, quando determinat hoc quod est *distinctum*. Similiter posset argui de hoc, quod est *quiditatiuè*, & de hoc, quod est *per se primo modo*.

Item concessum est. *A est distinctum à B.* siue *à formalitate ipsius B.* Sed non est distinctum nisi eadem formalitate illius; ergo non est distinctum formalitate alia: sequitur ergo quòd formalitas est distincta essentialiter à formalitate.

Confirmatur, quia quidquid est distinctum qualitate, est qualiter distinctum: similiter quidquid est distinctum essentia, est essentialiter distinctum, & quod accidente distinctum, est accidentaliter distinctum, & ita similiter in aliis, & è conuerso. Ergo à simili in proposito, quicquid est formaliter distinctum, est formalitate distinctum; sed *A* non est distinctum formalitate, nisi illa, quæ ipsamet est essentialiter, vel totaliter, & præcisè. Hoc maximè patet arguendo de aliqua perfectione in diuinis simpliciter simplici, quæ totaliter est, & præcisè est ipsum per quod est distincta.

15. Item, idem videtur esse *formaliter*, & *secundùm formam*, sed nihil est distinctum secundùm formam ab aliquo, nisi forma illa sit distincta: quia secundùm formam indistinctam nihil est distinctum: imò nec Pater secundùm Deitatem est distinctus à Filio: ergo ad hoc quod est *formaliter*, sequitur formam distingui, vel saltem formalitatem.

Item, formalitas scientiæ non distinguitur formaliter à formalitate scientiæ, & distinguitur formaliter ab alia formalitate, & dicatur illa *D.* non autem potest ab alia distingui formaliter, & ab alia non distingui formaliter, nisi hæc & illa sint distincta; quia contradictoria non possunt verificari, nisi sit alietas in subiecto, vel in termino: ergo illa formalitas est distincta ab illa formalitate, quod est propositum.

Item, si *A* distinguitur à *B* formaliter, ergo actualiter, quia *A* est actus; sed distingui actualiter, infert simpliciter distingui, nec diminuit ipsum; ergo nec diminuitur in antecedente.

Idem argueretur de hoc, quod est *distingui realitate*, quia sequitur ad hoc quod est *distingui realiter*, & in consequente non diminuitur distinctio; ergo nec in antecedente.

Sed tota ista difficultas consistit de *distingui realiter*, & de distinctione reali, & de quibuscunque pertinentibus ad distinctionem determinatam, per hoc quod est *realiter*, & dé pertinentibus ad sequentem ordinem. Totus enim iste ordo stat in distinctione, vel identitate, vel determinatur per hoc, quod est *formaliter*, & habet tres ordines. Primum negatiuum eius, quod est *formaliter*. Secundum negatiuum eius, quod est *formaliter distinctum*. Tertium eius, quod est *distincta formalitas*. 16.

SCHOLIVM.

Adductis varijs argumentis contra distinctionem formalem, alia octodecim adiungit, in quibus potissimas quasque difficultates, quæ contra eandem vrgeri possunt, & ab aduersarys tam vetustis, quàm recentioribus proposita sunt, conspicere licebit. Præcipua horum attigerunt Ariminen. & Caietanus, quæ videre est apud Lychetum & Fabrum citatos. Vasquez plus reliquis & iniuriosius obiecit, nimirùm opinionem hanc Scoti circa distinctionem attributorum coincidere cum errore Gilberti Porretani condemnato in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. sed explicatis his terminis realiter, essentialiter, & formaliter, *in quibus præcipua est argumentorum vis, omnia eliduntur. Vide Fabrum citatum cap. 7.*

Alia adducuntur argumenta contra distinctionem formalem *A* & *B.* arguitur sic: formalitas *A.* in quantùm huius, aut differt à formalitate *A.* aut non: si non, idem est differre formaliter & realiter: si sic, aut formalitati & rei, cui est idem re non formaliter, est aliquid commune, aut non: si sic, aut illud commune est reale, & tunc ambo realia; aut illud commune est ens rationis, & tunc ambo erunt entia rationis, nam tertium videtur improbabile, quia enti in anima, & enti extra animam non videtur aliquid commune, nisi æquiuocè, vel analogicè, *ex Arist. 5. Metaphysicæ text. comm.* 13. Similiter si tale daretur commune, sequitur quòd vnum erit ens, & alterum ratio: sed verè res non potest esse ratio: ergo formalitas est ratio, & sic differentia formalitatum est differentia rationis, quod est contra ponentes distinctionem earum. 17. *Primum argumentum contra distinctionem formalem.*

Item secundò, formalitas vt formalitas, aut est alia res, aut non, si sic, & idem est re cum formalitate alia, igitur idem formaliter illi. Si nulla, ergo nihil: secundùm Augustinum tract. 1. in Ioannem post medium, *quod nulla res est, omnino nihil est.*

Item tertiò formalitas huiusmodi non est aliud, quàm quiditas, vel *quod quid* rei extra animam, non figmentum, vel intentio secunda: formalitas ergo est substantia, quia substantia diuiditur in subiectum, & *quodquid erat esse.* Diuisum autem prædicatur formaliter de diuidente; ergo est formaliter res. Et tunc sic; vel est res illa, quæ est illa formalitas, aut alia? Si illa, ergo formali-

tas ſecundùm *quid* huius eſt idem cum alia formalitate, cuius contrarium dictum eſt. Si alia, ergo realiter differunt ſecundùm *quid* huius, quia vtraque formaliter eſt res.

Quartum. Item quartò arguitur, quia quæ differunt ex natura rei, differunt realiter. Hoc probatur, quia hoc importat hoc nomen. Et per ſimile, quia quæ differunt actu rationis, differunt ratione tantùm, & è conuerſo: quia differentia quæ ponitur formalitatum, ponitur ex natura rei; ergo realiter. Conſequens falſum ſecundùm iſtos.

18. *Quintum.* Item quintò, ſi differentia formalis realis ſufficit ad faciendum aliqua differre realiter, puta differentia, quæ eſt inter paternitatem & eſſentiam, ſi ſufficit ad hoc quòd Pater paternitate differat realiter à Filio, non autem per eſſentiam: pari ratione ad hoc ſufficeret differentia rationis: ſed per hoc præcisè differentia rationis non facit differre realiter, quia non eſt differentia realis: ergo cùm differentia formalis non ſit differentia realis, non faceret differre realiter; hoc eſt falſum; ergo differentia formalis eſt differentia realis, ſaltem illa, quæ eſt inter relationem & eſſentiam.

Sextum. Item, conceptus quiditatiuus *A* non differt à conceptu quiditatiuo *B*, niſi importaret diuerſas res in ſignificato, vel connotato. Probatur, quia nec *A*, nec *B*, eſt præcisè ens rationis, ſed realis ſecundùm eos. Si detur quòd primo modo differunt iſti conceptus, ergo differunt realiter. Si ſecundò modo, quantùm ad connotatum, quia paternitas connotat filiationem oppoſitam: hîc non poteſt poni ratio diſtinctionis in propoſito, quia eſſentia eſt idem illi connotato, ſicut ſignificato connotantur.

Confirmatur per ſimile, quia non poteſt poni diſtinctio formalis inter animal & rationale, niſi rationale connotaret aliquid, quod eſſet diſtinctum ex natura rei ab animalitate, ſiue illud diſtinctum ſit anima intellectiua ſecundùm vnam opinionem, ſiue actus ratiocinandi ſecundùm aliam. Quod iterum probatur, quia ens nullo modo diſtinguitur ex natura rei ab animali, vel rationali, quando per ſe primo modo prædicatur de vtroque, quia neutrum iſtorum aliquid importat; vel connotat realiter diſtinctum ab ente.

19. *Septimum.* Item, diſtinctio formalis, ſecundùm ponentes primam, videtur ſaluari in diſtinctione conceptuum quiditatiuorum; ſed ſic differunt quæ ſola ratione differunt ſecundùm communem opinionem; ergo differentia formalis non ponit per ſe diſtinctionem vltra diſtinctionem rationis.

Octauum. Item, Deus non eſt ſciens niſi propter formalem rationem ſcientiæ, vt diſtinguitur à ratione iuſtitiæ: ſed diſtinguuntur tantùm formaliter, non realiter: ergo Deus eſt formaliter ſciens, non realiter.

Nonum. Item, ſicut realitas eſſentiæ ad realitatem attributorum, ita ratio formalis eſſentiæ ad rationes formales attributorum, quæ ſunt idem realiter cum ea: ergo ratio formalis eſſentiæ ſic continet formalitates attributorum, quòd ſunt idem formaliter cum illa.

20. *Decimum.* Item, propria ratio ſapientiæ, vt diſtincta ab aliis, aut eſt res, aut eſt ratio? Si ratio, ergo eſt ab intellectu, & in anima; ſi res, ergo diſtincta ab eſſentia, vt res à re: ergo realiter.

Vndecimum. Item, quæ differunt indifferenter, vel quaſi indifferenter, minùs differunt, quàm quæ differunt quaſi ſpecificè, ſiue quiditatiuè: ſed attributa non differunt, ſed ſunt idem quaſi indifferenter, quia ſunt ipſa eſſentia: ergo impoſſibile eſt ea differre conceptibus quiditatiuis.

Item, differentia rationis in principiis non ſufficit ad principiandum diſtincta realiter; ergo nec diſtinctio formalis in principiis ſufficit ad principiandum ſic diſtincta, & per conſequens quæcunque ratio inducitur ad probandum diſtinctionem formalem ex diſtinctione principiorum, ipſa non concludit. Probatio primæ conſequentiæ: ſicut ratio non eſt principium rei, quia non eſt res alia; nec formalitas: quia etſi formalitas ponitur medium inter rationem & rem; tamen non habetur propoſitum; quia ſicut extremum non poteſt eſſe principium eius, cuius aliud extremum eſt principium, quia non eſt ipſum; ita nec medium poteſt eſſe principium eius, propter eandem rationem. *Duodecimum.*

Item, ſicut hæc res ſignificata ad ſuam rationem, ita res illa ad ſuam: ergo permutatim, ſicut res ad rem, ita ratio ad rationem: ſi ergo hæc eſt ſimpliciter eadem illi, ergo ratio huius formalis eſt ſimpliciter eadem illi rationi formali; ergo formaliter idem. 21. *Decimum tertium.*

Item, ſi bonitas ligni non eſt formaliter eadem ligno. ergo eſt formaliter ſibi addita: ſicut ſi eſſet realiter diſtincta, eſſet res addita: conſequens eſt falſum, quia ſi eſſet formalitas addita, aut ſubſtantialis, & tunc duæ formalitates ſubſtantiales; aut accidentalis, & tunc non idem realiter. *Decimum quartum.*

Item, res vna habet formalitates plures, quia habet conceptus quiditatiuos diſtinctos. Res ergo vna quaſi diuiditur in illos conceptus, et ita prædicatur de vtroque; & ſimiliter de formalitatibus, quia diuiſum prædicatur de diuidentibus. Aut ergo res, quæ prædicatur de formalitate *A*, eſt formalitas *B*, & tunc eadem formalitas, aut alia, & tunc alia res. *Decimum quintum.*

Item, omnis diſtinctio aut eſt rei, aut rationis: 22.
hæc non eſt rei, quia non eſt realis; ergo rationis. Probatur, nam diſtinctio paſſionum eſt ſecundùm diſtinctionem ſubiectorum, differentia eſt paſſio entis, ens enim diuiditur in ens reale, & ens rationis: vel in ens in anima, & extra animam, 5. *Metaphyſ. text. comm.* 14. ergo differre formaliter, eſt differre ſecundùm rationem. *Decimum ſextum.*

Item, formalitas aut eſt res, aut ratio, aut nihil? Si res, differre formaliter eſt differre realiter: ſi ratio, ergo differre formaliter eſt differre ratione. Probatur autem ab aliis quòd iſta differentia eſt realis, quia non ens extra animam non conuenit enti extra animam. *Decimum ſeptimum.*

Item, omne abſolutum in diuinis eſt infinitum; 23.
omne infinitum eſt ſimpliciter idem cuicunque compoſſibili ſibi in eodem ſuppoſito, ergo iuſtitia eſt ſimpliciter idem ſapientiæ. *Decimum octauum.*

Si dicatur quòd eſt idem identicè, non formaliter.

Contrà, quicquid intelligitur per *identicè idem*, ſiue intelligitur eſſe idem identicè reſpectu idem vnitiuè, ſiue intelligitur eminenter idem, habeo propoſitum.

Item, omne infinitum eſt idem cuicunque ſibi compoſſibili, & non tantùm identicè: ſed formaliter ſecundùm eos. Probatur, quia relatio quæ non eſt infinita formaliter ſecundùm eos, eſt idem identicè cuicunque ſibi compoſſibili in eodem ſuppoſito: ergo infinitum, vt diſtinguitur contra rela-

relationem, qua infinitum, eſt idem cuicunque ſibi compoſſibili alio modo quàm identicè: ergo erit idem illi formaliter.

SCHOLIVM.

Poſitis duabus concluſionibus, explicat naturam & quiditatem formalitatum, eandémque oſtendit ex incompatibilitate earumdem in eadem realitate ſimplici & indiuiſibili. Hanc autem incompatibilitatem dari actualiter in ipſis realitatibus, ſeu formalitatibus ex propria natura ipſarum, ante omnem operationem intellectus non ſolùm hîc, verùm & alibi oſtendit: vnde miror Mauritium Hybernicum in commentariis ad d.2.q.7.libri primi vti, refert Faber citatus diſp.19.c.2. voluiſſe diſtinctionem formalem diſtingui à diſtinctione ex natura rei, niſi fortaſſis velit hanc latiùs patere, quippe etiam comprehendit diſtinctionem realem rei à re, quæ ex natura ſua realiter diſtinguuntur.

24. *Prima concluſio.* Dico primò, in diuinis Deitas eſt ſub completa actualitate ex natura rei, & paternitas ſub incompleta actualitate eſt ibi ex natura rei, illa eſt actualitas ad ſe & communicabilis, & hæc ad aliud & incommunicabilis: hoc totum eſt ex natura rei. Sic videlicet de entitate *A*, & entitate *B*.

Secunda. Ex hoc infertur ſecundum, ſcilicet de identitate, vel non identitate: vbicunque eſt aliquid non potentialiter, ſed actualiter; non virtualiter, ſed formaliter, non confusè, non mixtè, ſed in proprio *eſſe*, ibi quantùm eſt ex parte actualitatis propriè formalis, habetur illud, quod ſufficeret ad diſtinctionem, non tamen habetur completè diſtinctio, niſi habeatur aliquid, quod compleat, ſcilicet non identicè ſimpliciter, ſicut loquimur de identitate rei ſimplicis completæ & incompoſſibilis actualitatis ad actualitatem incompoſſibilem, non ſicut eſt contrariorum, ſed incompoſſibilem in eodem indiuiſibili.

25. *Vnde incompoſſibilitas formalitatum.* Sed vnde eſt, quòd aliquæ actualitates formales, & propriæ ſunt incompoſſibiles hoc modo, aliquæ non? Vnde etiam eſt, quòd aliquæ actualitates tales ſunt idem vnitiuè, aliquæ non.

Reſpondeo, vltra idem aggregatione, & idem per accidens, & idem eſſentialiter, poteſt dici idem vbi non eſt niſi vna eſſentia, & hæc ſimpliciter, vel compoſita ex principiis facientibus per ſe vnum, ita quòd eſſentialiter contra idem, eſt per accidens, extendendo etiam *per accidens* ad *per ſe* ſecundo modo: ſiue tamen accipiatur in diuinis *eſſentiale* pro *commune* tribus, & ita eſſentiale pro eo, quod eſt commune tribus, quod non pertinet ad rationem definitiuam eſſentiæ, ſi definiretur, puta bonum, iuſtum, ſecundùm Damaſcenum, *lib.1.fidei orthod.cap.4.*

Vitando iſtam diuerſitatem intellectuum huius vocabuli, *eſſentialiter*, propriè poteſt dici quòd hîc intelligatur *formaliter idem*, illud, quod ſi eſſet finitum, adhuc eſſet ſic idem; quemadmodum humanitas eſſet humanitas, ſiue eſſet limitata, ſiue illimitata; imò ſiue compoſita, ſiue ſimplex. Quicquid ergo eſſet eadem eſſentia quocunque dato, quòd alterum, vel vtrumque eſſet illimitatum, non tamen eſſet eadem eſſentia, dato quòd vtrumque eſſet in ſe; poſſet, ſecundùm vnum intellectum, limitatum illud dici vnum, vel idem eſſentialiter illi, licèt non diceretur idem illi formaliter, quia propria formalitas, qua ipſum eſt ipſum, non eſt tota ratio iſtius identitatis, ſi poneretur limitata.

Eſt ergo alia actualitas propria eadem alicui actualitati, quia vtraque, vel altera infinita, vel eadem infinito. Vel vt præciſiùs dicatur, quòd non finitum: nam hoc habito quòd non ſit infinitum, ſiue neutrum, poteſt eſſe idem identitate ſimplici, licèt non formaliter. Si ergo aliquis concedat *diſtinctum formaliter* hoc importare, quòd quantùm eſt ex actualitate propria formali, non deficit quin ſit diſtinctio, licèt deficiat aliunde, ſcilicet ex compoſſibilitate actualitatis cum actualitate in eodem ſimplici; ille poteſt concedere conſequenter quòd Deitas eſt diſtincta formaliter à paternitate, quia planè apparet quòd diſtinctum diminuitur per primum intellectum, qui poſitus eſt. Si autem per *diſtinguitur formaliter* intelligat diſtinctionem ſimpliciter, & per hoc additum *formaliter*, non diminuat, ſed determinet, & compleat hoc eſſe diſtinctum formaliter. Sed iſta ſemper vera eſt, quia hoc non eſt ex defectu actualitatis, eſt indiſtinctum illi. 26.

Et ſi quæras, quare actualitas hæc ſit incompoſſibilis ſimplicitati illi in aliquibus, & in aliquibus non. 27.

Reſpondeo, extrema ſimpliciter ſimplicia ſe totis ſunt incompoſſibilia, & compoſſibilia. Eſt igitur paternitas compoſſibilis Deitati, quia paternitas eſt paternitas, & Deitas eſt Deitas: ſicut in aliis, albedo & humanitas ſunt incompoſſibilia in eodem ſimplici, quia humanitas eſt humanitas, & albedo eſt albedo, non ſunt incompoſſibilia in aliquo vno per accidens, tamen ſunt incompoſſibilia albedo & nigredo. Et rationes incompoſſibilitatis & imcompoſſibilitatis, ſunt ipſæ propriæ rationes extremorum; ſed tamen ibi poteſt aſſignari quædam vniuerſalis ratio, quia omnia oppoſita realia non ſolùm in eodem, ſed in eodem compoſito ſunt incompoſſibilia. Alia, &c.

Quia ergo hæc abſolutè neganda non eſt, perſonæ diuinæ ſunt realiter diſtinctæ; Pater realiter diſtinguitur à Filio, & vterque à Spiritu ſancto. Paternitas eſt relatio diſtincta à ſpiratione actione, quia completio identitatis non conſiſtit in non repugnare ſibi in eodem ſimplici ſibi, nec completio non identitatis conſiſtit in repugnantia. Antecedens patet: quia non ſequitur, formaliter non repugnat ſibi, ergo ſunt idem ſibi: ergo nec cum in eodem ſimplici formaliter ſequitur: è conuerſo autem formaliter ſequitur, ſunt idem in eodem ſimplici; ergo ſi non repugnat in illo, complementum inferioris non conſiſtit in ratione ſuperioris; quod enim inferius eſt aliquo alio ſibi ſuperaddito, inferius eſt. Conſequentia patet, quia nihil poſitiuum requiritur ad verificandum contradictionem affirmatiuam, quin illius negatio ſufficiat ad verificandam contradictionem negatiuam: quod non eſſet verum, ſi negatio negatiui ſolùm compleretur negando ſuperius. 28.

Ad confirmationem tamen, quia poſito impoſſibili non includente contradictionem, ſequitur contradictoria eſſe ſimul falſa. nam ſecundùm Auguſtinum *lib.5.de Trinit.cap.5.* poſito quòd Pater non genuiſſet, adhuc poſſet dici ingenitus: & ſi Filius non ſpiraſſet, poſſet Pater ſpiraſſe. Similiter ſi nec Pater, nec Filius ſpiraſſet, poſſet poni Patrem genuiſſe. Iſtæ poſitiones non includunt contradictionem ſecundùm nos: ſed poſita hypotheſi prima, & vniuerſaliter ſequitur, quòd ingenitum & paternitas, & Pater, & ſpiratio actiua non ſunt idem, nec non idem. Quòd non ſunt

idem, patet, quia ens & non ens non sunt idem: paternitas non esset secundùm primam, & spiratio actiua, per secundam hypothesim: nec non idem, quia non incompossibiles in eodem simplici, quia adhuc formalibus rationibus eorum non repugnat posse simul esse in eodem simplici.

29. Ideò videtur, quia distinctio non includit talem non identitatem non eius completio sit incompossibilis prædicari; sed includit non identitatem indifferenter, vt negat identitatem significandam per illud pronomen relatiuum, siue masculinè, siue fœmininè, siue neutraliter: modò licèt negatio identitatis neutraliter significatæ secundùm communem modum loquendi, in diuinis illam incompossibilitatem importat, propter quod simpliciter negatur ista: *Pater & Filius non sunt idem*, & oppositum conceditur, vt identitas masculinè, vel fœmininè significatur, illam incompossibilitatem non includit. Vnde istæ simpliciter in diuinis conceduntur, *Pater est persona distincta à Filio*; & hæc simpliciter negatur, *tres personæ in diuinis non sunt distinctæ.*

Ratio autem diuersitatis huius sub diuersis generibus grammaticalibus est hæc, quia neutrum genus substantiuum includit suum substantiuum, circa quod, ad istam, quam includit, immediatè ponit suum significatum. Substantiuum autem in eo inclusum, non est alterum eorum sub propria ratione, qua denominatur esse idem, & hoc vt communiter; masculinum autem & fœmininum non habent in se sua substantiua, propter quod pronomina relatiua sub illis significant ista sua substantiua, sub propriis rationibus immediatè referuntur sibi, in neutro autem non referuntur extrema sibi inuicem immediatè sub propriis rationibus, sed sub ratione communi.

30. Sed nec videtur sufficere, quod dicitur de genere neutro, quia idem videtur esse, non eo, & non eodem. Augustinus ait de Trinit. lib. 7. *Non eo verbum, quo sapientia*: ergo simpliciter debet concedi, non eodem Verbum, quo sapientia. Similiter capitulo 8. concludit Augustinus, quòd *aliud est Deum esse, aliud Patrem esse.* Aliud & non idem, videntur idem. Ergo si non identitas vel in genere neutro, vel simpliciter includit talem repugnantiam in eodem simplici, nec sapientia ex quo Verbum est Verbum, nec quo Pater est Pater, essent compossibilia in eodem simplici.

Item, contra primum modum, sic: Relatio paternitatis, aut est eadem relationi filiationis, aut non eadem. Si eadem, ergo sicut paternitate pater est formaliter pater, ita & filiatione erit formaliter pater. Si non eadem, ergo sunt incompossibilia in eodem simplici, Deus autem summè simplex est, &c. *Reliqua desunt.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm intellectus & voluntas in Deo, qui dicunt perfectiones absolutas, sint idem totaliter, vel distinguantur aliqualiter?

D.Thom. 1.p.q.14. *art.*1. *ad* 3. *& art.* 4. *in cor.* Aureol. 1. *d.*35. *p.*1 *art.*3. *difficul.*2.3. *&* 4. Capreol. *quæst.*1. *art.*2. Ferrar. 1. *con.Gen.c.*50. Caietan. 1.*p.q.*14. *art.*5. *vbi* Vasq. & Suar. & hic *in Metaph. disp.*30. *sect.*15. Vide Doctorem 1.*d.*2.*q.*7. §. Dico tunc. *& d.*26.*q.vn.* § Ad secundum principale, *& d.* 35.*q.vn.* §. Supposito quòd Deus, *& in* 4.*d.*13.*q.*1.*art.*2.*vers.* Ex hoc sequitur, *& quodlib.* 1. *art.* 1. §. de altero termino, *& art.* 3. §. Contra ista, *&* Lichetum *ad d.*26.*citat.*



QVOD sint idem totaliter, probo primò sic: si istæ perfectiones distinguantur aliqualiter ex natura rei, aut talis distinctio est realis, aut non. Ista propositio fundatur super primo principio, *de quolibet est vera altera pars contradictionis*, si non est distinctio realis, ergo est secundùm rationem. Istam consequentiam probo; quia omnis distinctio vel est secundùm *esse* in anima, vel secundùm *esse* extra animam; si est extra animam, est realis; si secundùm *esse* in anima, est rationis; sed positum est quòd non est realis; igitur est rationis. Illam propositionem assumptam ad probationem consequentiæ, scilicet, quòd *omnis distinctio vel est secundùm esse in anima, & est rationis, vel esse extra animam, & est realis*, probo sic: Impossibile est passionem, vel illud, quod habet modum passionis, esse maioris ambitus, quàm illud, cuius est passio primò; sed *vnum & multum*; *idem & aliud*, siue *diuersum*; *distinctum & indistinctum*, sunt passiones entis; & omne ens vel est in anima, vel extra animam; si in anima, est ens rationis: si extrà, est ens rei: igitur omnis distinctio, vel est secundùm *esse* extra animam, & ita realis; vel secundùm *esse* in anima, & ita secundùm rationem; sed tunc vltrà, intellectus & voluntas non distinguuntur realiter: ergo distinguuntur secundùm rationem tantùm, & per consequens sunt totaliter idem ex natura rei. 1. *Argumentum primum quod non distinguantur.*

Secundò probo quòd non distinguantur, sic: quæ sunt idem realiter & formaliter, sunt totaliter ex natura rei; sed intellectus & voluntas in Deo sunt idem realiter & formaliter: igitur sunt penitus indistincta ex natura rei. Maior est nota; minor habet duas partes; prima est, quòd sunt idem realiter. Hanc ita probo, quia si distinguerentur realiter; igitur essent distinctæ realitates. Istam consequentiam probo, quia sicut indistinctio ad vnum, ita distinctio ad multa; sed indistincta re sunt vna res, vt sic; igitur distincta realiter sunt multæ realitates; falsum est autem quòd in Deo sint multæ realitates absolutæ, quia componerentur in eo; igitur omnia absoluta in Deo sunt idem realiter.

Secundam partem maioris, scilicet quòd sunt idem formaliter, probo sic; suppono quòd intellectus sit formaliter infinitus; tunc arguo sic: essentia diuina ex eo, quòd sit realiter infinita, est idem realiter cuicunque sibi compossibili: igitur intellectus diuinus ex hoc quòd est formaliter infinitus, includet formaliter omnem aliam perfectionem; & ita intellectus non distinguetur formaliter à voluntate, nec ab aliqua alia perfectione. Probo eandem partem minoris, ex intentione Augustini 7. de Trinit. cap. 5. dicit enim ibi: *Eo sapiens, quo Deus*; *& eo sapiens, quo bonus*; *sed non eo Deus, quo Pater.* Ex hoc arguo sic: Illam identitatem attribuit sapientiæ ratione bonitatis, quam negat abesse respectu paternitatis, sed non identitas essentiæ respectu paternitatis est non identitas formalis; ergo identitas, quam habet sapientia ratione bonitatis, est identitatis formalis: sunt igitur idem formaliter intellectus & voluntas. 2.

Item, Augustinus in lib. de gloria Beatorum, & supplicio damnatorum, dicit quòd *Sapientia in Deo, non est magis sapientia, quàm bonitas, nec bonitas est magis bonitas, quàm veritas.* Ex hoc sic, tanta *Aug. sub hoc titulo nullus extat liber inter opera Aug. fortè*

intelligit librum de vita beata, *vbi paulo ante finem hac ferme ipsa habentur.*

tanta identitate secundùm istam auctoritatem, sunt idem sapientia & bonitas in Deo, quanta identitate est sapientia & bonitas, & per consequens intellectus & voluntas, & reliquæ perfectiones absolutæ sunt idem totaliter in Deo.

3. *Rationes in oppositum.* Contrà: si intellectus & voluntas sunt idem totaliter; igitur tanta identitate intellectus est idem voluntati, quanta identitate intellectus est idem sibi ipsi. Hanc probo, quia si non esset idem intellectus voluntati tanta identitate, quanta est idem intellectus sibi ipsi, non esset intellectus idem voluntati totaliter; quia non secundùm omnes gradus esset intellectus idem voluntati. Tunc vltrà, si intellectus tanta identitate est idem voluntati, quanta intellectus est idem sibi ipsi; igitur quæcunque sunt contradictoria circa intellectum præcisè sumptum, sunt contradictoria circa intellectum & voluntatem: non enim ista contradicunt, *Intellectus intelligit; voluntas non intelligit*; & tamen ista sunt contradictoria, *Intellectus intelligit, & intellectus non intelligit*; igitur manifestè sequitur quòd non tanta identitate est idem intellectus voluntati, quanta intellectus est idem sibi ipsi; & per consequens intellectus & voluntas non sunt totaliter idem.

Item, si intellectus & voluntas essent idem totaliter, essent idem formaliter; sed non sunt idem formaliter; ergo non sunt idem totaliter. Maior est nota. Minorem probo. Quandocunque aliqua duo accepta secundùm suas formales rationes in communi sic se habent, quòd ratio vnius, non est ratio alterius, quidquid addatur vtrique, quod non tollat rationes eorum formales, semper stabit quòd ratio vnius non erit ratio alterius; nec vnum formaliter erit idem alteri; sed intellectus & voluntas accepta secundùm suas formales rationes in communi sic se habent, quòd in formali ratione intellectus non includitur voluntas; igitur per nullum additum vtrique, dummodò illud non tollat formales rationes ipsorum, dicetur intellectus esse formaliter idem voluntati; nec è contrario; sed infinitas addita intellectui & voluntati non tollit rationem intellectus & voluntatis: igitur quantumcunque in Deo sit intellectus infinitus, & voluntas infinita; nihilominus tamen semper stabit quòd intellectus non erit voluntas formaliter.

Item impossibile est quòd oppositi modi principiandi possint competere principio simplici, & penitùs indistincto; sed principiare naturaliter & liberè sunt oppositi modi principiandi; igitur impossibile est illud principium principiare istis modis oppositis: sed intellectus principiat naturaliter, voluntas liberè; igitur intellectus & voluntas in Deo non sunt idem totaliter.

SCHOLIVM.

Dubitari fortè posset, an hac quæstio sit Doctoris, maximè quia non admittit aliqualem distinctionem inter essentialia in diuinis, licèt concedat non identitatem formalem inter eadem. Esse tamen Scoti præfert Autographum, nec difficulter suaderi potest, ex stylo, & discursu, præsertim dum argumenta omnia huc vsque pro vtraque parte allata, cuius ingenium, strictum, & abstractum modum disserendi sapiant; item constantia resolutionis; & constans in scopum collimatio. Nec est verisimile esse alicuius posterioris discipuli, aliàs conaretur Doctorem explicare, vel respondere principijs eius, de quibus distinctionem infert, vnde copiosior tractatus euaderet. Siue ergo dicamus hanc scriptam esse iuniori ætate ante plenam discussionem huius materiæ, vt aliàs insinuauimus in Scholio primo, ad præcedentem tractatum de formalitatibus; per quod huic dubio posset satisfieri: siue, vt magis mihi videtur, hic collimat Scotus ad illam quæstionem; an attributa se mutuò includant essentialiter, cuius partem negatiuam resoluit per non identitatem formalem, quam probat, non verò ad operosam discussionem distinctionis formalis: vnde illa non identitas ipsi sufficiebat ad institutum. Valde autem pedetentim, & præmisso serio studio, & operosa ac varia multis in locis discussione, distinctionem hanc formalem in diuinis stabiliuit. An verò intellectus & voluntas sint verè attributa, atque inter se & ab essentia formaliter distincta, controuersum est inter Scotistas: de quo videri potest Lychetus in principio quæstionis, & Smising. qui de his latissimè tractat de Deo vno, tract. 3, disp. 2. quæst. 1. num. 9. & deinceps.

Circa istam quæstionem breuissimè sic procedam; primò, iam declarabo quòd intellectus & voluntas in Deo non sunt totaliter idem: secundò, probabo quòd nihilominus non distinguuntur aliqualiter. Ad probandã primam partem sufficiat ratio prima adducta arguendo ad oppositum, scilicet, à contradictoriis. Ad euidentiam secundæ partis, scilicet, quòd non distinguantur aliqualiter, præmitto istud, quòd quantumcunque illa duo sint immediata diuidentia, si illa immediata non consistant in indiuisibili, sed vtrumque illorum, vel alterum habet latitudinem, cum negatione gradus supremi ab vno illorum, stat exclusio & negatio alterius diuidentis, quantùm ad omnes gradus eius. Ad declarationem istius propositionis suppono quòd album & nigrum essent immediata diuidentia colorem, quia tamen vtrumque habet infra se latitudinem, stant ista simul, quòd aliquid non sit summè album, & tamen nullo modo sit nigrum, & tota ratio est, quia cum negatione supremi gradus albedinis, stat negatio nigredinis secundùm omnem gradum sui. In proposito identitas & distinctio etsi sint passiones conuertibiles cum ente; quia omne ens omni enti est idem, vel diuersum; quia tamen identitas habet gradus, dico quòd ista stant simul; intellectus non est totaliter idem voluntati, quia non est idem sibi, isto gradu identitatis, qui est esse idem formaliter; & tamen intellectus & voluntas non distinguuntur aliqualiter. 4.

5. *Instantia prima.* Contra istud mirabile dictum potest argui primò sic. Recessus ab vno extremo & maximè in immediatis, est accessus ad aliud; igitur cùm *idem & distinctum* immediatè diuidant ipsum ens, sequitur, vt videtur, si intellectus non est totaliter idem voluntati, igitur aliqualiter distinguitur.

Secunda. Item, inter contradictoria non est medium, sed *idem & non idem* sunt contradictoria; igitur intellectus vel est idem voluntati, vel non idem; non est idem, per te: ergo non idem; sed ad esse non idem, sequitur esse distinctum: ergo si intellectus non est totaliter idem voluntati in Deo, sequitur quòd aliqualiter distinguatur.

Tenendo quòd ista stant simul non esse totaliter aliquid idem alteri, & tamen non distingui aliqualiter ab eo secundùm modum positum suprà respondeo ad istas instantias. Ad primam, quando dicitur, *recessus ab vno*, &c. Respondeo quòd recessum esse ab vno extremo, & accessum ad aliud, potest intelligi dupliciter: vel positiuè, vel priuatiuè, vt sit sensus, quòd quando tollitur vnus *Solutio prima instantia.*

vnus gradus vnius extremi ponatur gradus alterius extremi, & ſic intelligendo propoſitionem, dico quòd non habet propoſitio illa vulgata neceſſitatem. Priuatiuè poteſt intelligi propoſitio, vt ſit ſenſus, receſſus ab vno extremo eſt acceſſus ad aliud, id eſt, quando tollitur vnus gradus vnius extremi paucioribus mutationibus poteſt aliud extremum acquiri; faciliùs enim ex minori albo itur ad nigrum, quàm ex albiſſimo; ſic autem intelligendo propoſitionem, non eſt contra me, quia cum tali acceſſu ſtat quòd non participat aliud extremum ſecundùm aliquem ſui gradum.

Secunda. Ad aliud de contradictoriis, concedo quòd inter contradictoria non eſt medium. Et quando aſſumis, igitur intellectus vel eſt idem voluntati, vel non idem. Dico quòd eſt idem, ſed non totaliter idem; ſicut patet, quia poteſt aliquid eſſe album, & tamen non totaliter album; & quando infers, ſi non totaliter idem; igitur aliqualiter diſtinctum; nego etiam iſtam.

6. Sed dices, quæ non ſunt idem formaliter, diſtinguuntur formaliter; ſed intellectus non eſt idem formaliter voluntati, igitur diſtinguitur formaliter; diſtingui formaliter, eſt diſtingui aliqualiter; & ita intellectus & voluntas diſtinguuntur aliqualiter, quod tamen tu negas.

Reſpondeo, quando dicitur quòd non eſſe idem formaliter eſt diſtingui formaliter, concedo in iis, quæ ſunt limitatæ perfectionis; ſed in iis, quæ ſunt formaliter infinita, nullus gradus diſtinctionis eſt, concedimus; ne fortè neceſſariò concluderetur ibi eſſe compoſitio. Dico igitur in iis, quæ ſunt formaliter infinita, non debet concedi, non ſunt idem formaliter; igitur diſtinguuntur formaliter, ſed ſic: non ſunt idem formaliter, ergo non ſunt idem totaliter; & tamen nullo modo diſtinguuntur. Contra iſtud: eſſe idem formaliter, & diſtingui formaliter, ſunt oppoſita immediata; igitur ad negationem vnius ſequitur poſitio alterius. Reſpondeo, quando dicitur eſſe idem formaliter, & diſtingui formaliter ſunt oppoſita immediata; nego: ſed eſſe idem formaliter, & non eſſe idem formaliter, & ſpecialiter in iis, quæ ſunt formaliter infinita; & ideò benè concedo alterum membrum, quòd non ſunt idem formaliter, ſed tamen nullo modo diſtinguuntur.

Vide Scotum in Oxon. l. 1. d. 2. q. 7. n. 44. & d. 8. q. 4. & in text. de formalitat.

7. *Ad primum argumentum principale.* Tenendo iſtam concluſionem facile eſt euadere primam rationem, quando dicitur: ſi tales perfectiones diſtinguuntur ex natura rei, vel talis diſtinctio eſt realis, vel rationis; dico quòd iſtæ perfectiones non diſtinguuntur ex natura rei, tamen non ſunt totaliter idem ex natura rei, vt dixi ſuprà.

Ad aliud, quando dicitur, quæ ſunt idem realiter & formaliter, ſunt idem totaliter, concedo, intellectus eſt idem voluntati realiter & formaliter; dico quòd ſunt idem realiter, ſed non formaliter ſunt idem. Tu probas; quia ſicut intellectus ex hoc quòd eſt realiter infinitus includit per identitatem omnes alias perfectiones, ita intellectus cùm ſit formaliter infinitus, includit formaliter omne aliud: dico quòd non eſt ſimile, quia eſſe infinitum formaliter non tollit formalem rationem eius cui additur: & ideò cùm ratio intellectus in communi non ſit ratio voluntatis, nec intellectus infinitus formaliter, erit formaliter voluntas; ſed benè erit voluntas realiter, quia aliter eſſet ibi compoſitio, ſi eſſent diſtinctæ res; infinitas autem realis non compatitur ſecum diſtinctionem, tamen benè quæcunque infinitas compatitur ſecum non identitatem formalem, nec propter talem non identitatem poteſt argui quæcunque compoſitio, & ſic patet ad vtramque rationem.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Sacerdos in peccato mortali actus Eccleſiaſticos exercens, peccet mortaliter in quolibet actu?

D. Thom. 3. *par. q.* 64. *a.* 4. *& in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. Richard. *d.* 5. *art.* 3. *q.* 3. Paludan. *q.* 2. Marſil. *q.* 12. *art.* 1. *par.* 5. Sylueſter. *verbo* Clericus 2. *num.* 2. Angelus *eodem verbo n.* 1. Caietan. 2. 2. *q.* 60. *a.* 2. *in fine.* Dominicus Soto *in* 4. *d.* 17. *q.* 2. *a.* 6. *concl.* 4 Petrus Soto *lect.* 13. *de neceſſit. pœnit.* Cano *relect. de pœnit. p.* 4. *non longè à fine.* Nauar. *in Sum. c.* 22. *n.* 3. *& de pœnit. d.* 5. *in princ. Annot. circa* 3. *par. gloſſ. n.* 34. Suar. 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 16. *ſect.* 3. *&* 4.



QVOD non videtur. Faciens quod tenetur facere, non peccat mortaliter illud faciendo; ſed Sacerdos tenetur ex officio tales actus exercere; ergo non peccat mortaliter faciendo. 1. *Arg. primum negatiuum.*

Præterea dans eleemoſynam ad ſubuentionem pauperis, non peccat mortaliter, nec venialiter, imò meretur de congruo gratiam. *Secundum.*

Tertiò, de Cornelio, ad quem propter eleemoſynarum largitionem miſſus eſt Petrus Act. 10. vnde ſcriptum ibi, *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* *Tertium.*

In oppoſitum Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*; ſed nullus interficitur à Deo, niſi propter peccatum mortale; ergo neceſſe habent miniſtri Domini, cùm accedunt ad Dominum per miniſterium ſacrorum, vt ſint ſancti; hoc eſt, ſine peccato mortali. 2. *Rationes in oppoſitum.*

Item, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*, id eſt, Domini ſacra, Iſaiæ 52.

Item, de pœnitentia diſt. 6. cap. *Qui vult*, in medio capituli: *patentiſſimum eſt crimen ſacerdotum, & vltra modum deteſtabile, qui non priùs ſe iudicant, & alios alligant*, &c.

Circa iſtam quæſtionem altiùs eſt inquirendum; vtrùm omnes actus infidelium, & omnes actus facti à fidelibus in peccato mortali, ſint peccatum mortale. Et circa iſtam quæſtionem ſic procedam; quia in quæſtione ponuntur termini tres, ſcilicet, *peccatum mortale*, *actus*, & *Sacerdos.* Primò ergo declarabo quid eſt peccatum mortale. Secundò, ponam quaſdam diſtinctiones de actibus. Tertiò, de miniſtris exercentibus tales actus: & quartò, quia tempus eſt circumſtantia aggrauans, vel diminuens peccatum, diſtinguam de tempore exercendi tales actus. 3.

SCHOLIVM I.

Diffusè hìc docet peccatum conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, & contrarias refellit opiniones, quod breuius præſtitit in 2. *d.* 35. *&* 37. *de quo videndus Faber lib.* 4. *d.* 14. *diſp.* 1. *Deinde oſtendit quomodo in peccato omiſſionis poſſit dari huiuſmodi priuatio, & per quid diſtinguitur à peccato commiſſionis. Videtur autem hæc quæſtio ſcripta poſt commentarios Oxonienſes: ait enim opiniones aduerſariorum locum habere in* 2. *diſt.* 35. *vbi & in ſequentibus eas ipſe recitauit.*

Circa

Circa primum nota, quòd secundùm beatum Augustinum homilia prima super Ioan. super illo verbo, *sine ipso verbo factum est nihil*, exponit, id est, *peccatum; quia peccatum nihil est*; ita quòd secundùm ipsum, peccatum nihil est, nisi nihilitas, & priuatio quædam boni. Priuatio autem prout ad præsens spectat negotium, posset dupliciter accipi. Vno modo per remotionem, vel corruptionem alicuius entitatis inexistentis actualiter; & talis priuatio est mutatio, quia ab *esse*, ad *non esse*; vt quando aliquis habens oculos priuatur oculis. Alio modo accipitur priuatio pro remotione alicuius entitatis potentis, vel debitæ inexistere; vt quando homo nascitur cæcus, dicitur priuatus esse oculis, non quia aliquando habuit oculos, & ipsis sit priuatus; sed quia cùm deberet habere oculos, non habet. Modò peccatum non est priuatio primo modo, quia nihil corrumpit, nec adimit tali modo, nec de corpore, nec de anima, nec de natura, nec de gratia, nec de habitibus aliis, prout quidam dicere volebant, quòd corrumperet naturam: alij quòd gratiam; tertij quòd habitus in anima existentes, quorum opiniones locum habent in 2. Sentent. *circa dist.* 35.

August. *Peccatum est nihil.* *Priuatio duplex.* *Peccatum qualiter est priuatio.*

4. Arguo autem contra omnes istas opiniones vno medio sic. Si peccatum sit priuatio talis boni, scilicet, naturæ, vel gratiæ, vel habituum, cùm quodlibet horum sit finitum, & peccatum possit in infinitum multiplicari conseruata in infinitum voluntate, & cùm quodlibet finitum per ablationem alicuius finiti aliquoties factam minuatur, tandem totaliter consumerentur hæc bona, & corrumperentur per peccatum: consequens est falsum & impossibile; ergo & illud ex quo sequitur.

Deinde, & redit ad idem, si diminueretur aliquid de natura Angeli mali, non haberet integra naturalia, quod est contra Dionysium 4. *de diuin. nomin.* & alios Doctores sanctos, qui omnes docent quòd Angeli mali habent sua integra naturalia.

Dionys.

Nec valet si dicatur, ista ablatio fit secundùm partes eiusdem proportionis, & cùm talis secundùm Philosoph. 8. *Physic. text. comm.* 68. possit in infinitum extendi; ergo erit in talibus processus in infinitum.

Contra illud est; quia secundum peccatum potest esse æquale primo peccato, vel maius eo; ergo corrumpet æqualem partem eiusdem quantitatis, vel maiorem; & sic eadem natura totaliter consumeretur, quod est inconueniens.

5. Sic ergo patet quòd peccatum non est priuatio primo modo accepta; si ergo est priuatio, oportet quòd sit priuatio secundo modo accepta; quæ est priuatio boni alicuius debiti inexistere, & quòd talis priuatio sit peccatum, probo, primò per Augustini auctoritatem allegatam; & Anselmi *de conceptu virginali, & de casu diaboli c.* 16. vbi ex intentione hoc probat; vide eum ibi.

Probo etiam per rationem; Agens inferius, in cuius potestate est se conformare, vel non conformare agenti superiori, cui etiam se tenetur conformare in determinatis conditionibus, & circumstantiis rectitudinis, quæ simpliciter debent inesse actui, vel effectui, si non conformat se illi, dando ipsi actui debitas circumstantias rectitudinis, quæ debent ipsi inesse, priuat illum actum rectitudine, quæ debet ei inesse; sed tale agens est voluntas creata; ergo voluntas creata priuat ipsum actum sua debita rectitudine, quæ deberet ei inesse: sed qui ita priuat actum debita circumstantia rectitudinis, quæ deberet inesse actui, & non conformat se agenti superiori, peccat; cùm ergo peccat non se conformando, sequitur quòd peccatum nihil aliud est, quàm non conformitas, vel priuatio rectitudinis debitæ inesse actui. Quæ autem sint circumstantiæ rectitudinis, quæ debent inesse actui determinatæ ab agente superiori, in secundo Sententiarum *dist.* 36. poterit videri, vbi de hoc habetur mentio specialis. Peccatum ergo mortale est non conformitas, siue priuatio circumstantiæ, siue rectitudinis debitæ, & necessariæ simpliciter inesse actui, ad hoc vt sit bonus moraliter, vel meritoriè, quod dicitur propter administrationem Sacramentorum, cum proposito non tribuendi talem rectitudinem ipsi actui.

Quòd autem ipsum peccatum mortale priuat animam vita æterna, istud est tantùm demeritoriè; quia pœna peccati, quæ infligitur pro peccato, non est ipsa quiditas, siue definitio ipsius peccati mortalis. In prædicta autem descriptione non conformitas, siue priuatio rectitudinis est genus ipsius peccati, & ideò peccatum mortale & veniale non differunt genere, quia tam peccatum mortale, quàm veniale sunt priuationes rectitudinis: sed circumstantiæ & rectitudines debitæ & necessariæ simpliciter inesse actui, ad hoc quòd sit bonus moraliter, cum proposito non tribuendi rectitudinem, sunt differentiæ separantes peccatum mortale à veniali, quia priuatio, vel omissio alicuius rectitudinis, vel circumstantiæ congruæ & vtilis, per quam perfectiùs & meliùs actus produceretur, non tamen necessariæ simpliciter ipsi actui, ad hoc quòd sit bonus moraliter, est peccatum veniale: priuatio autem circumstantiæ, vel rectitudinis necessariæ simpliciter ipsi actui, ad hoc quòd sit bonus moraliter, vel rectitudinum, si plures desunt, cum proposito non tribuendi, est peccatum mortale. 6.

Addidi autem, *cùm proposito non tribuendi talem rectitudinem*, quia si actus priuatur necessaria rectitudine per violentiam insuperabilem, vt si quis per manum meam violenter idolis thura offerat, non pecco mortaliter. Vel si etiam priuetur actus rectitudine ex ignorantia inuincibili non affectata, nec crassa, vel occasionata; vt est cùm quis in ebrietate committit homicidium; quia talis duplici pœna dignus est secundùm Philosophum *in* 3. *Ethicorum*, *cap.* 5. sed ignorantia inuincibili non peccat quis mortaliter priuando sic actum necessaria simpliciter rectitudine.

Præterea, hoc constat ex illa auctoritate Augustini de vera Religione: *Peccatum adeò est voluntarium, quòd si non fuerit voluntarium, non erit peccatum*: sed cùm nec violentia insuperabilis, nec ignorantia inuincibilis sit voluntaria, per consequens nec erit peccatum.

Contra dictam descriptionem peccati mortalis arguo, quia videtur quòd non sufficiens; quia cùm duplex sit peccatum mortale actuale, scilicet, commissionis, & omissionis, & tantùm peccatum commissionis videtur esse priuatio circumstantiæ debitæ inesse actui; & non peccatum omissionis, quia peccatum omissionis non priuat circumstantiam, imò priuat actum totum; ergo descriptio prædicta non est sufficiens. Quòd autem peccatum omissionis sit peccatum mortale, patet per illud, quod Acedia, quæ est peccatum mortale, videtur esse peccatum omissionis. 7.

Obiectio prima contra descriptionem peccati.

Præterea, originale peccatum videtur esse mortale, quia separat animam à vita gratiæ & gloriæ, &

Secunda.

& tamen peccatum originale non eſt priuatio circumſtantiæ debitæ ineſſe actui; imò eſt carentia iuſtitiæ originalis.

Ad primum. Ad primum, cùm dicitur quòd non omne peccatum mortale eſt priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, vt patet de peccato omiſſionis: Reſpondeo, quòd vt ſolutio iſtius argumenti clariùs pateat, eſt notandum, quòd omnis actus exterior, in quo poteſt cadere peccatum, eſt actus imperatus mediante actu interiori voluntatis, in quo eſt formaliter peccatum. Probatur hoc, quia ſemper, cùm exercet aliquem actum exteriorem, in quo poteſt eſſe, vel eſt peccatum, ille ſemper eſt imparatus mediante actu interiori voluntatis, in quo eſt formaliter peccatum, quia in actibus aliarum potentiarum non eſt peccatum, niſi materialiter. Illud probatur ex hoc, quia nulla potentia, nec actus alicuius potentiæ, habet rationem meriti, vel demeriti, niſi prout dependet ab imperio voluntatis, quæ habet rationem meriti, vel demeriti; & ideò nunquam poteſt eſſe peccatum in actu exteriori, niſi prout eſt imperatus ab actu interiori voluntatis, ſed non è contrario: quia benè poteſt eſſe peccatum in actu interiori, & tamen non ſequitur actus exterior imperatus, vt puta, de peccato cogitationis, quia poſſum velle alicui malum ex odio, vel inuidia; vel velle eum occidere; vel cùm volo fornicari actu deliberato, licèt nunquam committam fornicationem exteriori actu; tamen pecco mortaliter, propter illud malum *velle*: & huic ſimile dicit Hieronymus, quòd vouentibus caſtitatem, non ſolùm nubere, ſed velle nubere damnabile eſt, & per conſequens peccatum mortale.

8. Hoc viſo, dico quòd in peccato omiſſionis, licèt non ſit ibi actus exterior, & per conſequens, nec priuatio rectitudinis actus exterioris, quia tamen voluntariè omittitur aliquis actus debitus exerceri, ratione cuius dicitur peccatum omiſſionis; ideò illud peccatum licèt non habeat actum exteriorem, habet tamen actum interiorem, in quo fundatur, ſcilicet, actum voluntatis, ſcilicet, *velle*, vel *nolle*, vel *non velle*, quem priuat rectitudine debita ſibi ineſſe: atque ita illud peccatum ideò eſt peccatum, quia priuat actum interiorem ſua debita rectitudine.

Ex hoc patere poteſt quòd nullus peccat mortaliter peccato omiſſionis, niſi quia voluntariè omittit aliquid facere, ad quod tenetur; & quia homo tenetur aliquo tempore actualiter Deo reuerentiam exhibere in aliqua adoratione, ex dictamine legis naturæ, & ex Eccleſiæ inſtitutione, vel etiam ex propria obligatione, vel ex præcepto ſui Ordinis, vt puta, Religioſus, vel Clericus Horas dicere, vel ad aliam obſeruantiam regularem; ideò ſi hæc omittit voluntariè extra caſum neceſſitatis, peccat mortaliter peccato omiſſionis, vel acediæ.

9. *Inſtantia.* Sed hîc ſtatim oritur vnum dubium ex dictis; videtur enim ex hoc, quòd omne peccatum mortale ſit peccatum commiſſionis, quia omittit aliquam circumſtantiam rectitudinis debitam ineſſe actui; & ſic nullum erit peccatum omiſſionis, quod non eſt verum; cùm hoc ab illo ex aduerſo diſtinguatur.

Reſponſio. Vnde diſtinguuntur peccata commiſſionis, & omiſſionis. Reſpondeo, quòd peccatum omiſſionis, non ideò diſtinguitur contra peccatum commiſſionis, quaſi peccatum commiſſionis ſit tantùm priuatio alicuius rectitudinis debitæ ineſſe actui, & non peccatum omiſſionis; ſed ideò diſtinguitur peccatum omiſſionis contra peccatum commiſſionis, quia peccatum omiſſionis dicitur tantùm illico quando voluntariè priuatur, & negligitur actus exterior debitus exerceri: ſed peccatum commiſſionis poteſt cadere tam in actu interiori, quàm exteriori, vt viſum eſt: & ex hoc patet quòd peccatum omiſſionis eſt quid particulare reſpectu peccati commiſſionis, & reſpicit tantùm priuationem actus exterioris.

Ad ſecundam obiectionem. Ad ſecundum de peccato originali dico, quòd peccatum originale non eſt peccatum mortale, quia ei pro pœna mors debeatur, nec etiam eſt peccatum actuale, ſed diſtinguitur contrà actuale; eſt enim ſola carentia iuſtitiæ originalis, cum debito habendi eam, ſecundùm Anſelmum, per quam iuſtitiam homo ſibi meruiſſet infundi gratiam, & poſtea concedi æternam gloriam. Et ideò, quia homo non habet illam iuſtitiam, propterea non datur ei gratia, nec per conſequens gloria, niſi per æquiualens illa iuſtitia compenſetur; vt puta per Eccleſiæ Sacramenta, ſcilicet, per Baptiſmum, in quo datur æquiualens iuſtitiæ originali in gratia infuſa, & inſuper animæ imprimitur ndelebilis character.

SCHOLIVM II.

De triplici hac bonitate agit Doctor in 2.d.7.& 40. ſed diffuſius hîc, valde tamen vtrobique cohæret doctrina. Quod autem dicit dari poſſe actus bonos morales in infidelibus & fidelibus peccatoribus, id etiam docet in Reportatis d.2. q.7. q.1. & præter alios docent ex profeſſo contra Gregor. Arimin. Faber l.2. diſp.34. q.vn. c.4.& 5. & Vaſq.1.2. diſp.191.& 192.

Viſo quid eſt peccatum mortale, videndum eſt de diſtinctione ipſorum actuum, circa quod notandum eſt, quòd cùm ſint tres bonitates, ſcilicet, naturalis, moralis, & gratuita, ſiue meritoria vitæ æternæ, ſic actus poteſt eſſe tripliciter bonus, ſcilicet, naturaliter, moraliter, meritoriè, vel gratuitè. Primam bonitatem, ſcilicet, naturalem, habet quilibet actus poſitiuus, quia illa bonitas conſequitur quamlibet entitatem, inquantùm ens, & etiam quemlibet actum, quantumcunque ſit turpis moraliter, & demeritoriè, dumodò ſit poſitiuus, eſt bonus naturaliter. Probatio huius, quia eſt quoddam ens, & in quantùm ens eſt bonus & à Deo eſt, quia in ipſo eſt omne bonum. Vnde ſecundùm Auguſtinum primo de doctrina Chriſtiana, versùs finem, *Inquantùm ſumus, boni ſumus; & inquantùm ſumus, à Deo ſumus.* Hoc etiam modo intelligitur illud verbum Geneſis primo, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et hoc modo intelligendo bonitatem, omnes actus fidelium & infidelium ſunt boni; quia ſecundùm hanc bonitatem, à Deo ſunt effectiuè. Huic bonitati non opponitur aliqua malitia, ſed non entitas rei tantùm. 10. *Bonitas triplex.* *Actus tripliciter bonus.* *In omni actu poſitiuo eſt bonitas naturalis.* *Auguſt.*

Alia eſt bonitas moralis, quæ cauſatur ex proportione, ſiue compoſitione actus ad debitum obiectum ſecundùm debitas circumſtantias, inter quas circumſtantia finis eſt ſuprema, à quo & nomen accipit à fine, inquit Ariſt.2.de Anima, ſi res dignè debet appellari. Aliæ autem circumſtantiæ ſunt tempus, locus, modus, & conditio perſonæ, & cætera huiuſmodi: & hæc bonitas eſt duplex, ſcilicet, Ethicus & Eccleſiaſticus. Actus Ethicus dicitur actus elicitus ſecundùm rectum dictamen rationis cum omnibus circumſtantiis debitis ineſſe 11. *Actus bonus moraliter.* *Ethicus.*

inesse actui; & isto modo potest tam fidelis, quàm infidelis elicere actum bonum moraliter; & per consequens in eliciendo non peccare mortaliter. Hoc probo statim, quia tam infidelis, quàm fidelis existens in peccato mortali, potest vestire nudum, & orare Deum, secundùm debitas circumstantias, propter finem debitum, vt causa pietatis, vt illius indigentia subleuetur; ergo facit propter bonum finem, quia facit propter hoc, ad quod ille actus ex natura sua est ordinatus, eo modo quo fecit Sanctus Martinus, quando chlamydem cum paupere dimidiauit, cùm nondum esset fidelis, & baptizatus; & ideò de congruo meruit gratiam, quod & fecit etiam Cornelius centurio, superiùs est allegatum: sed per peccatum mortale, si talia essent peccata mortalia, nec etiam per venialia meretur aliquis gratiam de congruo; imò potiùs demeretur: ergo non omnis actus fidelium in peccato mortali existentium, & etiam infidelium, est peccatum mortale, cùm faciant tales actus.

Etiam infideles possunt elicere actus bonos moraliter.

12. Huic bonitati est malitia opposita, quando actus non transit super debitum obiectum, vel sine debita, vel debitis circumstantiis causatur super obiectum, quando est actus malus ex genere, sicut est adoratio idolorum, quia ibi non est proportio externa actus ad obiectum tale, scilicet, idola, quia nihil est diuinitatis in eis, propter quod eis debeatur talis actus, scilicet, adoratio. Additur autem, *cum debita, vel debitis circumstantiis*, quando est peccatum ex aliqua circumstantia, vel ipsius finis, sicut quando quis dat eleemosynam propter vanam gloriam, non propter pauperis indigentiam, vel quando dat propter pauperis indigentiam, non tamen loco, & tempore, & modo, & personæ debitæ, tunc est peccatum ex circumstantiis; & si deficit ibi rectitudo, vel circumstantia necessaria ad actum, ad hoc vt sit mortalis, puta circumstantia finis, vel alia talis, est peccatum mortale in tali actu. Si autem contradictio, vel rectitudo non necessariò requisita, sed tantùm congrua, est peccatum veniale. Et ista rectitudine & circumstantia necessariò requisita, vel non necessariò requisita, potest tam infidelis, quàm fidelis priuare actum, & sic vterque peccare mortaliter, vel venialiter.

Bonitas moralis habet suam malitiam oppositam.

13. Antequam dicam de actu Ecclesiastico, qui magis requiritur ad solutionem principalis quæstionis, videndum est de tertia bonitate actus, quæ est bonitas, qua Deus ex mera liberalitate voluntatis suæ acceptat actum elicitum à potentia animæ, scilicet voluntate eliciente, vel imperante, informata charitate, vel gratia gratum faciente, mediantibus Sacramentis, de potentia ordinata, & lege communi, tanquam meritorium vitæ æternæ; quia licèt Deus posset quemlibet actum voluntatis acceptare de sua potentia absoluta sine omni gratia, vel charitate, quia suam potentiam non alligauit Sacramentis, secundùm Magistrum Sententiarum ex dictis Augustini *in 4.d.1.* tamen de lege communi nullum acceptat actum tanquam dignum vita æterna, nec per consequens aliquem saluat, sine gratia & charitate mediantibus Sacramentis. Probatur hoc *Extrà de summa Trinit. & fide Catholica, cap. firmiter credimus §. Vna verò*, vbi dicitur quòd nullus extra vnitatem Ecclesiæ Catholicæ omnino saluatur quæ perficitur à septem Sacramentis. Hanc bonitatem actus nullus infidelis, neque fidelis in peccato mortali existens habere potest. Probo statim, quia illius actus non acceptatur tanquã dignus præmio vitæ æternæ, qui non potest habere bonitatem meritoriam vitæ æternæ; sed actus eliciti à talibus sunt huiusmodi: ergo, &c. Huic etiã bonitati malitia opposita est omnis actus, qui nõ elicitur ab anima informata charitate, quem Deus non acceptat tanquam ordinabilem ad vitam æternam, & dignum cælesti præmio, vt dictum est de lege communi, siue sit bonus moraliter, siue in aliis mereatur, quia tantùm tali acceptatione vitæ æternæ acceptatur actus elicitus à potentia informata charitate, & vt elicitus ab habitu charitatis: quod dico propter peccantes venialiter, & propter actus indifferentes; qui licèt aliquando eliciantur à potentia informata charitate, non tamen eliciuntur ab habitu charitatis; & per consequens non sunt actus meritorij, nec gratuiti.

Bonitas gratuita actus.

Bonitas gratuita habet suam malitiam oppositam.

SCHOLIVM III.

Distinguit duo genera actuum Ecclesiasticorum; vnum quod respicit donum aliquod gratiæ gratum facientis, & aliud quod nullum huiusmodi habeat respectum, etsi respiciat donum gratiæ gratis datæ. Primos actus dicit oportere exerceri à deputatis Ministris in statu gratiæ absque conscientia peccati; non tamen secundos; & toties illos Ministros peccare, quoties primos actus indebitè exercent. An verò hæc obligatio puritatis & idoneitatis proueniat ex aliquo præcepto positiuo, vel naturali, seu ex natura ipsius Sacramenti, supposita tali ipsius institutione, & tali Sacerdotis consecratione, vide Suar. citatum in principio quæstionis.

Viso quæ sit tertia bonitas actus, videndum est de actu Ecclesiastico. Actus autem Ecclesiasticus dicitur ille, qui ab institutione Christi & Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti est institutus exteriùs, quemadmodum sunt actus psallendi, consulendi, Horas dicendi, Prædicationes faciendi, & Confessiones audiendi, baptizandi, Missam dicendi, & cæteri huiusmodi actus, mediantibus quibus, Ecclesiastica suscipiuntur & ministrantur Sacramenta, qui tantùm à fidelibus frequentantur: ideò hîc de infidelibus nulla mentio penitus est habenda. Sed hi actus sunt in duplici differentia; quia aut respiciunt donum aliquod gratiæ gratum facientis; aut non respiciunt, etiamsi respiciant donum gratiæ gratis datæ. Actus de secundo genere sunt actus prædicandi, Prædicationes & Confessiones audiendi, Horas dicendi, psallendi, corripiendi, consulendi, Missam audiendi, & ad Ecclesias eundi, & cæteri huiusmodi actus; & de talibus dicit sine distinctione, quòd existens in peccato mortali potest eos exercere absque eo, quòd peccet mortaliter, si cum debita circumstantia, & ad finem debitum ordinentur. Hoc probatur ex definitione peccati mortalis superiùs posita, quia actus, qui possunt fieri cum debitis, & necessariis circunstantiis, & bono proposito, & non requirunt in eis circa quos fiunt, nec à quibus fiunt, gratiam gratum facientem, non sunt peccata mortalia: isti actus sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior & minor ex superioribus patent. Confirmatur hoc, quia actus, qui possunt fieri ex aliqua pietate & compassione Christi, & propter debitum finem, non sunt peccata mortalia: isti actus sunt huiusmodi: ergo, &c.

14. *Actus Ecclesiasticus moraliter bonus.*

Quinam actus Ecclesiastici possunt exerceri absque peccato mortali.

Confirmatur etiam per auctoritatem Saluatoris suadentis Iudæis, vt superiores, scilicet, Scribas, & Pharisæos sequi in verbis Prædicationis conarentur, & eis in talibus obedirent, Matth. 24. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Et quòd tales fuerint in peccato mortali, probatur ex hoc quod sequitur: *secundum opera verò eorũ nolite facere;*

facere; ſignificans bonos actus prædicationis eorum moraliter, & tamen non meritoriè, *quia dicunt, & non faciunt.*

15. *Actus Sacramentales à quibus & quando poſſunt miniſtrari.* Actus de primo genere ſunt actus Sacramentales, qui reſpiciunt gratiam gratum facientem, ad minus circa illos, circa quos fiunt; licèt non aliquando in Miniſtris, vt inferiùs dicetur, & aliquando in peccato mortali à Miniſtro poſſunt exerceri.

Quod vt meliùs videatur, oportet diſtinguere de tempore miniſtrandi Sacramenta, & de Miniſtris, ad quos ex ordine ſpectat eorum miniſterium. Tempus miniſtrandi Sacramenta eſt duplex, quia aut eſt propriæ electionis, vt poſſit commodè eorum miniſterium transferri, vel differri: aut eſt tempus neceſſitatis, vt ſine periculo differri non poſſit. Similiter eſt diſtinguere de Miniſtro, quia aut eſt Miniſter deputatus ex ordinatione Eccleſiæ, vt Epiſcopus, vel Papa, vel Sacerdos curatus; aut non, ſed eſt ſimplex Capellanus, & Sacerdos non habens curam animarum. Modò dico, quòd tam miniſtrans, quàm ſuſcipiens Sacramenta, ſiue ſit deputatus ex officio, ſiue non, tempore propriæ electionis, ſiue ſint Sacramenta neceſſaria, ſiue non, ſemper peccant mortaliter, miniſtrando, vel ſuſcipiendo in peccato mortali. Quod probo ſic: miniſtrans, aut ſuſcipiens Sacramenta aliter quàm ſint inſtituta à Chriſto, imò modo oppoſito, multùm contemnit Deum in Sacramentis; ſed exiſtens in peccato mortali facit hoc. Probatur, quia priuat ſcienter effectum Sacramentorum: ergo contemnit Deum in Sacramentis; qui contemnit Deum in Sacramentis reputando ſe idoneum ad miniſtrandum, vel ſuſcipiendum, exiſtens in peccato mortali, peccat mortaliter: ergo iſte taliter miniſtrans, vel ſuſcipiens peccat mortaliter. Et pro iſto tẽpore intelligo illud *de Conſecr. 4. c. Baptiſmus:* vbi dicitur, *iuſtos omnes eſſe tanti Iudicis miniſtros, ſi miniſtrare iuſtè voluerint.*

16. *Quocunque tempore recipiens Sacramenta in peccato mortali, peccat.* Sed quid eſt dicendum de tempore neceſſitatis, de ſuſcipiente Sacramenta? Dico ſine diſtinctione, quòd ſuſcipiens quocunque tempore Sacramenta quæcunque ſint illa in peccato mortali, ſemper peccat mortaliter, quod probatur, quia qui priuat effectum Sacramentorum contemnendo Deum in Sacramentis, peccat mortaliter quocunque tempore illud faciat, quia nullo tempore eſt Deus contemnendus in Sacramentis, iſte facit hoc; ergo, &c.

Sed de miniſtrante tempore neceſſitatis Sacramenta diſtinguo, quia aut miniſtrat Sacramenta neceſſaria propter inſtans periculum euitandum, vt eſt Sacramentum Baptiſmi, vbi periculum imminens timetur; vel Sacramentum pœnitentiæ laboranti in extremis: aut non neceſſitatis, vt eſt Sacramentum Ordinis, & celebratio Miſſæ, & miniſtratio Euchariſtiæ, & huiuſmodi. In primo caſu dico quòd miniſtrans illa duo Sacramenta neceſſitatis in peccato mortali, poteſt eſſe duplicis conditionis, quia aut eſt Sacerdos non curatus; vt puta, ſimplex Capellanus, vel etiam Religioſus, qui non eſt ex ordinatione Eccleſiæ, vel ex officio ad hoc deputatus: & tunc dico quòd non peccat mortaliter. Quod ita probo; nam non miniſtrans Sacramenta voluntate propria præſumendo ſe eſſe idoneum, nec eſt ex debito ſui officij ad hoc adſtrictus, ſed tantùm ex neceſſitate ad ſubueniendum populo ex pietate, non contemnit Deum in Sacramentis; nec per conſequens peccat mortaliter: iſte eſt huiuſmodi: ergo, &c. Maior & minor ſatis clarent ex iam dictis, cùm hic non ignoret ſe Sacramentis miniſtrandis non debere ingerere, niſi cauſa neceſſitatis ad ſubueniendum populo; nec ex debito, vel obligatione ſui officij tenetur ſemper ſe idoneum ad hoc officium exercendum conſeruare.

Si autem eſt Sacerdos curatus, & deputatus ex officio, dicunt aliqui quòd peccat mortaliter ſemper, miniſtrans in peccato mortali. Quod probatur ex hoc; obligans ſe alicui officio ſcienter, & neſciens quando poteſtas exercendi illud occurrat, ſi non tempore inſtante exhibet ſe paratum & idoneum, peccat mortaliter; quod ex hoc apparet, quia ſemper debet ſe idoneum exhibere, aut officio recuſare; ſed in tali ſtatu hic Sacerdos curatus, vel ex ordinatione, vel ex officio deputatus, non exhibet ſe idoneum & paratum, quia eſt in peccato mortali; ergo ſemper peccat mortaliter miniſtrando Sacramenta. Quibus auctoribus ſatis eſt conſentiendum, maximè cùm ex officio & obligatione propria ſe tali officio obligauit, & cùm ſciat talia inopinata neceſſitatis tempore ſibi aliquando imminere, ex eadem obligatione certa tenetur ſe ſemper ad tale exercendum officium idoneum exhibere, aut certè obligationi, & officio recuſare. Et ideò peccat mortaliter Sacerdos curatus ex officio deputatus, non autem Sacerdos ſimplex, vel Religioſus, qui non eſt officio deputatus, qui tempore neceſſitatis in Sacramentis neceſſariis ex pietate ſubuenit populo indigenti. 17. *Sacerdos curatus debet eſſe ſemper in idoneo ſtatu miniſtrandi Sacramenta.*

SCHOLIVM IV.

De munditia & puritate requiſita ad miniſtrationem Sacramenti Baptiſmi, ad ſalutem neceſſarij, agit Scotus in 4. d. 5. q. 2. à n. 5. & de requiſitis ad perceptionem Sacramenti Euchariſtiæ ibidem d. 8. q. 3. d. 9. q. vn. & d. 3. q. 2. à n. 7. An verò Sacerdos celebrans & communicans, vno, vel duplici peccato delinquat, non declarat expreſſè, licèt d. 9. citata videatur potiùs in illam abire ſententiam, quòd dupliciter peccet. Etenim n. 5. §. Ad ſecundum, *ait Sacerdotem priuſquam conſecret, teneri laborare vt ſit extra peccatum mortale: & ſi contingat quòd poſt conſecrationem, ante tamen communionem, occurrat ſibi memoria peccati mortalis, de quo non præceſſit pœnitentia interior, vel exterior, teneri tunc habere pœnitentiam interiorem antequam percipiat, & differre pœnitentiam exteriorem, donec occurrat opportunitas confitendi. Cùm itaque idoneam requirat diſpoſitionem abſque peccato ad conſecrandum, & poſt conſecrationem pœnitentiam, ſiue dolorem peccati, cuius recordatur ante perceptionem Sacramenti, videtur duplex ibi ſtatuere peccatum. An autem liceat Sacerdoti ad fugiendum hoc ſecundum peccatum, vel in alio caſu poſt conſecrationem, recedere ab altari abſque perceptione Sacramenti, determinat Doctor negatiuè d. 8. q. 3. à n. 4. De contrectatione tandem Euchariſtiæ in peccato mortali, an mortaliter fiat, vide de his latiùs differentem Suar. citatum diſp. 62. ſect. 4.*

Sed quid de miniſtrante Sacramentum Euchariſtiæ, (quod non eſt Sacramentum neceſſitatis) in peccato mortali? Diſtinguo, quòd aut miniſtrat Sacramentum à ſe conficiendum, vt puta, quando dicit Miſſam, & conficit, & poſtea miniſtrat; aut miniſtrat Sacramentum priùs à ſe, vel ab alio confectum. In primo caſu dico quòd miniſtrans Sacramentum à ſe conficiendum, peccat duplici peccato mortali; primò, peccat conficiendo hoc Sacramentum, propter ſummam reuerentiam huic Sacramento exhibendam; ſecundò, peccat mortaliter communicando, quia ex ſtatuto Eccleſiæ ſacrificans hoc Sacramentum debet communicare, ſed nullus in peccato 18. *Celebrans in peccato mortali duo committit peccata.*

peccato mortali potest communicare, nisi peccet mortaliter. Probatur hoc, quia illud est Sacramentum vnitatis Christi, & Ecclesiæ, & non competit alicui, nisi membris in corpore Ecclesiæ, quæ per gratiam Christo capiti sunt vnita: ergo peccabit duplici peccato mortali. Et confirmatur secundùm Apostolum 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat*, &c.

19. Sed circa hoc posset oriri dubium, vtrùm melius & tutius esset existenti in peccato mortali, conficere, & non communicare, vt non peccaret isto duplici peccato mortali, vt iam dictum est? vel etiam tutius esset existenti in peccato mortali, simpliciter non conficere, nec communicare, sed simulare se conficere, vt quando Missam diceret, & non conficeret.

An liceat aliquando celebrare, & non communicare.

Respondeo, quòd in primo casu, tutius est celebranti, existenti in peccato mortali communicare, quàm non communicare. Quod probatur, quia grauissimè peccant qui sacrificant, & non communicant, & suspenduntur à communione vno anno, secundùm quod habetur *de Consecratione dist. 2. cap. Episcopus*, ex Concilio Arelaten. vbi dicitur quòd *certum est quòd ij, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dicti Sacramenti; nam quale erit sacrificium, vt nec ipse sacrificans particeps esse dignoscatur, quicunque ergo Sacerdotum deinceps de medio altari oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, à communionis gratia repulsum se nouerit vno anno.*

An liceat aliquando simulare consecrationem.

In secundo verò casu respondeo, quòd similiter multò tutius est existenti in peccato mortali conficere, & communicare, quàm non conficere, & simulare se conficere. Probatur hoc *extra de celebratione Missarum, cap. de homine*, vbi dicitur: *Is qui sui criminis conscientia reputat se indignum etsi se ingerat irreuerenter ad illud, grauius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illa præsumpserit simulare, cùm ille in solius misericordis Dei manum incidat; iste verò non solùm Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se astringat:* ergo multò tutius est existenti in mortali conficere, quàm non conficere, & simulare se conficere.

Istæ duæ responsiones possunt confirmari per illam maximam, quando de aliquibus duobus sunt duo præcepta, quorum vnius transgressio maiori pœna plectitur, quàm aliud, tutius est transgrediendum, quod minori nexu noscitur obligare. Probatur hoc *dist. 13. cap. Duo mala*: sed tam in primo casu, quàm in secundo, transgressiones illæ maiori pœna plectuntur: ergo tutius est existenti in mortali communicare & conficere, quàm non conficere & simulare se conficere.

20. *An quilibet Sacerdos existens in peccato mortali possit ministrare Eucharistiam.*

In secundo casu, scilicet, si ministrat hoc Sacramentum ab alio, vel à se priùs consecratum? Respondeo, aut est deputatus ex officio & ordinatione Ecclesiæ, & Sacerdos curatus; & tunc dico sicut priùs dixi de Sacerdote curato ministrante Sacramenta necessaria tempore necessitatis, quòd peccat mortaliter; quia tenetur semper ex propria obligatione se idoneum exhibere ad tale ministerium exercendum, aut officio & obligationi recusare. Si autem est Sacerdos non curatus, nec ex officio deputatus, tunc est duplex opinio; quidam dicunt quòd quilibet Sacerdos peccat mortaliter tangendo Eucharistiæ Sacramentum quocumque tempore hoc faciat existens in peccato mortali, nisi priùs confiteatur de peccato mortali, etiamsi tempus confessionis non habeat. Quod probatur sic; sicut sumens Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali peccat mortaliter, & efficitur prophanus, ita & tangens, hoc est propter eximiam Sacramenti huius sanctitatem, licèt non ita graui mortali peccato peccet: sed iste tangit; ergo peccat mortaliter.

Sed aliis videtur ista sententia nimiùm dura, & ideò respondent ad eorum rationem, quando dicunt sic; sicut sumens Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali peccat mortaliter, ita tangens propter nimiam sanctitatem Sacramenti: negant proportionem, & hoc propter tria; quia sumens Eucharistiam sumit realiter, & veraciter corpus Christi, vt habetur Extrà *de Trinit. & fid. Cath. cap. firmiter credimus*: sed tangens Eucharistiam, tangit solùm species sensibiles & materiales, quæ non habent sanctitatem, nisi sicut signa; ergo non est bona proportio.

Præterea, si ista esset bona similitudo quòd propter reuerentiam specierum non deberent tangi immediatè, potest Sacerdos digitos panniculo circumuoluere, & non tangeret illas species immediatè, & sic non peccaret tangendo.

Præterea, non magis reuerenter tangendæ sunt plures species materiales istius Sacramenti, quàm verum corpus Christi, dum ambulauit in terra; sed si existens in peccato mortali quantum reuerentius potuisset tetigisset corpus Christi, dum ambulauit in terra, non puto eum peccasse mortaliter; ergo nec modò si tangere reuerenter posset species Sacramenti peccaret mortaliter. Propter hoc ergo & alia huiusmodi, non puto quòd Sacerdos non curatus tangens Sacramentum Eucharistiæ tempore necessitatis, vt quando est procurandus infirmus, peccaret mortaliter. Nec similiter puto quòd Sacerdos curatus ex tactu solùm huius Sacramenti, vel etiam aliorum peccaret mortaliter, nisi quia propria obligatione voluntatis suæ se obligauit Ecclesiæ ad semper exhibendum se paratum ad exequendum officium suum; & transgressio illius obligationis est sibi peccatum mortale, quia enim hic bona Ecclesiæ percipit, & dignitatem tenet, ideò hoc onus sibi confertur cum onere.

Quare autem dixi quòd Sacramentum Eucharistiæ sit etiam necessitatis Sacramentum, licèt non ita necessarium sicut alia duo Sacramenta, vt visum est; hoc est propter curationem infirmorum, qui debent communicare, ne sine communione moriantur; secundùm quod habetur de Consecratione dist. 2. & probatur, vbi dicitur, *Presbyter Eucharistiam semper paratam habeat, vt quando fuerit infirmitas, statim infirmum communicet, ne sine communione moriatur.*

Ad argumentum principale.

Ex his visis facilè soluitur ad argumenta principalia. Ad primum, quando dicitur faciens quod tenetur facere, non peccat faciendo illud; respondeo quòd aliquis potest aliquid facere, ad quod tenetur dupliciter. Vno modo simpliciter vt faciat illud, siue benè, siue malè. Alio modo vt faciat illud eo modo, quo tenetur facere, & quando tenetur, & secundùm debitas circumstantias. Secundo modo faciens quod tenetur facere cum debitis circumstantiis, non peccat faciendo, non autem primo modo, eo modo, quo facit Sacerdos existens in peccato mortali ministrans Sacramenta, quia tenetur ea mundè, & sine peccato ministrare, & ideò in peccatis ministrans peccat, secundùm quod visum est in corpore quæstionis.

Ad secundum.

Ad secundum de dante eleemosynam in peccato mortali, dicò, quòd non est simile, quia eleemosynæ, quæ pauperi confertur, non est talis reueren

uerentia exhibenda, ſicut Sacramentis, quæ immediatè reſpiciunt gratiam gratum facientem; & per conſequens ſanctitatem requirunt in miniſtrante & ſuſcipiente, quia vterque debet ſpiritualiter Sacramenta ſuſcipere, & hoc tantùm facit qui eſt ſine peccato mortali.

Ad rationes in oppoſitum. Ad argumentum in oppoſitum de ſanctitate miniſtrantium, intelligi debet de illis, qui miniſtrant tempore propriæ electionis, & qui ſunt deputati ex officio, vt ſunt Sacerdotes curati; quemadmodum erant Sacerdotes veteris legis omnes deputari ſinguli ad ſua officia, & ſuo tempore, & tunc ab omni, quod inebriare poterat, & à multis talibus prohibiti: non autem intelligenda eſt auctoritas de miniſtrantibus Sacramenta neceſſaria tempore neceſſitatis, vt viſum eſt in corpore quæſtionis. Hoc ſine temeraria aſſertione, & ſine præiudicio ſententiæ melioris ſit dictum. *Deo gratias.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Prælati Eccleſiæ poſſint dimittere pœnam debitam pro peccatis ſecundùm ſuam voluntatem? & vtrùm Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant?

Alenſ. 4. *p.q.*23. *mem.*1. D. Bonauentura *in* 4. *d.*20 *par.*2. *q.*2. D. Thom. *q.*1. *a.*2. *q.*3. Richard. *a.*1. *q* 5. Durand. *q.*2. Paludan. *q.*4. Mayron. *d.*19. *q.*2. Caiet. *tom.*1. *opuſc.*15. *de Indulg. c.*1.2. *&* 3. Soto *in* 4. *d.*21. *q. art.*2. Corduba *q.*2. *&* 3. *de Indulg.* Roffen *art.*17. *contra Lutherum.* Petrus de Soto *lect.*2. *de Indulg.* Faber *lib.*4. *diſp* 38. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. diſp.*41. Vide Scotum *quodl.*20. *art.*1. *& in* 4. *d.*19.

1. N hac quæſtione ita eſt procedendum. Primò, oſtendetur quòd Prælati poſſunt remittere de pœna debita pro peccatis. Secundò, oſtendetur quantum valeant. Tertiò, ponentur dubia quædam, & ſoluentur. Quartò, ponentur argumenta, & ſolutiones eorum. *Vnde congregatur theſaurus Eccleſiæ.* Ad euidentiam primi eſt ſciendum, quòd nos ſpiritualia nequimus cognoſcere, niſi per ſimilitudinem corporalium, quæ nobis ſunt notoria. Sicut igitur in vno animato corpore naturali ſunt plura membra naturalem colligantiam habentia, & quod eſt vni ſuperfluum, ad aliud deriuatur virtute animæ dirigentis & regentis: ſimiliter in corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, ſunt multi fideles, quorum omnium Chriſtus eſt caput, qui fuit infiniti meriti, quod ad vtilitatem Eccleſiæ cedit. Similiter fuerunt multi Martyres, & Sancti, qui vltima pœna, quam pro peccatis debebant, prælia magna ſuſtinuerunt, & multa bona fecerunt, quæ omnia cum merito paſſionis Chriſti infinito faciunt Eccleſiæ theſaurum, in quo eſt omnimoda ſufficientia meritorum: & ideò ſufficit huiuſmodi theſaurus ad ſoluendam pœnam omnium fidelium, etiamſi eſſent infiniti: ita quòd ſi eis applicentur huiuſmodi merita, non oportet eos aliam pœnam pro actualibus peccatis ſoluere; nec propter hoc remanet peccatum impunitum; quia in Chriſto & Martyribus eſt omnino ſufficienter punitum, & talis ſatisfactio ad alios, qui ſunt verè membra corporis Chriſti, poteſt tranſmitti.

2. Sed dices, quòd effectus paſſionis Chriſti eſt in Sacramentis Eccleſiæ, & per ipſa totaliter exhauritur; ergo per Indulgentias non poteſt applicari, ſed ſolùm per Sacramenta.

Dicendum, quòd effectus Sacramentorum finiti ſunt, meritum autem dictum infinitum eſt; ideò per Sacramenta, vel quæcunque finita, nòn poteſt exhauriri. *Non exhauritur.*

SCHOLIVM I.

*Egregiè & Catholicè docet dari in Eccleſia theſaurum ſpiritualem, ex Chriſti & Sanctorum meritis, ac ſatisfactione conſtantem, quod etiam docuit in vltimis verbis d.*17. *At theſaurum hunc, vltra hæreticos inter Catholicos auſi ſunt negare, licèt ex alio capite, Mayron. & Durand. quos latè impugnat Suarez citatus diſp.* 51. *num.* 1. *Immeritò autem aſſerit ſententiam illorum iuuari poſſe ex doctrina Scoti, negantis merita & ſatisfactiones fuiſſe infiniti valoris, nam ſi fuerunt, inquit, finita, nihil ex eis, quod reponeretur in theſauro, ſuperfuit poſt redemptionem generis humani, & poſt tot remiſſiones peccatorum, & pœnarum hominibus conceſſas. At tamen ipſe Suarez inferius aduertit, dicens, quòd licèt negauerit Scotus valorem meritorum Chriſti ſimpliciter, & in entitate, eſſe infinitum, non tamen negat eſſe ſyncategorematicè infinitum ex parte diuinæ acceptationis, quia potuerunt illa Chriſti opera acceptari à Deo ad maius & maius præmiũ, ſeu maiorem & maiorem remiſſionem peccatorum in infinitum. Quod certè expreſsè docuit ipſe Scotus in* 3. *d.*13. *q. vnic. n.*14. *dicens: Deus poteſt acceptare bonum velle Chriſti & eius paſsionem pro infinitis, & num.*7. *Ex circumſtantia ſuppoſiti & de congrua ratione ſuppoſiti habuit quamdam rationem extrinſecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, ſcilicet extenſiuè pro infinitis. Atqui in hoc ſenſu hic intelligendus eſt, cùm dicit paſſim meritum Chriſti fuiſſe infinitum, nimirùm indeficientem, abundantem, qui exhauriri non poſsit, neque pro tot quin pro pluribus applicari, vt ipſe habet inferiùs num.*18.

SEd dices, Chriſto & Martyribus præmium meritorum ſuorum eſt redditum abundanter; ergo non tranſit eorum pœnalitas ad alios, cùm ſit ſufficienter eis pro omnibus laboribus recompenſatum.

Dicendum, quòd opera Chriſti & Martyrum dupliciter poſſunt conſiderari, ſcilicet inquantùm meritoria, & ſunt reddita eis; vel inquantùm ſatiſfactoria; & ſic cùm per ſe non indigerent ſatiſfactione omnino, vel ſaltem non tanta, deriuari poſſunt ad alios reliquæ partes huius ſatisfactionis: ideò non valet. *Sanctorum merita quomodo transferuntur ad alios.* Poſſunt huiuſmodi igitur opera ſatisfactoria, quæ Chriſto & Sanctis, quaſi ſuperfluunt, vel abundant, transferri ad membra Eccleſiæ meritis indigentia, quæ membra obligata ſunt ad pœnam pro peccatis; & hoc fit virtute alia dirigente. Hæc autem virtus eſt Prælatorum auctoritas, quibus à Chriſto commiſſum eſt regimen, & diſpenſatio theſaurorum ſpiritualium Eccleſiæ; qua auctoritate poſſunt membris indigentibus Sanctorum merita applicare, ad ſatisfaciendum pro ipſis; & hoc eſt Indulgentias conferre. Patet igitur quòd Prælati Eccleſiæ poſſunt de theſauro Eccleſiæ conferre Indulgentias membris Eccleſiæ, id eſt, exiſtentibus in charitate; aliter non ſunt membra potentia recipere influentiam aliorum: ſicut nec mortuum membrum in corpore naturali recipit influentiam, ſeu alimentum ab aliis.

Item,

Item, hoc patet sic: Vnus fidelis in charitate existens potest pro alio in charitate existente satisfacere; quia potest in debito corporali, vel temporali, multò fortiùs in debito Dei; cùm Deus sit pronior ad miserendum, quàm homo; & tamen homo satisfacit homini pro alio temporaliter; ergo & merita Sanctorum pro aliis maximè apud Deum possunt satisfacere; maximè, quia intentio Sanctorum fuit, vt huiusmodi bona opera in Dei honorem, & totius Ecclesiæ vtilitatem redundarent; vt patet per verba Sanctorum in Legendis; dicunt enim se sustinere pro re publica: ergo per eum, qui est bonorum Ecclesiæ dispensator, huiusmodi merita possunt indigentibus, si sint in charitate, applicari.

SCHOLIVM II.

Communiter omnes tam Theologi, quàm Canonistæ tres conditiones istas, præsertim tertiam, requirunt, vt licitè concedatur Indulgentia. Septem præscripsit Altisiodorens. ad valorem Indulgentiarum, sed tres prædictas sufficere communis tenet opinio, & tertiam ita necessariam esse, vt absque illa concessio sit nulla. Vnde & Scotus hîc eam tanquam omnino necessariam in descriptione Indulgentiæ apposuit. Vide Fabrum citatum cap.9. & Suar. disp.4. sect.2.

3. *Vt Indulgentiæ valeant, tria requiruntur.* Ex iis patet quòd tria requiruntur ad hoc vt Indulgentiæ valeant, scilicet, auctoritas ex parte conferentis; indigentia, ex parte recipientis; pia causa, vt honor Dei, vel Ecclesiæ vtilitas ex parte finis mouentis. Quòd tertium requiratur, quia de duabus prioribus dictum est, patet sic; quia Prælati non sunt verè domini principales bonorum Ecclesiæ, etiam temporalium, sed dispensatores. ergo nec spiritualium; quare magis est dissipatio, quàm dispensatio, nisi secundùm beneplacitum Dei de his ordinetur.

Item, contra intentionem merentis non debent bona eorum communicari; sed, vt dictum est, Christus & Sancti opera sua bona, & merita volebant penitùs in laudem Dei cedere, & Ecclesiæ vtilitatem; quare iis tribus concurrentibus possunt Indulgentiæ valere.

SCHOLIVM III.

Varias aliorum authorum descriptiones Indulgentiæ recitat Faber citatus cap.4. & quam ex Nauarro refert cum ista Scoti per omnia coincidit. Singulas particulas doctè explicat, & varias deinde subijcit difficultates, quas solidè & breuiter expedit, in quibus enodandis alij se latissimè diffundunt.

4. *Indulgentiæ descriptio.* Ex iis potest Indulgentiæ descriptio colligi: *Indulgentia est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus pœnitentium, non remissa per absolutionem Sacramentalem, factam per Prælatos Ecclesiæ, de thesauro Ecclesiæ, id est, meritis Christi, & Sanctorum, ex causa rationabili.* Ibi *remissio* ponitur tanquam genus, quia est in plus, quàm *Indulgentia*; reliqua autem ad modum differentiarnm; quia *pœna* dicitur ad differentiam remissionis culpæ, quæ remissio fit à Deo immediatè, vel à Prælatis, qui absoluunt instrumentaliter, mediantibus Sacramentis Ecclesiæ, sine quibus Sacramentis Deus potest remittere pœnam cùm vult. Dicitur *temporalis*, ad differentiam pœnæ æternæ iam peccatoribus mortuis inflictæ. Dicitur *debita*, ad differentiam pœnæ quæ indebitè Martyribus illata est. Additur *pro peccatis*, ad differentiam pœnæ, quæ aliter iustè infligitur, quandoque pro peccatis aliorum; quãdo scilicet suscipitur pro eis. Additur *actualibus*, ad differentiam pœnæ debitæ originali peccato, quæ non est pœna sensus, sed carentia visionis diuinæ; vt in pueris sine Baptismo mortuis. Additur *pœnitentium*, ad differentiam obstinatorum in peccatis; qui quandoque hîc incipiunt puniri temporaliter, postea verò æternaliter: tales igitur, vt dictum est, non suscipiunt Indulgentias, nisi priùs confiteantur de peccatis mortalibus. Additur *non remissæ per absolutionem Sacramentalem*, ad differentiam etiam pœnæ temporalis, quæ in absolutione Sacramentali remittitur virtute clauium, & ex deuotione & humilitate confitentis, quæ tamen non est Indulgentia. Additur, *facta per Prælatos Ecclesiæ*, ad differentiam eius, qui satisfacit particulariter pro alio, si vterque sit in charitate, qui cùm sit persona priuata, non dispensator Ecclesiæ, non dicitur tales Indulgentias dare. Additur *de thesauro Ecclesiæ*, in quo est omnimoda sufficientia, ad differentiam vnius personæ tantùm, vel congregationis particularis, in qua non est ista sufficiens abundantia meritorum. Vltimò additur *pro causa rationabili*; in quo notatur causa finalis, ad differentiam dispensationis, quæ non esset Indulgentia, vt dictum est.

Circa secundum sciendum est, dimissis variis modis dicendi, qui in Scripturis & in Iure recitantur, potest dici quòd valor earum est pensandus ex earum causa, quia ex eodem *esse* habent efficaciam, & valorem: causa autem Indulgentiarum, vt dictum est, est passio Christi, & merita Sanctorum, & applicata aliis per Prælatos Ecclesiæ; quæ merita, vel thesaurus, habent virtutem & efficaciam infinitam. 5. *Vnde hæc merita habent valorem.*

Sciendum etiam quòd huiusmodi applicatio, vel largitio Indulgentiarum non debet propriè dici *datio*, quia datio fit omnino secundùm voluntatem dantis & liberalitatem: Prælati autem, qui huiusmodi applicationem faciunt, non possunt dare huiusmodi pro libito, quia non sunt domini talium, vt dictum est.

Item, non debet dici *redditio*, quia Indulgentiæ non dantur istis secundùm debitum iustitiæ, Prælati enim non obligantur dare istis huiusmodi Indulgentias, quoniam non secundùm quantitatem operis conceduntur; quia quandoque idem opus facientibus dantur Indulgentiæ inæquales. Similiter pro diuersis & inæqualibus operibus æquales quoque Indulgentiæ dantur, secundùm dispositionem rationabilem Prælatorum.

Patet igitur, quòd huiusmodi collatio Indulgentiarum, cùm nec sit datio, nec redditio, debet appellari *dispensatio*, quæ tenet medium inter duo dicta. Vnde 1. Corinth. 10. ait Apostolus: *sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, &c. loquitur de Prælatis. Patet etiam quòd valor Indulgentiarum non est attendendus secundùm quantitatem operis absolutè, nec secundùm voluntatem Prælatorum simpliciter; sed secundùm voluntatem eorum rectam, & ordinatam secundùm Dei beneplacitum; scilicet vt conferantur ad eius honorem, & Ecclesiæ vtilitatem; aliter, vt dictum est, non valent. Valent etiam illis, quibus Prælati intendunt conferre, concurrentibus dictis conditionibus, & tantum valent, quantum Prælati intendunt eas valere rationabiliter. Prælatorum autem intentio non

non innoteſcit nobis, niſi per verba ipſorum in ſuis literis; vnde tantum valent, quantum eorum litteræ dicunt, ſi rationabiliter intelligantur; quia credendum eſt quòd Prælatorum intentio fuerit recta in conferendo huiuſmodi; aliter enim ſubuerterent Eccleſiæ fundamentum, ſi falſitas in prædicationibus & literis ipſorum, vel deceptio connecteretur: hæc de ſecundo.

6. *Varia dubia. Primum. Quantum valeant Indulgentiæ.* Circa tertium, dubitaret aliquis, an verum dicant quæſtuarij, dicentes, quòd tantum valeant quadraginta dies Indulgentiæ iſti, qui dat eleemoſynam, quantum ſi ieiunaret quadraginta diebus? Dicendum quòd falſum dicunt, cuius ratio eſt, quia Indulgentiæ tantum valent ad Indulgentiam pœnæ temporalis, vt dictum eſt, ſed opera pœnalia, & bona, quæ quis facit, valent ei non ſolùm ad hoc, ſed ad multa alia, ad refrænandam carnis concupiſcentiam, ad domandum corpus, ad merendum præmium æternum, ad gratiæ augmentum; & ſunt cautela contra peccata futura: valent igitur Indulgentiæ tantum, quantum ſonant, ſcilicet, quoad pœnæ temporalis dimiſſionem, quia per inferiores Prælatos & confeſſores iniunctam poſſunt relaxare per modum prædictum.

Secundum. Quas ob cauſas ſolent concedi plenariæ? Secundò dubitaret aliquis, in quibus caſibus dare ſolet Papa plenarias Indulgentias, ſcilicet, vt remittat totam pœnam peccatis debitam? Dicendum, quòd in quinque caſibus: primò, quando inſtituit aliquem Inquiſitorem hæreticæ prauitatis; quia talis durum officium ſibi aſſumit, & morti ſe exponit propter fidem. Secundò, quando eſt tranſitus generalis contra infideles, & Tyrannos, ad oppugnandum eos, quia aduerſantur fidei, & terram ſanctam occupant, quæ debet eſſe fidelium. Tertiò, eis, qui tempore pacis viſitant terram ſanctam ob Dei reuerentiam & honorem, & alia loca ſancta, vt Apoſtolorum limina. Quartò, quando aliqui ex deuotione & feruore charitatis hoc inſtanter petunt, præſertim ij, qui in ſubſidium Eccleſiæ propria bona conſueuerunt concedere, vt per hoc magis animati, & ad bonum prouocati, magis proficiant. Quintò, quando confidenter probatur de aliquibus, quòd eorum merita in theſaurum Eccleſiæ redundabunt propter eorum ſanctitatem. Et Papa ſi vellet hoc idem facere propter aliam cauſam rationalem poſſet; nec hoc eſſet ei imputandum ad leuitatem, quando in iis honorem Dei, & Eccleſiæ vtilitatem attendit, vt dictum eſt, & theſauri Eccleſiæ augmentum.

7. *Tertium. Conceſſiones Indulgentiarum quomodo intelliguntur.* Tertiò, dubitaret quis, quomodo intelligenda ſunt verba huiuſmodi in literis, *Papa concedit, vt quicunque fecerit tale opus, habeat quadraginta dies, vel vnum annum Indulgentiæ.* Dicendum quòd ſiue in litera exprimat, ſiue non, ſemper debet intelligi de pœnitentia iniuncta in confeſſione, vel quæ deberet iniungi; non enim ſemper iniungitur tanta pœna, quantam peccata requirunt, propter periculum tranſgreſſionis; quia pro vno peccato mortali homo debet pœnitere ſecundùm Iura per ſeptem annos, quam ſi hîc non faciet, faciet in Purgatorio, vel niſi per Indulgentias relaxetur. De huius igitur pœna tantum minuitur per opus Indulgentiæ, quantum literæ Prælatorum ſonant.

Quartum. An propter Indulgentiam omitti poſſit pœnitentia. Quartò, quis dubitat, an faciens opus Indulgentiæ poteſt dimittere pœnitentiam ſibi iniunctam, nec per hoc ſit tranſgreſſor? Dicendum, quòd non eſt conſulendum alicui quòd dimittat facere, quia non eſt certus an ſit in charitate, & per conſequens, ſi non ſit in charitate, Indulgentiæ nihil valent ſibi; vnde bonum & ſecurum eſt, quòd homines faciant pœnitentias ſibi iniunctas; quia in eis plus merentur, vt dictum eſt, & dent etiam, & faciant cum hoc opus Indulgentiale, vt per hæc, pœna, quæ eis non imponitur hîc, quam deberent ſuſtinere in Purgatorio, minuatur. Si tamen aliquis attendens probabiliter ſe eſſe in charitate, ſic faciens opus Indulgentiæ dimittat ſibi iniunctam pœnitentiam, non eſt tranſgreſſor; quia Superior poteſt à tali abſoluere, & abſolutum declarare opus Indulgentiæ, vt patet quantùm eſt in talibus literis; tamen, vt dictum eſt, malum eſt dimittere pœnitentiam facere propter huiuſmodi Indulgentias, licèt bonum ſit facere hoc opus Indulgentiæ.

Quintò, dubitaret quis, an duobus exiſtentibus in æquali charitate, dantibus æqualem eleemoſynam, æqualiter valeat hoc, quod dicitur, *tertiam partem iniunctæ pœnitentiæ relaxamus?* Videtur quòd non, quia fortè vnus fuit magnus peccator, qui centum annis debet pœnitere; alius fortè vnum peccatum ſolum fecit, & ſic ſeptem annis ſolùm tenetur pœnitere. Si igitur per opus Indulgentiæ cuilibet tertia pars pœnæ ſibi dimittatur, certum eſt quòd non æqualiter valeant illis Indulgentiæ. 8. *Quintum. An æqualiter valeat Indulgentia.*

Dicendum quòd in caſu poſito non poſſunt valere æqualiter, ſed tantum valent, quantum ſonant cuilibet; ita quòd plus vni, qui magis eſt obligatus, quàm alij; ſed hoc eſt per accidens, in quantùm ſcilicet plus inueniet de pœna relaxanda: nec hoc videatur incongruens, ſi Prælati Eccleſiæ inæqualiter relaxant pœnas, quia non poſſunt ſcire determinatè quantum quis eſt obligatus.

Item quandoque contingit quòd parua gratia iuſtificans delet peccata plura in vno, quàm æqualis in alio, ſecundùm quod plura delenda inuenerit. Similiter ſi ſit maximus peccator, & reſurgit in parua gratia, illa, quantumcunque parua, omnia peccata delet; alius autem paruus peccator quandoque reſurgit in gratia maiori ſatis, & tamen illa maior peccata pauciora delet, quia non inuenit tot; ſic de Indulgentiis.

Item ad exemplum, ſi dentur centum ſolidi vni pauperi multùm indigenti, plus ei valent, quàm diuiti centum libræ, cùm tamen ſecundum donum ſit in ſe magis ſatis; ſic eſt in propoſito.

Sed dices, ergo iſte magnus peccator reportat commodum de multitudine peccatorum, cùm per hoc plures recipiat Indulgentias. Dicendum quòd non, imò incommoda, & pœnas; tum, quia peccatum ipſum eſt pœna quædam, & ſic verificatur dictum Auguſtini, quòd non eſt dedecus temporale ſine decore iuſtitiæ, & punitionis etiam ad momentum. Item, iſte magnus peccator oportet quòd de pluribus contriſtetur quàm alius; contritio autem eſt magna pœna; ideò, &c. 9. *Obiectio.* *Solutio.* Aug. lib. 1. confeſſ. c. 12. & l. 3. de lib. arbit.

Sed vtrùm dantes inæqualiter, vel ex inæquali deuotione, æqualiter participant, dato quòd ad pœnam æqualem obligati ſint? Dicendum, quòd ſi ſunt æqualis poteſtatis in diuitiis, certè puto quòd qui plus dat, vel qui ex deuotione maiori, plus participat, licèt non plus habeat de remiſſione pœnæ per Indulgentias, quàm alius; quia hoc non exprimitur in literis, tamen plus valet ei illud opus. Quod poteſt conſiderari non ſolùm inquantùm ad acquiſitionem Indulgentiarum; ſed etiam inquantùm eſt in ſe bonum, & ex magno conatu

conatu dantis, & sic est meritorium æterni præmij: ita quòd iste ex deuotione meretur, quandoque augmentum gratiæ, vel præmio suo aliquid addit, quod satis maius est, quàm pœnæ temporalis remissio per Indulgentias solùm.

10. *Vnde sumenda sit proportio obligationis.* Sed esto quòd sint æquè diuites, vnus autem dat vna vice tres denarios, alius autem tribus vicibus dat tres tantùm; habétne tantum de Indulgentiis primus, quantum secundus? Dicendum quòd sic; quia non sonant aliud literæ Prælatorum, quia fortè primus æquè habet de merito, quia opus æquè difficile, vel plus, facit vna vice, sicut alius tribus vicibus; Deus enim magis attendit affectum, quàm opus in se. Sed si vnus sit maximè diues, dat autem tantùm vnum denarium, vel obolum, sicut pauper, dicendum quòd illi valet, licèt valde modicum det, si est in charitate, vt dictum est; sed puto quòd non acquirit sibi illas Indulgentias plenè; cuius ratio est, quia cùm Prælati dicant in suis literis, *quicunque faciet tale opus, habet tot dies Indulgentiæ,* debet sanè & rationabiliter intelligi; sic quòd qui facit illud, secundùm quod conuenit sibi secundùm suam facultatem: diues autem dans vnum denarium, vel obolum, non facit secundùm prædicta; ideò licèt sibi valeat aliquid per donum paruum; non tamen tantum, quantum pauperi; nec Indulgentias plenè per hoc acquirit. Nec oportet quòd Prælati dicant hæc in literis suis, quia satis datur hoc intelligi sanè intelligendo; nec poterit dari forma determinata de dando, quia quod vni est parum, alteri est minimum, & è contra; & ideò debet intelligi, vt dictum est. Hæc de articulo tertio.

SCHOLIVM IV.

Contra concessionem & valorem Indulgentiarum octo ingeniosa profert argumenta, quæ disertissimè soluit. In iis præcipuas tangit difficultates, quæ in hac materia solent ab aduersariis coaceruari. Vide alias plerasque apud Fabrum citatum cap. 3.

11. *An Indulgentiæ possint concedi. Argumentum primum negatiuum.* Circa quartum arguitur primò quòd Indulgentiæ non possint dari. Agens instrumentale non extendit se vltra operationem principalis agentis; Prælati sunt instrumentalia agentia respectu operationis principalis, quæ est dimissio culpæ à Deo per Sacramenta Ecclesiæ; quare si Prælati pœnam dimitterent relictam post Sacramentum Confessionis, extenderet se vltra operationem principalem principalis agentis, quod est inconueniens: calor enim ignis licèt ad formam substantialem disponat, non tamen vltrà, sed citrà.

Soluitur. Dicendum, quòd ita est, quòd Deus remittit culpam sicut agens principale, Sacramenta autem sunt tanquam instrumenta diuinæ misericordiæ, & Prælati sunt ministri adhibentes Sacramenta; vnde nec Sacramenta remittunt, sicut principale agens ipsam culpam, nec Prælati sunt agentia instrumentalia, quod tamen supponit argumentum, & malè; sed tamen Prælati per modum dictum possunt pœnas relaxare, nec per hoc dicuntur excedere operationem principalem, sed post principalem operationem, id est, culpæ dimissionem, non autem possunt hoc vt instrumentum. Sed hæc duo opera sunt inter se ordinata, & primum necessariò præsupponitur antequam secundum valeat; ex quo patet quòd Prælati non tantum faciunt, quantum Deus, qui est agens principale: imò quòd faciunt respectu Dei incomparabiliter enim maius est remittere culpam, quàm pœnam temporalem.

Item, dictam pœnam Prælati à se non dimittunt, sed de thesauro Ecclesiæ datur eis vnde hoc faciant.

Secundò sic Apostolus dicit, ad Galat. cap. 6. *Vnusquisque onus suum portabit*; ergo Christi passio, vel Sanctorum non satisfacit pro aliis. *Argumentum secundum.*

Dicendum potiùs quod sic, vt dictum est; quia alio loco dicit Apostolus ad Galat. c. 6. *Alter alterius onera portate*, &c. Vnde vnus potest pro alio satisfacere, sicut & debitum temporale soluere; verbum autem primum debet intelligi de pœna æterna, qua vnus non punitur pro alio, sed temporaliter benè vnus pro alio punitur, etiam à Deo. Vel potest dici, quòd Christus & Sancti assumpserunt sibi onera nostra, & pro eis satisfecerunt per modum dictum, scilicet, si nobis eorum merita applicentur per Prælatos Ecclesiæ. *Soluitur.*

Item, vnusquisque existens in charitate, qua meretur vt sibi applicentur, dicitur quodammodo suum onus portare; licèt alij pro ipso sic soluant.

Tertiò sic. Inferior non potest absoluere à pœna, ad quam quis per superiorem obligatur; pœnitens à Deo obligatur ad pœnam temporalem; ergo à nullo Prælato potest absolui. *Tertium.*

Dicendum, quòd Deus de liberalitate sua sic ordinauit, & Sancti sic intellexerunt, quòd eorum merita in alios indigentes redundarent; ergo per Prælatos possunt applicari modo dicto. Nec dicuntur absolui simpliciter & à se, sed secundùm Dei beneplacitum datur istis de thesauro Ecclesiæ vnde satisfaciant pro peccatis suis. *Soluitur.*

Sed contra hoc quartò: Si homo infirmus est, non curatur per medicinam sumptam ab alio; ergo à simili, cùm secundùm Philosophum 2. *Ethicorum* pœnæ sint medicinæ, pœna vnius non satisfaciet pro alio; ergo nec merita Christi, nec Sanctorum nobis valent. 13. *Quartum.*

Dicendum, quòd pœnæ Christi & Sanctorum possunt dupliciter considerari, velut pœnæ hominum quorumcunque; primò in quantùm præseruant à malis futuris, quia corpus domant, & subdunt spiritum: & sic verum est, quòd pœna vnius non valet alteri quantùm ad hoc; quia si tu ieiunas, non propter hoc corpus meum maceratur. Secundò considerari possunt inquantùm sunt satisfactoriæ, & sic patet quòd Christus nihil demeruit, nec erat obligatus ad pœnam, nisi voluntariè, scilicet, pro nobis, & sic pro nobis satisfecit, & alij Sancti, si eorum merita & pœnæ nobis applicentur. *Soluitur.*

Sed dices contra, Vnius confessio, vel contritio nihil valet alteri; ergo nec satisfactio. 14. *Quintum.*

Dicendum quòd non est simile primò de contritione, qui est actus interior amarus respondens libidini peccantis interioris; satisfactio autem est actus exterior. Similiter de confessione non est simile, quia sicut vnus potest absolui pro alio, cùm absolutio debeat esse super materiam determinatam; ita nec vnus pro alio confiteri potest. Item, confessio ad absolutionem Sacramentalem ordinatur: satisfactio autem non sic ordinatur ad absolutionem; ideò non est simile. Item, quando quis pœnitet & confessus est, licèt à culpa sit liber, & à reatu, tamen remanet obligatus Ecclesiæ; ideò Prælati possunt ei Christi merita & Sanctorum applicare vnde satisfaciat. Vel dicendum, quòd licèt contritio, vel confessio vnius non *Soluitur.*

valeat alteri, potest sibi valere satisfactio; cuius ratio est; quia antequam pœniteat, & confiteatur, si habeat copiam Sacerdotis, non est membrum viuum, nec recipit influentiam ab aliis viuis, sed post confessionem benè potest, cùm tunc sit membrum viuum.

Sextum. Sextò sic: dicit Præcursor Matth. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ:* ergo necesse est qui dignè satisfacere vult, quòd ipsemet operetur.

Soluitur. Dicendum secundùm Philosophum 3. *Ethicorum,* quòd hoc facimus velut possumus, quod per alios possumus adimplere: ideò Christi merita & Sanctorum nobis applicata, reputantur à Deo esse nostra, si, vt dictum, est primò pœniteamus, & dignè confiteamur; tamen, vt superiùs dictum est, melius esset quòd vnusquisque suam pœnitentiam faceret.

15. *Septimum.* Septimò sic: solus Christus potest in effectus Sacramentales sine Sacramentis; sed dimittere pœnam est effectus Sacramentalis virtute clauium Ecclesiæ; ergo solus Christus, non Prælati dimittere possunt pœnam huiusmodi sine clauibus: quare Prælati per Indulgentias, cùm sint sine clauibus, non possunt hæc.

Soluitur. Dicendum, quòd effectum principalem Sacramentorum sine Sacramentis solus Christus & Deus potest dare, sed de effectu non principali non ita debet dici. Dicendum igitur, quòd effectus principalis Sacramenti Pœnitentiæ est dimittere culpam, & iste non potest fieri per aliud, scilicet, per Indulgentias. Item, alio modo hîc & ibi dimittitur culpa, quia in Sacramento Pœnitentiæ virtute clauium: per Indulgentias autem per modum recompensationis: ideò non valet.

Octauum. Octauò sic: si Prælati possunt dare Indulgentias, igitur idem dabit sibi; consequens est falsum, quia debet esse distinctio inter dantem, donum, & eum cui datur. Probatio antecedentis, quia ipse est capax Indulgentiæ, non est deterioris conditionis aliis. ergo, &c.

Soluitur. Dicendum, quòd nullus per se & directè potest sibi Indulgentias dare, quia non sunt dandæ nisi ex causa rationabili; & ad hoc vt ille, cui dantur, sit magis excitatus ad bonum, & Dei honorem: Prælati autem ex officio suo satis debent ad hoc prouocati esse; ideò, &c. Tamen per accidens & indirectè, si Prælatus det aliis Indulgentias pro rationabili causa, si postea faciat ipsum opus, potest eas sibi acquirere; non inquantùm Prælatus est; sed inquantùm est membrum Ecclesiæ indigens; sicut & alij: & sufficit talis distinctio inter dantem, & cui datur: quia dat inquantùm Prælatus, accipit autem non inquantùm talis, sed inquantùm membrum indigens.

SCHOLIVM V.

Quæstionem hanc: an Indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant? *Theologi antiqui communiter proponunt, circa quam in varias & extremas aliqui abierunt sententias. Pars tutior & magis pia affirmat, modò causæ omnes ad Indulgentiam lucrandam necessariæ concurrant; de hac autem Indulgentia in particulari non est certum & infallibile, quòd operetur, quantum sonat: nihilominus vbi euidenter non constiterit sine legitima causa concessam esse, non est contemnenda; neque si constiterit est publicè spernenda. Dubium aliud de necessitate gratiæ in lucraturo Indulgentiam, maiorem habet difficultatem in doctrina Authoris, dum ex professo probat in* 4. *d.* 15. *q.* 1. *a. n.* 15, *posse satisfieri pro pœna temporali extra statum gratiæ. Id tamen prudenter & reuerenter,* absque præiudicio, inquit, contrariæ sententiæ *docuit; & intelligendus est de satisfactione secundùm* quid, *seu imperfecta, non autem de perfecta, quæ conciliat & placat, de qua solùm intelligendus est locus Conc. Trident. sess.* 14. *c.* 8. *qui videtur fauere oppositæ sententiæ. Vide Fabrum in* 4. *disp.* 35. *c.* 6. *& Cauellum in Scholio ad prædictum locum Doctoris: fortasis quæstionem hanc scripsit ante commentarios Oxonienses.*

QVòd autem non tantùm valent semper, quantum sonant, arguitur sic: Quia tunc quilibet posset se quittare * à tota pœna debita in peccatis suis sine pœnitentia, & euolaret sine punitione, faciendo multoties opus Indulgentiæ, quod videtur iustitiæ Dei multum derogare. 16. *An tantum valeant Indulgentiæ, quantum sonant.*

* Verbum Anglicum pro *liberare,* seu *excluere.*

Dicendum, quòd non est inconueniens, nec per hoc remanet peccatum aliquod impunitum; tum, quia peccator concurrendo punitur in se; tum, quia etiam peccando punitur, cùm peccatum sit etiam pœna; tum, quia sufficienter in Christo & aliis Sanctis satis est punitum, vt dictum est *suprà.*

Quorundam responsio. Dicunt tamen aliqui, quòd talis quantumcunque multiplicasset opus Indulgentiæ, maximè dando pecuniam, non statim euolaret; quorum ratio ista est, quia, vt dicunt, peccatum etiam post Confessionem, relinquit in anima quandam scoriam, quæ tolli non potest, nisi per pœnalitatem ipsius, qui peccauit; ideò non sufficit dare pecunias ad Indulgentias.

Refutatur. Sed hoc non videtur valere, quia ex peccato in anima tria solùm relinquuntur, scilicet, macula culpæ, secundò pronitas ad actum similem, tertiò obligatio ad pœnam æternam. Primum autem per contritionem deletur, & cum hoc tertium illud quod est obligatio ad pœnam æternam in temporalem commutatur. Secundum autem per gratiam, quæ datur in contritione, deletur, scilicet, pronitas ad actum peccati, quia gratia inclinat ad actus oppositos. Peccatum etiam tollitur per assuefactionem in bonis operibus, & ideò amota culpa, & pœna temporali per Indulgentias soluta; sicut est possibile & rationabile (quia, vt dictum est, in Christo satis est satisfactum) non potest quis impediri nisi per huiusmodi pronitatem; sed per ipsam non potest retardari post mortem; maximè quia patet in simili. Paruulus enim Baptizatus mundatus est totaliter à reatu culpæ originalis; tamen in eo dum viuit, remanet semper pronitas, vel fomes, seu quædam inclinatio ad peccatum, quod tamen non est in eo culpa post Baptismum. Vnde si statim post Baptismum moriatur, non retardatur, etiam modicum à gloria, per huiusmodi pronitatem, quia ipsa tenet se magis ex parte corporis, ideò anima exuta à corpore non impeditur per hoc, nisi aliud obstet. Quare similiter cùm per gratiam, & contritionem peccator sit à culpa liber, & à pœna æterna; à temporali autem per Indulgentias, nequaquam per dictam scoriam, vel inclinationem retardatur eius anima à gloria, cùm exuta sit à corpore. *Pronitas ad peccatum non retardat à gloria.*

Quòd autem non requiratur gratia ad recipiendas Indulgentias, probatur sic: quia ante primam gratiam in peccatore non requiritur alia gratia, aliter esset abire in infinitum: ergo à simili ad pœnæ remissionem non requiritur gratia. 17. *An prærequiratur gratia ad lucrandum Indulgentias. Negatur.*

Et confirmatur, quia excommunicatio est pœna temporalis, & tamen benè tollitur sine gratia, quia

quia potest absolui etiam inuitus: ergo & pœna temporalis, ad quam quis est obligatus ex peccatis, de quibus confessus fuit, & contritus, potest sibi dimitti; dato quòd postea peccet mortaliter, nec sit in gratia, cùm facit opus Indulgentiæ.

Affirmatur. Dicendum quòd non est simile, prima enim gratia datur homini, si vult se disponere per liberum arbitrium, quod potest quilibet per adiutorium gratiæ datum, quæ omnibus viatoribus datur: non sic autem est de pœna satisfactoria; nullus potest Deo per opera sua satisfacere, nisi illa placeant Deo, cui non placent, nec digna sunt acceptatione, nisi homo sit Deo gratus, quod non potest sine gratia. Ideò non potest quis satisfacere, dum est in mortali peccato. Quare non est securum confitentibus pœnitentias multùm longas imponere, ne fortè priusquam impleatur, reincidant in peccatum, & per consequens non satisfaciant per huiusmodi pœnitentias.

Item, non valet confirmatio de excommunicatione, illa enim est ab homine illata, pro aliquo peccato fortè manifesto communiter, ideò in potestate Iudicis illam inferentis, nec Superioris, est, illam, si vult, reuocare. Dato etiam quòd excommunicatus non pœniteat, & absoluitur quandoque propter eius periculum, quando videlicet Iudex videret eum sic fatuum, quòd non curat, sed propter hoc magis induratur; tunc relaxat excommunicationem, vt sic fortè talis per mansuetudinem redeat. Non sic autem dum est in peccato, nihil facit dignum acceptatione; nec per consequens potest vt sic satisfacere, sed statim cùm pœnitet de peccatis commissis, cùm proposita confitendi tempore opportuno, tunc enim bene sibi valent opera sua, & sunt tunc satisfactoria, & meritoria.

SCHOLIVM VI.

Tribus modis ait hîc aliis applicari posse merita, qui fermè coincidunt cum aliis totidem modis, quos enumerauit, & explicauit in quodl. 20. art. 1. Secundò docet quinam conferre possent Indulgentias authoritatiuè, siue ex commissione. Tertiò, quòd potestas concedendi Indulgentias non sit ordinis, sed iurisdictionis. Quartò, quòd toties Indulgentias locales quis lucratur, quoties loca, vel Ecclesias destinatas visitat. Quintò, quod peregrini non lucrantur in alienis Diœcesibus. De his omnibus videri possunt authores citati in principio quæstionis, præsertim Suarez disp. 49. & 52. & pro vltima assertione Syluester verbo Indulgentia, *num. 14. Panorm. in cap.* Quod autem, *de pœnit. & remiss. Roderiguez in summa, verbo* Indulgentia, *num. 2. Barbosa de Episcopis allegat. 83. num. 25.*

18. *Qui possunt concedere Indulgentias.* IVxta hoc quæritur, qui Prælati possunt dare Indulgentias? Circa quod notandum est, quòd Indulgentiæ dicuntur concedi ab eis, qui possunt merita Christi & Sanctorum aliis applicare, vt dictum est. Huiusmodi autem applicatio potest fieri tripliciter; primò in singulari: secundò in speciali; tertiò in generali. *Applicatio meritorum triplex.* Applicare in singulari potest quicunque existens in charitate, alij existenti in charitate sua opera. Applicatio autem in speciali dicitur, quando aliquis, vel aliqui de vna congregatione orant pro illis de eadem congregatione, vel pro suis familiaribus; tunc ille, qui præest tali communitati, potest merita huius communitatis alteri communicare; & eos associare ad beneficia huiusmodi. Sed persona priuata talis communitatis hoc non potest concedere, quia eius non interest de communitate ordinare. Sed his duobus modis meritorum applicatio non dicitur Indulgentia propriè; primò, quia talis communicatio non satisfacit Ecclesiæ vniuersaliter, sed Deo pro iis, quibus fit applicatio. Indulgentiæ autem non solùm Deo, sed Ecclesiæ dicuntur satisfacere de pœna pro peccatis iniuncta, à quibus dictæ communitates, nec absoluere possunt, nec eas relaxare, cùm super Ecclesiam non habeant potestatem. Secundò, quia bona per se priuatæ personæ, & communitatis specialis sunt finita, ideò non sufficiunt ad dandum Indulgentias: sicut thesaurus Ecclesiæ, qui est omninò indeficiens, & abundans meritis infinitis. Applicatio tertia, scilicet, in generali, est quando de thesauro vniuersalis Ecclesiæ, merita scilicet Christi, & Sanctorum, aliquibus applicantur, quod potest fieri de iure, ab eo, qui toti præest Ecclesiæ, quia est Christi Vicarius, aliis autem ex commissione.

Solus igitur Papa potest auctoritatiuè & principaliter dare Indulgentias, nec habet auctoritatem ab alio nisi à Christo. Sed vtrùm Episcopi? 19. *Solus Papa auctoritatiuè concedit Indulgentias.* Dicendum quòd cùm sint sponsi Ecclesiæ suæ, id est, Diœcesis, & Archiepiscopi sui Archiepiscopatus, & sint vocati in partem sollicitudinis, secundùm Apostolum 2. *Cor.* 11. ideò ex commissione Papæ possunt Indulgentias conferre, aliter non possunt. *Quis possit ex commissione.* Similiter Legati, sicut per totam suam Prouinciam, vel legationem, possunt facere constitutiones perpetuas; ita etiam conferre Indulgentias, quia eis hoc Papa concessit.

Sed vtrùm Abbates? Dicendum quòd licèt habeant super suos subditos iurisdictionem, non tamen conferunt Indulgentias, quia hoc eis non concessit Papa; posset tamen eis concedere, si vellet.

Sed Episcopi quantum possunt dare. Dicendum provt dicitur *Extrà de pœnitentia, & remissione, cap. cùm ex eo,* possunt de lege communi pro vna causa quadraginta dies; in dedicatione autem Ecclesiæ vnum annum; & licèt sint plures Episcopi, non tamen plus; in anniuersario autem dedicationis tantùm quadraginta dies; non autem possunt dare perpetuas, scilicet pro quolibet tempore; sed solus Papa, vel Legatus, quia istis non concedit ius Papale.

Sed vtrùm electus in Episcopum, & confirmatus, non tamen consecratus? Dicendum quòd sic; etsi non sit Sacerdos; quia huiusmodi potestas non super characterem Sacerdotalem, vel super consecrationem Episcopalem fundatur; sed magis super iurisdictionem, quam talis habet per electionem confirmatam. Verumtamen Ostiens. in cap. *cùm ex eo*, citatum dicit quòd tutius est quòd non conferat, nisi sit Sacerdos.

Iuxta hoc quæritur, quibus valeant? Vtrùm cùm dicitur, *visitantibus talem Ecclesiam, concedimus quadraginta*; an quicunque vadat illuc, & quotiescunque, semper acquirat huiusmodi Indulgentias? 20. *Quibus & quoties valeant Indulgentiæ.* Videtur quòd non omnis vadens illuc habeat, quia non debetur dari, vt dictum est, nisi pro causa speciali, ad quam homines aliàs non tenebantur ire: sed multi tenentur ire quolibet die ad Ecclesiam, scilicet Canonici & Religiosi; ergo si Indulgentiæ sint in Ecclesiis talium, non acquirunt eas; quia vadunt pro horis dicendis, ad quas ex debito aliàs tenebantur.

Dicendum quòd quantumcunque Indulgentiæ conce

conceduntur abſolutè ſic: *quicunque talem Eccleſiam viſitabit, vel tale opus faciet, habebit tot dies Indulgentia:* dico quòd quicunque id facit exiſtens in charitate, dum tamen non intendat actu contrarium, puto quòd Indulgentiam habet; non enim oportet quòd intendat actu lucrum Indulgentiæ, ſed habitualis intentio ad hoc ſufficit; quia ex quo eſt in charitate, vult opera ſua habitualiter ſaltem omnem efficaciam; & iuſtum eſt quòd in omnibus operibus ſuis lucretur quæcunque ſunt lucrabilia per talia opera, quare cùm ire ad Eccleſiam ad Dei honorem, ſit lucramentum Indulgentiarum, ſequitur quòd quicunque exiſtens in charitate vadit illuc tunc ad Dei honorem, dato quòd hoc actu non intendat, percipit Indulgentiam.

Et confirmatur ratio, quia quando aliqui vadunt ad Eccleſiam tantùm intentione Deum honorandi, & officium audiendi, vel dicendi, ſi fiat tunc ibi generalis diſtributio, iſti, qui non intendebant hoc, ita benè percipiunt diſtributionem, ſicut alij, qui hoc ſciebant, & actualiter intendebant, & ad hoc venerant: ſi igitur homines ſunt ita liberales, multò fortiùs Deus, & Prælati Eccleſiæ conferentes Indulgentias ad honorem Dei.

Patet igitur quòd ratio in contrarium non valet, ſcilicet, quia aliàs tenebantur; vnum enim opus factum in charitate benè eſt meritorium præmij, & inquantùm fit ex obligatione voluntaria & ſatisfactoria cum hoc, valet ad acquiſitionem Indulgentiarum, vt oſtenſum eſt.

21. Sed vtrùm toties quoties vadit quis, habet Indulgentiam? Dicunt quidam quòd ſi ſunt Indulgentiæ perpetuæ, vt ad Eccleſiam Petri & Pauli, ſic; ſi verò non ſint perpetuæ, habet eas acquirere ſemel. Quorum ratio eſt, quia quando ponuntur perpetuæ, patet eſſet de intentione Prælati, quòd omnes quoties vadunt, habeant. Sed quando ſunt temporales, ſcilicet, per octo, vel nouem dies, videtur eſſe de intentione dantis, quòd ſolùm ſemel quilibet veniens, habeat: & ideò ponuntur octo dies, vt ij, qui prima die, vel ſecunda nequeunt venire, veniant ſaltem infra octauam.

Sed hoc non videtur, quia poteſt eſſe diœceſis ita parua, ſcilicet, vna ciuitas, quòd omnes poſſent venire vna die, vel duobus, & ſic ſuperfluerent alij dies. Dicendum igitur quòd toties quoties quicunque vadit ad Dei honorem, exiſtens in charitate, toties habet Indulgentias, ſiue ſint perpetuæ, ſiue temporales, de perpetuis conceditur ab omnibus: ſed de aliis probo, quia ſicut ſe habet totum tempus ad opera facta in toto tempore, ita pars temporis ad opera facta in illa parte temporis: quare ſi Indulgentiæ ſint perpetuæ, & in omni tempore & hora poſſunt acquiri, non videtur ratio quare temporales in ſuo ſpeciali tempore non poſſint acquiri in qualibet hora illius partis.

Item, agens agit propter finem, & per conſequens intendit attingere finem ſuum meliori modo, quo poteſt: ergo quando concedit aliquis Indulgentias viſitantibus talem Eccleſiam ad Dei honorem, debet hoc intendere intenſiùs quàm poteſt: ſed Deus plus honoratur ſi homines frequenter illuc vadant, quàm ſi tantùm ſemel; ergo quoties vadunt ad Dei honorem, ſemper illas ſibi acquirunt.

22. *Vtrùm peregrini lucrantur.* Vtrùm in alicuius diœceſibus peregrini poſſint acquirere? Videtur dicendum quòd non, cuius ratio eſt; quia vt patet ex ſuperioribus, Prælatorum eſt eas dare ratione auctoritatis & iuriſdictionis; ſed ſuper alienas perſonas, quæ non ſunt ſuæ diœceſis, non habent iuriſdictionem; ergo non poſſunt Indulgentias dare. Verumtamen ſi habeant ibi deuotionem ipſi peregrini, & opus Indulgentiæ faciunt, & ſint in charitate, multùm prodeſt eis, & multùm mereri poſſunt; licèt fortè Indulgentias non acquirant. Vnde benè conſulendum eſt eis, ſi quærant conſilium, quòd huiuſmodi opera faciant.

Sed diceres, imò videtur quòd ſint de eorum iuriſdictione, quia ſi peccant in terra eorum, quantùm ad hoc eis ſubditi: ergo ſimiliter ratione bonorum operum.

Dicendum quòd non eſt ſimile: pro peccatis enim non quibuſcunque, ſed publicis, fiunt de eorum diœceſi, vt ſcilicet, ibi peccata puniantur, vbi oriuntur; vt qui fuerunt peccatis ſcandalizati, ſint eorum punitione reædificati; non autem ſic pro occultis fiunt alienis Prælatis ſubditi. Sic autem non eſt de Indulgentiis, quia non eſt cauſa ſufficiens quantùm ad hoc, quod ſuper extraneos habeant auctoritatem iuriſdictionis, ideò non poſſunt conferre Indulgentias: ergo, &c.

QVÆSTIO V.

Vtrùm perfectiſſimus conceptus poſſibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus, ſit conceptus entis infiniti?

Alenſ. 1. *p. quæſt.* 2. *mem.* 1. *a.* 1. D. Bonau. 1. *d.* 3. *quæſt.* 1. *art.* 1. Richard. *ibidem.* D. Thom. 1. *p. q.* 12. *art.* 2 *&* 4. *& q.* 85. *art.* 3. Henr. *in Summa art.* 22. *q.* 1. 2. *&* 3 *& quodl.* 7. *q.* 4. Occam *in* 1. *d.* 3. *q.* 5. Gregor *q.* 3 *art.* 2. Baccon. *quæſt.* 3. Mayron. *q.* 1. Landulphus *in prolog. q. vltima a.* 1. Alphon. Tolet. *q.* 6. *prolo art.* 2. *concl.* 3. Caietan. *de Ente & eſſentia q.* 1. Faber *lib* 1. *diſt.* 3. *q.* 7. *diſp.* 27. *Vide* Scot. *in* 1. *d.* 3. *q.* 2. *num.* 17. *& d.* 8. *q.* 3. *& in* 2. *d.* 3. *& quodl.* 5. *& collat.* 20. *&* 21. *&* 4. *Met. q.* 10.



IDETVR quòd non. Ille conceptus, quo cognoſcitur Deus trinus & vnus, eſt perfectior conceptus de Deo, quàm conceptus entis infiniti: ſed conceptus, quo cognoſcitur Deus trinus & vnus, poſſibilis eſt haberi à viatore ex puris naturalibus; ergo conceptus entis infiniti non eſt perfectiſſimus. Conceptus enim quo cognoſcitur Deus trinus & vnus, eſt conceptus adæquans naturã diuinam, & omnia contenta in eſſentia diuina; conceptus entis infiniti non eſt ita. Minor probatur, quicunque naturaliter poteſt cognoſcere vnum relatiuum, poteſt naturaliter cognoſcere reliquum; ſimul enim coïntelliguntur; ſed naturaliter poteſt cognoſci anima noſtra, & reſpectus imaginis ad Deum trinum & vnum, fundatus in ea; ergo naturaliter poteſt cognoſci Deus trinus & vnus. Minor iſtius ſecundi ſyllogiſmi probatur ſic: potentia habens aliquod pro primo obiecto & adæquato, habet quodlibet contentum ſub illo pro obiecto per ſe: ſed intellectus noſtri primum adæquatum obiectum eſt ens, ſaltem vt eſt commune ad decem genera prima; ergo quodlibet contentum ſub hoc communi eſt per ſe obiectum intellectus noſtri; ſed reſpectus imaginis fundatus in anima noſtra, cùm ſit creatus, continetur ſub aliquo decem generum, 1. *Argument. negatiuum.*

rum; ergo intellectus noster potest cognoscere talem respectum.

2. *Argum. affirmatiuum.* Oppositum arguitur sic: Conceptus correspondens perfectioni intrinsecæ rei, est perfectior conceptus quàm ille, qui correspondet perfectioni extrinsecæ: sed conceptus entis infiniti est intrinsecus essentiæ diuinæ: infinitas enim est gradus intrinsecè naturæ diuinæ, cæteri autem conceptus possibiles haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus, cuiusmodi sunt conceptus *boni* & *veri*; & huiusmodi, correspondent tantùm perfectionibus secundis essentiæ diuinæ: ergo conceptus entis infiniti est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Quòd autem conceptus correspondens, vt est trinus & vnus, non possit haberi à viatore ex puris naturalibus, patet infrà.

SCHOLIVM I.

Refert latissimè opinionem Ioannis à monte S. Eligij, Belga, qui sibi fuit synchronos, negantis conceptum entis infiniti esse perfectissimum omnium, qui de Deo naturaliter possint haberi in via, siue ille comparetur ad conceptum quemcunque, siue simplicem, siue compositum. Similem habet opinionem Henric. in Summa citatus in initio quæstionis, de qua Scotus in 1. d. 3. q. 2.

3. AD istam quæstionem respondet Magister Ioannes de monte S. Eligij, in vno Quodlibeto, primò, distinguendo quæstionem; secundò, de quæstione iuxta duplicem eius intellectum tenet duas conclusiones, quas nititur confirmare per plures rationes. Distinctio, quam ponit, est ista. De perfectione conceptus entis infiniti in comparatione ad alios conceptus possibiles haberi de Deo ex puris naturalibus, vel fit comparatio entis infiniti ad aliquem alium conceptum vnum & simplicem, sicut est conceptus *boni* per se, vel *veri*, per se, & sic de quolibet alio per se sumpto: vel fit comparatio non tantùm ad conceptum vnum simplicem per se sumptum, sed ad conceptum aliquem multiplicem, siue compositum, includentem multos conceptus partiales, sicut est conceptus compositus aggregans in se conceptum *boni*, *veri*, *sapientis*, *iusti*, & alios plures.

4. *Probatur non esse conceptum entis infiniti.* Hac distinctione præmissa, respondendo ad quæstionem, tenet duas conclusiones negatiuas; prima est, quòd si accipiatur quæstio secundùm primum intellectum, conceptus entis infiniti non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Secunda conclusio est, quòd si accipiatur quæstio secundùm alium intellectum dictum, conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus. Vtraque probatur, & primò sic: conceptus, quo concipitur res secundùm *esse* substantiale & primarium, est perfectior conceptu, quo concipitur res secundùm *esse* accidentale, & secundarium. Ista probatur: sicut *esse* substantiale rei & primum est perfectius, quàm *esse* eius accidentale & secundarium, ita proportionaliter conceptus correspondens *esse* substantiali & primo ipsius rei, debet esse perfectior conceptu correspondente *esse* secundario & accidentali ipsius rei; sed concipiendo Deum vt ens infinitum, non concipitur ipse Deus secundùm eius *esse* substantiale, & primum, sed secundùm quandam perfectionem communem sibi accidentalem: ergo conceptus entis infiniti non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Minor ista probatur. Infinitas enim videtur esse passio quanti & magnitudinis, dicente Philosopho primo Physic. text. 35. deinceps. *Infinito respectu quanti congruit etiam quantum, & finitum & infinitum sunt differentia quantitatis.* Vnde infinitas non conuenit Deo, nisi prout inesse supponitur ratio quantitatis, non molis, sed perfectionis. *In his enim*, secundùm beatum Augustinum 5. de Trinitate cap. 8. *quæ non sunt mole magna, idem est maius esse, quod melius esse.* Concipere ergo Deum vt *ens infinitum*, non est aliud, quàm concipere ipsum sub ratione magnitudinis, non habentis finem; sed conceptus vt *magnus*, non est conceptus, quo concipitur Deus secundùm *esse* suum primarium & substantiale, sed potiùs secundùm *esse* eius quasi secundarium, & accidentale.

Confirmatur ista ratio: quia cùm quæritur, *quantus est Deus*? Conuenienter respondetur, *infinitus & immensus*; & ideò dicunt Doctores communiter, quòd infinitas naturalis nihil aliud est, quàm diuinæ magnitudinis immensitas. Cùm autem quæritur per quæstionem de substantia, *quid est Deus*? Non respondetur, nec bonus, nec sapiens, nec immensus, sed potiùs *substantia pura intellectualis*, vel huiusmodi; ergo conceptus entis infiniti non respondet *esse* quiditatiuo & primario ipsius Dei, & per consequens non est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. 5.

Item, conceptus correspondens perfectioni attributali in Deo, non est ita perfectus, sicut conceptus correspondens perfectioni primariæ & essentiali; quia perfectio attributalis est quodam modo accidentalis, superueniens subiecto perfecto in *esse*; sed *infinitas* est perfectio attributalis in Deo, & quasi de secundario intellectu diuinæ naturæ, & consequenter spectat ad primarium intellectum essentiæ diuinæ, quo scilicet, Deus intelligitur actus purus, substantialis, primus; ergo conceptus *infiniti* non est perfectissimus conceptus possibilis haberi à viatore ex puris naturalibus. Maior est euidens, minor probatur. Illud quod importat in Deo perfectionem simpliciter absque defectu & immutatione, pertinentem quasi ad aliud genus à Substantia, videtur esse ipsi Deo perfectio accidentalis: sed infinitas est huiusmodi, quia sequitur magnitudinem Dei spiritualem, & ideò quasi ad aliud genus quantitatis, *infinitas*, quæ est quasi eius passio, ad aliud genus à substantia pertinet, & per consequens præsupponit conceptum correspondentem primario *esse* ipsius Dei. Similiter *infinitas* dicit perfectionem simpliciter sine defectu & limitatione, quasi superuenientem *esse* substantiali ipsius Dei; *infinitas* ergo est perfectio attributalis ipsius Dei. *Secundò.*

Confirmatur, quia quòd *infinitas* sit perfectio attributalis, videtur esse intentio Augustin. 5. de Trinitat. cap. 5. *Si dicimus, æternus, incorruptibilis, immortalis, immutabilis, vnus, sapiens, potens, speciosus, iustus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium nouissimum quod posui, quasi tantum modo videtur significare substantiam, cætera verò huius substantiæ qualitates.* Qua ratione autem *æternum* & *immortale*, dicuntur perfectiones attributales superuenientes quasi *esse* primario ipsius Dei, eadem ratione videtur *infinitum*, quod consequitur magnitudinem Dei, esse perfectio attributalis. Conceptus ergo, quo concipitur 6. *Confirmatio.*

cipitur Deus in toto genere entium, substantia prima specialissima est perfectior conceptus, quàm ille, quo concipitur vt ens infinitum.

Tertio. Item conceptus subiecti est perfectior, quàm sit conceptus passionis; sicut & subiectum perfectius est passione; sed conceptus, quo concipitur Deus vt substantia prima perfectissima, est conceptus subiecti: conceptus autem, quo concipitur vt ens infinitum, est conceptus quasi passionis; ergo conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi à viatore ex puris naturalibus. Minor probatur ex hoc, quòd Deus est ens substantiale primum, consequenter intelligimus ipsum per modum passionis esse infinitum, nam ex hoc quòd est primum, consequenter infertur ipsum esse interminatum & ab intrà, & ab extrà, & ex hoc consequenter ipsum esse illimitatum, & per consequens ipsum carere fine & termino in perfectione, & hoc est ipsum esse infinitum; ergo *infinitum* consequitur ipsum Deum, quasi passio eius, vt est ens substantiale primum simplicissimum.

7. *Quarto.* Item, ille conceptus, ex quo à priori quasi causaliter & *propter quid* sequitur alius, est perfectior illo, qui sequitur; sed ad cóceptum, quo concipitur Deus vt ens primum & simplicissimum à priori, quasi causaliter & *propter quid* sequitur conceptus, quo cócipitur vt ens infinitum: quamuis enim ex conceptu *infiniti* sequitur illud, quod est infinitum esse ens primum, & à se, & per se, & actum purum illimitatum; hoc est tamen quasi à posteriori arguendo: sed ex hoc, quòd Deus est *esse* substantiale primum, sequitur à priori ipsum habere magnitudinem perfectam, illimitatam, & infinitam: ergo conceptus, quo concipitur Deus, vt ens substantiale primum, est perfectior conceptus conceptu, quo concipitur Deus, vt est ens infinitum.

Quinto. Item, conceptus, quo concipitur res in speciali & distinctè secundùm naturam eius, & quiditatem, & quasi differentiam specificam, est perfectior, illo conceptu, quo concipitur res indistinctè & confusè etiam in quodam inuoluto; sed conceptu, quo concipitur Deus vt infinitus & in perfectione, nó cognoscitur diuina natura, nisi in quodam inuoluto multùm confusè & implicitè: nam cognoscendo Deum vt ens infinitum, adhuc restat inquirere cuius conditionis sit illa perfectio infinita: non enim ex hoc statim est manifestum an pertineat ad substantiam, vel ad accidens? an sit corporea, vel incorporea? an viuens, an non viuens? conceptu autem, quo cognoscitur Deus, quod est *intelligere* substantiale primum actualissimum, magis acceditur ad cognitionem specialem & distinctam ipsius Dei, & quasi differentiam specificam explicantem, provt est possibile à nobis quiditatum differentiam intelligi: ergo conceptus, quo sic concipitur Deus, est perfectior conceptu, quo concipitur vt ens infinitum.

8. *Confirmatur.* Confirmatur ratio ista ex intentione; nam circa istum conceptum, scilicet quòd in Deo sit *intelligere* perfectissimum & actualissimum, tanquam circa conceptum nobilissimum possibilem haberi de Deo ex puris naturalibus, multùm laborauit Philosophus 12. *Metaphysicæ text. com.* 39. vbi dicit sic: *Quamuis optima pro voluptate nobis & speculatio delectabilissimum, & optimum. Si ergo sic benè habet, vt nos quandoque, Deus semper mirabilis est, si autem magis, adhuc mirabilius habet, & vita vtique existit: etenim intellectus actus, vita, illud autem ipse actus est, actus autem quod secundùm se illius vita optima & sempiterna.* Vnde pòst concludit: *sic autem habet ipsam sui ipsius intelligentiam toto æterno.* Et ibi dicit Commentator: *manifestum est, quòd intelligere per intellectum, qui est in nobis, est valde voluptuosum, & nobilius omnibus rebus existentibus in nobis.* Videtur ergo quòd conceptus, quo concipitur Deus sub ratione primi intellectus, primi substantialis, super omnia speculantis, & intelligentis actum, sit perfectior, quàm ille, quo concipitur Deus sub ratione entis infiniti.

Item, ille conceptus de Deo est perfectior, quo *Sexto.* concipitur sub ratione volitiua, delectatiua, & optima; perfectio autem optima & super omnes delectabilis ab omni intelligibili ente, est nobilissimum intelligibile semper actu perfectè intelligere, & nihil nobilius, aut excellentius potest cogitari, quàm viuere vita intellectuali perfecta secundùm actum, quod satis apparet *ex* 10. *Metaph.* & ex eo quod dicit Philosophus *libro* 12. *text.* 51. *Quid vtique erit insigne & venerabile, si non intelligat?* ergo conceptus, quo concipitur Deus perfectissimus intellectus, viuens vita intellectuali perfectissima, est perfectior conceptus, quàm conceptus, quo concipitur vt ens infinitæ perfectionis.

Item, conceptus ille, quo concipitur Deus se- 9.
cundùm *esse* absolutissimum, abstractissimum, est *Septimo.* perfectior conceptu, quo concipitur secundùm aliquam rationem determinatam & contractam. Ista probatur, quia conceptus, quo concipitur secundùm *esse* absolutissimum, actualissimum, & abstractissimum magis explicat, & indicat naturam diuinam secundùm suum *esse*, quod habet in rerum natura, quàm conceptus, quo concipitur secundùm aliquam specialem rationem, & determinatam; & probatur ex sacra Scriptura, per quam Deus indicans naturam suam habere *esse* actualissimum, sine omni potentia absolutissimú, & abstractissimum, nominat se *qui est*, dicens in Exod. cap. 3. *Sic dices filiis Israël, qui est, misit me ad vos:* sed *esse* actualissimum, siue conceptus ille, quo concipitur natura diuina inquantùm habet *esse* in rerum natura secundùm *esse* actualissimum, sine omni potentia absolutissimum & actualissimum; conceptu autem *infiniti* concipitur secundùm aliquam rationem particularem, & determinatam; est enim *infinitas* vna distincta ratio, contra alias, sicut *bonitas*, *æternitas*, & huiusmodi: ergo conceptus, quo concipitur Deus, vt ens infinitum, non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus.

Item, illa scientia est perfectior, quæ ordinatur *Octauo.* ad cognoscendum Deum absolutè sub ratione Deitatis; quàm illa, quæ ordinatur ad cognoscendum Deum sub ratione infinitatis; propter hoc enim Deus non ponitur subiectum in Theologia sub aliqua ratione speciali & determinata; & quasi secundùm modum intelligendi naturam diuinam determinatè; quia talis cognitio dicitur esse particularis; nec esset ita perfecta & nobilis, sicut illa, quæ absolutè tradit cognitionem de Deo; ergo cognoscere Deum absolutè sub ratione Deitatis, vt est cognoscibilis ex creaturis, est perfectiùs cognoscere Deum, quàm cognoscere ipsum sub ratione entis infiniti, quod est cognoscere ipsum sub aliqua vna ratione speciali distincta contra alias.

Et confirmatur ista ratio, quia Deus nec intel- 10.
ligenti se, vel videnti ipsum obiicitur sub aliqua ratione

Confirmatur primò. ratione speciali, & secundùm rationem suæ nudæ quiditatis & naturæ, in quiditate & natura includuntur omnes rationes de Deo cognoscibiles: nunc autem certum est quòd Deus habet de se conceptum perfectissimum; & similiter Beati habent conceptum perfectiorem de Deo quàm nos: ergo conceptus, quo concipitur Deus à viatore sub ratione Deitatis absolutè, est perfectior, quò concipitur sub ratione entis infiniti.

Confirmatur secundò. Confirmatur secundò ratio sic: Voces sunt signa conceptuum, qui sunt in anima; nomen ergo naturæ diuinæ magis sibi proprium & impositum ad significandum naturam diuinam, quàm in specie sub differentia specifica provt continet quidquid ad naturam & perfectionem eius essentialem pertinet, & ab omni alio differt, perfectiorem conceptum exprimit, quàm nomen, quod non est tale; sed hoc nomen *Deus* secundùm communem vsum, tam fidelium, quàm infidelium, sicut imponitur ad significandum naturam diuinam in modo prædicto, provt cognoscibilis est à viatore ex puris naturalibus magis exprimit diuinam naturam, quàm nomen *infiniti*.

11. *Nonò.* Item, ille conceptus, quo habito, quolibet alio circumscripto, illud de quo habetur, est ens nobilissimum, & perfectissimum, est perfectior illo, quo habito, quolibet alio circumscripto, illud à quo habetur, non est ens nobilissimum & perfectissimum: sed conceptus, quo cognoscitur Deus, vt ens primum intellectiuum, vel Intelligentia prima, est talis, quòd eo habito, circumscripto quolibet alio, adhuc illud, de quo habetur, est ens nobilissimum naturæ in gradibus entium, poterit perfectior gradus inueniri; conceptus autem *infiniti* non est talis, quòd eo habito, circumscripto quocunque alio, illud, de quo habetur, non erit ens nobilissimum. Posito enim quòd Sol esset infini æ perfectionis, & duraret in infinitum, adhuc non esset tantæ perfectionis, sicut anima intellectiua, quæ hodie inciperet esse, & cras desineret esse: ergo conceptus, quo concipitur Deus, vt Intelligentia prima, est perfectior conceptu, quo concipitur vt infinitus.

Decimò. Item, conceptus correspondens rei secundùm naturam suam absolutè, est perfectior conceptu correspondente modo eiusdem rei. Ista patet. Modus enim rei consequitur ipsam rem, & habet debiliorem entitatem, & si aliquam perfectionem dat, illam sortitur ex natura rei, cuius est modus; sed *infinitas*, etiam secundùm tenentes opinionem contrariam, dicit modum intrinsecum naturæ diuinæ, & cuiuslibet perfectionis essentiæ diuinæ: ergo conceptus, quo concipitur natura diuina in se, & etiam quælibet eius perfectio in se, & absolutè, est perfectior conceptu entis infiniti.

12. *Confirmatur.* Confirmatur ratio, quia *infinitas*, vt dicit modum rei, non importat perfectionem nisi rei, cuius est: vnde cùm linea non dicat ens magnæ perfectionis, nec infinitas lineæ dicet magnam perfectionem; infinitas autem sapientiæ & potentiæ dicet magnam perfectionem, quia sapientia & potentia dicunt magnam perfectionem; conceptus ergo *infiniti* secundùm se, vt distinctus contra conceptum rei, cuius est modus, non videtur esse perfectior conceptu, quo concipitur natura ipsa absolutè cuius est modus: conceptus igitur naturæ diuinæ, vt coucipitur vt actus primus absolutè, est perfectior conceptu, quo concipitur vt ens infinitum.

Vndecimò. Item, Philosophus, qui processit ad cognoscendum Dominum vt cognoscibilis est ex puris naturalibus, parum locutus est de infinitate primæ Intelligentiæ, qui Deus est; & specialiter de infinitate perfectionis naturæ, & non in hoc terminauit suam cognitionem, *libro* 12. *Metaph.* sed in hoc quòd Deus est summum bonum totius vniuersi, gratiâ cuius sunt omnia, sicut quæ in domo propter dominum, in exercitu propter Ducem: conceptus igitur entis infiniti non videtur conceptus perfectionis simplicissimus possibilis haberi ex puris naturalibus de Deo à viatore.

13. *Duodecimò.* Item, generalitet in quolibet esse causam finalem agentem, vel formalem extra rem, est magnæ perfectionis & dignitatis: igitur esse causam primam omnium, & nullam habere causam, est summæ dignitatis; & ideò quia ex motu & ordine entium secundùm gradum speciei, & secundùm ordinem causæ & causati, potest eminenter euenire quòd primum in entibus talem habeat ordinem ad alia, vt sit prima causa agens omnium, & prima forma exemplaris, mensura omnium entium, & vlteriùs finis, in quo sunt omnia ordinata, & cuius causa sunt omnia: & in cognitione talium de Deo multùm laborauit Philosophus, & dixit quòd causa finalis est nobilissima omnium, & causa causarum. In hac cognitione terminauit Philosophus suam inquisitionem de Deo, dicens, quòd esset *bonum, siue finis omnium dicitur: vnus ergo princeps:* conceptus ergo, quo concipitur quòd est causa finalis omnium, & primum agens, est perfectior conceptus, quàm ille conceptus, quo concipitur esse perfectionis infinitæ præcisè: nam ex eo, quòd concipitur præcisè perfectionis infinitæ, non habetur quòd sit causa omnium, & quòd sit vnum. Imò posset dubitari, an quælibet Intelligentia esset talis: sed de vna sola substantia verum esse potest quòd sit causa omnium; & ideò tanquam ad conceptum perfectissimum possibilem haberi ex naturalibus, videtur terminari inquisitio Philosophorum, quòd Deus in toto vniuerso sit tale, quòd ab ipso efficiente primo & fine vltimo dependent omnia; vt satis innuit Commentator in libro de substantia orbis. Et etiam Scriptura dicit, *Ego sum alpha & o mega*. *Comment.*

Tertiodecimò. Item, quòd Deus, qui non est nobis cognoscibilis naturaliter, nisi per creaturas magis similes, & res magis notas, potest perfectiùs cognosci; sed creatura Deo magis similis & nobis magis nota, est anima nostra; ergo per eam potest Deus à nobis perfectiùs cognosci, sed per eam per se & directè cognoscitur sub conceptu intellectualitatis, non perfectionis: sic est ergo conceptus, quo concipitur sub ratione perfectionis infinitæ.

Sic patet prima conclusio negatiua, quòd conceptus entis infiniti non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus, comparando conceptum entis infiniti ad aliquem vnum conceptum non aggregantem multos.

14. *Aliunde probatur conceptum entis infiniti non esse perfectissimum qui de Deo possit haberi. Primò.* Secunda conclusio, scilicet quòd conceptus entis infiniti non sit perfectissimus conceptus possibilis haberi à viatore de Deo ex puris naturalibus, comparando conceptum entis infiniti ad aliquem cônceptum compositum aggregantem in se multos côceptus partiales; probatur primò sic; cùm Deus naturaliter non cognoscatur à nobis nisi

niſi per conceptus acceptos à creaturis, quorum nullus poteſt adæquare perfectionem diuinam, ſed quilibet proportionaliter deficit à perfectione diuina, conceptus aggregãs in ſe plures partiales acceptos à particularibus creaturis, eſt perfectior conceptus ad cognoſcendum, quàm conceptus vnus ſingularis acceptus ab vna creatura tantùm; ſed compoſitus aggregans in ſe conceptus partiales, *boni, veri, iuſti, ſapientis*, ſumitur à pluribus perfectionibus repertis in eis, quàm conceptus entis infiniti, qui eſt conceptus vnus ſingularis: igitur conceptus compoſitus aggregans in ſe multos, ſcilicet, conceptus particulares, eſt perfectior conceptus, quàm conceptus entis infiniti.

Confirmatur primò. Confirmatur hæc ratio per ſimile in creaturis ſic: Conceptus, qui habetur de re per orationem definitam, eſt perfectior conceptu, qui habetur nomine definiti, quia conceptus definitus eſt explicatus; & ideò magis diſtinctè & determinatè cognoſcitur res per ipſum conceptum definiti: ergo ſimiliter in Deo conceptus compoſitus aggregans in ſe multos conceptus partiales, ſumptos ex diuerſis perfectionibus repertis in creaturis, fit quaſi conceptus definitus ipſius Dei ſecundùm noſtrum modum intelligendi: conceptus autem entis infiniti fit quaſi conceptus definiti includens implicitè perfectiones, quas dicunt alij conceptus partiales explicitè; ſequitur quòd conceptus compoſitus aggregans in ſe omnes partiales poſſibiles haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus eſt perfectior, quàm conceptus entis infiniti.

15. *Confirmatur ſecundò.* Confirmatur hoc idem, cùm enim intellectus noſter, qui naturaliter rem deſiderat perfectè cognoſcere, magis quietatur cognoſcendo & concipiendo Deum conceptu compoſito aggregato ex omnibus particularibus poſſibilibus haberi ex puris naturalibus: puta, concipiendo ipſum bonum, iuſtum, & ſapientem, actum purum, intelligentem, & ſic de aliis; quàm concipiendo ipſum ens infinitum: quod patet, quia concipiendo ipſum vt ens infinitum, & nihil plus adhuc contingit dubitare, & inquirere in ſpeciali: vtrùm ens tale infinitum ſit bonum, intelligens? vtrùm corpus, vel ſpiritus, & multa talia; qui autem concipit eum ſub omnibus aliis conceptibus, ſub quibus cognoſcibilis eſt à viatore ex puris naturalibus, de nullo tali habet dubitare: conceptus ergo talis compoſitus magis quietat intellectum noſtrum, quàm conceptus entis infiniti, & per conſequens eſt perfectior.

Probatur ſecundò. Item, cognitio habita de re, cui non poteſt fieri additio, eſt cognitio perfectiſſima poſſibilis haberi de re, perfectum enim eſt, cui nihil deeſt, vt patet. Sed ex conceptu aggregato ex omnibus poſſibilibus de Deo cognoſci, colligitur cognitio de Deo, cui ex naturalibus non poteſt fieri additio; ergo talis conceptus eſt perfectiſſimus conptus poſſibilis haberi de Deo ex puris naturalibus, & non conceptus entis infiniti.

SCHOLIVM II.

Præmiſſo notabili de triplici modo conceptus ſimpliciter ſimplicis, merè ſimplicis, & multiplicis; & de trino actu intelligendi, de quibus latè agit in 1.d.2.q.7.à n.21. diſtinguit infinitum in negatiuum, & poſitiuum; & explicato quid intelligatur per hos terminos, viator & pura naturalia, *quæſtioni reſpondet per quinque cònclusiones, quibus docet Deum non poſſe cognoſci à viatore ex puris naturalibus intuitiuè, neque abſtractiuè conceptu ſimplici ſibi proprio, poſſe tamen conceptu compoſito. Ex conceptibus tamen, qui de Deo poſſunt à viatore naturaliter haberi, perfectiſſimum eſſe entis infiniti, non negatiuè, ſed poſitiuè ſumpta infinitate. De his latè agit loco proximè citato & quodl. 5.*

Contra iſtam opinionem non intendo aliter arguere, quàm per rationes, quibus concluſionem oppoſitam, quam intendo tenere, volo probare. 16.

Ad euidentiam ergo iſtius opinionis ſic intendo procedere; cùm enim in quæſtione ponantur quatuor termini, ſcilicet *conceptus, infinitum, viator, & ex puris naturalibus*, primò, præmittenda ſunt aliqua ad intellectum iſtorum terminorum, quia qui virtutum nomen ignorant, facilè paralogizant *in primo Elenchorum, cap.* 1. Secundò, inueſtigandum eſt, ad quem conceptum, tanquam ad perfectiſſimum poſſibilem haberi de Deo ex puris naturalibus, terminatur humana inquiſitio; & hoc eſt principale propoſitum.

Circa primum, ad euidentiam primi termini, primò videndum eſt quid intelligatur per *conceptum.* Secundò, videndum eſt quot modis accipitur conceptus. Tertiò, videndum eſt quot modis poteſt accipi *concipi proprio conceptu*? Quamobrem ad primum eſt ſciendum, quòd cùm conceptus non poſſit accipi niſi per actum rei, neceſſe eſt vt principia obiecti applicentur intellectui, eo modo, quo ſufficienter & actualiter terminat actum intellectus.

De ſecundo eſt ſciendum, quòd triplex eſt conceptus; eſt enim conceptus ſimpliciter ſimplex, eſt conceptus ſimpliciter, non tamen ſimpliciter ſimplex; & conceptus multiplex; qui nec eſt ſimpliciter ſimplex, nec ſimplex. Declaratio iſtorum, conceptus ſimpliciter ſimplex eſt ille, qui non eſt reſolutus in plures conceptus, & talis conceptus correſpondet enti, & omnibus tranſcendentibus; conceptus enim entis non eſt reſolutus in plures conceptus. Conceptus ſimplex, ſed non ſimpliciter ſimplex, eſt conceptus per ſe vnus, & reſolutus in plures, quorum alter ſit per ſe determinabilis, alter per ſe determinans, aliter non fieret ex eis per ſe vnus; quorum etiam conceptuum particularium alter, ſcilicet determinabilis, ſiue poſſibilis, dicitur de conceptu tertio in *quid*; alter autem, ſcilicet per ſe determinans, dicitur de eo in *quale*: vtrumque tamen eſt ei æqualis, ſcilicet & determinabilis, & determinans. Ex quo per modum corollarij inferri po eſt, quòd in plus eſt eſſe eſſentiale, quàm dici in *quid.* Talis autem conceptus, ſcilicet ſimplex, non ſimpliciter ſimplex correſpondet cuilibet enti perfecto in genere. Conceptus multiplex eſt conceptus compoſitus reſolutus in plures conceptus, quorum vnus non eſt per ſe determinabilis; & alter per ſe determinans; & talis conceptus correſpondet toti per accidens, vt eſt homo albus, vel toti aggregato connaturaliter, ſicut eſt triplex conceptus. 17. *Conceptus triplex. Conceptus ſimpliciter ſimplex. Conceptus ſimplex. Conceptus multiplex.*

Sed vt conceptus ſe tenet ex parte obiecti, ſic definitur triplex, vt ſe tenet ex parte intellectus eſt etiam triplex actus intelligendi. Eſt enim quidam actus intelligendi ſimpliciter ſimplex, qui terminatur ad primum ſimpliciter ſimplex, quod quidem obiectum eſt tantùm diſtinctè cognoſcibile, & non confusè. Quod probo, quia quod natum eſt cognoſci diſtinctè, ſi cognoſcatur confusè, *Actus intelligendi ſimpliciter ſimplex.*

confusè, quando cognoscitur confusè, aliud non patet intellectui, quàm illud, quod correspondet notitiæ confusæ; & aliud non latet, quàm illud quod correspondet notitiæ distinctæ. Ex hac proprietate sequitur quòd est impossibile aliquod obiectum cognoscibile solùm distinctè, cognoscere confusè, nam non est in eo sic aliud & aliud: ergo tale obiectum non est cognoscibile primò confusè, postea distinctè, vel si distinctè cognoscitur, simpliciter cognoscitur, vel simpliciter ignoratur. De illis enim obiectis ita loquitur Philosophus 8. Physic. text. 46. & 7. Metaph. c. 60. dicens, quòd, *Simplicia vel totaliter sciuntur, vel totaliter ignorantur.* Actus autem intelligendi qui determinatur ad obiectum simplex, sed non simpliciter simplex, est simplex, sed non simpliciter simplex. Actus etiam determinatus ad obiectum multiplex, non est per se vnus; sicut nec obiectum, ad quod terminatur.

Actus intelligendi simplex.

19. Restat modò videre quot modis potest aliquid concipi conceptu proprio? Vbi primò sciendum, quòd aliquid concipi conceptu proprio, potest esse dupliciter. Primò, quando obiectum sic concipitur sicut existit in natura sua, & non aliter; & iste modus concipiendi aliquid conceptu proprio, est ipsum concipere intuitiuè. Alio modo potest aliquid concipi conceptu proprio, quando concipitur conceptu, qui conuenit rei soli; non tamen concernit talis conceptus actualem existentiam rei; sed abstrahit ab actuali existentia. Et iste modus concipiendi dicitur modus concipiendi abstractiuus. Et iste modus duplex cognoscendi maximè patet in potentiis sensitiuis, scilicet, in visu, qui cognoscit rem tantùm vt in se existentem, & præsentem; & in imaginatione, quæ imaginatur rem non tantùm præsentem, sed etiam absentem. Sed qualiter iste modus cognoscendi sit possibilis ex parte intellectus nostri, & differentia inter vtrumque modum habebitur diffusior sermo infrà.

Aliquid potest concipi conceptu proprio dupliciter. Intuitiuè. Et abstractiuè,

Loquendo autem de secundo modo concipiendi obiectum conceptu proprio, adhuc contingit aliquod obiectum concipi dupliciter, vel conceptu simplici, vel conceptu composito, seu multici dupliciter; vel ita quòd totalis conceptus correspondeat totali obiecto, & particulari parti obiecti, velut homo albus; vel ita quòd obiectum, quo concipitur, concipiatur tantùm concipiendo obiecta partialia; sicuti concipitur mons aureus, concipendo montem per speciem montis, & aurum per speciem auri; & intellectus posteà virtute sua actiua componeret istos duos conceptus partiales, sicut facit virtus phantastica.

20. De secundo termino posito in quæstione, scilicet de *infinito*, est dicendum, quòd *infinitum*, vt dicitur de Deo, potest accipi negatiuè, & positiuè. Quando accipitur negatiuè, tunc est sensus, Deus est infinitus, id est, nullo fine clauditur nec extrinseco, nec etiam intrinseco; cuiusmodi sunt genus & differentia, sed omnis finis terminans eius perfectionem negatur ab eo; & secundùm hunc intellectum, *infinitum* dictum de Deo, non dicit quid est Deus, sed quid non est: sicut in corporale & ingenitum, de quibus dicit Damascen. lib. 1. cap. 12. quòd *Incorporale, & ingenitum, & interminatum, & similia, non quid Deus, sed quid non est, significant.* Et hoc modo loquendo de infinito, conceptus *infiniti* erit conceptus maximè negatiuus. Alio modo potest accipi *infinitum* positiuè; licèt enim *infinitum* secundùm nomen significandi dicatur negatiuè, cum negatione finiti, tamen vt dicitur de Deo, significatur primò, & significari intenditur aliquid realiter positum. Quicunque enim dicit infinitum Deum, intendit quòd dignitatis & perfectionis est significare in Deo. Vnde per *infinitum* intenditur significari illud poni in perfectione diuina, ad quod consequitur exclusio siue negatio cuiuslibet termini & finis tam intrinseci, quàm extrinseci. Per *infinitum* enim dictum de Deo intelligitur illud significare, quo Deus omne infinitum excedit, quod non potest esse negatio tantùm, sed necessariò est aliquid positiuum maximæ dignitatis & perfectionis. Quod autem talia positiua, & tales perfectiones significentur per nomina negatiua, hoc est, quia talia positiua, & tales perfectiones sunt nobis magis ignotæ, quàm eorum contraria; & ideò talia positiua significamus per nomina negatiua, & eorum contraria significamus per nomina positiua.

Infinitum dupliciter accipitur.

De termino tertio, scilicet, *viatore*, est sciendum, quòd per *viatorem* intelligo hominem nihil in se habentem, nec simpliciter, nec pro aliquo instanti, quod repugnet statui viæ, vel ponat hominem extra statum viæ. Per *cognitionem* autem *possibilem haberi ex puris naturalibus* intelligo præcisè per *pura naturalia*, causas naturales, & naturaliter actiuas respectu intellectionis; cuiusmodi sunt intellectus, secundùm ponentes intellectum totaliter causam intellectionis vniuersalium, vel ponentes intellectum totaliter passiuum, vel vtrumque. Secundum magis credo, circumscripta omni speciali influentia, stante sola generali influentia, quæ requiritur ad omnem effectum inferiorem causæ secundæ. 21.

Quid intelligatur per nomen viatoris.

His præmissis, ad intellectum terminorum quæstionis, est secundò inuestigandum, ad quem conceptum, tanquam perfectissimum possibilem haberi à viatore ex puris naturalibus de Deo, terminatur inuestigatio humana? Ad cuius euidentiam declaro quinque conclusiones, tres negatiuas, & duas affirmatiuas. Tres negatiuæ sumuntur ex declaratione tertij termini; quarum prima est. Ex puris naturalibus non potest haberi proprius conceptus de Deo, quo concipitur res vt existens, & vt præsens in sua existentia. Hoc probatur sic: Nullus conceptus potest haberi de Deo à viatore, qui ponit viatorem extra statum viæ, (ista patet ex declaratione tertij termini quæstionis) sed conceptus, quo concipitur Deus vt existens, & vt præsens in sua existentia, ponit viatorem extra statum viæ: ergo talis conceptus non potest haberi de Deo à viatore. Minor probatur, quia cognitio, qua cognoscitur Deus vt existens, & vt præsens in sua existentia, est nuda & aperta visio Dei; nuda autem & aperta visio Dei ponit hominem extra statum viæ. 22.

Prima conclusio. Deus à viatore non potest cognosci intuitiuè ex puris naturalibus.

Secundò probatur eadem conclusio sic: Talis conceptus non potest haberi de re, nisi re existente præsente secundùm naturam suam apud intellectum, nec est secundùm se naturaliter motiuus intellectus nostri; igitur à viatore ex principiis naturalibus non potest Deus cognosci conceptu proprio, quo cognoscitur res intuitiuè.

Secunda conclusio est ista, quòd Deus à viatore ex puris naturalibus non potest cognosci conceptu simplici, abstractiuè. Conclusio ista probatur sic: Quando aliquid cognoscitur conceptu proprio & simplici, talis conceptus est causatus ab eo, quod sic cognoscitur: sed Deus non causat natura

Secunda. Neque conceptu simplici sibi proprio.

naturaliter conceptum ſui in intellectu noſtro; ergo Deus à viatore ex puris naturalibus non poteſt cognoſci conceptu ſimplici.

Obiectio. Si dicas quòd Deus à viatore ex puris naturalibus poteſt concipi conceptu ſimplici, proprio ſibi, cauſato tamen in intellectu noſtro à creatura.

Solutio. Contrà, quòd nullus conceptus ſimplex, proprius Deo, poſſit cauſari in intellectu noſtro ab obiecto creato, probo ſic: Nullum obiectum cauſat conceptum ſimplicem alterius obiecti, niſi contineat illud virtualiter, vel formaliter; ſicut inferius continet ſuperius virtualiter, ſicut ſubiectum continet propriam paſſionem: ſed nullum obiectum creatum continet iſto modo, nec illo, Deum, imò contra rationem poſterioris eſt ſic continere ſuum prius: ergo per nullum obiectum creatum poteſt cauſari in intellectu noſtro conceptus ſimplex proprius ipſi Deo: ſed ſi Deus in intellectu noſtro poſſit de ſe ipſo cauſare talem conceptum, non nego, ſed nihil eſt ad propoſitum.

23. *Tertia concluſio. Poteſt tamen conceptu compoſito.* Tertia concluſio eſt: A viatore ex puris naturalibus poteſt haberi de Deo conceptus compoſitus & multiplex proprius ipſi Deo. Hæc concluſio declaratur ſic: de Deo poteſt haberi à viatore ex puris naturalibus conceptus proprius, accipiendo *proprium*, quod conuenit omni, & ſoli, quo diſtinguitur ab omni alio. Iſta eſt manifeſta: ſed talis conceptus non cauſatur à Deo, cùm non ſit naturaliter notus intellectui noſtro, nec poteſt à creatura creari cõceptus ſimplex proprius Deo: ergo oportet quòd conceptus proprius de Deo, quo cognoſcitur ex creaturis, ſit conceptus multiplex, & compoſitus ex pluribus conceptibus ſumptis ex diuerſis ex perfectionibus repertis in creaturis; vt ab hoc bono & illo abſtrahendo conceptum boni, & ab hoc albiſſimo & illo poſſum abſtrahere intellectum ſummi albi: & ſic componendo iſtos conceptus ad inuicem, formabit intellectus vnum conceptum nulli conuenientem, niſi ſoli Deo, nec alio modo poteſt Deus ſecundùm conceptum ſibi proprium naturaliter cognoſci à nobis pro ſtatu iſto.

Quarta concluſio. Conceptus infiniti negatiuè non eſt omnium perfectiſſimum. Quarta concluſio, quæ magis accedit ad principale propoſitum, eſt iſta, quòd accipiendo *infinitum* negatiuè, ſicut declarabatur in declaratione ſecundi termini, conceptus entis infiniti non eſt conceptus perfectiſſimus poſſibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Iſta concluſio declaratur ſic: Conceptus, quo cognoſcitur quid non eſt res, non eſt ita perfectus, ſicut conceptus, quo cognoſcitur quid eſt res; conceptus enim negatiuus, vt negatiuus, merè nihil perfectionis dat; negatio enim ita poteſt dici de non ente ſicut de ente: ſed plures conceptus poſſunt haberi de Deo, quibus cognoſcitur Deus poſitiuè, puta, quòd eſt intelligens, quòd eſt volens: igitur conceptus entis infiniti, (accipiendo *infinitum* merè negatiuè) non eſt perfectiſſimus conceptus poſſibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus.

24. *Eſt tamen poſitiuè.* Quinta concluſio principalis eſt iſta, quòd perfectiſſimus conceptus poſſibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus, & ad quem vltimatè terminatur inueſtigatio humana, eſt conceptus entis infiniti, accipiendo *infinitum* poſitiuè, ſicut expoſitum eſt in declaratione ſecundi termini, & ſicut exponetur in minore primæ rationis ad concluſionem iſtam.

Hæc concluſio probabitur, ſed in probando eam ſic procedam: primò, oſtendam quòd conceptus entis infiniti eſt perfectior quocunque conceptu reſpondente perfectioni attributali. Secundò, oſtendam quòd eſt perfectior quocunque conceptu, quo cognoſcitur Deus in ordine ad extrà. Tertiò, oſtendam quòd eſt perfectior conceptu quocunque, quo etiam videtur Deus cognoſci per perfectiones ſibi intrinſecas, cuiuſmodi eſt, Deum eſſe intellectum, vel intelligentem in abſtracto: & loquor de cognitione poſſibili haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus, quæ tantùm habetur per conceptus ſumptos ex perfectionibus creaturarum.

Primum probo ſic: Ille conceptus eſt perfectior, quo cognoſcitur aliquod ſubiectum ſecundùm gradum perfectionis ſuæ ſibi intrinſecum, quàm ille, quo cognoſcitur tantùm ſecundùm perfectionem aliquam ſibi accidentalem. Iſta eſt manifeſta: magis enim per primum conceptum, ſcilicet, per illum quo cognoſcitur ſubiectum ſecundùm gradum perfectionis ſibi intrinſecum, explicatur natura, quàm explicetur per conceptum, quo cognoſcitur tantùm ſecundùm quandam perfectionem ſibi quaſi accidentalem; ſed cognoſcendo Deum conceptu entis infiniti, cognoſcitur ipſe Deus ſecundùm gradum perfectionis ſibi intrinſecum: cognoſcendo autem Deum conceptu quocunque correſpondente perfectioni attributali, cognoſcitur Deus tantùm ſecundùm quaſdam perfectiones ſibi quaſi accidentales, & conſtituentes eum in *eſſe* ſecundo: igitur conceptus entis infiniti eſt perfectior quocunque cõceptu correſpondente cuicunque perfectioni attributali: & hæc eſt ratio contra vtramque opinionem. Maior iſtius rationis eſt declarata. Minor eſt manifeſta quantùm ad vnam partem, ſcilicet quòd concipiendo Deum conceptu correſpondente perfectioni attributali, cognoſcitur ſecundùm perfectionem quaſi ſibi accidentalem, & ipſum in *eſſe* ſecundo conſtituentem. Sed alia pars, ſcilicet quod infinitum non dat talem perfectionem attributalem ſecundùm gradum perfectionis intrinſecum ipſi Deo, non eſt ita manifeſta, imò negatur ab aduerſario. Probo ergo quòd *infinitas* non dicat perfectionem attributalem in Deo, ſed gradum perfectionis intrinſecum, ſic: Illud quod ineſt alicui, circumſcribendo omne illud, quod dicit proprietatem, vel quaſi paſſionem eius, non dicit perfectionem accidentalem, nec quaſi accidentalem eius; ſed eſt modus eius, & gradus intrinſecus, & magis intrinſecus, quàm quæcunque proprietas, vel perfectio eius quaſi accidentalis; ſed intellecta eſſentia diuina circumſcripta ab ea omni proprietate, vel quaſi paſſione, adhuc eſſentiæ diuinæ conuenit *infinitas*; quia non poteſt dici quòd ei conueniat finitas: ergo *infinitas* in Deo non dicit aliquam proprietatem, nec quaſi paſſionem eſſentiæ diuinæ; ſed gradum perfectionis intrinſecum ipſi eſſentiæ diuinæ.

Conceptus entis infiniti eſt perfectior conceptu perfectionis attributalis. Probatur primò.

Item, & eſt ſecunda ratio, & confirmatio minoris præcedentis rationis. Illud quod circumſcripta omni proprietate eius, vel quaſi paſſione, habet ordinem eſſentialem ad eſſentiam, includit aliquem gradum perfectionis; ordo enim eſſentialis inter entia, & maximè excedentis ad excedens, attenditur penes gradus perfectionis in ipſis ordinatis; ſed circumſcripta ab eſſentia diuina omni proprietate, vel quaſi paſſione, adhuc eſſentia diuina excedet in perfectione 35. *Secundò.*

alia

alia entia: circumscriptis enim ab homine omnibus proprietatibus, vel passionibus, adhuc homo in perfectione excederet asinum, scilicet in rationalitate: ergo circumscripta ab essentia diuina omni proprietate, vel quasi passione, essentia diuina dicit gradum perfectionis sibi intrinsecum non finitum: sequitur ergo euidenter quòd conceptus entis infiniti est conceptus magis intrinsecus essentiæ diuinæ, quàm sunt conceptus proprietatum, vel quasi passionum essentiæ diuinæ, cuiusmodi sunt omnes conceptus correspondentes perfectionibus attributalibus, & per consequens est perfectior, & perfectiori modo cognoscitur Deus, cognoscendo ipsum sub conceptu entis infiniti, quàm sub conceptu correspondente cuilibet perfectioni attributali principali.

26. *Est perfectior conceptu rerum ad extra in Deo. Probatur primò.* Secundum, scilicet quòd conceptus entis infiniti sit perfectior quocunque conceptu habito de Deo in ordine ad extrà, probatur primò sic; quando duo conceptus sic se habent quòd ex vno demonstrante quasi concluditur alius, perfectior est ille conceptus, qui concluditur ex alio, quam ille ex quo concluditur; in omni enim tali demonstratione proceditur ab effectu ad causam, vel ab imperfectiori ad perfectius: sed ex quo Deus est causa, in quocunque genere causæ tanquam ex posteriori, concluditur ipsum in se, & ad se esse perfectum: & ex hoc quòd potest causare infinita, vel terminare, de prouidentia infinitorum, tanquam à posteriori, concluditur ipsum esse infinitæ perfectionis: sicut patet declarando modum, quo Philosophus *in 8. Physicorum* probat ipsum esse infinitæ perfectionis: licèt non curem modò vtrùm illæ rationes concludant, vel non. Ergo conceptus, quo concipitur Deus, vt ens infinitum, est prior, & per consequens perfectior conceptu, quo cognoscitur vt causa, vel sub quocunque alio conceptu concludente respectum ad extrà.

Secundò. Idem etiam probat ista ratio generaliter, quòd quicunque conceptus ad se habitus de Deo, est perfectior quocunque conceptu concludente respectum ad extrà, sic: Conceptus correspondens perfectioni simpliciter, est perfectior conceptu correspondente alicui includenti aliquid, cui repugnat perfectio simpliciter: sed conceptus quicunque ad se habitus de Deo, & dictus de eo formaliter, correspondet perfectioni simpliciter: nihil enim dicitur formaliter de Deo, quod non dicit perfectionem simpliciter: conceptus autem habitus de Deo, vt dicit respectum ad extrà, correspondens alicui creaturæ, repugnat perfectioni simpliciter; igitur conceptus entis infiniti, qui correspondet perfectioni simpliciter, est perfectior quocunque conceptu habito de Deo, dicente respectum ad extrà.

Quòd autem conceptus habitus de Deo, vt dicit respectum ad extrà, includat aliquid, cui repugnat ratio perfectionis simpliciter, probatur sic: Enti rationis, cùm sit ens diminutum & imperfectum, repugnat ratio perfectionis simpliciter: sed conceptus correspondens Deo in ordine ad extrà correspondet enti rationis; quia respectus, qui conuenit Deo ad extrà, est respectus rationis, & ens rationis tantùm, vt declarabitur infrà: ergo conceptus, quo cognoscitur Deus in ordine ad extrà, correspondet enti, cui repugnat perfectio simpliciter; quocunque ergo conceptu cognoscitur Deus in ordine ad extrà, imperfectius cognoscitur, quàm cognoscendo ipsum sub conceptu entis infiniti, vel sub alio conceptu ad se.

Tertium, quòd conceptus entis infiniti sit perfectior conceptibus, qui videntur correspondere perfectionibus intrinsecis ipsius essentiæ diuinæ, probatur sic: Ille conceptus, qui virtualiter plures includit, qui magis excludunt omnem potentialitatem, est magis perfectus, quàm ille qui pauciores includit, qui non excludunt omnem potentialitatē: sed conceptus entis infiniti ex ratione infiniti præcisè plures includit: sicut enim ens virtualiter includit verum bonum, & similia; sic ens infinitum virtualiter includit verum infinitum, bonum infinitum, & magis excludit omnem potentialitatem & compossibilitatem, quàm quicunque alius possibilis haberi de Deo à viatore; ergo conceptus entis infiniti est simpliciter perfectior conceptus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Probatur, nam de ratione infiniti in perfectione est esse idem omni modo indentitatis possibilis cuicunque possibili, & per consequens infinitum excludit omnem potentialitatem; nihil enim componit cum aliquo, quod est idem sibi omni modo possibile; alioquin idem componeret cum se ipso; & etiam includit omnem conceptum dicentem perfectionem simpliciter, vel correspondentem perfectioni simpliciter, quia sunt sibi compossibiles in eodem: sicut enim ens includit virtualiter verum, bonum, & similia, sic ens infinitum virtualiter includit verum infinitum, bonum infinitum: nullus autē conceptus alius ex ratione sua formali habet includere omnem alium virtualiter, nec excludere omnem potentialitatem: igitur conceptus entis infiniti est perfectissimus conceptus possibilis haberi à viatore ex puris naturalibus. Minor ista patet discurendo per singulos conceptus alios, à conceptu infiniti. 27. *Perfectior etiam conceptibus perfectionum intrinsecarum.* *Probatur primò.*

Item, ille conceptus est aliis perfectior, qui vltimò cognoscitur demonstratione *quia* ex creaturis; sed talis est conceptus entis infiniti, de ente enim infinito vltimò demonstratur esse demonstratione *quia*: ergo conceptus entis infiniti est conceptus perfectissimus possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus. Maior probatur, cùm enim naturaliter non cognoscamus Deum, nisi ex creaturis, quantò conceptus remotior est à creaturis, tantò est difficilior ad cognoscendum, & tantò posteriùs cognoscitur tanquam perfectior, & magis abstractus. Minor declaratur diffusè & prolixè *in dist. 2. primi libri*, vbi ex illa ratione habetur magna via soluendi omnes rationes alterius opinionis. Nam omnes rationes, quæ probant quòd conceptus, quo concipitur Deus, vt prima causa, vltimus finis, & primum perfectione, &, vt breuiter dicam, omnis conceptus, quo concipitur Deus in ordine ad extrà, nihil valent, quia cùm talia cognoscantur de Deo demonstratione *quia*, ex vno relatiuo statim cognoscitur reliquum; nullus talis conceptus potest esse conceptus perfectissimus, possibilis haberi de Deo à viatore ex puris naturalibus; sed ille erit perfectior, qui posteriùs demonstratione *quia* cognoscitur ex talibus conceptibus, quibus cognoscitur Deus in ordine ad extrà. 28. *Secundò.*

Vlteriùs, cùm conceptus abstractus possibilis haberi de Deo ex creaturis, sit magis communicabilis creaturis, quàm conceptus infiniti in perfectione, includentis virtualiter omnem perfectionem, sequitur quòd conceptus *infiniti* est remotior

remotior à creaturis, quàm aliquis alius; & per conſequens poſteriùs cognoſcibilis à viatore ex puris naturalibus, quàm alius,& per conſequens perfectior omni alio poſſibili haberi à viatore ex puris principiis naturalibus, quod eſt principale propoſitum.

SCHOLIVM III.

Reſpondet ſuccinctè primò ad argumentum principale poſitum in initio quæſtionis. Secundò ad tredecim argumenta Ioannis à Monte S.Eligij, pro prima concluſione eiuſdem. Tertiò ad rationes & confirmationes adductas pro concluſione ſecunda: & inter reſpondendum multa breuiter tangit, quæ viam aperire poſſint ad multarum difficultatum faciles ſolutiones.

29. *Ad vnicum Argum.principale.* QVoad rationes ad aliam partem,quia magiſtrales ſunt,volo diſcurrendo reſpondere ad ſingulas. Ad primam,quando arguebatur ad principale,ſic: conceptus, quo cognoſcitur Deus trinus & vnus,eſt perfectior conceptu entis infiniti: licèt poſſet hîc dici quòd iſta eſt falſa,inquantùm ille conceptus concipitur de Deo, ex creaturis, ſicut aliàs declarabitur, tamen non curetur admitti:ſed quando dicit in minori:talis conceptus eſt poſſibilis haberi ex puris naturalibus; accipiendo iſtum conceptum,vt eſt merè creditus,nego;dum autem additur ad probandum quòd qui poteſt naturaliter cognoſcere vnum relatiuum, poteſt naturaliter cognoſcere reliquum: nego. Deinde dum dicitur: naturaliter poteſt cognoſci reſpectus imaginis fundatus in anima noſtra ad Deum trinum & vnum, nego. Dum probatur, quia talis reſpectus continetur ſub obiecto primo intellectus noſtri. Reſpondeo,dico quòd entitas reſpectus dependet à duabus cauſis, ſcilicet à fundamento & termino; vnde reſpectus imaginis dependet ab anima noſtra,ſicut à fundamento;& à Deo, ſicut à termino: licèt ergo reſpectus imaginis ſit cognoſcibilis ab intellectu noſtro inquantùm dependet ab anima noſtra, quæ eſt eius fundamentum; quia tamen alia eius cauſa, ſcilicet Deus, non eſt naturaliter cognoſcibilis, hinc eſt quòd nec reſpectus imaginis eſt naturaliter cognoſcibilis ab intellectu noſtro. Licèt ergo fortaſſis anima noſtra ſecundùm illud quod eſt ſic naturaliter cognoſcibile à nobis (quod tamen negaret Thomas ponens primum obiectum intellectus noſtri *quod quid eſt* rei materialis) tamen anima noſtra, vt fundaret reſpectum imaginis ad Deum trinum & vnum,non eſt naturaliter cognoſcibilis ab intellectu noſtro, quia eius terminus non eſt naturaliter cognoſcibilis.

Thom.1.p. q.5. art.2. & q.12. ar.4.& q.85.art.2.

30. *Ad primum argum.primæ opinionis num.4.* Ad primum pro oppoſito, quando arguitur ſic: Conceptus,quo cognoſcitur res ſecundùm *eſſe* primarium, &c. concedo; ſed concipiendo Deum vt ens infinitum, concipitur ſecundùm *eſſe* ſecundarium: nego; & oppoſitum huius probatum eſt in quæſtione, concluſione quinta. Tamen ad declarationem iſtius rationis, & ſolutionem minoris,eſt ſciendum,quòd *infinitum* non tantùm dicit gradum perfectionis intrinſecum naturæ diuinæ, vt priùs concipitur omni ratione attributali;ſed etiam dicit modum perfectionis intrinſecum cuiuſlibet perfectionis attributalis.*Infinitum* ergo, vt dicit modum perfectionis intrinſecum, benè dicit perfectionem quaſi accidentalem, ſicut illud,cuius eſt gradus intrinſecus. Vnde *infinitas*,vt dicit gradum intrinſecum ſapientiæ, dicit perfectionem quaſi accidentalem, ſicut ſapientia; & ita de aliis: ſed *infinitum*, vt dicit gradum perfectionis ſubſtantialis intrinſecum eſſentiæ, non dicit perfectionem quaſi accidentalem eſſentiæ diuinæ, imò conuenit ei, vt declaratum eſt in quinta concluſione, circumſcribendo ab eſſentia diuina omnem proprietatem,vel quaſi paſſionem: & per hoc patet ad rationem, quantùm ad eius probationem,& quantùm ad confirmationem, ſi ſcias aliquid applicare.

Ad ſecundum,concedo maiorem, nego minorem. Tu probas quòd infinitas ſic attribuitur: concedo maiorem probationis; nego minorem quantùm ad hoc quod dicit, quòd pertinet ad aliud genus à Subſtantia ipſa infinitas. *Ad ſecundum.*

Ad Auguſtinum dico quòd non ponit illud nomen *infinitum*,vel ſi ſic,poteſt dici quòd accipit ibi *infinitum* non pro gradu intrinſeco eſſentiæ diuinæ,ſed aliarum perfectionum attributalium.

Ad tertium concedo maiorem,nego minorem, & totam eius declarationem; quia pono quòd nullus conceptus in via poteſt haberi naturaliter, ex quo *propter quid*, concludatur Deum eſſe infinitum ens:vnde quod dicit ex conceptu,quo concipitur ens primum, & ſubſtantia prima, concluditur *propter quid* ipſum eſſe infinitum; patet per ſupradicta quòd falſum eſt;quia eſſe primum dicit reſpectum ad extrà, & per conſequens eſt primum conceptibile ex creaturis & imperfectiùs. 31. *Ad tertium.*

Ad quartum concedo maiorem, nego minorem;& ratio tacta eſt in ſolutione tertij. *Ad quartum.*

Ad quintum,maior eſt vera,minor & ratio eius eſt ex deductione falſa; quia cognoſcendo Deum vt ens infinitum,ſicut patet per ſupradicta,diſtinctiùs,& perfectiùs, & magis in particulari concipitur, quàm concipiendo ipſum quocunque alio conceptu habito ex creaturis; & ad iſtum tanquam ad diſtinctiſſimum,& ſimpliciorem,& perfectiorem terminatur inquiſitio humana. *Ad quintum.*

Ad ſextum dico, quòd optima, delectabiliſſima,& diſtinctiſſima eſt ratio infinitatis. *Ad ſextum.*

Ad ſeptimum, maior eſt nota. ſub illa maiore ſumatur illa minor,conceptus entis infiniti inter conceptus poſſibiles haberi à viatore eſt huiuſmodi, & tunc ſequitur oppoſitum concluſionis ſuæ. Minor autem iſta eſt declarata in concluſione quinta. Tu dicis: conceptus entis infiniti non eſt talis,ſed conceptus,*qui eſt*, quia ſic nominauit ſe Deus. Dico quòd ad conceptum illum, quo concipiebat ſe Deus, quando ſic ſe nominauit, non poſſumus ex puris naturalibus attingere. Vnde benè concedo quòd aliquis conceptus eſt perfectior conceptu entis infiniti; vt conceptus eſſentiæ diuinæ, & huiuſmodi; ſed talis non eſt nobis poſſibilis ex puris naturalibus; nec ſecundùm talem conceptum eſt nobis naturaliter cognoſcibilis, quia talis conceptus non poteſt in nobis cauſari ex creaturis; ſed tantùm ab ipſa eſſentia diuina, quæ non eſt obiectum naturaliter motiuum intellectus noſtri, ſed voluntarium, quia ſi vult videtur, ſi non vult non videtur. 32. *Ad ſeptimum.*

Ad octauum concedo quòd ratio Deitatis vt *hic*,ſub qua ponitur Deus ſubiectum Theologiæ, eſt perfectior & prior alia, ſed ad illam non poſſumus ex puris naturalibus attingere. *Ad octauum.*

Ad confirmationem,concedo quòd ratio illa,& conceptus ille,quo concipit ſe Deus,& quo concipitur ab obiecto, eſt perfectior conceptu entis infiniti, *Ad confirmat.*

infiniti, sed talis non est nobis possibilis ex puris naturalibus.

33. *Ad nonum.* Ad nonum, concedo maiorem, & sumendo sic minorem *conceptus entis infiniti est huiusmodi*; concluditur conclusio vera; sumendo autem minorem sicut sumimus, nego eam, impossibile est enim quòd aliquid sit ens infinitum in perfectione, & non sit Intelligentia prima; sed fortè saltem euidens contradictio non implicatur, quòd sit Intelligentia prima, & non sit infinita in perfectione intensiua: & puto quòd hoc posset ostendi ex intentione Philosophi.

Ad decimum. Ad decimum, concedo maiorem, quando conceptus alicuius naturæ, vt *hac*, est ita naturaliter possibilis haberi, sicut conceptus modi istius naturæ. Nunc autem conceptus istius modi, scilicet *infiniti*, non ita impossibilis est haberi naturaliter, quia ex creaturis; conceptus autem naturæ diuinæ, vt *hac*, non est possibilis haberi ex creaturis. Quando verò dicitur quòd conceptus entis infiniti est perfectissimus, intelligitur de possibilibus haberi ex puris naturalibus.

34. *Ad vndecimum.* Ad vndecimum, procedit ab auctoritate negatiuè. Puto quòd Philosophus in libro 12. Metaph. non terminauit inquisitionem possibilem haberi de Deo; dato tamen quòd ita sit, non sequitur, Philosophus non dixit talem conceptum esse perfectissimum: ergo non est perfectissimus: sequitur tamen aliquando quòd ex puris naturalibus multi Catholici Doctores perfectiorem conceptum habuerunt de Deo, quàm aliquis Philosophus.

Ad duodecimum. Ad duodecimum, patet ex supradictis, quòd conceptus, quo concipitur Deus, vt causa finalis, efficiens, & huiusmodi, cùm dicant respectum ad extrà, non est perfectissimus conceptus possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus à viatore.

Ad vltimum. Ad vltimum, quantùm ad conclusionem primam, patet quòd concipiendo Deum esse Intelligentiam ex anima nostra, non concipitur conceptu perfectionis possibilis haberi de Deo ex puris naturalibus.

35. *Respondetur ad ea quæ dicta sunt in concl. 2. num. 14.* Quantùm ad secundam conclusionem, dico quòd conceptus entis infiniti est perfectior, & perfectiùs concipitur Deus isto conceptu, quàm concipiendo ipsum conceptu aggregante omnes alios possibiles haberi de ipso. Et potest hoc probari tali ratione. Perfectiori conceptu concipitur subiectum, quando concipitur conceptu correspondente perfectioni intrinsecæ, & essentiali ipsius subiecti, quàm concipitur quando concipitur conceptu aggregante omnes conceptus correspondentes proprietatibus, vel quasi passionibus eiusdem subiectis: magis enim distinctè, & magis secundùm naturam suam concipitur, quando concipitur secundùm gradum suæ perfectionis sibi intrinsecum, quàm quando concipitur secundùm omnes proprietates, vel quasi passiones eiusdem subiecti: sed concipiendo Deum conceptu entis infiniti, concipitur secundùm gradum perfectionis suæ sibi intrinsecum; concipiendo autem conceptu aggregante omnes alios possibiles haberi naturaliter, concipitur secundùm proprias passiones; ergo conceptus entis infiniti est perfectior conceptu composito, & aggregante omnes conceptus possibiles haberi ex naturalibus.

Ad primam rationem pro prædicta conclusione. Ad rationes alterius opinionis contra conclusionem istam. Ad primam, quando dicitur quòd conceptus talis compositus magis adæquat naturam diuinam, quàm conceptus entis infiniti; nego. Tu probas, quia conceptus entis infiniti sumitur ex vna perfectione reperta in creatura: dico quòd falsum est: sed sumitur ex infimo & supremo gradu perfectionis cuiuslibet repertæ in creaturis.

36. *Ad confirm. primam.* Ad confirmationem de conceptu diuisiuo, dico quòd magnis explicat naturam diuinam conceptus entis infiniti, vt patet ex dictis, quàm conceptus aggregans alios conceptus.

Ad secundam. Ad alteram confirmationem dico, quòd magis quietatur intellectus in conceptu entis infiniti, quàm in omnibus aliis simul sumptis, isto circumscripto.

Ad rationem secundam. Ad secundam dico, quòd cognitioni habitæ de Deo sub conceptu entis infiniti, vt Deus naturaliter à nobis est cognoscibilis, non potest fieri additio; ideò cognitio habita de Deo sub conceptu entis infiniti, est perfectissima. Igitur sic patet quòd siue comparetur conceptus entis infiniti ad alium conceptum per se vnum, siue ad conceptum compositum, aggregantem in se omnes potentiales alios conceptus haberi de Deo ex naturalibus, est simplicior, prior, & perfectior, &c.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm per sacram Scripturam possit efficaciter probari finalis salus Salomonis?

Cyprian. *epist.* 7. Prosper *part* 2. *de prædict. c.* 27. Glossa *in illud Isai.* 2. *Idola conterentur.* Lyra *Prouerb.* 30. *& peculiari de hac re quodlibeto, quod citat in comment. ad* 2. *Reg.* 7. vbi etiam Petrus Comestor Ioann. Maior *in c.* 1. *Matth.* Aluar. Palag. *lib.* 2. *de planctu Eccles. c.* 45. Iacobus de Valen. & Ludou. de Soto Maior *in præfat. ad Cant.* Arbor. *lib.* 17. *Theosophia c.* 7. Abulen. 2 *Reg.* 7 *q* 13. Ioan. Capistran. *lib. de auctorit. Papæ.* Vega *in Trident. lib.* 12. *c.* 2. Perer *in epist ad Rom. cap.* 8 *disp.* 27. Delrius *in præfat. ad Cant.* Barrad. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 9. Ioan. Pineda, qui diffusimè & doctissimè dubium hoc expendit *lib.* 8 *de rebus Salomonis, & pro salute eius vltimam fert sententiam.*



VIDETVR quòd non, quia *Dei perfecta sunt opera*, Deut. 32. & sacra Scriptura perfectissima est, quæ à Deo speciali modo est, scilicet per reuelationem; si igitur saluatus fuisset, Scriptura expressè loqueretur de eius pœnitentia, sicut expressè loquuntur de eius peccato; hoc non facit; ergo falsum est quòd sit saluatus. 1. *Argum. negatiuum.*

Affirmatiuum. Contrà 88. Psalmo; *visitabo in virga iniquitates eorum*, &c. sequitur, *misericordiam autem meam non auferam ab eo*, &c. & loquitur de filiis Dauid in generali, specialiter autem de Salomone; ergo, &c.

2. Respondeo, hoc est altius aliquantulum inchoandum; & quæro primò, quæ sit Scriptura sacra, cuius auctoritas sit probatio necessaria? Secundò, qualiter per eam aliquid probatur? Tertiò, quibus? Quartò, de certitudine huius probationis; & quintò, si talis probatio se extendat ad salutem Salomonis.

SCHOLIVM I.

Diuisa quæstione in quinque partes, in prima tractat quæ sit sacra Scriptura? quanta sit eius authoritas?

vnde dicatur Canonica? dubitat an omnes veteris Teſtamenti libri habendi ſint pro Canonicis? & demum inſaniam refellit Manichæorum, qui totum Teſtamentum vetus tanquam à Deo malo, vel à diabolo traditum effinxerunt. Hæc fermè omnia Doctor breuiter perſtrinxit in quæſtione ſecunda prologi ſcripti Oxonienſis. Quòd dubitauerit de auctoritate librorum Iudith, Thobiæ, Sapientiæ, &c. *nihil mirum, cùm Hieronymus conſtitutus tanquam diſcretor & iudex librorum ſacrorum à Gelaſio Papa in cap.* Sancta Romana, *in prologo Galeato, & in præfatione ad libros Salomonis, eos inter apocrypha connumeret, & ante eum & ſequentibus ſæculis fuerint viri doctiſſimi, qui de auctoritate illorum dubitarent, etſi tanquam vtiles ad inſtructionem morum in Eccleſia legi permitterentur. Attamen nunc inter Canonicos enumerantur, & tales eſſe declarauit Conc. Trid. ſeſſ. 4. neque immeritò, cùm multa Concilia ex eis fidei dogmata comprobarint, & in omnibus ſæculis ex Patribus & Doctoribus multi eos pro canonicis acceptauerint, & citauerint, quorum teſtimonia citant Medina lib. 6. de fide c. 9. Sixtus Senenſ. lib. 8. Bibliothec. Bellarm. lib. 1. de verbo Deo ſcripto cap. 10. De hac controuerſia latiùs agunt Canus lib. 11. de locis, Lorca de virtutibus Theolog. tractat. peculiari de locis Cathol. diſp. 3. mem. 3,*

3. *Quanta ſit ſacra Scripturæ auctoritas;* Auguſt.

CIrca primum ſic dico, quòd Scriptura ſacra propriè dicitur illa, cuius auctoritas tanta eſt, quòd præcellit omnem demonſtrationem; de qua dicit Auguſtinus 2. ſuper Geneſim ad literam cap. 9. *Maior eſt huius Scripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij perſpicacitas.* Talis autem eſt Scriptura, quæ Canonica à Sanctis nominatur; *canon* enim regula dicitur, quia ipſa eſt infallibilis regula, vt quidquid in ea teneatur indiſcuſsè teneatur, & quidquid in ea teneatur, quod ſibi repugnet, vt falſum repudietur. Ab iſta autem excluditur Scriptura ſacrorum Doctorum beati Auguſtini, & aliorum multorum, & multò magis Philoſophorum. Vnde dictus Auguſtinus dicit in epiſtola 48. ad Vincentium arguentem ſibi ex dictis Hilarij, qui ante eum fuerat Doctor valde ſolemnis, dicens ſic. *Hoc genus literarum ab auctoritate Canonis diſtinguendum eſt, non enim ita leguntur tanquam ex eis ſic teſtimonia proferantur, vt contra ſentire non liceat, ſi tibi aliter ſapiunt, quàm veritas expoſtulat; in eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo recipere; & ſi quid aliud ſapit, illud quoque Deus nobis reuelabit.* Item, in epiſt. 9. ad Hieronymum. *Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, vt nullum Doctorem eorum ſcribendo errasſe firmiter credam: alios autem ita lego, vt quanta licet ſanctitate prępolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſcripſerunt.* Et ideò iſta auctoritas ad ſcriptores veteris & noui Teſtamenti reſtringitur. Sed nec tamen ad totam, quia liber Iudith, Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, non ſunt de Canone, vt dicit Hieronymus in prologo Galeato, qui licèt inter diuinos libros numerentur: vt dicit Iſidorus 16. Etymologiarum, hoc eſt, quia ab Eccleſia recepti ſunt, & approbati ad legendum in Eccleſia, ad morum informationem; non autem ad dubiorum confirmationem, vel determinationem, quia, vt dicit Hieronymus citatus, auctoritas eorum ad probandum ea, quæ in contentionem veniunt, minùs idonea reputatur.

Auguſt. Auguſt. Habetur in can. d. 9. cap. *ſi ad.* *An omnes libri Bibliorum ſint canonici.* Iſidor.

Fuerunt aliqui, vt Manichæi, qui totum vetus Teſtamentum ab hac auctoritate repellere voluerunt, dicentes quòd à Deo malo, vel diabolo fuerit datum, quia promittit bona carnalia, talia autem à diabolo dicunt eſſe. Sed falſitas huius patet, quia iſta Scriptura retrahit à cultu idololatriæ, & inducit efficaciter ad cultum vnius Dei, quod non facit diabolus. Item, Chriſtus, qui eſt auctor noui Teſtamenti, & Apoſtoli, & Euangeliſtæ, allegant Scripturam illam, tanquam ſacram, & à Deo datam. Et ampliùs probatur, quia iſta erat diſpoſitio ad nouam, & ad Chriſtum, vt dicit Apoſtolus ad Galat. 3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*, ab eodem autem agente eſt diſpoſitio ad formam, & ipſa forma licèt alio modo, quia diſpoſitionem aliquando per alium inducit, formam per ſe inducit: ſicut patet de architecto, qui diſponit ligna per manum artificis, ſed formam inducit per ſe ipſum, vt dicitur *primo magn. Moral. cap. vltimo.* Sic Deus vetus Teſtamentum dedit per Angelum, ſed nouum per ſeipſum: propter quod dicitur Hebr. 1. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, &c. qui eſt vnus Deus cum ipſo, vt ſtatim ſequitur, *qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, &c. Sic igitur ſacra Scriptura, per quam aliquid probari poteſt, vt per regulam infallibilem, eſt nouum Teſtamentum & vetus, exceptis libris prædictis, & ſic patet primum.

Error Manichæorum de veteri Teſtamento.

SCHOLIVM II.

Multiplicis huiuſmodi ſenſus ſacræ Scripturæ hoc ipſum exemplum ciuitatis Ieruſalem adducit Lyranus in prologo commentariorum ad Teſtamentum vetus; quo etiam alij plerumque vtuntur. Hanc ſenſuum diuiſionem ſub his vocibus & numero primus, quem ſciam, tradidit Eucherius in formulis ſpiritualibus, & inuenitur apud Caſſian. collat. 14. cap. 8. à quibus demum Theologi acceperunt, & aliquis his verſibus comprehendit,

Litterà geſta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia.

An verò, quod hic Doctor negat, efficax deſumi poſſit argumentum ab alio ſenſu præter literalem, multi diſputant. Vide Lyran. prologo 2. & Lorcam citatum diſp. 18. De ijs autem, qui varias ſacræ Scripturæ partes reijciunt, quod tertio loco hic author admonet, vide Sixtum Senen. lib. 7. Biblioth. de his latè differentem, & Scotum quæſt. 2. prologi num. 2. breuiter attingentem.

CIrca ſecundum, ſciendum, quòd ſacra Scriptura habet duplicem ſenſum, ſcilicet literalem, qui primus eſt; & ſpiritualem, ſeu myſticum, & iſte diuiditur in tres, Allegoricũ, Tropologicum, ſeu moralem & Anagogicum. Literalis ſignificat quaſi rem geſtam; Moralis autem, ſeu Tropologicus, eſt quando ex re geſta ſignificatur quid agendum ſit in moribus. Allegoricus autem, quantùm ad ea quæ credenda ſunt. Anagogicus, quantùm ad ſperanda, ſicut patet in hoc nomine *Ieruſalem*, quod in ſenſu literali ſignificat ciuitatem vnam in terra promiſſionis; ſecundùm moralem, animam ſanctam; ſecundùm Allegoricum, Eccleſiam militantem; ſecundùm Anagogicum, triumphantem. Tamen ſolùm poteſt argui aliquid, ſeu probari ex ſenſu literali. Vnde Auguſtinus in epiſt. ad Vincentium Donatiſtam: *Quis non impudentiſſimè innitatur aliquid in Allegoria poſitum, per ſe interpretari, niſi habeat manifeſtiſſima teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura.* Hoc etiam patet primò, quia ſi ex aliis ſenſibus ſumeretur probatio, ſequeretur quòd in argumento ſemper 4. *De vario ſenſu ſacræ Scripturæ.* Auguſt.

semper esset fallacia æquiuocationis,& amphibologiæ,& sic patet secundum.

5. *Apud quos valet auctoritas sacra Scriptura.*

Circa tertium dicitur à quibusdam, quòd illis solis per Scripturam sacram potest aliquid probari, apud quos est authentica; & ideò Iudæis non potest aliquid probari per nouum Testamentum; similiter nec omnibus Iudæis per vetus,quia sunt aliqui Iudæi, scilicet,Sadducæi, qui non recipiunt nisi quinque libros Moysi, & similiter Samaritani:& ideò Saluator volens eis probare resurrectionem, & immortalitatem animæ, quam negant, assumpsit illam auctoritatem *Marc.*12. de resurrectione mortuorum: *Non legistis quod dictum est à Domino:Ego sum Deus Abraham*,&c. sequitur, *non est Deus mortuorum, sed viuentium:* de quo tamen habuisset auctoritatem magis expressam de aliis Scripturis veteris Testamenti,sed non fuisset efficax contra eos.

Similiter sunt aliqui hæretici, qui non recipiunt totum nouum Testamentum,sicut Nazaræi epistolas Pauli; quia in illis obseruatio legalium damnatur, quam dicunt esse necessariam ad salutem. Similiter Alogi Euangelium Ioannis, quia negant Dei filium esse Verbum, & ideò dicuntur *Alogi*,ab *A* quod est *sine*, & *logos, verbum*; vt dicit Augustinus in lib. de hæresibus: & sic patet tertium.

SCHOLIVM III.

Diffusè & clarè tractat hic Doctor omnia fermè, quæ circa donum prophetiæ solent ab aliis tractari. Ait distinctum esse lumen, habitum, & scientiam prophetiæ & fidei; deinde assensum fidei esse liberum, non tamen adeò liberam esse frequenter ad hæsionem, seu assensum in Prophetis. Tertiò, Prophetas certò scire se verum loqui, quia experimentaliter cognoscunt Deum sibi loquentem. Quartò, varia contra hæc adducit & dissoluit argumenta, vbi multa habet notatu digna. Demum, infert scientiam Prophetalem esse subalternam scientiæ Dei & Beatorum. De his autem latè agit, & doctissimè disputat Doctor in scripto Oxon. 3. d.24. & in Parisien. quæst. 2. prologi. Vide D. Thom. & eius expositores 2.2. q.172.

6. *Duplex certitudo.*

Circa quartum, sciendum quòd duplex est certitudo. Vna adhæsionis, & talis est in iis, quæ tenemus per fidem, & in iis, quæ ex fide sequuntur de necessitate. Sicut enim fide tenemus quòd Deus est homo, ita quòd habet veram animam rationalem, quia hoc sequitur ad illud, sic quòd destructo secundo,destruitur primum,& talis certitudo conceditur in iis, quæ manifestè per sacram Scripturam probantur,quia fide tenemus ipsam à Deo traditam. Aliam certitudinem experimentalem ponunt alij circa res fidei & sacram Scripturam,quia supposita fide,studentibus in sacra Scriptura deuotè, & viuentibus piè, infunditur lumen superius lumine fidei, in quo fiunt intellecta, quæ solùm priùs erant credita. Sed hoc videtur fictitium,quia nullus quomodocunque se exerceat in studio sacræ Scripturæ & sancta vita, experitur se habere talem intellectum,quem tamen oporteret experiri, dato etiam quòd lumen, in quo fit intelligentia, non posset cognoscere. Auctoritates autem Augustinus,quibus innituntur hi authores, non habet magnam efficaciam, quia habent alium intellectum. Et ideò alij dicunt quòd fortè talis notitia non est habita ab aliquo, sed sufficit eis quòd ostendant possibilitatem habitus. Alij autem dicunt quòd est illa certitudo maior prima per hoc, quòd Deus potest creare aliquam scientiam abstractiuam in viatore, qua cognoscatur diuinitas ita perfectè, sicut cognosco modò rosam;& in veritate talis conceptus cognosci possunt omnia, quæ includuntur in isto conceptu virtualiter;cuiusmodi sunt illa, quæ Deo insunt de necessitate, sicut est Trinitas personarum & huiusmodi, non tamen dicunt quòd talis cognitio sit alicui data.

Istas duas opiniones omitto; tum,quia secundùm aliquos isti modi dicendi sunt impossibiles; dato etiam quòd essent possibiles, dicere tamen quòd Theologia sit scientia per aliquid, quod Deus potest facere, videtur inconueniens; sicut dicere quòd de quadratura circuli est scientia, quia potest sciri, imò plus quàm hoc, sequitur, scibilis Trinitas personarum via naturali:illi autem modi non habentur nisi via supernaturali.

Loquendo igitur de factis,non de fieri possibilibus,sciendum quòd præter istos modos possibiles, sunt duo modi cognoscendi sacram Scripturam,& intelligendi eam.Vnus est communis,qui acquiritur per exercitum studij, quo intelliguntur dicta Prophetarum:quo modo sint exponenda, & contrarietates soluendæ. Alius est specialis,qui fuit in Prophetis, qui hanc scientiam scripserunt, quia spiritu Prophetico scripta est & diuina reuelatione; & cognitio ista certa est certitudine euidente, quidquid sit de alia,quæ per studium acquiritur,supposita fide. 7. *Duplex modus cognoscendi sacram Scripturam.*

Ad euidentiam huius primò videndum est quæ sit cognitio Prophetica propriè dicta? Ad cuius intellectum sciendum, quòd instinctus est quoddam imperfectum respectu prophetiæ, de quo Augustinus 12.super Genesim ad litteram cap.22. quod ipsum patiuntur aliquando humanæ mentes & nescientes, non quia ignorent talem motum in se,sed quia nesciunt à quo principio, sicut de bono fortuito loquitur Philosophus 11. *Metaph. cap.* 9. & ideò vocatur à Sanctis casus prophetiæ,quasi aliquid imperfectum; & ideò ex tali instinctu non dicitur aliquis Propheta propriè. Talis autem casus contingit in locutione, & opere, & cognitione prophetica; verbi gratiâ in locutione,Isaias enim *cap.*7.prædicens;*Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, intellexit quid hoc significabat;sed non Caiphas,dicens: *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur*, Ioann.11. Similiter Ieremias, qui posuit lumbare in Euphrate, & inuenit illud putrefactum, *Ierem.*2. intellexit quid hoc significabat: sed milites diuidentes vestimenta Christi *Ioan.*19. nesciebant:atque ita est casus prophetiæ in verbo & facto,quia Danielis 10. dicitur,*Intelligentia opus est in visione.* Similiter est talis casus, vel instinctus in cognitione, & hoc dicitur vno modo,si aliquis videat visionem imaginariam, & non intelligat, sicut Pharao spicas, & Balthasar manum scribentem,vnus dormiens,alter vigilans. Alio modo, si intelligat illud, quod sibi reuelatum est, tamen nescit si est facta reuelatio à Deo; & in tali casu dicit Ioannes prima Canonica sua *c.* 4. *Probate spiritus*,&c. quando circumstantia est sufficiens motiuum ad dubitandum; & iis duobus modis non est aliquis Propheta perfectè, nec talis cognitio dicitur propriè prophetica,sed aliqua participatio eius.

Quæ sit cognitio Prophetica. August.

Aristot.

Aliquando autem sic fit reuelatio, quòd homo non solùm intelligit illud, quod sibi reuelatur; sed 8. *Vera cognitio Prophetica.*

ſed etiam certus eſt quòd hoc ſibi à Deo reuelatur. Talis autem varietas contingit propter varium tactum Spiritus ſancti, qui tangit animam, ſicut placet. Iſto autem vltimo modo eſt cognitio prophetica propriè, & perfectè: & hunc modum cognoſcendi habuerunt illi, qui hanc ſacram Scripturam nobis tradiderunt: ſaltem quantùm ad ea, quæ ibi ex intentione principali ſcribuntur. Et hoc patet Ierem. 26. *In veritate me miſit Dominus Deus ad vos, vt loquerer verba hæc in aures veſtras.* Non autem poſſet hoc eſſe verum, niſi eſſet certus quòd Dominus ſibi reuelaſſet. Et eodem modo patuit hoc per factum Abrahæ, Gen. 22. *Tolle filium vnigenitum*, &c. ſtatim ſurrexit de loco, vt iret ad immolandum filium, quem tantum diligebat; quod eſſet malum, niſi eſſet certus quòd Dominus mandaret hoc.

9. *An prophetia ſit libera.* Sed dices, hoc erat tantùm certitudine fidei. Contrà, quia talis certitudo adhærentiæ, ſiue adhæſionis, ſubiacet voluntati in Prophetis; nullus enim credit nolens; ſed talis aſſenſus & certitudo non ſubiacet voluntati in Prophetis: quod patet *Num.* 28. de Balaam, cui diſplicebat quod videbat proſperitatem filiorum Iſraël, & tamen non poterat aliter ſentire. Imò etiam ipſa demonſtratio prophetiæ, vel locutio, non ſubiacet eorum voluntati, ſicut patet ibidem: *Non potero aliud loqui, niſi, quod Deus dederit*, &c. Et hoc aliquando dicunt Sancti, & Doctores antiqui, quòd reuelatio prophetica taliter fiebat Prophetis, quòd non poterant dubitare; & propter talem certitudinem Prophetæ de futuro loquebantur per modum præteriti, ſecundùm ſanctos Patres & Doctores Hebræorum. Dicunt etiam Doctores, quòd cognitio fidei perficit intellectum in ordine ad vocem; vt ſcilicet per medium vocis aſſentiat iis, quæ ſibi proponuntur credenda; prophetia verò perficit ipſum abſtractè, ſine ordine ad vocem. Patet tamen talis certitudo ex hoc, quòd mens Prophetæ experimentaliter cognoſcit Deum ſibi loquentem: tangit enim mentem hominis ſecundùm quòd ſibi placet; & cùm ſit cauſa virtuoſiſſima, ſic poteſt tangere, quòd non ſolùm intelligit illud, quod ſibi reuelatum eſt; ſed principium à quo tangitur mens per experientiam virtutis motiuæ in tali motu. Et Auguſtinus 6. *Confeſſionum* dicit quòd mens ſua quodam ſapore diſcernebat; & talis cognitio fuit in iis, qui ſacram Scripturam ſcripſerunt, ſaltem quantùm ad illa, quæ ſcribuntur ex intentione principali; cuiuſmodi ſunt neceſſaria ad ſalutem, & hoc ſiue ſint credibilia, ſiue ſint àgibilia. His ſuppoſitis ex dictis Sanctorum, & ſacræ Scripturæ, reſpondeo ſic: illa notitia eſt ſcientifica, & probatio certa certitudine euidentiæ, quæ procedit ab altero noto per experientiam. Iſta patet ex *primo Metaph.* vbi dicitur quòd ex multis experimentis fit vna acceptio vniuerſalis, quæ eſt principium artis, & ſcientiæ: vt ex hoc quòd talis herba ſanauit Socratem & Platonem, & plures alios, accipitur hoc, quòd talis herba eſt ſanatiua talis infirmitatis; & ſi per vnum factum poſſet haberi certitudo, & veritas huius propoſitionis, idem eſſet; ſed cognitio prophetica eſt huiuſmodi, quia experientiam habet modo prædicto, quòd Deus locutus eſt ſic; & certus eſt Deum non dicere falſum, quia nec ſcienter, nec ignoranter; & ſic concluditur quòd tale dictum eſt verum, per medium deductum ab experientia: & per conſequens quidquid ex hoc concluditur eſt certum experimentali, vel euidenti certitudine in eo, qui habet talem experientiam, cuiuſmodi ſunt Prophetæ: ſecus autem eſt in aliis, qui non habent talem experientiam. Sed ideò ſciunt, quia credunt locutum fuiſſe Deum Prophetis, nec habent de hoc experientiam, ideò quòd dictum eis credunt eſſe verum.

Propheta certò ſciunt ſe verum loqui. Probatur primò.

Nec valet ſi dicas quòd experientia tantùm eſt in ſenſu, & cognitio prophetica eſt in intellectu; 10. *In intellectu datur experientia.* quia contrarium patet, quia ſicut experior me ſentire, ita experior me intelligere principia actus intelligendi in me ipſo. Imò experimentum, de quo loquitur Philoſophus *primo Metaph.* propriè pertinet ad intellectum, quia eſt collectio ſingularium, quod non facit æſtimationem, nec cognitionem, niſi provt ſubeſt intellectui, & ſic principaliùs pertinet ad intellectum.

Probatur ſecundò. Auguſt. Hoc idem ſic probatur auctoritate Auguſtini 15. *de Trinitate, c.* 12. & 1. *Retract. cap.* 14. Dicit enim quòd nos ſcimus Romam eſſe, & multa alia, quæ certitudinaliter ſcimus. Nec poteſt dici quòd hæc ſcientia ſit notitia fidei, quia non fidei infuſæ, quia ad ipſam non pertinet; nec acquiſitæ, quia talis fides minùs habet de certitudine, quàm oportet: nos autem firmiter valdè tenemus talia, vt ipſe dicit, & patet per experimentum. Quomodo ergo ſciuntur? Dico quòd talis certitudo experimento procedit, quia licèt non viderimus Romam, tamen multos valdè audiuimus hoc dicentes, quod pertinet ad experientiam ſenſus, audiendo ſcilicet, & tandem accipimus iſtam, quòd eſt impoſſibile tot & tales concurrere ad mendacium fingendum: ergo, &c. Hunc autem modum ſcientiæ tangit Algazel, & aliqui alij Philoſophi, qui vocant ſcire per crebram famam.

Tertiò ſic: non ſolùm dicitur ſcientia à Philo- 11. *Tertiò.* ſopho 1. *Poſterior. cap.* 13. illa, quæ conſiderat *propter quid*, ſed illa etiam quæ conſiderat *quia*; & hoc manifeſtè patet ex prædictis, & à Philoſopho 1. *Metaph. cap.* 1. ille enim, qui expertus eſt quòd hæc herba ſanauit multos, cognoſcit ſecundùm eum certitudinaliter quòd tali herba ſanata eſt talis infirmitas, ſed non ſcit *propter quid*, quia non cognoſcit virtutem, per quam ſanat; nec per conſequens habitudinem prædicati ad ſubiectum, ſic, quòd ſciat quia ratio prædicati includatur in ſubiecto; & ideò dicunt, hoc habet, v. g. aconita ſemper: ſed iſte qui cognoſcit naturam & ſpeciem herbæ, & virtutem continentem ſpeciem, ipſe cognoſceret *propter quid*: nunc autem talis cognitio *quia*, ſecundùm eum, eſt ſcientifica, licèt inferiori modo, & illud quod deducitur ex talibus principiis ſic cognitis per experientiam ſenſus, vocat ſcientiam. Cùm ergo cognitio prophetica ſit huiuſmodi, & illud quod concluditur ex ipſa, ſequitur quòd ſit vera ſcientia.

Sed contrà prædicta arguitur primò, quia co- 12. *Obiectio prima.* gnitio prophetica eſt de ſingularibus, de quibus non datur ſcientia: ergo, &c.

Secunda. Item prophetia eſt de rebus certis, & occultis, & non de futuris contingentibus, ſaltem in pluribus; vt patet per Gregorium *hom.* 1. *ſuper Ezech.* & per definitionem eius: eſt enim *prophetia inſpiratio diuina futurorum euentus immobili veritate denuntians*: ergo, &c.

Tertia. Item, contra illud, quod dicitur, quòd prophetica cognitio eſt certa; quia Ionas dubitauit de veritate ſuæ prophetiæ, & ideò fugit à facie Domini in Tharſis, ne inueniretur mendax; ſi denuntiaret aliquid euenire, & non eueniret.

Item,

Quarta. Item, ſcientia importat notitiam ex rei euidentia, quæ non eſt in prophetia.

Quinta. Item, contra illud, quod dicitur, quòd alia eſt ibi certitudo quàm fidei, vel adhæſionis, quia prophetiæ certitudo innititur veritati dicentis; ſic eſt de fide: ergo, &c.

13. *Ad primam.* Ad primum, dicendum quòd de ſingularibus non eſt facta ſcientia iſto modo quo *ſcientia* accipitur primo Metaphyſic. prout diſtinguitur contra experimentum, ſed accipiendo *ſcientiam* pro certa notitia, benè eſt ſcientia ſingularium, aliter Deus non haberet certam notitiam ſui, cùm ſit quædam ſingularitas, & quoddam neceſſe eſſe. Octauo etiam Phyſicorum, *text.* 22. dicit Philoſophus; quærere rationem de hoc, quod habetur per ſenſum, infirmitas quædam eſt intellectus neſcientis diſtinguere inter notum & ignotum, quia aliquid certius demonſtratione habetur, cùm principia demonſtrationis non ſint nota, niſi per ſenſum. Vel dicendum, quòd de ſingularibus neceſſariis benè eſt ſcientia, ſicut Philoſophus demonſtrat Deum vnum, & actum purum; & ſic eſt reuelatio de vnitate eſſentiæ & trinitate perſonarum.

Ad ſecundam. Ad ſecundum, dicendum quòd futurorum contingentium non poteſt haberi certa cognitio, prout ſunt in cauſis ſecundis, quæ mutabiles ſunt, ſed prout ſunt in ſe ipſis habetur certa cognitio: *Quomodo Prophetæ habent certam notitiam de futuris contingentibus.* ita enim certitudinaliter video Socratem currere, ſicut Solem oriri; ſic prout ſunt in cauſa prima immutabiliter aliquid volente & determinante. Et hoc modo Deus certitudinaliter cognoſcit futura contingentia, prout eius intuitus fertur ſuper rerum principalitatem ſecundùm aliquos, vel prout cognoſcit perfectè intellectum ſuum & voluntatem, quibus immutabiliter determinatur aliquid futurum in tali tempore, licèt media, per quæ producitur, ſint contingentia; quia ſicut ordinat ad immutabiliter venturum, ita & media, quia non ſolùm euentus rerum cadit ſub eius præordinatione, ſed etiam modus eueniendi. Et hoc modo Prophetæ certitudinaliter talia cognoſcunt, quia eorum notitia deriuatur ab ipſo Deo ſic cognoſcente, quia eſt quædam impreſſio diuinæ ſcientiæ in hominibus; & ideò licèt de futuris contingentibus non ſit certa notitia à rebus accepta; eſt tamen certa, vt à Deo accipitur.

14. *Ad tertiam.* Ad tertium, ſciendum eſt, quòd Deus dicitur cognoſcere futura vno modo, quia ſcit ordinem cauſarum; alio modo, quia cum hoc ſcit executionem, quia eius intuitus fertur ſuper omnia, quæ ſunt in quolibet tempore. Homo autem, ſi præſcit futura, hoc eſt tantùm primo modo, ſicut Aſtrologus futuram eclipſim, quia motus cæli eſt ad hoc ordinatus velut ad pluuias futuras. Deus autem reuelat ſecundùm quòd placet ſibi; & ideò aliquando reuelat ordinem cauſarum ad effectum, vt demerita populi exigentia talem pœnam: vt Ionæ ſubuerſionem Niniuitarum, & tunc eſt prophetia comminationis ſolùm; aliquando autem cum hoc reuelatur exitus rei, vel executio, vt Samueli reuelauit deſtitutionem Saulis 1. Reg. 15. *Scidit Dominus regnum tuum à te, & dedit illud proximo tuo meliori: te porrò triumphator in Iſraël non parcet*, &c. Igitur Propheta ſemper eſt certus de veritate illius, quod eſt ſibi reuelatum, non de aliis; & ideò ſi vtrumque ſit ſibi reuelatum, ſcilicet ordo cauſarum, & executio, tunc eſt certus de vtroque; ſi primum tantùm, de primo eſt tantùm certus; & quantùm ad hoc, eſt Propheta. Et ſic fuit de Iona, qui fuit certus quòd demerita ciuitatis exigebant eius ſubuerſionem; ſed quid de facto eueniret, neſciebat, quia ſciebat Deum eſſe miſericordem; & hoc eſt quod dicit Ionas, cap. 4. *Propter hoc praeoccupaui, vt fugerem in Tharſis, ſcio enim quia tu Deus clemens & miſericors*, &c. Et ſic timebat pronuntiare prophetiam ſuam, ne ex diuina miſericordia parceretur populo, qui meruerat ciuitatis ſubuerſionem, ſicut & factum fuit; & per conſequens homines reputaſſent eum locutum fuiſſe ex ſpiritu humano, & non diuino. *An certò iudicauerit Ionas Niniuo ſubuertendam.*

Ad quartum, dicendum quòd aliter fides innititur veritati diuinæ, & prophetia; quia fides ſic innititur, quòd credit Deum locutum fuiſſe Prophetis, qualis eſt fides illorum, qui ſimpliciter ad prædicationem credunt, & fortè de illis, qui credunt viſis miraculis aliud eſt, quia per conſequens credunt quòd verum eſt dictum Prophetæ, ſed Prophetæ certi ſunt per experientiam, quòd Deus eis locutus eſt, vt viſum eſt, & certi ſunt lumine intellectus naturali, quòd non poteſt mentiri; & multò fortiùs lumine tali, confortato lumine ſupernaturali, qualis eſt prophetia, & ideò non eſt ſimile. 15. *Ad quartam.*

Ad quintum, dicendum quòd licèt non ſit ibi euidentia *propter quid*, tamen eſt euidens ipſum *à quo*, & hoc ſufficit ad rationem ſcientiæ inferioris gradus. Iſto enim modo Perſpectiua eſt ſcientia diſtincta à Geometria; licèt habeat principia ſua probata, & declarata per experientiam, ex quibus probat ſequentia, & ſic eſt in propoſito, quia principia Theologiæ, ſecundùm aliquos, ſunt articuli, & iſti ſunt habiti per experientiam à Prophetis modo prædicto. *Ad quintam.*

Ex prædictis ſequuntur duo: primum eſt, quòd ſcientia Prophetarum eſt ſcientia ſubalterna, ſcientiæ Dei & Beatorum; hoc enim proprium eſt ſcientiæ ſubalternæ, quòd cognitio ſubalterna ſciat ipſum *quia*, & ſcientia ſubalternans ipſum *propter quid*. Sic eſt in propoſito, *propter quid* enim quòd hæc eſt vera, *Deus eſt trinus & vnus*, cognoſcunt Deus & Beati, accipientes *propter quid* largè; quia vident quòd hoc conuenit ei ex natura diuinitatis. Sed Prophetæ, quibus eſt hoc reuelatum, ſciunt tantùm *quia eſt*, quia per experientiam Dei loquentis, quem impoſſibile eſt dicere falſum. 16. *Prophetia eſt ſcientia ſubalternata.*

Secundum eſt, quòd cognitio fidei à cognitione prophetica differt, ſicut cognitio illius, qui audit ab experto; Propheta enim expertus eſt Deum ſibi loqui; alius autem credit, quia audit hæc, Propheta mediante, ſicut nos.

Aliæ etiam ſunt rationes duæ ad hæc; tum, quia cognitio prophetica & eius aſſenſus non ſubeſt voluntati Prophetæ: tum, quia ſtat cum infidelitate, ſicut patet 3. *Reg.* 13. de Propheta falſo, eſt idololatra; tum ex parte finis, quia fides datur ad ſalutem perſonæ habentis; prophetia aliquando non, ſed ad bonum aliorum; ſicut patet in Balaam. Sunt etiam aliæ rationes, quas nunc omitto.

Rationes aliorum non valent: vt cùm dicitur 1. *Corinth.* 13. omnis cognitio viæ eſt *per ſpeculum, & in ænigmate*: ergo & prophetia. Dicendum quòd hoc verum eſt reſpectu patriæ, imò etiam omnis demonſtratio hoc modo dicitur ænigmatica 17. *Varia aliorum rationes reiiciuntur.*

Item, arguitur ſic 2. Corinth. 5. *Quamdiu ſumus in hoc corpore peregrinamur*, &c. ergo tantùm per fidem

fidem illuminamur. Dicendum, quòd loquitur de communi ſtatu fidelium, qui non habent talem cognitionem.

Tertiò, cognitio prohetica ſolùm innititur veritati dicentis, ſic eſt de fide. Dicendum, quòd aliter, & aliter, vt patet ex prædictis; quia dicens in fide ſimplicium, ſicut eſt homo docens, non eſt certitudinis infallibilis, ſed aliter & infallibiliter Propheta certus eſt de Deo ſibi loquente.

Quartò, oculus creatus à Deo, & à natura generatus, eſt eiuſdem ſpeciei. Dicendum, quòd non eſt ſimile; non enim ſic ſolùm differunt cognitio fidei & prophetiæ; ſed quia vna perficit in ordine ad voluntatē, altera non: & quia vna habet experientiam infallibilem annexam, altera non; propterea fides, quæ per auditum eſt, eſt acquiſita, non infuſa. Sic igitur patet quòd cognitio ſacræ Scripturæ, vt fuit in ſcriptoribus eius, fuit ſcientifica, & probatio per ipſam eſt certa certitudine euidentiæ, & hoc ſufficit mihi pro modo. Vtrùm etiam ita ſit in nobis, qui non ſic experimur, ſed accipimus ſic dicta ab expertis, non intermitto me modò, ſed tantùm ſcio quòd in Aſtronomia ſufficit experientia facta à Ptolemæo, & aliis, & tamen noſtri Aſtronomi dicunt ſe ſcire.

SCHOLIVM IV.

Vt ad reſolutionem quæſtionis accedat, monet ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſufficienter tradi in ſacra Scriptura, vti probat in q. 2. prologi: quæ autem non ſunt huiuſmodi, dicit non oportere ibidem tradi, & ex horum numero aſſerit eſſe dubium hoc de ſalute Salomonis. In eam tandem partem inclinat, quòd fuerit condemnatus propter grauiſſima peccata, præſertim multiplicis idololatriæ, quæ in eo grauiora erant, & minùs excuſabilia, quo maiorem pro alijs obtinuit à Deo ſapientiam, & dona præſtantiora. His eiſdem argumentis in eum grauiſſimè Scotus inuehitur 4. d. 39. n. 8. & in Reportatis d. 41. vbi peſſimum hominem, & Deo ſuo ingratiſſimum appellat. Neque tamen vult præcludere omnes vias, per quas poſſit obtendi eius ſalus; imò quæſtionem reliquit indeciſam, neque ſequi eius damnationem ex eo capite monuit, quòd in Scriptura eius pœnitentia non legatur; quod tanquam efficax argumentum adhibuit pro parte contraria. Adeò ancipitem, obſcuram, infirmis dubiiſque coniecturis inhærentem quæſtionem meritò dixerit Sanctius in lib. 3. Reg. cap. 11. vt omnino ab ea diſcutienda ſibi iudicauerit abſtinendum. Pineda in principio quæſtionis citatus plus omnibus laborauit pro eius ſalute aſſerenda, neque tamen omnibus perſuadet; nam ſi ab authorum numero, & auctoritatis pondere rem expendas, æquum vtrinque ab auctoribus & à ſacra Scriptura momentum eſſe percipies.

Dum hæc ſcriberem, & Lyranum circa intelligentiam quorumdam locorum, quæ de Salomone plurimi interpretantur, conſulerem, incidi in c. 7. lib. 2. Regum, vbi multa appoſitè ad hanc diſputationem congerit, & ſe peculiarem de hac re quæſtionem Quodlibetalem ſcripſiſſe commemorat: quædam etiam ibi delibat, quæ hîc attinguntur: vnde dubitare & hæſitare cœpi, an hæc noſtra, illa eſſet. Plano ipſius teſtimonio conſtat eum de hac re ſcripſiſſe. Pro Scoto non habeo quem aſſertorem, aut teſtem appellem: vbique & per omnia eius doctrina cum iſtis cohæret. In codice Vaticano vtriuſque cum alienis permixta erant opuſcula. Cui potiùs hoc attribuendum ſit, non auſim definire: Scoto relinquo, donec potiora appareant pro Lyrano argumenta. Vtriuſvis ſit, operæpretium duxi in lucem proferre: Lectori placebit quæſtionem ab illo tempore, & ante alios, quos ſciam, authores, vtrinque & exactè diſcuſſam, nunc primum accipere. Si Scoti ſit, appoſitè illius operibus adnecto. Si Lyrani, laudabunt omnes conatum, ne pereat.

Circa ſeptimum ſciendum, quòd ſacra Scriptura eſt quædam notitia diuinitùs data, ad dirigendum homines in finem ſupernaturalem; omnes enim, qui de neceſſitate ſacræ Scripturæ locuti ſunt, hanc rationem aſſignauerunt; ergo ad illam oportet etiam ſe extendat prophetia, vel reuelatio prophetica perfectè & propriè dicta. Quæ autem ſunt neceſſaria ad ſalutem, oportet eſſe expreſsè in ſacra Scriptura; & ſi in vno loco habentur obſcurè, in alio traduntur clarè, ſiue ſint credibilia, ſiue agibilia; & ideò Sancti determinantes ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſemper pro certa regula recurrerunt ad ſacram Scripturam. De iis enim quæ excedunt facultatem naturalem intellectus, non habemus aliam regulam. Alia autem, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, non eſt neceſſarium ibi expreſsè tradi: ſed alia multa ibi expreſsè tractantur, inquantùm habent aliquam habitudinem ad prædicta. Salus autem Salomonis non eſt de talibus, ſcilicet de neceſſariis ad ſalutem noſtram, vt patet; nec eſt de annexis ad ſalutem, & ideò non fuit neceſſarium quòd eius ſalus ibi expreſsè tractaretur; licèt fuerit poſſibile. Non enim fuit neceſſe ex hoc, quòd per lineam eius Chriſtus deſcendit, quia multi fuerunt peſſimi in iſta genealogia, vt Hieronymus dicit ſuper Matth. quòd conueniens fuit quòd ibi eſſent aliqui peccatores: nec fuit neceſſe ad hoc vt Scriptura, quæ eſt in Canone authentica redderetur: quia prophetiæ Balaam inter Scripturas Canonicas ſunt; & tamen fuit idololatra, & inter idololatras mortuus; quia docuit prouocare filios Iſraël ad fornicationem, & idololatriam; vt habetur *Num. 24. & Apocalypſ. 2.* & ideò ſalus eius non eſt determinata per Scripturam, nec eius damnatio expreſsè.

18. *Quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, tradita ſunt in ſacra Scriptura.*

19.

Veriſimilius videtur fuiſſe damnatum Salomonem.

Sed quid, illorum ſalus, an condemnatio eſt Scripturæ magis conſonum? Dicendum quòd damnatio eius, quia, ſicut allegatum eſt, facit de peccato eius mentionem; & videtur iuſtiſſimè damnatus ratione peccati, quia idololatria (vt dicitur in gloſſa Pſalm. 18. *Emundabor à delicto maximo*) & peccatorum grauiſſimum; & ratione multiplicationis, quia ædificauit templa, & idola plura, ad multiplicandum cultum idololatriæ; & ratione loci, in quo talia conſtruxit; quia in monte Oliueti, qui erat iuxta Ieruſalem, ad diſtantiam mille paſſuum; ita quòd vallis Ioſaphat ſolùm eſt intermedia; ita quòd exiſtentes in Ieruſalem, & potiſſimè in templo, poterant clarè videre immolantes idolis, & populus erat pronus ad talia, & maximè exemplo Regum: & ratione perſonæ peccantis, cui enim Dominus dederat ſapientiam, & diuitias, & populum pluſquam alicui Regum ante eum, vel poſt, & à pueritia ſua; ex quibus omnibus peccatorum eius augmentatum fuit. Et de pœnitentia eius nihil loquitur Scriptura, ſed ſtatim poſt hæc flagitia determinat eius mortem; quia non videtur veriſimile quòd tacuiſſet de pœnitentia eius, ſicut non tacuit de pœnitentia Manaſſe, de qua expreſsè loquitur: & ſi tacuiſſet, ſaltem Ioſephus aliquid tetigiſſet, qui omnia eius facta narrat diligenter. Et hoc etiam videtur probabilius: quia ſi pœnituiſſet verè, feciſſet deſtrui templa, quæ ædificauerat, quia tunc erat Rex

20.

potens

potens valde; cui nullus fuisset ausus in hoc resistere; quæ tamen steterunt vsque ad tempora Iosiæ, qui ea destruxit, vt dicitur 4. *Reg.* 13. & tamen fuit per magnum tempus post Salomonem, quia fuit decimusquintus Rex ab eo.

20. *Qua de causa scripsit librum Ecclesiastes.* Et quod dicitur ab aliquibus, quòd fecit librum Ecclesiastes, de pœnitentia, non est aliquo modo probabile, quia in libro isto non procedit vt peccator pœnitens, peccata sua recognoscens humiliter, & misericordiam Deo implorans, sicut fecit Dauid pœnitens de adulterio cum vxore Vriæ, & Manasses rex Iuda in oratione; sed procedit per modum Doctoris determinantis quæstionem quandam dubiam, inducens rationes opinionibus variis & diuersis; vnde dicitur Hebraicè *Coheleth*, quod interpretatur *concionator.* Ad cuius euidentiam considerandum, quòd tempore Salomonis studium sapientiæ fuit in Ierusalem, & determinatio dubiorum erat apud ipsum; quia omnes veniebant ad audiendam sapientiam Salomonis. Dubium autem apud multos tunc erat, in quo consistebat fœlicitas; aliis ponentibus ipsam in honoribus; aliis in diuitiis; aliis in voluptatibus; & ipse plenus sapientia non solùm humana, sed etiam diuina, ostendit quòd non est in talibus, nec in vita ista mortali, sed in reuersione spiritus ad Deum per apertam visionem; *Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*, &c. Ecclesiastæ 12. Et quòd modus perueniendi est per mandatorum Dei obseruationem; vnde in fine concludit: *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* Et hæc est sententia Saluatoris Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

21. Quia autem Iudæi hæc dicunt, non est in aliquo credendum propter dictum illorum, nisi de Scriptura habeatur; sed eadem facilitate contemnendum; quia innumeras absurditates dicunt passim in suis libris, præsertim in libro Barahoc, vbi inter alia exponitur illud Ezech. 21. *Plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam,* sic allegatur ibi: *percutiam manu ad manum, & suspirabo indignationem meam*; vbi dixit Rabi Barahoc, quòd *quando Deus recordatur de destructione templi, dolens percutit manus ad inuicem, & hoc est tonitrua eius: & lacryma cadunt ad terram, & hoc est fulgur.* Similiter si dicatur ab eis Salomon pœnituisse, non est tenendum, nisi ex Scriptura ostendatur. Multò expressiùs loquuntur de salute Saulis, quem dicunt saluatum in libro Barahoc, & Iosephus finem eius laudabilem describit, & robur perfectæ fortitudinis *lib.6. antiquitatum*, cùm tamen omnes Doctores Catholici reputent eum damnatum, quod expresse dicitur primo Paralipomenon, cap. 10. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quòd præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat & non custodierit illud: sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino, propter quod & Dominus interfecit eum.* Et maximè, quia fecit se occidi, vt habetur 1. *Reg. vltimo.* Similiter si Iudæi dicant Salomonem saluatum fuisse, vel aliquid aliud, non est standum, nisi appareat ex Scriptura.

22. *Respondetur ad arg. contraria.* Ad auctoritates Scripturæ, quæ videntur facere pro eius salute, Psalm. 88. *Misericordiam autem meam*, &c. manifestè patet quòd loquitur de Dauid, quia propter eius meritum, regnum permansit filiis eius, quamuis essent pessimi, vt patet ex discursu libri Regum & Paralipomenon. Similiter quod dicitur Ecclesiastici 47. *Finem habuit Salomon cum patribus suis*; licèt iste liber non sit efficax * ad probandum dubia; tamen dicendum quòd habuit finem cùm eis, quia sepultus est in ciuitate Dauid, in sepulcro regum, vt habetur 2. *Reg.* 11. Quare autem scribitur de eo 1. Paralipomenon 17. *Cùm compleueris dies tuos, vt vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum eius, ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, & misericordiam meam non auferam ab eo.* Et idem habetur 2. *Regum* 7. nisi quod additur, *qui si iniquè egerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam non auferam ab eo.* Siendum quòd aliqui, vt Petrus Alphonsi *, exponunt eam de Christo, non de Salomone, nisi in figura; & hoc probatur ex eo quod dicitur ibi: *Cùm compleueris dies tuos, suscitabo semen tuum post te:* Salomon autem regnauit viuente patre, vt patet 3. *Regum, cap.* 1. Similiter cùm dicitur, *firmabo solium eius in æternum:* quia tempore filij sui tribus recesserunt ab eo: & in captiuitatem Babylonis ductum est residuum, saltem ad tempus. Et ideò hæc exponunt de Christo. Quod autem additur, *& si iniqui aliquid gesserit*, non dicitur de Christo absolutè, sed sub conditione. Dicuntur etiam iniquitates membrorum suorum, suæ, & eas gessit pro pœna, quam pro ipsis sustinuit.

Vide Scholium primum.

De hoc authore ex Iudæo ad fidem conuerso circa an. 1091. vide, si placet, Eysengren. & Possevinum.

Si tamen exponatur de Salomone, non arguit finalem eius salutem sufficienter: quia hoc esset maximè ex eo, quod subditur, *quòd si iniqui aliquid gesserit, misericordiam meam*, &c. quia determinatur modus, cùm subditur, *sicut à Saul, quem amoui à facie mea:* & idem loquitur 1. *Regum* 17. Ex quo patet quòd hæc materia intelligitur in hoc, quòd non abstulit totaliter regnum propter peccata Salomonis, sicut propter peccata Saul; quæ tamen fuerunt minora.

Similiter ex aduerso non sequitur quòd Salomon sit damnatus, ex hoc quòd non sequitur ex Scriptura eius pœnitentia; quia multa sunt facta, quæ non sunt scripta, etiam de factis Saluatoris, vt dicitur *Ioan. vltimo*, quæ tamen digniùs deberent scribi. Et quòd dicitur quòd sacra Scriptura perfectissima est; dico quòd verum est quòd nihil omissum est de iis, quæ debent ibi scribi, quæ sunt illa, quæ sunt necessaria ad salutem humanam; vt dicit Augustinus 14. de Trinitate, cap. 1. *Huic tamen scientia tribuitur, quo fides saluberrima, qua ad veram vitam ducit, gignitur, defenditur, & roboratur,* &c. 23.

August.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm scientia naturalis sit scientia vna?

Auicen. *lib. 1. sufficientia.* Auerroës, Simplicius, Iandunus *in initio libri Physicorum.* Albert. *ibidem tract. 1. cap. 2.* D.Thom. *ibidem lect. 7. & 8. 1. 2. quæst. 54.* Henric. *Quodlibet. 9. q. 4.* Ferrarien. *q. 2.* Soncinas 4. *Metaph. q. 10.* Caietan. *in opusculo de subiecto Philosophia naturalis.* Conymbric. *q. 4. in proœmio. Physic.* Auersa *tom. 1. Philos. q. 1. sect. 2.* Complutens. *disp. 1. proœm. q. 4.* Fuentes *ibidem difficult. 2.* Faber *Theorem 20. Vide* Scotum *q. 1. Phys. & 6. Metaphys. q. 1. & ibi* Anton. Andr. *q. 3.*

1. *Argum. primum negatiuum.* VIDETVR quòd non. Illa scientia non est vna, cuius principium, & per se subiectũ, non est ens per se vnum; ergo naturalis scientia nõ est scientia per se vna. Maior declaratur auctori

auctoritate & ratione. Auctoritas eſt Ariſtotelis *primo Poſteriorum,text.* 24. vbi dicit quòd ſcientia vna eſt vnius generis ſubiecti. Ratione probatur eadem maior ſic: ſicut ſe habet potentia ad obiectum, ſic ſcientia ad ſubiectum: ſed vnius potentiæ eſt vnum per ſe obiectum; ergo vnius ſcientiæ eſt vnum per ſe ſubiectum. Minor probatur ſic: corpus mobile non eſt ens per ſe vnum; corpus mobile eſt ſubiectum naturalis ſcientiæ; igitur ſubiectum naturalis ſcientiæ non eſt ens per ſe vnum. Maior iſtius proſyllogiſmi probatur. Nullum ens includens res diuerſorum generum eſt ens per ſe vnum: ſed corpus mobile dicit res diuerſorum generum, quas includit, ſicut Subſtantiæ & Qualitatis; ergo corpus mobile non eſt ens per ſe vnum. Minor iſtius proſyllogiſmi. Probatur primò auctoritate Auicennæ in principio ſui libri Phyſic. vbi aſſignat ſubiectum iſtius ſcientiæ corpus ſenſibile, ſiue mobile, vt ſubiacet mutationi.

Ariſtot. *Ariſtot.*

Secundum. Secundò probatur hoc idem ratione ſic; Illud & ſub illa ratione eſt ſubiectum in naturali ſcientia, per quod diſtinguitur à Mathematica & Metaphyſica, quia iſtæ tres ſcientiæ diſtinguuntur penes ſua ſubiecta; ſicut innuitur ſexto Metaphyſicæ, *text.* 2. ſed per corpus mobile inquantùm mobile, diſtinguitur iſta ſcientia ab aliis duabus: nam quia iſta ſcientia conſiderat de corpore mobili, diſtinguitur à Metaphyſica, quæ magis eſt de ſubſtantiis abſtractis, quàm de mobilibus corporibus: per hoc verò quod additur *inquantùm mobile*, diſtinguitur à Mathematica, quæ licèt ſit de mobilibus ſecundùm *eſſe*, tamen eius conſideratio abſtrahit à motu; igitur corpus mobile eſt ſubiectum in naturali ſcientia. *Ariſtot.*

2. *Tertium.* Item, illud videtur eſſe ſubiectum in naturali ſcientia, quod ſupponitur in ſcientia, & cuius quæritur in ſcientia cognitio; ſed corpus mobile eſſe ſupponitur à naturali ſcientia; alioquin niſi ſupponeretur motus, poſſet diſputare contra negantem motum, quod eſt falſum; & ideò Philoſophus primo Phyſic. *text.* 11. vt naturaliter loquens, dicit, *Nobis autem ſupponantur ea quæ natura ſunt aut omnia, aut quædam virtute moueri*: ſequitur ergo quòd corpus mobile ſit ſubiectum in naturali ſcientia, ſecundùm quòd mobile: ſed tunc redeundum eſt ad principalem concluſionem, ſcilicet quòd corpus mobile non eſt per ſe vnum; igitur ſcientia naturalis non eſt per ſe vna.

Ratio in oppoſitum. Oppoſitum arguitur ſic; Illa ſcientia eſt vna, quæ ſub vna formali ratione conſiderat omnia, quæ pertinent ad ſcientiam illam. Iſta propoſitio habetur ex primo Poſteriorum *text.*42. ſed ſcientia naturalis ſub vna formali ratione conſiderat omnia, quæ ſunt ſuæ conſiderationis, ſicut Metaphyſicus & Mathematicus: ergo generaliter ſcientia iſta eſt ſcientia vna. *Ariſtot.*

3. Circa iſtam quæſtionem ſic procedam; quia enim iſta quæſtio quærit de vnitate ſcientiæ, impoſſibile eſt veritatem huius quæſtionis ſcire, niſi ſciatur vnde ſumitur vnitas, & diſtinctio ſcientiarum. Primò igitur inueſtigabitur vnde ſumitur vnitas & diſtinctio ſcientiarum? & penes quid attendatur maior vnitas in ſcientia, & minor vnitas? & quid ſufficiat ad vnitatem ſcientiæ? Secundò, declarabitur quomodo ſcientia naturalis eſt vna, & quomodo non; & qua vnitate eſt vna, & qua non. Tertiò, reſpondebo ad rationem adductam ad principale, & ibi inueſtigabo primum ſubiectum naturalis Philoſophiæ, excludendo minùs probabiles opiniones Ægidij, Thomæ, & aliorum. *Tripartita hæc quæſtio.*

SCHOLIVM I.

Præcipuam huius quæſtionis partem habet Doctor lib.6. Metaph. q.1. vbi etiam hanc Henrici Quodl.9. q.4. de multiplicandis ſpecie ſcientijs ſecundùm pluralitatem concluſionum demonſtrabilium, his ipſis probat, & improbat argumentis. Sed in Theologia viſus eſt mutaſſe ſententiam, præſertim q. 3. prologi q.2. laterali num.5. & 1.d.3 q.7. num.41. §. Ad ſecundum *& 3. d.36. q.vn. n.21. vbi circa hoc ſe citat in loco illo l.6. Metaph. Quare & commentarios in Metaphyſicam, & quæſtionem hanc ante opus Oxonien. ſcripſiſſe manifeſtum eſt.*

QVantùm ad primum articulum ſic procedam. Primò, recitabo duas opiniones cum motiuis ſuis. Secundò, arguam contra vtramque. Tertiò, dicam quantùm ad iſtum articulum, illud quod videtur mihi probabilius. Quantùm ad primum, dicunt aliqui quòd vnitas & diſtinctio ſcientiarum ſumitur ex vnitate & pluralitate concluſionum demonſtrationis; ſic quòd reſpectu plurium concluſionum demonſtrabilium ſunt diſtinctæ ſcientiæ, & quot ſunt tales concluſiones tot ſunt ſcientiæ. Iſta opinio confirmatur primò ſic: Scientia, vt haberi poteſt ex primo Poſteriorum, *text. comm.* 5. eſt habitus cognitiuus concluſionis; igitur alterius concluſionis ſcientiæ eſt alius habitus ſcientificus ſpecie. Conſequentia probatur ſic: Scientiæ diuiduntur per ſcibilia, ſicut habitus per obiecta: ſed diuerſæ concluſiones ſpecie diſtinctæ ſunt ſcibiles ſpecie: ergo reſpectu earum diuerſæ ſcientiæ ſpecie. 4. *Primus articulus.* *Vnde ſumatur vnitas ſcientiæ. Prima opinio quod ex vnitate concluſionis.* *Ariſtot. Probatur primò.*

Secundò. Item, habitus generantur ex actibus; igitur actus differentes ſpecie, cauſabunt habitus differentes, ſcilicet, ſpecie; ſed ratio diuerſarum concluſionum ſpecie, ſunt actus differentes ſpecie: primò, quia plus differunt actus conſiderandi diuerſas concluſiones ſpecie, quàm actus conſiderandi eandem concluſionem; & iſti differunt numero: igitur quibus conſiderantur diuerſæ concluſiones differunt plus quàm numero; ſed illa quæ differunt plus quàm numero, differunt ſpecie: ergo actus conſiderandi diſtinctas concluſiones ſpecie, differunt ſpecie; & per conſequens habitus generati ex actibus erunt differentes ſpecie.

5. *Tertiò. Ariſtot.* Item, demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, *primo Poſteriorum, text.* 5. igitur diſtinctæ demonſtrationes ſpecie, cauſabunt diſtinctas ſcientias ſpecie; ſed diuerſarum concluſionum ſpecie ſunt diuerſæ demonſtrationes ſpecie. Probatur, quia plus differunt demonſtrationes circa diuerſas concluſiones ſpecie, quàm demonſtratio vna circa eandem concluſionem pluries iterata; demonſtrationes autem iteratæ circa eandem concluſionem differunt numero; & per conſequens & demonſtrationes circa diuerſas concluſiones differunt ſpecie, quia differre plus, quàm numero eſt differre ſpecie.

Secundùm iſtam opinionem patet quid eſſet dicendum ad quæſtionem; quia cùm in naturali Philoſophia includantur multæ concluſiones, naturalis Philoſophia non eſt ſcientia vna, ſed plures, & tot, quot concluſiones continet. Ponit & iſta opinio cuilibet complexo correſpondere diſtinctum habitum, & quia aliud complexum eſt principium, & aliud complexum concluſio, dicit quòd habitus concluſionis & principij eſt alius, & alius.

Contra

6. *Refutatur primò.* Contra istam opinionem arguo sic, primò: Si cuilibet conclusioni correspondet vna scientia, nullus habitus includens plures conclusiones specie distinctas, erit habitus vnus, nisi vnitate aggregationis: & per consequens cùm Geometria includat conclusiones multas, Geometria non erit habitus vnus, cuius contrarium innuit Philosophus *primo Posteriorum*. *Aristot.*

Secundò. Item, secundùm istam opinionem videtur quòd tanta sit vnitas naturalis scientiæ & Geometriæ, quanta est vnitas naturalis scientiæ tantùm, quia naturalis scientia & Mathematica possunt dici vna scientia vnitate aggregationis; sed inconueniens est dicere tantam vnitatem habere scientiam naturalem, & Mathematicam, quantam habet naturalis tantùm: igitur non omnis scientia includens plures conclusiones specie distinctas, est vna tantùm vnitate aggregationis; plurium ergo conclusionum poterit esse vna scientia formalis.

SCHOLIVM II.

Sententiam Ægidij & aliquorum, quæ etiam videtur D. Thomæ 1.2.q.54. art.4. scientia vnius vnum esse simplicem habitum circa subiectum vnum sub vna ratione formali, qua considerantur omnia quæ per attributionem reducuntur ad illud subiectum, latè explicat, & positis fundamentis reducit ad quatuor assertiones, Deinde singulas peculiaribus rationibus refellit, clariori methodo, quàm in citata quæstione lib.6. Metaph. Vide de his Suar. in Metaph. disp.44. sect.11.

7. *Secunda opinio quòd vnitas sumatur ex vnitate subiecti.* Alij ergo quantùm ad istum articulum dicunt aliter quòd vnitas scientiæ secundùm speciem specialissimam attendatur penes vnitatem subiecti, de quo est talis scientia: si tamen cum vnitate subiecti concurrat vna formalis ratio considerandi omnia, quæ attribuuntur ad subiectum illud, & quæ considerantur à scientia illa; talis scientia habens subiectum vnum, ad quod plura attribuuntur, & vnam formalem rationem, per quam considerat omnia, quæ pertinent ad scientiam illam in vna anima, est vna numero ex multis actibus intelligendi generata; sicut est vna albedo intensa in vna superficie, licèt ab eodem agente, vel à diuersis vnica transmutatione, vel pluribus inducta.

Explicatur. Ad maiorem autem declarationem positionis suæ distinguunt de formis recipientibus intensionem & remissionem: quædam enim formæ inducuntur vnico actu secundùm gradum perfectionis suæ, & complexionis suæ, vt albedo, quædam inducuntur secundùm gradum perfectionis suæ pluribus actibus difformibus, & non tantùm distinctis specie, sed etiam genere; cuiusmodi forma est scientia, in cuius generatione ponunt fieri talem processum. Ex primo actu intelligendi, quo cognoscitur principium primum alterius scientiæ, habetur tota essentia habitus scientifici, sed in gradu primo & imperfectissimo; & iste habitus in isto gradu dicitur intellectus principij. Vlteriùs per alios habitus cognoscendo alia principia augetur idem habitus, & dicitur scientia; & iste habitus in suo vltimo gradu non est magis compositus, quàm in primo gradu: quia tales gradus contenti in isto habitu non differunt nisi secundùm rationem; pluritas autem distinctorum secundùm rationem non ponit in aliquo compositionem secundùm rem; & licèt, dicunt ipsi, isti actus intelligendi principia & conclusiones differant genere, & actus intelligendi diuersas conclusiones specie, differant specie (quia actus distinguitur genere, & specie, penes obiecta distincta genere, & specie; cùm ex eis generatur habitus specie & numero vnus in anima vna, ex talibus sic differentibus augetur idem actus habitus ad consimiles actus inclinans; nec ex actibus intelligendi conclusiones inducitur nouus habitus distinctus ab habitu inducto per actus intelligendi principia, sed præexistens augetur.

Et hoc ipsi probant sic: Principium perfectiùs cognoscitur, quando ex ipso conclusio deducitur, quàm antè: sed hoc, dicunt ipsi, non esset, si nouus habitus induceretur; non igitur nouus habitus inducitur, sed tantùm præexistens augetur. 8. *Probatur primò.*

Additur etiam ad hanc rationem, quòd iste habitus sic generatus ex diuersis actibus, non tantùm intenditur ex talibus actibus difformibus, & ex consideratione diuersorum principiorum & conclusionum; sed augetur ex frequenti consideratione eiusdem principij, eiusdem conclusionis; vt sic eodem habitu perfectiùs cognoscatur vnum principium, quàm aliud, & vna conclusio, quàm alia, inquantùm actus cognoscendi tale principium, vel talem conclusionem, est frequentiùs iteratus. *Secundò.*

Hæc opinio est fideliter recitata, vt distinctiùs habeatur intellectus opinionis, & clariùs appareat falsitas eius. Ista enim opinio ponit quatuor in summa colligendo, contra quæ intendo arguere. Primum est, quòd scientia quædam potest generari & induci pluribus actibus difformibus, & non tantùm distinctis specie, sed genere. Secundum est, quòd gradus istius habitus non distinguuntur inter se, nisi ratione tantùm. Tertium est, quòd habitus non tantùm intenditur ex actibus difformibus, sed ex eisdem pluries iteratis. Quartum est, quòd idem habitus specie est principiorum, & conclusionum. 9. *Refutatur in quatuor assertionibus.*

Contra primum arguo primò sic: Non magis videtur repugnare habitibus moralibus, siue virtuti morali, augeri & generari ex actibus difformibus, quàm habitui intellectuali: sed vna virtus moralis, puta, temperantia, non generatur, nec augetur ex actibus difformibus: ergo nec scientia generabitur ex talibus actibus difformibus. *In prima refellitur primò.*

Vel si dicas quòd generatur & augetur ex talibus actibus difformibus, eodem modo dicam quòd non est nisi vna virtus moralis in appetitu, quæ secundùm totam essentiam, (licèt in gradu infimo) inducitur per actum fortitudinis: eadem autem virtus, non alia, augetur per actum temperantiæ; & ita per actus aliarum virtutum moralium: non enim video rationem quare plus concedat de vno habitu, quàm de alio.

Item contra illud arguo sic, & præcipuè contra illud, quod dicebat, quòd non obstante diuersitate actuum, quibus cognoscantur principia, & conclusiones, differant genere & specie, habitus tamen generatus ex eis erit idem specie, arguo sic: Secundùm eos, actus est generatus habitus, per hoc quòd agens naturaliter suam similitudinem imprimat in passo: tunc sic; Agentium differentium genere & specie, secundùm proprias rationes agentium, sunt diuersæ similitudines reales specie: sed actus, quibus cognoscuntur principia, & conclusiones, sunt actus differentes genere & specie, qui agunt ad generationem habitus secundùm proprias rationes; ergo generant habitus differentes specie. 10. *Secundò.*

Confirmatur secunda ratio. Confirmatur ista ratio sic; Ideò actus morales difformes, verbi gratia, temperantiæ & iustitiæ, generant distinctos habitus specie, quia secundùm proprias specificas rationes habent distincta obiecta, & distincta obiecta distinctas similitudines naturales imprimunt potentiæ; cùm ergo actus circa principium, & circa conclusiones, differant genere, relinquunt in intellectu suas similitudines similiter differentes; & per consequens causabunt in intellectu diuersos habitus, & non eundem habitum.

11. *Refellitur in secunda assertione.* Contra secundum dictum arguo sic: Quando gradus eiusdem formæ sic se habent, quòd tota essentia formæ potest saluari in vno gradu alio corrupto, illi gradus non distinguuntur tantùm secundùm rationem in illa forma, sed distinguuntur realiter: sed tota essentia scientiæ potest saluari in vno gradu, alio corrupto; igitur non differunt tantùm ratione.

In tertia. Contra tertium dictum arguo sic; Idem est habitus numero, quo cognosco istam conclusionem, & illam; sed ex frequenti consideratione circa istam augetur iste habitus circa conclusionem, quia perfectiùs cognosco illam, iterando actum circa illam, & non augetur circa illam conclusionem: quia ex hoc, quòd frequenter considero vnam, non perfectiùs cognosco aliam: igitur idem habitus numero augetur, & non augetur, quod est dicere contradictionem.

Item in quarta refellitur primò. Circa quartum dictum arguo primò sic; Illa quæ distinguuntur sicut alia contenta sub eodem genere propinquo, sunt magis disparata, & minùs incompossibilia, quàm quæ distinguuntur sicut contenta sub genere remotiori. Ista declarantur, quia magis sunt disparata, & minùs incompossibilia album & nigrum, quæ sunt eiusdem generis propinqui, quàm album & dulce, quæ sunt contenta sub genere remotiori: sed secundùm Aristotelem 6. *Ethicorum, cap.* 3. distinguitur *Aristot.* intellectus à scientia, sicut alius habitus, contentus tamen cum scientia sub eodem genere propinquo & remotiori, quàm sit intellectus, vel scientia cum opinione, & primò differentia: igitur magis disparata, & minùs compossibilia sunt intellectus & scientia, quàm scientia & opinio: sed impossibile est eundem habitum esse scientiam & opinionem; igitur impossibile est intellectum & scientiam esse eundem habitum indistinctum.

12. *Secundò.* Formatur sic ratio breuiter. Distincta sub eodem genere propinquo repugnant esse idem indistinctum, intellectus & scientia secundùm Aristotelem 6. *Ethicor.* distingunutur sicut duo contenta sub eodem genere propinquo: igitur non est idem habitus indistinctus.

Tertiò. Item, impossibile est in eodem intellectu respectu eiusdem complexi, stare simul oppositos habitus, sed cum notitia principiorum in Geometria, & etiam conclusionum, stat ignorantia alicuius conclusionis Geometricæ; & non tantùm ignorantia negationis, sed etiam dispositionis generata per syllogismum falsigraphum: igitur impossibile est quòd habitus, quo cognoscimus principia & conclusiones illas scientificè in Geometria, sit habitus ille, quo nata est ista conclusio ignorata cognosci; quia de illa habetur habitus oppositus illi, qui natus est per se cognosci, alioquin ratio eiusdem complexi esset in intellectu modo habitus oppositi.

13. Item, impossibile & inconueniens videtur, quòd aliqua potentia habeat habitum aliquem *Quartò.* respectu alicuius obiecti; & tamen quòd illa potentia per illum habitum circa illud obiectum, non possit habere aliquem actum, saltem imperfectum; sed intellectus cognoscens principia in Geometria, & aliquas conclusiones, per illum habitum scientificum, quem habet respectu principiorum, & illarum conclusionum, nullum actum, quantumcunque imperfectum, circa conclusionem illam potest habere, de qua habet ignorantiam dispositionis generatam per syllogismum falsigraphum; igitur impossibile est dicere quomodo cognoscuntur principia in Geometria, & illæ conclusiones scitæ, si est idem ille habitus, quo habet cognosci talis conclusio ignorata.

Item, quantò habitus est intensior, tantò potentia mediante illo habitu potest habere perfectiorem actum circa quodlibet obiectum illius habitus; sed experimur quòd addiscendo secundum librum Geometriæ frequenter obliuiscimur conclusionum primi libri; vel saltem non ita perfectè cognoscimus eas, sicut quando actualiter occupamur circa primum librum; igitur non est idem habitus, quo cognoscuntur illæ conclusiones & istæ, nec quo cognoscuntur principia & conclusiones. *Quintò.*

Item, habitus secundùm gradum imperfectum non potest esse causa habitus secundùm gradum perfectiorem, alioquin effectus excederet suam causam: sed cognitio principij est causa cognitionis conclusionis, cùm arguat Aristoteles primò Posteriorum, text. comm. 5. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis:* sed propter principia cognoscimus conclusiones; ergo cognitio principij est causa cognitionis conclusionis, & efficiens, quia maior Aristotelis non habet veritatem, nisi in causis efficientibus; igitur iste habitus, qui respicit principia, non est infimus gradus in habitu recto ordine generato; esset autem infimus gradus si idem esset habitus principiorum & conclusionum: igitur habitus principiorum & conclusionum non est idem, sed distinctus. Sic igitur patet improbabilitas illius opinionis. 14. *Sextò.*

SCHOLIVM III.

Triplicem hanc vnitatem habitus alicuius complexi, & triplicem vnitatem, siue distinctionem scientiarum, atque vnde sumenda sit maior, vel minor vnitas scientiæ, tractat aliquantò breuiùs, & paucis mutatis, hoc fermè modo in suprà citata quæstione l.6. Metaph. & q. sequenti num.4. & 5. vbi videndus Scholiastes in vtraque quæstione; nec non ampla illa additio ad primam quæstionem. Deinde infert vnitatem scientiæ naturalis non esse specialissimæ, neque generis intermedij, sed immediati generi generalissimo.

QVantùm igitur ad istum articulum, vnde 15. scilicet sumatur vnitas & distinctio scientiarum, duo declarabo. Primò, quomodo potest intelligi respectu alterius complexi esse habitum vnum? Secundò, ex hoc apparebit quomodo diuersimodè sumitur vnitas & distinctio scientiarum? & quomodo respectu plurium cõclusionum potest esse idem habitus, & quomodo non? Quantùm ad primum est sciendum, quòd respectu alicuius complexi esse vnum habitum, potest intelligi tripliciter. Vno modo, vt talis complexi intelligatur esse vnus habitus specie specialissima. *Quomodo possit esse vnus habitus alicuius complexi.*

Secundo

Secundo modo potest intelligi quòd alicuius complexi sit vnus habitus vnitate generis subalterni intermedij. Tertio modo vnitate generis immediati generi generalissimo. Declaratio istorum: habitum vnum respectu alicuius complexi vnitate speciei specialissimæ, dico illum, quo intellectus inclinatur ad speculandum formaliter tale complexum, sicut frequenti consideratione huius conclusionis, quæ est *habere tres angulos*, &c. derelinquitur in intellectu meo quædam naturalis consimilitudo, quia intellectus meus inclinatur ad speculandum formaliter istam conclusionem. Secundo modo ratio eiusdem complexi potest esse vnus habitus secundo modo, scilicet, vnitate generis intermedij, quando intellectus aliquo habitu non inclinatur ad speculandum formaliter illud complexum, sed inclinatur ad speculandum formaliter aliquid extra hoc, quod tamen virtualiter contineatur in alio, vt v. g. illud complexum, quod est *habere tres angulos*, &c. & si iste habitus debet esse vnus vnitate generis intermedij, oportet quòd notitia illius, in quam formaliter inclinatur, virtualiter contineatur in aliquo: alioquin si eius notitia non virtualiter contineretur in aliquo, talis habitus erit vnus vnitate generis immediatè proximi generi generalissimo. Tertio igitur modo potest intelligi habitus esse vnus vnitate generis immediati generi generalissimo, quando est talis habitus, quo inclinatur intellectus ad speculandum aliquid formaliter; cuius notitia non continetur in aliquo formaliter; iste autem habitus inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinat naturaliter ad speculandum aliud, sicut illud complexum *habere tres angulos*, &c.

16. His declaratis, apparet manifestè vnde sumitur vnitas, & distinctio scientiarum, quia vnitas specialissima sumitur ex vnitate complexi, in cuius notitiam formaliter inclinatur intellectus per istum habitum. Vnitas generis subalterni sumitur ex hoc, quòd illud, in quod inclinatur intellectus per istum habitum, continet virtualiter notitiam alicuius alterius, de quo natus est haberi vnus habitus specie: ita tamen quòd notitia eius, in quam inclinat iste habitus virtualiter, contineatur in alio superiori. Vnitas generis immediati generi generalissimo sumitur ex hoc, quòd notitia, in quam formaliter inclinatur iste habitus, non continetur in aliquo superiori, in ipso tamen virtualiter continentur principia aliqua, de quibus nati sunt haberi distincti habitus specie.

Ex his apparet manifestè quomodo respectu diuersorum complexorum potest esse vna scientia, & quomodo non; quia secundo & tertio modo plurium complexorũ potest esse vnus habitus; primò autem videtur ratio complexi esse proprius habitus, sicut sufficienter concludunt rationes factæ secundùm secundã opinionem, quæ erat eadẽ.

17. *Secunda pars primi articuli. Penes quid attenditur maior, vel minor vnitas in scientia.* Quantùm ad secundum articulum inclusum in primo principali, penes quid scilicet attendatur maior, vel minor vnitas in scientia? Dico quòd maior, vel minor vnitas in genere scientiæ non attenditur penes hoc, quòd subiectum vnius est magis commune per prædicationem, & minùs vnum, quàm subiectum alterius. Huius ratio est, quia quantumcunque aliquid sit communius altero, æquè tamen illud communius natum est cognosci vno actu intellectus sicut minùs commune; æquè enim magis commune est cognoscibile, sicut minùs commune. Tunc deducitur ratio sic: Ille habitus non est minùs vnus, quàm alius, cuius obiectum æquè natum est attingi per vnum actum, sicut obiectum alterius. Illud probatur, cùm enim habitus generetur ex multis actibus, æquè minùs communis ac magis communis actus generabit vnum habitum; sed, vt declaratum est, obiectum commune æquè natum est atttingi per vnum actum sicut obiectum minùs commune: igitur ex hoc quòd obiectum vnius erit communius, quàm obiectum alterius, non erit scientia minùs vna, quàm alia.

Ex isto per modum cuiusdam corollarij potest inferri, quòd quamuis subiectum Metaphysicæ sit magis commune, quàm subiectum naturalis Philosophiæ, non propter hoc Metaphysica est minùs vna scientia in genere scientiæ, quàm naturalis Philosophia.

Viso igitur quòd maior vnitas, vel minor in genere scientiæ, non attenditur penes maiorem, vel minorem communitatem obiecti per prædicationem, dico quòd maior vnitas, vel minor in scientia attenditur penes hoc, quòd subiectum scientiæ, in cuius notitia formaliter inclinat scientia, virtualiter inclinat in plura, vel pauciora, de quibus nati sunt esse distincti habitus genere subalterno, vel specie. Quandocunque igitur aliquæ scientiæ sic se habent, quòd vna inclinat intellectum ad speculandum formaliter aliquid, & virtualiter inclinat ad speculandum plura, de quibus possunt esse distincti habitus, quàm alia, illa scientia est minùs vna. 18.

Hoc declarato, videndum est de tertio incluso in articulo primo principali, quid videlicet sufficit ad hoc quòd respectu plurium possit esse vna scientia? Ad cuius euidentiam est sciendum, quòd habitum aliquem inclinando intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinare ad speculandum aliud, potest intelligi dupliciter, vel potentiale, & in confuso, quomodo habitus de aliquo communi per prædicationem priorum illius communis inclinat ad speculandum proprias passiones inferiorum. Alio modo potest habitus inclinans intellectum ad speculandum formaliter aliquid, inclinare intellectum ad speculandum aliud virtualiter, ita quòd eius notitia virtualiter contineatur in eo, ad quod formaliter speculandum inclinatur intellectus. Primus modus non sufficit ad vnitatem habitus in genere scientiæ. Hoc probó sic; si vnus habitus erit respectu eius, in quod formaliter inclinatur intellectus & reliquorum, in quæ inclinat in potentia, non erit nisi vna scientia prima, scilicet Metaphysica, quia cùm Metaphysica inclinat intellectum ad speculandum formaliter ens, inclinat etiam in potentia & in confuso intellectum ad speculandum omnia contenta sub illo ente, & per consequens entis, & omnium contentorum sub ente, erit vnus habitus; sed falsum est quòd sit tantùm vna scientia prima, scilicet Metaphysica, sicut patet per Aristotelem in *6. Metaphysica, text. com. 2.* vbi diuidit scientiam in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, tanquam in tres partes scientiæ speculatiuæ: igitur habitus inclinans intellectum ad speculandum formaliter aliquid, & in potentia, & in confuso, omnia contenta sub illo, non est vnus vnitate requisita ad habitum in genere scientiæ. Respectu autem eorum, quæ sic se habent, quòd intellectus virtualiter inclinatur ad speculandum ea, ex hoc, quòd inclinatur ad specu-

19. *Tertia pars primi articuli. Quid sufficit vt respectu plurium possit esse vna scientia.*

Aristot.

culandum formaliter ſuum ſubiectum, poteſt eſſe vnus habitus vnitate requiſita ad habitum in genere habitus.

Ex dictis in iſto tertio articulo, & in ſecundo præcedenti, poſſet deduci quòd Metaphyſica eſt magis vna, quàm ſcientia naturalis; quia, ſecundùm dicta in ſecundo articulo, non ſufficit ad vnitatem habitus inclinare intellectum ad ſpeculandum formaliter aliquid, & in potentia, & in confuſo inclinare intellectum ad ſpeculandum contenta ſub eo; in priori articulo dictum eſt quòd illa ſcientia eſt minùs vna, quæ eſt ratio plurium, quorum nati ſunt eſſe diſtincti habitus genere, vel ſpecie: ſed obiectum naturalis Philoſophiæ continet virtualiter plura, quorum nati ſunt eſſe diſtincti habitus, reſpectu quorum habent vnitatem habitus, quàm obiectum Metaphyſicæ: igitur Metaphyſica eſt magis vna in genere ſcientiæ, quàm naturalis Philoſophia; quoniam obiectum naturalis Philoſophiæ continet virtualiter plura, de quibus nati ſunt eſſe diſtincti habitus, quàm obiectum Metaphyſicæ. Patet conſideranti primum ſubiectum naturalis Philoſophiæ, quod inueſtigabitur in hoc ſecundo articulo.

21. *Articulus ſecundus. Quomodo ſcientia naturalis eſt vna. Prima concluſio. Secunda. Tertia.*

De ſecundo articulo principali, qua ſcilicet vnitate ſit vna ſcientia naturalis, pono tres concluſiones. Prima eſt, quòd naturalis Philoſophia non eſt vna ſcientia naturalis, vnitate ſpecie ſpecialiſſimæ. Secunda concluſio, quòd non eſt vna vnitate generis ſubalterni intermedij. Tertia concluſio: quòd eſt vna vnitate generis immediati generi generaliſſimo. Prima concluſio probatur primò ſic: Prima diuiſio generis generaliſſimi non eſt per ſpecies ſpecialiſſimas: ſed naturalis Philoſophia immediatè diuidit genus ſcientiæ; ergo naturalis Philoſophia non eſt vna vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ. Maior eſt manifeſta. Minor patet per Philoſophum 6. *Metaphyſicæ.*

Ariſtot.

Secundò probatur eadem concluſio ſic: Illa ſcientia, cuius ſubiectum non continetur virtualiter in notitia alterius, non eſt vna vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ; ſubiectum enim habitus habentis vnitatem ſpeciei ſpecialiſſimæ continetur virtualiter in notitia ſubiecti ſuperioris ſcientiæ; ſed ſubiectum naturalis Philoſophiæ, cùm ſit vna prima ſcientia, id eſt, primò diuidens genus ſcientiæ, non continetur virtualiter in notitia alterius ſubiecti ſuperioris ſcientiæ; alioquin non erit prima: igitur naturalis Philoſophia non eſt vna vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ. Per eaſdem rationes poteſt probari ſecunda concluſio.

22. *Tertia concluſio.*

Tertia concluſio probatur breuiter ſic: Illa ſcientia, quæ immediatè diuidit genus generaliſſimum, eſt vna vnitate generis proximi, immediati generi generaliſſimo; ſed naturalis Philoſophia primò & immediatè diuidit genus ſcientiæ: igitur eſt vna vnitate generis immediati generi generaliſſimo. Maior eſt nota. Minor habetur 6. *Metaphyſica, text. com.* 3.

His viſis, ſatis patet quid veritatis continet prima opinio, quæ ponebat cuilibet complexo reſpondere proprium habitum; quia ſi intelligat de habitu vno vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ, vera eſt; & hoc concludunt rationes adductæ ad confirmationem illius opinionis. Si autem ſecunda opinio intelligeretur multorum complexorum, vt principiorum & concluſionum eſſe vnum habitum vnitate generis immediati generi generaliſſimo, haberet veritatem: ſic patet per declarata in primo articulo principali.

SCHOLIVM IV.

Reſpondet ad argumenta, quibus in principio quæſtionis videbatur probari obiectum ſcientiæ naturalis, ſiue librorum de Phyſico auditu eſſe ens mobile, quod tamen ipſe etiam docuit lib. 1. Phyſic. q. 1. modò ipſius opus ſit. Deinde docet proprium Phyſicæ ſubiectum eſſe ſubſtantiam corpoream habentem formam determinatam, quæ ſit principium determinatæ operationis, videlicet motus & quietis, quod etiam docet q. 1. lib. 6. Met. n. 11. Adhibita tamen diſtinctione huius verbi mobilis, *quam ipſe Scotus aſſignat ibidem n. 17. & ſi accipiatur pro aptitudine remota ad motum, facilè conciliari poſſunt hæ opiniones, vt rectè inſinuant Aretinus ad q. 1. Phyſ. n. 16. & Faber theorem. 20. c. 2. in principio.*

NVnc reſtat tertiò reſpondere ad rationem adductam in principio. In reſpondendo autem ad rationem illam ſic procedam. Primò, oſtendam falſitatem eius, quod aſſumebatur in ratione, ſcilicet, quòd corpus mobile ſit ſubiectum in naturali Philoſophia. Secundò, oſtendam quòd *mobile* non poteſt eſſe formalis ratio ſubiecti naturalis Philoſophiæ. Tertiò, inueſtigabo quid eſt illud, quod eſt immediatum ſubiectum ſcientiæ naturalis? Quartò, reſpondebo ad motiua, quibus probatur illud aſſumptum. 23. *Articulus tertius.*

Primum, ſcilicet quòd corpus mobile non ſit ſubiectum naturalis Philoſophiæ, arguitur primò ſic. Suppono duo; primum ſcilicet quòd ſcientia naturalis eſt ſcientia prima primò diuidens genus ſcientiæ. Secundum, quòd ſcientia naturalis ſit per ſe vna; & ſequitur ſecundum ex primo; quia nullum per accidens poteſt eſſe primum. Tunc arguo ſic; eius cuius non eſt *quid*, non poteſt eſſe ſcientia propriè & maximè prima: ſed corpus mobile non habet propriè *quid*; ergo corpus mobile non eſt ſubiectum naturalis Philoſophiæ. Maior probatur, quia de eodem, cuius non eſt *quid*, non poteſt aliquid demonſtrari, quia non poteſt eſſe ſcientia propriè. Probatur minor, quia nihil includens conceptus diuerſorum generum habet propriè *quid*; ſicut nec ens includens res diuerſorum generum, eſt ens per ſe vnum. *Philoſophiæ ſubiectum non eſt ens mobile.*

Item, de eo non eſt ſcientia & maximè prima, de quo non poteſt demonſtrari aliqua paſſio, & accipi vt vnum. Probo. Demonſtrari paſſionem de aliquo vt diſtinctum nihil aliud eſt quàm demonſtrari de eo per partem: ſed de ente includente res diuerſorum generum; non poteſt demonſtrari aliqua paſſio vna primò, ſed quæcunque paſſio demonſtraretur de eo, demonſtraretur per partem eius: ſicut patet quòd *diſgregare* non poteſt demonſtrari primò de homine albo; ſed demonſtratur de eo per partem, ſcilicet per albedinem. Et ratio propoſitionis aſſumptæ eſt, quòd vna paſſio oritur ex principiis vnius per ſe entis: igitur de tali ente per accidens non poteſt eſſe ſcientia per ſe vna, & maximè prima; tale autem ens per accidens, eſt corpus mobile; ergo de ipſo, ſicut de ſubiecto, non poterit eſſe ſcientia naturalis, quæ eſt ſcientia per ſe vna & prima. 24.

Sed oritur dubium vnum, quia ſubalterna aliqua, puta, Perſpectiua, eſt ſcientia vna, & tamen eius ſubiectum eſt ens per accidens; quia eius ſubiectum eſt linea viſualis. *Obiectio.*

Dico quòd Perſpectiua non eſt ſcientia vna, ſicut eſt naturalis Philoſophia, vel Geometria; imò Perſpectiua ſubalternatur duabus ſcientiis, ſcilicet, naturali, ratione viſualitatis; & Geometriæ,

triæ, ratione lineæ. Vnde per illud dubium non tollitur vis rationis adductæ.

Ex his rationibus patet falsitas opinionum Ægidij, & Thomæ; quia cùm corpus mobile, & ens mobile includat diuersos conceptus, non facientes per se vnum, neutrum eorum poterit poni primum subiectum naturalis Philosophiæ, quæ est per se vna & prima.

Sed tenentes alteram partem dictarum opinionum, possent respondere ad istas rationes. Virtus enim illarum rationum videtur consistere in eo, quòd ideò corpus mobile, vel ens mobile, non potest esse subiectum, quia est per accidens, & de ente per accidens non est scientia. Distinguent autem de *ente per accidens*: quoddam est per accidens, quod includit res diuersorum generum, vt homo albus. Alio modo dicitur ens per accidens in ordine ad suam causam, scilicet quod non habet causam determinatam sui *esse*. Loquendo de ente per accidens primo modo propositio est falsa; sicut patet de linea visuali, & de Perspectiua: & tale ens per accidens est corpus mobile. Loquendo autem de ente per accidens secundo modo, propriè habet veritatem, & tunc non est ad propositum.

Potest etiam responderi ad maiorem, quando dicitur, corpus mobile est ens per accidens, verum est, sed corpus consideratum inquantùm mobile, non est obiectum vnum per accidens, sed est vnum cognoscibile, habens vnam formalem rationem, sub qua consideratur.

Istæ resolutiones non euacuant rationes. Prima solutio data ad maiorem non valet; quia sicut patet intuenti rationes illas, non tantùm concludunt non posse esse scientiam naturalem de ente per accidens secundo modo, sed etiam primo modo, & instantia de Perspectiua est exclusa. Deinde aliam deduco rationem contra opiniones illas sic: Ex actu vno per accidens non potest generari in causato maior simplicitas quàm in causa; sed actus, quo cognoscitur ens per accidens primò modo, & actus vnus includens duos actus genere distinctos; sicut in obiecto includuntur duo obiecta nata attingi distinctis actibus; igitur habitus derelictus ex talibus actibus non erit per se vnus.

26. Circa solutionem ad minorem, quando dicit, quòd corpus mobile inquantùm mobile, non est ens per accidens, quæro à te, accipiendo corpus inquantùm mobile, vel intelligo præcisè corpus, vel præcisè mobile, vel vtrumque? Non præcisè corpus, quia mobile non includitur in formali ratione corporis; nec præcisè mobile; quia sic tunc mobile erit subiectum naturalis Philosophiæ, quod repugnat sibi, eo quòd prima scientia est; quia eius subiectum debet virtualiter contineri in notitia alterius: *mobile* autem cùm sit accidens, virtualiter continetur in notitia alterius, scilicet substantiæ: igitur intelligendo corpus inquantùm mobile, intelligo vtrumque: sed vtrumque est vnum cognoscibile per accidens; igitur nec corpus mobile, nec in eo quod mobile, potest poni subiectum naturalis Philosophiæ.

27. Probo secundò quòd *mobile* non potest esse formalis ratio subiecti scientiæ naturalis, sic: Quandocunque alicui subiecto insunt plures passiones ordine quodam, impossibile est posteriorem passionem esse formalem rationem subiecti, vt de ea nata est esse scientia prima; quia prima scientia est de eo per rationem eius, quod sibi primò inest: posterior autem passio non potest esse ratio sciendi de eo primam passionem; quia cùm prima passio sit ratio cognoscendi posteriorem passionem de subiecto, si per posteriorem passionem concluderetur prior passio de subiecto, tunc esset circulus in causis, & idem erit causa sui ipsius. Si enim *A*. est causa *B*. & *B*. causa *C*. & *C*. causa *A*. tunc *A*. est causa *A*. sed *mobile* non est prima passio corporis, etiam inquantùm est de consideratione naturalis Philosophiæ: igitur *mobile* non est formalis ratio subiecti scientiæ naturalis. Maior est declarata. Minor probatur, quia priùs intelligitur corpus esse quantum quantitate terminata, quàm intelligatur esse mobile secundùm quantitatem, & priùs esse quale, quàm esse mobile secundùm qualitatem, & etiam esse priùs quantum quantitate terminata quàm esse mobile secundùm *vbi*. Priùs etiam intelligitur esse quantum quantitate terminata; & etiam quale, quàm sit mobile secundùm *vbi*, accipiendo *vbi* secundùm determinatam positionem loci, puta, *vbi* sursum, vel deorsum: *mobile* igitur non est prima passio corporis, etiam vt corpus est de consideratione naturalis Philosophiæ.

Restat nunc inuestigare tertiò quid est primum subiectum naturalis Philosophiæ? Circa quod sic procedam, Primò, inuestigabo conditiones requisitas ad hoc, quòd aliquid ponatur primum subiectum scientiæ naturalis. Secundò, inquiram quid illud, cui illæ conditiones attribuuntur, & conueniunt, & illud ponetur subiectum in naturali Philosophia. 28.

Quod est primum subiectum naturalis Philosophia.

Quantùm ad primum est sciendum, quòd naturalis Philosophia est scientia realis speculatiua, primò diuidens genus scientiæ speculatiuæ, magis contracta in consideratione sui subiecti, quàm ipsa Philosophia prima. Ista patent per Philosophum 6. *Metaphysicæ, text. comm.* 4. Ex his conditionibus naturalis Philosophiæ, patent quæ debent esse considerationes primi subiecti scientiæ naturalis; quia enim Philosophia est scientia realis, eius subiectum debet esse reale, & non ens rationis, ex quo concluditur, quòd nullum ens rationis potest esse obiectum istius scientiæ, quia est magis contracta, quàm Metaphysica; eius subiectum debet esse minùs commune per prædicationem, quàm subiectum Metaphysicæ; quia est scientia speculatiua, propriè & strictè; eius obiectum debet esse merè speculabile, quia primò diuidit genus scientiæ, eius subiectum debet esse tale, quòd de ipso sit primò demonstrabilis aliqua passio. Et intelligo *primò* dupliciter. Vno modo, quòd si de ipso demonstretur passio, quòd fit per rationem eius, non per rationem alicuius superioris. Secundo modo, quòd si de ipso demonstretur passio primò, quòd ipsum nullius alterius sit passio; quia cùm omnis passio virtualiter contineatur in suo subiecto; de eo quod est passio alterius, non potest esse scientia prima, sed præsupponit priorem, in cuius notitia virtualiter ipsa continetur. Et ex ista conditione per modum corollarij licet inferre quòd quantitas non est subiectum in Metaphysica, quia cùm Metaphysica sit prima scientia naturalis; illud cuius notitia continetur in alio, non potest poni primum eius obiectum; omnis autem generis accidentis notitia virtualiter continetur in substantia quantùm ad suas species, & indiuidua.

Breuiter igitur colligendo, subiectum primum naturalis Philosophiæ requirit quatuor conditiones. Prima, quòd sit ens reale, minùs commune quàm 29.

quàm Metaphyſicæ, merè ſpeculabile. Secunda, quòd de ipſo primo demonſtrabilis ſit aliqua paſſio primo modo expoſito. Tertia, quòd talis paſſio ſit cognoſcibilis de ipſo via ſenſus. Quarta, & vltima conditio eſt, quòd ratio illa, per quam demonſtratur talis paſſio de ea, diſtinguat eam ab aliis ſcientiis; & hæc conditio eſt formaliſſima.

His viſis, videndum eſt quod eſt illud ens, in quo iſtæ conditiones habent reperiri, & primò in quo non habeant reperiri. Secundò, concludetur illud, in quo habent reperiri. Et primò iſtæ conditiones non poſſunt reperiri in ente rationis, nec in ente tranſcendente, quod eſt vnum cognoſcibile reale abſtractum ab omnibus inferioribus, nec in aliquo accidente, nec in Subſtantia, vt eſt genus generaliſſimum, nec in aliqua ſubſtantia vna vnitate ſpeciei ſpecialiſſimæ, vel indiuidui, nec in ſubſtantia incorporea immediatè diuidente ſubſtantiam, nec in ſubſtantia corporea abſtractè accepta. Reperiuntur autem omnes iſtæ conditiones in ſubſtantia corporea immediatè diuidente genus Subſtantiæ, inquantùm talis ſubſtantia conſideratur, vt habet formam determinatam, ratione cuius conſequitur ipſam eſſe principium determinatæ operationis, motus & quietis, mediantibus determinatis accidentibus, quæ ſibi determinant, inquantùm ſic conſiderantur vt habent determinatam formam. Igitur *naturale* aliud à ſubſtantia corporea ſic accepta, poteſt poni ſubiectum naturalis Philoſophiæ.

30. Huius rationis probatio declaratur, & primò pars negatiua quantùm ad omnes ſui partes: ſecundò declarabitur pars affirmatiua. Prima pars illius negatiuæ patet. Dictum eſt enim quòd cùm Philoſophia ſit ſcientia realis, eius ſubiectum debet eſſe cognoſcibile reale. Secunda pars de ente tranſcendente patet etiam, quia cùm ſit magis contracta, quàm Metaphyſica, eius ſubiectum debet eſſe contractum magis quàm ſubiectum Metaphyſicæ, quod eſt *ens* inquantùm *ens*, vt *ens* dicit quoddam cognoſcibile reale abſtractum ab omnibus inferioribus entibus realibus. Tertia pars de accidente, patet quòd cùm ſit ſcientia prima, eius primi ſubiecti notitia non debet virtualiter contineri in aliquo; notitia autem omnis accidentis virtualiter continetur in alio, vt in ſubiecto. Quarta pars de ſubſtantia, vt eſt genus generaliſſimum, probatur ex hoc, quòd nullum genus generaliſſimum habet paſſionem primò demonſtrabilem de ipſa; ſed tantùm de ipſo demonſtrantur paſſiones entis; & ideò ſunt de conſideratione Metaphyſicæ. Quinta pars de ſubſtantia vna vnitate ſpeciei, vel numero, probatur de vna numero, quia indiuidui non eſt aliqua paſſio primò, nec ſimiliter alia à paſſione primò demonſtrabili de ſpecie; ſed iſta ſupponit priorem habentem vnitatem generis proximi generi generaliſſimo. Sexta pars de ſubſtantia incorporea patet, quia etſi talis ſubſtantia habeat paſſiones primò demonſtrabiles de ipſa, vtroque modo accipiendo, & per conſequens de ipſa ſit ſcientia vna: quia tamen tales paſſiones non ſunt demonſtrabiles de ipſa, via ſenſus, non poteſt poni ſubiectum in naturali Philoſophia, quæ eſt ſcientia poſſibilis haberi via ſenſus. Vltima pars probatur, quia ſubſtantia corporea conſiderata abſtractè, cui primò nata eſt ineſſe quantitas, eſt ſubiectum Mathematicæ, quia per rationem quantitatis, tanquam primæ paſſionis, quam ſupponit ineſſe ipſi ſubſtantiæ, demonſtrant illa, quæ demonſtrant: quantitas tamen non eſt prima ratio ſubiecti ſic vt eſt oſtenſum *ſuprà*.

Pars affirmatiua probatur primò ex ſufficienti diuiſione. Cùm autem nihil aliud relinquatur, quod poſſit poni ſubiectum ſcientiæ naturalis, niſi ſubſtantia corporea accepta inquantùm habet determinatam formam, per quam determinat ſibi determinata accidentia, mediantibus quibus eſt principium determinatarum operationum, vt motus & quietis, ſequitur quòd ſubſtantia corporea ſic accepta ſit ſubiectum naturalis Philoſophiæ. 31.

Secundò declaratur idem ſic: Illud eſt ſubiectum primum ſcientiæ, & nihil aliud, cui præcisè, & nulli alij conueniunt omnes conditiones requiſitæ ad primum ſubiectum talis ſcientiæ: ſed omnes conditiones requiſitæ ad primum ſubiectum naturalis Philoſophiæ, præcisè conueniunt ſubſtantiæ corporeæ, immediatè diuidenti genus Subſtantiæ, acceptæ ſub ratione illa, ſub qua dictum eſt: igitur ſubſtantia corporea ſic accepta, eſt ſubiectum naturalis Philoſophiæ. Maior eſt nota. Minor patet diſcurrendo per omnes conditiones. Sequitur igitur concluſio, & illud, quod teneo, quantùm ad ſubiectum ſcientiæ naturalis.

Nunc vltimò reſpondeo ad rationes in contrarium, quibus probatur quòd eſt *corpus mobile*. Ad primum ad Auicennam dico quòd Auicenna ponit *corpus mobile* ſubiectum; quia ratio *mobilis* eſt ratio magis nota nobis. Et ſi dicatur, quòd ipſe ponit inquantùm mobile; dico, quòd reduplicatio non reduplicat formalem rationem ſubiecti, ſed conuertibilem paſſionis cum ſubiecto. 32. *Ad primum principale.*

Ad aliud dico, quòd per *corpus mobile* non diſtinguitur hæc ſcientia ab aliis, ſed per aliam rationem priorem, vt patet ex declaratis. *Ad ſecundum.*

Ad aliud, quando dicit quòd ſupponit motum, dico quòd ſupponit reſpectu concluſionum cognoſcibilium per naturam motus; non tamen abſolutè ſupponit omne corpus eſſe mobile actu. Ariſtoteles autem non dicit, *Nobis autem ſupponantur, quæ ſunt natura omnia corporea*, ſed *quædam moueri*, &c. *Ad tertium.*

F I N I S.

INDEX



INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc tertio Tomo Doctoris ſubtilis continentur.

Prior numerus ad paginam, poſterior ad Marginales notas Arithmeticas remittit.

Cogni

Ens

Index Rerum.

Finis

Homo

F I N I S.



R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,

Meteorologicorum

LIBRI QVATVOR.

Opus quod non antea lucem vidit, ex ANGLIA transſmiſſum.



Aduertat compactor librorum, hunc Tractatum æquo tardiùs ad nos delatum, ante Tomum III. ponendum eſſe, ne erret.



R. P. F. LVCÆ
WADDINGI
DE
Hoc Meteororum Opuſculo
CENSVRA.



SCRIPSISSE Scotum in Meteora Ariſtotelis, teſtis eſt Ioannes Pitſeus, qui Opus ipſum M S. extare monet Oxonij in Collegiis S. Mariæ Magdalenæ, Balliolenſi, & Orialenſi. Ego hoc iteratis precibus ab erudito viro, & charo amico recepi ex Anglia, cùm reliqua omnia huius editionis opera iam fermè è prælo prodibant. Miſi qua potui celeritate, vt ſimul etiam lucem poſt longas tenebras videret. Exſcriptum eſt ex vetuſto codice M S. qui Scoti nomen præferebat, ídque iterum affigitur fini libri ſecundi. Adfuit etiam alius codex, calamo exaratus, charactere antiquo, ex quo libri prioris multa correcta ſunt, aliæ variæ lectiones ad marginem appoſitæ.

Ego, quantum per breue tempus licuit, totum percurri, & licèt Scoti eſſe non diffidam, tres mihi occurrunt ſcrupuli. Primus, quòd Pitſeus referat Scotum in Meteora ſcripſiſſe librum vnum; in hoc tamen Opere numerantur libri quatuor. Secundus, quòd *lib.* I. *quæſt.* 10. hic author Thomam Aquinatem, nondum à Ioanne XXII. canonizatum, titulo afficiat *Beati.* Tertius, quòd *ibidem quæſt.*14. citet Thomam Bradvvardinum tractatu de proportionibus; ille autem in Præſulatu Cantuarienſi obierit anno 1350. anno videlicet ab exceſſu Scoti quadrageſimo ſecundo.

Tolli verò poſſe hos ſcrupulos non inaniter coniicio, ſi primò ſatisfiat, dicendo Pitſeum per librum vnum intellexiſſe volumen, vel Tomum vnum, aut Opuſculum vnum, attamen in libros quatuor diſtinctum; ita enim ipſum argumentum, & opus Ariſtotelis totidem libris diſpartitum, quod ille elucidabat, expoſtulabat. Secundò facilè occurritur, aſſerendo longè ante canonizationis ſolennitatem S. Thomam per crebra miracula, notiſſimáſque virtutes, *Sancti,* & *Beati* titulos obtinuiſſe: cui argumento eſt, quòd Surius in eius vita referat, diuinitùs plexum quendam, qui longè ante Apotheoſim ei *Sancti* honorem, aut nomen denegauerat. Quare credibile eſt, ſaltem inter ſuos conſodales, Scoto familiares, paſſim his titulis *Sancti*, & *Beati* audiuiſſe. Inter Thomæ autem & Scoti mortes anni elapſi ſunt triginta quatuor, ante quos expletos iam conſtanti famâ viri *Beati,*

Aquinas feliciter tendebat ad canonizationem. Tertiò haud difficilè responderi poterit, asserendo Bradvvardinum grauiori ætate decessisse,& ante illos annos 42.& Scoti mortem,tractatulum illum scripsisse.

His neque contortis, neque violentis rationibus solui possunt leuiora illa obiecta: & quidem pro Scoto addo in secundi codicis margine quempiam addidisse rationem, quæ affertur *lib. 2. quæst.* 4. *conclus.* 3. vt probetur spiritus,siue bonos, siue malos,non mouere ventos: *Scoti*,inquit,*ratio hæc inefficax est*, deducta, scilicet à figura, vel proportione,&c. Ab eius etiam doctrina Philosophica parum,vel nihil differt hoc Opusculum,& sæpè eisdem alibi vtitur principiis.

Si verò sint, qui pertinaciter resistant, & hoc Opus Scoto inuideant, aut solidâ aliquâ denegent ratione, alium propono Franciscanum authorem, in hoc studij genere commendatissimum, cui non immeritò tribui possit, Simonem Tunstedum Anglum, *quem Meteororum contemplatio*, teste Pitseo, *tam sublimem rapuit, vt quodammodo semper in tertio cælo versari videretur.* Hic porrò,vti scribunt authores Angli,libros quatuor(totidem sunt isti) scripsit in Meteora, obiítque anno 1369. ante quem & Bradvvardinus iam decesserat,& Thomas canonizatus est.

Tractatus porrò doctus est, curiosus, & perutilis, neque vllum vidi in hoc genere ab antiquis potiori, aut ampliori studio exaratum. Versatum satis se ostendit author in re Mathematica,Astrologica,Perspectiua,aliísque scientiis. Quartum librum non absoluit; desunt enim Commentarij in reliquas tres partes, in quibus Aristoteles agit de passiuis qualitatibus; de passionibus, ac differentiis similarium corporum, à passiuis qualitatibus prodeuntibus,& de temperaturis corporum similarium.

INDEX



INDEX
Quæstionum Meteorologicarum,
LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.



R.P.F.



R. P. F. IOANNIS DVNS SCOTI DOCTORIS SVBTILIS Ordinis Minorum.

METEOROLOGICORVM LIBER PRIMVS.



QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm de impreßionibus meteoricis sit scientia, tanquam de subiecto?

1. *Arg. primũ.* 

ARGVITVR quòd non, quia de impreßionibus solùm habetur notitia cum formidine ad oppositum. ergo, &c. Tenet consequentia, quia talis notitia est opinio, quæ est contraria scientiæ, vt vult expresè Aristoteles *in primo Posteriorum.* Et antecedens apparet, nam de stellis comatis, quę sunt quædam impreßiones Meteororum, non potest haberi notitia certa, sed opinio solùm.

Secundum. Secundò, de illis impreßionibus meteororum habetur experientia sensus; igitur de eis non habetur scientia. Consequentia tenet, nam experientia sensus est notitia dignior quàm scientia. Non quærere rationem habetur dignius, ratione infirmitatis intellectus: vt vult Philosophus *sexto Physicorum.*

Tertium. Tertiò, impreßiones meteororum fiunt inordinatè, ergo de iis non habetur scientia. Tenet consequentia, quia si modò fiant secundùm vnum ordinem, & scientia de iis sit verificata secundùm finem illius ordinis, tunc mutato ordine, mutabitur, siue falsificabitur scientia. Et antecedens patet per Aristot. *in proœm.* Vbi vult quòd impreßiones meteororum fiunt secundùm naturam inordinatiorem; ergo si fiant secundùm naturam inordinatiorem, fiunt secundùm naturam inordinatã, cùm comparatiuus præsupponat suum positiuum.

Quartò; quia huiusmodi impreßiones, vt in præsentibus non sunt, sicut patet de tonitru, fulmine, iride, & huiusmodi; ergo de talibus non est scientia. *Quartum.*

Quintò, sequitur quòd de iis non est scientia, tanquam de obiectis, quia impreßiones Meteororum sunt res extra animam; ergo non sunt obiecta scientiæ. Antecedens est apertè notum. Tenet consequentia, quia huiusmodi res sunt permutabiles; sed scientia est illorum, quæ impermutabilem sortiuntur naturam, vt patet *primo Posteriorum:* ergo, &c. *Quintum.*

Sextò, quia si rȩs extra animam esset obiectum scientiæ, eâdem ratione esset credulitatis, quia idem videtur iudicium de vtroque. Consequens est falsum, nam tunc idem simul & semel posset sciri, opinari, & credi; & ita posset de eodem error esse & ignorantia. Sicut, verbi gratiâ, de Deo possumus scire ipsum esse, & dubitare ipsum esse vnum, & credere ipsum esse trinum. Et sic de aliis prædicatis. *Sextum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem *in primo Posteriorum.* *Oppositum.*

In ista quæstione videbitur secundùm viam triplicem, quid est subiectum scientiæ; & tunc videbitur ad quæsitum. 2.

Quantùm ad primum. Est vna via, quæ ponit quòd subiectum scientiæ est ipsa conclusio scita. *Prima via.* Quæ via probatur sic: Nihil scitur nisi verum; nam omnis demonstratio est ex veris; vt patet per Aristotelem *primo Posteriorum:* sed sola propositio est vera; ergo sola propositio scitur, & non alia, quàm conclusio; igitur, &c. *Ratio 1.*

Secundò, quia obiectum scientiæ vniuersale vel est ipsa conclusio vniuersalis, & habetur intentum; vel est ipsa res signata per terminos istius *Ratio 2.*

istius conclusionis,& tunc vel res vniuersalis, & hoc non, cùm nulla talis sit; vel res singularis, & hoc non, quia quâ ratione vna res singularis est obiectum istius notitiæ, eadem ratione alia, & per consequens nulla res est obiectum istius.

Ratio 3. Tertiò, Quia ista conclusio est scita, *Nulla Chimara est hircocervus.* Vel igitur obiectum istius conclusionis est res ad extrà signata per cõclusionem, & hoc non est, cùm nulla talis est; vel ipsa conclusio; & habetur intentum.

Ratio 4. Quartò, quia cõclusio scita est id cui assẽtimus; quando conclusio scita est id, quod scimus. Tenet consequentia, quia idem videtur id, quod scimus, & id, cui assentimus. Antecedens apparet, quia nulli assentimus, nisi quod ab intellectu iudicatur esse verum: sed solum tale est propositio, & maximè conclusio.

3. *Impugnatur.* Contra istam opinionem opponitur, quia si conclusio esset obiectum scientiæ habitæ per conclusionem, sequeretur quòd quilibet actu sciens haberet actum cognoscendi conclusionem. Consequens falsum, quia nunquam, vel rarò habemus actum reflexum super nostram cognitionem, quamuis sæpè cognoscamus. Consequentia tenet, quia obiectum cognitionis dicitur illud, de quo est notitia, & ad quod illa notitia terminatur obiectiuè. *Obiectum cognitionis quod?*

Secundò, Si conclusio esset obiectum, tunc conclusio apprehenderetur ab intellectu, & tunc quæratur, vtrùm apprehensione incomplexâ, vel complexâ? non incomplexâ, quia talis non est scientia, cùm sit acquiribile ab intellectu de quocunque complexo, vel incomplexo. Modò scientia non acquiritur sine euidentia alicuius principij, vel experientiæ, prædeterminante intellectum. Non complexâ, quia maximè esset talis conclusio vera: sed illud est falsum, quia multoties scimus, & cognoscimus per conclusiones, cùm non consideramus de veritate, vel de falsitate earum.

4. Alia via est, quòd obiectum scientiæ est significabile complexè, per conclusionem scitam, sicut obiectum istius, *Homo est risibilis*, est, hominem esse risibilem, quod probatur, quia obiectum notitiæ habitæ per experientiam est tale significabile complexè; igitur & cuiuslibet alterius notitiæ. Consequentia tenet, quia vbique videtur iudicium idem esse. Et antecedens patet, quia si sentiam ignem calidum, per istam experientiam non solùm cognosco ignem, nec solùm caliditatem, sed cognosco ignem esse calidum. *Secunda via.*

Secundò, Quia addiscens per Geometriam centrum circuli inuenire, non addiscit aliud quàm id quod scitur à latomo, siue Geometra: sed à latomo non scitur ista conclusio, sed significabile per ipsam.

Refellitur. Contra istam viam arguitur, primò, quia vel tale significabile complexè est res distincta à re significata, vel non. Si sic, contrà, primò per Aristotelem 5. *Metaphysic.* Vbi dicit quòd in dictis secundùm se, idem est esse ipsum, & ipsum, sicut idem est esse Deum, & Deus.

Secundò, Quòd si esset tale distinctum, sequeretur quòd est aliquod ens coæternum cum Deo, quod Deus, nec posset augmentare, nec diminuere, nec annullare, dato quòd Deus esset infiniti vigoris, sicut concedimus ipsum esse. Consequens impossibile, & contra fidem. Probatur consequentia, quia Deus non potest annullare seipsum; igitur æternatur. Sic ex parte rei est, quòd Deum esse, est; & istud, sit esse, scilicet Deum esse, Deus non potest annullare, nisi seipsum annullaret; igitur, &c. Si autem tale significabile non distinguitur à re significata per subiectum, vel prædicatum conclusionis; tum sequitur quòd nil aliud esset subiectum huius scientiæ, quàm tales res significatæ; quod intendimus. *Deus non potest annullare seipsum.*

Pro tertia via sit conclusio ista: Res significatæ per terminos conclusionis scitæ, sunt obiecta scientiæ. Probatur. Quia istud est obiectum conclusionis, ad quod vltimatè terminatur notitia per istam conclusionem; sed hoc est ad rem extrà, & non ad conclusionem, vel ad significabile per ipsum; ergo, &c. Istud apparet in exemplo, nam obiectum sensationis, sicut visionis, non dicitur species, quæ immediatè mouet visum; sed obiectum dicitur res ad extrà, sicut paries, vel aliquod huiusmodi, à quo causatur ista species. Minor apparet, quia si sciatur illud, quòd Iris causatur ex refractione radiorum, cognitio ista non terminatur ad conclusionem, nec ad significabile per illam. sed ad rem extrà, scilicet ad Iridem, à qua vltimatè deriuatur cognitio istius conclusionis. 5. *Tertia via.* *Res significata per terminos conclusionis scita sunt obiecta scientia.*

Et si dicatur quòd non est similitudo de obiecto visionis, & notitiæ conclusionis, eò quòd visus non apprehendit id, nisi incomplexè; quia si dicam quòd complexè apprehenditur, tunc dicam quòd obiectum illius conclusionis non est res extrà, sed significabile complexè per illud iudicium complexum. Id non valet, quia cognitio complexa sensus interioris de re absente iudicat, sicut est cognitio, quam habeo modò de pariete nudo, quamuis in mente determinetur ad species animalis, & similitudinem existentem in phantasia, tamen vltimatè terminatur ad rem extrà, quia ab illa fuerit causata illa similitudo.

Sciendum tamen, concordando istas opiniones, quòd quidlibet istorum potest dici obiectum scientiæ, scilicet tam conclusio scita, quàm significabile per conclusionem, quàm etiam res significata per ipsum. Vnde conclusio potest dici obiectum, eò quòd ipsa immediatè obiicitur intellectui; sed de notitia incomplexa terminorum est scientia, tanquam de subiecto magis mediato, sed vltimatè. Res extrà est obiectum, à quo aliæ notitiæ tam terminorum, quàm conclusionis deriuantur.

Tunc ad rationes primæ opinionis, quæ sunt contra couclusionem. 6.

Ad primam, *Nihil scitur nisi verum.* Apertum est quòd nihil scitur nisi verum; tanquam conclusio scita, tamen aliquid scitur verum, tanquam res significata per subiectum conclusionis scitæ, quando tum neque est verum, nec falsum. *Ad rationem 1. primæ opinionis, nihil scitur nisi verum, quomodo?*

Ad secundam, Quòd *obiectum est cognitionis vniuersalis*, &c. Dico quòd obiectum conclusionis vniuersalis est quælibet res singularis significata per obiectum istius conclusionis quia quælibet talis apprehenditur per conclusionem vniuersalem, saltem conceptu confuso. Et si dicatur, possibile est quòd cognitio vniuersalis fuerit causata à duabus rebus singularibus, vel à tribus, & non à pluribus; igitur videtur quòd illæ res, à quibus causatur, essent obiectum ipsius, & nihil aliud. Negatur consequentia. Concipio omnes homines mundi conceptu confuso, & tamen conceptus iste non erit causatus nisi à valdè paucis. *Ad 2.*

Ad tertiam, *Nulla Chimara est hircocervus*, &c. Dico *Ad 3.*

Dico quòd obiectum istius est caput Draconis, cauda Leonis, corpus Equi, vel sic de huiusmodi, quæ imaginantur conceptione aduniente quasi compositum vnum, qualiter non componuntur, nec possibile est ea componi.

Ad 4. Ad quartam: *Illud cui assentimus*, &c. Negatur, quia illud scimus tanquã obiectum scientiæ, quod significatur per partes illius cui assentimus.

7. Ad rationes alterius, primò ad primam. Negatur assumptum, quia obiectum notitiæ experimentalis est res significata per terminos istius notitiæ, sicut in experiendo ignem esse calidum, ignis est obiectum, à quo deriuatur ista notitia experimentalis, & suorum terminorum euidentia. Eodem modo ad secundam patet. Igitur ex istis qualitatibus de rebus significatis per terminos conclusionis est scientia tanquam de subiectis. Et tantùm de prima.

Ad rationes 2. opin.

Quantùm ad secundam, sciendum est quòd in proposito *scientia* dicitur notitia vera, & notitia priùs dubia, tum nata fieri euidens per principia notiora.

Secundò, sciendum est quòd *Meteoros* dicitur quasi *eleuatio*: eò quòd istæ impressiones, quæ dicuntur Meteoricæ, pro maiori parte fiunt per eleuationem vaporum, & fumorum; quamuis tamen aliquæ fiunt sub terra, sicut fontes, & terræmotus.

Meteoros quid?

Tertiò, sciendum est quòd *impressio* in proposito non capitur largè pro omni actione, quâ imprimitur aliqua forma, vel qualitas; sed in proposito *impressio* potest dici de quatuor. Primò, de alteratione ad aliquam qualitatem secundam, quę immediatè consequitur alterationem primarum qualitatum, vel etiam elementorum, & talis alteratio est sicut inflammatio, vel coloratio, vel congelatio.

Impressio quid?

Secundò, Impressio illa non solùm dicitur de alteratione ista, sed de mixto consequente istam alterationem, sicut de hiatibus, voraginibus, de grandine, pluuia, & huiusmodi.

Tertiò, dicitur impressio de qualitatibus & operationibus huiusmodi mixtorũ, sicut color nubis, sonus tonitrui, ictus fulminis, motus venti, & huiusmodi, possunt dici impressiones Meteoricæ.

Quartò, dicitur de impressionibus apparentibus ex reflexione radiorum corporis luminosi, sicut de halo, Iride, paraheliis & virgis.

Quartò sciendum est, quòd de aliquo potest esse multiplex scientia, scilicet vt categorica affirmatiua de præsenti, vel negatiua, hypothetica, conditionalis, & temporalis.

8. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd de impressionibus Meteoricis est scientia; tanquam de obiectis. Probatur, quia tales impressiones habent causas determinatas, proprias passiones, & principia, per quæ istæ passiones possunt de iis demonstrari. Consequentia tenet per primam partem conclusionis, & arguitur, quia hoc sufficit ad hoc quòd de aliquo sit scientia.

Conclusio 1. De meteoricis impressionibus est scientia.

Conclusio 2. Secunda conclusio est, quòd de aliquibus impressionibus est scientia categorica affirmatiua de præsenti v.g. Ista conclusio est summè necessaria, *Media aëris regio est frigida*; sed plures aliæ conditiones huius libri, & pro maiori parte sunt solùm temporales. v. g. *Quandocumque fit tonitrus, est sonus in nubibus*; & *quandocunque fit stella comata, tunc fit vapor terrenus, habens partes fortiter adiacentes, eleuatas ad mediam regionem aëris, æstus mutatione principiorum aliarum magnarum rerum significans in hoc mundo*. Similiter dico, quòd aliæ conclusiones huius libri sunt solùm opinatiuæ, & maximè illæ quæ sunt de stella comata, & Galaxia.

Tertia conclusio est ista, quòd scientia illa est valdè vtilis, & pulchra: Est enim vtilis. *Conclusio 3.*

Primò ad futurorum præcognitionom, vt dicunt Astrologi, quòd homo qui inclinatus fuerit à natura ad iudicandum de futuris per stellas, & impressiones, quæ fiunt sub orbe Lunæ, citiùs iudicabit, quàm ille qui iudicat secundùm stellas fixas.

Secundò, videlicet ad periculorũ euitationem, quia per illam scientiam homo potest eligere loca, vbi melius potest præseruari à fulmine, terræmotu & huiusmodi periculis.

Tertiò, valet ad habitationis electionem, nam per illam scientiam cognoscitur vbi est bonitas fontium, & fluminum, & huiusmodi, quæ requiruntur ad conuenientem habitationem.

Quartò, est pulchra, & nobilis. Pulchra, quia pulchrum est scire causas huiusmodi mirabilium effectuum, qui accidunt sub cælo, sicut sunt stellæ cadentes, capræ saltantes, cometæ, Galaxia, & huiusmodi.

Ad rationes. Ad primam, concedo quòd quantùm ad aliqua, quæ demonstrantur in ista scientia, solùm habetur notitia cum formidine ad oppositum, sicut de Cometis, Galaxia; sed de aliis vera habetur notitia, & conclusio ad tertium librum licèt non habeatur notitia ita certa, sicut in Mathematica & perspectiua. *Ad 1. arg. principale.*

Ad secundam. *De illis habetur*, &c. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Et ad rationem dico, quòd quantùm ad diuersa habemus experientiam sensus, & notitiam scientificam de istis. Nam quantùm ad quod est huiusmodi impressionum habemus experientiam sensus, & scientificè inquirimus causas ipsarum. *Ad 2.*

Ad tertiam, videbitur in proxima quæstione. *Ad 3.*

Ad quartam, dico quòd quæcunque non sunt huiusmodi impressiones, de iis est solùm scientia conditionalis, & non categorica affirmatiua demonstratio. *Ad 4.*

Ad quintam, *Istæ impressiones*, &c. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, *scientia est*, &c. Dico quòd hoc intelligitur quòd conclusiones scitæ, quandocumque proponuntur debent esse veræ. *Ad 5.*

Ad sextam, concedo consequens, quia res extrà est obiectum credulitatis, & concedo consequens, ad quod deducitur, quòd de eodem simul & semel est scientia, error, opinio, & ignorantia, quoad diuersa prædicata. *Ad 6.*



QVÆSTIO II.

An impreßiones Meteoricæ fiant per naturam inordinatiorem eâ naturâ, quæ est propria elementorum?



ARGVITVR quòd non, quia impressiones tales non fiunt secundùm naturam; ergo, &c. Consequentia nota est, & antecedens patet, quia illa non fiunt secundùm *Arg. primũ.*

dùm naturam, quorum generationibus necessariò concomitantur motus violenti; sed sic est de istis impressionibus; nam in ictu fulminis descendit ignis, in generatione nubium, & ventorum ascendit exhalatio terrena; sed descensus ignis, & ascensus terræ sunt motus violenti; ergo, &c.

Secundum. Secundò, nam istæ impressiones meteoricæ fiunt à casu, ergo non fiunt à naturâ. Consequentia tenet, quia ista, quæ fiunt à casu, fiunt præter intentum agentis: sed agens intendit ea, quæ fiunt à naturâ, vt vult Philosophus 2. *Physicorum:* ergo, &c. Antecedens patet, nam istæ impressiones eueniunt extrà non semper, & frequenter, & per consequens à casu.

Tertium. Tertiò, impressiones meteoricæ non fiût inordinatè, ergo non secundùm naturam inordinatiorem. Consequentia nota est, & antecedens apparet per Philosophum *in fine* 12. *Met.* vbi dicit quòd entia nolunt malè disponi.

Quartum. Quartò. Si impressiones meteoricæ fierent inordinatè, sequitur quòd Astrologia de iudiciis, saltem ad illam partem, quæ est de impressionibus aëris, esset falsa, & incerta. Consequens falsum; & probatur, quia in Astrologia de iudiciis ponuntur certæ regulæ de aduentu huiusmodi impressionum, modò, si fiant inordinatè, de aduentu illarum non possit poni certa regula. Vnde Astrologi de euentu pluuiæ ponunt talem regulam, quòd si in hora coniunctionis Solis, & Lunæ, aër ascendens super aliquam regionem pluuiosus fuerit, cùm Luna fuerit ad gradum ascendentem, pluet in illâ regione.

Quintum. Quintò, quia ordo in causâ ponit ordinem in effectu, sed causæ istarum impressionum sunt ordinatæ: ergo & impressiones fiunt ordinatæ. Maior apparet, quia aliunde non potest argui ordo effectus. Et minor apparet per Philosophum *in prooemio,* vbi dicit quòd motus corporum cœlestium sunt causæ illarum impressionum, qui motus sunt ordinati.

Sextum. Sextò, quia in naturâ nihil est inordinatum; sed istæ impressiones sunt à naturâ; ergo non sunt inordinatæ. Maior apparet, quia hæc naturà in omnibus est causa ordinis; & minor patet, quia istæ impressiones fiunt à causâ naturaliter agente propter determinatum finem.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in primo capite huius.*

Diuisio quæstionis. In ista quæstione, primò videbitur si impressiones meteoricæ fiunt secundùm naturam.

Secundò videbitur in generali de ordine vniuersi, & in quibus ordo consistit.

Tertiò, videbitur specialiter de ordine istarum impressionum.

ARTICVLVS I.

An impressiones meteoricæ fiant secundùm naturam?

2. QVantùm ad primum, sciendum, vt dictum fuit, quòd impressiones meteoricæ sunt mixta, imperfecta; operationes, vel qualitates huiusmodi mixtorum, vel operationes immediatæ ad talia mixta. & tales impressiones sunt in multiplici differentia. Nam quædam sunt igneæ, vt hiatus, & voragines; quædam aëriæ, vt ventus; quædam aqueæ, vt grando, pluuia, nix, & generationes fontium, & fluminum; quædam terrenæ, vt generationes mineralium & terræmotus; quædam aëriæ & aqueæ, vt fulmen; & quædam sunt tantùm causatæ ex refractione radiorum, vt halo, iris, parahelius, virgæ, & colores nubium. *Impressiones sunt in multiplici differentia.*

Secundò sciendum, quòd natura dicitur tam de principio actiuo, quàm etiam passiuo, id est, de materiâ & formâ; & tale principium actiuum, vel est mediatum, sicut Deus, & cœlum; vel est immediatum; & hoc vel principale, sicut forma ignis; vel instrumentale, vt calor; vel aliqua alia qualitas. Eodem modo natura dicitur de principio passiuo mediatè, sicut est materia prima, & etiam de principio passiuo, & immediatè, sicut est elementum, vel mixtum.

Tertiò sciendum est, quòd aliquid dici potest naturale vno modo, vt *naturale* distinguitur contra *violentum*; alio modo, vt distinguitur contra *voluntarium*; tertiò, vt distinguitur contra *casuale.* *Aliquid dicitur naturale tripliciter.*

Quartò sciendum, quòd aliquid potest fieri naturaliter respectu agentis, & respectu passi. Vnde illud dicitur naturaliter fieri respectu agentis, quod agens natura intendit; sed id dicitur fieri secundùm naturam respectu passi, quod fit cum inclinatione passi. *Aliquid fieri naturaliter aptũ est, tum respectu agẽtis, tum passi.*

3. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd quædam impressiones meteoricæ fiunt violentè respectu passi. Probatur, quia ista fiunt violentè respectu passi, quæ fiunt contra inclinationem eius; sed plures impressiones meteoricæ fiunt contra inclinationem passi, vt patet de ictu fulminis, in quo descendit ignis; modò ignis non confert inclinationem tali motui, tamen istæ impressiones fiunt naturaliter respectu agentis. *Cõclusio prima.*

Secunda conclusio est, quòd aliquæ impressiones fiunt naturaliter, tum respectu agentis, tum respectu passi, vt patet de casu pluuiæ, vbi agens, scilicet forma grauis intendit istum motum & passum confert inclinationi. *Secunda.*

Tertia conclusio est, quòd aliquæ impressiones fiunt à casu respectu agentium particularium: sicut patet de quibusdam mirabilibus, quæ quoque generantur in mediâ regione; tamen illa fiunt naturaliter respectu causæ vniuersalis; eò quòd nil fit à casu respectu cuiuscunque causæ. Et hoc de primo. *Tertia.*

ARTICVLVS II.

In quo Vniuersi ordo consistat.

4. DE secundo sciendum est, quòd ordo consistit in quatuor; scilicet in situ, tempore, perfectione, & causalitate. Ordo in situ non est aliud quàm regula certa, secundùm quam res se habent ad inuicem secundùm differentias positionum. Vel est, istæ res sic se habentes secundùm istas differentias; sicut quatuor elementa, & corpus cœleste ordinantur in situ secundùm sursum & deorsum, & partes hominis, scilicet manus, & costæ, secundùm dextram & sinistram; & sic de aliis. *Ordo consistit in quatuor. Ordo in situ quis?*

Sed ordo, qui consistit in tempore, est certa lex, vel regula, secundùm quam res se habent ad inuicem in tempore, secundùm prius & posterius; sicut reuolutiones cæli, ortus, & occasus stellarum, *Ordo in tempore.*

ſtellarum, oppoſitiones, & coniunctiones, & eclipſes ſe habent ordinatè in cælo ſecundùm prius & poſterius in tempore.

Ordo in cauſalitate. Ordo conſiſtens in cauſalitate eſt certa lex, vel regula rerum ſe habentium ad inuicem ordinatè; ſicut in genere cauſæ efficientis eſt talis ordo: primò eſt Deus, poſteà Intelligentiæ, demùm corpora cœleſtia, poſteà hæc forma particularis, vel iſta demùm caliditas, vel aliqua qualitas mediatè, quâ fit operatio tanquam inſtrumento. *Ordo in perfectione.* Ordo conſiſtens in perfectione eſt certa lex, vel regula rerum ſic ſe habentium ad inuicem, ſecundùm maius & minus in perfectione. Et ſic ordinantur ſubſtantiæ, vel ſpecies vniuerſi, ita quòd primò eſt vna perfectiſsima, deinde ſubſequitur alia perfectio, & ſic ſubordinatè. Ex quo patet quòd ordo non eſt aliud, quàm res debitè & ordinatè ſe habentes, ſecundùm prius & poſterius, tempore, ſitu, cauſalitate, & perfectione.

5. *Vniformitas eſt in ordine vniuerſi.* Secundò ſciendũ, quòd in tali ordine quãdoque eſt vniformitas, & regularitas cum tẽporibus determinatis, ſicut quandoque eſt maius tempus inter duas eclipſes vnâ vice, quàm aliâ; & tunc quantò difformitas fuerit magis propinqua vniformitati, tantò faciliùs, & quantò remotior, tantò difficiliùs, percipitur. Et ſecundùm hoc ponitur alia concluſio ad quæſitum, quòd vniuerſum, & omnia corpora vniuerſi ſunt debitè ordinata, & hoc comparando quodlibet corpus vniuerſi ad omnia alia, & non ad vnum ſolum, neque ad alia. Probatur; quia totum vniuerſum ordinatur ſecundùm quandam proportionem harmonicam, ſiue ſecundùm quandam conſonantiam, ergo totum vniuerſum eſt benè ordinatum. Conſequentia tenet, quia conſonantia conſiſtit in debitâ proportione, & ordine ſonorum. Antecedens probatur; quia ſicut in conſonantia muſicali ſi tota conſonantia fieret ſecundùm eandem altitudinem, & depreſsionem, ſecundùm quam vox ſit magis ſuauiter incidens auditui, ampliùs conſonantia non fuerit pulchra, nec debitè ordinata. Similiter eſt de vniuerſo, quòd ſi omnia corpora vniuerſi eſſent æquè perfecta, tunc ampliùs non eſſet vniuerſum pulchrum, nec benè ordinatum.

6. Et ſi arguitur quòd in vniuerſo fiunt multa monſtra, quæ ſunt defectus naturæ, ergo ſi iſta non fierent, vniuerſum meliùs ordinaretur. Dicitur, negando conſequentiam, quia ſicut in conſonantiâ muſicali intercipitur quoque aliqua diſſonantia, propter quam tota melodia eſt pulchrior, ita totum vniuerſum eſt pulchrius, & melius ordinatum, in hoc quòd monſtra cauſantur, ſemper comparando monſtra ad omnia alia corpora vniuerſi.

Secundò probatur concluſio. Quia omne pulchrum eſt ordinatum; ſed vniuerſum eſt pulchrum; igitur, &c. Maior patet, quia pulchritudo conſiſtit in ordinatione, vt patet inducendo; nam facies dicitur pulchra, in qua lineationes cutis & coloris eiuſdem debitè ordinantur, ſecundùm quod delectat viſum. Et apparet etiam; quia nihil eſt pulchrius, vel mirabilius vniuerſo, vt communiter dicunt omnes Philoſophi.

Tertiò, quia omnia entia ſunt benè ordinata, & debitè diſpoſita, & hoc intendit Philoſophus 12. *Metaphyſic.* cùm dicit quòd *entia nolunt malè diſponi*; & etiam cùm dicitur, quòd in omnibus natura eſt quaſi cauſa ordinis.

ARTICVLVS III.

De ordine impreſſionum meteoricarum.

QVANTVM ad tertium, ſciendum eſt, quòd impreſſiones meteoricæ, vel poſſunt comparari ad omnia alia corpora, vel ad naturam cæli. 7. *Impreſſiones meteoricæ poſſunt comparari dupliciter.*

Concluſio 1. Secundùm hoc ſequitur prima concluſio, Impreſſiones meteoricæ ſunt, & fiunt ordinatè cõparando ipſas ad omnia corpora vniuerſi. Patet per ſecundam partem concluſionis, quia omnia corpora vniuerſi ſunt debitè diſpoſita, vel ordinata, ſed impreſſiones meteoricæ ſunt corpora vniuerſi, ergo, &c. Ad hoc poſſet deduci ſignum, quia iſtæ impreſſiones in tantùm ſunt ordinatæ, quia per alias iſtarum poteſt haberi præſcientia do aliis; ſicut vnus Philoſophus prognoſticauit motum terræ per apparitionem cuiuſdam columnæ igneæ aſcendentis à terra; & idem magis patebit in ſequentibus.

Concluſio 2. Secunda concluſio eſt, ſuppoſito quòd omnes propoſitiones aſtrologicæ de iudiciis eſſent veræ, ita quòd ad talem conſtellationem neceſſariò & determinatè ſequeretur talis impreſſio aëris, adhuc difficilius eſſet cognoſcere ordinem iſtarum impreſſionum, quàm ordinem motuum cæleſtium corporum. Probatur, quia in corporibus cæleſtibus eſt vnus ſolus motus, ſcilicet localis, quem oporteret cognoſcere; ſed in iſtis inferioribus ſunt multi motus, ergo difficiliùs cognoſcitur ordo iſtorum, quàm corporum cæleſtium. Conſequentia tenet, quia vbi oportet plura cognoſcere, vt plures mutationes, ex quarum qualitatibus poſſet ordo variari, difficiliùs ordo cognoſcitur, quàm vbi oportet vnum ſolum motum cognoſcere. Antecedens apparet, quia in iſtis impreſſionibus eſt motus alterationis, generationis, corruptionis, augmentationis.

Secundò, patet ad experientiam, nam facilius eſt homini cognoſcere oppoſitiones, & coniunctiones planetæ, quàm cognoſcere quòd cras pluet, vel poſt cras fiet grando. Et ſic mixtam iſtam concluſionem gloſſat Ariſtoteles cùm dicit, quòd impreſſiones meteoricæ fiunt minùs ordinatè quàm natura cæli, & ordo impreſſionum difficilius cognoſcitur, quàm ordo motuum ſupra cæleſtium. 8.

Concluſio 3. *Impreſſiones meteoricæ minùs ordinatè fiunt quàm corpora cæleſtia.* Tertia concluſio eſt, quòd ſimpliciter loquendò, iſtæ impreſſiones meteoricæ fiunt minùs ordinatè, quàm corpora cæleſtia, ex quo ſequitur quòd propoſitiones de iudiciis Aſtrologiæ non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſaltem quoad iſtam partem, quæ eſt de impreſſionibus aëris. Probatur, quamuis aër aſcendens ſupra aliquam regionem, vel ciuitatem, fuerit pluuioſus, tamen poſſibile eſt quòd non pluat, propter indiſpoſitionem materiæ.

Secundò, Dato quòd fuerit materia diſpoſita, adhuc poteſt artificialiter impediri caſus pluuiæ, ſicut ſi per multitudinem ignis in illa regione conſumatur materia, ex qua pluuia illa deberet generari.

Ad argumenta. Tunc ad rationes. Ad primam, dictum eſt in concluſione, quòd quamuis deſcenſus ignis non ſit naturalis reſpectu paſſi, benè tamen eſt naturalis reſpectu agentis.

Ad 2. Ad secundam dico quòd istæ impressiones non fiunt extrà semper, & frequenter, & hoc in comparatione ad suas causas.

Ad 3. Ad tertiam, *entia nolunt malè disponi*. Aristoteles intelligit comparando quodlibet ens ad omnia alia, & hoc est concessum. eodem modo ad vltimum argumentum est dicendum.

Ad 4. Ad quartam, *quia ordo*, &c. Negatur consequentia, quia ista iudicia, & istæ regulæ sunt veræ vt in pluribus, quamuis quædam falsificentur propter indispositionem materiæ.

Ad 5. Ad quintam, *quia ordo in causa*, &c. dico quòd causa istarum impressionum non solùm est corpus cœleste, sed ipsum cum qualitatibus primis hîc inferiùs: modò in illis qualitatibus potest esse inordinatio.



QVÆSTIO III.

Vtrùm necesse sit istum mundum inferiorem esse continuum lationibus superioribus, vt tota virtus eius inde gubernetur?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non; quia ista non sunt continua, quorum vltima non sunt vnum; sed mundi inferioris, & corporis cœlestis vltima non sunt vnum. Maior patet 4. *Physicorum*. Et minor probatur, quia mundi inferioris partes omnes sunt corporales; sed corpus cœleste non est corporale; modò corporalis, & incorporalis vltima non sunt vnum, ergo, &c.

Secundum. Secundò, quia prima causa se sola potest regere istum mundum inferiorem: ergo non est necesse, &c. Consequentia tenet, & antecedens probatur, quia prima causa, mediante corpore cœlesti, quod est causa secunda, gubernat mundum inferiorem; igitur se sola potest; quia quicquid potest prima causa mediante secundâ facere, potest se solâ facere.

Tertium. Tertiò, voluntas nostra est quædam virtus inferior, & non gubernatur à corpore cœlesti; ergo. Maior nota est, & minor apparet, quia si voluntas regeretur à corpore cœlesti, iam non esset libera, nec aliquid esset ei imputandum ad bonitatem, vel malitiam.

Quartum. Quartò, latio superior non cognoscit; ergo non gubernat istum mundum inferiorem. Consequentia patet, quia scientis & prudentis est gubernare, & regere, vt patet *ex primo Politicor.* Antecedens apparet, quia latio superior vel est motus corporis cœlestis, vel corpus cœleste, quorum neutrum cognoscit.

Quintum. Quintò, sequeretur quòd in istis inferioribus non accideret error; consequens falsum vt patet 2. *Physicorum*, de monstro. Et apparet consequentia, quia ista inferiora reguntur à lationibus, in quibus non accidit error.

2. *Sextum.* Sextò, sequeretur quòd omnia ista inferiora euenirent de necessitate. Consequens falsum, vt patet 2. *Physicorum*. Probatur consequentia, quia lationes superiores eueniunt de necessitate, à quibus reguntur ista inferiora.

Septimum. Septimò, sequeretur quòd finis regeretur à suo efficiente: consequens contra Philosophum 4. *Physicorum*. Vbi dicit quòd secundùm exigentiam finis oportet cætera moderari, & ideò agens dicitur gubernari secundùm exigentiam finis, & non finis secundùm exigentiam agentis. Probatur consequentia, quia secundùm Commentatorem 2. *Cæli*, Omne agens est gratia sui operis; modò ista inferiora sunt opus corporis cœlestis, & per consequens finis istius; igitur secundùm exigentiam huius mundi inferioris habent corpora cœlestia regere, & non è contrà.

Octauò, sequeretur quòd in istis inferioribus esset tantus ordo, quantus in lationibus corporum cœlestium: consequens falsum, vt patet præcedente conclusione. Et probatur consequentia, quia si sint horologia, quorum motus vnius dependet à motu alterius totaliter, tunc quantus est ordo vnius, tantus est ordo alterius: igitur si totus iste mundus inferior gubernetur à superioribus, æqualis esset ordo &c. *Octauum.*

Ad oppositum est Philosophus in procemio. Vbi dicit quòd *ex necessitate continuus est iste mundus inferior lationibus superioribus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur.* *Oppositum.*

Sciendum est propter istas conclusiones, quòd per *mundum* Aristoteles intelligit aggregationem ex omnibus illis, quæ continentur infrà concauum orbis Lunæ. Sed per *lationes superiores* intelligit motus corporum cœlestium, vel corpora cœlestia. Sed per *virtutem* intelligit tam virtutem actiuam, quàm passiuam, cuiusmodi sunt formæ, vel qualitates, quibus mediantibus fit aliqua operatio actiua, vel passiua. Sed per *gubernare* intelligit per congregationem aliquod fieri bonum agere intendenti. 3.

In ista quæstione, arguendo tangendæ sunt tres difficultates. Prima est, vtrùm mundus iste inferior sit continuus corporibus cœlestibus? Secunda, vtrùm prima causa possit immediatè regere istum mundum inferiorem? Tertia, vtrùm voluntas nostra subsit corporibus cœlestibus recipiendo impressiones ab eis?

ARTICVLVS I.

An mundus iste inferior sit continuus corporibus cœlestibus?

QVantùm ad primam difficultatem, sit prima conclusio; Iste mundus inferior non est continuus corporibus cœlestibus. Probatur, quia ista non sunt continua, quorum motus non est vnus, *ex* 5. *Physicorum*; sed mundi inferioris, & corporis cœlestis motus non est vnus, nam cuiuslibet partis mundi inferioris motus est rectus; sed corporis cœlestis, & cuiuslibet partis istius motus est circularis: ergo, &c. 4. *Mundus inferior non est cōtiguus corporibus cœlestibus.*

Secunda conclusio est, quòd iste mundus inferior est contiguus corpori cœlesti. Probatur, quia vel corpus cœleste, & mundus inferior, sunt contigua, vel continua, vel inter ipsa est vacuum, vel aliquod corpus alterius naturæ est intermedium. Si contigua, habetur propositum; & non sunt continua per præcedentem conclusionem; nec inter ipsa est vacuum; quia nullum vacuum est, vt ait Philosophus 4. *Physicor.* Similiter si vacuum esset intermedium, sequeretur quòd mundus inferior non reciperet aliquam actionem, vel impressionem à corpore cœlesti. Consequens contra *Est contiguus.*

contra experientiam, & posteà probabitur esse falsum. Probatur consequentia, quia actio non potest multiplicari per vacuum. Si sit corpus alterius naturæ, vel illud est mixtum, vel simplex; si sit mixtum, tunc est de natura mundi inferioris, eo quòd corpus cœleste non cadit in compositionem aliorum elementorum. Si simplex, hoc est falsum, quia *primo Cæli* probatum est, quòd præter quatuor elementa, & corpus cœleste, non est aliud corpus simplex.

Obijcitur primò.

Secundò. Secundò, si tale corpus est intermedium, vel corporale, vel non: si non, cùm non habeat contrarietatem, sequitur quòd sit de naturâ cæli: & si sic, sequitur quòd sit de natura inferioris. Secundò, quia omne agens in aliquod passum tanquam in primum & proximum passum susceptiuum suæ actionis, est continuum, vel contiguum illi passo; sed corpus cœleste agit in mundum inferiorem, tanquam in primum, &c. ergo vel est contiguum, vel continuum; sed non continuum per primam conclusionem: ergo contiguum. Ex quo patet quòd cùm Aristoteles dicit quòd *mundus iste inferior est continuus lationibus superioribus*, per *continuum* intelligit contiguum.

Ad 1. obiect. Contra conclusionem obiicitur, primò, quia si mundus inferior esset contiguus corpori cœlesti, hoc esset vt influentiam ab eo reciperet; sed propter hoc non, nam corpus cœleste recipit influentiam sine hoc, quòd Intelligentiæ contiguentur.

Ad 2. Secundò, sequeretur quòd mudus inferior & cælum mutuò agerent in se inuicem; consequens falsum, quia corpus cœleste non est susceptiuum peregrinarum impressionum, vt patet 1. *Cæli*. Consequentia patet, quia proprium est contingentium agere & pati.

Ad primum, concedo quòd mundus inferior contiguatur cælo ad recipiendam influentiam ab ipso. Nec est simile de Intelligentia, quia Intelligentia est res incorporea, ideò potest recipere influentiam mediante aliquo corpore, cui contiguatur.

Ad secundum, dico quòd non oportet vt illa, quæ sunt contigua mutuò agant in se inuicem, nisi quodlibet istorum natum sit recipere actionem alterius; modò corpus cœleste non est natum suscipiendo actionem mundi inferioris.

ARTICVLVS II.

An prima causa possit immediatè regere istum mundum inferiorem?

6. *Prima causa non potest immediatè regere ista inferiora, secùdum Philosophos.*

DE secunda difficultate sit prima conclusio, quòd prima causa non potest immediatè regere ista inferiora; probatur, quia prima causa non potest immediatè producere operationes, mediantibus quibus ista inferiora attingunt fines suos: ergo, &c. Patet consequentia, quia respectu istorum inferiorum requiritur quòd attingant fines, inquantùm possunt, ad quos naturaliter ordinantur. Antecedens probatur, quia fines istorum inferiorum sunt contrarij, sicut aquæ frigefacere, ignis calefacere, modò ab eodem non possunt profluere effectus contrarij simul & semel.

Secundò, quia prima causa est omnino simplex, & inuariabilis; ergo prima causa non potest immediatè agere in aliquam nouam operationem. Consequentia tenet, quia à voluntate antiquâ non prouenit actio noua, per Commentatorem 8. *Physicorum*. Et antecedens patet 12. *Metaph.*

Sed cõtra conclusionem obiicitur, quòd Deus continet in se virtutes, & perfectiones omnium istorum inferiorum; igitur immediatè potest regere ista inferiora. Consequentia tenet, quia aliter non contineret virtutem cuiuslibet inferioris. Antecedens apparet 5. *Metaphysic. capite de perfecto.* 7. *Obiectio prima.*

Secundò, Deus est omnipotens, vt patet 12. *Metaph.* ergo potest immediatè istum mundum inferiorem regere. *Secunda.*

Tertiò, quia prima causa mediante corpore cœlesti regit ista inferiora; ergo se sola potest id facere. Consequentia tenet, quia causa prima potest se solâ facere, quicquid potest causa secunda. *Tertia.*

Quartò, per Auctorem de Causis, qui dicit quòd causa prima plus influit in effectum, quàm causa secunda. Tunc signetur illud, in quo prima causa plus influit, & vocetur *A*. Tunc *A* regitur à prima causa immediatè quantùm ad illud plus: ergo & quodlibet aliud consimiliter potest regi. Consequentia tenet, quia non est dare rationem quare prima causa potest magis immediatè in vnum istorum, quàm in alterum. *Quarta.*

Ad ista, & primò ad primum. Dico quòd non intelligitur quòd in Deo sunt aliquæ perfectiones, vel virtutes distinctæ à Deo; sed sic intelligitur quòd Deus est simpliciter perfectus secundùm quantitatem virtutis, ita quòd est perfectissimè super omnia bona bonus, & virtuosus; sed propter hoc non oportet quòd istam bonitatem, vel virtutem potest exercere ad quodlibet immediatè. 8. *Ad 1. obiect.* *Deus est simpliciter perfectus.*

Ad secundum dico quòd Deum mundum immediatè regere est impossibile, sed non sequitur quòd Deus non sit omnipotens, eo quòd non potest impossibile facere. *Ad 2.*

Ad tertium negatur quòd *quicquid potest prima causa*, &c. *Ad 3.*

Ad quartum, *prima causa plus influit*, dico quòd non intelligitur quòd prima causa aliquid influat in inferiora mediante causa secunda, & aliquid mediante seipsa; sed intelligitur quòd prima causa plus influit, id est, propriùs est causa illius effectus quàm causa secunda. *Ad 4.*

Sed secunda conclusio est secundùm fidem, quòd Deus possit immediatè regere, & gubernare istum mundum inferiorẽ, circumscripta quacunque concurrente causâ secundâ; & hoc habemus credere ex fide. *Cõclusio Doctoris Deus potest immediatè regere ista inferiora.*

ARTICVLVS III.

An voluntas nostra subsit corporibus cœlestibus, recipiendo impressiones ab eis?

QVantùm ad tertium, sit prima conclusio, quòd corpus cœleste non agit in voluntatem nostram aliquid mediatè necessitate ad agendum sic; quoniam voluntas per suam libertatem potest in oppositum illius actus priuatiuè, vel positiuè. Probatur, quia aliter sequeretur quòd voluntas non esset libera, nec aliquid esset ei imputandum ad bonitatem, vel malitiam, ad laudem, vel 9. *Conclus. 1. Corpus cœleste non agit in voluntatem nostram.*

vel vitupetium. Consequens falsum, sed probatur consequentia, quia postquam incitaretur ad aliquem actum, in eius oppositum non posset, scilicet nec eliciendo actum contrarium, nec omittendo.

Obiectio. Contra conclusionem arguitur, quia Astrologi iudicant per corpora cœlestia de his, quæ fiunt in voluntate hominis, quod non esset, nisi corpora cœlestia aliquid agerent in voluntatem, per quod voluntas incitaretur, quia dato quòd non, tum iudicium eorum esset falsum.

Conclus. 2. Agunt quasdam inclinationes. Propter illud ponitur secunda conclusio, quòd corpora cœlestia agunt quasdam inclinationes, siue impressiones, mediantibus quibus voluntas magis inclinatur ad illum actum, quàm ad oppositum. Probatur ad experientiam, nam nulli naturaliter plus inclinantur ad vnum actum, quàm alij, vt tales inclinationes benè præsciunt Astrologi.

Secundò patet id per Theologos, qui ponunt quòd postquam intellectus apprehendit per modum boni, & conuenientis, naturaliter consequitur quædam voluntas, & in ista non consistit peccatum, sed cùm habita fuerit deliberatio, tunc in voluntate mala consistit malum.

Quæ non incitant voluntatem. Dico tamen quòd tales inclinationes non incitant voluntatem; quinimò voluntas liberè potest in oppositum illius, ad quod inclinatur, sed tamen cum maiori difficultate.

10. *Ad argum. 1. principale.* Tunc ad rationes. Ad primam dico quòd Aristoteles per *continuum* intellexit *contiguum*, vt dictum fuit in prima parte quæstionis.

Ad 2. Ad secundam, negatur antecedens, quia prima causa se sola non potest aliquem effectum immediatè producere de nouo.

Ad 3. Ad tertiam, concessum est, quòd voluntas nostra non subest regimini corporis cœlestis; verum est tamen quòd corpus cœleste agit in voluntatem nostram quasdam inclinationes; mediantibus quibus voluntas facilitatur, vel difficultatur in operando.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd cælum cognoscit inquantum mouetur ab Intelligentia cognoscente.

Ad 5. 6. & 8. Ad quintam, sextam, & octauam, de errore, necessitate, ordine, dicitur quòd non oportet vt sit tantus ordo, vel necessitas in istis impressionibus, quantus in corporibus cœlestibus; propter hoc, quòd non est in istis inferioribus aliqua virtus libera, quæ non regitur à corpore cœlesti: & ista potest multos effectus impedire, qui secundùm corpus cœleste venturi essent. Et ideò dicit Ptolemæus in Centilogio suo, propositione 5. *Sapiens astrologus multa mala prohibere potest, quæ secundùm stellas essent ventura.* Et in propositione 8. dicit quòd *sapiens astrologus iuuabit opus stellarum, quemadmodum seminator vires herbarum.*

Ad 7. Ad aliam, sequitur quòd *finis*, &c. concedo, quòd finis alicuius secundariâ intentione benè regitur secundùm exigentiam istius, sed de fine primariâ intentione non est verum, nam corpora cœlestia non agunt primariâ intentione propter ista inferiora.

***



QVÆSTIO IV.

Vtrùm cælum sit de natura ignis?



ARGVITVR quòd sic, quia cælum est de natura elementi; igitur cælum est de natura ignis. Consequentia tenet, quia magis videtur esse de natura ignis, quàm alicuius aliorum elementorum. Antecedens probatur, quia id quod est graue, vel leue, est de natura inferiorum; sed cælum est graue, vel leue; igitur est de natura inferiorum. Maior patet, quia grauitas, & leuitas sunt qualitates secundæ, præsupponentes actiones, siue consequentes actiones primarum qualitatum. Et minor apparet, quia corpus cœleste, vel aliqua eius pars secundùm lineam rectam quandoque est propinquior nobis, quandoque remotior. 1. *Arg. 1.*

Secundò, aliqua pars cæli est de natura ignis; ergo totum cælum. Consequentia tenet, quia in corporibus simplicibus totum & pars sunt eiusdem naturæ. Et antecedens probatur, quia Galaxia & stella comata sunt partes cæli, & maximè Galaxia, vt posteà patebit; & illa sunt de natura ignis, vt patet primo huius. *Secundum.*

Tertiò, illa corpora simplicia sunt eiusdem naturæ, quorum idem est motus simplex secundùm naturam; sed corporis cœlestis, & ipsius ignis est idem motus simplex secundùm naturam; ergo illa sunt eiusdem naturæ. Maior patet *primo dè Cælo*; vbi dicitur quòd vnius corporis simplicis est solùm vnus motus simplex secundùm naturam, Et minor apparet, nam tam cælum, quàm ignis mouetur circulariter. *Tertium.*

Quartò, illæ sunt eiusdem naturæ, quæ habent materiam consimilem; sed corpus cœleste, & ignis habent materiam consimilem; ergo, &c. Maior patet, quia materia est natura: iam illa, quæ sunt eiusdem materiæ sunt eiusdem naturæ. Et minor, quia in omnibus est materia eiusdem rationis, vt patet 1. *Physicorum.* Modò cælum habet materiam, cùm sit corpus sensile, & omne tale habet materiam, vt dicit Commentator *primo de Cælo.* *Quartum.*

Quintò, quia illa sunt eiusdem naturæ, quibus insunt proprietates, & operationes consimiles, & accidentia consimilia; sed cælo & igni insunt huiusmodi, &c. Maior patet, quia eædem operationes, eædem proprietates, & consimilia accidentia non possunt inesse nisi in illis, quæ sunt eiusdem naturæ. Et minor, quia proprietates, & operationes ignis sunt illuminare, calefacere, & desiccare; & accidentia eius sunt raritas, diaphaneitas, quæ omnia insunt cælo; ergo, &c. *Quintum.*

Sextò, arguitur per interpretationem huius nominis, *cælum.* Nam cælum vocatur *æther*, modò *æther* interpretatur *ardens*, vt dicit Empedocles *in 1. Physicorum*, quod non esset, nisi cælum arderet, & esset ignis; ergo, &c. *Sextum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem *in primo Physicorum cap. 3.* *Opposit.*

Ista fuerint mota propter opinionem Empedoclis recitatam in textu, qui ponebat quòd solus locus sursum repletur aëre, & igne; aëre vsque ad certam distantiam, & igne demum sursum, & 2.

& mouebatur per aliquas rationes factas. Istâ opinione dimissâ, primò ostendetur quòd præter quatuor corpora simplicia, scilicet elementa, necesse est ponere corpus quintum. Et hoc per Aristotelem *in libro de Cælo*. Secundò, ostendetur quòd illud corpus quintum non est de natura ignis.

ARTICVLVS I.

Præter elementa quatuor necesse est ponere corpus quintum.

3. *Suppositio 1.* QVantùm ad primum præmittentur suppositiones. Prima, quòd tantùm sunt tres motus locales simplices, accipiendo *tantùm*, vt excludat maiorem numerum, & illi motus sunt, motus ad medium, scilicet motus deorsum, & motus circa medium, scilicet motus circularis; & motus à medio, scilicet motus sursùm.

Secunda. Secunda suppositio, quòd vnius solius corporis simplicis est vnus solus motus secundum naturam, & è contrà, vnus solus motus simplex est vnius solius corporis simplicis secundùm naturam.

Tertia. Tertia suppositio, quòd motus circularis non habet contrarium.

Quarta. Quarta suppositio, quòd graue est id, quod natum est ferri ad medium, sed leue, quod natum est ferri à medio. *Conclusio 1.* Et secundùm hoc sit prima conclusio, quòd præter quatuor corpora simplicia, quæ dicuntur elementa generabilium, & corruptibilium, necesse est esse corpus quintùm, scilicet corpus cœleste. Probatur conclusio, quia per primam suppositionem, motus circularis est quidam motus simplex; igitur per secundam est alicuius corporis simplicis secundùm naturam, & non alicuius quatuor elementorum, quia quodlibet illorum habet vnum motum simplicem sibi naturalem. Maior patet, vnius corporis simplicis solius est vnus solus motus simplex secundùm naturam; igitur præter quatuor elementa necesse est ponere corpus quintum, cui secundùm naturam insit motus naturalis.

4. Ex quæstione sequitur primò quòd cælum non est natum ferri à medio, vel ad medium; quia dato quòd sic, tunc ipsius essent plures motus simplices secundùm naturam, quod est contra secundam suppositionem.

Secundò, nota, quòd cœlum non est graue, nec leue, quod patet, quia tunc natum est ferri vel à medio, vel ad medium.

Solutio. Sed dubitatur, quare est igitur quòd quædam corpora cœlestia quandoque sunt in propinquiori distantia secundùm lineam rectam ad terram; & quandoque in remotiori?

Dubium. Ad id dico quòd hoc non est mediante motu recto, quo idem corpus aliâ vice descendit, & aliâ ascendit, sed hoc est propter diuersitatem partium eccentrici, & Epicycli, in quo corpus illud mouetur benè, si imaginetur linea recta transire per centrum terræ ab Oriente in Occidentem, applicata ad extremitates sphæræ Solis ab vtraque parte, tunc pars sphæræ Solis versus Tropicum Cancri esset maior, quàm pars opposita propter eccentricitatem istius sphæræ, & ideò, cùm Sol fuerit in Tropico Cancri magis distat secundùm lineam rectam, quàm cùm fuerit in Tropico Capricorni. Et ex isto potest reddi causa inclinationis terrenorum naturalium, & eodem modo potest demonstrari in Epicyclis, cùm Luna fuerit in superiori parte Epicycli, magis distat secundùm lineam rectam à terrâ, quàm cùm fuerit in inferiori.

Secunda conclusio est, quòd cælum non habet contrarium. Probatur, quia motui cæli non est contrarium; ergo nec ipsi cælo. Consequentia tenet, quia contrarietas in causa arguit contrarietatem in effectu; & per consequens cùm secundùm effectum non sit contrarietas, nec etiam erit secundùm causam. Antecedens apparet per tertiam suppositionem. Ex isto patet quòd cælum non est generabile, nec corruptibile, quia omne quod generatur, generatur ex suo contrario, & omne quod corrumpitur, corrumpitur à suo contrario: modò cælum non habet contrarium; igitur, &c. 5.

Secundò sequitur quòd cælum non est alterabile alteratione propriè dictâ, quia talis ordinatur finaliter ad generationem, & corruptionem, vt patet 1o. *de Generatione*, modò cælum non generatur, nec corrumpitur; igitur, &c.

Tertiò sequitur quòd cælum non est augmentabile, nec diminuibile. Probatur, quia omnis augmentatio, vel diminutio, fit mediante alteratione propriè dictâ, sed cælum non est alterabile tale.

Ex istis patet quòd præter quatuor elementa necesse est poni corpus quintum, & quæ sunt conditiones ipsius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Corpus quintum non est de natura ignis.

DE secundo est dicendum, quòd illa dicuntur esse eiusdem naturæ, quæ sunt consimilis formæ; vt duo homines dicuntur eiusdem naturæ, eò quòd habent animas consimiles; & ideò quamuis materia sit natura, tamen ab identitate ipsius non dicuntur aliqua esse eiusdem naturæ, eò quòd in omnibus est eadem materia, scilicet materia eiusdem rationis. 6. *Qua dicuntur eiusdem natura.*

Secundùm hoc sit conclusio prima: Corpus cœleste non est de natura ignis, imò nec alicuius istorum inferiorum. Probatur primò ex prædictis, quia omne corpus hîc inferius est vel graue, vel leue; generabile vel corruptibile; augmentabile, vel diminuibile; sed corpus cœleste neutrum istorum est; ergo, &c. *Corpus cæleste non est de natura ignis.*

Secundò, si corpus cœleste esset de natura ignis, sequeretur quòd vnius corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam: consequens falsum per suppositionem priùs positam. Probatur consequentia, quia ipsius esset motus circularis, & etiam motus sursum, qui naturaliter inest igni.

Tertiò, arguitur per rationem Aristotelis, quia si cælum esset de natura ignis, sequeretur quòd quodlibet aliud elementum iam esset corruptum: consequens contra experientiam. Et probatur consequentia, quia ignis esset valde excessiuè magnus in comparatione ad alia elementa, & per consequens super ipsa obtineret dominium in magna proportione.

7. Quartò, arguitur quòd si cælum esset de natura ignis, sequeretur quòd nunquam aliquod elementum possit infrigidari vltra gradum frigiditatis, quem sibi naturaliter determinat. Consequens contra experientiam, quia videmus aquam infrigidari vsque ad coagulationem, & tamen aqua non determinat sibi à natura quòd sit coagulata, imò potiùs fluxibilis est. Ideò dicit Aristoteles 2. *de Cælo*, & 2. *huius*, quòd semper aqua petit locum decliuiorem. Probatur consequentia, quia corpus cœleste cùm sit de natura ignis, non haberet aliquam virtutem infrigidandi, ideò non apparet de quo ista frigiditas produceretur, quæ induit vltimum gradum propositum.

Quintò sequitur, quòd multi effectus, quos attribuimus cælo, non possunt reduci in cælum tanquam in causam efficientem. Consequens falsum per præcedentem conclusionem. Et probatur consequentia, quia non apparet quare secundùm motum ignis fierent fluxus, & refluxus maris, & huiusmodi, nisi in corporibus animalium & plantarum.

8. Sextò, lumen cæli, & lumen ignis specificè distinguuntur; igitur cælum & ignis non sunt eiusdem naturæ. Consequentia tenet, quia quorum accidentia propria sunt diuersarum naturarum, ista non sunt eiusdem naturæ. Et antecedens probatur, primò, quia lux ignis est qualitas naturaliter consequens proportionem primarum qualitatum, scilicet fortem digestionem humidi inflammabilis cum sicco; & ideò oleum, adeps, & huiusmodi pinguia, benè sunt inflammabilia; modò lumen cœleste nunquam sequitur huiusmodi qualitates.

Secundò probatur antecedens, si lux ignis, & lux cæli essent eiusdem naturæ, sequeretur quòd aliquâ horâ diei à meridie vsque ad tenebras noctis appareret hemisphærium consimiliter illuminatum luce Solis, sicut aliqua pars eiusdem apparet illuminari lumine ignis. Consequens est falsum, maximè de quibusdam floribus, & pannis, qui nunquam apparent eiusdem coloris in lumine ignis, & in lumine Solis. Probatur consequentia, quia à meridie vsque ad tenebras noctis remittitur continuè lumen Solis, sicut quod primò gradus intensior, & postea est gradus remissior; ergo si essent eiusdem naturæ, intermedia essent gradus æquales.

9. *Obiectio.* Arguitur contra rationem tertiam, quæ est Aristotelis, Vtrùm posito quòd corpus cœleste esset ignis, sequeretur quòd omnia alia corrumperet?

Responsio. Respondetur quòd non sequeretur, imò non plus ageret caliditatem in ista inferiora, quàm de facto agit, nam non oportet, nec est possibile, quòd quodlibet agens approximatum ad passum, ageret secundùm totam profunditatem suam; imò dato quòd ignis esset infinitum extensus ad sursum, adhuc non plus ageret in sphæra aëris, quàm de facto agit, & hoc habetur 3. *Physicorum*.

Corpus cœleste non est de natura horũ inferiorum. Secunda conclusio est, quòd corpus cœleste non est de natura alicuius istorum inferiorum; probatur pro prima parte conclusionis ex secunda ratione adducta ad præcedentem conclusionem.

Ad 1. argum. principale. Ad rationes. Ad primam dictum est quòd ascensus iste, & descensus non est per motum rectum.

Ad 2. Ad secundam, dico quòd stella comata non est pars cæli, sicut Galaxia non est de natura ignis, & ista postea videbuntur.

Ad tertiam, dico quòd ignis non mouetur circulariter secundùm naturam, sed præter naturam. *Ad 3.*

Ad quartam de materia, dico quòd ex identitate, vel diuersitate materiæ non arguitur identitas, vel diuersitas naturæ, vt dictum est. *Ad 4.*

Ad quintam, dico quòd & proprietates, & operationes non inueniuntur eiusdem rationis in igne & corpore cœlesti. *Ad 5.*

Ad sextam, dico quòd secundùm Aristotelem dicitur *æther* interpretari quasi *semper currens* * Ideò dicitur *libro primo Cæli*, quòd antiqui appellauerunt supremum locum *æthera*, à *currere sempiterno tempore*, ponentes denominationem. *Ad 6.* *Æther vnde.* * *ab ἀεὶ θεῖν, id est, semper currere, non ab αἴθειν, id est, ardere.*



Qvæstio V.

Vtrùm infinities eadem opiniones reiterentur?

Argvitvr quòd non; quia si sic, sequeretur quòd scientia non esset æterna. Consequens contra Aristotelem 1. *Posteriorum*; & probatur consequentia, quia si aliqua propositio iam sit scita, & postea mutetur in ignorantiam, vel opinionem contrariam, ampliùs non est scita, & per consequens illa scientia non esset æterna. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, si aliqua propositio vera sit probata, ipsa est tenenda; ergo non infinities opiniones reiterabuntur. Tenet consequentia, quia dato quòd reiteraretur, iam ista non fuerat tenenda. Et antecedens probatur per Commentatorem *primo de Cælo*, vbi dicit quòd semper opiniones Aristotelis sunt tenendæ, quia remotiores sunt à contradictione. *Secundum.*

Tertiò, si opiniones sic reiterentur, sequitur quòd aliquod esset tempus, quo homines naturaliter errarent. Consequens falsum, quia non apparet per quantum tempus error iste deberet durare, & per quantum non. Probatur consequentia, quia si nunc aliqua opinio sit vera, & scita, & aliæ opiniones, in quas ipsa mutabitur, erunt falsæ, & erroneæ, & per consequens per certum tempus homines errabunt. *Tertium.*

Quartò, sicut sensus non reiterat iudicium de suo sensili, ita videtur quòd intellectus non deberet reiterare de suo intellectili, nam sicut sensus ad sensilia, sic intellectus ad intelligibilia ex 3. *de anima*. Et antecedens apparet, quia si sensus iudicet de aliquo quòd sit album, non reiterat illud, nisi fuerit mutatio à parte rei; vnde sensus benè dispositus non iudicaret de nigro quòd esset album. *Quartum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo libro, cap. 3. vbi dicit: *Non enim vtique dicemus semel neque rarò easdem opiniones reiteratas fore in hominibus, sed infinities.* *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur quæ opiniones sunt variabiles, & quæ non; & circa quas scientias sit huiusmodi variatio opinionum. Secundò videbitur de causa efficiente in vniuersali huiusmo 2. *Diuisio quæstionis.*

huiusmodi variationis. Tertiò de causa efficiente particulari. Et quartò de causa finali.

ARTICVLVS I.

Quæ opiniones sint variabiles, & circa quas scientias sit huiusmodi variatio opinionum.

Veritates multiplices. QVantùm ad primum, sciendum est, quòd sunt quędam veritates necessariò venientes, sicut prima principia, & multa principia naturalia, & moralia, sicut quòd ignis naturaliter calefacit stupam. In moralibus, quòd pater est honorandus. Quales veritates sunt conclusiones meteoricæ præsuppositis principiis, & circa tales veritates non accidit variatio in opinionem contrariam, quamuis benè in ignorantiam.

Aliæ sunt veritates, de quibus neutro modo opinamur, scilicet ad cuius neutram partem contradictionis potest adduci aliqua probatio, cùm altera pars sit vera, & necessaria, sicut in his, *stellæ sunt pares*; *stellæ sunt impares*: & circa tales non accidit variatio opinionum.

Aliæ sunt, quarum vtraque pars est aliqualiter probabilis, vel vna modicum magis quàm alia, sicut, numquid anima sit æterna, vel vtrùm qualitas symbola maneat eadem in generato & corrupto? Et circa tales veritates solùm accidit variatio opinionum in opiniones contrarias, non propter mutationem ex parte rei, quia illa eodem modo se habet, sed solummodò propter mutationem in hominibus, & rationibus, secundùm quas homo ducitur ad assentiendum vni parti, vel alteri.

Aliæ sunt veritates, circa quas contingit variatio opinionum propter mutationem ex parte rei, verbi gratia, secundùm diuersitates temporum competunt diuersa cibaria, diuersus modus ædificandi, fingendi, armandi: & quia in omnibus actibus humanis accidit talis variatio, & in talibus est principaliter mutatio rerum, & consequenter mutatio opinionum.

3. *Opiniones circa quid varientur.* Ex istis apparet, quæ sit materia, secundùm quam est huiusmodi variatio. Nam non solùm fit variatio opinionum circa scientias speculatiuas; imò & circa practicas, scilicet leges, & politias, & maximè circa artes mechanicas, vt patet per experientiam.

Secundò sciendum est, quòd quandoque opinio mutatur in opinionem contrariam; & quandoque in notitiam; & quandoque in ignorantiam; & hoc vel apud omnes homines mundi, vel apud omnes vnius regionis, vel apud multos, vel paucos.

Tertiò est sciendum, quòd quædam sunt veritates, circa quas solùm possunt teneri duæ viæ, sicut de perpetuitate animæ.

Aliæ sunt veritates, circa quas contingit habere plures opiniones, tamen finitas; sicut patet de quæstionibus multis Philosophiæ naturalis. Patet igitur, quare diuersimodè fiunt mutationes opinionum, & circa quam materiam. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De causa efficiente in vniuersali variationis opinionum.

DE secundo sit cōclusio ista, quòd huiusmodi variatio opinionum sit principaliter à corpore cœlesti, tanquam à causa agente vniuersali. 4. *Opinionū variatio fit præcipuè à corpore cœlesti.* Probatur, quia tota virtus mundi inferioris gubernatur à cælo, vt patuit per vnam conclusionem præcedentem; ergo & regitur ab eo quantùm ad huiusmodi variationem opinionum. *Obiectio.*

Sed contrà, quia actus liberi non reguntur à corpore cœlesti, vt dictum fuit priùs; modò huiusmodi variationes opinionum sunt à libertate voluntatis: ergo non reguntur à cælo, & per consequens cælum non est causa huiusmodi variationum.

Responsio. Ad id respondetur, quòd quamuis voluntas non regatur à corpore cœlesti sic, vt incitetur ab ipso; tamen regitur à corpore cœlesti inclinatiuè, eò quòd recipit inclinationes ad aliquos actus magis quàm ad alios; & quia homines communiter, & in pluribus, plus insequuntur suas inclinationes, quàm illa, quæ suis inclinationibus opponuntur; ergo rationabiliter potest dici quòd actus liberi regantur à cælo, saltem inclinatiuè.

Secundò arguitur ad conclusionem, per Astrologos, qui ponunt quòd quædam magnæ coniunctiones sunt causæ inceptionis Sectarum, Religionum, & regnorum. Et ideò in terris, quas aspiciunt huiusmodi coniunctiones, generantur prophetiæ; & ad ista sequitur destructio quarundam opinionum; & renouationes aliarum. Et tempus durationis huiusmodi opinionum diuersificatur secundùm magnitudinem, & paruitatem coniunctionum, à quibus causabatur ista variatio. Et ideò concludo ab hoc, possibile est quòd magnæ opiniones regantur à magnis coniunctionibus, & paruæ à paruis. Et hoc pro secundo.

ARTICVLVS III.

De causa efficiente in particulari variationis opinionum.

DE tertio dico, quòd causæ particulares possunt reduci ad duas, quarum vna est paucitas, vel destructio hominum; alia inclinatio ipsorum. 5. *Causæ particulares possunt reduci ad duas.* Et quia paucitas hominum potest fieri diuersis modis, ideò quilibet istorum modorum potest dici causa particularis. Vnus est modus per pestilentiam, & mortalitatem, de quo loquitur Aristoteles in libro suo de Mundo, vbi dicit quòd per huiusmodi mortalitates euacuantur regna. Alter modus est per diluuium ignis, & de hoc loquitur Aristoteles in eodem libro. Tertius modus est per diluuium aquæ, & hoc quandoque per diluuium vniuersale, secundùm quod dicit Seneca *in sexto de naturalibus quæstionibus*. Quartus modus per guerras, & bella, per deordinationes ciuitatum, & politiarum, quia tunc homines minùs possunt vacare studiis.

Causa secunda est propter inclinationes hominum.

minum. Et hoc poteſt eſſe vel per inclinationes ipſorum ad deſidiam, & tunc opiniones mutantur in ignorantiam; vel propter inclinationes hominum ad nouitatem, ſicut quandoque Athenienſes ad nil aliud vacabant, niſi ad inueniendas nouas opiniones. Et conſimiliter de Anglicis.

Tertiò inclinatio illa poterit prouenire ex inhonoratione Clericorum, quia tunc magis deſiſtunt à ſtudio, quia inhonorati: & quandoque ex nimia occupatione hominum in aliis, ſicut quandoque multi ſunt ita dediti practicis quòd non poſſunt inſiſtere ad inquirendam veritatem. Et hoc de tertio.

ARTICVLVS IV.

De cauſa finali variationis opinionum.

6. *Triplex cauſa variationis opinionũ. Prima.* DE quarto dico, quòd triplex poteſt eſſe cauſa huiuſmodi variationis opinionum. Prima eſt, ad reprimendam malitiam hominum. Nam multoties error in ſpeculatiuis multùm valet ad reprimendam hominum malitiam. Verbi gratia, Dato quòd, per impoſſibile, nullus eſſet infernus, vel paradiſus, adhuc bonum eſſet fingere infernum eſſe, vt propter timorem homines deſiſterent à malis, & bonum eſſet fingere paradiſum eſſe, vt per ſpem continuarent in bonis.

Secunda. Secunda cauſa finalis, eſt propter exercitium humani ingenij, nam quia homines, vt in pluribus, delectantur in nouitatibus, ideò bonum eſt vt opiniones corrumpantur, & aliæ per exercitium renouentur.

Tertia. Tertia cauſa eſt propter decorem vniuerſi. Nam quandoque ab aliquo turpi tota congregatio redditur pulchrior; ita ſimiliter vniuerſum redditur pulchrius, & magis ordinatum, ex hoc, quòd quandoque interſeruntur errores.

Ad 1. arg. principale. Per hoc ad rationes. Ad primam, *ſequitur quòd ſententia*, &c. Negatur conſequentia, igitur ſcientia eſt æterna, quia ante quodlibet tempus erat ſcientia, & poſt quodlibet tempus; poſſibile tamen eſt quòd interciſa ſit, quia quandoque poſſet eſſe verum dicere, Nulla ſcientia eſt.

Ad 2. Ad ſecundam, *ſi aliqua ſcientia ſit probata*, &c. Verùm eſt, ſi non ſuperuenerit aliqua prædictarum cauſarum.

Ad 3. Ad tertiam, *ſequitur quòd aliquod*, &c. Concedo quòd poſſibile eſt eſſe aliquod tale tempus, in quo homines errent, & quantitas vnius temporis talis eſt ſecundùm magnitudinem coniunctionis, vel conſtellationis à qua prouenit iſte error.

Ad 4. Ad quartam, *ſicut ſenſus*, &c. Dico quòd non, eò quòd ſenſus non poteſt errare circa ſuum obiectum, intellectus bene poteſt.



QVÆSTIO VI.

Vtrùm vapor ſit de natura aëris, & exhalatio de natura ignis?

ARGVITVR quòd non, quia illud quod per ſolum motum localem ſegregatur ab aqua non eſt de natura aëris, ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo vapor non eſt de natura aëris. Maior apparet, quia per ſolum motum localem vnum elementum non tranſmutatur in aliud. Et minor patet per Ariſtotelem in iſto primo, vbi dicit quòd vapor primò eſt diſgregatio aquæ. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, illud quod propriæ naturæ derelictum conuertitur in aquam, eſt de natura aquæ; ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior apparet, nam ideò dicimus quòd aqua calefacta adhuc remanet aqua, eò quòd dimiſſa propriæ naturæ communiter ſe reducit ad frigiditatem. Et minor apparet, nam vapor tenuis, ex quo natus eſt fieri ros, ſtatim cùm deficit calor eleuans, conuertitur in aquam. *Secundum.*

Tertiò, quia illud quod differt ab aqua ſolùm ſecundùm differentias accidentales, eſt de natura aquæ; ſed vapor eſt huiuſmodi; ergo, &c. Maior apparet, quia ſolùm mutatio in accidentalibus non conſtituit diuerſitatem ſpecificam. Et minor apparet, quia vapor & aqua ſolùm differunt ab inuicem ſecundùm magis & minùs graue; ſecundùm denſum & rarum; & huiuſmodi qualitates. *Tertium.*

Quartò arguitur quòd exhalatio non eſt de natura ignis. Quia ſi ſic, ſequeretur quòd poſſemus percipere exhalationem aſcendere per aërem. Conſequens contra experientiam, ſaltem in pluribus. Et probatur conſequentia, quia ignis, vel illud quod eſt igneum faciliter eſt perceptibile. *Quartum.*

Quintò, quia exhalatio ab igne incenditur, & conſumitur, igitur exhalatio non eſt de natura ignis. Conſequentia tenet, nam cùm omnis actio proueniat à cõtrarietate, illud quod eſt de natura alicuius elementorum, non conſumeretur ab eodem, vel conſimili elemento. Antecedens patet per Ariſtotelem in iſto primo capite tractatus ſecundi, vbi vult quòd impreſſiones ignitæ generantur per incenſionem exhalationis. *Quintum.*

Sextò, quia exhalatio per ſolum motum localem ſeparatur à terra; igitur exhalatio non eſt de natura ignis. Conſequentia tenet, quia ſolus motus localis ſine aliqua alteratione non ſufficit mutare vnum elementum in aliud. Et antecedens apparet, quia ſtatim, cùm aliqua pars terræ liquefit, ſegregatur à toto, cuius eſt pars, & aſcendit per modum exhalationis. *Sextum.*

Septimò, exhalatio ſolùm differt à terra ſecundùm magis & minùs; ergo, &c. Tam antecedens, quàm conſequens probatur, ſicut probantur de vapore. *Septimum.*

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem in iſto primo, cap. 4. vbi dicit in fine, *Vapores enim naturâ ſunt calidi, & humidi, exhalationes calidæ, & ſiccæ.* *Oppoſit.*

De iſtâ quæſtione eſt vna opinio, quòd vapor non eſt de natura aëris, imò de natura aquæ; 2. *Opinio 1.*

&

& ſimiliter exhalatio non eſt de natura ignis, ſed de natura terræ. Et hoc probatur per rationes priùs factas.

Opinio 2. Alia opinio eſt, quòd vapor non eſt de natura alicuius elementi ſimplicis, imò eſt quoddam mixtum, imperfectum, ex duobus elementis, puta, vapor de aëre, & aqua, exhalatio de igne, & terra. Probatur, quia non ſolùm vapor conuertitur in aquam, imò etiam in aërem, nam non tota nubes conuertitur in aquam, imò alia pars eius in aërem.

3. *Aër ſumitur dupliciter.* Iſtis omiſſis, reſpondetur ad quæſtionem, modo primo, *Aër* poteſt accipi dupliciter. Primò pro corpore ſimplici habente formam ſubſtantialem, cuius diſpoſitiones naturales, ſcilicet caliditas, & humiditas, non ſunt admixtæ diſpoſitionibus contrariis. Et vocatur in propoſito forma ſubſtantialis ſimplex, non propter hoc, quòd non ſit compoſita ex diuerſis formis ſubſtantialibus, quia nulla eſt taliter compoſita, ſed præcipuè ideò dicitur eſſe ſimplex, quia nata eſt prouenire ex actionibus duarum qualitatum primarum, & non ex commixtione, vel proportione omnium qualitatum primarum. Alio modo accipitur *aër* pro tali corpore ſimplici habente formam ſimplicem, cuius tamen naturales diſpoſitiones, ſcilicet caliditas, & humiditas, ſunt admixtæ cum ſuis contrariis.

Quæ dicātur eiuſdem naturæ. Secundò ſciendum eſt, quòd illa dicuntur eiuſdem naturæ, quæ habent formam conſimilem, ita quòd materia nil facit ad diuerſitatem ſecundùm naturam.

Tertiò eſt ſciendum de definitionibus vaporum, & exhalationis. Vnde *vapor* eſt quidam fumus per aſtrorum & Solis actionem eleuatus ab aqua, & corporibus aqueis, cuius naturalis complexio eſt calida & humida, ex quo natæ ſunt fieri nubes, pluuiæ, grandines, rores, & pruinæ. *Vapor quid?* Sed *exhalatio* eſt fumus per actionem Solis, & aliorum aſtrorum calefacientium, à terra, & corporibus terrenis eleuatus, qui naturaliter eſt calidus & ſiccus, & ex quo natæ ſunt fieri impreſſiones ignitæ, ſtellæ comatæ, venti, & terræmotus. *Exhalatio quid?*

4. *Conluſ. 1. Vapor & exhalatio non ſunt de natura terræ, vel aquæ.* Secundùm hoc ponuntur concluſiones. Prima eſt hæc, quòd vapor, vel exhalatio non eſt de natura terræ, vel aquæ. Et hoc eſt verum de exhalatione, quantùm ad ſuas diſpoſitiones qualitatiuas, quamuis non quantùm ad ſuam formam ſubſtantialem. Probatur concluſio, quia iſta non ſunt eiuſdem naturæ, quæ habent naturales inclinationes oppoſitas; modò ſic eſt quòd vapor & exhalatio habet naturales inclinationes oppoſitas inclinationibus, quas habent aqua, & terra: igitur, &c. Maior patet, quia eadem, vel conſimilis natura eodem modo, vel conſimili inclinat. Et minor apparet, nam vapor & exhalatio ex ſuis naturis inclinantur ferri ſurſum; ſed terra, & aqua deorſum.

Concluſio 2. Vapor eſt de natura aëris. Secunda concluſio eſt, quòd vapor eſt de natura aëris. Probatur primò, quia vapor habet naturales diſpoſitiones aëris, ſcilicet caliditatem, & humiditatem; caliditatem ratione agentis, quod eleuat ipſum ab aqua; & humiditatem ratione paſſi, à quo eleuatur.

Secundò, ſi non eſſet de natura aëris, maximè eſſet de natura aquæ, eò quòd alia elementa non participant humiditatem, modò conſequens falſum. Primò per præcedentem concluſionem. Secundò, quia tunc vapor non conuerteretur in aquam, quod eſt contra experientiam. Et probatur conſequentia, quia idem non conuertitur in naturam ſuiipſius, vel conſimilem.

Tertia concluſio eſt, quòd exhalatio quantùm ad diſpoſitiones qualitatiuas primas, eſt de natura ignis. Probatur, nam id, quod eſt calidum & ſiccum, eſt de natura ignis; ſed exhalatio eſt huiuſmodi; ergo, &c. Nam aliter non eſſet faciliter inflammabilis. Secundò, quia habet caliditatem reſpectu agentis, & ſiccitatem reſpectu paſſi, à quo eleuatur. 5. *Concluſio 3. Exhalatio eſt de natura ignis, quomodo?*

Quarta concluſio eſt, quòd exhalatio non eſt de natura ignis, quantùm ad formam ſuam ſubſtantialem. Probatur, ſupponendo quòd non quælibet caliditas ſufficit ad generationem ignis, imò nulla citra ſummam, niſi fuerit materia optimè diſpoſita ad introductionem formæ ignis. Iſta ſuppoſitio patet, nam aliter non poſſet aſſignari quis gradus ſufficeret ad introductionem ignis, & quis non. Tunc hoc ſuppoſito, patet quòd terra ſit valdè ineptè diſpoſita ad introductionem formæ ignis, quia in ipſa non poteſt introduci forma ignis, niſi fuerit multum intenſa, quia dato quòd ſic, iam experiremur videre caliditatem in eius aſcenſu, quod eſt falſum. *Concluſio 4. Quomodo nō?*

Contra ſecundam concluſionem, quæ dicit quòd *vapor eſt de natura aëris*, arguitur quòd non, quia illud non eſt de natura aëris, quod per modicam actionem poteſt conuerti in aquam: ſed vapor per paruam actionem poteſt conuerti in aquam; & ita ſimiliter de aëre mediæ regionis; ergo, &c. Et minor apparet, nam vapor, ex quo natus eſt ros generari, ſuperueniente frigiditate noctis valdè repente, conuertitur in aquam. 6. *Obiect. 1. contra 2. concl.*

Secundò arguitur per quandam experientiam Alberti, qui dicit quòd ſi argentum viuum ponatur in aqua roſacea, citò exhalatur illud argentum; & ſi ſupponatur vas ſpiſſum, & frigidum, tunc illud argentum viuum exhalatum iterum conuertitur in argentum viuum; quod non poſſit fieri, ſi illud argentum per exhalationem fuiſſet conuerſum in aërem. Ergo à ſimili, vapor exhalatus ab aqua non ſtatim conuertitur in aërem, ſed adhuc manet aqua. *Obiectio 2.*

Ad primum, *id quod per modicam,* &c. Negatur maior, propter duas cauſas. Prima eſt, nam vapor iſte non ſtatim reſolutus eſt ab aqua, ideò per valdè modicam actionem poteſt reuerti ad propriam naturam, tamen qualitates ſymbolæ adhuc manent in ipſo valdè intenſæ. Alia cauſa eſt, quia vnum contrarium cùm multum fuerit paſſum à contrario, faciliùs eſt receptiuum cuiuſcunque impreſſionis, quàm aliud ſimile, quod non eſt paſſum à ſuo contrario; modò cùm vapor iſte, priuſquam fuerat reſolutus multum paſſus erat à caliditate, multò faciliùs poteſt recipere impreſſionem à frigido, quàm aqua non paſſa à caliditate. 7. *Reſponſ. ad 1.*

Ad ſecundum poteſt dici dupliciter. Vno modo, quòd illud argentum viuum non mutatur in aliam naturam, ſed præciſè diminuitur ſecundùm partes diminutas, & ideò ſuperueniente frigiditate partes iſtæ reuertuntur in propriam naturam. Aliter dicitur ſicut ad præcedentem, quòd non eſt inconueniens quòd iſtud exhalatum ex argento viuo faciliter conuertatur in argentum viuum, eò quòd adhuc eſt valdè propinquum ſuæ naturæ, propter qualitates ſymbolas exiſtentes in eo. *Ad 2.*

Ad argum. 1. principale. Ad rationes, & ad primam *quod per solum motum*, &c. Concedo consequentiam, & nego minorem, quia quamuis vapor disgregetur ab aqua, hoc tamen est per primam alterationem, imò etiam cum generatione.

Ad 2. Ad secundam conceditur maior, & negatur minor, nisi superuenerit frigiditas ingrossans illum vaporem.

Ad 3. Ad tertiam, *illud quod solum*, &c. Conceditur maior, & negatur minor, eò quòd vapor natus est conuerti in aquam, quod non esset, si esset eiusdem formæ substantialis cum aqua.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd si exhalatio esset ignis purus, adhuc in ascensu suo non perciperetur à visu. Nam solus ignis existens in corporibus mixtis non percipitur à visu.

Ad 5. Ad quintam, *exhalatio incenditur*, &c. Concedo, quia adhuc non est perfectè assimilata igni, secundùm gradum suæ qualitatis.

Ad 6. Ad sextam, *quia exhalatio per motum solum*, &c. Negatur consequentia, imò eleuatur mediante alteratione: vt dictum fuit de vapore.

Ad 7. Ad septimam, illa probat verum, nam concessum est, quòd exhalatio antequam inflammetur non differt substantialiter à terra. Dictum est



QVÆSTIO VII.

Vtrùm ignis in concauo orbis Lunæ circulariter moueatur.

1. *Arg. 1.* ARGVITVR quòd non, quia tunc ista elementa inferiora, vt Aqua, & Terra, deberent etiam circulariter moueri: Consequens falsum, vt patet per experientiam, nam si erigatur baculus super terram, super cuius extremum superius ponatur aliquod graue, si postea remoueatur baculus localiter, graue cadet super istum punctum terræ, quod directè substabat baculo, quod non esset, si terra fuisset mota circulariter; ergo, &c. Probatur consequentia, quia non est maior ratio de vno elemento, quàm de alio.

Secundum. Secundò, quia vel ignis mouetur circulariter naturaliter, vel violenter; non naturaliter, quia ignis non habet naturales dispositiones, à quibus de natura proueniret huiusmodi motus; si violenter, hoc est falsum, quia tunc non posset perpetuari, & tamen in perpetuo cælum mouetur circulariter.

Tertium. Tertiò, si sic, sequeretur quòd eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam: consequens contra Aristotelem *in primo Cæli.* Nam vnius corporis simplicis est vnus solùm motus simplex, vt patet *ibid.* Probatur consequentia, nam ignis esset motus circularis in suâ sphærâ, & etiam motus sursum, vt patet *primo Cæli.*

Quartum. Quartò, si moueretur circulariter, esset pro tanto, quia traheretur à cælo: consequens falsum; igitur & antecedens. Consequentia tenet, quia aliunde non potest esse causa istius circulationis. Falsitas consequentis patet, quia trahens, & tractum debent ad inuicem religari, vt patet 7. *Physicorum*, & tamen non apparet aliqua colligantia, imò nec potest esse inter cælum & ignem; ergo, &c.

Quintò, quia omne corpus naturale, cùm peruenerit ad locum, ad quem naturaliter tendit, naturaliter quiescit, modò ignis est quoddam corpus naturale, naturaliter inclinatum ad locum sursum: ergo cùm ad illum peruenerit, dicitur ibi naturaliter quiescere. Maior patet, quia frustra mouetur ad illum locum, vbi non potest quiescere. Et minor apparet, primò, quòd sit corpus naturale, quia habet in se principium motus, & quietis. Et quòd inclinetur ad sursum patet, nam hoc est de ratione leuitatis, quam sibi determinat ignis. *Quintum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Opposit.*

In ista quæstione primò videbitur de supposito; deinde de quæsito. Vnde quod supponit est, quòd ignis est in concauo orbis Lunæ, & hoc supposito, Vtrùm ibi mouetur circulariter? 2.

ARTICVLVS I.

Ignis est in concauo orbis Lunæ.

QVantùm ad primùm sciendum est, quòd non debemus imaginari ignem in sua sphæra ad modum, quo est ignis hîc inferiùs, flamma, vel carbo, sed debemus imaginari sicut in fornace, vbi liquefiunt vitra. Nam vbi vitrum in flamma ponitur, vel carbonibus illius fornacis, longo tempore durat priusquam liquefiat; sed si ponatur prope in isto, vbi apparet clarus, & diaphanus aër, tunc statim liquefit. Modò certum est quòd ibidem non est aër, quia aër non potest pati tantam caliditatem; igitur veraciter est ignis talis, qualis est in concauo orbis Lunæ. *Ignis in sua sphæra qualis?*

Secundò sciendum est, quòd ignis est corpus simplex quoddam, habens duas qualitates primas, & non plures, scilicet caliditatem, & siccitatem, non admixtas cum suis contrariis, quia inter omnia generabilia, & corruptibilia est magis calidum, & leue, magis rarum, & diaphanum. 3. *Est corpus simplex.*

Tertiò, præmittendum est de finibus grauium, & leuium; vnde quoddam elementum magis mouetur finaliter, vt coniungatur totali elemento, cuius ipsum est pars, quàm vt propriè sit in tali loco, vel tali: verbi gratia, particula terræ, vel aquæ existens sursum potiùs descendit, si sit aqua, vt coniungatur aquæ; si sit terra, terræ, quàm propriè esse in tali loco, vel tali. cuius signum est, quòd cum particula suo toti est coniuncta, quamuis actus grauitatem habet, non tamen habet tractum grauitatis; & ideò elementa non sunt grauia in suis sphæris, vel locis propriis. *Fines grauium.*

Alius finis potest esse, quia semper elementum grauius mouetur vt subsit leuiori, sicut terra naturaliter mouetur, vt subsit aquæ, & aër vt superemineat aquæ.

Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd in concauo orbis Lunæ est ignis. Quæ conclusio probatur sic; quia ad experientiam videmus quòd corpora leuia, quæ sunt de natura ignis, ascendunt superiùs per aërem naturaliter; tunc ergo vel iste ascensus est, vt illud ascendens coniungatur alicui consimili naturæ, vel propriè vt possit supereminere aëri. Si primo modo 4. *Conclusio 1. Ignis est in cõcauo Lunæ.*

modo habetur propositū, videlicet quòd ibi superius est aliquid consimilis naturę, scilicet ignis. Si detur secundum, sequeretur quòd frustra ascenderet versus illum locum, ex quo ita citò sicut ibi veniret corrumperetur. Secundò, dato quòd totum intermedium dehinc vsque ad orbem Lunæ esset repletum aëre, statim præ nimia velocitate aër iste calefieret ad gradum caloris, sub quo non posset forma aëris stare, & sic statim conuerteretur in ignem.

Tertiò, sicut se habet exhalatio ad vaporem, sic se habet ignis ad aërem; sed exhalatio altiùs ascendit quàm vapor; ergo ignis altiùs ascendit quàm aër, & istam rationem innuit Aristoteles in isto primo.

Quartò, necesse est semper terram esse; ergò semper ignem esse. Tenet consequentia, quia ignis & terra contrariantur; nam ignis est leuissimus, & rarissimus, terra grauissima, & densissima: modò si vnum contrariorum sit in natura, & reliquum esset. Antecedens apparet, quia si necesse est cælum semper moueri, necesse est terram semper esse; & illud ponit Aristoteles 2. *Cæli.*

5. *Obiectio.* Contra conclusionem arguitur, quia si inter nos, & cælum esset ignis, sequeretur quòd nunquam possemus comprehendere vera loca Planetarum, & stellarum. Consequens contra Astrologos, qui loca Planetarum obseruauerunt. Probatur consequentia, quia semper Planetæ viderentur extra sua propria loca; nam ignis & aër essent inter nos, & cælum secundùm medium diuersæ diaphaneitatis, & occurrente medio diuersæ diaphaneitatis frangitur radius visualis, vt patet in Perspectiua, quæ fractio facit rem apparere alibi quàm est.

Responsio. Ad illud dicitur negando consequentiam, quia dato quòd adhuc radiùs refrangeretur in occursu eius ad sphæram aëris, adhuc per Perspectiuam potest inueniri anguli quātitas, vel refractionis; & sic adhuc poterunt inueniri, vel haberi vera loca Planetarum. Aliter dicitur, quòd ignis & aër non multùm differunt in raritate, & densitate; ideò diuersitas ista non sufficit refrangere radium, nisi dicatur quòd quælibet difformitas aliquid refrangit de radio sibi occurrente. Sed probatur quòd non, quia si *A* radius refrangatur in occursu *B*, & *C.* medij, tunc intendatur *A* vsque ad duplum, & remittatur *C* medium densius vsque ad subduplum, & iterum radius consimiliter augmentetur, & medium conformiter remittatur in densitate. Tunc quæro vtrùm per talem continuam intensionem radij, & conformem remissionem densitatis mediorum radius iste pertransibit irrefractus, vel non? si sic, habetur propositum; si non, contrà, quia per talem augmentationem radij deuenietur ad maiorem fortitudinem in gradu intensionis, quàm sit intensio radij perpendicularis super duo media diuersarum diaphaneitatum, & iste perpendicularis transit irrefractus, vt patet per Perspectiuam; ergo à multò fortiori iste radius, qui est multò fortior eo.

6. *Obiectio.* Secundò arguitur contra conclusionem, quia si inter nos & cælum esset ignis, sequeretur quòd prohiberet nos à visione stellarum. Consequens contra experientiam. Et probatur consequentia, quia nos videmus in istis inferioribus quòd ignis positus inter visum, & aliquod visibile prohibet visionem istius.

Ad illud, negatur consequentia, quia ignis hic inferiùs existens, non est similis igni existenti extra orbem Lunæ, imò, vt dictum est, ignis infra orbem Lunæ est magis perspicuus, & diaphanus, quàm sit aër. *Responsio.*

Secunda conclusio est, quòd ignis est in concauo orbis Lunæ, tanquam in loco naturali. Probatur, quia elemento leuissimo, & nobilissimo debetur locus maximè sursum, & nobilissimus; sed ignis est elementum leuissimum, & nobilissimum, & concauum orbis Lunæ est locus maximè sursum, inter loca corruptibilium, & generabilium; igitur, &c. Maior patet, quia locus & locatum debent ad inuicem proportionari. Prima pars minoris apparet 2. *de Generatione, & 2. Cæli*, & secunda pars nota quantùm ad hoc quòd iste locus est maximè sursum inter loca generabilium, & corruptibilium: sed quòd sit locus nobilissimus apparet, quia quantò loca sunt à nobis remotiora, tantò sunt nobiliora. *Conclusio 2. Ignis est in cōcauo Lunæ, vt in loco naturali.*

Contra conclusionem arguitur sic; illud non est locus ignis, quòd aptum natum est corrumpere ignem, & habet dispositiones contrarias dispositionibus ignis; modò sic est de orbe Lunæ, qui est frigidus & humidus, cùm sit de natura stellæ, quam defert, scilicet Lunæ, quæ est frigida, & humida. 7. *Obiectio prima.*

Secundò, orbis Lunæ est mobilis: ergo non est locus ignis. Consequentia tenet, quia locus dicitur esse immobilis ex 4. *Physicorum*. *Secunda.*

Tertiò, medium mundi est locus nobilissimus; igitur debetur igni. Consequentia tenet, quia est elementum nobilius. Antecedens apparet, quia medius mundi locus est magis remotus ab extraneis contrarietatibus. *Tertia.*

Ad ista, & primò ad primum, dicendum est quòd orbis Lunæ, propter velocitatem sui motus, est satis conseruatiuus ignis, quamuis sit contrarius sibi secundùm dispositiones virtuales, quos habet. *Ad 1. obiect.*

Ad secundum, *locus est immobilis*, &c. de hoc debet videri *in* 4. *Physicorum*, quia sic est immobilis secundùm æquiualentiam. *Ad 2.*

Ad tertium, negatur quòd medium mundi sit locus nobilissimus, imò est magni vilis inter alia loca, & magis subiectus contrarietatibus. Et hoc est de primo. *Ad 3.*

ARTICVLVS II.

An ignis moueatur circulariter in concauo orbis Lunæ?

DE secundo, sit cōclusio ista, quòd ignis mouetur circulariter in concauo orbis Lunæ. Probatur, quia cælum mouetur circulariter, & superior regio aëris mouetur circulariter; ergo & ignis, &c. Consequentia tenet, quia non est benè imaginabile, vel saltem consonum rationi, quòd illa duo loca extrema moueantur circulariter, & medium non. Prima pars antecedentis est apertè nota, & secunda apparet per quoddam signum. Nam stella comata, quæ generatur in suprema regione aëris mouetur circulariter, & non diuidendo aërem, quia tunc statim consumeretur; igitur mouetur ad motum aëris. 8. *Conclusio 1. Ignis mouetur circulariter in concauo Lunæ.*

Sed dubitatur, quomodo est hoc, quòd ignis & superior aëris regio moueantur ad motum cæli

cæli circulariter, & elementa inferiora non? Causa potest esse duplex. Vna, quia locus scilicet illius ignis non tantùm elongatur inferius. Alia, quia ignis & superior aëris regio sunt multùm leues, & propter suam leuitatem multùm inclinantur sursum, & ratione istius inclinationis fortiter inhærent cælo, propter quam adhærentiam deferuntur vnà cum motu cæli. Sed media aëris regio, & quicquid est hîc inferiùs sunt grauia quodammodo, & ideò non adhærent sursum, nec oportet ea moueri tali motu.

Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam. Negatur consequentia, & iam solutio est.

Ad 2. Ad secundam, *vel naturaliter*, &c. dico quòd motus iste fit præter naturam, quia nec fit cum inclinatione mobilis, nec contra inclinationem.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc vnius*, &c. Negatur consequentia, nam iste motus circularis non est secundùm naturam.

Ad 4. Ad quartam, *hoc esset quia traheretur*, &c. conceditur, dico quòd est sufficiens colligatio, scilicet adhærentia ignis ad ipsum cælum per inclinationem ipsius ignis ad sursum.

Ad 5. Ad quintam, *omne corpus naturale cum peruenerit*, &c. verum est quiete oppositâ motui, quo mouebatur ad suum locum.



QVÆSTIO VIII.

Vtrùm aër sit naturaliter calidus & humidus?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia duæ qualitates non possunt inesse alicui elemento puro; ergo non naturaliter. Consequentia tenet per simile, & antecedens 2. *de Generatione*.

Secundum. Secundò, illud quod est quandoque calidum, quandoque frigidum, non est naturaliter calidum; sed de aëre ita est: ergo, &c. Minor apparet ad experientiam, nam aër in hyeme est frigidus, in æstate calidus. Maior quoque patet, quia quod est naturale alicui, eidem inest eodem modo.

Tertium. Tertiò, illud quod est magis frigidum, quàm corpus humanum, non est naturaliter calidum; sed aër est magis frigidus quàm corpus humanum; ergo. Maior apparet, quia corpus humanum est magis frigidum, quàm calidum; vt patet ex duobus. Primò, quia in ipso dominatur terra, vt patet 4. *huius*; modò terra est frigida & sicca. Secundò, eò quòd nos sumus magis perceptiui caliditatis, quàm frigiditatis, vt patet per experientiam; sed non esset ita, nisi plus haberemus de frigiditate, quàm caliditate; ergo, &c.

Quartum. Quartò arguitur, quòd non sit naturaliter humidus, quia vnumquodque elementum magis participat naturam elementi locantis, quàm elementi locati; sed ignis locat aërem; igitur aër plus participat de natura ignis, quàm aquæ, cùm ignis sit locus aëris, & aër sit locus aquæ, & cùm ignis sit siccus, sequitur quòd aër sit siccus. Maior patet, quia locus dicitur esse conseruatiuus locati; & minor apparet per præcedentem quæstionem.

Quintò, si aër esset naturaliter humidus, sequeretur quòd maximè esset inferior regio aëris; sed aliqua pars illius non est humida; ergo, &c. Maior patet, quia pars inferior est magis propinqua aquæ, quæ est elementum humidum, quàm aliqua pars eius superior, à quo potest alterari ad humiditatem. Et minor patet, quia experimur in nobis corpus nostrum magis desiccari ab isto aëre inferiori, quàm humectari. *Quintum.*

Sextò arguitur quòd aër non sit naturaliter calidus, quia aër non est summè calidus; ergo, &c. Consequẽtia tenet quia in hoc differunt elementa simplicia à corporibus mixtis; nam quælibet qualitas, quam sibi determinat corpus simplex, dicitur esse in summo, & qualitates corporis mixti citra summum. Et antecedens apparet, quia nulla sunt corpora calidiora aëre, sicut ignis. *Sextum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Opposit.*

Pro quæstione est sciendum secundùm quod apparet 2. *de Generatione*, quòd quatuor sunt elementa simplicia, scilicet ignẽ, aër, &c. quorum cuilibet attribuuntur duæ qualitates primæ in sua naturali dispositione, scilicet igni caliditas, & siccitas, &c. & cuilibet istorum inest vna primarum qualitatum in summo, & alia non. Et hoc potest multipliciter exponi. Vno modo, tenendo quòd qualitates symbolæ in diuersis elementis sunt eiusdem speciei, sicut caliditas ignis, & caliditas aëris, & tunc dico quòd cuilibet istorum elementorum inest vna qualitas prima, eò quòd vna inest sibi in summo, & alia citra summum, & eo ordine, quo ponit Aristoteles 2. *de Generatione*. Sed si teneretur quòd qualitates symbolæ diuersorum elementorum essent diuersarum specierum, tunc oporteret concedere quamlibet qualitatem elementi esse in summo, ita quòd æquè intensa esset caliditas aëris, ac ignis; nec oportet quòd ista appareant æquè intensa, quæ sunt diuersarum rationum. *2. Quatuor sunt elementa simplicia.*

Secundò est sciendum, quòd aliquam qualitatem inesse alicui naturaliter, intelligitur dupliciter. Vno modo, quia illud non potest esse sine ista qualitate, quemadmodũ diceremus quòd caliditas inest naturaliter homini; eò quòd sine ipsa non potest viuere. Alio modo potest dici quòd qualitas naturalis inest alicui elemento, non quia sit nata sibi, sed nata est ad sui generationem, eò quòd elementum illud non potest sine ipsa generari. Sicut dicimus frigiditatem naturam aquæ, quia sine ipsa non potest aqua generari, quamuis sine ipsa possit bene esse, & permanere. *3. Qualitas inest naturaliter alicui dupliciter.*

Tertiò sciendum est, quòd nunquam elementum aliquod corrumpitur per intensionem vnius qualitatis, quam sibi determinat primò, quamuis benè possit corrumpi per intensionem alterius, quam scilicet sibi determinat citra summum.

Secundùm hoc sit prima conclusio, quòd aër non est naturaliter calidus. Probo sic: quia caliditas est sibi natura ad *esse*. Probatur, illud non est naturaliter calidum, quod quandoque est calidum, quandoque frigidum; sed aër est huiusmodi: ergo, &c. Maior patet, quia quod potest esse sine caliditate non determinat sibi caliditatem ad *esse* sui. Et minor apparet ad experientiam. *Conclus. 1. Aër non est naturaliter calidus.*

Secunda conclusio, quòd aër est naturaliter humidus. Probo, quia nullum elementum potest esse sine qualitate ista, quam sibi primò determinat: sed aër primò sibi determinat humiditatem: *Conclus. 2. Aër non est naturaliter humidus.*

ditatem : ergo, &c. Maior patet inducendo. Nam ignis non potest esse sine caliditate, nec terra sine siccitate, nec aqua sine frigiditate virtuali, cuius signum est, quòd quandocunque aqua fuerit calida, vel redacta extra naturalem dispositionem, adhuc si dimittatur propriæ naturæ, se reducet ad frigiditatem. Et minor apparet per Aristotelem *secundo de Generatione.*

5. *Obiectio.* Sed contra minorem obiicitur, quia aqua est magis humida quàm aër, igitur aër non est primò humidus. Consequentia tenet, quia qualitas primò inexistens elemento debet esse summà. Et antecedens apparet, nam corpora sicca citiùs humefiunt in aqua, quàm in aëre, vt patet ad experientiam.

Solutio. Ad illud, negatur antecedens. Ad probationem, dico quòd aqua benè plus humefacit per commixtionem ipsius cum aliquo sicco, sed per actionem non sic, quia alterando humiditas aëris plus humefacit, sed commiscendo humiditas aquæ.

6. *Conclusio 3. Aër est naturaliter calidus & humidus.* Tertia conclusio est, quòd aër est naturaliter calidus & humidus, capiendo *naturaliter* secundo modo. Probo. Illud est naturaliter calidum & humidum, quod non potest generari sine caliditate, & humiditate; sed aër non potest: ergo, &c. Maior patet, quia hoc intelligimus per *naturaliter.* Et minor apparet in omnibus modis, quibus constat aërem generari, nec vna istarum qualitatum sufficeret ad suiipsius generationem; nam si humiditas remittatur per siccitatem remanente caliditate, tunc ex ipsa generatur ignis; & si è contrario caliditas remittatur, per frigiditatem, generabitur aqua.

Secundò, quia aër est calidus & humidus: ergo naturaliter est. Et quamuis consequentia non tenet de forma, tamen tenet in proposito, pro tanto quòd nec aër, nec aliquod aliud elementum, habet suas dispositiones ab aliquo extrinseco.

7. *Obiectio prima.* Contra conclusionem arguitur primò quòd aër non sit naturaliter calidus, quia media regio aëris non est calida; igitur nec aliqua pars eius. Antecedens patet per Aristotelem *in primo Physicorum.* Et probatur consequentia, quia aliæ partes aëris à media regione sunt propinquæ elementis contrariis, à quibus possunt alterari in contrarias dispositiones illis, quas determinant sibi naturaliter; sed sola media regio aëris stat remota ab elementis contrariis, ideò potiùs dicitur esse in sua naturali dispositione.

Secunda. Secundò, quia aër cùm fuerit calefactus à Sole, si dimittatur propriæ naturæ, reducit se in frigiditatem; ergo aër non est naturaliter calidus. Consequentia tenet, quia tunc de sua dispositione naturali in aliam dispositionem innaturalem se transmutaret. Et antecedens patet per experientiam, quia videmus quòd quantumcunque aër fuerit calefactus de die, remoto Sole reducit se ad frigiditatem.

Tertia. Tertiò dubitatur, qualiter aër cùm sit naturaliter calidus, appetatur ad refrigerium animantium.

Quarta. Quartò arguitur quòd non sit humidus, quia si sic, maximè esset pars aëris in nostra regione existens; sed hoc non: ergo, &c. Maior patet, quia ille aër hìc inferiùs est magis propinquus aquæ, quæ est elementum frigidum, à quo possit alterari ad humiditatem. Et minor patet, quia videmus aërem desiccare humida, circumscripto lumine Solis, vel aliquo desiccante.

Quinta. Quintò, maior pars aëris, siue principalior, non est humida; igitur aër non est humidus. Consequentia tenet, quia à maiori parte habet fieri denominatio. Antecedens apparet, quia superior regio est pars principalior, & maior, quæ non est humida; quia secundùm Aristotelem *in isto primo*, est velut ignis; modò ignis est siccus.

8. *Ad 1. obiect. Sole recedente elementa frigida alterant aërem violenter ad frigiditatē.* Ad ista. Ad primum negatur consequentia, quia media regio aëris est semper frigida, & causa dicetur in quæstione super hoc.

Ad 2. Ad secundum, *id quod reducit se*, &c. concedo si ex sua natura reducit se ad frigiditatem; modò sic non est de aëre, quia transeunte Sole extra hemisphærium, tunc elementa frigida, scilicet aqua & terra, alterant aërem violenter ad frigiditatem. Similiter exhalationes, & vapores eleuati à terra & ab aqua, propter remotionem calefacientis reuertuntur ad propriam naturam, & ipsæ alterant aërem ipsum infrigidando. Similiter quandoque transacto Sole extra hemisphærium, aër infrigidatur ab aliqua constellatione cæli, quæ virtualiter est frigida. Sicut patet quòd est triplex alterans aërem ad frigiditatem, scilicet elementa frigida; exhalationes, & vapores eleuati; & corpus cœleste.

Ad 3. Aër si esset purus, nō esset aptus refrigerio animalium. Ad tertium, dico quòd aër si esset purus, nullo modo conueniret ad refrigerium animatorum, eò quòd iste aër esset nimis calidus, scilicet vltra caliditatem naturalem omnium, vel saltem plurium viuentium, vt probat vna ratio. Optimum igitur refrigerium, quod habemus ex aëre, prouenit ex duobus, vel altero duorum, scilicet ex primis corporibus commixtis aëri, quæ resoluta sunt ab elementis frigidis, scilicet aquâ & terrâ, quæ corpora adhuc habent naturam frigiditatis; vel prouenit refrigerium ex frigiditate causatâ in aërem ab elementis frigidis, supposito quòd non essent huiusmodi corpora prima.

9. *Ad 4. Aër quomodo desiccet corpora.* Ad aliam de humiditate potest dici quòd aër desiccat corpora madida, humefacta humiditate aqueâ, ratione sui caloris resoluentis, & non ratione siccitatis. Aliter potest dici, quòd desiccatio ista prouenit ex parte corporum commixtorum aëri, quæ eleuantur à terra.

Ad 5. Ad aliud argumentum, potest negari antecedens, quia si imaginetur diametrum spissitudinis superioris regionis aëris diuidi in duo æqualia, tunc potest dici fortè verisimiliter, & benè, quòd medietas inferior est aër purus, secundùm quod aër conuenientissimè exigit caliditatem cum humiditate, sed superior medietas est aliqualiter desiccata, & adusta, ratione ignis sibi propinqui.

***

QVÆSTIO IX.

Utrùm media regio aëris sit semper frigida?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd media regio aëris citò descenderet, propter frigiditatem, ad terram. Probatur consequentia, quia media regio aëris cùm semper sit frigida, semper grauescit, & condensatur, & per consequens debet descendere.

Secundum. Secundò, sequitur quòd media regio aëris statim deberet conuerti in aquam. Consequens falsum, quia tunc non esset media regio aëris ampliùs, & per consequens non semper esset frigida. Probatur consequentia, quia ex aëre per infrigidationem generatur aqua, remanente humiditate.

Tertium. Tertiò, vel media regio aëris semper est frigida ex sua propria natura, vel ex natura loci. Non de sua propria natura, quia omnis aër est naturaliter calidus, & humidus, vt patet præcedente quæstione. Nec ex natura loci, quia elementa, quantò sunt remotiora à nobis versùs sursum, sunt calidiora, cùm sint propinqua causis calefactiuis.

2. *Quartum.* Quartò, quia vel media regio aëris semper est frigida naturaliter; & hoc non, quia aër determinat sibi naturaliter qualitatem oppositam; vel violenter, & hoc non, quia nullum violentum est perpetuum, & tamen perpetuò est media regio aëris frigida.

Quintum. Quintò, quia vel ista frigiditas prouenit à natura intrinseca aëris, vel ab aliquo alio agente; non ex natura, quia aër est naturaliter calidus, vt dictum est; nec ex natura alterius agentis, quia vel hoc esset ex parte elementorum frigidorum, vel ex parte corporis cœlestis. Non primo modo, quia cùm ista elementa, etiam quodcunque aliud agens, priùs agant in partem passi propinquiorem iis, quàm in partem remotiorem, sequitur quòd priùs frigefiet ab iis inferior regio aëris, quàm media, quod est falsum per experientiam: nec ex parte corporis cœlestis, nam corpus cœleste agit in ista inferiora, per motum, & lumen; modò motus est calefactitius; vt patet 1. *huius.* Similiter omne lumen est calefactitium, si sit corporis cœlestis; quod probatur primò, quia lumen Solis est calefactitium; igitur quodlibet aliud lumen cæli. Tenet consequentia, quia inter astra cæli solus Sol habet lumen de natura propria, ita quòd omnes aliæ stellæ recipiunt ab ipso lumen ad modum, quo speculum obiectum candelæ recipit lumen ab illa candela, vt patet in libro de proprietatibus elementorum.

Secundò probatur illud, quia si aliquod lumen cæli non esset calefactitium, maximè esset lumen Lunæ, eò quòd Luna ponitur esse magis frigida; sed hoc non, quia dicit Aristoteles *lib. de historijs animalium*, quòd noctes in plenilunio cæteris paribus sunt calidiores, quàm in coniunctione, vel quadraturis, quod non esset, nisi lumen Lunæ calefaceret: ergo, &c.

3. *Sextum.* Sextò, vnumquodque elementum potiùs in medio habet dispositiones suas naturales, quàm in aliqua alia parte eius: ergo, &c. Antecedens apparet, quia medius locus sphæræ alicuius elementi est magis remotus ab elementis contrariis, à quibus illud elementum possit corrumpi. Et consequentia tenet, ex quo ista regio stat in medio aëris: ergo, &c.

Septimò, ista pars aëris, quæ est magis propinqua causis caliditatis, & remotior à causis frigiditatis, potiùs est calida, quàm frigida; modò media regio aëris sic se habet: ergo, &c. Maior patet, quia propinquitas, vel remotio passi ab agente confert ad intentionem qualitatis introducendæ. Et minor apparet, quia media regio aëris est propinquior sphæræ ignis, & corpori cœlesti, & remotior à terra, & ab aqua, quàm sit inferior regio aëris: ergo ipsa est calidior inferiori regione. *Septimum.*

Octauò, quia alia elementa non habent difformitatem in partibus suis, quantùm ad quantitates: ergo nec etiam aër. Consequentia tenet, quia non videtur minor ratio de aëre quàm de aliis elementis. *Octauum.*

Nonò, sequeretur quòd in media regione non possent fieri impressiones ignitæ. Consequens falsum; nam ibi sunt tonitrua, fulgura, & coruscationes, vt patet per Aristotelem. Tenet consequentia, quia exhalationes illæ statim congelarentur à frigiditate mediæ regionis, & prohiberetur eorum inflammatio; ideò media regio aëris non semper est calida: ergo nec frigida. *Nonum.*

Oppositum arguitur per expositores in isto primo. *Opposit.*

In ista quæstione tria sunt videnda. Primò, de distinctione regionum aëris secundùm situm, qualitatem, & figuram. Secundò de frigiditate mediæ regionis, & de causis ipsius, agente & finali. Tertiò, mouebuntur dubia contra dicta.

ARTICVLVS I.

De distinctione regionum aëris, secundùm situm, qualitatem, & figuram.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd tota sphæra aëris imaginatur diuidi in tres partes, quarum prima est inferior circa nos, quæ incipit à superficie terræ, & aquæ, eleuata superiùs secundùm spissitudinem vsque ad istum locum, ad quam terminantur radij Solis refracti à terra. Et illa prima regio continuè mutatur ab vna dispositione in aliam, propter actionem elementorum frigidorum, & propter actionem corporum cœlestium. 4. *Aëris tres regiones. Prima.*

Sed post istam est media regio aëris, quæ incipit à parte inferiori in illo loco, ad quem terminantur radij Solis refracti à terra, & durat secundùm spissitudinem vsque ad locum illum, ad quem altissimè possunt ascendere nubes; & hoc est altè à terra per quadraginta vnum milliaria, quadraginta autem minuta, & 31. secunda, vt vult Alhazenus *in tractatu de crepusculo*, & ista media regio aëris, vel aliqua eius pars semper stat in eadem dispositione, quia semper est *Secunda.*

est frigida. Deinde, pars aëris, quæ est ab ascensione nubium vsque ad sphæram ignis, videtur suprema regio aëris, cuius pars inferior satis magna habet dispositiones naturales, secundùm quòd aër exigit in sua naturalissima dispositione. Sed pars superior illius tam propter motum, quàm propinquitatem ad ignem, semper est calida, & sicca, & de ista parte dicit Aristoteles *in isto primo*, quòd est velut ignis; & hoc est verum quantùm ad dispositiones qualitatiuas. Patet igitur qualiter istæ regiones distinguuntur secundùm situm, & qualitatem.

5. *Dubium 1.* Sed dubitatur, cùm media aëris regio incipiat à parte inferiori, in loco isto, ad quem radij Solis refracti à terra terminantur, quæro vbi est locus, ad quem terminantur illi radij?

Secundum. Secundò, vtrùm in omni regione ascensiones nubium sunt æquè altè?

Tertium. Tertiò dubitatur de figura mediæ regionis.

Ad 1. dub. Radij Solis variè terminantur. Quantùm ad primum, dico quòd in diuersis partibus terræ radij isti in diuersis locis terminantur, secundùm quòd Sol magis, vel minùs de directo aspicit aliquam partem terræ. Nam quantò directiùs respicit aliquam terram, tantò radij ipsius ab ipsa terra refracti altiùs terminantur. Cuius causa est, quòd quantò radius, mediante quo diffunditur actio alicuius agentis, refrangitur magis prope perpendicularem, tantò radius ille fortiùs & altiùs potest eleuari.

6. *Corollariū 1.* Ex isto inferunt aliqui duo corollaria. Primum est, quòd media regio aëris sub polis mundi contingit terram. Probatur, nam radij à polis mundi refracti non eleuantur in altum.

Secundum. Secundum est, quòd sub Æquinoctiali, nec inter duos Tropicos, est media regio aëris. Probatur, quia illi radij prouenientes à Sole refranguntur in seipsos, cùm sint perpendiculares; ideò non est diuersitas fractionis, & per consequens nec media regio aëris.

Cōtra 1. partem 2. Coroll. Contra primam partem secundi corollarij obiicitur, quia sequeretur quòd esset falsum in æstate, quia quantùm media regio aëris debet esse magis prope terram ratione elongationis à Sole, tantùm per longam præsentiam, & permanentiam Solis super illa parte poterit recompensari. Imò in æstate Sol aspicit partem terræ suppositam polo, per dimidium annum integrè, exceptis crepusculis; igitur videtur quòd ibi sit sufficiens caliditas, & quantum media aëris regio poterit eleuari in æstate, & quantum dicuntur radij Solis non eleuari in altum. Dico quòd radij incidentes ad partem suppositam polo refranguntur eleuando se vltra polum, & quòd refracti similiter vltra illam partem directè eleuantur versùs sursum istum polum.

7. *Cōtra 2. partem.* Contra secundam partem secundi corollarij obiicitur, quia nisi inter Tropicos esset media regio aëris, sequeretur quòd ibi non possent fieri impressiones aquæ. Consequens falsum, & contra experientiam. Et probatur consequentia, quia tales impressiones fiunt per ingrossationem à frigiditate mediæ regionis, & ideò non obstante quòd Sol aspiciat aliquam partem, eleuantem versùs polum perpendiculariter, tamen radius iste refractus in seipsum continuè remittitur, & debilitatur in tantum, quòd lumen eius non sufficit ad frigiditatem. Ex quo patet quòd non aspiciat aliquam partem terræ perpendiculariter; imò si iam aspicit aliquam partem terræ perpendiculariter, per totum residuum diei aspiciet illam partem obliquè.

Ex isto sequitur quòd continuè procedendo versùs Austrum, media regio aëris est magis eleuata super terram, quàm procedendo magis versùs Septentrionem, cæteris paribus, quia semper radij Solis versùs Austrum refranguntur magis propè perpendicularem. 8.

Secundò, sequitur quòd inter duos Tropicos est media regio aëris altissima, propter causam prædictam.

Tertiò, sequitur quòd concauitas mediæ regionis non est figuræ conformis; patet, quia altiùs eleuatur in vna parte, & bassiùs in alia: ergo est difformis.

Quartò, sequitur quòd in æstate altior est media regio aëris super aliquam partem terræ, quàm sit super eandem in hyeme; patet, quia in æstate Sol aspicit magis directè terram, saltem versùs nos quàm in hyeme.

Quintò, sequitur quòd in hyeme, vel aliqua parte hyemis, media regio aëris contingit terram sub polis mundi; patet, quia tunc ibi non pertingunt radij Solis, qui possunt eleuare vapores ibidem resolutos, si sint aliqui.

Ad secundum de ascensione nubium, dico quòd nubes inæqualiter ascendunt secundùm quòd Sol potest inæqualiter fumos, & vapores eleuare super loca terræ, & ideò vbi media regio aëris est altior, ibi altiores sunt nubes, & vbi est bassior, ibi minùs ascendunt nubes. 9. *Ad 2. dub. Nubes inæqualiter ascendunt.*

Ad tertium de figura, dico quòd media regio aëris quantùm ad eius concauitatem est valde difformis, sed quantùm ad eius conuexitatem, potest quodammodo dici quòd sit figuræ oualis. Ad quod sciendum est, quòd figura quantùm ad eius conuexum, attenditur penès caliditatem superioris regionis; nam versùs Æquinoctialem aër superioris regionis velociùs mouetur, quàm propè polos mundi, ideò ibi calefit vsque ad maiorem distantiam versùs inferius, sed versùs polos mundi aër iste superior tardiùs mouetur: ideò media regio ibi magis eleuatur, & est quasi per modum aëris spissi, cùm nubes ibi non eleuantur ita altè, sicut durat media regio aëris propter defectum caloris eleuantis. 10. *Ad 3. dub. Figura mediæ regionis aëris difformis.*

Ex istis primò sequitur, quòd inter duos Tropicos media regio aëris est strictissima. Probatur, quia à parte superiori magis venit versùs terram, & à parte inferiori magis eleuatur.

Secundò, sequitur quòd habitantibus sub polis mundi priùs apparent crepuscula matutina, quàm alibi. Probatur, quia altiùs super tropicos ipsorum est aër grossius, quasi vaporibus inspissatus, modò Sol citiùs aspicit vaporem altiorem, quàm minùs altum; igitur cùm crepuscula causentur ex refractione luminis Solis ad vapores grossos eleuatos, sequitur propositum. *Crepuscula matutina priùs apparēt habitantibus sub polis.*

Tertiò, sequitur quòd plus durant iis crepuscula serotina propter eandem causam.

ARTICVLVS II.

De frigiditate mediæ regionis, & de causis ipsius, agente, & finali.

11. *Aëris media regio est semper frigida.* QVantùm ad secundum, sit ista conclusio, quòd semper media aëris regio est frigida. Probatur, quia nisi ita esset, sequitur quòd in istis inferioribus non possent fieri impressiones aquæ, vt grando, ros, pruina, pluuia, & huiusmodi. Consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia tales impressiones generantur per ingrossationem fumorum, qui eleuantur à corporibus inferioribus per frigiditatem mediæ regionis.

Secundò, quia in montibus altissimis est perpetuò frigiditas; igitur est in media regione aëris. Tenet consequentia, quia illi montes attingunt mediam regionem aëris, vel saltem propè. Antecedens patet experientia.

12. Tunc de causis istius dico quòd perpetuò media aëris regio fuerat frigida, supposito quòd mundus fuit æternus, modò in perpetuis non est quærenda causa efficiens; ideò dico quòd causæ conseruantes, & intendentes possunt reduci ad quatuor, quarum prima principalis est corpus cœleste, quantùm ad astra frigidantia. Patet, quia omnis virtus mundi inferioris gubernatur ab ipso, vt dictum fuit priùs. *Causa prima agens huius frigiditatis.*

Secunda. Secunda causa est, propter quam præmitto tria. Primum est, quòd vnum contrarium approximatum alteri natum est fugere ipsum. Probatur per experientiam; primò, quia propter hoc videmus caliditatem sub terra in hyeme, & frigiditatem in æstate. Secundò, quia per hoc dat Philosophus modum generationis grandinis, vt patet in hoc primo.

Tertiò, quia aqua bullit in olla, eò quòd nata est fugere suum contrarium, scilicet ignem, quamuis per grauitatem postea descendat. Quartò, quia videmus aquam exire ex igni approximatis igni, quod non esset, nisi aqua illa nata esset fugere illum ignem.

13. Secundò præmitto, quòd ex vnione partium alicuius corporis in se inuicem fortificatur, & intenditur virtus illius corporis. Probatur per experientiam, quia videmus quòd in ferro compacto, est calor intensior, quàm in flamma tenui. Similiter videmus in aqua congelata maiorem frigiditatem, quàm in aëre congelato, propter tenuitatem maiorem. Tertiò, quia cæteris paribus, quantò aliqua qualitas fuerit minùs extensa, tantò est magis intensa ex vnione partium. Patet consequentia, quia si virtus corporis poneretur in medietate istius, ista medietas est in duplo intensior, quam totum. Et consimiliter esset de difformi, cùm omnis difformitas reducitur ad vniformitatem.

Tertiò præmitto, quòd superior aëris regio est calida, propter motum ipsius, & propinquitatem ad sphæram ignis. Et inferior regio aëris est calida propter radios solares refractos à terra. Ex istis sequitur causa istius frigiditatis, quia per primam conclusionem, media aëris regio est frigida; & per tertiam suppositionem, ipsam circumstant duo corpora calida; igitur per primam, ipsa nata est fugere quodlibet contrariorum istorum circumstantium, & per consequens ex illa fuga partes ipsius vnientur ad inuicem: igitur per tertiam suppositionem virtus mediæ regionis intenditur & fortificatur, sicut ipsum qualificatur per antiperistasin, sicut conseruatur, & intenditur frigiditas mediæ regionis.

Tertia causa est motus superioris regionis aëris, nam per suum motum ista regio rarefit; modò rarefacta vna parte mediæ regionis aëris, oportet aliam partem aëris sibi propinquam condensari, & per consequens infrigidari; modò media regio aëris est propinquissima superiori regioni. 14. *Tertia.*

Quarta causa, quia vapores, & exhalationes eleuatæ ab istis inferioribus adhuc quodammodo retinent virtutem ipsorum inferiorum, ideò cùm eleuati fuerint ad mediam regionem per modicam actionem frigiditatis, possunt redire ad proprias naturas, ad quas cùm fuerint reuersi alterant mediam regionem, intendendo eius frigiditatem. *Quarta.*

Quinta causa est, quòd elementa frigida derelicta propriis naturis à Sole, alterant aërem propinquum eis, & iste propinquus aër elementis frigidis alterat alium sibi propinquum, sicut continuè vsque ad mediam regionem aëris. Sed postea subueniente calore Solis corrumpitur frigiditas inferioris regionis, sed manet frigiditas mediæ regionis, quia ad istam non potest pertingere radius refractus cum fortitudine virtutis, & ità continuatur ista frigiditas. Ex quo patet, dato quòd mundus fuisset creatus, & media regio aëris non fuisset creata frigida, adhuc per istum motum fuisset effecta frigida. *Quinta.*

Sexta causa non est propria, sed occasionalis tantùm, scilicet remissio luminis in media regione. Et hoc est ad modum, quo diceremus absentiam nautæ esse causam periclitationis nauis. Illud patet, quia lumen intensum esset natum causare calorem; igitur remissio illius videtur esse causa quodammodo occasionaliter oppositæ qualitatis. *Sexta.*

Septima causa est etiam occasionalis, scilicet remotio à causis caloris, præcipuè à corpore cœlesti, & refractiones radiorum Solis à terra. *Septima.*

Tunc de causa finali, dico quòd ipsa frigiditas est principaliter propter tria. Primò propter acquisitionem elementorum. Vnde per actionem Solis, & astrorum calefacientium multum resoluitur de elementis frigidis, in tantum quòd citò consumerentur, nisi augmentarentur per frigiditatem mediæ regionis, quæ iterum conuertit fumos & exhalationes in elementa frigida. 15. *Prima causa finalis.*

Secundò, est ista frigiditas propter productionem animatorum, vt plantarum, & huiusmodi, que non possunt venire sine pluuia, quæ causatur ab ipsa frigiditate. *Secunda.*

Tertiò, propter generationem mixtorum, & ad hoc etiam finaliter ordinantur elementa. Patet igitur recolligendo, quòd causæ frigiditatis mediæ regionis occasionales, sunt luminis remissio; à causis caloris remotio; sed principales sunt elementorum frigidorum actio; fumorum ab eis in istam regionem eleuatio; aëris superioris per motum rarefactio; per antiperistasin; intensio medietatum quarundam stellarum; & finaliter propter animatorum productionem, & conseruationem, propter mixtorum generationem, & propter elementorum acquisitionem. Et hoc de secundo. *Tertia.*

ARTI

ARTICVLVS III.

Dubia circa prædicta.

16. *Dubium* 1. QVantùm ad tertium primò arguitur contra conclusionem, quia si media aëris regio sit frigida, vel est in summo, vel citra summum. Si in summo, ergo non est aër, quia nullum elementum, præter aquam, potest pati frigiditatem summam; si citra summum, contrà, tunc sequitur quòd aliquid ageret vltra gradum suum proprium. Consequens falsum, quia qua ratione potest producere vnum gradum vltra proprium, eadem ratione alium quemcunque, sicut minimus calor mundi potest producere infinitam caliditatem. Probatur consequentia, quia media regio aëris est frigida citra summum, & per ipsam frigiditatem sufficit media regio aëris ingrossare vaporem, & ex ipso generare aquam, quæ infrigiditata excedit frigiditatem mediæ regionis, cùm sit aqua summè frigida; ergo, &c.

Solutio. Ad istud respondetur, concedo conclusionem, & ad probationem, *quia tunc sequeretur,* &c. Conceditur consequentia ab aliquibus, & hoc propter duas causas, scilicet propter inclinationem passi ad qualitatem, quam debet recipere; vel etiam propter densitatem passi. Aliter dicitur negando consequentiam; & ad probationem dico quòd aqua potest generari cùm frigiditate satis remissâ, dum tamen materia ex qua generatur, sit disposita per aliquas qualitates, vt per humiditatē, & densitatem; & ideò dico quòd frigiditas mediæ regionis sufficit ingrossatæ vaporem, & ex ipso generare aquam; sed cùm aqua fuerit genita, tunc seipsam reducit ad frigiditatem ita intensam, sicut exigit per suam dispositionem naturalem.

17. *Dubium* 2. Secundò dubitatur contra causam secundam istius frigiditatis datam, in qua præmittebatur quòd vnum contrariorum natum est fugere reliquum. *Obiectio prima.* Nam si ita esset, sequitur quòd essent duo mobilia localiter, quorum quodlibet penetraret reliquum, quorum quodlibet moueretur ad oppositas differentias positionis. Consequens impossibile, & probatur consequentia, quia si sint contraria approximata æquè fortia, tum quodlibet istorum per incursum alterius natum est fugere reliquum; & cùm omne impellens sequatur pulsus incursum, vt patet 7. *Physicorum*, sequitur quòd quodlibet illorum fugeret ad vnam partem, & insequeretur reliquum ad oppositam partem.

Secunda. Secundò, vel vnum contrariorum est fortius, vel ambo æquè fortia; videtur quòd neutrum possit moueri si vnum sit fortius; igitur debilius non fortificabitur, sed corrumpetur.

Tertia. Tertiò, quia hæc fuga vnius contrarij à reliquo est motus naturalis, vel violentus; non naturalis, quia tunc eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam; nec violentus, quia fit à propria forma fugiente, vt postea videbitur.

Quarta. Quartò, quia vel quodlibet contrarium indifferenter natum est fugere reliquum, vel aliquod non. Non primo modo, quia lapis marmoreus frigidus maximè, appositus ferro ignito non fugit propter ipsum; nec è contra, si aliquod sic, & aliquod non, quæratur quæ sunt illa?

Ad ista respondeo, præmittendo modum, per quem fit fuga vnius contrarij à reliquo. Omne ens mundi appetit, & diligit seipsum permanere inquantùm potest, & ideò cùm approximatum fuerit corrumpens, natum est fugere, scilicet per suam propriam formam, per quam se appetit permanere. 18.

Aliter; modus istius motus potest esse, eò quòd quodlibet contrariorum, quantum potest, natum est dilatare circa se suam actionem, & cùm obuiauerit contrario, tunc actio illa quodammodo repercutitur, & remittitur vt fortificetur in ipso.

Per hoc ad argumenta. Ad primum, negatur consequentia, quia ille modus fugiendi non fit per motum impulsus, sed fit à propria forma contrarij fugientis, quæ forma inclinatur ad illum motum contrario approximato. *Ad 1. obiect.*

Ad secundum, *vel vnum*, &c. dico quòd possibile est quòd vtroque modo, quia quamuis vnum sit fortius reliquo in agendo, tamen vtrumque potest esse debilius in resistendo, quàm aliquod illorum in agendo; & sic vtrunque illorum potest agere in reliquum. *Ad 2.*

Et si dicas, si sic vnum fugit à reliquo amplius vnum non agit in reliquum, cùm sint ab inuicem remota. Dicitur quòd imò, quia adhuc possunt in se inuicem agere per corpus intermedium. 19.

Ad tertium quòd *motus iste*, &c. dico quòd motus iste fugiendi est violentus, quamuis prouenit à propria forma fugientis, eò quòd præsupponit alium motum violentum, scilicet actionem contrarij in ipsum; & est simile, sicut de ascensu aquę ad replendum vacuum, nam quamuis ascensus iste prouenit à propria forma aquæ, tamen est violentus, eò quòd præsupponit violentam destructionem alicuius corporis alterius. *Ad 3.*

Ad quartum, *vel quodlibet*, &c. dicitur quòd non, quia quandoque contraria approximata, vel aliquid illorum est ita densum, quòd forma eius non sufficit ipsum remouere, vt patet in exemplo priùs posito, & etiam de ferro frigido approximato flammæ, quod per actionem flammæ non fugit ad aliam differentiam positionis. *Ad 4.*

Tertiò dubitatur, vtrùm quodlibet elementū contrarium, quantumcunque medicum fuerit positum in medio alterius contrarij, fugiet aliqualiter inter se vniendo partes eius, & fortificando virtutem propriam? Dato quòd sic, sequitur quòd gutta aquæ posita in medio ignis potiùs fortificabitur, quàm corrumpetur, & sequitur quòd panes frigidi positi in furno, potiùs frigefiant, quàm calefiant, quod est contra experientiam; & dato quòd non, tunc sequitur quòd nec quodcunque aliud contrarium fortificabitur per circumstantiam sui contrarij, quia non videtur maior ratio de vno, quàm de alio. *Dubium* 3. *Obiectio* 1.

Ad illud dico quòd quodlibet contrarium mundi, quantumcunque modicum, vel paruum in principio, in quo ponitur, in medio sui contrarij sufficientis agere in ipsum, fugit vniendo partes eius, & fortificando virtutem modo priùs dicto. Sed postea cùm actio contrarij circumstantis fuerit fortior, quàm intensio virtutis proueniens ex condensatione, & vnione partium eius, tunc contrarium circundatum corrumpit; ex quo sequitur quòd panes per longum tempus frigescunt in furno, & hoc plus, quia sunt in igne intensiore. Secundò sequitur quòd guttula aquæ posita in medio ignis pro certo tempore intendi- *Solutio.*

tur in frigiditate, sed postea dominante actione ignis super intentionem frigiditatis, quam habet guttula, ex condensatione partium fortificatur virtus.

21. Dubium 1. Sed dubitatur, quia si ita esset, sequitur quòd per deperditionem latitudinis finitæ, posset acquiri latitudo intensionis. Consequens impossibile, quia proportionaliter se habent inductio qualitatis producendæ, & corruptio corrumpendæ. Probatur consequentia, quia si corpus condensatur ad subduplum, tunc esset in duplo intensius tale, quàm priùs erat, vel saltem in aliqua alia proportione; sed si condensetur ad subtriplum adhuc in maiori proportione esset intensum, & sic in infinitum; igitur si esset possibile magnitudinem corporis per condensationem talem diminui ad non gradum, possibile esset virtutum ipsius esse infinitam intensiuè, solâ magnitudine deperditâ, quæ est latitudo finita.

Et si conceditur consequens, contrà, quia tunc sequitur quòd si ad imaginationem ex illo indiuisibili iterum fieret diuisibile aliquod, tunc ex illo indiuisibili fierent infinita, quorum quodlibet esset certæ intensionis, modò consequens est falsum, quia dato quòd Angelus per imaginationem extenderetur, adhuc eo ipso non fierent infiniti Angeli, nec etiam in intentu infiniti intentus.

Dubium 2. Secundò sequitur quòd in eodem subiecto simul & semel duæ qualitates contrariæ continuè intenderentur, & hoc æqualiter. Consequens impossibile, quia posito quòd contraria possunt esse simul; semper intensio vnius esset remissio alterius. Probatur consequentia, quia si subiectum, in quo simul erant caliditas, & frigiditas, condensetur, tunc vtraque illarum intenderetur, eò quòd ex vnione partium corporis virtus eius nata est intendi.

Dubium 3. Tertiò, quæritur, à quo producuntur illi gradus virtutis, quibus virtus corporis condensati excedit virtutem eiusdem, dum erat rarefactum, siue dum erat magis rarum?

22. Ad 1. Ad ista, & primò ad primum, vbi dicitur, *sequitur quod per deperditionem*, &c. Concedo hoc esse possibile quantùm ad imaginem; sicut verbi gratiâ, si in aliquo tempore pertranseat spatium pedale, tunc motus est æqualiter velox, & si fiat in medietate temporis est in duplo velocior, & sic in infinitum; & ita per diminutionem temporis, quod solum est finitum, acquiretur intensio velocitatis infinitæ; tum extremum in proposito nostro est magis ad propositum conueniens, quàm sit illud. Et tunc cùm arguitur, *sequitur quòd si ex ipsa*, &c. Concedo quòd ex ipsa fierent infinita, scilicet infinitæ partes eiusdem corporis, quarum quælibet esset intensionis alicuius. Et consequentia probatur, quòd non. De Angelo dico quòd si per imaginationem, anima, Intelligentia, vel Angelus extenderetur, quòd nullius fieret virtutis, imò non esset imaginabile, quòd aliquod indiuisibile, si non esset infinitæ virtutis intensiuè, esset alicuius virtutis, si sit diuisibile.

23. Ad 2. Ad secundum, negatur consequentia, & ad probationem dicitur vno modo, si illa condensatio fiat ab aliqua illarum qualitatum, vel à consimili, tunc illa per condensationem intendetur, & reliqua remittetur; sed si à neutra illarum, nec ab iis consimiliter fiat illa condensatio, & vna illarum fuerit fortior reliqua, tunc fortior intendetur, debiliori remissâ; sed si ambæ sint æquales, tunc dicemus quòd non est possibile subiectum illud condensari aliquo modo, cùm vna illarum qualitatum est nata intendi, & per consequens reliqua remitti.

Ad tertium, de hoc est magna dubitatio, vtrùm per talem condensationem producantur noui gradus, vel non? Si teneatur quòd sic, potest tunc dici quòd gradus illi producuntur à forma corporis condensati, mediante adiutorio cæli, & quandoque principaliter à condensante, & quandoque occasionaliter solùm. Aliter tamen potest dici, quòd per condensationem per se non producitur aliquis nouus gradus, sed fortior apparet operatio corporis condensati, quàm antè, propter hoc quòd sunt multò plures virtutes consimiles, sibi inuicem adiacentes, & propinquæ magis quàm antè. Et illud videtur innuere Albertus, super primo huius, reddendo causam quare exhalatio altius eleuatur quàm vapor. Et hoc de tertio. Ad 3.

Ad rationes. Ad primam, & secundam simul, *sequeretur quòd media aëris regio descenderet*, negatur consequentia, quia frigiditas mediæ regionis non est sufficiens vertere aërem in aquam, nisi fuerit aër euaporatus. Ad 1. & 2. arg. princ.

Ad tertiam, *vel ex natura*, &c. dico quòd est ex natura loci, scilicet ex natura situs, in quo situatur media regio aëris, & non sumitur *locus* pro superficie corporis locantis, vel pro corpore locante; sed pro situ illo, quo sic se habet media aëris regio ad alia corpora vniuersi. Ad 3.

Ad quartam, *vel naturaliter, vel violenter*, &c. dico quòd violenter. Et cùm dicitur quòd nullum violentum est perpetuum, verum est, tamen perpetuò est frigiditas mediæ regionis, propter continuam intentionem ipsius per causas priùs dictas. Ad 4.

Ad quintam, dico quòd ab aliquo agente extrinseco, scilicet ab elementis frigidis, & aliis causis, quæ dictæ fuerunt. Ad probationem quòd non, *quia agens naturale priùs agit*, &c. Concedo, & ita est in proposito, quia elementa frigida priùs alterant partem aëris sibi propinquam, quàm remotam, tum superueniente Sole pars illa iterum calefit, & remotior non. Et cùm arguitur de corporibus cœlestibus; dicunt quòd non solùm agunt motu, & lumine, sed etiam aliis influentiis, mediantibus quibus fiunt multæ actiones frigiditatis, & aliarum qualitatum in istis inferioribus. De lumine vtrùm agat frigiditatem, vel non, videbitur postea. Ad 5.

Ad sextam, *vnumquodque elementum*, &c. Verum est, nisi violenter ab aliis agentibus; modò sic est de media regione. Ad 6.

Ad septimam, *quòd est propinquius causis caliditatis*, &c. Concedo maiorem, & nego minorem, quia causæ caliditatis sunt corpora cœlestia, & refractio radiorum à terra, & aqua, à quorum vtroque media aëris regio est valde remota. Ad 7.

Ad octauam, *non est difformitas in aliis elementis*, &c. dico quòd non est simile, eò quòd in aliis elementis non concurrunt huiusmodi causæ violentantes partes ipsorum. Ad 8.

A nonam, *sequitur quòd impressiones ignitæ*, &c. Negatur consequentia, quia quamuis impressiones non possunt fieri ex sola frigiditate, tamen benè possunt fieri occasionaliter à frigiditate, eò quòd frigiditas circumstat materiam calidam, ex qua impressiones ignitæ debent generari. Ad 9.

Ad

Ad 10. Ad decimam, debet intelligi quòd semper media aëris regio est frigida.



QVÆSTIO X.

Utrùm motus localis sit causatiuus caloris?

1. Arg. primũ. ARGVITVR quòd non; primò, quia sic sequitur quòd corpus cœleste maximè calefaceret suo mediante motu. Consequentia tenet, quia corpus cœleste violentissimè mouetur. Et consequens falsum, quia vel calefaceret seipsum, vel ignem sibi propinquum. Ista consequentia patet, quia non potest calefacere ista inferiora, nisi mediante igne, sed seipsum non, quia cælum non est receptiuum huiusmodi impressionis; nec ignem, quia tunc calefaceret ipsum trahendo, quod est falsum, quia cælum est corpus positum, & vniforme; modò trahens, & tractum secundùm aliquas partes sui debent ad inuicem penetrare, vt patet in istis inferioribus.

Secundum. Secundò, sequitur quòd quantò aliquid esset frigidius, tantò esset calidius; consequens falsum, quia quantò plus habet de vno contrario, tantò minus de reliquo; & consequentia probatur, quia aliquod graue existens sursum, sicut est vapor, quantò est frigidius tantò efficitur magis graue, & magis inclinatur ad descendendum; modò quantò magis descendit, cùm motus sit causa caloris, sequitur quòd magis calefit; igitur, &c.

Tertium. Tertiò, sequitur quòd idem effectus esset naturaliter producibilis à diuersis agentibus secundùm speciem. Consequens falsum, quia sicut idem, inquantùm idem, natum est facere idem, ita idem natum est fieri ab eodem. Probatur consequentia, quia calor, qui per te, generatur ex motu, natus est generari ex lumine, & ab alio calore; modò motus, lumen, & calor, specie differunt.

Quartum. Quartò, sequitur quòd non omne, quod fieret, fieret à sibi simili secundùm speciem. Consequens falsum, vt patet 7. *Metaphysic.* Et probatur consequentia, quia calor non est similis in se cum motu.

Quintum. Quintò, sequitur quòd effectus esset perfectior suâ causâ. Consequens falsum, quia non videtur à quo posset produci gradus perfectionis, quo effectus excederet causam; & probatur consequentia, quia caliditas est quidam actus perfectus, cùm sit qualitas perfecta, & motus est actus imperfectus, vt patet 3. *Physicorum.*

Sextum. Sextò, arguitur per experientiam, quia homines calefacti mouent aërem, vt frigefiant, quod non esset, si motus calefaceret; igitur, &c. Secundò, videmus quòd volentes frigefacere aliquod liquidum calefactum, mouent ipsum hinc & inde, vt patet de potagio. Tertiò videmus quòd aqua stans calidior est aqua fluente, quod non esset, si motus esset causa caloris.

Oppositum. Oppositum fit verum per Aristotelem in isto primo.

Diuisio quæstionis. In ista quæstione primò recitandæ sunt quædam opiniones de modo, per quem generatur calor ex motu corporis, supposito quòd calefiat, vt postea probabitur. Secundò assignanda est veritas huiusmodi calefactionis. Et tertiò specialiter de calefactione ignis à motu corporis cœlestis.

ARTICVLVS I.

Opiniones de modo quo generatur calor ex motu corporis.

QVantùm ad primum, erat opinio B.Thomæ, quòd motus calefacit pro tanto, quòd primum in vnoquoque genere est causa omnium aliorum, quæ sunt in eodem genere; modò motus localis est primus motuum, ideò est causa calefactionis, maximè cùm calefactio sit nobilissima mutatio præter motum localem, ideò ipsum immediatè consequitur. 2. Opinio 1. D.Thomæ.

Contra hoc obiicitur primò, quia motus localis violentus benè est causa caloris, & tamen impossibile est quòd aliquis motus violentus sit primus motuum, imò propriè motus localis cæli. Secundò, sequitur quòd motus localis esset ita benè causa frigiditatis, albedinis, & cuiuscunque alterius qualitatis. Consequens falsum, vt patet per experientiam. Probatur consequentia, cùm frigefactio, & albefactio sint de genere mutationis. Impugnatio.

Secunda opinio est Commentatoris, qui dicit quòd motus est perfectio corporum calidorum, & iam istam perfectionem, quæ est motus, consequitur perfectio, quæ est caliditas. Sed ista opinio nullam, vel saltem paucam, habet experientiam. 3. Opinio 2. Commentatoris.

Tertia opinio est Petri de Aluernia, qui ponit quòd motus est causa caloris altero duorum modorum, scilicet, vel quia plures partes corporis calefacti tanguntur per motum, & sæpiùs, vel quia per motum partes corporis calefacti vniuntur, ex qua vnione si in ipso sit aliqua virtus calefactiua, illa fortificatur & intenditur. Opinio 3. Petri de Aluernia.

Contra hoc arguitur, quia si ex hoc, quòd partes mobilis sæpiùs tangerentur, ipsum calefieret, sequeretur quòd tale corpus potiùs deberet calefieri, si ipsum tangeret corpus quiescens, quàm corpus motum. Consequens falsum, vt patet per experientiam. Et consequentia probatur, quia vnum corpus non potest sæpiùs tangere aliud, quàm continuè; modò corpus quiescens continuè tangit illud, super quod quiescit; igitur, &c. 4. Refellitur.

Secundò, si talis calor causaretur per motum, eò quòd corpus illud condensaretur, sequitur quòd nunquam fieret calefactio, eò quòd partes corporis calefacti condensarentur. Consequens falsum, quia multoties partes rarefiunt, & corrumpuntur, vt patet per experientiam.

Quarta opinio est, quòd calor causatur per motum propter oppositas inclinationes motus. Sed id non videtur, quia tunc sequeretur quòd graue simplex non posset calefieri. Consequens falsum. Probatur consequentia, quia graue simplex non habet huiusmodi oppositas inclinationes. Et hoc de primo. 5. Opinio 4. Refellitur.

ARTI

ARTICVLVS II.

Assignatur veritas modi calefactionis ex motu corporis.

6. *Motus localis duplex.* DE secundo sciendum est, quòd duplex est motus localis, quidam cum magna confricatione, & collisione partium illius quod mouetur ad aliquod aliud sibi propinquum. Aliter est motus localis, in quo non fit huiusmodi collisio, seu confricatio.

Conclusio 1. Motus localis est causa caloris. Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd motus localis est causatiuus caloris. Probatur experientiis. Primò, quia videmus axem rotæ quadrigæ quandoque per motum inflammari. Secundò, videmus ferrum molendini valde intensè calefieri. Tertiò, videmus quòd si carbones igniti moueantur per aërem intenditur ignis. Quartò, videmus quòd candela extincta per aërem, si moueatur per aërem iterum incenditur. Hoc præter experientiam docet Aristoteles in isto primo, qui dicit quòd si sagitta velociùs deferatur per aërem, liquefit plumbum circumueniens ipsam. Et ad istam conclusionem sufficiunt experientiæ, quia rationes non possunt introduci; ideò dicit Aristoteles quòd est infirmitas quædam intellectus.

7. *Conclusio 2.* Secunda conclusio, quòd confricatio, seu collisio partium corporis moti ad partes corporis propinqui, est præcisa causa quare motus causat calorem, & hoc per istum motum, quia per talem confricationem partium diuersorum corporum aliquæ partes rarefiunt, & ad istorum rarefactionem nata est consequi caliditas, vt vult Albertus *super isto primo*, sicut videmus, sicut patet in percussione alicuius ad ferrum. Probatur consequentia, primò, quia nisi confricatio esset causa talis caloris, sequeretur quòd sic non esset confricatio, sed omnia corpora mouerentur partibus habentibus eundem situm ad inuicem, quia adhuc per motum generaretur calor. Consequens falsum, quia si axis rotæ quadrigæ esset fixus circulo, qui super ipsum voluitur, non calefieret, sed conformiter moueretur, dato quòd totum moueretur motu veloci; nec etiam ferrum molendini calefieret, si conformiter moueretur cum ligno, ad quod confricatur.

Secundò, nisi confricatio esset causa, sequeretur quòd partes interiores corporis calefacti per motum calefierent. Consequens falsum, nisi hoc fuerit ex sequenti, sic quòd partes exteriores calefactæ calefaciant interiores; & ideò partes interiores axis non calefiunt, vt patet per experientiam. Probatur consequentia, quia æquè mouentur velociter partes interiores corporis, sicut exteriores.

Tertiò, per experientiam, nam si plumbum ponatur in medio sagittæ impetuosè delatæ per aërem non liquefiet plumbum, sed si coniungatur ad partes exteriores statim liquefiet.

Quartò, quia videmus quòd si duo ferra, vel duo ligna, vel vnum ferrum, vel vnum lignum fortiter motum confricetur ad inuicem, statim sequitur calor ex huiusmodi confricatione; & omnia signant quòd confricatio est per se causa productionis caloris à motu.

8. *Obiectio 1.* Contra istum modum obiicitur, primò, quia si ad rarefactionem factam ex confricatione sequitur caliditas, tunc sequitur quòd raritas sit qualitas prima. Consequens falsum, vt patet *2. de Generatione*. Probatur consequentia, quia ad ipsam sequitur calor, qui est qualitas prima.

Secundò, quia ex motu hominis, satis tardè homo multum calefit, & tum non videmus quòd tantus calor possit generari ex ista parua confricatione, & ad corpus ita subtile, sicut est aër. *Secunda.*

Ad ista. Ad primum, dico quòd non est inconueniens quòd in aliquibus raritas sit qualitas prima, in aliquibus secunda. *Ad 1. obiect.*

Ad secundum, dico quòd caliditas hominis, seu calefactio, quam habet ex motu, vel cursu, non præcisè prouenit ex confricatione hominis ad medium per quod mouetur; sed prouenit ex hoc, quòd natura sentiens membra exteriora aliqualiter debilitari propter resolutionem spirituum factam per motum, ideò natura mittit à corde spiritus calidos ad membra exteriora, mediantibus quibus ille membra exteriùs calefiunt. *Ad 2.*

ARTICVLVS III.

De calefactione ignis à motu corporis cælestis.

DE tertio sit conclusio ista, quòd corpus cæleste mediante motu calefacit sphæram ignis. Probatur, quia ignis propter inclinationem sui ad sursum valdè fortiter adhæret corpori cœlesti, nam corpus cœleste attrahit ipsum motu suo: ergo calefacit. Antecedens apparet, quia sicut grauia inclinantur deorsum, sic & leuia sursum. Et prima consequentia tenet, quia hoc sufficit ad motum tractus. Et secunda consequentia tenet; quia ibi quodammodo est confricatio ignis ad cælum; imò ibi quandoque potest imaginari valdè nobilis confricatio per ipsum motum, quia si aliquis ignis multum leuis generetur inferiùs prope regionem superiorem aëris, vel infrà, qui sursum ascendit, sequitur quòd impetus eius ad descendendum non sit totaliter deperditus, donec peruenerit ad cælum; nec tunc penetret sphæram ignis, quia per fortiores impetus reuerberatur à cælo, & tunc alter ignis insequitur in superius, & sic per longum tempus potest huiusmodi insecutio fieri, & confricatio. 9. *Corpus cæleste suo motu calefacit.* *Sphærã ignis.*

Contra conclusionem obiicitur, primò, quia cælum est corpus politum, leue, & vniforme; igitur non potest secum trahere ignem. Consequentia tenet, quia semper aliquæ partes trahentis dicuntur subintrare aliquas partes corporis tracti. 10. *Obiectio 1.*

Secundò, sequeretur quòd eadem ratione essent inter orbes cœlestes huiusmodi motus tractus. Consequens falsum, quia ibi non est violentia, cùm motus illi sint perpetui. Et propter rationes aliqui nituntur ponere quandam qualitatem spiritualem causatam à cælo in sphæram ignis, mediante qua sphæra ignis mouetur circulariter, ad modum illum, quo ab adamante causatur qualitas attractiua ferri. Secundò, inferunt isti quòd sphæra ignis non calefit per motum cæli per se, sed per lumen, & alias influentias. *Secunda.*

Ad primum, conceditur quòd est corpus politum, & leue, & hoc non obest quin benè possit attrahere aliquod corpus sibi immediatum, propter fortem inclinationem illius alterius corporis *Ad 1. obiect.*

poris ad adhærendum sibi, sicut dictum erat de igne.

Ad 2. Ad secundum posset concedi quòd in corporibus cœlestibus est huiusmodi raptus, & violentia, & hoc in primo tractatu de sphæra, capitulo primo. Nec obstat quòd talis violentia possit perpetuari, quia per ipsam subiectum non disponitur ad corruptionem, nec ad receptionem alicuius qualitatis, mediante qua corrumpetur.

Aliter dicitur negando consequentiam, quia in corporibus cœlestibus non est talis inclinatio huius orbis, vt adhæreat alteri, quemadmodum est inclinatio ignis vt adhæreat cælo.

II. *Ad argum. 1. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, concedo quòd cælum motu suo calefacit non seipsum, quia non est susceptiuum talis qualitatis, sed ignem sibi propinquum; & obiectio dubij iam soluta est.

Ad 2. Ad secundam negatur consequentia, quia non oportet quòd motus calefaciat semper, vbi per alterationem fortiorem inducitur qualitas contraria calori, vt frigiditas.

Ad 3. Ad tertiam conceditur consequens, quia effectus consimilis benè est producibilis à diuersis agentibus, imò quia hoc concludit contrarium esse verum de accidentibus. *septimo Metaphysicorum.*

Ad 4. Ad quartam, *tunc non omnino*, &c. Illud est concedendum, sed sufficit quòd sit quodammodo consimile in virtute; modò motus in tali confricatione sunt consimiles virtute ipsi calori.

Ad 5. Ad quintam, dicitur quòd motus non est causa principalis istius caloris, sed forma corporis confricati mediante motu, & confricatione producit illum calorem.

Aliter dicitur, quòd sufficit quòd causæ vniuersales sint nobiliores, cuiusmodi sunt Deus, & Intelligentiæ.

Ad 6. Ad experientias. Ad primam dico quòd aqua stans calidior aqua fluente, eò quòd ad ipsam melius refranguntur radij Solis, & super eam diuturniorem habent permanentiam.

Ad secundam, de motu aëris coram facie, dico quòd hoc est, quia facies est calidior aëre sibi propinquo, ideò alterat aliqualiter ipsum ad caliditatem, sed postea per motum superuenit aër recens, & non alteratus, & apparet frigidior.

Ad tertiam, de potagio, dicitur quòd in talibus liquidis calefactis includuntur quædam exhalationes, & fumi calidi, qui per motum exeunt.



QVÆSTIO XI.

Vtrùm omne lumen sit causatiuum caloris?

I. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non; quia illud quod subitò producitur non potest esse causa illius, quod successiuè generatur; sed lumen subitò producitur, & caliditas successiuè generatur; igitur, &c. Maior patet, quia illud quod subitò producitur in primo instanti sui *esse* non producit caliditatem, eò quòd caliditas subitò generaretur, & si non in illo, igitur non in quocunque alio. Et minor apparet quoad primam partem 2. *de Anima*; & quoad secundam apparet *in* 5. *Physicorum*; nam ad caliditatem est vera alteratio successiua.

Secundò, nullum lumen durat nisi solùm per instans: igitur lumen non est causa caloris. Consequentia tenet, quia caliditas non potest generari in instanti. Et antecedens probatur, quia lumen dependet à corpore luminoso se habente in tali, vel tali situ, tanquam à conseruante ipsum, modò corpus luminosum, cùm continuè moueatur non potest esse in eodem situ, nisi per Solem. *Secundum.*

Tertiò, si lumen calefaceret, hoc maximè esset lumen Solis. Consequens falsum, quia tunc Sol, quantò est propinquior nobis, tantò nos magis calefaceret, quòd est falsum, quia in hyeme Sol est propinquior nobis quàm in æstate, & tamen tunc minùs calefacit. Modò consequentia patet, quia Sol habet plus de lumine inter cætera corpora luminosa. *Tertium.*

Quartò, sequitur quòd omnia corpora lucida; sicut omnes stellæ cæli, calefacerent. Consequens falsum, quia Luna, & Saturnus, & quædam stellæ fixæ de naturis earum ponuntur esse frigefactiuæ. Probatur consequentia, ex quo omnia corpora talia lucida habent lumen. *Quartum.*

Quintò, sequeretur quòd caliditas non esset qualitas prima. Consequens falsum, vt patet 2. *de Generatione*; & probatur consequentia, quia consequitur aliam qualitatem, scilicet lumen in sui generatione. *Quintum.*

Sextò, sequeretur quòd montes alti, & media regio aëris essent multum calidi. Consequens falsum, vt patuit priùs. Et probatur consequentia, quia sunt propinquiora corporibus cœlestibus habentibus lumen, quàm sint illa inferiora; modò omne agens naturale priùs & intensiùs agit in partem sibi propinquam, quàm in partem à se remotam. *Sextum.*

Septimò, sequeretur quòd priuatio luminis pura, tenebræ, esset causa frigiditatis. Consequens falsum, quia pura priuatio non potest esse causa alterius alicuius qualitatis positiuæ. Et probatur consequentia, quia si vnum oppositorum est causa vnius qualitatis, reliquum esset causa oppositæ qualitatis, sicut si calefactio sit causa caliditatis, frigefactio esset causa frigiditatis. *Septimum.*

Octauò, quia vel corpora cœlestia per lumen agerent calorem in istis inferioribus per se, vel per accidens; non per se, quia tunc semper calefacerent, quod est contra experientiam; nec per accidens, quia corpus cœleste semper vniformiter mouetur, nec in eius motu contingit fieri error. *Octauum.*

Nonò, sequeretur quòd quantò aliquod corpus fuerit albius, tantò magis calefaceret. Consequens falsum, quia homines generati versùs Septentrionem sunt frigidiores, quàm generati versùs Austrum, & tum sunt albiores. Et probatur consequentia, quia quantò corpus est magis album, tantò magis participat de luce. *Nonum.*

Decimum. Decimò, quia squamæ piscium, & putredines quercuum sunt quædam corpora luminosa, & tamen non apparet qualiter possunt calefacere; igitur, &c.

Opposit. Oppositum arguitur authoritate Aristotelis in isto primo, vbi dicit quòd *per lumen Solis, & astrorum eleuantur ab istis inferioribus vapores, & exhalationes, ex quibus impressiones generantur meteorica.*

In ista quæstione sunt duo videnda. Primò, si lumen sit causa caloris. Secundò, de modo generationis caloris à lumine, & de causa istius generationis.

ARTICVLVS I.

An lumen sit causa caloris.

2. *Differentia inter lumen, lucem, splendorem, & fulgorem.* QVantùm ad primum, notanda est differentia inter *lumen, lucem, splendorem, & fulgorem.* Vnde *lux* est qualitas incorporea luminosi in medio diaphano. Et *lumen* est quodammodo species, vel similitudo lucis. Sed *splendor* est claritas refracta ad aliquod corpus densum. Et *fulgor* est qualitas, vel dispositio secunda, mediante qua relucet corpus tersum, & politum.

Lumen multiplicatur directè à corpore luminoso. Secundò sciendum, quòd omne lumen multiplicatur directè à corpore luminoso. Et ideò quidam est radius rectus secundùm quem diffunditur lumen. Alter est radius reflexus, scilicet qui reuerberatur in superficie alicuius corporis densi. Sed alter est radius fractus, qui transit secundùm angulum per media diuersarum diaphaneitatum. Sed alius est radius circumflexus, qui est aggregatus ex pluribus radiis incidentibus directè, & ex pluribus fractis & reflexis.

Tertiò sciendum, quòd specialiter mota est quæstio propter corpora cœlestia, vt videatur qualiter per lumen alterant ista inferiora.

3. *Conclusio 1: Sol calefacit lumine inferiora.* Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd Sol calefacit ista inferiora mediante suo lumine. Probatur, quia videmus quòd in æstate est caliditas intensior in istis inferioribus, quàm in hyeme, & non est alia causa, nisi quòd Sol aspicit magis directè ista inferiora secundùm radium luminis, quo natus est causare calorem. Secundò videmus quòd in vmbra Solis est minor caliditas, quàm in lumine; ideò in æstate quærimus vmbras.

Tertiò, quia videmus quòd cùm radij Solis refranguntur ad speculum concauum, vel ad vrinale sphæricum plenum aqua frigida, generatur ignis.

4. *Conclusio 2. Luna calefacit suo lumine hac inferiora.* Secunda conclusio est, quòd Luna mediante suo lumine calefacit ista inferiora. Probatur per experientiam Aristot. *in quarto de animalibus*, vbi dicit quòd noctes in plenilunio sunt calidiores, quàm in coniunctione, vel quadraturis, quod non esset nisi lumen Lunæ calefaceret.

Secundò, quia lumen Solis calefacit: ergo lumen Lunæ. Antecedens patet per præcedentem conclusionem; & consequentia per Aristotelem *primo de proprietatibus elementorum*, vbi vult quòd Luna, & omnia alia astra recipiant lumen à Sole; & aliqui imaginantur ibi quòd Luna, & omnia astra sunt quasi speculum; & ideò sicut speculum illuminatur à candela sibi obiecta, ita consimiliter Luna, & alia astra illuminantur à Sole.

Tertia conclusio, quòd quodlibet aliud astrum calefacit mediante suo lumine. Probatur primò, quia cuiuslibet alterius astri lumen est reflexum à Sole; igitur est calefactitium. Tenet consequentia, vt priùs, & antecedens similiter. Secundò, si lumen Lunæ est calefactitium, igitur & lumen cuiuslibet alterius astri: sed sic est; igitur, &c. Antecedens patet, quia inter omnia alia astra Luna ponitur magis esse de natura frigiditatis. Et minor apparet per præcedentem conclusionem. 5. *Conclusio 3. Astra calefaciunt lumine.*

Quarta conclusio est, quòd corpora cœlestia causant frigiditatem in istis inferioribus. Probatur de Luna, cui attribuitur fluxus, & refluxus maris; & etiam de Saturno, cui attribuuntur multi effectus frigiditatis. Secundò, quia quandoque in æstate videmus frigiditatem quasi subitò venire; modò non est alia causa à qua possit produci ista frigiditas, nisi à corpore cœlesti; igitur, &c. *Conclusio 4. Corpora cœlestia causãt frigiditatem in his inferioribus.*

Quinta conclusio est, quòd corpora agunt in istis inferioribus per aliam influentiam quàm sit lumen. Probatur, quia per præcedentem conclusionem corpora cœlestia frigefaciunt ista inferiora, & non per lumen, quia quodlibet astrum est calefactitium suo lumine; igitur per aliam influentiam; igitur, &c. *Conclusio 5. Agunt per aliam influẽtiam.*

ARTICVLVS II.

Quomodo calor à lumine generetur.

QVantùm ad secundum sit conclusio ista, quòd refractio radiorum luminis est causa productionis caloris à lumine, ita quòd si non esset huiusmodi refractio, vel reflexio, nullo modo lumen causaret calorem. Probatur, nam videmus quòd ista loca non calefiunt, ad quæ non pertingunt radij reflexi, vt patet de cacuminibus montium, & in media regione. Secundò, quia videmus quòd ibi radij incidentes non concurrunt cum refractis, vel reflexis, vt patet de superficie terræ. Tertiò hoc patet maximè de speculis concauis, in quibus propter concursum radiorum incidentium ad radios reflexos ab illis speculis generatur ignis. 6. *Radiorũ Solis refractio est causa caloris.*

Obiectio. Contra conclusionem arguitur primò, quia vel radius incidens est infinitum debilior radio incidente cum reflexo, vel in aliqua certa proportione, non infinitum, quia radius reflexus causatur ab incidente; modò radius incidens non est infinitum debilior seipso; nec etiam reflexus per se est debilior incidente; igitur nec aggregatum ex eis. Si in aliqua proportione certa, tunc intendatur radius incidens in gradum luminis in eadem proportione; igitur tunc producit calorem sine fractione, vel reflexione.

Responsio. Ad illud dicitur, quòd ad generationem caloris multum, vel totaliter, facit oppositio radiorum; nam sicut in generatione caloris ex motu oportet vt sit contrarietas, & confricatio, ita consimiliter in generatione caloris ex lumine, oportet vt sit concursus duorum radiorum, vel plurium, quorum vnus opponitur alteri, sicut patet in concauo speculo, quia ignis ibi generatur ex concursu

concursu radiorum, qui incidunt ad speculum, ad radios qui reflectuntur à speculo.

8. Contrà, quia per vas vitreum sphæricum plenum aqua generatur ignis à parte remotiori, à corpore luminoso, & tamen ibi non est talis oppositio radiorum, quia omnes radij pertranseunt vitrum.

Ad illud dico, quòd quamuis in refractione radiorum non sit oppositio ita directè sicut in reflexo, tamen ibi est oppositio aliqualiter lateralis, quæ sufficit ad generationem ignis, cæteris causis concurrentibus, quemadmodum diceremus quòd Oriens & astrum opponuntur secundùm situm. Ex istis inferuntur aliqua corollaria.

9. Corollariũ 1. Primum est, quòd si omnes orbes cæli essent calefactibiles, sicut stupa, & in ipsis non essent astra, nunquam tempore æterno incenderentur à lumine, nec etiam calefierent. Probatur, quia priusquam illi orbes essent vniformes, & non esset ibi aliquod reflectens, vel refrangens, non producerentur calor, cùm talis reflexio, vel refractio sit per se causa productionis caloris à lumine.

Secundum. Secundum corollarium est, quòd si omnia corpora vniuersi essent vniformia in raritate, & densitate, nunquam aliquid calefieret à lumine. Probatur, quia tunc non esset refrangens, vel reflectens.

Tertium. Tertiò sequitur quòd causa quare in vallibus sit calor intensior, quàm in montibus; nam radij incidentes ad montes, cùm reflectantur tendũt ad inferius, & concurrunt cum radiis incidentibus, & etiam reflexis à vallibus; modò talis concursus radiorum oppositorum est causa caloris per conclusionem.

Quartum. Quartò, sequitur quòd sphæra ignis non calefit à lumine Solis, nec superior regio aëris, si inter ipsas non sit notabilis diuersitas in raritate, & densitate. Patet, quia postquam non est ibi diuersitas, non esset aliquid refrangens, vel reflectens radios luminis.

Quintum. Quintò, sequitur quòd media regio aëris non calefit à lumine Solis, nisi cùm fuerit in ipsa nubes spissa. Patet, quia aliter radius luminis transiret irrefractus.

Sextum. Sextò, sequitur corollarium priùs positum, quòd quantocunque radij Solis reflexi à terra altius descendunt, tanto eleuatior est media aëris regio super terram.

10. Dubium 1. Contra ista arguitur, primò de secunda conclusione primæ partis, in qua dicebatur quòd lumen Lunæ est calefactiuum, quia videmus quòd dormientes in lumine Lunæ sunt valde rheumatici, modò secundùm medicos, rheuma generatur à frigido.

Solutio. Ad illud dicitur quòd rheuma illud non generatur à lumine, sed ab alia influentia Lunæ, quam habet præter lumen.

Et si dicatur, æquè benè multiplicatur ista alia influentia infra radios, sicut extra radios. Dicitur quòd licèt ista influentia multiplicetur tam in vmbra, quàm in lumine Lunæ, non magis infrigidat, sed quia magis ex directo aspicit passum frigefactibile.

Dubium 2. Solutio quorumdam. Secundò dubitatur, quare multiplicetur talis influentia vsque inferius. Dicunt aliqui quòd influentia ista est ita spiritualis quòd non oportet ipsum diffundi per medium, sed immediatè corpus cœleste causat istam influentiam hîc inferius, & in visceribus terræ, sine hoc quòd causatur per ignem, vel aërem inter medium.

11. Impugnatur. Contrà hoc obiicitur, quòd omne mouens est simul cum moto *ex 7. Physicorum*, & omne agens simul cum passo, vt patet *1. de Generatione*, igitur ista qualitas non posset immediatè causari in istis inferioribus nisi priùs causetur per intermedium.

Alia solutio. Item aliter dicitur, quòd ista influentia causatur insensibiliter à cælo alteratione per cælum medium, quemadmodum lumen insensibiliter producitur.

Dubium 3. Tertiò dubitatur circa conclusionem secundæ partis, vtrùm si radius fortior, & debilior occurrentes duobus mediis diuersarum diaphaneitatum, refracti ad angulos æquales, producant calores æquales? Et videtur quòd sic, quia aliter non sola oppositio radiorum esset causa huiusmodi caloris. Sed quòd non, videtur ad experientiam, quia radij Lunæ reflexi ad speculum concauum non producunt ignem, sicut radij Solis.

Responsio. Ad ista dicitur, quòd ista dubitatio præsupponit vnum satis dubium, scilicet quòd radius intensior, & remissior ad æquales angulos refrangantur, cæteris paribus; quia dato quòd non refrangerentur ad æquales, tunc certum est quòd non æqualiter causarent calorem; sed supposito quòd frangantur ad angulos æquales, adhuc non producent æqualem calorem; & causa est quòd radius incidens ad aliquod medium alterius diaphaneitatis, ex quo inuenit obstaculum, natus est redire secundùm lineam consimilem, secundùm quam incessisset, si non fuisset impedimentum, vt patet per Lincon. 1. *Posteriorum*; modò cùm radius fortiùs incessisset ad maiorem distantiam, sequitur quòd etiam ad maiorem distantiam reflectatur, & sic est ibi maior oppositio saltem extensiuè, & intensiuè, posito quòd luminosum causaret lumen cum impetu, vel conatu.

12. Dubium 4. Quartò dubitatur, quæ sit causa, quare radij sic oppositi nati sint causare calorem? Dicunt quidam quòd lumen est qualitas nobilissima inter qualitates corporales, quam antiqui Philosophi maximè laudauerunt; ideò nata est ipsam sequi caliditas, quæ est nobilissima qualitas excepto lumine.

Dubium 5. Solutio. Ignis aliter calefacit lumine, quàm calore. Quintò dubitatur, vtrùm lumen ignis calefacit? Ad quod dicendum quòd sic, aliter tamen calefacit ignis lumine, quàm calore. Probatur, quia calor ignis calefacit successiuè partes quantitatiuas passi, scilicet priùs vnam partem, & pòst aliam, sed lumen totum simul calefacit. Secundò, quia ignis mediante lumine calefacit valde remissè, sed mediante calore intensè.

Dubium 6. An oculi catorum calefaciant. Sextò dubitatur, vtrùm squamæ piscium, & oculi catorum possint calefacere? Ad quod dicitur quòd sic, hoc tamen est valdè remissè, & fortè talis habet aliquam virtutem frigefaciendi, propter quam non potest apparere calefactio per lumen, sufficit tamen quòd per illud lumen aliqualiter remittatur actio frigiditatis. Aliter dicitur quòd non oportet quòd lumen ignis, nec etiam huiusmodi rerum, lumen calefaciat, quia in talibus lumen est quædam qualitas secunda, proueniens ex actione primarum qualitatum, nec est eiusdem rationis cum lumine corporis cœlestis.

13. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes. Ad primam, *nullum subitò productum*, &c. Negatur maior, quia quod producitur subitò potest continuari successiuè, & sic potest producere illud, quod natum est successiuè produci.

Ad 2. Ad secundam, *nullum lumen*, &c. Negatur antecedens, quia lumen vnius diei durat per vnum diem, & lumen horæ per vnam horam.

Ad 3. Ad tertiam, *hoc maximè*, &c. Concedo, & cùm dicitur, tunc intensiùs calefaceret propè, quàm remotè. Negatur consequentia, quia calefactio per lumen non attenditur penes propinquum, & remotum à corpore luminoso, sed penes concursum radiorum oppositorum.

Ad 4. Ad quartam, *sequitur quòd omnia*, &c. Conceditur quòd astra omnia calefaciunt lumine, aliqua tamen frigefaciunt aliis influentiis.

Ad 6. Ad sextam, *tunc montes*, &c. Respondetur negando consequentiam, propter causam dictam in corollario.

Ad 7. Ad septimam, *tunc tenebra*, &c. Negatur consequentia, quia tenebra non est aliqua qualitas positiua.

Ad 8. Ad octauam, *vel per se, vel per accidens*, dico quòd per se, & hoc semper fit concurrentibus aliis causis, scilicet sufficienti intensione luminis, oppositione radiorum, & dispositione materiæ.

Ad 9. Ad nonam, dicetur quòd talia corpora alba non sunt lucida, & dato quòd aliqua essent lucida, sicut margaritæ, non tamen oportet illa calefacere, quia lumen eorum est alterius naturæ à lumine cœlesti.

Aliæ rationes sunt solutæ in quæstionis corpore. Et hoc de ista quæstione.



QVÆSTIO XII.

Vtrùm sphæra Solis per suum motum magis calefaciat ista inferiora, quàm aliæ sphæræ cœlestes?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia vel hoc esset, quia sphæra Solis est maior; vel quia defert maius astrum, sed neutro modo; igitur, &c. Maior patet, nam ista videtur causa potissima. Et minor apparet, primò non, quia sphæra est maior, nam sphæræ superiores sunt multò maiores; nec quia defert maius astrum, quia in octaua sphæra sunt astra ita multa, quia multitudo ipsorum faceret magnitudinem maiorem, quàm sit magnitudo Solis, & per consequens illa astra haberent plus calefacere per motum.

Secundum. Secundò, vel hoc esset, quia Sol velociùs mouetur, vel quia est propinquior nobis; sed neutro modo; igitur, &c. Maior patet per Aristotelem in litera. Et minor apparet, non quia velociùs mouetur, nam sphæra Lunæ complet suam circulationem in vno mense, sphæra autem Solis non nisi in anno, & per consequens velociùs mouetur Luna, quàm Sol; nec quia Sol est propinquior, quia notum est quòd Luna est propinquior nobis.

Tertium. Tertiò, vel hoc fieret mediatè, vel immediatè; non mediatè, quia sphæra Solis non calefacit sphæras intermedias; nec immediatè, quia omne naturale agens in aliquod passum distans, priùs agit in medium inter illud, & ipsum.

Quartò, quia si sic, hoc esset pro tanto, quia sphæra Solis defert corpus, vel astrum magis luminosum; modò consequens est falsum, quia ad hoc quòd lumen calefaciat non confert motus, imò potiùs impedit; nam si passum quiesceret, plus pateretur ab agente. *Quartum.*

Quintò, quia si magis calefaceret, etiam hoc pro tanto, quia sphæra Solis magis disgregaret à se inuicem partes illorum inferiorum, nam istam causam multi assignant: sed propter hoc non, quia propter sphæram Solis partes istorum inferiorum non mouentur localiter. *Quintum.*

Sextò, nulla sphæra cœlestis calefacit ista inferiora per motum; igitur non magis sphæra Solis, quàm alia. Consequentia tenet. Et antecedens probatur, quia calefactio causatur per motum ex confricatione vnius corporis ad aliud; modò nulla sphæra cœlestis confricatur ad ista inferiora: igitur, &c. *Sextum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Oppositum.*

In ista quæstione supponendi sunt modi, per quos calor potest produci à lumine vel motu. Vnde calor generatur à lumine ex concursu radiorum oppositorum, qui sunt radius incidens, & reflexus, seu refractus: sed calor generatur à motu ex confricatione corporis calefactibilis ad aliquod aliud corpus. 2. *Quomodo calor produci possit à lumine.*

Hoc præsupposito, ponuntur conclusiones. Prima est, quòd nulla sphæra cœlestis agit calorem in istis inferioribus per motum citra mediam regionem aëris circumscripto lumine, & aliis influentiis spiritualibus. Probatur, quia illud non potest generare calorem per motum in ista inferiora, quod non confricatur ad aliquod illorum inferiorum, nec quod mouet ista, nec aliqua alia, quæ ad ista confricentur: sed quælibet sphæra cœlestis est huiusmodi: igitur, &c. Maior patet, nam pluribus modis non potest imaginari, quòd motus alicuius corporis producat calorem: Et minor apparet, nam corpora cœlestia non tangunt ista inferiora, nec mouent ipsa localiter, vt manifestum est. *Conclusio 1.*

Secunda conclusio est, quòd circumscripto lumine, & influentia speciali cæli, corpus cœleste agit calorem per suum motum in sphæram ignis, & superiorem regionem aëris. Probatur per oppositum rationis prædictæ, nam cælum mouet sphæram ignis, & superiorem partem aëris, & ista ad cælum confricantur; igitur, &c. Ex quo patet quòd circumscriptis aliis influentiis cæli à motu non producitur in aliquod istorum inferiorum calor, nisi per se in sphæram ignis, & superiorem regionem aëris. 3. *Conclusio 2.*

Sed dubitatur, vtrùm in tali confricatione ignis ad cælum aliqua pars possit propelli deorsum à cælo? Et videtur quòd sic, quia à rota circulariter mota benè propellitur aër, citra quem mouetur; sed videtur quòd non; quia cælum est corpus, nec tendens sursum, nec deorsum, cuius superficies concaua est æquè distans à centro mundi vndique: ergo nihil habet propellere deorsum. *Dubium.*

Ad illud, dico quòd ignis benè potest propelli deorsum ab isto cælo, nam propter fortem impetum, quem habet ignis ad ascendendum reflectitur à cælo ad istam partem, ad quam tendit motus *Responsio.*

motus cæli. Quemadmodum videmus quòd faba proiecta contra superficiem rotæ superiorem circumuolutæ, tendit deorsum versus illam partem, ad quam rota mouetur.

4. *Conclusio 3.* Tertia conclusio est, quòd circumscripto lumine Solis, sphæra Solis non plus calefaceret ista inferiora, quàm aliæ sphæræ cœlestes. Probatur, quia esset ratione influentiæ maioris, vel ratione motus; sed neutro modo, quia in aliis partibus cæli inuenitur æqualis influentia, & motus æquè velox.

Conclusio 4. Quarta conclusio est, quòd sphæra Solis mediante lumine non plus intensiuè calefacit ista inferiora per suum motũ, quàm si non moueretur. Probatur, quia si sic, corpus Solis produceret intensiorem calorem in istis inferioribus, quàm de facto producit; igitur per motum mediante lumine non producit intensiorem, &c. Consequentia tenet de se, & antecedens apparet à simili, nam videmus quòd ferrum si continuè moueatur hinc inde propè ignem, tardiùs & remissiùs calefit, quàm si quiesceret; similiter videmus quòd quantò diutiùs Sol permanet super hemisphærium nostrum, tantò generatur intensior calor in istis inferioribus, modò diutiùs permaneret Sol si quiesceret, quàm si moueretur; igitur.

5. *Conclusio 5. Sol per suum motum lumine magis calefacit, quàm si non moueretur.* Quinta conclusio est, quòd Sol per suum motum mediante lumine magis calefacit ista inferiora extensiuè, quàm si non moueretur. Probatur, quia omne corpus motum circa aliquod plures partes ipsius aspicit, quàm si quiesceret, aspiciendo vnam partem tantùm: modò corpus cæli mouetur circulariter circa inferiora per motum suum, mediante lumine magis, quàm aliqua alia sphæra cœlestis. Cuius possunt assignari tres causæ.

Prima est, quæ dicta sunt, nam Sol magis calefacit per suum lumen, quàm aliquod aliud cæli astrum; & quia per motum defertur ad diuersas partes istorum inferiorum, ideò plures partes suo lumine potest calefacere, & per consequens magis calefacit, saltem extensiuè.

Secunda causa est vno supposito, scilicet quòd in istis inferioribus fiunt continuè generationes, & corruptiones mixtorum perfectorum, & animatorum, tunc hoc supposito, patet quòd nisi Sol moueretur, iam non producerentur huiusmodi mixta perfecta; eò quòd Sol continuè aspiceret vnam partem terræ, & non aliam, & in ista parte, quam continuè aspiceret, non generatur nisi ignis, vt in parte sibi apposita non nisi aqua. Ex quo patet quòd sphæra Solis magis calefacit extensiuè per suum motum, & magis moderatè, secundùm quod exigitur ad generationem mixtorum perfectorum, & animatorum.

6. Tertia causa est præsupponendo aliqua. Primò, quòd agens naturale in aliquod passum non agit per se, secundùm superficiem propinquam illi passo, sed agit secundùm partes, quæ sunt in profundo. Patet, nam ignis aliquantò spissus intẽsiùs calefacit passũ approximatũ sibi, quàm ignis æqualis longitudinis, & latitudinis cùm minore tamen spissitudine. Secunda suppositio est, quòd si alicuius agentis vna pars sit nobilior, & efficacior aliis ad agendum, actio istius agentis tribuitur illi parti, sicut patet in viuentibus, nam quia anima pars est nobilior corporis animati, & efficacior ad operandum, iam actio corporis animati attribuitur animæ; eodem modo est de corde respectu membrorum corporis. Tertia suppositio est, quòd corpus cœleste, scilicet aggregatum ex omnibus sphæris est quodammodo agens in istis inferioribus; istud patet ex quadam quæstione præcedente. Quarta suppositio est, quòd corporis cœlestis pars nobilior, & efficacior ad agendum est corpus Solis. Patet, quia Sol est astrum magis lucidum, & situatum in medio sphærarum, vnde est pars nobilior. Et tenet consequentia per simile, quia videmus in corpore humano, quòd cor est pars nobilissima ipsius, & situatur in medio ipsius. Tunc de istis patet quare Sol magis calefacit ista inferiora, nam per tertiam suppositionem, cælum est quoddam agens influens in ista inferiora, quod non agit solùm secundùm superficiem, imò secundùm profundum per primam suppositionem; & eius pars nobilissima & perfectior, vel efficacior ad agendum est Sol; igitur per quartam suppositionem Soli debet attribui actio cæli per secundam suppositionem, & per consequens magis sibi, quàm alicui alteri sphæræ cœlesti.

Sed dubitatur de prima suppositione, quia si partes profundæ agerent, sequitur quòd simile in suum simile agit. Consequens est falsum 1. *de Generatione.* Consequentia probatur, quia pars existens in profundo ageret in partem remotiorem. 7. *Dubium 1.*

Ad istud dicitur negando consequentiam, quia actio partis profundæ non est distincta à parte superficiali, imò eadem est actio vtriusque. *Solutio.*

Secundò dubitatur ad aliquantam distantiam in profundo agerent, & ad aliquantam non? *Dubium 2.*

Ad illud dicitur quòd illud est difficile assignare, tamen pro nunc potest dici quòd partes in profundo agunt ad istam partem, cuius actio terminaretur ad superficiem passi, dato quòd non essent aliæ partes intermediæ, & non vltra. *Solutio.*

Rationes aliæ procedunt viis suis.



QVÆSTIO XIII.

Vtrùm quatuor elementa sint proportionalia continuè?

ARGVITVR quòd non; quia vel erunt continuè proportionalia proportione æqualitatis, vel proportione inæqualitatis; non proportione æqualitatis, quia cùm ignis sit magis actiuus aliis elementis, & sit per se æqualis illis, sequitur quòd omnia elementa alia corrumperet; nec proportione inæqualitatis, quia tunc maximus terminus excederet elementa omnia alia, & per consequens ipsa corrumperet. Confirmatur, quia sicut est in mundo inferiori, quòd nullum mixtum potest perpetuari, nisi in ipso elementa reducerentur ad temperamentum, ita est in mundo maiori, quòd non potest durari, nisi quatuor elementa sint ad inuicem adæquata; igitur quatuor elementa non sunt proportionalia proportione inæqualitatis, sed potiùs proportione æqualitatis. 1. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, si elementa secundo modo, sequitur quòd ignis esset maximum omnium elementorum. Consequens est falsum, quia magnitudo aliorum elementorum debet proportionari actiuitati *Secundum.*

uitati

uitati ignis. Et tenet consequentia, quia in tali continua proportione est ignis primus, maximus.

Tertium. Tertiò, sequeretur quòd aqua esset minùs elementum, quàm sit terra. Consequens falsum, quia aqua habet maiorem spissitudinem, quàm sit spissitudo terræ, & locum eleuatiorem versùs cælum, & per consequens debet esse maioris quantitatis. Et patet consequentia, quia tota aqua continetur in concauitatibus terræ.

Quartum. Quartò, elementa non sunt continuè proportionabilia in qualitatibus primis; igitur nec in magnitudine, nec in aliquibus aliis. Consequentia tenet, quia secundùm proportionem qualitatum primarum sunt proportiones magnitudinum formarum substantialium, & aliorum accidentium. Et antecedens apparet, quia nulla est qualitas prima communis quatuor elementis, in qua elementa possunt continuè proportionari. Nam non est verum quòd sicut se habet ignis ad aërem in calore, ita aër ad aquam, & aqua ad terram, quia aqua & terra non sunt calida.

Quintum. Quintò, sphæræ cœlestes non sunt continuè proportionabiles; agitur nec quatuor elementa. Consequentia tenet per Aristotelem *in isto primo*, vbi dicit quòd maior est ordo in corporibus cœlestibus, quàm in istis inferioribus. Et antecedens apparet, nam octaua sphæra in multò maiori proportione excedit sphæram sibi immediatam, quàm aliqua sphæra inferior excedit reliquam.

Sextum. Sextò, quatuor elementa non sunt continuè proportionabilia corpori cœlesti; igitur nec etiam inter se inuicem. Consequentia tenet, quia sicut quatuor elementa inter se ordinantur secundùm situm, ita cum eis ordinatur corpus cœleste. Et antecedens apparet per Aristotelem *in isto primo*, vbi vult quòd quodlibet elementorum sit valdè modicæ quantitatis in comparatione ad cælum.

Septimum. Septimò, quia mixta ex elementis non sunt continuè proportionabilia; igitur nec ipsa elementa. Tenet consequentia, nam cùm mixta componantur ex elementis, qualiter se habent elementa; debent se habere mixta composita ex eis.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, vbi dicit: *Si enim & distantia plena igne, & corpora constant ex igne, olim annihilatum esset vtique vnumquodque aliorum*; itaque videtur arguere quòd non, nisi elementa essent continuè proportionabilia, quia elementum excedens omnia alia corrumperet.

Diuisio quæstionis. In ista quæstione sunt quatuor videnda. Primò, quædam distinctiones generales pertinentes ad propositum. Secundò de æqualitate elementorum. Tertiò de proportionalitate. Quartò, dato quòd elementa essent inæqualia, qualiter possunt conseruari, ne vnum corrumpatur.

ARTICVLVS I.

Quædam distinctiones generales ad elementorum proportionalitatem pertinentes.

2. Elementa quatuor. QVantùm ad primum, sciendum est, quòd in proposito accipimus *elementa*, pro primis corporibus actu existentibus, ex quibus generabilia, & corruptibilia nata sunt componi, sicut sunt, ignis, aër, aqua, terra.

Secundò sciendum est, quòd in proposito capimus elementum terræ pro ipsa terra, & pro omnibus mixtis generatis infra & supra terram; & aquam, pro aqua, & illis quæ continentur infra locum aquæ.

Tertiò est sciendum, quòd proportio est duarum qualitatum eiusdem generis vnius ad alteram certa relatio in quantitate; verbi gratia, proportio dupla, sicut duorum ad vnum est certa relatio istorum duorum numerorum, qui sunt eiusdem generis in quantitate. Proportio diuiditur in tres species, scilicet in proportionem æqualitatis, maioris inæqualitatis, & proportionem minoris inæqualitatis. Proportio æqualitatis est habitudo duarum qualitatum æqualium ad inuicem, sicut proportio duorum ad duo, & talis non habet plures species, imò consistit in indiuisibili. *3. Proportio quid. Eius diuisio. Æqualitatis.*

Sed proportio maioris inæqualitatis est habitudo maioris qualitatis ad minorem, sicut trium ad duo est proportio sesquialtera. Et ista proportio maioris inæqualitatis subdiuiditur in proportionem multiplicem, superparticularem, & superpartientem, & quælibet illarum diuiditur in species infinitas. *Maioris inæqualitatis.*

Sed proportio minoris inæqualitatis est habitudo minoris qualitatis ad maiorem, sicut duorum ad quatuor est proportio subdupla, & ista subdiuiditur in proportionem submultiplicem, subsuperparticularem, & subsuperpartientem, & quælibet illarum diuiditur in species infinitas proportionales speciebus proportionum maioris inæqualitatis. *Minoris inæqualitatis.*

Quartò sciendum est, quòd proportionalitas est similitudo proportionis. Sicut si dicatur quòd sicut se habet octo ad quatuor, ita quatuor ad duo, & talis proportionalitas est triplex; nam quædam est Arithmetica; quædam Geometrica; quædam Harmonica. *4. Proportionalitas quid?*

Proportionalitas Arithmetica est illa, quæ attenditur penes æqualitatem differentiarum vnius qualitatis ad aliam, sicut dicendo scilicet quatuor duo, & vocatur differentia in proportione excessus, quo maior quantitas excedit minorem, sic & dicitur excessus sex ad quatuor. *Proportionalitas arithmetica.*

Sed proportionalitas Geometrica consistit in æqualitate proportionum, sicut dicendo 8, 4. 2. 1. nam qualis est proportio 8. ad 4. eadem est proportio duorum ad vnum. *Geometria.*

Quintò sciendum est, quòd quælibet istarum proportionum potest esse duplex, scilicet continua, & discontinua.

Proportionalitas continua est, cùm quilibet terminus est antecedens, & consequens præter primum & vltimum. Nam primus terminus est tantùm antecedens, & vltimus tantùm consequens, verbi gratia, si dicatur, qualis est proportio inter octo & quatuor, talis est proportio quatuor ad duo, & duorum ad vnum; in ista proportione iste terminus *octo* primus est antecedens tantùm, & ille terminus, *vnum*, qui est vltimus, est tantùm consequens, sed duo termini intermedij, scilicet *duo* & *quatuor*, quilibet illorum est antecedens & consequens. *Continua.*

Sed proportionalitas discontinua est, quando nullus terminus est antecedens & consequens, vel antecedens tantùm, vel consequens tantùm, sicut, verbi gratia, dicendo, qualis est proportio sex *Discontinua.*

sex ad tria, talis est proportio quatuor duo; in ista enim similitudine proportionum nullus terminus est simul antecedens & consequens, sed quilibet vel tantùm antecedens est, vel tantùm consequens.

Harmonica. Sextò sciendum est, quòd proportionalitas harmonica vocatur, cùm eadem est proportio maximi termini ad minimum, & differentia maximi termini ad medium ad differentiam medij ad minimum, verbi gratia 6. 4. 3. eadem est proportio 6. ad 3. scilicet maximi termini ad minimum, quæ est proportio duorum, quæ differentia est inter 6. & 4. ad vnum, quod est differentia inter 4. & 3.

Septimò, sciendum quòd elementa possunt imaginari esse proportionalia, vel improportionalia: & si proportionalia, vel continuè, vel discontinuè; & iterum vel in magnitudine, vel in qualitatibus primis, vel in qualitatibus secundis, cuiusmodi sunt grauitas, leuitas, raritas, densitas, spissitudo, tenuitas. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De æqualitate elementorum.

7. QVantùm ad secundum est sciendum, quòd elementa possunt imaginari esse æqualia, vel in magnitudine, vel in virtute; in materia, vel in spissitudine.

Conclusio 1. Elementa nō sunt æqualia in magnitudine. Tunc ponuntur conclusiones sequentes. Prima est, quòd quatuor elementa non sunt æqualia in magnitudine. Probatur, aër est multò maior, quàm sit terra; igitur quatuor elementa non sunt æqualia in magnitudine. Consequentia tenet de se, & antecedens apparet, vt potest inuestigari inueniendo distantiam, ad quam ascendunt impressiones ignitæ, quæ distantia maior est semidiametro terræ, & tamen istæ impressiones non ascendunt vltra aërem, quare, &c.

Secundò, si quatuor elementa essent æqualia, sequeretur quòd tota sphæra generabilium, & corruptibilium esset per se quadrupla ad sphæram terræ. Consequens falsum & impossibile; igitur & antecedens. Consequentia probatur, quia aggregatum ex quatuor corporibus æqualibus est per se quadruplum ad vnum illorum. Et falsitas antecedentis apparet per Astrologos, & maximè per Ptolemæum, qui ponit sphæram generabilium, & corruptibilium, plus quàm mille vicibus excedere sphæram terræ.

Tertiò, quia orbes cœlestes non sunt sibi inuicem æquales; igitur nec quatuor elementa. Tenet consequentia, quia in corporibus cœlestibus maior est ordo, quàm in illis inferioribus, vt patet in illo primo. Et antecedens apparet, nam sphæræ superiores, multò sunt maiores inferioribus.

Quartò, quia aqua est maior terra, vt postea probabitur; igitur quatuor elementa non sunt æqualia.

8. *Conclusio 2. Nec in virtute.* Secunda conclusio est, quòd quatuor elementa non sunt æqualia in virtute. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd terra esset maximum elementorum omnium; consequens falsum, primò quia sphæra ignis circundat omnia alia elementa; videtur igitur quòd illa sit maior aliis. Secundò, quia dictum est quare per ascensiones impressionum ignitarum potest inueniri quòd quantitas aëris sit maior quantitate terræ. Probatur consequentia, quia in æquali quantitate terræ est minor virtus, quàm in æquali quantitate alterius elementi; si igitur virtus terræ debet esse æqualis virtuti alterius elementi tantum per magnitudinem, debet recompensari, quantum virtus alterius elementi excedit virtutem terræ in æquali quantitate.

Secundò sequeretur quòd ignis esset minimum omnium elementorum: consequens est falsum, quia cùm obtineat locum superiorem & contineat alia elementa, videtur esse maioris quantitatis aliis elementis. Probatur consequentia primò, sicut probatur præcedens, nam ignis in aliquanta quantitate habet maiorem virtutem, quàm aliud elementum in æquali magnitudine; igitur oportet quòd per paruitatem ipsius tantum recompensetur, quantum virtus eius excedit virtutes aliorum elementorum in æquali quantitate.

Tertia conclusio est, quòd quatuor elementa non sunt æqualia in materia. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd si aqua esset condensata ad gradum densitatis terræ; tunc aqua & terra essent sibi inuicem æquales. Consequens falsum; quia de facto terra est maior aqua; igitur si esset condensata ad densitatem terræ non esset æqualis. Consequentia tenet, quia si fieret condensata minor esset, quàm si non esset condensata. Antecedens apparet, quia nisi aqua esset minor terra, cùm semper aqua tendat ad locum decliuiorem, sequitur quòd aqua deberet cooperire totam terram, & ipsam sphæricè circundare, & istud magis postea probabitur. 9. *Conclusio 3. Nec in materia.*

Quarta conclusio est ista, quòd quatuor elementa non sunt æqualia in spissitudine. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd sphæra generabilium, & corruptibilium contineret sphæram terræ multò minus quàm tribus mille vicibus. Consequens est contra Astrologos, vt prius allegatum est. Et probatur consequentia, quia postquam eleuata sunt ex aqua spissa, & notū est diametrum terræ, faciliter potest cognosci per calculationes diametri cuiuslibet aliorum elementorum, & inuenietur quòd totalis sphæra generabilium, & corruptibilium modicum plus quàm mille, & vndecim vicibus continebit sphæram terræ. *Conclusio 4. Nec in spissitudine.*

Contra istas conclusiones arguitur, primò contra primam & secundam simul, quia nisi elementa essent æqualia in magnitudine, ac virtute, sequeretur quòd elementum maius elementa reliqua corrumperet. Consequens est falsum, quia tunc deficeret vna pars principalis vniuersi, & per consequens ordo, & decor ipsius. Probatur consequentia, quia elementum excedens esset appropinquatum aliis super ipsam proportionem maioris inæqualitatis. 10. *Obiect. cōtra 1. & 2. concl.*

Contra tertiam conclusionem probantur duæ conclusiones. Prima est, quòd cuiuslibet elementi materia est æqualis materiæ alterius. *Contra 3. conclus.*

Secunda est, quòd magnitudo vnius elementi, sicut terræ, est per se subdecupla ad magnitudinem elementi proximi; scilicet aquæ, & in eadem proportione se habet aqua respectu aëris, & aër respectu ignis. Et ex isto sequitur quòd raritas ignis est in decuplo maior raritate aëris; & densitas terræ est in decuplo maior densitate aquæ.

Prima consequentia probatur, quia verisimile est

est quòd tota materia generabilium & corruptibilium sit diuisa in quatuor proportiones æquales, quarum cuilibet elementorum attribuitur vna. Secundò, quia æqualis est materia proportionis, aëris generati ex vna proportione materiæ illius aquæ, igitur materia totius sphæræ aëris est æqualis materiæ totius sphæræ aquæ. Tenet consequentia per Philosophum *in isto primo*. vbi vult quòd secundùm eandem proportionem se habet totum vnum elementum cùm alio, & pars vnius cum parte alterius, si ex inuicem generentur. Tertiò, quia secundùm eandem proportionem se debent habere magnitudines elementorum, secundùm quam se habent grauitas, & leuitas; eodem modo quantò terra est grauior aqua, tantò aqua est grauior aëre, & aër igne.

11. Secunda consequentia probatur ex duobus, primò ex dicto Aristotelis, vbi vult quòd ex vno pugillo terræ possunt fieri decem aquæ, & ex vno aquæ decem aëris, & sic conformiter in alio. Secundò ex dictis illius *in isto primo*, vbi vult quòd in eadem proportione se habet totus aër ad totam aquam, quemadmodum se habet proportio aëris facta ex proportione aquæ. Et sunt verba ista; *Necesse autem eandem rationem habere, quantam habet tantilla, & parua ad factum ex ipsa aërem, & totus ad totam aquam.* Istis suppositis, patet quòd elementa se habent ad inuicem in proportione decupla; nam eadem est proportio elementorum & partium illorum, cùm ex inuicem generantur, sed illarum partium est proportio decupla; igitur, &c.

Secundò confirmatur persuasione, quia in eadem proportione se habent, vel habere debent elementa generabilium, in qua se habent numeri, quibus numeramus tanquam principiis in omni idiomate, sed illi numeri se habent secundùm decuplam proportionem; igitur, &c. Maior patet, quia sicut quatuor elementa sunt principia generabilium, & corruptibilium, ita illi numeri sunt principia aliorum numerorum. Et minor apparet, nam illi numeri sunt decem, centum, mille, & sic procedendo secundùm decuplam proportionem, & omnes alij numeri componuntur ex istis.

12. *Obiectio contra 4. concl.* Contra quartam conclusionem arguitur, quòd sursum & deorsum sunt loca contraria grauium, & leuium; igitur signato medio puncto inter ista duo loca, quidquid est superius erit leue, & quidquid inferius graue; igitur elementa grauia sunt æqualis spissitudinis cum elementis leuibus.

Similiter probatur quòd eadem sit spissitudo terræ, & aquæ, signato medio puncto inter centrum terræ, & medium punctum priùs assignatum. Et ex isto sequitur quòd si diametrum terræ assignetur sicut vnum aggregatum ex diametro terræ & aquæ, & vt duo, quæ est proportio dupla, & tum proportio sphærarum sit sicut diametrorum proportio triplicata, & dupla triplicata est octupla, sequitur quòd aggregatum ex sphæra aquæ, & sphæra terræ se habebit in octupla proportione respectu sphæræ terræ tantùm.

13. Secundò arguitur contra conclusionem, quia ibi supponitur ab Astrologis demonstratum, quòd sphæra generabilium, & corruptibilium continet sphæram terræ plus quàm tribus mille vicibus; modò hoc ego nego, quia hoc non demonstrat, nisi capiatur tota sphæra generabilium pro distantia, quæ est inter globum corporis Lunæ, & centrum terræ; modò non est probatum, quantum globus ille situatur profundè infra sphæram suam, ita quòd sphæra eius descendat citra globum per magnam partem.

Ad primam, ista ratio soluetur in vltimo articulo. Ad aliam nego ambas conclusiones: Ad probationem primò dico, quòd non est verisimile, eò quòd experientia, & ratio efficax est ad oppositum. Ad secundam, *in eadem proportione*, &c. negatur maior, quia quanuis ex proportione terræ fiat proportio aquæ maior quàm sit ista proportio terræ, tamen hoc non obstante tota sphæra aquæ est minor sphæra terræ, vt posteà probabitur. *Ad 1.* *Ad 2.*

Ad tertiam, negatur quòd grauitas & leuitas istorum elementorum sunt proportionales, nam in multò maiori proportione terra est grauior & densior aqua, & aqua quàm ignis, & ignis leuior & rarior aëre, quod probatur ex duobus, primò quia prope superiorem regionem aëris ignis venit vniter difformis in raritate, & taliter vsque ad sphæram aëris; igitur ibi inter aërem & ignem modica est diuersitas, vel difformitas. Secundò patet per experientiam, hîc inferius, nam videmus in furno vbi sunt vitra, quòd modica est differentia inter aërem, & ignem vbi liquefiunt vitra. *Ad 3.*

Tunc ad rationes secundæ conclusionis, cùm præsupponitur, &c. negatur suppositum, imò est falsum, & demonstratio ad oppositum, vel saltem ratio efficax, nec Aristoteles dixit, nisi vt reprehenderet antiquos. 14. *Ad 1. rationem 2. concl.*

De secundo supposito, dico quòd nec est expertum, nec bene probatum quòd ex vno pugillo terræ fiant decem aquæ, & dato quòd ita esset, non oporteret eandem esse proportionem totius ad totum, & partis ad partem.

Ad secundam neganda est similitudo, quia ita consimiliter agerent, quòd sicut totus ignis circumuenit totum aërem, & aër totam aquam, ita videtur quòd aqua circumuenit totam terram, modò certum est hoc esse falsum. *Ad 2.*

Ad rationem contra quartam, cùm dicitur, *signetur medium punctum semidiametri*, &c. dico quòd iste punctus non diuidit grauia à leuibus, nec hoc apparet, sed punctus diuidens grauia à leuibus est multò propinquior terræ centro, quàm circumferentiæ cæli. Ad aliam dico quòd ista demonstratio tenet, præsupposito quòd globus Lunæ tangat sphæram generabilium & corruptibilium, cùm fuerit ex parte inferiori sui Epicycli, seu cum fuerit maximè prope terram. *Ad rationem contra 4. conclus.*

ARTICVLVS III.

De proportionalitate elementorum.

15. DE tertio est opinio Thomæ Bradvvardyn *cap. vlt. tract. de proportionib.* qui primò ponit quòd elementa sunt ad inuicem continuè proportionalia. Hoc supposito, capit totum diametrum sphæræ generabilium, & corruptibilium, quæ se habent ad semidiametrũ terræ, sicut 33. ad vnum, & tunc illum numerum diuidit in quatuor numeros continuè proportionales, quorum primus est semidiametrum terræ; secundus semi

semidiametrum aquæ; tertius semidiametrum aëris; quartus semidiametrum ignis: & quia eadem est proportio semidiametrorum totalium, ideò triplicata proportione semidiametrorum totalium habetur proportio sphærarum, & per illam conclusionem proportio sphærarum est diametrorum proportio triplicata, & secundùm ipsam illi quatuor termini continuè proportionabiles sunt, 31. 30. 80. 89. 35. millia, 900. & 83.

16. *Elementa nō sunt cōtinuè proportionabilia.* Sed ista opinio est falsa, vt patebit ex quæstione, ideò sequitur conclusio ista, quòd elementa non sunt continuè proportionalia. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quòd vnum elementum non posset augmentari reliquo non augmentato. Consequentia tenet, nam dato quòd vnum augmentaretur, & reliquum non, ampliùs non essent proportionalia continuè: sed falsitas consequentis probatur, primò, quia voluntariè potest intendi calor per combustionem, & per consequens augmentari potest ignis, reliquis elementis frigidis remanentibus, vt priùs. Secundò patet falsitas, quia quandoque multa astra frigefacta ad inuicem coniunguntur; igitur pro eodem tempore maior est frigiditas in istis inferioribus, quàm alio tempore, & per consequens plus de elemento frigido. Tertiò patet, quia quando Sol est propinquior ad terram, tunc est plus de elementis calidis, eò quòd Sol est productiuus caloris; modò in hyeme est Sol propinquior ad terram per Astrologos; igitur tunc est maior caliditas, quamuis non sentiatur.

17. Secundò arguitur ad conclusionem, aqua est minor terra; igitur elementa, &c. Consequentia tenet, quia si essent continuè proportionalia, tunc quantò ignis esset maior aëre, aër maior aqua, & aqua terra. Antecedens probatur, quia aqua & terra non simul causant maiorem vmbram, quàm terra se sola causaret: igitur aqua non est maior terra. Consequentia tenet, quia à maiori corpore causaretur maior vmbra. Et antecedens patet, quia per demonstrationes Astrologicas potest sciri quantitas diametri Solis, & distantia terræ à Sole; igitur potest inueniri quantitas diametri vmbræ causatæ in loco Lunæ in eclipsi, & per alias demonstrationes possit sciri quantitas vmbræ de facto causatæ ab aqua & terra simul in eclipsi Lunæ, & inuenietur quòd vmbra vna non est multo maior alia. Tertiò, nam sequeretur quòd tota terra esset submersa. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia si imaginaretur terram esse extra locum suum, & aquam esse in centro, tunc si terra descenderet, antequam centrum eius fieret centrum mundi, ipsa tota esset submersa, cùm aqua sit maior ea, & de facto non minùs submergeretur, cùm aqua non sit minor quàm tunc esset.

Sed possit dici, quòd terra ponitur quasi sub vna parte centri mundi, & aqua sibi contra ponderat ab alia parte.

Sed contrà, quia si sic, sequeretur quòd mare continuè profundaretur à terra. Consequens est falsum, vt patet per experientiam. Secundò, quia terra naturaliter nata est esse sub aqua; igitur aqua non contra ponderat sibi ab opposita parte.

Tertiò, quia aggregatum ex terra & aqua non esset sphæricum; consequens falsum, quia eius vmbra est sphærica, vt patet in eclipsi. Et patet consequentia postquam aqua esset maior, & aliqua pars terræ eleuaretur. Et hoc de tertio.

ARTICVLVS IV.

Dato quòd elementa essent inæqualia, qualiter possunt conseruari ne vnum corrumpatur.

DE quarto, dico quòd dupliciter potest induci quòd elementa non corrumpant seipsa inuicem, dato quòd sint inæqualia. Primò, sic, & sit conclusio ista, quòd non quodlibet agens in aliquod passum agit secundùm quamlibet partem sui in profundo. Probatur, quia si ita esset, sequitur quòd minima scintilla aëris possit agere in quantamcunque distantiam. Consequens est impossibile, quia tunc maius & fortius agens non possit ad maiorem distantiam agere, quàm minus. Probatur consequentia, quia aër exalterat, igitur cùm agat secundùm quamlibet partem in profundo, sequitur quòd pars aëris adhuc ad Romam * alterat me, cùm partes illæ sunt in profundo aëris. 18. *Prima via.*

** Locus obscurus, videtur aliquid deesse.*

Secunda conclusio est, quòd cuiuslibet agentis aliquæ partes agunt secundùm profundum. Probatur per experientiam, nam videmus quòd ignis aliquantæ spissitudinis agit intensiorem calorem, quàm ignis sibi æqualis secundùm longitudinem, & latitudinem, cum minori tamen spissitudine. Ex isto sequitur quòd cùm aliquæ partes aëris in profundo agunt, & non quælibet, sequitur quòd longitudo passi mensurat, & maximam partem agentis, quæ secundùm se, & quamlibet sui agit in passum, & minimam quæ non.

Secundò sequitur, dato quòd ignis excedat alia elementa, & sit sufficienter applicatus eis, non propter hoc ipsa corrumperet. Patet, quia non agit secundùm omnes partes sui, sed solùm secundùm aliquas approximatas passo, quæ sunt maioris potentiæ, quàm passum sit resistentiæ.

Alia via inducendi est per consequentia, supponitur primò, quòd quodlibet elementum determinat sibi certum gradum raritatis, vel densitatis, quem naturaliter non potest transgredi, non potest naturaliter, nec violenter, nisi corrumpatur. Secundò, supponitur quòd tota sphæra generabilium, & corruptibilium replet locum inter orbem Lunæ, & centrum terræ, nec potest replere maiorem, nec minorem; tunc ex istis sequeretur quòd si vnum elementum rarefieret, oporteret ipsum, vel adiunctum condensari. 19. *Secunda via.*

Tunc ponitur ista conclusio, quòd si ignis debet generare ignem ex aliis elementis, generatio illius non potest fieri, nisi vsque ad determinatam quantitatem. Probatur, quia ignis requirit maiorem locum, quàm elementum ex quo generatur, & cùm locus non potest maiorari, sequitur quòd nec ignis quantumlibet generari; imò per talem generationem tandem condensaretur, & tenderet ad *non esse*, seu ad corruptionem

nem sui ; & ex isto sequeretur quòd tantum de igne posset generari ab aliis elementis, quòd ignis non posset plus generari. Probatur, quia ignis non potest ex aliis elementis generari, nisi facta condensatione violenta, modò ipsa non potest fieri quantumlibet.

Secundò sequitur quòd ignis possit esse in tantum augmentatus, quòd non potest comburere stupam appropinquatam sibi. Probatur, quia condensato igne, quantum possibile est præter eius corruptionem, & etiam aliis elementis, quæro, si stupa combureretur, vel ignis genitus ex ipsa tantùm occupat locum per se, quantum anteà, vel maiorem? Non tantum, quia ignis requirit maiorem extensionem quàm stupa; nec maiorem, quia tunc alibi ignis condensaretur, quod est falsum, quia ignis in tantum est condensatus, quantum naturaliter, vel violenter posset condensari. Et ex ista solutione intelligitur ratio prima facta in secunda parte quæstionis, quia dato quòd vnum elementum, sicut ignis, excedat alia, tum non habet locum, in quo alia possunt recipi, sed ipsa conuertet in suam naturam.

Rationes soluuntur hinc inde per dicta.



QVÆSTIO XIV.

Vtrùm impreßionum ignitarum exhalatio calida & sicca, sit materia?

1. *Arg. primũ.* RGVITVR quòd non; quia si ita esset, sequeretur quòd omnes impressiones ignitæ mouerentur sursum: consequens contra experientiam; nam aliquas videmus moueri sursum, & alias deorsum, vt stellas cadentes; & quædam mouentur lateraliter, vt patet de materia stellæ comatæ, quæ multoties experta est cadere deorsum. Probatur consequentia, nam exhalatio calida & sicca, cùm sit leuis tendit sursum.

Secundum. Secundò, quia illud non est materia impressionum ignitarum, quod non est faciliter inflammabile; sed exhalatio non est, &c. Maior patet, quia huiusmodi impressiones generantur per inflammationem. Et antecedens apparet, nam ad inflammationem requiritur humiditas; modò talis exhalatio non est humida, quia si sic, simul essent humida, & sicca.

Tertium. Tertiò, quia stella comata & Galaxia sunt impressiones ignitæ; & ipsarum non est materia exhalatio; igitur, &c. Maior patet, de ipsis determinat Aristoteles tanquam de impressionibus ignitis. Et minor patet, nam Galaxia est de natura cæli, prout patet per Aristotelem in antiqua translatione, & etiam stella comata, quæ mouetur ad motum cæli.

Quartum. Quartò, si ita esset, sequeretur quòd omnes impressiones ignitæ essent eiusdem speciei specialissimæ, & quòd fierent iisdem temporibus. Consequens est contra experientiam, quia videmus quòd semper est Galaxia, tardò stella comata, quandoque stellæ cadentes, & quandoque non; sed primum consequens potest esse falsum, nam plus differunt stella comata, & stella cadens, quàm duæ comatæ differunt; modò duæ comatæ differunt numero; igitur illæ plus differunt quàm numero, & per consequens specie. Probatur consequentia, quia cùm omnium impressionum ignitarum sit eadem materia, scilicet exhalatio, & idem efficiens, scilicet inflammatio, sequitur quòd effectus erit vnus, scilicet in specie.

Quintò, sequeretur quòd in æstate citiùs fierent impressiones ignitæ, quàm aliis temporibus: consequens est falsum, & contra experientiam, imò potiùs fiunt in Autumno. Probatur consequentia, quia tempus tunc est magis calidum & siccum. *Quintum.*

Sextò, auctoritate Senecæ, quam allegat Albertus *super isto primo*, qui dicit quòd ex sola confricatione aëris potest generari impressio ignita, & per consequens istius non potest esse materia calida exhalatio, & sicca, imò materia est aër. *Sextum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Opposit.*

Pro quæstione, sciendum primò, quòd exhalatio est fumus eleuatus à terra per actionem Solis, & aliarum calefacientium stellarum propter mixta perfecta, calidus & siccus, leuis, rarus, tenax, subtilis, & quodammodo inuisibilis. Per hoc quod dicitur, *fumus eleuatus à terra*; tangitur eius causa materialis. Propter quod sciendum est, quòd terra hîc circa nos non est purè simplex; imò est quodammodo commixta aqua pluuiali, & quibusdam mixtis, & est quodammodo porosa, ideò ipsam possunt subintrare fumi calidi, sicut in hyeme, & frigidi æstate. Et propter hoc quòd ista terra non est simplex, dicit Seneca, quòd ista terra habet tres crustas à circumferentia ad centrum, quarum prima est commixta aqua pluuiali; secunda est commixta mineralibus, quæ generuntur, & tertia est pura de ibi vsque ad centrum. Sed per hoc quod dicitur quòd *per calefactionem Solis*; tangitur causa efficiens exhalationis. Propterea sciendum, quòd quandoque exhalatio illa eleuatur per calefactionem Solis mediante lumine, & quandoque aliter; nam infra terram includitur fumus calidus, qui calefacit, rarefacit, & leuefacit terram, & ex hoc generantur alij fumi, & tunc illi coniungentes se ad inuicem propter similitudinem ad modum guttularum; tandem isti fumi in magna quantitate existunt, & est exhalatio calida & sicca. 2. *Exhalatio quid?*

Sed propter hoc quod dicitur, *propter mixta perfecta*, tangitur causa finalis istarum impressionum; nam omnes impressiones, vel actiones, tam elementorum, quàm mixtorum imperfectorum, sunt propter mixta perfecta. Sed per alias particulas sequentes tanguntur qualitates, & dispositiones exhalationis.

Secundò sciendum, quòd exhalationis calidæ & siccæ quædam est materia vnctuosa, quædam non, vt materia venti. Vbi sciendum, quòd exhalatio calida & sicca vnctuosa differt à non vnctuosa. Et à vapore aqueo in hoc, quòd altiùs ascendit. Et assignat Albertus *in isto primo*, quatuor causas, quare altiùs ascendit quàm vapor. Prima est, quòd quamuis talis exhalatio terrestris sit grossa, & materiæ subtiliabilis, tamen recipit calorem in materia illa, quæ est vnctuosa, & faciliter 3. *Eius materia.* *Cur altiùs ascendit quã vapor?*

liter inflammabilis in materia impressionum ignitarum, sed aliter est de vapore, cùm materia sit magis subtilis. Modò illud quod in se habet maiorem vnctuositatem cæteris paribus, altiùs potest ascendere.

Secunda causa, quia exhalatio ratione suæ compactitatis est magis retentiua caloris, quàm vapor, cùm vapor sit minùs compactus; modò quantò aliquid diutiùs retinet calorem, tantò diutiùs potest ascendere, & per consequens altiùs.

Tertia causa, quia exhalatio habet duas qualitates symbolas cum igne, qui habet altissimè ascendere, scilicet caliditatem, & siccitatem ab illo, à quo eleuatur; sed vapor habet vnam solam qualitatem symbolam, paruam caliditatem.

Quarta causa est, quia vapor, quamuis sit materia magis subtilis, tamen faciliter est resolubilis à modico calore, propter sui subtilitatem, & faciliter est congelabilis à modico frigore; ideò antequam perueniat ad locum superioris regionis aëris, resoluitur per calorem Solis, vel congelatur in aquam per frigiditatem; non tamen est sic de exhalatione.

4. *Obiectio.* Et si obiiciatur, quia videmus quòd in istis inferioribus ita diu durat ignis, quamdiu durat humidum in quod agit; igitur cùm vapor sit humidus, & exhalatio non, sequitur quòd calor diutiùs potest permanere in vapore, quàm in exhalatione, & per consequens vapor altiùs ascenderet.

Solutio. Ad istud dico quòd quamuis vapor sit magis humidus, tamen propter sui subtilitatem est faciliùs resolubilis in aërem, vel congelabilis in aquam; ideò non oportet quòd diutiùs retineat calorem. Similiter dico quòd exhalatio non caret tali humiditate, nam cùm sit quodammodo tenax, est ibi humiditas continuans partes, & ideò terra puta si per se esset, caderet in puluerem.

5. Tertiò notandum, quòd impressiones ignitæ, quæ generantur ex exhalatione calida & sicca vnctuosa, sunt stellæ comatæ, stellæ cadentes, capræ saltantes, hiatus, voragines, quæ fiunt per inflammationem, & etiam coruscationes in nubibus; & istæ impressiones differunt quoad loca, in quibus generantur, nam si eleuetur exhalatio prope ignem in superiori regione aëris in magna multitudine, tunc fit stella comata; sed si eleuetur per se vsque ad inferiorem partem superioris regionis, tunc generantur inde stellæ cadentes, capræ saltantes; sed si non eleuetur vltra mediam regionem, sed in media regione includatur inibi tunc fiunt coruscationes. Patet igitur ex istis quid sit exhalatio, qualis sit, quæ sint causæ & effectus ipsius, & quomodo differt à vapore, quantum ad hoc quòd altiùs ascendat quàm vapor. Tunc ponuntur conclusiones.

Conclusio 1. Impressio ignita vnde generetur. Prima est, quòd per solam confricationem partium aëris non potest generari impressio ignita. Probatur, quia nulla impressio ignita poterit generari sine inflammatione, sed per solam confricationem aëris non potest fieri inflammatio; igitur, &c. Maior patet per Aristotelem in hoc primo, vbi vult quòd omnes impressiones ignitæ fiunt per inflammationem. Et minor patet, quia inflammatio non fit sine materia grossiori quàm sit aër, & etiam qualiter vnctuosus; modò aër non est vnctuosus.

Secunda conclusio est, quòd omnium impressionum ignitarum materia est exhalatio calida & sicca vnctuosa. *Conclusio 2.* Probatur, quia omnium impressionum ignitarum est illud materia, quod est citò inflammabile; sed exhalatio vnctuosa est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia istæ inflammationes fiunt per inflammationem. & minor apparet, quia inflammatio immediatè sequitur vnctuositatem digestam cum quadam siccitate.

Sed dubitatur; vtrùm in exhalationem introducatur noua forma substantialis cùm eleuetur à terra, vel non? si sic, quare plus denominatur de natura terræ, quàm alterius elementi? 7. *Dubium.*

Ad istud dico quòd non est necessarium quòd noua forma substantialis introducatur in exhalationē, quia si semper noua forma introduceretur, tunc ex terra non posset fieri immediatè ignis; vel saltem ignis staret sub maiori densitate, quàm sit densitas aquæ vel aëris, & istud habet videri 2. *de Generatione.* *Responsio.*

Secundò dico quòd quandoque in illam exhalationem introducitur noua forma, scilicet mixta imperfecta, & tunc denominatur de natura terræ, propter qualitatem symbolam, quam habet cum terra, & propter eius resolutionem ab ipsa.

Secundò dubitatur, vtrùm exhalatio possit eleuari ab aqua? *Dubium 2.* Ad hoc dicitur quòd non, nisi aqua illa fuerit multum grossa, & admixta terrestreitati. *Solutio.*

Tertiò dubitatur, vtrùm exhalatio possit terminare visum? *Dubium 3.*

Ad illud dicitur, quòd exhalatio non inflammata non potest terminare visum, nisi fuerit valde multa in spissitudine, sed cùm fuerit inflammata benè potest. *Solutio.* Ex hoc patet quòd rarius terminat visum, cùm densius non sufficit, quia per inflammationem efficitur rarior, & causa communiter non est alia, nisi inflammatio, quia de natura lucis est visum terminare.

Ad rationes. Ad primam, *sequeretur*, &c. Negatur consequentia, quia quandoque materia illa leuis deorsum potest pelli à frigiditate, vt postea patebit. 8. *Ad argum. 1. principale.*

Ad secundam, dico quòd exhalatio vnctuosa est faciliter inflammabilis, & illa est materia impressionum ignitarum. *Ad 2.*

Ad tertiam, de comata & Galaxia, posteà videbitur. *Ad 3.*

Ad quartam, vtrùm sint eiusdem speciei, vel non, videbitur posteà, sed negatur consequentia, quòd deberent fieri iisdem temporibus, nam quandoque calor est ita paruus quòd non sufficiat exhalationem eleuare ad generationem quarundam impressionum, cùm tamen est sufficienter eleuata ad generationem aliarum, & etiam multæ aliæ causæ possunt non concurrere. *Ad 4.*

Ad quintam, negatur consequentia, quia quamuis plus de exhalatione eleuetur in æstate, tamen cum hoc plus consumitur. *Ad 5.*

Ad sextam, potest dici quòd Seneca intellexit, dato quòd aër fuerit vnctuosus, & aliqualiter inspissatus. *Ad 6.*



QVÆSTIO XV.

Utrùm omnes impreßiones ignitæ sint eiusdem speciei specialißimæ?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non, quia ista sunt diuersarum specierum specialissimarum quæ habent operationes, & significationes diuersas; modò sic est de impressionibus ignitis; igitur, &c. Maior patet; quia diuersitas operationum arguit diuersitatem formarum; nam operatio arguit formam: modò si sit ibi diuersitas formæ, cùm forma sit natura, sequitur quòd ibi sit diuersitas naturæ, & per consequens diuersitas specifica. Et minor apparet, nam stella comata signat mortem Principum, & aliæ impressiones ignitæ non.

Secundum. Secundò, illa, quæ habent figuras naturales diuersas non sunt eiusdem speciei; sed impressiones, &c. Maior apparet inducendo in omnibus, nam illa quæ sunt eiusdem speciei determinant sibi consimilem figuram, sicut omnes homines; & alia quæ sunt diuersarum specierum determinant sibi diuersas figuras, vt nunquam canis habeat figuram hominis, nec equus. Et minor apparet, nam quædam sunt impressiones ignitæ oblongæ, vt dali †, & æges †, & quædam sphærica, vt stellæ comatæ, & huiusmodi.

† trabes. † capræ.

Tertium. Tertiò, quia impressiones ignitæ solùm differunt accidentaliter, vel essentialiter; si accidentaliter solùm, tunc sequitur quòd de eis debent fieri diuersæ considerationes; si essentialiter, tunc sequitur quòd differunt specificè.

Quartum. Quartò, quia plus differunt ab inuicem stella comata, & area stipulæ ardentis, quàm duæ stellæ comatæ; sed duæ stellæ comatæ differunt numero, & per consequens differunt specie.

Quintum. Quintò, sequeretur quòd omnium impressionum ignitarum esset idem motus. Consequens est contra experientiam, nam quædam mouentur circulariter, quædam sursum, & quædam deorsum. Probatur consequentia, quia cùm omnium impressionum ignitarum eadem sit natura, & natura sit principium motus, sequeretur quòd omnium impressionum esset idem motus.

Sextum. Sextò, quia illa quæ sunt à materiis diuersis, & ab agentibus diuersis secundùm speciem differunt specificè; sed impressiones ignitæ sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, nam *idem inquantùm idem semper natum est facere idem*, & per consequens diuersum semper natum est facere diuersum. Similiter patet maior per Commentatorem 12. *Metaphysic.* vbi vult quòd si agens fuerit vnum, & materia vna, quod factum est erit vnum; igitur si agens fuerit diuersum, & materia diuersa, effectus est diuersus. Et minor patet, nam aliquæ istarum impressionum sunt à frigido propellente, & aliquæ à calido inflammante. Similiter aliquæ fiunt à materia grossa, & vnctuosa, & aliquæ fiunt à materia debili, & subtili.

2. *Opposit.* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, vbi vult quòd omnia ista idem sunt, & propter eandem causam fiunt, sed differunt per magis & minùs.

Pro quæstione est sciendum quòd impressiones ignitæ, de quibus loquimur in proposito, sunt stellæ comatæ, stellæ cadentes, capræ saltantes, dali, æges, area stipularum ardentium, coruscationes, fulmina, tonitrua, candelæ, & torsæ apparentes hìc circa nos, & ista differunt ab inuicem secundùm magnitudinem, & paruitatem, secundùm durationem maiorem, & minorem, secundùm locum altiorem & bassiorem, in quo generantur; secundùm raritatem, & densitatem, liuiditatem & tenebrositatem, & secundùm diuersitatem materiæ, ex qua fiunt. *Impressiones ignitæ quæ?*

Secundò sciendum ex præcedenti quæstione, quòd omnium istarum impressionum ignitarum materia est exhalatio calida & sicca, eleuata superiùs, qua inflammata per calorem, apparent istæ impressiones ignitæ. *Earum materia.*

Tertiò sciendum est de modo generationis impressionum ignitarum in superiori parte superioris regionis aëris. Nam cùm exhalatio calida & sicca, eleuata ad istam partem aëris fuerit vnctuosa fortiter vnita sine difformitate in suis partibus, si inflammatur, apparet esse quædam stella, & dato quòd diu duret post inflammationem, non tamen possemus percipere, vtrùm sit stella cæli, vel de regione elementari, nisi per longas obseruationes; & aliquam difformitatem in motu. Sed aliquantisper materia ista vnctuosa, fortiter vnita, habet difformitatem in suis partibus, ita quòd aliqua pars eius vltrà extenditur; & tunc illa materia inflammata vocatur stella caudata, & sic illa materia fit aliqualiter difformis in partibus secundùm raritatem, & densitatem sine longâ extensione alicuius partis, tunc vocatur stella comata, eò quòd vna pars apparet magis clara, & alia minùs propinqua ad inuicem. Et istæ impressiones differunt ab inuicem secundùm magnitudinem, & paruitatem, secundùm calores, vt posteà patebit; & secundùm durabilitatem, nam aliquæ stellæ comatæ durant per se per duos dies, aliquæ per septem, aliquæ per sex menses. 3. *Modus generationis earū in superiori regione aëris.*

Quartò, sciendum est de modo generationis impressionum ignitarum, quæ modicum durant, cuiusmodi sunt impressiones generatæ per motum super mediam regionem aëris; nam aliqua exhalatio calida & sicca est subtilis, & eleuabilis vsque ad inferiorem partem superioris regionis aëris, & ibi propter caliditatem aëris, vel propter motum ipsius inflammatur, & apparent istæ impressiones. Vnde materia est aliquantum congregata in vno globo magno, & amplo, qui simul incenditur in omnibus partibus eius, & tunc vocatur area stipulæ ardentis. Sed aliquantum materia illa est congregata in vno globo modico in vna parte medij, & in alio in alia parte; & sic de multis aliis globis, qui continuantur ad inuicem per modicam exhalationem subtilem intermediam. Et tunc cùm vnus illorum globorum fuerit inflammatus apparet stella ardens, & inflammatio illa vadit continuè inflammando per istam exhalationem subtilem intermediam vsque ad alium globum, qui cùm fuerit inflammatus apparet alia stella, & sic consequenter, & tunc apparent multæ stellæ lucentes ad inuicem. Sed aliquando illa materia est dispersa in duobus globis per se, continuata per mediam valde subtilem, & tunc inflammato vno illorum globorum inflammatur media intermedia vsque ad reliquum, & tunc apparet stella moueri de loco ad locum, 4. *Modus generationis earū super mediā regionē aëris.*

locum, non transeundo per medium: sed quandoque materia est ita subtilis, quòd eius inflammatio non sufficit mouere visum, & tunc apparet stella illa moueri de loco ad locum non transeundo per medium. Aliquando autem materia est vniformiter dispersa secundùm longum, & quandoque secundùm sursum, & quandoque ad latus, & tunc apparet quasi lancea incensa.

Ex ista apparet causa quare tales impressiones apparent moueri, & in veritate non mouentur, quare aliquæ magis durent, & quare aliquæ minùs, & quare aliquæ sunt maiores, & aliquæ minores, & ita de aliis differentiis.

5. *Quomodo in media regione generētur.* Secundum notandum est de modo generationis impressionum ignitarum quæ fiunt in media regione, quæ sunt fulmen, tonitruum, & coruscationes, quæ generantur per hunc modum, nam exhalatio calida & sicca eleuata vsque ad mediam regionem aëris, cuius aliqua pars est vnctuosa, scilicet illa quæ est materia impressionum ignitarum, includitur in nube aquosa, & propter frigitatem nubis fortificatur illa exhalatio, & intenditur in suis qualitatibus in tantum quòd propter sui leuitatem mouetur hinc inde petendo exitum, & ex illo motu causatur sonus, qui dicitur tonitrus, & tandem illa exhalatio sic agitata infrà nubem propter fortificationem suarum qualitatum frangit nubem in parte inferiori, vbi est debilis, & ex tali violenta fractione pars illa vnctuosa inflammatur, cuius claritas est coruscatio, & residua pars propter sui subtilitatem propellitur deorsum, & quandoque præ nimia caliditate incrematur illud super quod cadit, vt postea apparebit.

6. *Quomodo in inferiori regione.* Deinde sciendum de modo generationum impressionum ignitarum, quæ fiunt in inferiori regione aëris, & tales sunt duplices, nam quædam generantur immediatè sub media regione, vt satis propè; & aliæ hîc inferius circa nos. Modus generationis talium est iste, quia exhalatio calida & sicca, aliqualiter vnctuosa eleuata superius obuiat frigiditati mediæ regionis sibi contrariæ, à qua violenter propellitur deorsum, & ex tali propulsione violenta inferius exhalatio illa inflammatur, & quandoque apparent impressiones ignitæ, quandoque stellæ cadentes, aliquando aliæ impressiones. Et ex isto reddit Aristoteles in quadam Epistola ad Alexandrum causam cuiusdam apparentiæ, quæ sibi contingebat in India: vnde Alexandro & exercitui suo apparebat, quòd ignis flueret super eos, tamen scintillæ ignis nō descendebant ita inferius, quòd eos attingebant. Causa erat, quia propter multitudinem hominum, & cadauerum, qui erant in exercitu, multæ exhalationes pingues eleuabantur sursum, quæ obuiantes frigiditati mediæ regionis iteratò propellebantur deorsum, & tunc per caliditatem aëris inferioris, & per velocitatem propulsus inflammabantur; & apparebat ignis descendere, & posteà antequam ignis ille veniret totaliter deorsum, pinguedo materiæ erat consumpta, & iterum per alias exhalationes eleuabatur sursum, & continuè quousque materia consumebatur; & ignis ille cadebat per scintillas, propter raritatem materia non poterat cadere tanta simul.

7. *Quomodo prope terrā.* Sed aliæ impressiones ignitæ, quæ generantur prope terram, fiunt per hunc modum; quia exhalatio calida & sicca eleuata à terra, cùm venerit ad aërem, naturaliter cadit, at velociter motum faciliter inflammatur, & ideò equitantibus in nocte circa cœmeteria, vel patibula apparent candelæ ardentes ipsos præcedere ad aures equi, quandoque apparent in remotis multæ torsæ illuminatæ, & hoc non est, nisi propter multitudinem exhalationis ibidem accensæ.

Ex istis apparet de modo generationis omnium impressionum ignitarum, & de causis diuersitatis ipsarum secundùm magnitudinem, & durationem, &c. Item, quòd aliquæ possunt dici eiusdem speciei specialissimæ, dupliciter: Vno modo, quia de eis verificatur vnus terminus specificus, sicut de Socrate & Platone verificatur iste terminus, *homo*. Alio modo, quia habente substantias consimiles, vel saltem sunt ferè consimiles.

Secundùm hoc ponitur ista conclusio; quòd omnes impressiones ignitæ sunt eiusdem speciei specialissimæ. Et solùm loquor de impressionibus priùs dictis, quæ fiunt per inflammationem. Probatur, quia ista non fit, nec fieri potest ab aliquo agente; quin ab isto, vel à sibi simili, aliud possit fieri, vel sibi consimile; sed nulla impressio ignita potest fieri ab aliquo agente, saltem immediatè, quin ab illo agente, vel sibi consimili, quælibet alia impressio ignita possit fieri; igitur non sunt diuersarum specierum. Maior patet, quia hoc sufficit ad arguendam identitatem specificam. Et minor apparet, nam omnes illæ impressiones fiunt ab aliquo inflammante, siue sit motus, siue calor; similiter omnes fiunt ex consimili materia, scilicet ex exhalatione vnctuosa. 8. *Omnes impressiones ignitæ sunt eiusdem rationis.*

Secundò; quia quæ solùm differunt secundùm figuram, & magnitudinem, non differunt specie; sed istæ impressiones sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet; quia corporibus homogeneis magnitudo, & figura non arguit diuersitatem specificam. Et minor apparet ex causis prædictis.

Sed dubitatur primò vtrùm istæ impressiones fiunt naturaliter? & videtur quòd non, quia non est naturale ignem generari à frigido; modò aliæ istarum impressionum fiunt à frigido, vt dictum est; igitur, &c. Secundò, quia contra naturam est vt gradus remissior producat intensiorem, scilicet calorem ignis: ergo non fiunt naturaliter. 9. *Dubium* 1.

Ad illud, dico, quòd istæ impressiones ignitæ fiunt naturaliter tam ex parte agentis vniuersalis, quàm ex parte particularis, eò quòd intendunt ipsas producere, & naturaliter agunt. Similiter dico, quòd fiunt naturaliter ex parte exhalationis, quantùm est ex inclinatione dispositionum naturalium exhalationis, sed violenter quantùm est ex inclinatione formæ substantialis exhalationis; sicut caliditas, siccitas, vnctuositas, inflammatio, quæ sunt dispositiones propinquissimè inclinantes ad generationem ignis. Causa secundi, quia nulla forma inclinatur naturaliter ad sui corruptionem. *Responsio.*

Ad argumenta. Ad primum, dico quòd ignis benè potest generari à frigido occasionaliter, eò quòd frigiditas potest esse occasio generationis caloris, vel motus, quam consequitur ignis. *Ad rationes.*

Ad secundum, concessum fuit aliàs quòd modico calore potest produci ignis, dum tamen materia fuerit in dispositione propinqua quantùm ad alias qualitates, sed posteà ignis productus intendit suum calorem proprium vsque ad gradum

gradum, quem exigit in sua naturali dispositione ad modum, quo aqua alterat se ad frigiditatem cùm fuerit calefacta.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quare stellæ cadentes mouentur localiter? Respondet Aristoteles quòd hoc est pro tanto, quia stella illa cùm sit leuis, inclinatur ad sursum, sed per frigiditatem mediæ regionis propellitur deorsum: modò per istas inclinationes contrarias non fit motus secundùm aliquam istarum totaliter, sed medio modo inter ipsas. Aliter fortè dicitur, quòd directè descendit deorsum, tum apparet sic lateraliter descendere, si fuerit alibi, quàm supra zenith capitis nostri.

Dubium 3. Tertiò dubitatur, vtrùm talis inflammatio, seu quælibet talis impressio combureret manum, vel aliquid combustibile? *Responsio.* Respondetur quòd sic de iis, quæ sunt in superiori, vel media regione aëris, & sic de illis quæ sunt in superiori parte inferioris regionis, sed de his quæ sunt hîc, quasi circa nos, fortè non comburerent, nec sentirentur calores earum, quia non est expertum quòd plantæ, vel domus, vel aliqua huiusmodi fuissent combusta per ipsas.

11. *Dubium 4.* Quartò dubitatur, ad quid valent istæ impressiones ignitæ, & ad quem finem ordinentur? *Responsio.* Respondetur, quòd ordinantur ad duo, scilicet ad generationem mixtorum perfectorum, nam ad hoc ordinantur omnes alterationes, omnes actiones tam elementorum, quàm mixtorum imperfectorum. Secundò, prævalent ad præscientiam futurorum, nam quando super aliquam partem terræ apparet magnus concursus siderum volantium, signum est quod venti venient ab ista parte, tam in aqua quàm in terra. Similiter magnæ, & multæ impressiones, inflammationes, seu coruscationes, stellæ comatæ, & similia ostendunt siccitates, & mortalitates Principum: & dicit Seneca *de naturalibus quæstionibus*, quòd modica candela accensa, in malo nauis est signum serenitatis.

12. *Ad 1. argum. principale.* Ad rationes. Ad primam, *quia illa quæ habent diuersas significationes*, &c. Negatur maior, quia illa diuersitas significationis potest prouenire ex multitudine, & paucitate materiæ, & etiam ex diuersitate qualitatum.

Ad 2. Ad secundam, de figura, dicitur quòd in corporibus homogeneis figura non arguit diuersitatem specificam.

Ad 3. Ad tertiam, *vel differunt*, &c. dico quòd differunt accidentaliter, & negatur consequentia, quia de eis debet fieri diuersa terminatio ratione accidentium, & diuersarum opinionum, quæ ab eis proueniunt.

Ad 4. Ad quartam, dico quòd non plus differunt essentialiter.

Ad 5. Ad quintam, concedo, nisi aliunde esset motus violentus, modò quandoque mouentur ab inclinatione naturali, & quandoque propelluntur à frigido.

Ad 6. Ad sextam, *quæ fiunt ex diuersis*, &c. Conceditur maior, si differunt specie, & negatur maior, quia materiæ istarum impressionum solùm differunt secundùm magis & minùs, & secundùm dispositiones qualitatiuas. Et sic est dictum ad quæstionem.



QVÆSTIO XVI.

Vtrùm de nocte serenitate existente appareant in cælo hiatus, voragines, & rubei colores?

ARGVITVR primò quòd non de nocte, quia visibile omne paruæ entitatis potiùs videtur de die, quàm nocte: modò hiatus & voragines sunt visibilia paruæ entitatis; igitur, &c. Maior patet, nam corpora atomalia non possunt de nocte videri, benè tamen videntur de die, & minor apparet per experientiam. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, color non potest videri sine lumine, vt patet *secundo de Anima*; modò hiatus & voragines sunt colores, vel habentes colores; igitur non possunt videri sine lumine, ergo potiùs de die. *Secundum.*

Tertiò probatur, quia non fit serenitate existente, quia illud quod fit per refractionem à nube, non fit serenitate existente, sed hiatus, & voragines sunt huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia nubes est priuatio serenitatis, quemadmodum silentium est priuatio soni, modò simul possunt stare nubes, & priuatio nubis. Et minor per Aristotelem in primo huius. *Tertium.*

Quartò, arguitur quòd non apparent in cælo, quia tunc visus deciperetur circa proprium obiectum; modò consequens est falsum, vt patet *secundo de Anima*. Consequentia tenet, talis enim hiatus non fit in cælo, sed in regione elementari; igitur, &c. *Quartum.*

Quintò, arguitur quòd non apparent sanguinei coloris, quia non est ratio quare ille color plus appareat, quàm viriditas. *Quintum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Oppositum.*

In ista quæstione, primò notanda sunt aliqua de istis apparentiis. Secundò, dandæ sunt causæ illarum. *Diuisio quæstionis.*

ARTICVLVS I.

Notanda de apparentijs.

QVantùm ad primum, notandum quòd duplex est color rubeus; quidam tendens ad albedinem, vel claritatem, & vocatur *puniceus*; alter tendens ad nigredinem & obscuritatem, & vocatur *purpureus*. 2. *Color rubeus duplex.*

Secundò sciendum, quòd quando in plana superficie depinguntur duo colores, quorum vnus est clarior, & alter obscurior, tunc color obscurior apparet esse in profundo, & magis remotè, quàm color clarus, & ista superficies non apparet plana, sed eleuatior, vbi est color clarior. Et ideò pictores volentes pingere supereminentias, & concauitates, superiùs ponunt colores claros, vbi debet apparere concauitas, ponunt obscurum. Causa est, quia color talis magis mouet visum, cùm plus participet naturam lucis, & color obscurus minùs.

Tertiò est sciendum, quòd aliquando de nocte

&c videmus in cælo quandam apparentiam, quæ si sit tota rubea vocatur *hiatus*, sed si in medio fuerit nigredo, & in lateribus rubedo, tunc apparet vorago. Secundò videmus Solem, & stellas quandoque mutari de vno colore in alium, sicut dicit Albertus, & quandoque Luna apparet sanguinei coloris, sicut in eclipsi.

Quartò dicunt aliqui quòd auditus est sonus in aëre sine nube, & quandoque ac si esset vox audita de cælis. Istæ igitur sunt apparentiæ, quarum causas, & modum generationis inquirit quæstio præsens. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Causæ apparentiarum.

3. *Causa materialis apparentiarum.* De secundo, dico quòd materialis causa huiusmodi apparentiarum potest esse duplex, scilicet vapor eleuatus ab istis inferioribus per actionem Solis vsque ad mediam regionem, mixtus aliqualiter exhalationi calidæ, & siccæ adustæ, & ibidem ingrossatus per frigiditatem mediæ regionis. Secunda causa materialis potest esse aër, nam superueniente frigiditate noctis aër quodammodo inspissatur, & ingrossatur in tantum, quòd sufficiat refrangere lumen, vel etiam reflectere. Et quòd aër potest sic inspissari demonstrat Albertus per quoddã experimentum, nam si capiatur vas vitreum, plenum aëre, & os eius ponatur in aqua, tunc de die apparent, vel videntur quædam ampullæ exire per aquam; sed de nocte apparet aër in quiete sine exitu alicuius talis ampullæ, quod non esset, nisi de die aër esset magis rarefactus, & de nocte ingrossatus. Et hoc de causa materiali.

Causa 1. efficiens. De causa efficiente, dico quòd ponitur esse triplex, nam est calor eleuans vaporem, vel exhalationem. Secundò est frigiditas condensans illum vaporem, & ingrossans. Sed tertia causa est aliqua stella, vel aliquæ stellæ lucentes, quarum lux refrangitur in aliam materiam, & facit apparere talem colorem. Nam si materia fuerit rarior in lateribus, & spissior in medio, tunc materia illuminatur in illis lateribus, in medio non, & tunc apparet vorago; sed si materia fuerit vniformis, ita quòd lux vbique incorporetur, & reflectatur vniformiter, tunc apparet hiatus.

4. Sed quare magis apparet rubedo, dico quòd causa est, quia non solùm lux reflectitur ad illam materiam, imò cùm materia sit minùs densa nube, tunc in ipsa incorporatur lumen, ideò ex admixtione luminis tunc illa materia, quæ est terrestris, & adusta apparet color rubeus, nam in istis inferioribus videmus rubedinem generari ex terrestreitate, vel terrestri adusto commixto luci, vt patet de carbonibus ignitis.

Dubium 1. Responsio. Sed dubitatur primò vtrùm tales apparentiæ possunt causari à lumine Solis? Respondetur quòd sic, quia longo tempore post occasum Solis, & ante eius ortum Sol lucet in media regione aëris, vbi materia illa eleuatur, ex qua fiunt istæ apparentiæ. Imò etiam post occasum Solis Sol dum lucet in media regione aëris suprà cacumina montium.

Dubium 2. Responsio. Secundò dubitatur, quare tales apparentiæ citò disparent à visu? Dicit Aristoteles quòd causa est, quia motus suarum causarum est valdè velox, scilicet motus stellæ, cuius stellæ lumen incorporatur in illa materia.

Tertiò dubitatur, quare plus fiunt de nocte, & serenitate existente, quàm aliàs: Causa primi est, quia luces maiores obfuscant minores, ideò de die non videmus stellas, modò lux diei est magna valdè in comparatione ad lucem talis apparentiæ, & ideò dato quòd fiat in die, tum non appareret nobis. Causa secundi est, quia nubes impediret visionem talis apparentiæ vbi inest, tamen quòd quandoque fuerit existente nube, tum nubes non est vndique includens illam materiam, ideò adhuc est aliqua serenitas. *Dubium 3. Responsio.*

Similiter dubitatur, vtrùm ibi sit noua forma substantialis inducta, vel non? Respondetur quòd non, secundùm Aristotelem imò solùm est apparentia quædam, sicut est in Iride facta per mixtionem, & incorporationem lucis ad opacum terrestre adustum, commistum aliqualiter vapori aquoso, vel ad aërem ingrossatum. 5. *Dubium 4. Solutio.*

Ex istis potest elici causa, quare apparent sanguinei colores in cælo, & mutationes colorum in stellis, nam cùm nubes existens suprà ipsam fuerit fortis, tunc apparet color albus, cùm nubes fuerit admixta exhalationi siccæ terrestri, & adustæ, tunc per incorporationem lucis apparet color sanguineus, ita quòd si lux fuerit fortis, & materia adusta satis tenuis, tunc apparet color puniceus; sed si materia fuerit grossa, & lux aliqualiter debilis in comparatione ad materiam, tunc causatur color purpureus; quemadmodum videmus quòd Sol, vel aliud astrum visum per fumum apparet rubeum, & si fumus fuerit multum spissus, apparet astrum illud tendere ad nigredinem. Istæ igitur sunt causæ istarum secundùm Aristotelem, apparentiarum, quæ priùs numeratæ fuerunt.

Sed contra istum processum obiicitur, quia imaginabile videtur quòd aliqua stella, vel aliqua res mundi ita velociter moueatur sicut hiatus, & voragines disparent à visu, non ideò non est verisimile quòd fiant per alterationem nubis à luce. *Obiectio.*

Et propter istud tenent multi alij, quòd hiatus, & voragines fiunt per inflammationem, & tunc possunt elici ex præcedente quæstione, de sonis, qui audiuntur in aëre siue nube. Vnde tales soni sunt diuersi: nam quandoq; apparet ac si esset vox hominis, aliquando vt vox, vel vlulatus alterius animalis, & quandoque vt esset fragor arborum. Causa est, quia in vapore aqueo subtili includitur exhalatio calida & sicca subtilis, quæ petit exitum ab isto vapore, & sicut videmus quòd causatur sonus, quando ferrum calidum submergitur in aquam, ita consimiliter in exitu exhalationis ex illo vapore causatur sonus, & diuersitas illius soni est diuersitas medij, sicut in alliis impressionibus. *Responsio.*

Per hoc ad rationes. Ad primam, verum est, nisi fuerit de se lucidum, & tunc permanet lumen, & benè potest tunc obscurari. *Ad argum. 1. principale.*

Ad secundam, dicitur eodem modo. *Ad 2.*

Ad tertiam, dico, quòd hiatus & vorago sunt ex materia subtiliori, quàm sit nubes. Et dato adhuc quòd sit nubes, benè possunt apparere talia, eò quòd locus apparitionis non est circundatus vndique nube. *Ad 3.*

Ad aliam, dicitur quòd apparent in cælo pro tanto, quia quando inter visum & aliquod visibile *Ad 4.*

bile ponitur aliud visibile directè, tum illud videtur cohærere alteri visibili, & causa est, quia distantia corporum non percipitur, nisi percipiendo situm corporum continuè ordinatorum inter ipsa: modò quando vnum corpus ponitur directè inter visum & aliud, non percipiuntur corpora intermedia continuè ordinata, ideo non est dicendum quòd non est conueniens visum decipi iudicando de situ.

Ad 5. Ad vltimam, dicendum quòd plus sanguineæ sunt huiusmodi apparentiæ propter adustionem.



QVÆSTIO XVII.

Vtrùm stella comata sit de natura cæli?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd sic. Omne corpus simplex circulariter motum est de natura cæli; sed stella comata est huiusmodi; igitur, &c. quia aliter eiusdem corporis simplicis essent plures motus simplices secundùm naturam. Et prima pars minoris patet, quia si stella comata esset corpus mixtum, tunc in ipso dominaretur terra, cùm in omni mixto dominetur terra, vt patet 4. huius; & per consequens stella comata descenderet deorsum, quod est contra experientiam. Item, si esset mixtum, cùm omne mixtum moueatur ad motum elementi dominantis in eo, sequitur quòd in stella comata dominatur terra, quod est impossibile. Secunda pars patet per experientiam.

Secundum. Secundò, nisi esset de natura cæli, sequeretur quòd non semper appareret secundùm formam stellæ. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia nihil apparet continuè secundùm formam stellæ, nisi sit de natura cæli.

Tertium. Tertiò, sequeretur quòd non semper appareret cum coma. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia postquam est de natura elementari, potest variari, sic quòd quandoque appareat cum coma, & quandoque sine coma.

Quartum. Quartò, si aliqua stella comata est de natura cæli, igitur & quælibet. Consequentia tenet, quia consimiliter arguit Aristoteles *secundo Cæli*, vbi dicit quòd si aliqua stella sit sphærica, sequitur quòd sphærica quælibet sit. Et antecedens patet per Philosophum in isto primo.

Quintum. Quintò, quia si non esset de natura cæli, tunc esset de natura inferioris, & maximè ignis. Consequens falsum. Consequentia tenet per Aristotelem in litera. Sed falsitas consequentis probatur, quia si esset de natura ignis, illa niteretur ascendere sursum, & non circulariter. Similiter si esset de natura ignis, ad modum flammæ, dimitteret post se quandam flammam ad modum candelæ, vt patet de candela per aërem, tunc flamma dimittit post se caudam.

Sextum. Sextò, quia impressiones illæ, quæ sunt de natura elementari, sunt modicæ durationis, & faciliter transmutabile de vna dispositione in aliam; sed sic non est de stella comata; igitur, &c. Maior patet inductione, nam nubes, pluuia, coruscatio, stellæ cadentes, & huiusmodi, sunt paucæ durationis, & etiam faciliter transmutantur. Et minor apparet, nam aliquæ stellæ comatæ durant per quinque menses, vt vult Seneca in naturalibus quæstionibus. Et aliquæ per sex, vt vult Aristoteles *in isto primo*. Similiter stella comata non variatur faciliter, quia semper apparet in cauda, vel coma ad formam stellæ.

Septimum. Septimum, quia stella comata non significat aliqua, quæ sunt solùm, de propè ventura, sed quæ sunt ventura per longum tempus; igitur stella comata non est de natura elementari. Antecedens apparet, quia designat siccitates, sterilitates, & Principum mortalitates, & huiusmodi, quæ diu eueniunt, post eius apparentiam. Et consequentia tenet, quia sic signare est proprium stellarum cæli. Nam impressiones istæ de natura elementari vel designant nil, vel suum signatum est propè venturum, sic patet de densitate nubis, quæ signat pluuiam citò venturam.

Oppositum. Oppositum vult Aristoteles in isto primo.

In ista quæstione primò recitandi sunt modi ponendi stellam comatam esse de naturam cæli. Secundò ponentur differentiæ cometarum, & respondebitur ad quæsitum.

ARTICVLVS I.

Recitantur varij modi ponendi stellam comatam esse de natura cæli.

VNa opinio ponit stellam comatam esse coniunctionem duorum planetarum, vel vnius planetæ cùm vna stella fixa, ita quòd illud aggregatum ex illis duobus apparet maius quàm alterum illorum apparet, & disgregatio luminis illorum planetarum est coma, vel cauda. 2. *Opinio 1.*

Refellitur. Contra illud arguitur primò, quia sequitur, quòd disparente stella comata apparent duæ stellæ ab inuicem separatæ; consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia facta coniunctione duarum stellarum apparent illæ duæ stellæ separatę. Secundò, quia multoties visæ sunt coniunctiones, quando tamen non apparuit stella comota ita magna sicut illa, de qua loquitur Aristoteles in litera.

Tertiò, quia aggregatum ex omnibus planetis non posset apparere ita magnum præter Solem & Lunam.

Quartò, impossibile est aliquam coniunctionem per sex menses durare, tamen vt Seneca dicit *in naturalibus quæstionibus*, aliquando stellæ comatæ apparuerunt per sex menses.

Secunda opinio erat, quòd stella comata fuit aliquis planetarum, & coma eius fieret ex attractione humorum ab istis inferioribus, ad quem refrangeretur lumen illius planetæ, & ex hoc apparet coma, vel cauda. 3. *Opinio 2.*

Impugnatur. Sed contra istud obiicitur, quia quandoque visæ sunt cometæ omnibus quinque planetis simul visis suprà horizontem.

Secundò, si sic, tum stella comata quandoque appareret sine coma, quòd est contra experientiam.

Opinio 3. Tertia via, quia stella comata esset quædam stella de natura cæli, habens comã ex dispersione sui luminis, vel ex materia propria, quæ quandoque apparet, & quandoque non, propter hoc quòd in pluribus occultatur sub radiis Solis; & secundùm istos notitia istius stellæ, aut motus eius

eius nondum peruenit ad nos. Huius opinionis videtur esse Seneca *in naturalibus quæstionibus*.

Improbatur. Ista opinio improbabitur respondendo ad quæstionem.

4. *Opinio 4.* Quarta opinio est, quòd stella comata non sit naturaliter, sed Deus facit eam miraculosè ad designandam mortem alicuius Principis, vel aliquam aliam mutationem, sicut apparet de stella comata, quæ apparuit de morte Christi.

Impugnatur. Sed contrà; Omnis effectus productus miraculosè à Deo producitur totus simul, & non pars post partem; sed stella comata successiuè producitur, & corrumpitur; igitur, &c.

Opinio 5. Quinta opinio, quòd stella comata sit de natura elementari; sed fit per hunc modum, quia ab istis inferioribus eleuatur quidã vapor aqueus vsque ad superiorem regionem aëris, supra quem vaporem inspissatum refranguntur radij Solis, & cùm vapor ille non sit simpliciter densus, aliqualiter incorporat lumen Solis, & apparet lucidus, & ille vapor lucidus est stella comata.

Reijcitur. Sed contra hoc arguitur, quia stellã comata quandoque apparet in vmbra terræ, ergo non causatur ex refractione luminis Solis. Secundò, sequitur quòd coma, vel cauda stellæ comatæ semper apparet ad oppositum Solis. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia radij refracti in vapore refranguntur in oppositum Solis ad angulos æquales angulis incidentium radiorum.

5. *Opinio 6.* Sexta opinio est, quòd stella comata est quædam stella cæli visa per exhalationem grossam interpositam visui nostro, & astro; ex qua interpositione stella illa apparet maior; quemadmodum videmus quòd Sol & Luna apparent maiores in ortu, & occasu propter vapores interpositos.

Sed contra, tunc sequeretur quòd nunquam stella comata appareret habitantibus in diuersis climatibus. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia eadem exhalatio non potest poni inter visus habitantium in diuersis climatibus, & aliquod astrum.

Secundò sequeretur quòd non semper stella comata appareret habere eundem situm respectu cæli: consequens contra experientiam; vt patet in prioribus. Probatur consequentia, quia exhalatio ista per modum astri, vel modum exhalationis supponeretur alteri stellæ. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Ponuntur differentiæ Cometarum.

6. *Cometarum differentia.* QVantùm ad secundum, sciendum quòd multæ sunt differentiæ cometarum. Primò enim differunt magnitudine; nam quandoque apparuerunt aliquæ de magnitudine Solis, & Lunæ, & aliquando satis paruæ, & aliquando à difficili visibiles, propter paruitatem. Secundò differunt numero, quia quandoque apparent plures simul, sed vt in pluribus vna sola.

Tertiò differunt figurâ, nam quandoque apparent habere comam circumquaque, quandoque ad vnam partem tantùm, quæ si sit recta, & longata vocatur *stella caudata*, sed si sit à parte inferiori, *stella barbata*. Similiter quandoque est aliqua stella cæli, quam insequitur per attractionem vapor, vel exhalatio terrestris illuminatus, & ista stellæ cæli apparet *comata*.

Quartò, differunt colore, imò secundùm Senecam, sunt valdè dispares in colore, & ideò quædam sunt rubicundæ, quædam candidæ.

Quintò, differunt motu, & quiete, nam secundùm Senecam aliqua non mutat locum, & illa non potest esse caudata, sed comata; sed differunt secundùm motum, nam quædam mouentur ad Orientem, quædam ad Occidentem, & hoc de pluribus quædam transuertantur.

Sextò, differunt loco, quia quandoque aliquæ, & in pluribus apparent versùs Septentrionem, & prope viam lacteam, secundùm Senecam, & quandoque versùs Austrum, sed hoc est rarò; similiter quædam sunt eleuatiores à terra, & quædam propinquiores terræ.

Septimò, differunt tempore, quia quandoque aliquæ cometæ durant magis, quandoque minùs; vnde secundùm Philosophum, ad minus durat stella comata per septem dies, & ad maius per septemdecim, tamen secundùm Senecam, & Aristotelem, potest durare per sex menses.

Aliquæ differunt tempore, quia quandoque magnum tempus est antequam appareat aliqua stella comata, & aliquando intra duos dies apparet vna, vel plures.

Octauò differunt in significatione, & hoc videbitur in quæstione de signato stellæ comatæ.

Nonò differunt variatione, nam quædam continuè variantur, augendo, vel diminuendo, & quædam similiter manent vsquequò incipiant disparere.

Istæ igitur sunt differentiæ habitæ per experientias de cometis, quarum causæ postea videbuntur.

Tertiò est sciendum quòd stella comata vel potest considerari quantùm ad corpus stellæ, vel quantùm ad caudam, vel comam; modò possibile est aliquando quòd corpus stellæ comatæ sit de natura cæli, sicut dicit Aristoteles: sed hoc est valdè rarò, cauda tamen eius erit de natura elementari. 8.

Secundùm hoc ponitur ista conclusio, quòd stella comata non est de natura cæli. Probatur, quia si sic, sequeretur quòd stella comata esset perfectè sphærica: consequens est contra experientiam, quia semper apparet cum coma, vel cauda. Consequentia probatur, quia quælibet stella cæli est sphærica, vt patet *secundo Cæli*. *Stella comata non est de natura cæli.*

Secundò, si esset de natura cæli, sequeretur quòd semper vniformiter moueretur ad motum cæli: consequens est contra experientiam, vt dictum est. Probatur consequentia, quia in cælo non apparet variatio in motu, nec irregularitas. Sed posset responderi, quòd ista stella comata non esset aliquis planetarum, vel stella fixa, sed quædam alia stella habens motum valde diuersum, & nobis ignotum. Istud non valet, quia tunc non posset saluari qualiter simul possunt apparere plures stellæ comatæ.

Sequeretur tertiò, quòd nunquam disparetet stella comata, nisi per ingressum radiorum Solis. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia stellæ cæli non possunt alicubi disparere à visu nostro, quamdiu sunt super horizontem.

Quartò, nullum generabile, aut corruptibile,

le, augmentabile, aut diminuibile est de natura cæli; stella comata est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet 1. *Cæli*. Et minor apparet ad experientiam: videmus enim generari stellam comatam successiuè, & augeri per partem ante partem, dein continuè minorari; quousque ampliùs non appareat.

Quintò arguitur ex dubitatione, quia omnis stella est perpetua, sed stella comata non.

9. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes. Ad primam, *omne corpus simplex*, &c. Concedo maiorem, si moueatur circulariter secundùm naturam; nego minorem, quoad vtramque partem. Primò, dico quòd stella comata non est corpus simplex, imò est quoddam mixtum imperfectum, nec in talibus oportet dominari terram. Similiter non mouetur circulariter secundùm naturam, sed ad motum aëris, in quo locatur, quemadmodum clauus in naui mouetur ad motum nauis.

Ad 2. Ad secundam, *sequeretur quòd semper*, &c. Concedo consequens, quòd non semper apparet perfectè sphærica ad modum stellæ, sed cum coma, vel cauda.

Ad 3. Ad tertiam, *non semper*, &c. Dico quòd imò semper debet apparere cum coma & cauda, eò quòd materia illa non potest esse ita perfectè sphærica, quin aliquæ partes teneant sphæricitatem, & tunc ibi apparebit coma, vel cauda: similiter dato quòd esset perfectè sphærica, adhuc in materia sua potest esse diuersitas in raritate, & densitate, & tunc apparet sine coma, vel cauda, sed tunc non ponimus differentiam inter illam stellam, & aliam.

Ad 4. Ad quartam, *aliqua stella*, &c. Negatur consequentia, quia sic arguetur, quòd aliqua stella de natura sua habet lumen.

Ad 5. Ad quintam, *maximè esset*, &c. Concedo, nec oportet propter hoc quòd ascendat, quia eius viscositas, & tenacitas impedit eius ascensum.

Ad 6. Ad sextam, dico quòd aliquæ sunt maioris durationis, & aliæ minoris secundùm fortitudinem materiæ maiorem, vel minorem, ex qua fiunt. Et similiter hoc non arguit quòd sunt de natura cæli, quia ista, quæ sunt de natura cæli sunt simpliciter perpetua.

Ad 7. Ad septimam, de significatione stellæ comatæ dicetur aliàs.



QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm stella comata sit vapor terrenus?

1. *Arg. primū.*  RGVITVR quòd non, quia vel motus eius esset naturalis, vel violentus; non violentus, quia talis motus competit cuilibet eiusdem speciei cum stella comata. Similiter est vniformis, & quandoque velocior in fine, quod non posset esse nisi esset naturalis: non naturalis, quia nullum graue naturaliter mouetur motu circulari; modò stella comata est naturaliter grauis, cùm sit vapor terrenus. Similiter stella comata apparet moueri ad diuersas differentias positionis; modò nullum inanimatum potest ita moueri naturaliter.

Secundum. Secundò, si sic, maximè tunc fieret in superiori regione aëris; modò consequens est falsum, quia materia ista transeundo per mediam regionem, vel propelleretur à frigiditate, vel congelaretur. Si sic, dato quòd transiret mediam regionem, tunc dissolueretur à superiori regione, propter caliditatem. Et patet consequentia per Aristotelem in litera.

Tertiò, quia materia, ex qua generaretur esset vel multa, vel pauca; non pauca, quia tunc statim consumeretur à caliditate continentis; nec multa, quia tunc totum intra modicum tempus incenderetur, sicut videmus hîc inferiùs, quòd multa combustibilia apposita igni comburerentur intra modicum tempus. *Tertium.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de modo generationis cometæ. Secundò, de motu eius.

ARTICVLVS I.

De modo generationis cometæ.

AD primum, dimissis opinionibus de modo generationis, restat opinio Aristotelis, quæ est ista, quòd ab istis inferioribus eleuatur multa exhalatio, terrestris, tenax, vnctuosa, & inflammabilis, vsque ad superiorem regionem aëris, in quam agit calor ipsius superioris regionis, qui non est multùm intensus, cum adiutorio corporis cœlestis, qui calor ipsam inflammat & apparet stella comata, & continuè noua exhalatio, scilicet consimilis, eleuatur sursum, & concurrit ad istam materiam accensam, vel per ascensum, vel per attractionem, sicut guttulæ aquæ circumquaque generatæ concurrunt ad principium fontis, & ex tali continuo ascensu exhalationis continuatur stella comata in durationem; & propter diuersitatem illius exhalationis secundùm situm, vel secundùm raritatem, vel secundùm densitatem apparet cauda, vel coma. Quòd autem per istum modum generetur, signum est, eò quòd tempore apparitionis stellæ comatæ sunt multi venti, siccitates, sterilitates, impressiones ignitæ, quæ omnia ex consimili materia habent generari. 2. *Quomodo cometa generetur.*

Et ex isto modo generationis possunt dari causæ differentiarum, & apparentiarum, quæ fuerunt priùs enumeratæ. Nam diuersitas secundùm multitudinem prouenit ex hoc, quia aliqua materia eleuata est in diuersis partibus; sed diuersitas secundùm colorem prouenit, quia quando materia est fortis, spissa, & densa, tunc apparet rubicundus, sed cùm materia est subtilis, & tenuis, apparet albi coloris, & ita discurrendo per alias differentias, & apparentias, datur causa, propter diuersitatem materiæ, vel fortitudinem, vel debilitatem agentis. 3. *Cometarum diuersitas.*

Sed si stella comata sit de natura cæli, quantùm ad corpus stellæ, & eius cauda, vel coma sit de natura elementari, tunc fit per hunc modum; quia aliqua stella fixa, vel erratica attrahit sibi ab istis inferioribus talem exhalationem terrestrem, vsque ad superiorem regionem aëris, quæ propter nimiam remotionem à nobis apparet esse continua illi stellæ, quamuis in rei 4.

veri

veritate multum distent; in quam exhalationem agit ista stella alterando, donec incendatur, vel efficiatur luminosa.

Ex isto potest inferri, quòd si stella cæli, quæ videtur habere caudam, vel comam, sit versùs Septentrionem, possibile est quòd illa moueatur ab Oriente in Occidente siue ortu & occasu, tamen cauda sua orietur & occidet, sicut potest demonstrari in exemplo de nube, quæ supponitur alicui stellæ versùs Septentrionem, quæ nunquam oritur & occidit, & tamen nubes illa de facto occidit, & potest oriri.

5. *Dubium 1. An cometa fieri possit in sphæra ignis.* Sed dubitatur primò, vtrùm stella comata possit fieri in sphæra ignis? Videtur quòd sic, quia sphæra ignis est valde intensè calida, potens faciliter incendere materiam inflammabilem: modò stella comata fit per inflammationem; igitur, &c. Secundò, quia in quolibet aliorum elementorum fit aliqua impressio, vt patet per experientiam; igitur consimiliter in sphæra ignis debet aliqua fieri, & non alia, quàm stella comata, cùm alia altiùs ascendat; igitur, &c.

Solutio. Ad istud respondetur dicendo quòd non, & hoc duplici de causa; prima est, propter caliditatem istius ignis faciliter consumeretur ipsa materia, ex qua deberet generari, imò materia totaliter dissolueretur antequam perfectè intraret sphæram ignis. Secunda est, quia propter raritatem, & nimiam subtilitatem ignis materia densa, & quodammodo grauis, cuiusmodi est materia stellæ comatæ, non posset in ipso sustentari, quin caderet deorsum.

Dubium 2. Cur apparet cum coma, vel cauda? Secundò dubitatur, quare stella comata semper apparet cum coma, vel cauda? Respondetur dupliciter, primò, quia si appareret sine cauda, vel coma, tunc non poneremus differentiam inter ipsam, & vnam stellam de natura cæli, & sic non iudicaremus esse de natura elementari. Secundò, quia semper, vel vt in pluribus est difformitas in partibus istius exhalationis, vel secundùm raritatem, vel densitatem, & tunc apparet coma, vel barba, vel secundùm situm, ita vt vna pars materiæ protendatur extra alias, & tunc apparet cauda.

6. *Dubium 3. Cur sine figura sphærica?* Tertiò dubitatur, quare semper apparet sine figura sphærica. Ad hoc dico quòd hoc est, quia materia propter sui tenacitatem, & viscositatem inclinatur vnire suas partes ad inuicem, & ipsas sibi inuicem fortiter adiicere, & quamuis fortè quandoque sit modica difformitas in lateribus, tamen illa propter nimiam distantiam non apparet nobis.

Dubium 4. Quartò dubitatur, quare in stella comata non apparet flamma ascendere ad modum pyramidis, sicut in candela ascendit flamma, & videtur quòd sic, quia semper partes materiæ leuiores inclinantur ascendere.

Solutio. Respondetur quòd in rei veritate talis flamma ascendit de stella comata, nisi quandoque impediat nimia tenacitas materiæ; sed flamma illa non apparet nobis, eò quòd corpus cometæ ponitur inter nos, & ipsam.

Dubium 5. Quintò dubitatur, quare stella comata non dimittit caudam flammæ sequentem se, quemadmodum candela mota per aërem habet flammam proiectam à parte posteriori.

Responsio. Respondetur quòd causa est, quia stella comata non mouetur continuè diuidendo, sed ad motum continentis, quemadmodum clauus mouetur ad motum nauis, cui infigitur, modò videmus si candela includatur in laterna, quantumcunque velociter moueatur laterna, candela non faceret flammam sequentem.

Ex istis potest colligi definitio cometæ. *Cometa est vapor terrenus habens partes fortiter cohærentes eleuatus ad supremam regionem aëris, astus regnorum, & aliarum magnarum rerum alterationem signans in hoc mundo.* *Cometa quid?*

ARTICVLVS II.

De motu Cometæ.

Qvantùm ad secundum de motu stellæ comatæ, imaginantur aliqui quòd stella comata non mutat locum, sed imaginantur quòd exhalatio eleuata superiùs disponatur continuè ab Oriente in Occidentem ad modum lineæ gyratiuæ, quia linea cùm fuerit flammata in vno extremo, vadit continuè inflammando, donec tota illa linea sit consumpta, tunc cessat apparere cometa. Et sic patet quòd stella comata continuè mouetur, quamuis videatur oppositum, propter continuam inflammationem nouæ materiæ. 7. *Cometa quomodo moueatur.*

Sed contra istud obiicitur, primò, quia non videtur quomodo materia potest sic disponi in circuitu. *Obiectiones.*

Secundò, quia non apparet possibile quòd tanta materia possit esse continuè vniformis, cùm stella comata appareat eiusdem magnitudinis donec incipiat disparere.

Tertiò, si sic, tunc longa portio vnius lineæ incenderetur, quod est contra experientiam.

Quartò, quia perfecta vna circulatione, per inflammationem tota materia debet esse consumpta.

Iam de motu ipsius, sciendum est primò, quòd triplex est motus, quidam naturalis, qui fit per inclinationem mobilis, & motus grauis deorsum; alter violentus. Sed tertius est præter naturam, vt motus ignis in concauo orbis Lunæ, scilicet, qui nec est per inclinationem mobilis, nec contra eius inclinationem, 8. *Motus triplex.*

Secundò est sciendum, quòd quandoque motibus diuersis visa est stella comata moueri, motu diurno, ab Oriente in Occidentem, & ille motus est ad motum sui continentis, scilicet ad motum superioris regionis aëris, quæ trahitur motu diurno circa terram ab ipso cælo; modò certum est quòd iste motus stellæ comatæ nec est naturalis, nec violentus, sed præter naturam.

Secundò, apparet stella comata moueri ascendendo, & hoc potest prouenire altero quatuor modorum. Vno modo, quia stella comata trahitur, & tunc apparet eleuari à nobis. Alio modo, quia materia stellæ comatæ leuesit per caliditatem, vel in rei veritate secundùm inclinationem sui ascendit sursum, & isto modo motus eius est naturalis.

Tertiò, quia stella, à qua materia comata eleuatur, fortificatur per aliquam constellationem, ideò sufficit materia altiùs ascendere. Quartò, quia ista stella per quam eleuatur materia cometæ altiùs ascendit in suo Epicyclo, ideò directiùs aspicit materiam eleuatam, & fortiùs potest ipsam attrahere.

Quintò apparet moueri præcipitando motum diurnum, scilicet velociùs mouendo, quàm moueatur stella motu diurno, & aliquando tardiùs. Et hoc potest prouenire propter fluxibilitatem aëris continentis, qui præcipitat motum diurnum. Alio modo potest esse, quia fortè aliqua stella existens in medio cæli, trahit istam materiam, & posteà fortè versùs Occasum prouenit alia constellatio, quæ fortiùs sufficit attrahere, & tunc cometa velociùs mouetur ad Occasum.

Sextò apparet moueri de Septentrione in Austrum, & è contrà quandoque, & hoc fit per istum modum, quia materia cometæ attracta est per aliquam stellam existentem in Septentrione, & posteà in Austro superuenit constellatio fortior, & tunc cometa per fortitudinem tractus diuertit se à Septentrione ad Austrum.

Sptimò apparet cometa moueri deorsum, & hoc est, vel quia materia augmentabatur, vel quia descendit propter grauitatem, vel quia defuit virtus attractiua.

Ex isto apparet quæ sit stella comata, quomodo generetur, & qui sit motus, & postea dicetur de eius significatione.

Rationes sunt solutæ per dicta; & sic finis quæstionis.



QVÆSTIO XIX.

Vtrùm stella comata significet mortem Principum?

I. *Arg. primũ.* RGVITVR quòd non, quia non significat mortem pauperum; igitur nec Principum. Consequentia tenet, quia tam pauperes quàm Principes existentes in eadem regione, sunt sub eadem constellatione. Et antecedens patet, quia nullus posuit eam sic significare.

Secundum. Secundò, aliæ impressiones ignitæ non signant mortem Principum; ergo nec stella comata. Consequentia tenet, quia fiunt ex consimili materia. Et antecedens apparet ad experientiam.

Tertium. Tertiò, quia stella comata signat ventos, & siccitatem; igitur non significat mortem Principum. Consequentia tenet, quia vnius signi debet esse vnum signatum. Et antecedens apparet per Aristotelem in isto primo.

Quartum. Quartò, Galaxia non significat mortem Principum: ergo nec stella comata. Consequentia patet, quia sunt similis naturæ. Et antecedens apparet, quia si sic, semper morerentur Principes, quod est contra experientiam.

Quintum. Quintò, quia stella comata significaret mortem Principum, vel vt causa istius mortis, vel vt effectus ipsius, vel vt signum; non vt causa, quia tunc stellâ comatâ positâ poneretur mors Principum, quod est contra experientiam. & patet consequentia, quia positâ causâ ponitur effectus. Similiter multæ sunt aliæ causæ mortis Principum, sicut corpora cœlestia. Nec sicut effectus, quia stella comata præcedit mortem Principum, & tamen effectus debet sequi suam causam. Nec sicut signum, quia mors Principum & stella comata in nullo conueniunt: ergo vnum non potest esse signum alterius.

Sextò, quia si cometa causata à stellis maleuolis esset signum, vel causa mortis Principum, sequeretur quòd comata stella causata à stellis beneuolis esset signum, vel causa vitæ ipsorum, & per consequens non quælibet stella comata signabit mortem Principum. *Sextum.*

Oppositum arguitur authoritate Alberti super isto primo, & omnium Astrologorum. *Oppositum.*

In ista quæstione primò, signandæ sunt diuersitates cometarum. Et secundò, considerandæ sunt eorum significationes & causæ.

ARTICVLVS I.

Cometarum diuersitas assignatur.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd triplex assignatur diuersitas cometarum, primò, secundùm Albertum *super isto primo*, signatur diuersitas eorum ex parte materiæ; nam materia stellæ comatæ est valde subtilis, & tunc est vna species; vel multùm grossa, & tunc est alia; vel medium inter grossum & subtile, & tunc est tertia; vel medium inter grossum & primum medium, & tunc est quarta; vel medium inter subtile & primum medium, & tunc est quinta. 2. *Cometarum diuersitas triplex.*

Similiter assignat Albertus diuersitatem ex parte figuræ. Nam vel cometa habet caudam sursum, vel deorsum, vel ante, vel retrò, & sic sunt diuersæ species. *Albertum.*

Quòd autem diuersitas cometarum sit sumenda penes diuersitatem materiæ probat Albertus, quia si non, tunc illa diuersitas maximè proueniret ex parte agentium planetarum, à quibus attrahetur illa materia. Consequens est falsum, quia tunc planetæ nunquam exeunt Zodiacum, ita nec cometæ fierent extra Zodiacum, quod est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia diuersitas effectuum in istis inferioribus si non proueniat ex parte materiæ, maximè prouenit ex diuersitate planetarum. *Probat.*

Sed contra hoc arguitur, quia non videtur modus, per quem signaretur medium inter illud grossum, & subtile. 3. *Refellitur eius modus, assignandi.*

Secundò, quia qua ratione tu assignares vnum medium inter duo extrema, eadem ratione inter duo media assignaretur, & sic in infinitum.

Tertiò, non apparet verisimile quòd tanta diuersitas, sicut prouenit à cometis, possit prouenire ex sola diuersitate materiæ, secundùm raritatem, & densitatem.

Tunc ad rationem Alberti, si non hoc, proueniret ex parte planetarum, concedo, nec valet consequentia vlterius, quia extra Zodiacum sunt stellæ fixæ, de natura planetarum, ideò secundùm quod materia cometæ attrahetur ab vno planetarum, vel alio, vel à stellâ fixâ de natura illius planetæ, tunc cometa denominatur ab illo planeta, de cuius natura erat stella fixa, à qua stella comata causabatur. Alio modo assignant Astrologi aliqui diuersitatem cometarum, scilicet quòd quidam est de natura Saturni, quidam de natura Iouis, quidam de natura Martis. Sed si obiicitur quòd Sol præ nimia sua caliditate potiùs habet consumere materiam cometæ. Respondetur quòd non oportet materiam eleuari à Sole ex qua generatur cometa de natura Solis, sed sufficit

ſufficit quòd eleuetur ab aliqua ſtella fixa, quæ ſit de natura Solis.

4. *Alius modus.* Sed adhuc alij aſſignant diuerſitatem cometarum, præmittendo, quòd nullus cometa ſit de natura Solis, cauſa eſt, quia Sol potiùs habet conſumere exhalationes, quàm ipſas conſeruare, vt inde generetur coma.

Secundò, quia nec aliquis cometa eſt de natura Lunæ, patet, quia Luna non habet commouere humiditates vnctuoſas, ex quibus natus eſt fieri cometa, ſed potiùs humiditates aqueas. Et ideò omnes cometæ ſunt de naturis aliorum quinque planetarum. Vnde de natura Saturni eſt vnus cometes aliqualiter nigri coloris, vel pallidi, cum quadam luce coniuncta, & eſt paruæ quantitatis, & iſte cometes inter omnia aſtra cæli, & omnes cometes eſt nigri coloris magis, & vocatur *cometa niger.* Sed Iouis ſunt duæ ſtellæ comatæ, quarum prima vocatur *argentea*, & habet colorem ſpiſſi argenti, & alia vocatur *roſea*, & eſt albi coloris. Sed de natura Martis ſunt quatuor cometæ, quorum primus vocatur *veru*, & eſt valdè horribilis in aſpectu. Secundus vocatur *pertica.* Tertius *teracula.* Quartus autem *matula rubea.* Et omnes iſti ſunt rubicundi coloris. Sed de natura Veneris eſt vnus cometes, qui dicitur *nubes.* Sed de natura Mercurij eſt vnus, qui vocatur *Domina Attaſve*, minor inter alios. Hæc de primo.

ARTICVLVS II.

Cometarum ſignificationes, & cauſæ ſignatorum.

5. *Cometa ſignant 10. effectus.* QVantùm ad ſecundum nota, quòd nouem, vel decem ſunt effectus, quos vniuerſaliter ſignat omnis cometa. Primò ſignat ventos, ita quòd annus quo apparet cometa erit ventoſus, maximè in patria in qua apparet. Secundò ſignat caliditatem, & ſiccitatem. Tertiò terræmotum. Quartò ſterilitatem fructuum, & terrâ naſcentium. Quintò inundationes aquarum. Sextò mortalitates, & epidimias omnium viuentium in aëre. Secũdò, cõtentiones, rixas, & bella. Octauò mortem Principum. Nonò mutationes regionum. Et decimò, variationes legum, & ſectarum; ex quibus apparet quòd vniuerſaliter omnis cometa ſignat malum; & quòd cometa ſignet iſta, probatur per obſeruationes: nam iſta experti ſunt omnes prædeceſſores noſtri, & obſeruauerunt in libris.

Tunc de cauſis iſtorum ſignatorum.

6. *Cauſa 1. ſignatorum.* Vna cauſa primi eſt, quare ſcilicet ſignat ventos, quia cometa generatur ex exhalatione calida & ſicca, vnctuoſa & tenaci, ideò tempore, quo apparet cometa, multæ exhalationes eleuantur à terra, quarum tenaces, vnctuoſæ, & fortiores eleuantur ſuperiùs, & cedunt in materiam cometæ, ſed debiliores, & minùs vnctuoſæ, cedunt in materiam ventorum.

Cauſa 2. Cauſa igitur ſecundi eſt, quia cùm cometa fiat per eleuationem exhalationis calidæ & ſiccæ, non poteſt generari, niſi tempore calido exiſtente, & ſicco; tum propter commixtionem exhalationis cum aëre; tum propter caliditatem, quæ prouenit ex parte temporis.

Cauſa tertij eſt, quia terræmotus cauſantur propter exhalationem calidam, & ſiccam, incluſam in concauitatibus terræ, quæ propter contrarietatem, quam habet cum frigiditate terræ; intenditur & fortificatur, & concutit latera terræ concauitatum, petendo exitum, & tunc ex exitu eius cauſatur terræmotus; modò tempore apparitionis cometæ oportet multas exhalationes eleuari, tam intra terram, quàm extra. *Cauſa 3.*

Sed contrà obiicitur, quia ſtella comata ſignat ventos: igitur non ſignat terræmotum. Conſequentia tenet per Ariſtotelem *in iſto primo*, vbi dicit quòd tranquillitas eſt ſignum terræmotus. Antecedens apparet per primum ſignatum cometæ. *Obiectio.*

Ad hoc reſpondetur quòd ſtella comata ſignat ventos, & terræmotum diſiunctiuè, ſic ſcilicet, quòd tempore apparitionis cometæ, vel debent fieri venti, vel terræmotus, ita ſcilicet quòd ſi tempore apparitionis non ſunt venti, ſignum eſt quòd exhalatio, quæ eſt materia venti, ſit incluſa in terra, & timendum eſt de terræmotu in locis diſpoſitis; ſed ſi exhalatio habeat liberum exitum à terra, tunc fiunt venti, & non terræmotus. *Reſponſio.*

Cauſa quarti eſt, quia tempore apparitionis cometæ aër eſt valdè calidus, & ſiccus, vt dicit ſecundum ſignum, ideò tunc aër ponitur extra naturales diſpoſitiones continentes vitam, nam omnis vita conſiſtit in calido & humido, vt patet *in lib. de Morte & Vita.* *Cauſa 4.*

Alia cauſa eſt, quia aër propter commixtionem exhalationis cum ipſo eſt valdè calidus & ſiccus, & ideò adurit plantas, & terrâ naſcentia, cùm fuerint recentia.

Contra quintum ſignum obiicitur, quia cometa ſignat diminutiones fontium & fluminum, cùm fuerit ſignum caliditatis & ſiccitatis, igitur. Conſequentia tenet per Ptolemæum, & alios Aſtrologos.

Ad iſtud dico quòd ſtella comata de per ſe non ſignat inundationes aquarum, ſed per accidens, & conſequenter ad terræmotum. Nam ſtella comata ſignat motum terræ, vt dictum eſt, modò ad motum terræ conſequitur inundatio aquæ. *Cauſa 5.*

Cauſa ſexti eſt, quia ſtella comata notat ſiccitates, & caliditates, vt dictum eſt, ideò tempore, quo cometæ apparent, aër mutatur de ſuis naturalibus diſpoſitionibus in alias diſpoſitiones, ſcilicet in caliditatem & ſiccitatem; modò ex tali mutatione aëris cauſantur mortalitates & epidimiæ. Alia cauſa eſt, quia tempore, quo fiunt cometæ, multa exhalatio, tenax & vnctuoſa, & quodammodo venenoſa admiſcetur aëri, quem aërem viuentia ſuper terram inſpirant; modò dicit Albertus *de ſenſu & ſenſato*, quòd citiùs homo ex aëre infecto inſpirato moritur, quàm ex veneno comeſto; cuius cauſa eſt, quia aër infectus, & venenatus, inſpiratus à viuente immediatè vadit ad cor eius, & læſo corde moritur animal, ſed venenum non pertingit ad cor, niſi per tranſmutationes intermedias, nam primò reponitur in ſtomacho, & digeritur, vel quodammodo commouetur à calore ſtomachi, priuſquam perueniat ad cor. *Cauſa 6.* *Nota hanc auctoritatem pro infectione aëris.*

Cauſa ſeptimi eſt, quia propter caliditatem, & ſiccitatem temporis, quo apparent cometæ incitatur & augetur cholera in hominibus; modò cholera eſt maxima cauſa rixationis, & iræ; & *Cauſa 7.*

ideò dicit Ptolemæus *in Quadripartito*, quòd cometa mutat homines ad omnes res, quæ sunt facilis motus. Quòd autem tẽpore cometæ cholera augetur, patet ex signo, quia isto tempore homines plus patiuntur febres acutas, quàm quocunque alio tempore.

10. *Causa 8.* Causa octaui, quia stella comata signat vniuersaliter mortalitates, & epidemica omnium viuentium super terram, vt dictum fuit, & quia Rex est quoddam viuens, signat igitur mortem Regis, & Principis, sed quòd mors Principis magis notatur quàm aliorum, ideò potiùs dicitur signare mortem Principis quàm aliorum alterius. *Quare stella comata dicitur signare mortẽ Principis.* Alia causa est, quia dictum est quòd stella comata signat contentiones, & rixas, & bella; modò Principes solent plus incitari aliis hominibus, ideò quamuis in bello plures alij moriantur, magis tamen notatur mors Principis. Tertia causa est, quia Principes magis delicatè nutriuntur aliis, ideò sunt subtiliores, quia magis delicati faciliùs susceptibiles nouæ alterationis, & cùm stella comata signet pestilentias, & permutationes aëris, ideò ab huiusmodi pestilentiis faciliùs patiuntur aliis hominibus.

11. *Causa 9.* Causa noni, quia permutationes regnorum consequuntur ad bella, & mortalitates hominum; modò stella comata signat bella, & mortalitates; igitur, &c.

Causa 10. Causa decimi est, quia per stellam comatam quodammodo mutantur homines ratione caloris ad aliter credendum, vel aliter opinandum. Ista igitur sunt illa, quæ vniuersaliter signat omnis stella comata. Sed de signis spiritualibus ipsarum non pertinet ad istam scientiam, sed ad Astrologum iudicialem. Hæc de secundo.

Ad rationes.

Ad argum. 1. principale. Ad primam, negatur consequentia. Primò, quia mors pauperum non notatur sicut mors Principum. Secundò, quia pauperes non ita delicatè nutriuntur sicut Principes. Tertiò, quia præter influentias generales, quas habet stella in pauperes & Principes generaliter, habet alias speciales ad Principes.

Ad 2. Ad secundam. *Aliæ impressiones ignitæ*, &c. negatur antecedens, imò aliæ impressiones ignitæ, si sint magnæ, frequenter signant siccitates, ventos, & mortes; & si sint paruæ, sunt quodammodo dispositiones.

Ad 3. Ad tertiam. *Cometa signat ventos*, &c. negatur consequentia, nec oportet quòd vnius signi sit vnum solum signatum, sicut, verbi gratiâ, conceptus communis huic termino *Animal* est vnum signum, & tamen sibi correspondent pluta signata.

Ad 4. Ad quartam, de Galaxia, negatur consequentia, quia Galaxia est de natura cæli, & non de natura elementari.

Ad 5. Ad quintam, *Vel sicut causa*, &c. Dico quòd sicut causa, & sicut signum. Primò, sicut causa, quia cometa est causa multarum siccitatum, & aliarum qualitatum, quæ inficiunt aërem, & aër infectus est causa illorum quæ sunt dicta priùs. Similiter sicut signum, quia stella comata est effectus immediatè consequens causas illorum signatorum, quæ dicta sunt, ideò signat istos effectus tanquam signum.

Ad 6. Ad sextam dico, quòd siue cometa fiat à stellis beneuolis, siue maleuolis, semper signat malum, eò quòd non potest fieri sine calefactione, & exsiccatione aëris, & elementorum hîc inferiùs, ad quam calefactionem, & exsiccationem sequuntur effectus priùs nominati.



QVÆSTIO XX.

Vtrùm Galaxia sit de natura cæli?

ARGVITVR quòd sic, nam omnis substantia solùm transmutabilis localiter est de natura cæli; sed Galaxia est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia cælum solum est in potentia ad *vbi*, vt vult Commentator 8. *Metaph.* & minor apparet, quia nunquam videmus Galaxiam, nec prædecessores nostri aliter mutari, quàm localiter. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, Omnis substantia corporea perpetua est de natura cæli: sed Galaxia est huiusmodi; igitur, &c. Maior patet, quia de natura elementari non est aliquod corpus perpetuum. Et minor apparet, quia nunquam visa fuit transmutatio in Galaxia. *Secundum.*

Tertiò, Galaxia est corpus simplex naturaliter motum circulariter; igitur est de natura cæli. Tenet consequentia, quia si naturaliter mouentur, & cùm hoc sit de natura elementari, sequitur quòd motus circularis iuerit naturaliter pluribus corporibus simplicibus, quod est falsum, vt patet 1. *cæli.* Minor patet per experientiam, scilicet quòd moueatur circulariter; sed quòd moueatur naturaliter apparet, quia si moueatur violenter motus eius non possit perpetuari. *Tertium.*

Quartò Galaxia non est de natura elementari; igitur est de natura cæli. Consequentia tenet, at antecedens apparet, quia non apparet qualiter vniformiter continuè se haberet, pôst esset de natura elementari. *Quartum.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. *Opposit.*

In quæstione primò recitandæ sunt opiniones de Galaxia. Secundò, ponetur verus modus vnde appareat Galaxia.

ARTICVLVS I.

Opiniones de Galaxia recitantur.

QVantùm ad primum, sunt quatuor opiniones, tres antiquiorum, & vna Philosophi.

Prima opinio erat, quòd Sol, & alia astra calefacientia discurrebant sub illa parte cæli, in qua apparet Galaxia, & illam partem combusserunt, modò videmus in istis inferioribus quòd adusta apparent magis clara, & alba, quàm priùs. 2. *Opinio 1.*

Sed contrà, tunc sequeretur quòd totus Zodiacus appareret sicut via lactea. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia sub Zodiaco discurrit Sol, & planetæ calefacientes, & per consequens potiùs deberet comburere illam, quàm quamcunque aliam. *Refellitur.*

Secundò, quia cælum non est alterabile tali alteratione, vt patet 1. *cæli.*

Alia opinio fuit, quòd Galaxia causatur ex refl- 3.

Opinio 2. reflexione radiorum Solis ad visum nostrum vsque ad astra, vbi apparet Galaxia.

Refellitur. Sed contrà, sequeretur tum, quòd Galaxia non appareret in eodem situ respectu astrorum cæli, sicut respectu cæli. Consequens contra experientiam, nam semper apparet fieri ab iisdem astris. Et tenet consequentia, quia Sol continuè variatur quantùm ad situm respectu Galaxiæ; modò variato speculo, ad quod refrangitur, vel reflectitur imago, vel causante imaginem variato, imago debet apparere in alio situ speciali, sicut patet ad experientiam.

Secundò, quia de nocte videmus Galaxiam in aqua supposita Galaxiæ, & tamen tunc non apparet qualiter radius Solis possit refrangi ad visum nostrum, & vsque ad illa astra.

4. *Opinio 3.* Tertia opinio ponit quòd omnes stellæ habent lumen de suis propriis naturis, sed non possunt lumen istud dimittere propter obfuscationem à Sole, nisi aliquid ponatur inter ipsas & Solem; modò de nocte, quando apparet Galaxia, aliqua pars terræ ponitur inter Solem & astra.

Impugnatur. Sed contra hoc obiicitur primò, quia semper Sol aspicit omnia astra cæli, scilicet octauæ sphæræ; igitur Galaxia ista non causatur per prædictum modum. Consequentia tenet, quia hoc supponit suppositio illa. Et antecedens apparet, nam per demonstrationes Astrologicas patet quòd Sol est multò maior quàm terra. Similiter patet quòd vmbra terræ non pertingit vltra sphæram Mercurij.

5. *Opinio 4.* Quarta opinio est Philosophi, qui ponit Galaxiam esse de natura elementari, per hunc modum, quia stellæ illæ, cùm apparet Galaxia attrahunt sibi exhalationem calidam & siccam inflammabilem, quæ posita inter stellas illas, & visum nostrum, vel per inflammationem ab illis stellis, vel per refractionem luminis ipsarum, facit apparere talem claritatem, & hoc per signum, quia videmus quòd rarò fiunt cometæ, eò quòd materia cedit in compositionem Galaxiæ, ex qua possunt generari cometæ. Secundò, quia vna stella sufficit attrahere exhalationem, ex qua fiat tanta claritas, vel albedo, sicut albedo stellæ comatæ; igitur tanta multitudo stellarum, sicut est in Galaxia possunt tot exhalationes extrahere, quòd sufficienter facit claritatem Galaxiæ. Tertiò, videmus Galaxiam diuisam in duas partes, quarum vna pars est quasi dupla ad aliam secundùm magnitudinem, in qua parte maiori sunt plures stellæ, & maiores, quod non esset, nisi istæ plures, & maiores maiorem exhalationem sufficiant attrahere.

Quartò, quia aliter sequeretur quòd determinare de Galaxia non pertineret ad istum librum, sed ad librum Cæli, & mundi. Consequens est falsum, vt patet in processu librorum. Probatur consequentia, quia in libro Cæli & mundi debet determinari de partibus cæli.

6. *Contra arguitur.* Contra istam opinionem arguitur primò, quia non apparet possibile quòd tanta exhalatio possit eleuari ab istis inferioribus continuè, quòd sufficeret agere, vel facere tantam claritatem, quanta est claritas Galaxiæ in magnitudine.

Secundò, quia si esset exhalatio, tunc sequeretur quòd quandoque claritas esset intensior, quandoque remissior, quandoque maior, quandoque minor. Consequens nunquam fuit expertum, & probatur consequentia, quia secundùm quod ista inferiora essent magis, vel minùs benè disposita, & ab ipsis eleuaretur exhalatio, secundùm hoc magis, vel minùs claritas ista debet esse intensa, vel remissa, maior, vel minor.

Tertiò, sequitur quòd non semper apparet Galaxia sub iisdem stellis cæli. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia cùm eleuatio illa eleuata sit infra orbem Lunæ, causaret magnam diuersitatem aspectus.

Quartò sequitur quòd in Zodiaco debet apparere Galaxia, quod est contra experientiam. Probatur consequentia, quia in Zodiaco sunt plures stellæ, quæ plus sufficiunt eleuare, quàm stellæ illius partis, in qua apparet Galaxia.

Sed respondet Aristoteles negando consequentiam, quia quamuis stellæ in Zodiaco plus sufficiant eleuare, sic etiam plus sufficiunt consumere.

Sed contra hoc obiicitur, quia tunc sequitur quòd nulla parte Zodiaci debet apparere Galaxia: consequens contra experientiam, quia in Geminis & Sagittario intersecat Zodiacum. Patet igitur ex istis rationibus, vnà cum aliis ante oppositum, quòd Galaxia non sit de natura cæli.

ARTICVLVS II.

Verus modus quo apparet Galaxia, statuitur.

Quantùm ad secundum præmitto tres suppositiones.

Prima est, quòd cælum est corpus perspicuum, & transparens, vt patet ad experientiam. 7. *Celum est transparens.*

Secunda suppositio est, quòd perspicuitas cæli est difformis. *Eius perspicuitas est difformis.* Probatur, quia si perspicuitas cæli esset vniformis, sequeretur quòd partes cæli, à quibus reflectuntur radij Solis, non solùm reflecterent lucem, sed etiam figuram. Consequens est contra experientiam, nam Luna reflectit lumen Solis, & non figuram ipsius; & non est causa, nisi difformitas perspicuitatis in partibus Lunæ, nam talis difformitas, vel disparitas est sufficiens causa, quare ab aliquo corpore reflectatur lux, vel color, & non figura. Probatur consequentia, quia videmus quòd corpora vniformia perspicua, sicut est aqua profunda, reflectunt ad modum speculi non modò lucem, vel colorem, sed cum hoc figuram, vt patet ad experientiam.

Tertia suppositio est, quòd in partibus cæli, vbi est minor perspicuitas, est minor claritas, & vbi est maior spissitudo, apparet maior claritas. Probatur, quia videmus in alabastro quòd partes raræ, quas pertranseunt radij Solis, vel luminis, apparent magis obscuræ, & aliæ partes opacæ, & spissæ, apparent magis claræ & albæ. Secundò patet hoc idem de corpore Lunæ, nam vbi Luna est rarior in partibus suis, ibi apparet macula, & vbi est densior apparet lux & claritas.

Ex istis apparet causa quare apparet Galaxia, 8. *Cur appareat Galaxia?* quia perspicuitas cæli est difformis in suis partibus densioribus, nam apparet maior claritas propter incorporationem, & reflexionem intensioris luminis; modò partes cæli, in quibus apparet Galaxia, sunt densiores aliis partibus, cuius signum est, quia ibi est maior multitudo stellarum; modò

modò stella est densior pars sui orbis, ideò in istis partibus potiùs deberet apparere claritas,& albedo, quæ vocatur *Galaxia*, quàm in alijs partibus cæli.

Obiectio. Sed contrà obiicitur,& primò contra primam suppositionem, quia si cælum esset perspicuum, sequeretur quòd in eclipsi Solis lumen cæli, vel Solis veniret ad nos pertranseundo corpus Lunæ: consequens est contra experientiam, & probatur consequentia, quia radius Solis benè potest penetrare corpus perspicuum, sicut patet de aëre, aqua,& aliis similibus.

Solutio. Ad istud negatur consequentia,quia spissitudo, & magnitudo corporis Lunæ impedit transitum luminis Solis.

9. *Obiectio.* Secundò arguitur contra rationem secundæ suppositionis, quia dato hoc, sequitur quòd corpus Lunæ, imò cuiuslibet alterius planetæ, est multò maius, quàm sit claritas apparens in plenilunio, nam ista claritas est imago & figura Solis reflexa ad corpus Lunæ, sicut ad speculum, quia partes cæli reflectunt lumen, imò cum hoc figuram.

Solutio. Ad illud dico quòd hoc est falsum, nam si ita esset, sequeretur quòd cum aliqua stella superior debeat eclipsari per Lunam,vel aliquam stellam inferiorem, quod prius erat eclipsata, quàm aliqua pars claritatis Lunæ ponatur inter visum & ipsam. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia pars densa Lunæ, in qua non apparet claritas priùs interponeretur.

Tertiò dubitatur, vnde appareat illa difformitas partium cæli in perspicuitate. Dicitur quòd est de natura cæli; igitur non est quærenda alia causa.

Ad arg. 1. 10. Ad Rationes. Ad primam, dico quòd illa non est causa, sed quòd difficile est tantam materiam eleuari, quanta requiritur ad generationem, & continuationem stellæ comatæ.

Ad 2. Ad secundam, *quia vna stella*, &c. Negatur consequentia, quia tanta materia non est eleuabilis ab istis inferioribus.

Ad 3. Ad tertiam *ille circulus dicitur*,&c. dico quòd hoc prouenit ex diuersitate partium cæli in perspicuitate.

Ad 4. Ad quartam posset concedi consequens.

Ad auctoritatem post oppositum, dico quòd illa non est auctoritas Aristotelis, sed translatoris, quia tantùm habetur in antiqua translatione.



QVÆSTIO XXI.

Vtrùm aqua pluuialis generetur in media regione aëris?

1. *Arg. 1.* PROBATVR quòd non, quia quodlibet elementum potiùs debet generari in loco suo naturali, quàm extrà; sed locus naturalis aquæ est locus,quem mare occupat; igitur,&c. Maior patet, quia locus naturalis est sibi magis conueniens. Et minor patet per Aristotelem 2. *huius.*

Secundum. Secundò, si in media regione aëris generetur pluuia,hoc est per conuersionem nubis in aquam à frigiditate; sed consequens est falsum,quia eadem ratione dicerem quòd ex exhalatione superiùs eleuata deberet generari terra ex conuersione ipsius in terram à frigiditate, & sic deberent pluere puluerea terræ, quod extat contra experientiam.

Tertiò,aqua pluuialis generatur à calido, igitur non à frigido. Consequentia tenet,quia idem non est effectus contrariorum. Et antecedens apparet,quia grando fit à caliditate, vt patet *primo huius*; igitur si grando congelatur à calido,multò fortiùs pluuia à calido debet congelari. *Tertium.*

Quartò, idem non est locus duorum contrariorum; sed media regio aëris est locus generationis ignis; igitur non aquæ. Maior patet, quia tunc idem locus esset simul vtrique contrariorum. Antecedens apparet, quia in media regione aëris generantur coruscationes, & ignis descendens cum fulmine. *Quartum.*

Oppositum vult Aristoteles in isto primo. *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de modo generationis, & causis pluuiæ. Secundò,videbitur de accidentibus pluuiæ,& casu ipsarum.

ARTICVLVS I.

De modo generationis, & causis pluuiæ.

QVantùm ad primum,sciendum est,quòd ab istis inferioribus eleuatur duplex fumus, scilicet exhalatio,& vapor; de exhalatione, quæ est materia impressionum ignitarum, dictum est priùs; sed de vapore est sciendum quòd vapor est quidam fumus subtilis, & inuisibilis,per caliditatem Solis,& astrorum calefacientium,eleuatus ab aqua,& corporibus humidis,retinens humiditatem corporum,à quibus eleuatur, sed habens caliditatem,& leuitatem ab eleuante. 2.

Secundò sciendum, quòd cum vapore aqueo eleuantur guttulæ aquæ, quemadmodum cum exhalatione eleuantur partes terræ, & quandoque vapor eleuatur à terra,vel corporibus terrenis,eò quòd eis admixta est aliqua humiditas, & cum tali vapore eleuatur exhalatio sicca.

Tunc de modo generationis pluuiæ, dico quòd generatur per hunc modum, quia vapor eleuatus ab istis inferioribus vsque ad mediam regionem aëris,ingrossatur, & inspissatur per frigiditatem,& conuertitur in nubem,quæ conuersa in nubem per vlteriorem frigefactionem vlterius inspissatur, & conuertitur in aquam, & ista guttatim cadens, vocatur *pluuia.* *Quomodo generatur pluuia.*

Sed sciendum quòd nubes generata ex vapore est duplex; quædam est subtilis, & tenuis, & ex illa propter defectum materiæ, vel propter defectum intensæ frigiditatis condensantis, non generatur pluuia. Sed alia nubes est magis grossa, & spissa, & illa per frigiditatem conuertitur in aquam. 3.

Alio modo generatur pluuia, quia sicut videmus quòd guttulæ aquæ generantur per reflexionem ad coopertoriũ ollæ effumantis, & similiter aqua rosea per reflexionem ad latera vesicæ,consimiliter vapor aqueus eleuatus ab istis inferioribus ascendit quousque obuiet frigiditati mediæ regionis, à qua reflectendo propellitur, & aqua modo prædicto generatur.

Et

4. *Cur phlegma magis abundat in hyeme.* Et ex isto potest reddi causa, quare in corporibus animalium plus abundat phlegma tempore hyemali, quàm aliis temporibus. Causa est, quia fumi, & vapores ascendentes à nutrimento inueniunt poros cutis oppilatos, & obstrusos à frigiditate exteriori, per quos non possunt exire, vt reflectuntur ad interius, & conuertuntur in phlegma.

Item, sciendum, quòd non solùm generatur pluuia ex vapore aquoso eleuato superiùs, imò tamen potest generari ex aëre mediæ regionis, si frigiditas fuerit multùm intensa, quæ sufficiat ipsum condensare, & causa est, quia quodlibet elementum est transmutabile in reliquum, vt patet 2. *de Generatione*.

Causa pluuiæ. Et ex istis patent causæ pluuiæ; nam causa materialis vel est aër mediæ regionis; vel vapor eleuatus superiùs. Causa efficiens est calor eleuans vaporem, & frigiditas ipsum condensans, siue deorsùm propellens. Causa formalis, vel est forma aquæ, vel forma mixti imperfecti satis propinqui aquæ naturæ. Et causa finalis est, quia natura inuenit istum modum conuenientissimum ad rigandum terram, & terra nascentia; patet igitur quomodo generatur pluuia, & quæ sunt causæ eius. Et hæc de primo.

ARTICVLVS II.

De accidentibus pluuiæ.

5. QVantùm ad secundum, sciendum quòd accidentia pluuiæ sunt vapor, color, figura, magnitudo, paruitas guttularum, modus cadendi, locus generationis, & tempus durationis.

Pluuiæ sapor. De sapore sciendum, quòd quandoque pluuia est dulcis, viscosa, & quodammodo pinguis, & ista generatur ex vapore magis aëreo, & maximè conuenit planetis. Alia est quodammodo stiptica, & tendit quandoque ad amaritudinem, vel salsedinem: & talis generatur ex vapore commixto sicco terrestri, & ista pluuia cadit in guttulis minoribus, propter defectum viscositatis ad tenendam aquam; & quamuis pluuia quælibet generetur ex vapore sicco terrestri, eò quòd quælibet restringit fluxum ventris, tamen illa pluuia, quæ sic est stiptica, habet plus de terrestri sibi commixto.

Color. Secundò sciendum, quòd color pluuiæ, vt in pluribus, est sicut aquæ, tamen quandoque cadit alterius coloris, vt rubicundi; quandoque lactei, quandoque sanguinei, & quandoque cadit quasi lana, vel spongia, & ista sunt mirabilia, & de istis est difficile dare causam: tamen causa rubedinis pluuiæ potest esse fortis adustio exhalationis commixtæ in vapore aquoso. Sed causæ aliarum experientiarum est insonsueta proportio qualitatum primarum, quam difficile est assignare.

6. *Diuersitas.* Tertiò sciendum est de diuersitate pluuiæ, secundùm grossitiem, & paruitatem: nam diuersitas illa potest prouenire ex parte materiæ, quia si materia sit tenax, & vnctuosa, tunc cadunt guttæ maiores, quàm si pluuiæ esset admixtum siccum terrestre, ideò est quòd guttæ difficiliùs diuiduntur ratione viscositatis. Secundò, prouenit per agens, siue ex parte eius, nam cùm frigidum condensans fuerit fortificatum, & intensum propter contrarium circundans per antiperistasin, tunc cadunt grossiores, quàm quando frigidum non fuerit fortificatum à contrario circundante. Tertiò, prouenit ex motu locali, nam quandoque guttæ superiores velociùs cadunt in inferioribus, propter maiorem grauitatem, & coniungunt se guttis inferioribus, & cadunt grossiores.

Et quartò prouenit ex loco generationis, eò quòd quandoque cadit, & generatur magis altè, vt in media regione aëris, & quandoque minùs altè, sicut infra mediam; & hoc, quando vapor propellitur à frigido. Similiter generatur magis in vna parte terræ, quàm in alia, magis tum versùs Septentrionem, quàm propè Austrum, in quibus propter intensionem caloris consumentis materiam, & propter paucitatem materiæ, raró fiunt pluuiæ, sicut in terra Ægypti, & in aliis regionibus calidis.

Quartò sciendum est de modo cadendi, quòd quandoque pluuia cadit directè ad terram, & quandoque obliquè, & hoc ex duobus, vel ex delatione nubis per ventum; vel per expulsum vaporis lateraliter à frigiditate mediæ regionis. 7. *Modus quo cadit pluuia.*

Sed de tempore durationis, sciendum quòd quandoque nubes conuertitur tota simul in aquam, & tunc fit magna inundatio super partem terræ, in qua cadit; & quandoque nubes conuertitur paulatim in aquam, & cum hoc defertur à vento, & tunc minùs durat pluuia super eandem partem terræ, nisi continuè vapores ascendant, & augmentent nubem, quia si sic nubes augmentetur, tunc pluuia durabit longiori tempore. *Tempus durationis.*

Sextò est sciendum de figura guttularum, quòd ista figura est sphærica, cuius duplex est causa. Prima secundùm authorem de sphæra, quia est corpus homogeneum, & quælibet pars eius naturaliter tendit ad consimilem figuram, inquantùm potest, sed tota aqua est sphærica, vt probat idem author, de transeuntibus in naui, à litore, &c. Ex quo sequitur, quòd similiter gutta aquæ habebit sphæricitatem. *Figura pluuiæ.*

Alia causa est, quia figura sphærica, est figura sub qua res naturalis diutiùs potest conseruari, eò quòd sub tali figura virtus eius est magis vnita, ideò videmus quòd ros, & grando determinant sibi figuram sphæricam; modò cùm quælibet res appetat se permanere, potiùs determinat sibi figuram sphæricam.

Tertia causa est secundùm Albertum, quia quamuis aqua pluuialis generetur alterius figuræ, quàm sphæricæ, tamen generata descendit, voluendo. & titubando, & in tali volutione rotundatur. Et sic patet de accidentibus ipsius.

Ad rationes. Ad primam, dico quòd non oportet quòd elementum generetur in suo loco naturali, nam videmus ignem generari in terra, & aëre, & aërem in aliis elementis. 8. *Ad 1 argum. principale.*

Ad secundam, *tunc exhalatio conuerteretur in terram*, negatur consequentia, imò debet conuerti in ignem per exhalationem modo, quo dictum est. *Ad 2.*

Ad tertiam, *non est locus*, &c. Negatur, imò in eodem loco possunt generari successiuè. *Ad 3.*

Ad quartam, concedo quòd pluuia generatur à calido, tanquam à causa mediata, eò quòd calidum eleuat vaporem, ex quo pluuia generatur, sed immediatè generatur à frigido, vel frigiditate per conuersionem vaporis eleuati in aquam. Et sic finis quæstionis. *Ad 4.*



QVÆSTIO XXII.

Vtrùm omnes impreßiones aqueæ sint eiuſdem ſpeciei ſpecialißimæ?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia iſta ſunt diuerſarum ſpecierum, quorum loca, & tempora ſuæ generationis ſunt diuerſa: ſed impreſſionum aquearum loca & tempora generationis ſunt diuerſa; igitur, &c. Maior patet, quia poſtquam vnum generatur in aliquo loco, & aliquo tempore, reliquum non eſt natum generari in eodem; igitur iſta differunt ſpecificè. Et minor apparet, quia ros, grando, & pluuia fiunt in æſtate; ſed nix & pruina in hyeme; ſimiliter nix & pluuia fiunt in media regione aëris; ſed grando, & ros, & pruina fiunt infra mediam regionem.

Secundum. Secundò, iſta quæ habent complexiones naturales diuerſas differunt ſpecie; ſed impreſſiones aqueæ ſunt huiuſmodi; igitur, &c. Maior patet, quia in corporibus homogeneis diuerſitas complexionis arguit diuerſitatem ſpecificam. Et patet minor, quia pluuia eſt humida & frigida, ros calidus & humidus, & nix frigida & ſicca.

Tertium. Tertiò, iſta quæ fiunt ab agentibus diuerſis, & ex materiis propinquis diuerſis differunt ſpecificè; ſed impreſſiones aqueæ ſunt huiuſmodi; igitur, &c. Maior patet, quia ſi agens fuerit vnum, & materia vna, ſequitur quòd effectus erit vnus, & per conſequens ſi agens & materia diuerſificantur, diuerſus habebitur effectus. Et minor patet, quia ros & pruina fiunt à frigido remiſſo, & ex materia ſubtili; ſed nix & pluuia fiunt è contrario.

Quartum. Quartò, illa differunt ſpecie, quorum effectus naturales ſpecificè diſtinguuntur; ſed impreſſionum aquearum effectus diſtinguuntur; igitur, &c. Maior patet, quia ab iis quæ ſunt conſimilis ſpeciei nati ſunt conſimiles effectus prouenire. Et minor apparet, nam ex rore per incorporationem ipſius intra teſtas conchæ generatur margarita, quæ ex niue, vel grandine maxima non poſſit generari. *Generatio margarita.*

Quintum. Quintò, quia impreſſiones aqueæ habent diuerſas definitiones: igitur ſunt diuerſarum ſpecierum. Tenet conſequentia, nam definitio dicit eſſentiam, &c. ideò alia & alia definitio dicit aliam & aliam eſſentiam. Et antecedens apparet in textu.

Oppoſitum. Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem, qui vult quòd omnia iſta idem ſint.

In iſta quæſtione primò dicendum eſt de niue, & modo generationis eius. Secundò, dicetur de rore.

ARTICVLVS I.

De niue, & modo generationis eius.

2. *Generatio niuis.* QVantùm ad primum dicendum eſt quòd nix generatur per iſtum modum, quia vapor groſſus per calorem Solis eleuatus ſuperiùs in magna multitudine, vſque ad mediam regionem aëris, ibidem condenſatur per frigiditatem mediæ regionis, & priùs congelatur quàm conuertatur in aquam, & ſi priùs conuerteretur in aquam, tunc efficeretur pluuia. Ex quo patet quòd nix & pluuia conueniunt, primò, eò quòd vtraque ſit ex vapore groſſo, eleuato in magna multitudine. Secundò, conueniunt, quia vtraque fit à calore eleuante iſtum groſſum vaporem. Tertiò, quia vtraque fit à frigido vaporem condenſante. Quartò, conueniunt in loco generationis, nam vtraque fit in media regione aëris. Per hoc differunt à rore, grandine, & pruina. Quintò conueniunt, quia vtraque fit ex eadem nube, quæ primò conuertitur in niuem, & poſtea cadens deorſum, inueniens caliditatem inferioris regionis liqueſcit, & cadit pluuia; cuius ſignum eſt, quòd in iſtis montibus altis priùs ningit in cacumine, quàm in pede montis. Et ex hoc poteſt reddi cauſa, quare in aliquibus montibus nix eſt quaſi perpetua, vel ſaltem longo tempore durat: cauſa eſt, quia ibi aliquo tempore cecidit nix, & propter defectum caloris diſſoluentis longo tempore durat non corrupta, & ſic patet in quibus conueniunt nix & pluuia. *Quomodo priùs generatur nix ex nube, & per deorſum pluuia.*

3. *Obiectio 1.* Sed contrà obiicitur, primò, quia ſi nix fuerit in media regione aëris, ſequeretur quòd ſemper caderet in figura rotunda. Conſequens eſt contra experientiam. Et probatur conſequentia, ſicut probat Ariſtoteles de grandine *in iſto primo*, quia non videtur quare nix poſſit deſcendere in tanta diſtantia, quin partes angulares deponerentur per confricationem, & per conſequens debet rotundari. Secundò, ſequeretur quòd nunquam caderet nix niſi cum pluuia. Conſequens contra experientiam, & probatur conſequentia; quia non videtur quòd nix poſſit à tanta diſtantia deſcendere, quin aliquæ partes eius liquefiant, & conuertantur in aquam. *Secunda.* Tertiò, ſequeretur quòd in media regione non generaretur pluuia, quia ſemper eſt ibi frigus ita intenſum, quòd priùs debet vapor congelari, quàm conuertatur in aquam. *Tertia.*

Reſp. ad 1. Ad iſta, & ad primum negatur conſequentia, quia nix eſt valde leuis in comparatione ad alias impreſſiones aqueas, & ideò caſus eius deorſum eſt valdè lentus, nam propter tarditatem motus ipſius non oportet partes angulares ipſius reſecari per confricationem ad aërem.

Ad 2. Ad ſecundum dicitur eodem modo, quòd motus eſt ita lentus, quòd nec mobile, nec medium calefit ex tali motu.

Ad 3. Ad tertium, dico quòd nunquam in media regione aëris generatur pluuia, niſi vapor, ex quo generetur, priùs conuertatur in niuem, & quòd nix iſta cadens deorſum vſque ad nos maneat nix, requiritur intenſa frigiditas congelans vaporem, priuſquam conuertatur in aquam, & ſufficiens frigiditas per totum medium, quo nix debet deſcendere, ita quòd calor medij non liquefaciat niuem.

4. *Nix & pluuia differunt quoad tempus.* Tunc de differentiis niuis & pluuiæ, dico quòd differunt primò, quoad tempus ſuæ generationis, quia nix ſolùm generatur in hyeme, ſed pluuia indifferenter in diuerſis partibus anni. Cauſa eſt, quia nix non deſcendit ad nos, niſi fuerit continua frigiditas à terra vſque ad mediam regionem; modò talis frigiditas, ſaltem ſufficiens, non poteſt continuari, niſi in hyeme.

Secun

In modo generationis. Secundò differunt in modo generationis, quia nix generatur per congelationem vaporis, sed pluuia per conuersionem vaporis in aquam.

In colore. Tertiò differunt in calore, quia pluuia habet colorem aquæ, saltem vt in pluribus, sed nix est alba: cuius causa est duplex, primò, quia fit ex materia transparente quodammodo, & disposita ad lucem, & talis debet apparere alba. Alia causa, quia frigiditas valde intensa agens in materiam humidam, supra quam totaliter obtinet, vel saltem pro maiori parte, nata est albefacere; ideò videmus quòd in partibus Septentrionalibus corpora animalium sunt magis alba, quàm in partibus meridionalibus; modò in generatione niuis frigiditas est valde intensa, & vapor in quem agit est humidus.

In figura. Quartò, quia differunt in figura, quia pluuia cadit in figura sphærica; sed nix cadit quodammodo sicut lana, vel aliquoties secundùm figuram quorundam florum, & reddere causam eius oportet recurrere ad influentiam cæli.

5. Quintò differunt, quia nix est frigida & sicca, & pluuia est frigida & humida. Causa primi est, quia priusquam vapor sit perfectè humefactus, ex quo nix generatur, congelatur.

In continuatione. Sextò differunt in continuatione, quia sæpiùs continuantur sibi inuicem casus pluuiæ, quàm casus niuis. Causa est, quia terra madefacta per pluuiam magis disposita est ad generationem pluuiæ, & ab illa terra plures vapores eleuantur; sed vt in pluribus post casum niuis nix congelatur, & prohibetur ascensus vaporis ex tali congelatione, ideò terra minùs disponitur ad generationem niuis, & per consequens pluuia diuturnior est niue.

Nix & pluuia differunt specie. Septimò respondendo ad quæsitum, potest dici quòd non differunt specie, probatur, quia non illud quod est de natura aëris differt ab eo, quod est de natura aquæ; sed nix est de natura aëris, & pluuia de natura aquæ; igitur, &c. Maior patet, quia aër non specificè differt ab aqua. Et minor patet, quia nix est vapor congelatus; modò vapor congelatus non differt specificè à vapore non congelato, quia sola congelatio non diuersificat speciem; modò vapor non congelatus est de natura aëris.

6. *Obiectio prima.* Contra ista obiicitur, primò contra hoc, quod dicitur quòd nix est sicca magis quàm pluuia, quia videmus ad experientiam quòd aquæ magis augmentatur post casum niuis, quàm post casum pluuiæ, quod non esset, nisi nix esset magis humida. Tenet consequentia, quia aqua non augmentatur nisi mediante humido.

Secunda. Secundò contra hoc, quod dicebatur, quòd terra madefacta magis disponitur ad generationem pluuiæ, quia tunc sequeretur quòd pluuia deberet perpetuari continuè: consequens est contra experientiam: & patet consequentia, ex quo terra madefacta magis disponitur ad pluuiam, quàm non madefacta.

Tertia. Tertiò, si nix esset de natura aëris, sequeretur quòd propter solam actionem caloris in aërem posset ex aëre generari aqua. Consequens falsum, quia aqua non generatur ex aëre, nisi per condensationem, modò calor potiùs habet rarefacere, quàm condensare, & patet consequentia, quia niue per solam actionem caloris generatur aqua.

Resp. ad 1. Ad ista. Ad primum, dico quòd augmentatio aquarum per niues non prouenit ex maiori humiditate niuis quàm pluuiæ, sed prouenit ex hoc, quia niues, quasi simul liquefiunt in cumulo, & quodammodo repentè intrant aquam; sed aqua pluuialis paulatim intrat aquam, ideò minùs benè potest apparere augmentatio per pluuiam, quàm per niuem.

Ad 2. Ad secundum, concedo quòd pluuia perpetuatur, non continuè, sed discontinuè; & ista discontinuitas quandoque est parua, quandoque magna, secundùm constellationem supracælestium, quæ sibi inuicem succedunt, à quibus natæ sunt prouenire niues, vel pluuiæ.

Ad 3. Ad tertium, conceditur quòd aër, vel aliquid de natura aëris, potest aliquando disponi in qualitatibus, quòd per solam actionem caloris potest conuerti in aquam; sed de aëre puro, vel satis propinquo ad aërem purum non est possibile. Hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De generatione roris, & de eius accidentibus.

7. *Ros vnde generetur.* QVantùm ad secundum, sciendum quòd ros generatur ex vapore subtili. Vnde materia roris inter materias omnium impressionũ aquearum est materia magis subtilis, cuius signum est, quia propter sui subtilitatem faciliùs resoluitur à calore Solis. Secundum signum est, quia propter subtilitatem roris ex ipso generatur lapis pretiosus, vt margarita, quæ tamen non potest generari ex aliis impressionibus.

Quomodo generetur. Secundò sciendum de modo generationis roris, qui est talis. Vnde de die per calorem Solis eleuantur tales vapores subtiles, maximè ante occasum Solis, qui superueniente frigiditate noctis condensantur, & conuertuntur in aquam infrà mediam regionem aëris satis propè terram, qui vapores sic conuersi in aquam cadunt per partes insensibiles ad terram, quæ partes insensibiles generantur, & congregantur super herbas, & faciunt guttulas sensibiles.

8. *Eius accidentia.* Tunc de accidentibus roris: primò enim accidit quòd ros non videtur cadere super pulueres terræ, vel supra tegulas, nisi rarò. Causa est, quia in rei veritate ibi cadit ros, sicut in aliis partibus, tamen partes insensibiles istius roris, sicut continuè cadunt, sic continuè desiccantur à siccitate pulueris, & tegularum.

Secundò contingit quòd ros non fit tempore nebuloso: causa est, quia propter grossitiem nebularum, prohibetur vapor, ita subtilis sicut ros, eleuari.

Tertiò, contingit quòd ros non fit tempore ventoso, causa est, quia materia roris propter sui subtilitatem dissoluitur à vento.

Quartò, accidit quòd ros non fit tempore hyemis frigido, quia tunc vapor iste vel prohibetur ne possit eleuari, vel priùs congelatur, quàm conuertatur in aquam.

Quintò, nec ros fit tempore nimis calido, quia tunc propter intensionem caloris materia consumitur. Ex quo patet quòd ros non fit nisi temporibus, & locis temperatis, claris, & tranquillis, hoc accidit, quia ros est signum serenitatis; causa est, quia in generatione roris eleuantur vapores subtiles, & non vapores grossi, qui sunt materia pluuiarum.

Sextò accidit quòd ros habet quandam dulcedinem, quasi mellis, sibi admixtam. Causa est propter digestionem alicuius terrestris cum aqua roris; & quòd quandoque tale terrestre misceatur rori, patet per signum; quia quandoque videmus per herbas illud terrestre ad modum farinæ albæ puluerizatæ, & quandoque ad modum mellis conglutinati vapori subtiliori resoluto: & secundùm Albertum, talis ros interficit herbas, & omnes ex eò comedentes putrefiunt interiùs. Patet igitur quis est modus generationis roris, & quæ sunt accidentia eius.

9. Sed de differentia roris ad alias impressiones omnes aqueas, potest dici quòd ros est eiusdem speciei cum pluuia, & grandine, & ista fiunt ex eadem materia propinqua, & ab agente consimili. Secundò, dato quòd differt specificè à niue & pruina, probatur sicut primò de pluuia. Et hoc de secundo.

Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam, potest negari maior, quia diuersitas generationis secundùm locum & tempus potest prouenire ex diuersitate materiæ secundùm grossum, & leue, & diuersitate agentis secundùm intensum & remissum. Et eodem modo ad alias.



QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm grando magis debeat fieri Vere, & Autumno, quàm hyeme, & æstate?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia grando nullo modo debet fieri, igitur non potiùs vno tempore, quàm alio. Consequentia nota est. Et antecedens probatur, quia vel vapor priùs conuertitur in aquam, ex quo generatur grando, quàm congelatur, vel è contrario: si priùs congeletur tunc fit nix, & per consequens non grando. Si priùs conuertatur in aquam, sequitur quòd aqua ista descendet deorsum, nec expectat vlteriùs donec congeletur.

Secundum. Secundò, quia grando fit à frigitate intemperata: ergo non fit temporibus temperatis, quæ sunt Ver, & Autumnus. Consequentia tenet; quia tempore temperato non est aliqua qualitas intemperata, quia dato quòd sic, iam esset tempus temperatum. Et antecedens apparet per Aristotelem in textu, & per Albertum, qui voluit quòd grando fiat ex excellenti frigiditate.

Tertium. Tertiò, quia grando fit ab excellenti frigido; vel à frigido remisso; si ab excellenti, cùm in hyeme sit frigiditas magis excellens, sequeretur quòd in hyeme potiùs deberet generari grando, quàm aliis temporibus; si à frigido debili, tunc illud non sufficiet congregare vaporem conuersum in aquam, & per consequens non generabitur grando.

Quartum. Quartò, si illo tempore debet grando generari, & sæpiùs, in quo est intensior frigiditas causata per antiperistasin à calore circumstante; sed hoc est in æstate; igitur in æstate magis debet fieri grando, quàm Vere, vel Autumno. Maior patet ex modo generationis grandinis. Et minor patet, quia in æstate est maior calor circumstans nubem aquosam.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In ista quæstione primò videndum est de pruina, & modo generationis eius, nam priùs visum est de aliis impressionibus aqueis. Secundò videbitur de quæsito. *Opposit.*

ARTICVLVS I.

De pruina & modo generationis eius.

QVantùm ad primum, sciendum quòd pruina generatur ex vapore modico, & subtili, eleuato per calorem in inferiorem partem regionis aëris, qui vapor priusquam sit sufficienter humefactus, congelatur, & congelatus cadit secundùm partes insensibiles. Ex quo patet quòd ros & pruina conueniunt in materia, in qua generantur, quia vtrumque generatur ex vapore modico & subtili. Secundò conueniunt in loco suæ generationis, quia vtrumque generatur in inferiori regione aëris. Tertiò conueniunt in modo cadendi, quia tam ros, quàm pruina cadit secundùm partes insensibiles. Quartò, conueniunt in aliquibus qualitatibus temporis, quia vtrumque fit tempore sereno existente tranquillitate. 2. *Pruina vnde generetur.* *Conuenit cum rore.*

Sed differunt, primò, quia ros ingrossatur à debiliori frigido, & pruina ab intensiori. Secundò differunt, quia pruina fit tempore frigido, sed ros in tempore calido, vel saltem temperato tendente ad caliditatem. Tertiò differunt in modo generationis, quia materia pruinæ priùs congelatur, quàm conuertatur in aquam, sed è contrà est de materia roris. Quartò, differunt in colore, quemadmodum nix & pluuia, & eadem est causa albedinis pruinæ & niuis. Quintò differunt, quia ros est signum serenitatis, & pruina est signum futuræ pluuiæ. 3. *Differt à rore.*

Causa potest esse, quia ad generationem pluuiæ concurrunt duo, vt dictum est, scilicet multitudo vaporis supra terram, & intensio caloris ad illum eleuandum; modò cùm ros fiat tempore calido, signum est quòd non est defectus caloris sufficientis eleuare vapores, & cùm tunc non fiat pluuia, oportet quòd sit defectus vaporis, ex quo pluuia deberet generari; modò defectus vaporis grossi, ex quo pluuia nata est generari, est signum serenitatis; sed quia pruina fit tempore frigido, in quo est abundantia vaporis grossi, ideò cùm tunc non fiat pluuia, signum est quòd est defectus caloris sufficientis eleuare istos vapores grossos, & quia calor tunc eleuat vapores subtiles, à quibus generatur pruina, signum est quòd calor incipit fortificari, & intendi; & cùm non possit tantùm intendi, vt sufficiat vapores consumere propter frigiditatem temporis, ideò ipsos tunc sufficit commouere; modò commotio vaporis sine consumptione est causa pluuiæ, & ideò pruina est signum pluuiæ futuræ.

Sed contrà ista obiicitur, quia dicebatur quòd ros, & pruina conueniunt in loco suæ generationis, eò quòd vtrumque fit in inferiori regione aëris; sed contrà arguitur, quòd ros non fit in inferiori regione aëris; quia si sic, sequeretur quòd generatio roris non impediretur per nubes: consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia nubes sunt in media regione aëris, 4. *Obiectio 1.*

aëris,& ros per te generatur citra mediam regionem; igitur generatio roris non poteſt impediri à nube.

Secunda. Secundò, ſi ros generaretur in inferiori regione aëris, vel hoc eſſet hyeme, vel æſtate; non in hyeme, quia totus aër à terra vſque ad mediam regionem eſt continuè frigidus per hyemem, & per conſequens vapor iſte priùs congelaretur, quàm conuerteretur in aquam. Nec in æſtate, quia tunc propter calorem diſſolueretur materia; & ideò dicit Ariſtoteles quòd ros non fit tempore nimis calido: modò inter cætera tempora æſtas eſt tempus calidiſſimum.

Tertia. Tertiò, quia ros generatur altiùs quàm pluuia, ideò ros non generatur in inferiori regione aëris. Conſequentia tenet, quia pluuia generatur in media regione aëris, vt priùs dicebatur. Et antecedens probatur, quia illud altiùs aſcendit, ſeu generatur, cuius materia eſt ſubtilior & leuior; modò materia roris ſubtilior eſt, & leuior materia pluuiæ; igitur, &c. Maior patet, quia leuitas cum ſubtilitate eſt cauſa motus ſurſum; & minor patet, quia per hoc differunt ros & pluuia.

Quarta. Quartò, quia ſicut ſe habet aër ad aquam, ita ros ad pluuiam; ſed aër natus eſt aſcendere ſuper aquam; igitur & ros ſuper pluuiam. Maior patet, quia ros eſt de natura aëris, cùm ſit calidus & humidus, ſecundùm Albertum. Et pluuia de natura aquæ, cùm ſit frigida, & humida.

Quinta. Quintò, dicit Albertus *ſuper iſto primo*; quòd ros generatur in ſuperiori regione aëris.

5. *Ros nō poteſt generari in ſuperiori regione aëris.* Ad iſtud dubium, dico primò, quòd ros non poteſt generari in ſuperiori regione aëris. Probatur, quia vbi materia roris non poteſt pertingere, ibi non poteſt generari: ſed materia roris non poteſt pertingere ad ſuperiorem regionem aëris. Maior patet, quia nil generatur ſuper ſuo principio materiali. Et minor apparet, quia materia iſta cùm ſit ſubtilis, priùs ingroſſaretur à frigiditate mediæ regionis, quàm pertranſiret, & iteratò repelleretur deorſum.

Secundò, quia ſuperior regio aëris eſt perpetuò calida, igitur in ſuperiori regione non poteſt generari ros. Tenet conſequentia, quia immediatum principium roris effectiuum eſt frigiditas condenſans vaporem ſubtilem. Et antecedens apparet ex iſto primo.

Secundò, dico quòd ros non generatur in media regione. Probatur, quia materia roris non poteſt ibi pertingere; igitur, &c. Conſequentia tenet ſicut priùs. Antecedens apparet, propter ſubtilitatem materiæ roris, & intenſionem frigiditatis mediæ regionis, vapor iſte ſtatim conuerteretur in aliquod durum, ſiue materiam duram, vt glaciem tenuem, aut pruinam duram. Secundò, ſi generaretur in media regione, ſequeretur quòd caderet ſecundùm guttas ſenſiles. Et probatur conſequentia, quia deſcendendo de loco tam alto, guttæ per motum ſibi inuicem continuarentur, ſicut dicebatur de pluuia.

Ex iſtis ſequitur quòd ros generatur in inferiori regione aëris, cuius ſignum, quia ſuper montes altos non cadit ros.

6. *Ad 1. obiect.* Tunc ad inſtantias. Ad primam, *ſequitur quòd nubes ſuperior*, &c. Negatur conſequentia, quia nubes impedit eleuationem vaporis propter interpoſitionem ipſius inter calorem Solis, & terram.

Ad 2. Ad ſecundam, *vel in æſtate*, &c. Dico quòd in æſtate, & quando dicitur illud eſt tempus calidum, dico quòd ros non generatur in meridie, quando eſt intenſa caliditas; ſed generatur circa occaſum Solis, cùm calor fuerit remiſſus, & quodammodo temperatus, & ſic non generatur in tempore nimis calido.

Ad tertiam, *quia ros altiùs*, &c. Negatur antecedens, & ad probationem, *quia eius materia*, &c. Dico quòd materia roris, quantùm eſt de ſe nata eſſet altiùs aſcendere, ſed impeditur à frigiditate modica, quam inuenit in inferiori parte regionis aëris, quæ couuertit ipſum in aquam, & propellit deorſum. *Ad 3.*

Ad quartam, *ſicut*, &c. Negatur maior, quia quamuis res ſit de natura aëris, in hoc quòd eſt calidus & humidus, tamen veraciter eſt aqua, ſicut & pluuia. *Ad 4.*

ARTICVLVS II.

De grandine.

QVantùm ad ſecundum de grandine, videndum eſt de loco generationis grandinis, de materia, de modo generationis, & de figura ipſius. 7.

De loco, dico quòd duplex eſt locus, in quo poteſt generari grando. Primò enim quandoque generatur in media regione aëris, ſuperiùs quàm ſit generatio pluuiæ. Cauſa eſt, quia vapor, ex quo generatur grando, eleuatur ex forti calore, ideò altè poteſt aſcendere ſurſum. Et quòd ibi generetur grando, innuit Albertus, & poteſt elici ex antiqua tranſlatione. Alter eſt locus generationis grandinis, ſcilicet inferior regio aëris, ſed quando vapor groſſus, qui eſt materia grandinis propellitur à frigiditate mediæ regionis vſque deorsùm, & ibidem propter circumſtantiam caloris, & per antiperiſtaſin congelatur; ſed dico quòd ſæpiùs generatur grando in loco ſecundo, putà in inferiori regione aëris: cuius ſignum eſt primò, quòd in montibus altis non cadit grando, quod non eſſet, ſi grando fieret multùm altè à nobis. Secundò, quia in caſu grandinis audimus ſonum factum in nube, ex qua grando generatur, & non eſſet, ſi nubes illa eſſet multùm remota. *Grando vbi generetur.*

Tertiò, quia in pluribus cadunt grandines cornutæ, angulares, non perfectè ſphæricæ, & hoc non eſſet, ſi grandines iſtæ caderent de loco multùm alto.

Secundò, ſciendum de modo generationis. 8.
Dico quòd quando generatur in media regione aëris, non generatur immediatè per antiperiſtaſin, ſed quia quòd locus ille multum eſt frigidus propter antiperiſtaſin, ideò vaporem eleuatum in ipſo faciliter congelat frigidum illius loci, priùs tum conuertit vaporem in aquam, quàm congeletur; & ad hoc multū facit præcalefactio vaporis; nam calefacta faciliùs præcōgelantur, vt patet de aqua calefacta, quæ citiùs congelatur quàm aqua frigida. Sed in inferiori regione aëris generatur per iſtū modum, quia ex vaporibus eleuatis ſuperiùs congelatur nubes in inferiori regione aëris, quæ habet frigiditatem quandam connaturalem ſibi ratione aquæ, à qua eleuabatur, quæ frigiditas ratione caloris vndique circumſtantis intenditur per antiperiſtaſin, ita quòd partes nubis fugiendo contrarium corrumpunt inter ſe, & per talem *Quomodo.*

 inten

intensionem frigiditatis partes nubis conuertuntur in aquam, & postea congelantur priusquàm pertranseant nubem.

Quòd autem vapor conuertatur in aquam priusquàm congeletur, signum est, quia grando faciliùs est conuertibilis in aquam quàm nix, sicut dicit Albertus.

Secundum signum est, quia videmus ante casum grandinis cadere quasdam guttas pluuiæ grossas. Causa est, quia partes inferiores nubis conuersæ in aquam descendunt, & priùs veniunt ad locum calidum descendendo, quàm congelentur à frigido.

9. *Quando.* Tunc de tempore generationis grandinis, dico quòd grando non habet fieri in hyeme, primò, non in inferiori regione aëris, quia tunc nulla causa est per antiperistasin, per quam fortificetur frigiditas per calorem circumstantem: modò deficiente causa deficiet & effectus; nec etiam in media regione, quia ibi rarò fiunt. Similiter in hyeme non est vapor multùm calefactus, quemadmodum in æstate. Secundò, dico quòd etiam in æstate non fiunt grandines, saltem consequenter, quia vapores consumuntur propter intensionem caloris, sed temporibus intermediis, Autumno, & Vere, benè possunt fieri.

Ex quo sequitur quòd in regionibus australibus benè fiunt grandines in hyeme, quia hyemis in regionibus australibus est complexionata illis, sicut tempora intermedia sunt complexionata nobis; modò positâ causâ ponitur effectus.

Item sciendum, quòd quandoque auditur sonus in casu grandinis, & hoc est propter motum vaporis hinc inde infra nubem, & propter confricationem grandinum ad medium, ad quod descendunt, vel ad se inuicem.

10. *Qua figura.* De figura, dico quòd quandoque apparent sub figura triangulari, sed tunc signum est quòd veniunt de loco basso prope terram. Et quandoque descendunt sub figura sphærica, & tunc signum est, quòd sint de loco magis alto, & quandoque formata est in iis imago animalis; & tunc requirendo causam illarum, recurrendum est ad corpus cœleste. Tunc grandines differunt magnitudine; nam quandoque cadunt grossiores, quandoque minores.

Causa grandinis. Patet igitur quæ sunt causæ grandinum, nam materialis causa est vapor grossus; causa efficiens immediata est frigiditas agens in illum vaporem; sed mediata est calor circumstans illum vaporem; causa formalis, vel est forma aquæ, vel alicuius mixti imperfecti, quæ est propinqua formæ aquæ. Causa finalis est adæquatio elementorum, & irrigatio terræ, vel generatio mixtorum.

Accidentia. Patet etiam de accidentibus grandinis, quæ sunt, magnitudo, figura, color, sonus, locus, tempus, & grossities.

11. *Dubium 1.* Sed circa hoc dubitatur, primò, quare vapor, qui est materia grandinis, priùs conuertatur in *Responsio.* aquam, quàm congeletur? Causa est abundantia humoris in isto vapore, & grossities ipsius, nam vapor iste non est ita subtilis, sicut est materia niuis, ideò per grossitiem, & humiditatem conuertitur in aquam.

Dubium 2. Secundò dubitatur, quare non est aliqua impressio correspondens grandini, quemadmodum pruina correspondet niui, & ros pluuiæ, quia vapor conuersus in rorem potest postmodùm, vt videtur, congelari, quæ congelatio se habet, respectu grandinis, quemadmodum pruina respectu niuis?

Solutio. Dicitur quòd causa est ista, quia vapor subtilis eleuatus superiùs, vel primò congelatur antequam conuertatur in aquam, & tunc est pruina, vel è contra; & est ros; vel primò conuertitur in aquam, & postea congelatur, & tunc non est differentia inter ipsum, & pruinam, imò est sicut pruina quædam grossa. Vel potest dici quòd non est possibile rorem congelari, quia ros non generatur nisi de sicco, superueniente frigiditate noctis, modò de nocte in æstate non est antiperistasis, per quam possit intendi frigiditas in inferiori regione aëris.

Tertiò dubitatur, quare grando non generatur prope terram, & in inferiori regione aëris? 12. *Dubium 3.* Causa est, quia grando non generatur nisi in *Solutio.* æstate, vel in temporibus intermediis, quando non est intensa caliditas, & tunc prope terram est intensior caliditas, quæ continuè eleuat vaporem, propter sui intensionem, ideò vapor non potest ibi manere. Alia causa potest esse, quia vapor iste non est sufficienter digestus, seu dispositus, vt ab ipso generetur grando.

Quartò dubitatur, quare quandoque circa *Dubium 4.* grandines apparet quasi forma alba ad modum pruinæ, & circundare globum grandinis. Cau- *Solutio.* sa est, quia grando in descensu suo obuiat multis vaporibus ascendentibus sursum, quos præ sui frigiditate congelat, & vapores illi congelati adhærent grandini, & ipsum circumstant, & sic cum grandine quandoque cadit pruina.

Ad rationes. Ad primam, *vel vaporis*, &c. Di- 13. *Ad 1. argum. principale.* co quòd vapor priùs conuertitur in aquam, quàm congelatur, propter grossitudinem vaporis, & abundantiam humiditatis in ipso. & quando dicitur ista caderet deorsum, concedo quòd continuè cadit deorsum, cùm motus congelationis propter eius velocitatem semper præcipitet motum localem. Et si obiicitur quòd descensus ille, cùm sit quidam motus, erit alicuius caloris, concedo, tamen frigefactio est motus intensior.

Ad secundam, *partibus temperatis*, &c. Dico *Ad 2.* quòd imò, quia quamuis sit temperatum, tamen per antiperistasin potest fieri qualitas intemperata, sicut frigiditas, à qua causatur grando.

Ad tertiam, dico quòd fit intenso frigido. & *Ad 3.* quando dicitur, in hyeme, dico quòd in hyeme non est antiperistasis, quæ requiritur ad generationem grandinis.

Ad quartam, *quando*, &c. Verum est, nisi ca- *Ad 4.* lor iste esset nimis intensus, & consumptiuus vaporis.



QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm rubedo matutina sit signum pluuiæ?



ARGVITVR quòd non, quia rubedo 1. *Arg. primũ.* matutina est signum siccitatis: igitur non est signum pluuiæ. Tenet consequentia, quia pluuia generatur ex causa humida. Et antecedens apparet, quia rubedo causatur ex permixtione lucis cum humiditate adusta, quæ est causa siccitatis.

Secundò,

Secundum. Secundò, si sic, hoc maximè esset rubedo Solis de manè orientis, vt communiter dicitur: sed hoc non, quia rubedo Lunæ non designat pluuiam; igitur nec rubedo Solis. Tenet consequentia, quia idem videtur esse iudicium vtriusque. Et antecedens apparet, quia ex rubedine Lunæ nullus accipit signum.

Tertium. Tertiò, rubedo vespertina est signum serenitatis; igitur & rubedo matutina. Tenet consequentia, quia causæ consimiles videntur esse vtrobique. Et antecedens apparet ad experientiam.

Oppos. Oppositum arguitur per experientiam, & per Aristotelem in litera.

In ista quæstione primò videbitur de diuersitate signorum in generali. Secundò videbitur specialiter de signis apparentibus in cælo. Tertiò de signis pluuiæ apparentibus in aëre. Quartò, de signis pluuiæ repertis hîc inferiùs in corporibus inanimatis. Et quintò, de repertis in corporibus animatis.

ARTICVLVS I.

De diuersitate signorum in generali.

1. QVantùm ad primum, sciendum quòd signum est relatio ad signatum; & ideò signum est, per quod deuenimus ad significationem signati; sicut per fumum deuenimus in cognitionem ignis.

Secundò, sciendum quòd quædam sunt signa rei futuræ, & quædam rei præteritæ. Item, quædam sunt signa rei futuræ, quæ propè est futura, & quædam illius, quod à longinquo est futurum. Item, sciendum quòd quædam sunt signa, quæ causæ sunt rei signatæ, sicut in proposito constellationes, saltem aliquæ, sunt signa, & etiam plurimæ.

Alia sunt signa, quæ sunt effectus rei signatæ, sicut fumus est signum ignis, & effectus ipsius. Item, aliquod est signum alterius, quando ista communiter se habent quantùm ad sui generationem, ita quòd quodlibet poterit esse causa alterius, quantùm ad sui generationem, vel ita, vt in pluribus, ventus est signum pluuiæ futuræ, & è contrà, vt in pluribus magnus ventus terminatur per pluuiam, & è contrà, sicut dicitur in litera. Tunc igitur de signis pluuiarum, quæ sunt causæ effectiuæ pluuiarum, sicut sunt constellationes cæli, non spectant ad istam scientiam, sed ad Astrologiam de iudiciis, & de illis fiunt quidam tractatus, qui dicuntur, *De impressionibus aëris*, ideò dimittantur, tamen dicunt ipsi, quòd Sol, & Luna inter cæteros planetas, & stellas faciunt ad generationem pluuiæ, dein quædam stellæ fixæ, & posteà inter planetas Saturnus, & Mercurius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De signis apparentibus in cælo.

3. Primũ signũ pluuiæ apparens in cælo. DE secundo, dico quòd magnitudo Solis orientis de manè est signum pluuiæ. Causa est, quia signum est, quòd exhalationes, & vapores ponuntur inter visum nostrum, & Solem, propter quos prohibetur visio Solis, & quia hoc fit sine nube, signum est quòd vapores illi, & exhalationes, non sunt eleuati ad locum frigidationis, scilicet ad mediam regionem aëris; ideò oriente Sole vapores superiores consumuntur à calore Solis, & vapores infrigidantes, & reuertentes ad primam naturam cadunt deorsum, & sic circa meridiem, vel ante sequitur pulchra dies.

Secũdò, quia Sol de manè lucet clarè, & circa ipsam apparet nubes nigra, longa, & extensa, quam Sol ingreditur; si tunc Sol obscuretur, non oportet vt significet pluuiam; causa est, quia si Sol obscuretur, signum est multitudinis vaporum eleuatorum superiùs, & quòd calor Solis est impotens consumere istum vaporem, quia de manè calor Solis est magis eleuatiuus, quàm consumptiuus; modò abundantia materiæ superiùs est causa pluuiæ. Secundum.

Tertiò, rubedo Solis de manè orientis signat pluuiam; sed rubedo Occidentis signat serenitatem; causa est, quia lux visa per nigrum terrestre facit apparere rubedinem, vt patet de Sole viso per fumum ignis; ideò cùm de manè Sol apparet rubeus, multæ exhalationes, & vapores interponuntur inter visum nostrum, & Solem, quia tunc est impotens consumere istos vapores, signum est quòd conuertantur in pluuiam; sed non sic est de rubedine vespertina; tunc est signum quòd vapores illi, & exhalationes interpositi inter nos & Solem cadunt super terram propter frigiditatem noctis. Tertium.

Quartò, pallor, vel flauitas Solis orientis designat pluuiam. Causa est, quia tunc multi vapores eleuati sunt inter nos, & Solem, & propter pororum aquositatem apparet pallor, & non rubedo. 4. Quartum.

Quintò, Ortus Solis nimis matutinus designat pluuiam, ita quòd diluculum matutinum sit minus solito. Causa est, quia tunc eleuati sunt multi vapores superiùs in aëre, ad quos refranguntur, & disperguntur radij Solis, propter quorum refractionem Sol existens sub horizonte apparet super horizontem, sicut patet de denario posito in pelui plena aqua, qui apparet visui ab aliqua distantia propter dispersionem, & refractionem radiorum denarij ad aquam, à qua distantia non videretur, si in pelui esset aër & non aqua. Quintum.

Sextò, corona circa Solem, vel Lunam, est signum ventorum, vel pluuiæ: causa, est quia corona, siue halo causatur ex interpositione vaporis roridi inter visum nostrum, & astrum circa quod apparet; & maximè signum est verum, si corona ista apparet circa Solem; quia si appareat circa Lunam, & disgregetur illa corona, tunc est signum ventorum, sed si non disgregetur, tunc est signum pluuiæ. Sextum.

Septimò, parahelij signãt pluuiam, imò signant abundantiam humiditatis totius regionis, in qua apparent, & dicuntur parahelij, quia simul apparent in firmamento, duo, vel tres Soles, causa est, quia illi parahelij causantur ex multitudine vaporis diuisi, ad quem refranguntur radij Solis; modò multitudo vaporum est signum pluuiæ, & causa. Septimum

Octauò, raritas stellarum est signum pluuiæ. Causa est, quia cùm stellæ apparent minùs densæ solito, signum est quòd media regio aëris incipit spissari, propter cuius spissitudinem prohibetur visio plurium stellarum; modò inspissatio mediæ regionis signat pluuiam, non tamen de propè futuram, Octauum.

futuram, sed de longo, vt secundo, vel tertio die.

9. *Nonum.* Nonò, idem significat obtusitas cornuum in nouilunio. Causa est eadem cum præcedente, quia spissitudo aëris prohibet visionem acutiei cornuum, quæ tamen non sufficit prohibere visionem aliarum partium. Et hoc de secundo.

Articvlvs III.

De signis pluuiæ apparentibus in aëre.

Primum signum pluuiæ apparens in aëre. De tertio, scilicet de signis pluuiæ apparentibus in aëre.

Primò, rubedo nubium serotina signat serenitatem, & matutina signat pluuiam, & causa est eadem cum ea, quæ signabatur de rubedine Solis.

Secundum. Secundò, frequens mutatio ventorum signat pluuiam, maximè quando simul venti feruntur ad opposita partes, verbi gratiâ, quando ventus hîc inferiùs circa nos vadit ad vnam partem horizontis, & nubes deferuntur ad oppositam. Causa est, quia signum est magnæ eleuationis, exhalationis, & vaporis.

Tertium. Tertiò, caligo ascendens superiùs signat pluuiam, sed descendens deorsum signat serenitatem. Causa est, quia caligo postquam ascendit superiùs conuertitur in nubem, quæ est materia pluuiæ, sed cùm cadit deorsum, relinquit aërem serenum, & calor Solis est sufficiens consumere vaporem eleuatum.

Quartum. Quartò, defectus roris signat pluuiam; & causa sumitur per oppositum causæ, quæ signabatur in alia quæstione, quare ros est signum serenitatis.

Quintum. Quintò, nebula est signum serenitatis; sed duplex est nebula, quædam præcedens pluuiam, & quædam subsequens. Nebula præcedens pluuiam signat pluuiam, & causa est, quia ista est materia pluuiæ: & signum est, quia tunc vapores congregantur. Sed nebula sequens pluuiam est signum serenitatis; causa est, quia cùm nubes est conuersa in aquam, in quantùm potest, non remanet aliquid, nisi quod est magis siccum, & rarum, & quasi ampliùs nō conuertibile in aquam; modò postquam non est materia conuertibilis in aquam signum est defectus pluuiæ.

Sextum. Sextò, multitudo pruinæ designat pluuiam, non tamen ita propè futuram. Causa est, quia per degelationem ipsius terra disponitur, vt sit apta ad eleuationem vaporis.

Septimum. Septimò, asperitas radiorum Solis, ita quòd subitò appareat calor intensus plus quàm solito; causa est, quia calor iste est valdè eleuatiuus vaporis; igitur Iris signat pluuiam modicam, & tamen de hoc in quæstionibus de Iride. Et hoc de tertio.

Articvlvs IV.

De signis pluuiæ repertis hîc inferiùs in corporibus inanimatis.

Signũ 1. pluuiæ in inanimatis. Qvantùm ad quartum. Primò eleuatio puluerum à terra in magna multitudine est signum pluuiæ & causa est, quia tunc est signum magnæ eleuationis, exhalationis, & vaporis.

Secundò, fragor arborum, & motus foliorum arborum sine vento signat pluuiam. Causa est eadem, quia tunc plures exhalationes eleuantur. *Secundum.*

Tertiò, scintillatio olei in lampade est signum pluuiæ. *Tertium.*

Quartò, mutatio coloris falcis, quâ tondentur prata, ita quòd si ferrum illius falcis mutetur in rubeum, nigrum, vel liuidum colorem, signat pluuiam. *Quartum.*

Quintò, desiccatio fontium, & fluuiorum, subitò facta, quia tunc signum est quòd ab eis eleuatur. *Quintum.*

Sextò, casus fuliginis in domibus. Et hoc de quarto. *Sextum.*

Articvlvs V.

De signis pluuiæ repertis in corporibus animatis.

De quinto, scilicet de signis repertis in corporibus animatis. *Signũ 1. pluuiæ in animatis.*

Primò, confricatio aurium asini. Causa est, quia in radicibus aurium sunt nerui quidam subtiles valdè, & modicum sensibiles tactui, & ideò, saltem quando aër incipit ingrossari, sentit confricationem istius grossitiei ad illos neruos, & tunc mouet aures confricando.

Secundò, præscitur pluuia ex saltu piscium aquæ dulcis super aquam. *Secundum.*

Tertiò, ex motu, vel fremitu delphinorum in mari, & hoc insinuat magnam tempestatem, & de istis & aliis sequentibus non potest reddi causa, nisi quòd huiusmodi animalia habent quendam instinctum naturalem ad ista præcognoscenda. *Tertium.*

Quartò, inconsuetus cantus ranarum. *Quartum.*

Quintò, præscitur pluuia ex volatu corui, quia tunc coruus volat cum sonantibus alis. *Quintum.*

Sextò, clamor cornicis cum eleuatione, & depressione colli, collum quodammodo elongando. *Sextum.*

Septimò, præscitur pluuia ex pastu animalium, quia tunc animalia robustiùs comedunt. *Septimum.*

Octauò, præscitur ex apertura concharum maris, & piscium motu, vt dicit author in proprietatibus elementorum: per istum modum generatur margarita in capite conchæ, nam concha in casu roris aperit se, accipiendo guttulas roris, quem cùm in copia recepit, se iteratò claudit, & tunc ex illo rore cum qualitatibus propriis, vnà cum influentia cæli generat margaritam. *Octauum.*

Nonò, insinuat pluuiam volatus hirundinum, quia tunc hirundines volant magis propè terram transuersim circumferendo. *Nonum.*

Decimò, præscitur pluuia ex ludo muscarum. *Decimum.*

Et ex istis apparet, quæ sunt signa pluuiæ, & quæ serenitatis. Et per hoc patet responsio ad quæsitum, quòd rubedo matutina est signum pluuiæ, & vespertina serenitatis, vt patet per dicta. *Conclusio quæstionis.*

Ad

Ad argum. 1. principale. Ad rationes. Ad primam, *Rubedo*, &c. Dico quòd quamuis significet siccitatem, tamen cum illis exhalationibus siccis eleuantur plures vapores aquei, qui sunt materia pluuiæ.

Ad 2. Ad secundam de rubedine Lunæ, Dico quòd si Luna appareat rubea in occasu Solis, & etiam propè occasum, tunc est signum serenitatis: si autem in ortu & propè ortum, est signum pluuiæ.

Ad 3. Ad tertiam, *quia rubedo vespertina*, &c. Dico quòd non est simile, quia rubedo vespertina signat exhalationes, & vapores descendere propter frigiditatem noctis; ideò si appareat rubedo, est signum serenitatis; sed si circa occasum apparet nubes magna, & spissa, signum est pluuiæ illius noctis, vel crastinæ diei, signum est multitudo vaporum eleuatorum in alto. Et hæc de quæstione.



QVÆSTIO XXV.

Utrùm fontes & fluuij generentur ex aqua pluuiali, congregatâ in visceribus terræ?

1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd sic. Primò, quia videmus quòd quidam fontes durant per annum, & alij non: modò hoc non esset, nisi quia illi plus durantes venirent ex maiori concauitate.

Secundum. Secundò, quia videmus quòd patriæ, in quibus modicè pluit, habent fontes, quod non esset, nisi fontes haberent ortum, vel principium ex aqua pluuiali.

Tertium. Tertiò, quia fontes augmentantur in tempore pluuioso, & diminuuntur in tempore sicco, quod non esset, nisi haberent principium ex aqua pluuiali.

Quartum. Quartò, in terræmotu apparent quidam fontes, qui priùs non apparuerunt, & hoc non est, nisi quia aperta est concauitas, in qua aqua concludebatur.

Quintum. Quintò, quia aliter non videretur quò deueniret aqua pluuialis.

Sextum. Sextò, quia sub terra inuenitur aqua, vel igitur illa præexistebat ex aqua pluuiali, & habetur propositum; vel generatur ex nouo, & tunc vel à calido, & hoc non, quia calidi potiùs est consumere aquam, quàm generare; vel à frigido, & hoc non, quia tunc tota terra debet conuerti in aquam.

Septimum. Septimò, si de nouo generatur infra terram, vel ascenderet ad orificia fontis naturaliter, vel violēter; non naturaliter, quia cùm aqua sit grauis, nō mouetur naturaliter sursùm; nec violenter, quia sicut aqua naturaliter descendit de aëre, ita videtur quòd naturaliter ascendit à terra, tanquam de loco sibi naturali.

Opposit. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In ista quæstione primò videbitur de loco, de quo veniunt fontes. Secundò videbitur si fontes fiant ex aqua pluuiali. Tertiò videbitur de modo generationis fontium.

ARTICVLVS I.

Unde veniant fontes?

QVantùm ad primum, sciendum quòd de loco, à quo veniunt fontes, erant tres opiniones. Vna Platonis, quæ posuit fontes venire à quadam charybdi existente sub terra. Secunda posuit, aquam ascendere ad ora fontium, per compressionem alicuius grauioris. Tertia posuit fontes venire à mari. 2.

Istis dimissis, sciendum quòd quatuor modis potest imaginari aquam ascendere. Vno modo simpliciter violenter, vt per rotas, vasa, & alia artificialia trahendo, vel expellendo. Alio modo naturaliter per compressionem alicuius grauioris, vt cùm terra pulurizata proiicitur in scyphum, aqua existens in scypho altiùs ascendit; eodem modo de vino, & aliis liquoribus, & hoc est pro tanto, quoniam natura ordinauit grauiora substare leuioribus. Terriò potest aqua ascendere per conductus, & canales, vt patet ad experientiam, Quartò, non solùm per motum localem, sed cum hoc per alterationem, sicut quando aqua euaporatur à calore, tunc enim vapor ascendit, qui conuertibilis est in aquam faciliter, & ideò dicitur aqua ascendere. *Fontes unde.*

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est contra primam opinionem, quòd aqua non ascendit ad ora fontium violenter primo modo. Probatur, quia non apparet ibi aliquod violentans, quia nec rotæ, nec vasa, nec alia artificialia, quibus aqua possit eleuari: nec est ibi ignis expellens, nec aliquid huiusmodi, vnde esset principium talis motus. 3. *Conclusio 1.*

Secundò, si sub terra esset talis charybdis, sequeretur quòd iam terra esset tota submersa. Consequens est contra experientiam. Probatur consequentia, quia grauiora nata sunt substare leuioribus, ideò terra cùm sit grauior aqua, nata esset descendere infra aquam.

Secunda cōclusio est, quòd aqua non ascendit ad ora fontium propter compressionem ab aliquo grauiori. Probatur primò, quia si sic, sequeretur quòd tota terra esset tandē submersa aquis. Consequēs falsum. Probatur consequentia, quia continuè per descensum terræ aqua fit eleuatior supra terram; igitur per talem continuum descensum, tandem aqua poterit eleuari supra totam terram. Secundò, quia multa corpora terræ, vnde proueniunt aquæ, sunt solida; igitur ex eis non exit aqua per compressionem alicuius grauioris. Tenet consequentia, quia compressio talis non fit nisi in terra pulurizata, ideò si terra tota pulurizaretur, tandem per talem compressionem circumdaretur aqua. Ex quo patet quòd imaginatio Senecæ non est vera, quâ imaginatur quòd per talem compressionem partium terræ quandoque fiet diluuium vniuersale: & etiam quando non appareret, vnde possit posteà desiccari. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio est, quòd aqua possit ascendere naturaliter per canales, & conductus, vsque ad altitudinem æqualem altitudinis illius loci, in quo aqua sic ascendens generabatur. istud patet ad experientiam. Nam si canalis per quem discurrit aqua, fiat altior loco generationis illius aquæ, non exiret de canali, sed potiùs exiret de fonte suę originis. Et causa quare vsque ad illum locum ascendit, 4. *Conclusio 3.*

ascendit, est grauitas partium aquæ existentium in sua regione. Ex isto sequitur quòd quamuis aqua ista dicatur ascendere, propriè tamen non est ascensus, sed semper est à loco altiori. Secundò, sequitur quòd in terra plana non possunt statui fontes, patet, quia tunc altiùs ascenderet aqua, quàm esset locus suæ generationis. & illud patet per experientiam, quia semper fontes sunt sub aliquo monte.

5. *Obiectio 1.* Et si obiiciatur primò, quòd alicubi videntur fontes in cacuminibus montium. *Secunda.* Secundò, quia in aliquibus terris sunt aquæ valdè profundæ in cacuminibus montium altissimorum, quorum tamen latera sunt dura & sicca. *Tertia.* Tertiò si in aliquo monte sit concauitas, cuius latera sunt densa, & compacta, & partes superiores sunt porosæ, pleneę meatibus, tunc aqua ibidem genita, non exiret à lateribus propter compactitatem ipsorum; igitur in tanta copia potest ibi aqua generari, quòd exeat per partes superiores, & per consequens aqua ascendit altiùs, quàm sit locus suæ originis.

Ad 1. Ad ista est dicendum. Ad primum, Dico quòd si fiant fontes in cacuminibus montium, aqua illorum montium generatur in monte altiori, & decurrit per quosdam aquæductus & canales, vsque ad os illius fontis.

Ad 2. Ad secundum dico quòd aqua illa in cacuminibus montium potest prouenire ex duobus, vno modo ex aqua pluuiali, ex niue, vel ex aliis impressionibus aqueis, quæ cadunt super illos montes, & tunc per frigiditatem mediæ regionis non est calor sufficiens istas humiditates digerere, sed ibidem remanent indigestæ. Ex quo potest hoc prouenire, scilicet ex spissitudine materiæ terrestris in illis montibus, antequam perueniatur ad lapides; modò materia illa mixta aquæ pluuiali efficitur mollis, & lutosa, ideò est ibi maior profunditas, quàm si totus mons esset saxosus.

Ad 3. Ad tertium, Dico quòd non est possibile concauitatum latera esse ita compacta, quin per ipsa possit aqua percurrere, & hoc dico, quia si essent ita compacta, tunc aqua ibidem existens putrefieret, & corrumperetur, vt non posset alia subintrare propter compactitatem laterum concauitatis.

6. Secundò sequitur ex quæstione, quòd mare non est locus originis fontium. Probatur, quia nunquam aqua statuitur in loco altiori, quàm sit locus suæ generationis, cùm mare non sit locus altior montibus, vnde procedunt fontes, imò nec etiam planis terræ, quia omnis aqua decurrit ad ipsa, tanquam ad locum decliuiorem.

Conclusio 4. Quarta conclusio est, quòd aqua ascendit quarto modo, vel non solum per motum localem, imò per euaporationem, vt patet ad experientiam, quia propter hoc super terra generantur niues, grandines, pluuiæ, rores & pruinæ, & infra terram fontes, & fluuij, vt posteà patebit. Concluditur igitur ex istis, quare aqua naturaliter ascendit ad orificia fontium, scilicet vsque ad altitudinem suæ originis, & hoc propter solum motum localem, sequitur quòd vaporando naturaliter ascendit per motum localem, & alterationem. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

An fontes fiant ex aqua pluuiali?

DE secundo sit conclusio ista, quòd fontes & fluuij non generantur ex aqua pluuiali, ita quòd aqua pluuialis congregata in concauitatibus terræ sit sufficiens principium generationis fontium & fluuiorum. 7. *Fontes & flumina non generantur ex aqua pluuiali.* Probatur consequentia, quia si ita esset, sequeretur quòd concauitates terræ, in quibus includuntur, essent altiores orificiis fontium: consequens falsum, quia tunc tota aqua interiùs congregata iaceret super orificium fontis, & sic hyeme, & æstate æqualiter fluerent fontes. Quemadmodum videmus quòd si os vasis pleni aquæ perforetur inferiùs, continuè decurrit æqualiter, donec non sit ampliùs aqua in vase. Et patet consequentia per tertiam conclusionem primæ partis, quia semper locus originis aquæ debet esse altior, vel saltem æquè altus loco exitus.

Secundò, quia si aqua pluuialis esset principium sufficiens &c. tunc fontes non possent persistere perpetuari, nisi tantùm per vnam pluuiam, vel plus esset restitutum, quàm exiret tempore præcedenti. Consequens falsum. quia in magnis siccitatibus inter duas pluuias plus aquę decurrit de vno monte, quàm sit tota grossities illius montis, si imaginaretur poni tota terra simul, quod non esset, si aqua esset inclusa simul in illo monte.

Tertiò, quia aqua pluuialis non inuenitur sub terra, nisi per decem pedes, vt vult Seneca *de naturalibus quæstionibus*, tamen aqua inuenitur sub terra plus quàm centum pedes fodientibus terram, quod non esset, si aqua illa inferior generaretur ex aqua pluuiali.

Quartò, quia videmus quòd per modicam partem pluuiæ humectatur terra, & ipsâ humectatâ residuum pluuiæ descendit ad flumina, & mediante ipsa flumina augmentantur, quod non esset, si multa pluuia congregaretur in visceribus terræ.

Quintò, quia videmus in locis montuosis vbi maximè generantur fontes, quòd aqua pluuialis cadit deorsum, propter densitatem montium. Similiter videmus quòd suprà quosdam fontes est magna spissitudo montis, quam non potest aqua pluuialis penetrare. Et hoc de secundo.

De tertio dicetur in alia quæstione.

Ad rationes. Ad primam, *quidam fontes*, &c. 8. Dico quòd causa est, quia illi fontes, qui durant per annum habent loca concauitatum, & pororum terræ sufficienter frigida ad conuertendum aërem inclusum, vel vaporem in aquam, & cum hoc habent sufficientiam talis aëris, vel vaporis; sed in illis qui modico tempore durant deficit altera istarum causarum. *Ad 1. argum. principale.*

Aliter dicitur, quòd fontes illi, qui non durant, non sunt veri fontes, sed fiunt ex congregatione aquæ pluuialis, & cùm ipsa deficit, & iste fons.

Ad secundam. Verum est pro tanto, quòd terra sicca minùs est disposita ad generationem aquarum, quàm terra frigida, & humida. *Ad 2.*

Ad tertiam, de augmentatione fluuiorum, dico quòd ista augmentatio non solùm venit ex *Ad 3.*

parte

parte pluuiæ, sed ex hoc quòd tempus est magis dispositum tam infra terram, quàm extrà ad generationem aquarum.

Ad 4. Ad quartam de terræmotu, dico quòd aqua ista generatur ibi de nouo, sed iam habet locum alium exitus, quàm antè habebat.

Ad 5. Ad quintam, *non videtur quò*, &c. Dico quòd pars consumitur à siccitate terræ, & pars resoluitur à Sole, & residuum cum fluuiis intrat mare.

Ad 6. Ad sextam. Concedo quòd generatur infra terram, sed non à calore euaporante, sed à frigiditate condensante.

Ad 7. Ad septimam, qualiter est motus naturalis, & qualiter est motus violentus, dictum est in quæstione.



QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm in concauitatibus terræ generetur aqua fontium ex aëre euaporato?



1. *Arg. 1.* RGVITVR quòd non, quia in terra non sunt aliquæ concauitates; igitur, &c. Tenet consequentia. Et antecedens probatur, quia terra est quoddam corpus homogeneum, quod non esset, si haberet concauitates, nam istæ replentur corporibus alterius rationis.

Secundum. Secundò, Terra est notabiliter frigida, igitur non habet concauitates. Consequentia tenet, quia frigiditas comprimit, & condensat, & antecedens apparet ex complexionibus elementorum.

Tertium. Tertiò, terra est similiter grauis, ergo non habet concauitates. Tenet consequentia, quia terra caderet inferiùs, infra illas concauitates, quia graue naturaliter tendit deorsùm.

Quartum. Quartò, nam infra terram non includitur aër; igitur aquæ fontium non generantur ex aëre incluso infra terram. Tenet consequentia de se; & antecedens probatur, quia aër cùm sit naturaliter leuis, natus est ascendere supra terram.

Quintum. Quintò, quia dato quòd aër esset ibi, non possit ibidem euaporare, quia non est ibi calidum euaporans.

Sextum. Sextò, quia vel aqua ibi generatur à calido, vel à frigido; non à calido, quia sub terra non est caliditas: nec à frigido, quia tunc cùm tota terra sit frigida tota deberet conuerti in aquam.

Oppositum. Ad oppositum est Aristoteles in isto primo.

2. *Fontium diuersitas.* Notandum est hîc primò, quòd quidam sunt fontes, qui fluunt per totum annum; alij qui non fluunt per totum annum, sed desiccantur: & illorum, qui desiccantur, quidam fiunt ex aqua pluuiali, vel ex aqua, quæ resoluta est ex niue, vel glacie, & isti non sunt veri fontes; alij generati sunt ex aëre, vel vapore incluso infra terram, vt pòst videbitur, & de primis fontibus non intelligitur quæstio.

Secundò, quòd quidam sunt fontes generati sub terra, qui non habent locum decliuiorem super terram, per quem possint decurrere, & tales generantur in stagnis sub terra, & quandoque stant sine decursu, sed quandoque fluunt per vias subterraneas, & intrant mare, in profundo eius, & in talibus aquis inclusis sub terra generantur pisces, & quædam alia animalia, quæ propter defectum lucis sunt cæca, turpia, & quodammodo venenosa; vt narrat Seneca de quadam tali aqua inuenta sub terra, de cuius piscibus comedentes homines moriebantur.

Alij sunt fontes, siue aquæ, sub terra, qui habent locum decliuiorem, ad quem possent decurrere; & quandoque talis aqua exit statim post suam generationem; & tum non sunt fontes parui; sed aliquando plures riuuli congregantur, ita quòd posteà exeunt, & faciunt vnum fontem maiorem, & aliquando tot riuuli concurrunt in aliqua concauitate, quòd ibi quasi concurrunt stagna sub terra, ex quo in aliquo loco exit quidam fons paruus: & in tali concauitate quandoque generantur pisces, & anguillæ, & aliqua quæ sunt cæca, & venenosa, & quandoque aqua illa erumpit terrâ, & exit in magna copia. Istæ igitur sunt diuersitates fontium generatorum sub terra.

Tunc ponuntur conclusiones. Et quia quæstio vnum supponit, scilicet quòd sub terra sunt quædam concauitates, ideò de hoc sit prima conclusio, quòd infra terram sunt quædam concauitates. Probatur, nam per experientiam videmus quosdam fluuios subintrare terram, & per longum spatium decurrere sub terra, & posteà exire in alio loco, quod non esset, nisi infra terram essent tales concauitates. Secundò, quia quandoque videmus quasdam concauitates totaliter submergi infra terram, & includi à terra, quod non esset, nisi infra terram essent tales concauitates. Tertiò per experientiam, quia fodientes quandoque inueniunt tales concauitates sub terra. 3. *Conclusio 1. Concauitates terræ probantur.*

Secunda conclusio est de supposito quæstionis, quia infra terram sunt quædam; vel igitur sunt plenæ, vel vacuæ; non vacuæ, vt patet 4. *Physicorum*; igitur sunt plenæ, & non alio corpore, quàm aëre, vel vapore, vt patet ad experientiam, igitur, &c. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio, quòd infra terram aqua generatur. Probatur primò, quia infrà inuenitur, vel igitur illa venit à mari, vel à charydi sub terra, vel ex aqua pluuiali: sed neutro illorum modorum, vt patet ex præcedenti quæstione: igitur oportet quòd ibi generetur. Secundò, quia fodientes terram inueniunt guttulas aquæ distillare per ipsam. Tertiò, nam sub terra potest generari ignis; igitur similiter sub terra potest generari aqua. Consequentia tenet, quia plus conuenit aqua cum terra, quàm conuenit ignis. *Conclusio 3.*

Sed de modo generationis dico quòd generatur illo modo, quia infra concauitates terræ includitur aër, qui infrigidatur, & condensatur à latere illarum concauitatum, & aër ille sic frigidatus conuertitur in aquam, & istæ aquæ congregant se ad inuicem propter similitudinem, & efficiunt paruulos riuulos sub terra; & illi riuuli maiorem, & sic continuè vsque ad aliquem locum exeunt per modum fontis. Et hoc demonstratur exemplariter in animali, quia à partibus inferioribus animalis eleuantur fumi, & vapores vsque ad caput, vbi propter frigiditatem cerebri cõdensantur, & conuertuntur in intensam densitatem, & exeunt per nares: ita consimiliter aër eleuatus ad concauitatem montium infrigidatus, vel ingrossatus à latere montis, & conuersus in in aquam, descendit per partes inferiores, & quia locus ille, quẽ occupabat aër, non potest remanere vacuus, ideò illi succedit alter aër, & propter talem successionem perpetuátur fontes & fluuij. 4. *Aqua quomodo generetur?*

Ex istis posset reddi causa, quare quidam fontes

Cur quidam fontes non durant per annum? tes non durant per annum. Causa est, quia possibile est quòd latera concauitatum, in quibus generatur illa aqua, desiccentur per calorem, in tantùm quòd ampliùs non sufficit conuertere aërem in aquam, vel quia aqua ibidem generata diuertit se ad alium locum exitus, quàm vbi priùs exibat.

Dubium 1. Quare aqua exit terrâ bulliendo? Circa ista dubitatur primò, quare quidam fontes exeunt bulliendo? Ad illud dicunt aliqui, quòd causa est, quia aqua ibidem exiens propellitur ab aëre inferiori, inclinante ascendere sursum, & propter talem impulsum apparet quasi bulliret.

Istud non videtur, quia tunc sequeretur quòd aqua ibidem exiens esset ibi generata, quod est falsum, quia semper aqua generatur in loco altiori, quàm sit locus sui exitus. *Solutio.* Ideò causa est, quia aqua sic bulliens, vt in pluribus exit à terra arenosa, & descendit de loco altiori, & ratione altitudinis venit cum magno impetu ad locum exitus, & ex tali impetu vnà cum arenositate terræ causatur talis bullitio.

Dubium 2. Secundò, dubitatur quare in medio interstitio terræ nõ generantur fontes, & fluuij, quemadmodum in media regione aëris generantur pluuiæ, & aliæ aquæ.

Solutio. Ad istud dicò, quòd distinctio regionum aëris fit per reflexionem radiorum Solis; modò talis reflexio radiorum Solis non habet locum in terra; saltem quoad hoc, quòd causet distinctionem regionum terræ.

Dubium 3. Tertiò dubitatur, quia si concauitates debent poni infra terram propter introitum aquæ in terram, tunc sequitur quòd infinitæ deberent poni tales concauitates. Consequens falsum, quia tunc nulla pars esset alteri continua. Et patet consequentia, quia perpetuò concurrunt fluuij in ipsam terram.

6. Solutio. Ad istud dico, quòd non oportet infinitas concauitates esse, quia multæ partes aquæ continuè consumuntur, quemadmodum & aliæ generantur.

Dubium 4. Quartò dubitatur, vtrùm in hyeme fontes debeant esse maiores quàm in æstate? & arguitur quòd non, quia sicut in æstate pauciores sunt aquæ quàm in hyeme super terram, eò quòd in æstate maior est caliditas, ita videtur quòd in hyeme pauciores debent fieri aquæ sub terra quàm in æstate; quia in hyeme est quodammodo æstas sub terra propter caliditatem.

Ad illud, dicitur quòd in æstate debent esse fontes minores. *Responsio.* Causa est, quia in æstate latera terræ sunt sicciora; modò ad generationem aquæ sub terra multùm concurrit humiditas. Alia causa est, quia in æstate est nimia frigiditas sub terra, ideò exhalatio, siue aër inclusus infra terram, est quodammodo congelatus, ita quòd non eleuatur ad concauitates montium, vbi generantur aquæ.

Quintò dubitatur, quare aliqui fontes rident *Dubium 5.* hominibus accedentibus ad ipsos, id est, altiùs saltant. Causa est, quia fontes illi sunt in locis paludosis; ideò accedente aliquo, aqua subtùs exiens comprimitur, & ex ista compressione aqua saltat altiùs.

Per hoc ad rationes. Ad primam, *terra non habet*, &c. *Ad 1. arg.* Negatur antecedens. Ad probationem, terra est simplex elementum, dicitur quòd non, imò terra circa nos est mixta, cuius signum est, quòd fodientes inueniunt partes diuersarum naturarum, putà argillam, lapides, metalla, & huiusmodi.

Ad secundam, *terra est frigida*, &c. Negatur *Ad 2.* consequentia, quia frigiditas terræ non est ita intensa, quòd sufficiat ipsam comprimere, sic quòd in ea non includantur concauitates.

Ad tertiam, *terra est grauis*, &c. Negatur con- *Ad 3.* sequentia, quia terra existens super illas concauitates continuatur aliis partibus, in quibus nõ sunt concauitates, & ideò totum quiescit naturaliter.

Ad quartam, & quintam simul, dico quòd *Ad 4. & 5.* aër propter replere vacuum potest descendere deorsum, & tunc aër existens infra potest euaporari sursum ad illas partes terræ.

Ad sextam, *vel à calido*, dico quòd aqua illa *Ad 6.* non generatur à calido euaporante, sed à frigido condensante.

Explicit primus Liber Meteororum.

LIBER



LIBER SECVNDVS METEORORVM.



QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm semper mare fluat à Septentrione ad Austrum?

1. *Arg.primũ.* RGVITVR quòd non, quia nullum corpus naturale mouetur à loco conseruatiuo ipsius ad locum suæ corruptionis; locus Septentrionalis est conseruatiuus maris, & meridionalis corruptiuus eiusdem; igitur, &c. Maior patet, quia quodlibet ens naturale diligit se permanere, & conseruari, vt patet 1. *Physicorum, & 2. de Anima.* Et minor patet, quia locus Septentrionalis est frigidus & humidus, cùm ibi plures fontes & fluuij generentur; sed locus meridionalis est calidus & siccus, cùm pauciores ibidem generentur; modò caliditas & siccitas sunt dispositiones corruptiuæ aquæ.

Secundum. Secundò, quia nullum corpus naturale existens in suo loco naturali, mouetur extra ipsum; sed locus maris Septentrionalis est eius locus; igitur, &c. Maior patet 4. *Physicorum*, quia quodlibet corpus naturale naturaliter quiescit in suo loco naturali. Et minor patet, quia locus, quem occupat mare est locus naturalis aquæ, vt patet *ex isto secundo*, & non apparet ratio quare locus meridionalis magis sit locus naturalis maris, quàm locus Septentrionalis.

Tertium. Tertiò, sequeretur quòd mare Septentrionale non esset salsum, imò dulce, consequens est contra experientiam. Et probatur consequentia, quia ex ipso continuè exit aqua salsa versùs meridiem, & in ipsum intrant riuuli, & fluuij dulces, & per consequens totum debet fieri dulce.

Quartum. Quartò, si hoc esset, esset pro tanto, quòd terra in Septentrione sit altior, quàm sit terra meridiei: modò consequens est falsum, quia tota terra est sphærica, vt patet 2. *Celi, & tractatu de sphæra.* Secundò, patet falsitas consequentis, quia qua ratione terra versùs Septentrionem esset altior terra versùs meridiem, eadem ratione terra sub polo Antarctico esset altior terra sub Æquinoctiali, & sic terra non esset regularis figuræ, sed altior in extremis, & bassior in medio.

Oppositum. Ad oppositum est Aristoteles *in isto secundo, cap. primo*, vbi dicit quòd mare Mæotidis fluit in Pontum, & Pontus in Ægæum, & Ægæus in Pelagum; modò Mæotis est mare situatum versùs Septentrionem, & Pelagus situatur sub Æquinoctiali, scilicèt versùs meridiem.

In ista quæstione primò videbitur de generatione maris. Secundò, si mare sit locus naturalis aquarum. Et tertiò, de quæsito.

ARTICVLVS I.

De generatione maris.

QVantùm ad primum, dicunt aliqui quòd mare est perpetuum. Alij dicunt quòd generatur ex fontibus existentibus sub mari. Et hoc est falsum, quia mare non est alius loco suæ originis. Alij dicunt quòd venit à quodam coarctato in visceribus terræ. Et illud improbatum est superiùs. 2.

Istis omissis, est prima conclusio, quòd mare generatur, & corrumpitur. Probatur, quia omne materiale est generabile & corruptibile, &c. Maior patet, quia materia est sufficiens causa generationis, & corruptionis, vt patet 1. *Physicorum, & 2. de Generatione.* Et minor patet, quia mare est infra orbem Lunæ, & omne tale est materiale. *Mare generatur & corrumpitur.*

Secunda conclusio est, quòd mare generatur ex fontibus, & fluuiis ingredientibus ipsum mare. Patet, quia non apparet alius modus vnde generaretur, nisi per fontes & flumina, per pluuias & niues, & alias impressiones aqueas, quæ intrant ipsum mare.

Sed dubitatur, quare est hoc, quòd si mare generetur, & corrumpatur continuè apparet eodem modo, & continuè, consimiliter se habere sine generatione & corruptione? *Dubium 1.*

Dico quòd hoc est propter continuam successionem partium consimiliũ partibus illis, quæ de nouo corrumpuntur, & hoc continuè, quemadmodum videmus in aliis, sicut flamma candelæ apparet nobis eadem à principio incensionis vsque ad extinctionem, & tamen in rei veritate est continuè alia, & alia, sicut patet *in isto secundo.* Et hoc est propter similitudinem flammæ succedentis continuè, per continuam generationem flammæ, quæ continuè corrumpebatur. Similiter apparent nobis quidam perpetui lapides, eò quòd in vita hominis diminuuntur solùm secundùm partes insensibiles. *Solutio.*

Secundò dubitatur, quare mare cum generetur ex fontibus & fluuiis non apparet augmentari ab ipsis? *Dubium 2.*

Dico quòd ad hoc faciunt tres causæ. Prima est, quia partes maris continuè consumuntur per desiccationem à partibus terræ, per quas transit mare; modò cùm partes continuè consumuntur, sic aliundè augmentantur, ideò non oportet quòd mare appareat augmentari. Sicut patet in exemplo, nam lacus inclusus infra terram, à quo *Solutio.*

nullus patet exitus, tandem totaliter deſiccaretur à terra, niſi eſſent quidam riuuli parui ipſam ingredientes, qui in eadem proportione lacum conſeruarent, ſicut partes illius conſumuntur à terra; modò ſicut ſe habent illi riuuli partis ad aquam, ita videntur omnes ſe habere fontes, & fluuij ad mare.

Secunda cauſa ad hoc faciens, eſt ventus, & motus ipſius maris: nam ventus eſt calidus & ſiccus, ideò plures partes maris per ipſum deſiccantur, & conſumuntur. Similiter ad hoc facit motus per confricationem maris, & aëris, ideò plures partes ipſius conſumuntur.

Et ſi dicatur quòd quandoque poteſt eſſe, quòd aër propinquus mari conuertatur in aquam, & ſic non ſolùm habebit mare generationem ex fontibus, & fluuiis, & impreſſionibus aqueis. Reſpondetur quòd quamuis multoties ita fiat, tamen mare illo modo non recipit notabilem generationem, & augmentationem in comparatione ad ſui magnitudinem.

Tertia cauſa eſt potiſſima, per quam ſupponatur primò, quòd aqua expoſita Soli conſumitur à Sole. Iſtud patet ad experientiam. Secundò, ſupponitur quòd quando aqua exponitur Soli magis diffuſa, & extenſa in partes, tantò faciliùs & citiùs corrumpitur à Sole, & quocunque alio deſiccante. Patet, quia ſi ſcyphus plenus aqua expanditur hinc inde ſuper tabulam, & exponatur Soli, modico tempore conſumitur, quæ ſi retenta eſſet in ſcypho, non ita citò conſumeretur.

Ex iſtis patet, quòd cùm mare ſit aqua conſumptibilis à Sole, & exponatur ſibi ſecundùm magnam ſuperficiem, eò quòd mare eſt magnum, & latum, multum de mari conſumitur à Sole, imò æqualiter, ſicut ipſum ingreditur per fontes, & fluuios, & quandoque magis, & quandoque minùs; & ideò per talem introitum fontium, & fluuiorum in mare non oportet mare augmentari, plus quam oportet terram diminui per exitum fontium, & fluuiorum de ipſa terra, & hoc, quia fontes & fluuij continuè generantur infra terram. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

An mare ſit locus naturalis aquarum?

4. *Locus quem occupat mare, eſt locus naturalis aquarum.*

DE ſecundo ſit concluſio iſta, quòd locus, quem occupat mare, eſt locus naturalis aquarum, ad quam omnes aquæ mouentur naturaliter, ſed tamen ad locum, quem occupat mare ita fit; igitur, &c. Maior patet, quia locus ſurſum dicitur locus naturalis leuium, eò quòd ad ipſum leuia naturaliter mouentur, & ita de aliis. Minor patet ad experientiam, videmus enim quòd omnes aquæ fluunt in mare.

Dubium 1. Dubitatur igitur primò, quia grauioris & leuioris non eſt idem locus naturalis: ſed aqua dulcis eſt leuior, & ſubtilior, & aqua maris groſſior, & grauior: ergo ipſorum non eſt idem locus naturalis. Maior patet, quia ſubtilius & leuius natum eſt altiùs locari, quàm grauius. Minor patet per Ariſtotelem 2. *huius*, quia nil eſt locus partis ſubtilioris nutrimenti, & partis groſſioris nutrimenti, igitur à ſimili, nullus eſſet locus naturalis aquæ dulcis & maris. Tenet conſequentia, quia ſicut ſubtilius nutrimenti eſt dulce, & groſſum terreſtre eſt amarum, & ſalſum; ita eſt de aqua dulci & maris. Et antecedens apparet, quia ſubtilius nutrimentum mittitur ad ſingula membra, ſed groſſius & terreſtrius remanet in fundo ſtomachi.

Tertiò ſola declinatio, ſiue decliuitas loci eſt cauſa omnis motus aquæ, per quem fit fluxus, & refluxus ipſius maris; igitur aqua non habet aliquem locum naturalem, ad quem naturaliter mouetur. Tenet conſequentia, quia ſi eſſet locus, ad quem naturaliter moueretur, ſiue eſſet decliuior, ſiue non, ad ipſum moueretur. Et antecedens patet per Senecam 3. *de naturalibus quæſtionibus*, & ipſum allegat Albertus *in ſecundo huius*.

Quartò, vel aqua mouetur ad eundem locum, ad quem mouetur terra, vel non; ſi ad eundem, ſequeretur quòd centrum terræ eſſet locus naturalis aquæ, ſicut eſt terra; ſi ad alium, tunc non eſt idem centrum totius grauitatis mundi.

Ad iſta, ad primum, & ſecundum ſimul, dico quòd locus primariò receptioni omnium aquarum eſt locus, quem occupat mare, quemadmodum ſtomachus eſt locus primariò receptionis omnium ciborum, ſed poſtea ſicut euaporantur partes ſubtilioris nutrimenti, & eleuantur, & mittuntur ad ſingula membra, & quod groſſius & terreſtrius eſt manet in ipſo ſtomacho; ita conſimiliter per actionem Solis euaporantur partes ſubtiliores aquæ, & aſcendunt ſurſum, ſed groſſius, & terreſtrius manet in illo loco. 5. *Solutio.*

Ad tertium, *ſola decliuitas*, &c. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia motus ſurſum eſt cauſa motus leuium, quod ſi non eſſet eleuatio loci, leue non aſcenderet, & tamen hoc non obſtante leue habet locum naturalem.

Ad quartum, *vel aqua mouetur ad idem centrum*, &c. de iſto eſt magna difficultas. Et imaginatur Campanus *tractatu ſuo de ſphæra, cap.* 5. quòd terra ſit eleuata extra centrum mundi, & aqua ponatur ab oppoſita parte contraponderando terræ, & ſic ſecundùm ipſum diuerſa ſunt centra grauitatis terræ, & aquæ; & imaginatur quòd terra fuiſſet cooperta aquis, & poſtea iuſſu diuino aquæ congregarentur ad vnum locum, vt terra appareat arida finaliter, vt homo & alia animalia haberent locum congruentem ſuæ habitationi, & quia talis concurſus aquarum non poteſt fieri terra remanente in ſuo centro, quia adhuc aqua niteretur cooperire terram, ideò oportuit terram aſcendere de ſuo loco. & ſunt verba Campani, poſtquam numerauit ſitus, & ordines ſphærarum cæli, & ordinem ignis & aëris, ſic dicit: *Secunda eſt ſphæra aquæ, cuius orbicularis ambitus eſt diuino præcepto diſciſſus à terra, & ſuæ diſciſionis parte media conſurgente diuinum præceptum erat, vt congregarentur aquæ*, &c. *Campani opinio.*

Sed contra iſtud arguitur primò, quia ſi ita eſſet, ſequeretur quòd aliquis eſſet locus terræ, ſuper quem ſi poneretur portio terræ, & portio aquæ, non mouerentur deorſum per eandem viam. Conſequens eſt contra experientiam; ſemper enim aqua poſita ſurſum deſcendit per eandem viam, per quam deſcenderet terra, ſi eſſet ibidem poſita. Probatur conſequentia, aqua moueretur ad centrum aquæ, & terra ad centrum terræ; modò ipſarum ſunt diuerſa centra, cùm ſint ſphæræ eccentricæ. Secundò, ſequeretur quòd portio terræ inhabitata eſſet figuræ circularis. 6. *Refutatur.*

laris. Consequens impossibile, vt patet per Aristotelem *in isto secundo*, & alios, qui ponunt maiorem esse distantiam terræ habitabilis ab Oriente in Occidentem, quàm à Septentrione in Austrum. Et probatur consequens, quia semper est portio sphæræ eleuata super aliam sphæram, cui est eccentrica, est portio circularis.

7. *Terra est cõcentrica mũdo & aqua.* Ideò istis dimissis, dico quòd terra est concentrica mundo, & etiam aquæ, quantùm ad grauitatem, ita quòd idem est centrum grauitatis terræ, & aquæ, sed non est idem centrum magnitudinis; propter quod præmitto primò, quòd tota terra non est purè simplex, imò pars, quam inhabitamus est commixta, & per consequens leuior parte pura, quæ est deorsum. Istud patet, quia fodientes terram semper inueniunt partes diuersarum rationum, vt arenam, lapides, & huiusmodi, quæ sunt mixta.

Secundò præmittitur, quòd si sit aliquod difforme in grauitate, & cadit ad centrum mundi, centrum suæ grauitatis esset in centro mundi, & non centrum suæ magnitudinis. Patet, quia si in centro mundi non esset terra, nec aqua, sed præcisè aër circundans vndique vsque ad centrum, tunc si proiiceretur scyphus aquæ vsque ad centrum, aqua illa congregaretur in centrum per modum cuiusdam modicæ sphæræ; & tunc si caperetur vnus clauus ferreus longus, cuius caput esset valde grossum; tunc ab vna parte aquæ existentis in centro clauus eleuaretur super aquam, sed ab alia parte non, vt patet intelligenti.

Aliud est cẽtrum magnitudinis terræ, & aliud eius grauitatis. Ex istis patet quòd aliud est centrum magnitudinis terræ, & aliud suæ grauitatis, quia per primam suppositionem, terra est difformis in grauitate, & pars eius leuior est versùs nos, cùm sit commixta; igitur minor pars eius est citra centrum, quàm sit vltrà, & cùm in centro mundi sit centrum suæ grauitatis, sequeretur quòd citra centrum mundi esset centrum suæ magnitudinis. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

Resolutio quæstionis.

8. *Fluxus maris triplex.* QVantùm ad tertium, sciendum quòd tres apparent fluxus maris: vnus est à Septentrione ad Austrum; alter est fluxus, & refluxus ipsius maris quolibet die naturali bis; tertius fluxus & refluxus ipsius quolibet mense semel; modò in proposito solum intendo loqui de primo fluxu, quia de aliis postea dicetur.

Secundò sciendum, quòd Septentrio dicitur locus suppositus Æquinoctiali: vnde quantò locus aliquis est propè magis polum Arcticum, dicitur Septentrionalior, & quantò magis propè Æquinoctialem, tanto meridionalior.

Mare semper fluit à Septẽtrione ad Austrum. Secundùm hoc sit ista conclusio, quòd semper mare fluit à Septentrione ad Austrum. Concludo quantùm ad hoc, quia est ad experientiam. Sed ad reddendam causam præmitto aliqua. Primum est, quòd semper aqua fluit ad locum decliuiorem, cuius signum est secundùm Albertum, quia aqua mouetur alicubi ab Oriente ad Occidentem, & alicubi è contrà; alicubi à Septentrione ad Austrum, & alicubi è contrà; quod non esset, si haberet aliquem locum determinatum, ad quem moueretur, ideò semper fluit ad locum decliuiorem.

Secundò supponitur, quòd plus de aqua generatur in Septentrione, quàm in Austro. Patet, quia locus Septentrionalis cum sit frigidus & humidus propter elongationem à Sole, magis aptus est ad generationem aquæ, quàm alia loca terræ. Tertiò supponitur quòd in loco meridionali plus de aqua consumitur, quàm in loco Septentrionali. Patet, quia Sol est propinquior parti meridionali, & aspicit illam directiùs, quàm aspicit locum Septentrionalem, ideò fortiùs potest ibi agere, & per consequens plus consumere.

Ex istis patet causa illius fluxus, quia in Septentrione plus aquæ generatur, & in meridie plus consumitur; igitur aqua in meridie bassior est non secundùm situm, sed secundùm depressionem aquæ, propter corruptionem; igitur per primam suppositionem mare currit de loco Septentrionali ad locum meridionalem. *Ratio.*

Per hoc ad rationes. Ad primam, *nullum corpus naturale*, &c. Istud negatur, quia semper aqua petit locum decliuiorem, siue locus iste sit conseruatiuus sui, siue non; & ita aqua mouetur ad locum meridionalem, non propter conseruationem, sed decliuitatem. 9. *Ad 1. argum. principale.*

Ad secundam concedo, modò dico quòd locus naturalis maris potest sibi fieri innaturalis, propter nimiam multiplicitatem aquæ. causa est, quia semper aqua determinat sibi, quod eius conuexa superficies sit sphærica in loco suo naturali, modò tantùm potest multiplicari de aqua in vna parte, quia nisi decurreret ad locum decliuiorem, ampliùs non esset sphæricæ figuræ, sed figuræ valdè difformis. *Ad 2.*

Ad tertiam *sequeretur quòd non esset salsum*. Negatur consequentia, quia quamuis multum de salsedine exeat versùs meridiem, cum hoc etiam multum generatur per commixtionem exhalationis in parte Septentrionali, & etiam per actionem Solis. *Ad 3.*

Ad quartam, *Hoc esset*, &c. Dico quòd non, Sed quia aqua esset altior, propter continuam generationem ipsius in loco Septentrionali. *Ad 4.*



QVÆSTIO II.

Utrùm mare fluat?



ARGVITVR primò quòd non, quia vel motus ille est naturalis, vel violentus; non violentus, quia tunc motus ille non posset perpetuari; nec naturalis, quia vnius corporis simplicis est vnus solus motus simplex secundùm naturam: modò aquæ est motus deorsùm, cùm aqua sit naturaliter grauis, &c. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, alia elementa non mouentur in locis suis motu fluxus & refluxus: ergo nec etiam mare. Tenet consequentia, quia idem videtur iudicium de aqua in loco suo naturali, & de aliis elementis: & consequens apparet per experientiam. *Secundum.*

Tertiò, aliæ aquæ nec fluunt, nec refluunt; igitur nec mare. Tenet consequentia, quia omnes aquæ sunt eiusdem speciei; igitur videtur si vna istarum nata est fluere; igitur & reliquæ. *Tertium.*

Et

Et antecedens apparet ad experientiam de fontibus,& fluuiis,lacubus,& stagnis.

Quartum. Quartò, quia mare Mediterraneum non fluit, nec refluit; igitur nec aliquod aliud mare. Antecedens patet ad experientiam. Et probatur consequentia, quia vt communiter assignatur, fluxus & refluxus maris prouenit à motu Lunæ; modò Luna influit in mare Mediterraneum, sicut in mare Oceanum, imò Luna plus influit in mare Mediterraneum, cùm sit sibi propinquius, quàm nulla maria situata versùs Septentrionem, quæ fluunt,& refluunt.

Quintum. Quintò, omne corpus naturale naturaliter quiescit in loco suo naturali; igitur mare non debet fluere, & refluere. Maior patet 4. *Physicorum*,& minor patet ex præcedenti quæstione.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo.

In ista quæstione primò præmittenda sunt aliqua; deinde reddendæ sunt causæ fluxus,& refluxus maris.

ARTICVLVS I.

Quædam præmittuntur, de maris fluxu, & marium diuersitate.

2. *Fluxus maris varius.* QVantùm ad primum, sciendum quòd quidam est fluxus maris à Septentrione ad Austrum, qui continuè fit ad modum,quo vnus fluuius ingreditur in alium,& dictum est de isto in præcedenti quæstione.

Sed alter est fluxus, quo bis in die naturali, vel modicum minus mare fluit & refluit, & de isto intendimus in proposito.

Mare multiplex. Secundò, sciendum quòd maria sunt in triplici differentia, quia quædam sunt maria, quæ nec fluunt, nec refluunt, nec apparent fluere. Alia sunt quæ fluunt, & non apparent fluere, alia sunt, quæ fluunt,& apparent fluere.

Primum genus marium est in triplici differentia,nam quædam sunt lacus,stagna, & huiusmodi, quæ includuntur montibus,quæ nec fluunt, nec refluunt. Alia sunt quæ non fluunt propter mobilitatem terræ, super quam fundantur. Alia sunt, quæ non fluunt propter remotionem à Luna.

Secundum genus marium est in triplici differentia; nam quædam sunt maria, quæ fluunt, & refluunt, & non apparent fluere propter remotionem à litoribus, ita quòd amplitudo maris impedit apparentiam fluxus; & ideò vbi mare magnum intercipitur insulis, vbi est via strictior, ibi magis apparet fluxus,& vbi amplior ibi minus apparet. Sed alia sunt maria, quæ fluunt, & non apparent fluere propter altitudinem, & habitationem rupium, & riparum,quibus includitur illud mare. Sed tertia sunt, quorum fluxus non apparet propter hoc, quia vnum fluit in reliquum,& è contra.

Sed tertium genus marium est, quod fluit, & apparet fluere, sicut mare Oceanum,& alia maria sibi contiguata. Verum est tamen quòd aliqua maria sunt continuata per vias strictas mari Oceano, quæ tamen non fluunt, nec refluunt; ideò maria, quæ non continuantur ad Oceanum non fluunt, nec etiam ista quæ continuantur solùm per vias strictas, sicut est mare Mediterraneum. Vnde mare Oceanum dicitur illud mare magnum, impertransibile, quod circuit totam terram habitabilem ab Oriente in Occidentem per Meridiem, & Septentrionalem,ita quòd terra habitabilis est insula istius maris.

Tertiò sciendum, quòd fluxus ille,& refluxus quolibet die naturali fit bis, vel modicum minus, ita quòd Luna accedente ab Oriente ad Meridianum fluit, & iterum Luna accedente ad punctum mediæ noctis iteratò fluit, & ita quolibet mense fiunt tot; nam quolibet die naturali fluit,& refluit mare bis, imò duo fluxus,& vna dies excipiuntur in mense; fluxus & refluxus duplicati, quot sunt dies in mense, duobus fluxibus, & vna die, exceptis, quam diem Luna acquirit motu proprio contra firmamentum in mense. 3. *Fluxus maris fit bis in die naturali.*

Quartò sciendum, quòd in mari sunt quædam voragines, quæ etiam consequuntur istum motum Lunæ, ita quòd quando mare refluit, tunc voragines illæ attrahunt sibi magnã aquam cum magno impetu,& absorbent;postea in fluxu iterato emittunt. *Voragines in mari.*

Quintò sciendum est de augmentatione,& diminutione istius fluxus, quòd in hyeme fluxus iste est maior quàm in æstate, & adhuc maior circa Æquinoctium,quàm in hyeme,vel in æstate.Similiter fluxus iste est minor Lunâ existẽte in eclypsi,cæteris paribus,quàm Lunâ nõ eclypsatâ; & existente plenilunio maiores fiunt fluxus; & ideò in mense assignantur variationes, nam in prima septimana fluctus decrescit, in secunda crescit, in tertia decrescit; in quarta crescit. Isti igitur sunt effectus & experientiæ, quæ apparent in fluxu, & refluxu, de quibus posteà assignatæ sunt causæ.

ARTICVLVS II.

De causa fluxus & refluxus maris.

QVantùm ad secundum, dicunt aliqui quòd causa est reflexio ipsius ad montes. Nam quandoque aqua maris defertur per ventos ad ripas cum impetu, à quibus reflectitur, & reflexa iteratò vadit ad alias ripas, & sic continuè. 4. *Opinio 1.*

Istud non videtur, quia tandem cessarent impetus illi, nec fierent determinatis temporibus sicut fluxus & refluxus. *Reijcitur.*

Alij posuerunt quòd causa fluxus, & refluxus maris, esset ebullitio aquæ maris, quæ supponitur viæ Solis, nam talis ebullitio est nata causare tumorem, sicut patet de olla bulliente. *Opinio 2.*

Istud non videtur, quia ebullitio illa non sufficit causare tumorem ad tantam distantiam, ad quantam mare fluit & refluit. Similiter continuè fieret fluxus, cùm continuè fiat illa ebullitio. *Relinquitur.*

Alij posuerunt,quòd fluxus ille,& refluxus fit ex hoc,quòd corpora inferiora nata sunt obedire superioribus,& ideò illa, quæ sunt propinquiora magis obediunt. *Opinio 3.*

Istud non videtur, nam tunc mare flueret ab Oriente in Occidentem, scilicet secundùm motum cæli,& non aliter. *Non placet.*

Alij posuerunt causam fluxus maris esse quasdam voragines existentes sub terra, quæ quandoque attrahunt aquam maris in magna multitudine *Opinio 4.*

tudine, & absorbent, & tunc fit refluxus, sed aliquando aquam remittunt, & tunc fit fluxus.

Refutatur. Sed contra istud arguitur, quia non videtur verum quòd sub terra possint tot concauitates, seu voragines contineri, quòd tanta aqua, quanta mare tumet, possit simul contineri; ideò de modo sorbitionis illarum voraginum postea dicetur. Secundò, quia adhuc concesso quòd per istum modum fierent fluxus, & refluxus, adhuc staret difficultas, quare voragines determinatis temporibus aquam emittunt, & determinatis absorbent.

5. *Luna est causa fluxus maris.* Istis opinionibus omissis, ponuntur conclusiones. Prima est, quòd Luna per suum motum, & influentiam, est causa effectiua fluxus & refluxus maris. Probatur per experientias positas in prima parte quæstionis, nam fluxus maris fit determinante Luna oriente, quousque perueniat ad circulum meridianum, fit etiam fluxus Lunæ existente in parte opposita, & in reliquis duabus quadris fit refluxus.

Secundò probatur à causa, quia Luna habet dominium supra corpora humida, igitur, &c. & habet dominium supra ipsum mare. Tenet consequentia, quia postquam habet dominium supra humida, magis rationale videtur quòd habeat dominium supra mare, quàm super aliquod aliud, cùm mare sit maximè corpus humidum. Et consequens patet ad experientiam; nam in corporibus & partibus animalium, cerebrum, medulla, sanguis, pinguedo, & huiusmodi partes, abundè augmentantur, & diminuuntur, secundùm augmentum, & decrementum Lunæ. Et istud patet ex tertia quæstione primi libri.

6. *Quomodo.* Sed de modo, per quem Luna fit causa fluxus, & refluxus maris, dico quòd modus est iste, quem ponit Lincolnensis *tractatu suo de refractionibus radiorum*, *cap. 2. modicum post medium*; quia quando radij Lunares oriuntur super mare alicuius regionis, tunc habent lineas longiores, & pyramides, quibus defertur actio, & influentia Lunæ; & lineæ illæ, & pyramides sunt indirectiores, & minùs franguntur ad angulos æquales, & minùs reflectuntur in seipsas, & magis franguntur, ideò causæ sunt debilioris operationis, quàm quando Luna ascendit ad medium cæli, istæ lineæ, & pyramides sunt magis directæ, breuiores, magis redeuntes in seipsas, & minùs franguntur, sed magis ad angulos æquales, & ideò tunc sunt maioris operationis, & fortioris; ideò quando Luna sic oritur radij sui propter debilitatem non sufficiunt, nisi resoluere vapores à terra, & à fundo maris, & eleuant ipsas infra corpus maris, & propter debilitatem non sufficiunt vapores resolutos consumere, & in aërem completè conuertere, siue ad aërem attrahere; & ideò vapores illi, cùm sint corpora, quæ non possint simul stare cum partibus aquæ, compellunt aquas maris eleuari, & generant in ipso mari ampullas, & tumores, & tunc mare fluit. Sed quando Luna ascendit ad medium cæli, tunc radij & pyramides, quibus defertur influentia Lunæ, sunt breuiores, & fortiores, & ideò tunc sufficiunt vapores resoluere, & consumere, & ad aërem perfectè contrahere, & in aërem resoluere, & quia cessante causa cessat & effectus; ideò tunc cessat fluxus, & mare refluit. Patet igitur quæ sit causa fluxus maris accedente Luna ab Oriente vsque ad meridianum, & quæ est causa refluxus à meridiano vsque ad Occidentem.

Sed de causa fluxus Luna accedente ab Occidente vsque ad punctum mediæ noctis, est difficilius: & dicit Lincolnensis quòd causa est, quia radij Lunæ incidentes ad octauam sphæram, quæ est valdè spissa, & in tantùm quòd terminant visum, & reflectuntur ab octaua sphæra vsque ad quartam terræ oppositam ad angulos satis æquales, & ad lineas, & pyramides directiores; ideò illi radij sic reflexi ad quartam oppositam sufficiunt commouere vapores vsque in corpus maris, quos propter debilitatem non sufficiunt consumere, ideò tunc fit fluxus; sed postea accedente Luna à puncto mediæ noctis versùs Orientem, deficiunt radij illi reflexi ad angulos super partem oppositam, & tunc vapores illi condensantur, & redeunt ad propriam naturam, & cadunt deorsum, & tunc mare refluit. 7. *Causa fluxus maris à Luna.*

Sed contra istud obiicitur, quia si ex tali reflexione Luna haberet aliquam fortitudinem super quartam sibi oppositam, eadem ratione Sol haberet consimilem fortitudinem super quartam sibi oppositam, & sic vsque ad medium noctis esset valde calida, vel luminosa. 8. *Obiectio.*

Ad illud potest dici, concedendo quòd Sol, imò quilibet planeta, habet aliquam fortitudinem à puncto mediæ noctis, vel ante: sed non oportet quòd Sol habeat illam fortitudinem secundùm radios luminis, vel secundùm calefactionem, quæ lumen consequitur, sed secundùm aliam influentiam specialem, quæ fortè est causa galli cantus in illa hora. *Responsio.*

Ex quæstione, & modo ponendi sequitur primò, quòd sub polis mundi non fit fluxus, & refluxus maris, saltem iisdem temporibus, quibus fit nobis; & hoc propter debilitatem radiorum Lunæ, qui ibidem pertingunt; ideò fortè, quia quolibet mense semel fiat ibi fluxus, vt sub polo Arctico Luna existente in Geminis, vel modicum ante, quia tunc radij Lunæ sunt quodammodo directiores; ideò sufficiunt vapores commouere; sed postea ipsa existente in Marte, fit refluxus, quia tunc propter fortitudinem sufficit consumere. Vel fortè dato quòd ibi sit fluxus, & refluxus, tamen propter amplitudinem maris non potest ibi apparere. 9.

Secundò, sequitur quòd eiusdem regionis priùs fluit vna pars maris quàm alia, ita quòd priùs fluit versùs Orientem, quàm versùs Occidentem. Patet, quia radij Lunares orientes super illam regionem priùs aspiciunt partem Orientalem, quàm Occidentalem.

Ex quo patet quòd fluxus, & refluxus maris fit quodammodo circulariter ab Oriente in Occidentem, non quòd eædem partes circulariter moueantur, sed priùs vna pars, quàm alia.

Tertiò, sequitur quòd fluxus, & refluxus maris fit per aliquam influentiam specialem Lunæ, aliam ab influentia luminis. Patet, quia Luna accedens ad punctum mediæ noctis, habet aliquam fortitudinem talis influentiæ, quam tamen non habet ex fortitudine luminis.

Secunda conclusio est, quòd Sol, & alij planetæ, & etiam quædam stellæ, sunt concausæ illius fluxus, & refluxus. Probatur, quia quandoque fluxus mouetur ante ortum Lunæ, quandoque post; quandoque est intensior, quandoque remissior, alternatis temporibus, & hoc non potest esse, nisi secundùm quod Luna aspicit Solem, 10. *Sol & alij planetæ sunt concausæ fluxus maris.*

vel aliquam stellam, per quam fortificatur actio eius, & hoc cum aspectu, qui confert ad fortitudinem. Similiter ad hoc facit diuersitas signorum Zodiaci, & etiam partes eius, quia cum Luna fuerit in signo humido cæteris paribus, fluxus fit maior.

Fluxus & refluxus maris fit ob eius conseruationem.

Tertia conclusio, quòd fluxus, & refluxus iste fit finaliter ad conseruationem maris, & hoc dicit Auctor *de proprietatibus rerum, lib.* 3. sub istis verbis: *Mare est mobile, & inquietum, vt per suum motum sua substantia à corruptionis periculo sit conseruatum, & per suum motum subtilia-tur, & sic ne putrescat à corruptione praseruatur.*

11. *Dubium* 1. Sed dubitatur primò, quare quædam voragines in mari determinante secundùm motum Lunæ absorbent aquas, & euomunt. *Solutio.* Dicitur quòd hoc potest esse, quia tales voragines per quasdam vias, & concauitates subterraneas ad magnum mare continuantur, & ideò magno mari fluente emittitur aqua per istas à magno mari per illas vias subterraneas, vnde quidam alij fontes, & putei fluunt, & refluunt, & hoc propter eandem causam, quia continuantur ad mare per vias subterrâneas. Similiter dicit Plinius quòd est quidam puteus, qui ter fluit in die naturali, & de hoc difficile est reddere causam, nisi recurrendo ad aliam influentiam specialem Lunæ, quam potiùs habet super illum puteum, quàm super alium.

12. *Dubium* 2. Secundò dubitatur, quare mare Mediterraneũ non fluit & refluit, nec etiam mare mortuum; & videtur quòd sic, cùm Luna oriatur & occidat super illa maria, & influat in ista sicut in alia maria.

Responsio. Respondetur vno modo, quòd ad hoc quòd mare fluat, & refluat per motum Lunæ, oportet quòd sit debitè proportionatum actioni ipsius Lunæ. Et ideò quando aqua est minùs parua, sicut patet de fontibus, & fluuiis, quòd radij Lunæ non possunt benè attingere, tunc non possunt facere fluxum. Ita similiter quando mare est nimis profundum, tunc Luna propter profunditatem nimiam non sufficit aquas illas commouere; & ideò mare Mediterraneum, nec fluit, nec refluit.

Alia causa potest esse, quia Luna habet specialem influentiam ad mare Oceanum, & alia maria sibi concomitata per vias amplas, quam non habet super alia maria.

Aliter potest dici, quòd illud mare fluit, & refluit, tamen propter magnitudinem illius, fluxus ille non apparet nobis. Illius signum est, quòd mare Mediterraneũ continuatur ad mare Oceanum per quandam viam strictam, ideò oportet quòd Oceano fluente aquæ ipsius redundent, & intrent mare Mediterraneum, & tamen introitus non apparet propter magnitudinem, & profunditatem ipsius maris.

Dubium 3. *Responsio.* Tertiò dubitatur, quare fontes & fluuij non fluunt, & refluunt? Dicitur quòd vno modo causa potest esse, quia aquæ dulces sunt magis subtiles, & leues, ideò sunt magis retentiuæ actionis Lunæ, quàm aqua maris propter grossitiem, ideò adhuc faciliùs passibilis, quemadmodum à qua passa à Sole magis passibilis est ab eodem. Tertia causa est, quòd fortè Luna habet specialem influentiam super aquas maris, & non super aquam dulcem.

Quartò, potest dici quòd aquæ dulces proportionabiliter fluunt, & refluunt secundùm quantitatem ipsarum, tamen hoc non apparet propter paruitatem.

Et rationes solutæ sunt per dicta, &c.



QVÆSTIO III.

Utrùm mare debeat esse salsum?



ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd locus, quem occupat mare, non esset naturalis ipsius. Consequens est contra Aristotelem *in isto secundo.* Probatur consequentia, quia elementum debet esse purius, & simplicius in loco suo naturali, quàm alicubi alibi. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, sequeretur quòd tandem mare efficeretur dulce: consequens falsum. Tenet consequentia, propter introitum fluuiorum. *Secundum.*

Tertiò, mare est principium, & mater aliarum aquarum; igitur non est salsum. Tenet consequentia, quia principium, & principiatum debent conuenire; modò aquæ dulces non sunt salsæ. Et antecedens apparet, quia mare est mater aquarũ. *Tertium.*

Quartò, si sic, hoc esset propter commixtionem exhalationis cum aqua maris, sicut dicit Aristoteles *in isto secundo*, sed propter hoc non, quia propter abundantiam aquæ, & humiditatis faciliter consumeret istam siccitatem. *Quartum.*

Quintò, quia aquæ pluuiales, & stagna non sunt salsa; igitur nec mare. Tenet consequentia, quia sunt eiusdem rationis. Et antecedecs patet ad experientiam. *Quintum.*

Oppositum arguitur per experientiam. *Opposit.*

In ista quæstione primò præmittendę sunt suppositiones de generatione salsedinis. Et prima est, quòd salsedo generatur ex commixtione sicci terrestris cum humido. Probatur per experientiam, quia lixiuum est salsum propter commixtionem ad aquam; & quòd ibi sit commixtio patet, quia aqua per talem colationem, redditur colorata, spissior, & ponderosior quã ante, quod non esset, nisi partes superiores cinerũ essent sibi commixtę. 2. *Salsedo vnde generetur.*

Secunda experientia, quia videmus quòd vrina est salsa, propter commixtionem superflui nutrimenti cum sicco terrestri remanente post digestionem, cuiusmodi est hypostasis vrinæ.

Tertia experientia est de sudore, & de salsedine sudoris, quæ prouenit ex commixtione humiditatis cum partibus terrestribus ablutis à carne, quas defert sudor distillando per carnem. Ideò dicit Arist. *in lib.* 2. quòd sudor est ablutio carnis.

Quarta experientia est de quadam aqua in Palæstina, in qua homo ligatus non potest cadere ad profundum, & ideò fluuius, siue stagnum illud est valde salsum, & hoc non prouenit, nisi ex commixtione terrestrietatis sibi admixtæ.

Quintum signum est ponderositas, & grossities aquæ salsæ; nam aqua putei salsi plus ponderat, quàm aqua dulcis in æquali quantitate, & hoc non, nisi per terrestreitatem admixtam aquæ.

Secunda suppositio est, quòd ad generationem salsedinis concurrit actio caloris euaporantis illud quod dulce est, & subtile adiacentis, sed grossum, & terrestre remanet. Probatur primò, quia videmus corpora assata esse magis salsa, vel tendere magis ad salsedinem, & hoc non nisi *Quid ad eius generationem concurrat?*

propter

propter adustionem terrestris remanentis,& euaporationem subtilioris.

Secundò patet, quia est quidam fons in Arabia, circa quem crescunt herbæ, quæ dicuntur *Stirpea arundines*, quæ si comburantur, & cineres earum mittantur in aquam, conuertuntur in salem, aqua frigefacta, quod non esset sine adustione caloris.

Tertiò, quia lixiuum nunquam fieret, nisi ex cineribus adustis, saltem non fieret bonum. Similiter meliùs fit cum aqua calida, quàm cum aqua frigida, quod non esset, nisi actio caloris faceret ad generationem salsedinis.

Quartò patet illud de salsedine superfluorum nutrimentorum; nam per calorem naturalem subtilius nutrimenti resoluitur, & siccum terrestre aduritur; cuius signum est, quantò diutiùs applicatum calori remanet siccum, tantò efficitur salsius.

Quintò patet, quia per actionē caloris resoluitur humiditas, quæ est causa putrefactionis, ideò remanet siccum, ex quo generatur salsedo, quæ præseruat à putrefactione.

4. Tertia suppositio est, quòd commixtio sicci terrestris, vnà cum actione caloris, non sufficiunt ad generationem salsedinis. Et hoc est verum, nisi materia fuerit propinqua dispositioni ad salsedinem, vt patet de cineribus adustis.

Patet suppositio per Aristotelem *in lib. de sensu & sensato*, vbi vult quòd si cui simplex, vel etiam humidum non poterit esse subiectum vaporis, vel odoris, vt patet ad experientiam. Nam Sol non statim generat salsedinem in luto per calorem; vbi tamen est commixtio sicci terrestris cum humido.

Dulcedo quomodo generetur. Et omnes istæ suppositiones possunt patere ex modo generationis dulcedinis, quæ opponitur salsedini. Nam dulcedo fit ex commixtione humiditatis digestæ, quodammodo conueniente aëre cum sicco terrestri moderato, & calore moderato coadiuuante; ideò vbi fuerit calor immoderatus, siccitas immoderata, & non conueniens digestio, sed potiùs adustio ibi generabitur salsedo.

5. *Conclusio 1. In mari est siccum terrestre.* Secundùm hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quòd in mari est siccum terrestre. Probatur conclusio, quia multæ partes terrestres deferuntur ad mare per flumina, quæ non cadunt ad fundum maris, sed propter motum fluxus, & refluxus semper tenentur commixtæ mari. Et quòd non cadant ad profundum patet, quia fundus maris inuenitur arenosus, & non lutosus.

Secundò, ad hoc facit calor Solis, qui cum vaporibus resolutis à terra & aqua eleuant exhalationes calidas, & siccas eis admixtas, quæ iteratò cum pluuia cadunt deorsum, tunc iteratò per actionem caloris subtile euaporatur, & grossum remanet.

Tertiò, patet hoc ex grossitie aquæ maris, in qua nauis plus portat, quàm in aqua dulci.

Quartò, patet ex ponderositate aquæ maris.

Quintò, patet per experientiam Aristotelis: nam si capiatur vas ferreum, cuius omnes rimæ sunt perfectè obturatæ, & ponatur in mari, intrabit aqua dulcis; & hoc signum est, quòd siccum terrestre propter grossitiem non poterit intrare. Et dicit Auctor de proprietatibus rerum quòd oportet vas illud iacere in mari per diem naturalem.

Secunda conclusio est, quòd in mari est actio caloris resoluentis subtilius, & quodammodo adurentis partes grossiores, & terrestres. Probatur, quia mare per latera superiora exponitur Soli, qui natus est resoluere partes subtiliores. Secundò, facit ad hoc motus maris, & etiam motus ventorum, vt dicebatur in prima quæstione huius secundi. *Conclusio 2. Est actio caloris.*

Tertia conclusio est, quòd mare debet esse salsum. Probatur, in mari reperiuntur salsedines; igitur ipsum debet esse salsum. Tenet consequentia, quia in agentibus naturalibus positâ causâ ponitur effectus. Et apparet antecedens, quia causæ salsedinis sunt commixtio sicci terrestris, & actio caloris; non tamen fit permanentia caloris agentis super illud passum; modò ista reperiuntur in mari per præcedentes conclusiones. *Conclusio 3. Mare debet esse salsum.*

Aliter potest imaginari causa salsedinis maris, vnde sicut sub eodem genere propinquo fructus sunt multa poma diuersarum naturarum, quorum aliqua determinant sibi calorem, saporem, & odorem, quædam alia non determinant; ita sub eodem genere aquæ multæ sunt contentæ diuersarum specierum, sicut aquæ maris, & aqua fontis, & huiusmodi, & aqua maris determinat sibi de sui natura salsedinem, & commixtionem exhalationis, quam immediatè consequitur salsedo, per quam salsedinem conuertit saporem aquarum dulcium in sui naturam, per commixtionem. *Causa salsedinis maris.*

Quarta conclusio est, quòd aquæ fluuiales, & fontes non debent esse salsæ, cuius causa datur in tertia suppositione, quia ad hoc quòd per actionem Solis, aliquid efficiatur salsum, requiritur longa actio Solis in ipsum, vt patet de mari; & aquæ fluuiales modico tempore durant à principiis fontium vsque ad mare, ideò Sol non sufficit ipsas conuertere in salsedinem. 7. *Conclusio 4. Fluuij & fontes cur nō sint salsi?*

Et si quæratur de aquis stagnalibus, & lacubus, quæ permanent in eodem loco. *Nec lacus.*

Respondetur quòd de talibus aquis continuè partes resoluuntur, nec permanent, sicut apparet, sed nouæ aquæ semper succedunt, ideò non potest Sol aquas illas alterare ad salsedinem.

Quinta conclusio de causa finali, & potest dici quòd finaliter salsedo maris est propter conuersationem quorundam piscium, & animalium, quæ ad *esse* eorum requirunt mare salsum, quemadmodum homines requirunt aërem. *Conclusio 5. Causa finalis salsedinis maris.*

Per hoc ad rationes. Et ad primam, *sequeretur*, &c. Negatur consequentia, quia non oportet quòd elementum sit potius in loco suo naturali. *Ad argum. 1. principale.*

Ad secundam, *tandem deberet fieri dulce*. Negatur consequentia propter duas causas, vt dictum est. Vna, quia continuè cum aquæ dulces fluunt in mari partes terrestres, quæ non descendunt ad fundum, sed retinentur commixtæ partibus maris propter eius motum, & grossitiem. Similiter ex alio propter calorem Solis, qui aquas dulces consumit, & euaporat, & grossiores remanent deorsùm. *Ad 2.*

Ad tertiam, *mare est mater*, &c. dicitur quòd intelligitur, quòd aliæ aquæ fluunt ad mare. *Ad 3.*

Ad quartam, *tunc humiditas consumeret*, &c. dico quòd non, quia humiditas non est causa nisi accidentaliter. *Ad 4.*

Ad aliam rationem dictum est in vna quæstione.



QVÆSTIO IV.

Utrùm ventus sit exhalatio calida & sicca?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd tempore ventoso esset maior caliditas, quàm aliis temporibus. Consequens contra experientiam, vt in pluribus, nam in vento ponimus res calidas, vt frigidentur. Probatur consequentia, ex quo ventus est exhalatio calida & sicca, tempore ventoso esset maior caliditas illius exhalationis.

Secundum. Secundò, aliquis ventus est frigidus; igitur ille ventus non est exhalatio calida. Consequentia patet, quia idem non est calidum & frigidum. Et antecedens apparet ex ventorum differentiis, nam venti sic differunt, quòd quidam sunt calidi, quidam frigidi.

Tertium. Tertiò, aliquis ventus est humidus; igitur non omnis ventus est siccus. Tenet consequentia, quia idem non est humidum, & siccum. Et antecedens apparet in isto secundo, nam Auster est ventus humidus, qui adducit nobis pluuias.

Quartum. Quartò, sequeretur quòd plures venti fierent existente serenitate, quàm aliis temporibus nebulosis. Consequens est contra experientiam, nam tempore sereno, vt in æstate, pauciores sunt venti. Probatur consequentia, ex quo ventus est exhalatio, & existente serenitate maior est siccitas.

Quintum. Quintò, si sic, sequeretur quòd ventus deberet ascendere sursùm. Consequens contra experientiam, cùm moueatur ad latus, & ad diuersas differentias positionis. Et probatur consequentia, quia exhalatio calida & sicca est leuis, & talis nata est ascendere sursum.

Sextum. Sextò, quia ventus est aër motus; igitur non est exhalatio calida & sicca. Tenet consequentia, quia aër est calidus & humidus, & aër non est exhalatio. Et probatur antecedens, nam ignis mouetur in sua sphæra, & etiam aqua mouetur per motum fluxus, & refluxus, & sic similiter aër cùm sit elementum fluxibile mouebitur in loco suo, ex quo motu causabitur ventus.

Secundò, confirmatur antecedens per Senecam, & Auctorem de imagine mundi, qui posuit quòd aër motus fit ventus. Tertiò patet illud, quia aliquis ventus est aër motus; igitur & quilibet. Tenet consequentia, quia quilibet ventus alteri videtur eiusdem rationis. Antecedens probatur, nam ventus sufflatus per folles est aër motus, & nil aliud.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem *2. huius, tractatu de ventis.*

In quæstione ista videndum est primò de causa materiali ventorum. Secundò, de causa formali. Tertiò, de efficiente. Quartò, de causa finali.

ARTICVLVS I.

De causa materiali ventorum.

QVantùm ad primum, sit prima conclusio ista, quòd ventus non sit aër motus. Probatur, quia vel aër sic mouetur ex sua naturali inclinatione, vel ab aliquo alio violentante ipsum; non primo modo, quia tunc non fieret vna vice, & cessaret alia; nec secundo modo, quia quæritur vnde esset principium motus, quo nunc mouetur ab vna parte, postea ab alia, & non videtur signabile tale mouens. 2. *Ventus nõ est aër motus.*

Secunda conclusio est, quòd ventus est exhalatio calida & sicca. Probatur, quia ventus & pluuia conueniunt inuicem per mutationem factam; igitur ventus est exhalatio calida & sicca. Tenet consequentia, quia pluuia generatur ex vapore, & pluuia est frigida & humida, & per consequens illud, in quod habet permutationem, debet esse ex exhalatione; igitur calidum & siccum, nam omnis permutatio est de de contrario in contrarium. Et antecedens apparet, nam magni venti faciunt cessare magnas pluuias, & è contrario, eò quòd materia vnius per alterationem cedit in materiam alterius. *Est exhalatio calida & sicca.*

Secundò, quia ventus est aër motus, vel vapor, vel exhalatio; sed non est aër motus, nec vapor; igitur exhalatio. Maior patet, quia non videtur quid aliud potest esse ventus, nisi vel aër, vel impressio causata in aëre, & omnis talis impressio est vapor, vel exhalatio, vel aliquid aliud genitum ex eis. Et antecedens patet, primò non est aër per primam conclusionem: nec est vapor, quia desiccat, vapor humectat; igitur est exhalatio.

Tertiò, arguitur per quoddam signum, quia videmus quòd maximi venti fiunt tempore, quo apparent flammæ intensæ, coruscationes, stellæ comatæ, & huiusmodi, quod non esset, nisi ventus esset ex consimili materia materiæ ipsarum; modò istarum materia est exhalatio; igitur, &c. Patet igitur quæ sit materia venti.

ARTICVLVS II.

De causa formali venti.

TVnc de forma sit conclusio ista, quòd forma eius dicitur motus, ita quòd exhalatio dicitur ventus à motu eius, quemadmodum corpus dicitur esse album, ab albedine eius. Patet, quia si exhalatio non moueatur, tunc nullo modo dicitur ventus, & si moueatur directè sursum, adhuc non dicitur ventus; sed si moueatur directè deorsum, vocatur *ecnephias*, & si circulariter moueatur deorsum, dicitur *turbo*, & si moueatur ad latus, & cum hoc quandoque ad diuersas differentias positionis, tunc vocatur *ventus*. 3. *Exhalatio dicitur ventus à motu eius denominatiuè.*

Ex isto sequitur quòd hoc nomen *ventus*, est nomen connotatiuum, & supponit pro exhalatione calida & sicca, connotando ipsam lateraliter moueri.

Secunda conclusio est, quòd in aëre semper est talis motus exhalationis, quamuis quandoque sit maior, quandoque minor, & quandoque nobis insen- *In aëre est semper exhalatio.*

insen

insensibilis. Probatur per hoc, quia semper in radio Solis videmus corpora atomalia moueri, & hoc non esset, nisi per exhalationem, quia hoc non est de natura aëris.

Secundò, verisimile est, quòd semper eleuantur tales fumi sursum, quamuis quandoque in maiori copia, quandoque in minori.

Tertia conclusio est, quòd cùm exhalatio sit mota, defertur aër. Patet; quia aër propter sui leuitatem & fluxibilitatem, faciliter est ducibilis ab aliquo impellente. Ex quo patet quare ventus minor nunquam est in principio suæ generationis quàm magis longinquè ab eodem. Patet, quia exhalatio in principio sui est modica, & defert secum aërem, ex quo efficitur maior flatus, & postea maiorem aërem vnà cum exhalatione noua, & sic continuè ad modum, quo fluuius augmentatur à principio suæ originis vsque ad introitum maris.

Sed sciendum est quòd differentia est inter modum augmentationis fluuij & venti: quia fluuius augmentatur, & defluit per vnum canalem solum, ideò perseuerat augmentando vsque ad introitum maris. Sed ventus non sic defertur per vnum canalem, sed propter leuitatem eius cùm fuerit congregatus in magna copia, dispergitur hinc inde, & consumitur à Sole, & sic cessat ventus. Patet ergo quæ sit forma illius venti.

ARTICVLVS III.

De causa efficiente ventorum.

5. *Opinio 1.* SEd nunc restat difficultas magna de principio effectiuo motus ipsius venti, à quo effectiuè ventus mouetur. Et de isto imaginati sunt aliqui quòd in aëre essent quidam spiritus, siue quædam Intelligentiæ, quæ communiter dicuntur dæmones, qui spiritus ad hoc deseruiant naturæ, quòd deferant ventos ad loca diuersa hinc inde secundùm voluntatem Domini, cui sunt subditi. Et hoc probatur: quia vel principium illius motus est immediatè ab aliquo cognoscente, vel non: si sic, non videtur aliud quàm tales spiritus, vel Intelligentiæ. Si à non cognoscente, hoc est falsum, quia in istis inferioribus non inuenitur aliquid non cognoscens, quod sit principium motus localis, nisi grauitas, vel leuitas. Modò venti non mouentur à grauitate, quia tunc caderent deorsum, nec à leuitate, quia tunc ascenderent sursum.

Secundò, quia videmus ventos localiter moueri, & incipere circuire à parte superiori, ita quòd per prius nubes deferuntur superiùs à vento quàm pertingunt inferiùs: modò non videtur quòd talis circulatio possit prouenire ab aliquo inanimato.

Refutatur. Sed ista opinio est falsa, nec naturaliter posita, quia quæreretur de figura huiusmodi inanimatorum, vel an essent sphæricæ figuræ, & tunc non possent secum quicquam deferre, sed mouerentur per aërem, ipsum diuidendo; vel essent alterius figuræ, ita quòd habeant difformitatem in suis partibus: & hoc non videtur verum, cùm aër, vel ignis, qui est materia ipsorum, non sit dura, nec potest facere difformitatem in partibus.

Hæc additio habetur in margine secũdi codicis. *Et arguitur quòd spiritus non possunt esse principia motiua ventorum, quia non mali, quia venti per suum motum aliquoties, imò semper, vt videtur, aliquod bonum faciunt: sed maligni spiritus non directè operantur tale bonum. Nec sunt spiritus boni qui principiant motus ventorum, cùm tantus labor eis non debetur, nec tot mala facere, quot per ventorum flatus contingunt.*

Istud additur quia nõ videtur quòd ratio Scoti multum militat contra istã opinionẽ, quia supponit falsũ negandũ ab eodem videlicet tales spiritus figurari.

Pro ista difficultate sit prima conclusio, quòd causa effectiua motus ventorum, est frigiditas propellés exhalationem deorsum. Probatur, quia talis motus non prouenit ab intrinseco videlicet grauitate, leuitate, vel Intelligentiâ mouente; igitur prouenit ab aliquo extrinseco violentante; igitur non ab alio, quàm frigiditate; & hoc per istum modum, quia exhalatio calida & sicca eleuata superiùs à calore Solis obuiat frigiditati mediæ regionis, vel alterius vaporis frigidi interpositi: à qua ratione contrarietatis propellitur deorsum, & quia materia leuis est & inclinata sursum, ideò mouetur ad latus, & vna parte mota, propter leuitatem aliam faciliter impellitur vnà cum aëre, & sic continuatur ventus ille vsque ad magnam distantiam, quo vsque materia sic dispersa per partes diuersas, consumatur à Sole, vt dictum fuit. *Causa effectiua generationis ventorum.* Secundò dico, quòd secundùm Astrologos, est verum quòd ad hoc faciunt influentiæ, & specialiter quòd constellationes, quarum vna nata est mouere exhalationem ab vna parte, & alia ad aliam.

Ex istis patet magna diuersitas opinionum de principio talis motus. Nam Philosophi naturales nituntur totaliter causam illius motus assignare ex parte materiæ: scilicet propter diuersas inclinationes exhalationis, vt dictum est iam. Sed Astrologi nituntur reducere causam in corpora cœlestia & constellationes cœlestes: sed alij, putà Necromantici, & huiusmodi, reducunt in spiritus & super Intelligentias mouentes. Sed tunc dubitatur vtrùm vniuersaliter omnis ventus moueatur tali modo: scilicet per propulsum à frigiditate. Secundò, dubitatur vtrùm motus venti sit naturalis?

Ad primum dicitur, quòd non oportet, saltem in aliquibus: verbi gratia, videmus quòd si lignum frigidum, & humidum valde, ponatur ad ignem, cùm fuerit benè digestum, & alteratum ab igne, exit fumus cum impetu, ac si ignis sufflaret. Similiter videmus de aliquibus montibus exire fumum cum magno flatu, ac si violenter sufflaretur: sicut dicit Aristoteles de quibusdam montibus Siciliæ. Vna causa illius motus est ista, quòd exhalatio inclusa in monte, vel igne, benè digeritur, & alteratur à calore, ita quòd est benè lenificata priusquam posset habere exitum: ideò cùm pateat sibi exitus strictus, exit cum impetu magno, & forti, ac si partes præcedentes sufflarentur à partibus subsequentibus.

Ad secundum, dico quòd motus venti non est naturalis, imò violentus, & contra inclinationem exhalationis.

ARTICVLVS IV.

De causa finali ventorum.

DE causa finali dicitur quòd ventus est principaliter & primò propter congregare nubes. 7. *Causa finalis ventorum.* Et ideò dicit Aristoteles quòd Cæcias attrahit nubem sicut auarus pecuniam. Secundò, mouetur

netur ventus propter deferre nubes de vna regione in aliam, propter irrigationem terræ, ita quòd per conuersionem nubis in aquam diuersæ partes terræ irrigentur propter motum nubis à vento. Tertiò, potest dici quòd est propter salutem arborum: quia sicut homo & alia animalia præter nutrimentum indigent quodammodo exercitio, vt meliùs conseruentur in sanitate: ita consimiliter motus arborum, est eis per ventum exercitium.

Patet igitur ex istis, quæ sit materia venti, quæ forma: vnde est principium motus ipsius, & propter quem finem fiat.

8. *Ad 1. argum. principale.* Ad rationes: ad primam, conceditur quòd tempore ventoso esset maior calor, nisi aliunde esset impeditum: scilicet, quia ventus ille deferret secum aërem recentem, vel quia transiret super niues, & glacies, vnde infrigidaretur: ideò ad ventum recentis aëris ponimus calida, vt frigefiant à vento.

Ad 2. Ad secundam: *aliquis ventus est frigidus*, &c. Negatur antecedens, quantùm est ex parte sui: & hoc propter frigiditatem loci, per quem transeunt.

Eodem modo respondetur ad aliam de humiditate.

Ad 3. Ad aliam: *tunc tempore sereno*, &c. Concedo consequentiam, & consequens, nisi impediret consumptio exhalationis à calore Solis.

Ad 4. Ad aliam: *tunc ventus ascenderet*: concedo quòd ventus ascenderet sursum, nisi propelleretur à frigiditate.

Ad 5. Ad aliam: *ventus est aër motus*; negetur. Ad probationem dico quòd non est simile, quia ignis mouetur per naturam, & aqua mouetur quodammodò violenter per influentiam Lunæ; modò neutra istarum causarum concurrit in aëre.

Ad 6. Ad aliam: *aliquis ventus*, &c. negetur. Ad probationem de follibus, dico quòd talis aër artificialiter motus non est ventus, nec est simile de huiusmodi aëre moto, & de vento; quia non possent imaginari talia artificia, quibus aër moueretur ad modum venti. Et sic finimus.



QVÆSTIO V.

Vtrùm Sol faciat cessare ventos?

1. *Arg. primũ.* IDETVR quòd non, quia si sic, sequeretur quòd in absentia Solis plures fierent venti, quàm in eius præsentia. Consequens est falsum, & contra Aristotelem 2. *huius*, vbi tractat de ventis *cap.* 2. vbi dicit quòd *esochiæ*, id est, tales venti boreales diebus flant, sed in noctibus cessant. Similiter hoc idem dicit *in tract. de terræ motu cap.* 2. vnde dicit noctes esse diebus tranquilliores propter absentiam Solis. Et in fine eiusdem dicitur quòd maior est tranquillitas in aëre facto calidò Solis, & spiritu transflato in terram: probat consequentiam, nam priusquam Sol sit causa cessationis venti, absente Sole plures venti debent fieri.

Secundum. Secundò, quia Sol est causa commotionis venti; ergo Sol non est causa cessationis. Tenet consequentia, quia idem non est causa oppositorum: & antecedens patet *in isto secundo*.

Tertiò, pluuiæ habent cessare ventos; ergo Sol non facit cessare ventos. Consequentia tenet, quia pluuia habet humectare, & Sol desiccare: modò contraria non sunt causa eiusdem effectus. Et antecedens patet ex præcedente quæstione. *Tertium.*

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 2. tract. de ventis, cap. 2.* *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de locis vnde proueniant venti originaliter. Secundò, videbitur de causis commotionis, & cessationis ventorum. Et tertiò de causis quorundam effectuum ventorum.

ARTICVLVS I.

Vnde proueniant venti?

QVantùm ad primum, sit prima conclusio ista; quòd venti veniunt originaliter à montibus, quemadmodum & fluuij, ita quòd veniunt à locis altis quodammodo tendentibus ad decliuitatem, sicut sunt latera montium, quæ sunt loca conuexa. Probatur: De illis locis veniunt venti originaliter, quæ sunt aptissima ad generationem ventorum: sed loca montosa sunt huiusmodi: ergo, &c. Maior nota est: & minor patet, quia montes sunt loca concaua, porosa ad modum spongiæ: modò talia loca sunt maximè disposita ad generationem exhalationis, sicut patuit in tractatu de modo generationis fluuiorum: modò ventus est exhalatio calida & sicca: igitur, &c. 2. *Vnde veniãt venti?*

Secundò, quia videmus magnos ventos, & multos circa loca montosa, propter multitudinem exhalationis in montibus illis generatam.

Tertiò, quia Boreas & Auster veniunt à montibus: igitur & omnes alij venti. Tenet consequentia: quia isti sunt venti validiores: & antecedens patet: primò de Austro, qui venit de montibus versùs meridiem: quia vel venit à Polo Antarctico, vel à Tropico Cancri, vel à montibus, qui situantur versùs meridiem. Non à Polo: quia exhalatio priùs consumeretur, quàm veniret ad nos, transeundo per regionem superiorem, vt Solis. Non à Tropico Cancri, tunc enim sequeretur quòd veniendo versùs nos, transiret super cacumina altissimorum montium: consequens est falsum, quia tunc cineres dimissi ex sacrificiis Deorum non remansissent perannum super cacumina montium. Et patet consequentia: quia venti non possunt montes penetrare.

Relinquitur ergo quòd veniant à montibus. Confirmatur, quia si Auster veniret à Polo, vel à Tropico, tunc sequeretur quòd nunquam flaret Auster in septimo climate, nisi flaret in omnibus aliis vsque ad meridiem. Consequens contra experientiam. Et probatur consequentia: quia si flet in septimo climate, & non in sexto; sequitur quòd venit de loco vltra sextum: & per istas easdem rationes probabitur quòd Boreas non venit à Polo Arctico. *Venti veniũt à montibus.*

Quartò, arguitur ad quæstionem, per experientiam: quia quandoque videmus ventum venire ab vna parte montis, & etiam à parte sibi opposita; & flat ventus sibi contrarius, quasi ambo illi venti venirent vel exirent de illo monte: quod non esset, nisi venti procederent originaliter à montibus.

Quintò,

Quintò, quia sic posito ventum venire de montibus, faciliùs possent prouenire effectus, & apparentiæ ventorum, vt patebit in vltima parte quæstionis: igitur hoc ponere, est rationabile.

3. Secunda conclusio est, quòd ad huiusmodi generationem ventorum non facit solùm exhalatio generata in montibus: imò cum huiusmodi exhalationes generatæ in locis decliuioribus, quas secum deferunt venti venientes de montibus. Patet, primò per Aristotelem in litera; qui ponit circa mare loca concaua, & porosa, quæ sunt apta ad generationem exhalationis. Secundò, ad hoc facit humectatio terræ à pluuia, quia tunc terra est magis disposita, & apta ad eleuationem vaporis, & exhalationum, quæ in illis commiscentur. Verum est tamen quòd in locis decliuioribus non tantum generatur de exhalatione quantum in montibus.

Ex istis potest inferri primò, quòd causa motus ventorum non est præcisè frigiditas propellens exhalationem deorsum. Patet, quia exhalatio inclusa infra montem, habet exitum in latere montis; ex quo exitu acquirit quodammodo impetum ad lateraliter mouendum: & postea frigiditas propellit, ne directè possit ascendere sursum, & sic possunt esse duæ causæ huiusmodi motus * naturalis: scilicet exitus lateralis de monte, & frigiditas propellens.

** al. lateralis (etsi original. habet naturalis) quia posuit suprà huiusmodi ventorum motum esse violentum.*

Secundò nota, quòd non potest benè præsciri quis ventus flabit in aliqua regione, & hoc per Astrologiam vniuersalem: imò in qualibet regione oportet habere obseruantias speciales ad hoc præsciendum. Patet, quia per talia principia vniuersalia potest sciri quando ventorum materia, quæ est in montibus, est consumpta, vel quando non.

Tertiò nota, quare sit gyratio ad diuersas partes Horizontis in generatione ventorum; quia cùm materia per actionem Solis sit consumpta in vna parte, & in alia parte sit multiplicata, tunc ventus cessat in vna parte, & incipit in alia: & ad hoc multum faciunt constellationes cæli, sicut ponit Aristoteles in textu.

Patet igitur à quibus locis originaliter veniunt venti.

ARTICVLVS II.

De causa commotionis, & cessationis ventorum.

4. QVantùm ad secundum, dico quòd causæ commotionis venti sunt duæ, scilicet causa materialis, & est abundantia humiditatis & viscositatis, & propter hoc dicit Aristoteles, quòd terra depluta magis est apta ad generationem ventorum, quàm terra arida: quia dato quòd tunc fiant multi vapores, propter humiditatem, tamen cum illis vaporibus plures exhalationes eleuantur, & maiores: & cum hoc vapores illi faciliter sunt conuertibiles in materiam venti, vt patuit in præcedente quæstione. Et quòd talis abundantia materiæ humidæ sit causa venti, est signum, quòd lignum humidum expositum igni priùs effumat quàm lignum siccum.

Causa commotionis ventorum.

Secundò, causa commotionis venti est caliditas sufficiens materiam humidam eleuare, & propter hoc in hyeme quamuis sit abundantia materiæ, tamen pauci fiunt venti, propter defectum caloris eleuantis: & per oppositum, in æstate, quamuis sit calor eleuans, tamen pauci fiunt venti propter defectum materiæ. Ideò temporibus intermediis plures fiunt venti.

Tunc de causis cessationis, dico quòd causæ cessationis sunt duæ, scilicet caliditas & frigiditas: tamen diuersimodè. Vnde caliditas dupliciter potest esse causa cessationis venti. Vno modo, quia prouenit desiccando terram, priusquam fumus eleuetur, & sic quodammodo suffocat exhalationem: verbi gratia, in exemplo: nam paruum lignum priùs est combustum in igne magno quàm emittat fumum.

Causa cessationis ventorum.

Alio modo caliditas facit cessare ventum, consumendò materiam venti, resoluendo ipsam in aërem & dispergendo per loca diuersa, & sic in æstate faciliter cessant venti propter intensionem caloris Solis. Similiter frigiditas dupliciter est causa venti cessationis: vno modo quia per congelationem constringit poros, & meatus terræ, & prohibet eleuationem exhalationis. Alio modo quodammodo submergendo exhalationem, quando est magna frigiditas, & humiditas simul cooperiens locum, à quo debet exhalatio eleuari: & sic fortè est quòd à fundo maris paucæ exhalationes eleuantur, quæ conuertuntur in ventum. Patet ergo quæ sit causa commotionis, & faciens cessare ventos. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

De causis quorundam effectuum ventorum.

QVantùm ad tertium: dandæ sunt causæ diuersitatis quorundam ventorum: maximè Boreæ & Austri; quia de aliis satis patet 5.
in textu. Vnde primò Boreas est ventus siccus, serenus, & sanus, quia secundùm medicos confert ad digestionem, & confortat vim generatiuam, in tantum quòd flante Borea potiùs generantur masculi. Sed Auster est ventus pluuiosus, humidus, inducens ægritudines acutas, & tunc homines magis appetunt somnum.

Boreas qualis.

Auster.

Secundò apparet, quia sæpiùs fiunt venti Boreales quàm Australes.

Tertiò, quia venti australes maiores sunt Borealibus. Causa primi est ista, quia ventus Borealis venit à lateribus montium, quæ obiiciuntur ad Solem, & respiciuntur à Sole, & ideò fumus ille, qui cedit in materiam venti Borealis magis est alteratus à caliditate, & magis digestus, & magis depuratus, & ideò ventus ille est siccior, propter digestionem factam à calore, & est frigidior propter loca frigidiora, per quæ transit.

Sed ventus Australis venit à lateribus montium, quæ obiiciuntur ad Aquilonem, & respiciuntur ab Aquilone, & non à Sole, sed potiùs stant in vmbra Solis: ideò vapores ibidem eleuati, sunt humidiores, crassiores, & minùs puri; & ideò ventus Australis est humidus ratione vaporis crassi, ex quo generatur, & est calidus propter regiones, per quas transit: nam regiones meridionales calidiores sunt Septentrionalibus.

Causa secundi, scilicet quare plures Boreæ 6.
fiunt, &c. est ista: quia versùs Septentrionem est abun

abundantia materiæ magis quàm sit versùs meridiem, propter caliditatem regionum meridionalium, & quia latera montium, quæ obiecta sunt Soli, longiori tempore respiciuntur à Sole: scilicet ab Ortu vsque ad Occasum: ideò calor sæpiùs materiam istam potest eleuare versùs Septentrionem quàm versùs Austrum.

Et ex isto potest reddi causa, quare *Esochia*, id est, venti Boreales magis flant de die quàm nocte, quia de nocte latera montium, ex quibus venti generati sunt, non respiciuntur à Sole: ideò tunc deficit calor eleuans, quamuis sit abundantia materiæ: sed de die flant, propter sufficientiam caloris & materiæ.

7. De causa tertij, dico primò, quòd quantùm est de se, quia ventus Septentrionalis debet esse maior, & impetuosior, quia in partibus, à quibus venit Boreas, est maior abundantia materiæ, & cum hoc materia illa magis aspicitur à Sole.

Secundò, dico quòd per accidens ventus Australis potest fieri maior, quia terra habitabilis, procedendo versùs Septentrionem continuè est magis arcta, & stricta; ideò exhalationes delatæ per ventum Australem semper magis vniuntur. Sed quia per oppositum est procedendo versùs Austrum, terra habitabilis vadit dilatando, ideò ventus Borealis vadit continuè se ampliando, & ex tali dispositione & ampliatione debilitatur impetus eiusdem de naturis aliorum ventorum: & de situ & positione ventorum patet in textu. Et hoc de tertio.

8. *Ad 1. argum. principale.* Ad rationes: Ad primam, *sequeretur quòd in absentia Solis*, &c. Negatur consequentia, quia diuersimodè Sol facit cessare ventos & commotionem, vt dictum est.

Ad 2. & 3. Ad secundum & tertium simul, dicitur quòd idem potest esse causa contrariorum propter diuersitatem materiæ dispositionis. Similiter contraria possunt esse causa eiusdem. Hoc tamen erit diuersimodè, vt dictum est in Quæstione. Et sic finis.



QVÆSTIO VI.

Vtrùm terræmotus sit possibilis?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non: quia tunc terra moueretur circulariter, vel motu recto: non circulariter, quia non apparet vnde esset principium illius motus; nec motu recto, quia tunc terra ascenderet à centro mundi: quod est impossibile.

Secundum. Secundò, terra sic frangendo, vel moueretur naturaliter, vel violentè: non naturaliter, quia terra est elementum solidum, durum, & graue: tale autem de natura sua non debet frangi, & moueri, maximè cùm sit in loco suo naturali: quia non apparet vnde vis mouens, & frangens habeat tantam virtutem mouendi, & frangendi; & hoc cùm terra sit corpus valdè compactum.

Tertium. Tertiò, si sic; maximè fieret ab exhalatione, &c. modò hoc est falsum: quia exhalatio cùm sit leuis, non est nata descendere infra terram: & dato quòd includatur à terra, tunc propter subtilitatem exibit per poros terræ, & per consequens non fiet terræmotus.

Oppositum. Oppositum apparet per experientiam, & per Aristotelem *in isto secundo, tractatu tertio.*

In ista quæstione primò videbitur de causis & modo generationis terræmotus. Secundò, videbitur de loco & tempore, quibus fiunt terræmotus.

ARTICVLVS I.

De causis, & modo generationis terræmotus.

QVantùm ad primum, sciendum quòd terræmotus potest imaginari vno modo fieri circulariter circa centrum mundi. Alio modo potest imaginari moueri tota simul motu recto. Tertio modo, quòd moueatur motu recto per rarefactionem, secundùm aliquas partes sui expositas calori: sicut imaginantur aliqui quòd superficies obiecta Soli in æstate sit extensior propter rarefactionem quàm in hyeme: & de istis tribus modis non intelligimus in proposito. Quarto modo mouetur terra secundùm aliquam partem sui, quæ per fractionem, seu diruptionem cadit deorsum infra terram, & de isto modo loquimur in proposito. 2.

Secundò sciendum, quòd talis casus, siue motus terræ, potest prouenire vno modo, quando pars terræ alicuius regionis est multùm concaua, & quasi columnis subtus existentibus: & tunc columnæ istæ sustinentes incipiunt deficere, & terra propter pondus, & grauedinem cadit deorsum, & talis casus terræ maximè accidit in locis vbi fodiuntur carbones naturales, vt in* Leonia, Anglia, & Scotia. *al. Leodio.

Alio modo potest prouenire talis casus terræ propter aquam, quæ currit per vias subterraneas: quia aqua propter eius decursum quodammodò corrodit partes terræ subtus, in tantùm quòd tandem terra superstans propter pondus cadit deorsum. Et quamuis isti modi terræmotus sunt valdè similes terræmotui propriè dicto, tamen propriè non debent dici terræmotus.

Tertiò sciendum, quòd aliquando mouetur terra secundùm partem isto modo: quia quando homo accedit versùs illam partem terræ, pars remotior incepit ascendere, & hoc est propter aliquam globam tenuem, quæ cooperit aquam inclusam sub ipsam: cuius globæ superficies est quodammodo tenax, & de facili frangibilis: & iste modus mouendi non est terræmotus, de quo quærit Quæstio.

Ideò istis dimissis, ad habendam veram causam terræmotus sit prima conclusio ista, quòd infra terram in profundo includitur magna multitudo exhalationis calidæ, & siccæ. Probatur primò, quia sæpè videmus de terra exire multam talem exhalationem; quod non esset, nisi priùs fuisset inclusa infra terram. 3.

Secundò, apparet per rationem Aristotelis, quòd terra humectata interiùs per imbres & pluuias, desiccatur calore Solis, & virtute astrorum: & ex tali siccitate fiunt rimæ, & concauitates sub terra, in quibus exhalatio interiùs virtute astrorum includitur: & per illas rimas in superficie alia exhalatio subintrat.

Tertiò, quia aliquando ventus decurrit per superficiem terræ, & quandoque subintrat terram propter sui subtilitatem, & tunc accidit quòd pori

pori terræ clauduntur, & exhalationi non patet liber exitus, tunc includitur infra terram.

Quartò, quia aliquando aër, vel exhalatio, vel aqua inclusa infra terram condensatur à frigiditate intrinseca terræ, & comprimitur ita, quòd exhalatio illa, vel aqua occupat minorem locum quàm occupabat, & tunc ad replendum locum subintrat alter aër, vel exhalatio, quæ posteà includitur in concauitatibus terræ. Quòd autem sub terra sint tales concauitates, patet ex quæstionibus de generatione fontium, & fluuiorum.

4. *Causa terræmotus.* Secunda conclusio, quam ponit Aristoteles est ista, quòd talis exhalatio inclusa infra terram est velox nata ferri ad longinquam distantiam, & fortissimè percutit, ita quòd est fortis in pellendo, & in mouendo: & hoc ponit *tractat. 3. cap. 2. huius secundi.* Ista conclusio probatur ex modis, quibus exhalatio inclusa infra terram, potest habere vigorē & fortitudinē, &c. Primò, quia exhalatio sic inclusa est leuis, nata ascendere sursum, & de facto ascendit infra terram quantum potest; & quia obuiat superficiei terræ, quam non sufficit diuidere, repercutitur ab illa superficie infra seipsam, & ex illa vnione in seipsam fortificatur in virtute.

Quomodo exhalatio fortificatur. Secundò, quia illa exhalatio inclusa interiùs, calefit, & rarefit: & propter sui rarefactionem, appetit seipsam dilatare, & quia non habet locum, in quo se dilatet, ideò infra seipsam fortificatur, & intenditur; quemadmodum videmus quòd ignis inclusus muris, vt in caminis, est fortior, & intensior, quàm si vndique haberet liberam diffusionem.

Tertiò, quandoque exhalatio illa inclusa comprimitur ab aqua subterranea, vel alia exhalatione superueniente, & ex compressione intenditur, & fortificatur vigor exhalationis, quemadmodum ventus transiens loco strictiori fortiùs impellit, cæteris paribus, quàm ventus habens ampliorem diffusionem.

Quartò, per antiperistasin potest fortificari vis exhalationis, & hoc à frigiditate circumstante.

Isti sunt modi & causæ, quibus vis exhalationis inclusæ infra terrā potest fortificari. Et istam conclusionem declarat Aristoteles duobus signis: scilicet quòd talis exhalatio sit magnæ virtutis ad mouendum, & percutiendum: quia videmus quòd fulmen generatum in nube, quæ est quædam exhalatio mirabiliter est magnæ virtutis motiuæ, & vehementis ictus, in tantum quòd eradicat arbores, deiicit domus, & castra, & incinerat fructus.

Exemplum. Secundò, quia videmus in corporibus nostris, quòd spiritus inclusi infra nos, scilicet spiritus vitales, quandoque mouentur ita velociter, & impetuosè, quòd motus illorum spirituum, non potest reprimi, & si quandoque reprimitur, hoc tamen est cum magna difficultate; sicut patet in animantibus patientibus febres acutas, & in animantibus infrigidatis, quæ à partibus inferioribus patiuntur tremorem, qui de facili non potest reprimi: ita consimiliter est de vaporibus inclusis infra terram.

5. Ex istis conclusionibus sequitur causa terræmotus: quia infra terram includitur exhalatio calida, & sicca, quæ fortificata interiùs aliquo dictorum modorum fortiter percutit, & agitat latera terræ, & tandem in tantum fortificata frangit terram nimio impulsu, & exit, & fit terræmotus. De eius signis, & accidentibus dicetur in alia quæstione.

Secunda conclusio est, quòd impossibile est totam terram simul, & semel sic moueri, ni fuerit miraculosè. Probatur, quia non est possibile naturaliter quòd terra vndique sit concaua, & porosa, vel quòd vbique simul & semel illa exhalatio inclusa posset fortificari: imò aliqua sunt loca terræ ita compacta, quòd vix aliquæ, aut nullæ sunt concauitates ibi: ideò rarò fit ibi terræmotus. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De loco & tempore, quibus fiunt terræmotus.

QVantùm ad secundum, de loco, patet primò ex præcedentibus, quòd non fit, nec potest fieri simul & semel per totam terram. Secundò, non fit communiter, & ita sæpè in insulis sicut in aliis partibus; eò quòd minùs de exhalatione ibidem includitur; vel si sit inclusa, infrigidatur quodammodo ab aqua circumstante, vel ab aqua, quæ sibi commiscetur. 6. *In quibus locis fit terræmotus.*

Tertiò, minùs fit in locis Septentrionalibus quàm Meridionalibus. Causa est, quia exhalatio est magis crassa versùs Septentrionem, propter frigiditatem terræ, ideò minùs faciliter potest intrare terram. Quartò, non fit circa Ægyptum, quia ibi est terra valde compacta, & densa, ita quòd subtus terram propter compactionem non sunt concauitates, quibus includatur spiritus. Quintò, terræmotus fit in locis montosis, propter concauitatum multitudinem, in quibus includitur exhalatio. Sextò, magis fit in regionibus, quæ sunt spongiosæ, & subantrosæ, cuiusmodi sunt Achaia, Sicilia, Eubœa.

De tempore: primò terræmotus fit post multas pluuias, & imbres, quia tunc exhalatio propellitur sub terra. Secundò, fit post multas siccitates, quia tunc plurimæ exhalationes propter multitudinem subintrant terram. 7. *Tempus terræmotus.*

Tertiò, minùs fiunt hyeme, & æstate, sed magis temporibus intermediis, & hoc propter eandem causam, quæ dicebatur de ventis. Quartò, magis fiunt de nocte quàm de die, quia noctes sunt tranquilliores: & signum est quòd exhalatio includitur sub terra. Quintò, si fiunt de die, maximè fiūt in meridie, quia tunc sedatus est impetus exhalationis super terram propter calorem. Sextò, fit circa eclipsin Lunæ; scilicet modicum antè, vel pòst, quia tunc sedatus ventus exterior, propter defectum caloris Lunæ. Et hoc de secundo.

Ad rationes: Ad primam, patet quòd non intelligitur de tali motu. 8. *Ad argum. 1. principale.*

Ad secundam, dico quòd talis motus, scilicet fractio terræ fit violenter: & quamuis hoc non posset fieri naturaliter, propter soliditatem terræ, potest tamen fieri violenter ab aliquo alio impellente. & quando quæritur vnde veniat tanta vis illius impellentis? Respondetur, quòd aliquo modorum, qui priùs dicti sunt. *Ad 2.*

Ad tertiam, *exhalatio illa propter leuitatem,* &c. Concedo quòd exhalatio illa exit propter leuitatem, quanquam tum contingit quòd non pòtest exire, & ideò quando exit per poros, tunc fit *Ad 3.*

fit ventus, & non terræmotus. Et sic dictum est ad quæstionem.



QVÆSTIO VII.

Vtrùm tranquillitas sit signum terræmotus?

1. *Arg. primū.* RGVITVR quòd non, quia tunc sæpe fieret terræmotus: consequens est contra experientiam, & contra Aristotelem *in isto secundo.* Probatur consequentia, quia sæpè fit tranquillitas.

Secundum. Secundò, aliquando fit terræmotus, non existente tranquillitate: ergo tranquillitas non est signum terræmotus. Tenet consequentia, quia iam signum id esset falsum, & non certum. Et antecedens patet *in isto secundo.*

Tertium. Tertiò, hoc maximè esset, quia tunc exhalatio includeretur infra terram, sed propter hoc non: ergo, &c. Consequentia tenet, & maior patet per Aristotelem *in isto secundo.* Et minor patet, quia tranquillitas potest fieri per alias causas quàm per introitum exhalationis in terram, sicut per conuersionem exhalationis in aquam, vel per consumptionem ipsius à Sole.

Quartum. Quartò, quia dato quòd exhalatio includatur infra terram, adhuc possibile est quòd non fortificetur vis eius ad impellendum, vel mouendum; ergo tunc non fieret terræmotus, & per consequens tranquillitas non est signum terræmotus.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 2. tract. 3. cap. 2.*

In ista quæstione primò notanda sunt signa præcedentia terræmotum, ex quibus scilicet posset prognosticari terræmotus. Secundò, enudabuntur signa sequentia, & effectus principales consequentes terræmotum.

ARTICVLVS I.

Signa præcedentia terræmotum.

2. *Signū primū terræmotus.* QVantùm ad primum, pónit Auerroës quòd vnum signum terræmotus est, quando aues non nisi cum tremore sedent super terram, ita quòd volant modicum ascendendo, & descendendo, quasi non essent securæ permanere super terram. Et causa non est alia, quia hoc habent ex instinctu naturæ; siue instinctus ille sit cognitio, siue non.

Secundum. Secundum signum est turbulentia aquæ puteorum & salsedo, vel alter vapor inconsuetus, & hoc est propter commixtionem exhalationis infra terram cum aqua illius putei.

Tertium. Tertium signum est, quando res existentes in mari quodammodo tremunt, & mouentur: & fortè causa est, quia aliqualiter mouentur à parte exhalationis exeuntis de terra.

Quartum. Quartum signum est tumor maris inconsuetus sine vento: & causa huius est, quia exhalationes inclusæ infra terram appetentes ascendere sursum, de facto ascendunt, saltem partes subtiliores, quæ commiscentur mari in ascensu, & in illa commixtione efficitur tumor maris.

Quintum signum est, de quo quærit quæstio, & etiam ponit Aristoteles, scilicet tranquillitas, quia existente tranquillitate, exhalatio quæ est materia venti, includitur infra terram, & ex tali inclusione causatur terræmotus, vnà cum aliis causis. *Quintum.*

Sed sciendum, propter rationes in oppositum, quòd tranquillitas non est signum conuertibile terræmotus, quia sæpè fiunt terræmotus, vt dicit Aristoteles *in isto secundo,* non existente tranquillitate. Causa est, quia vna pars exhalationis inclusa est infra terram, & alia supra, per quam causatur ventus, & hoc contingit quandoque ex hoc, quia ventus veniens ab vna parte totus intrat terram per rimas, & concauitates terræ, & postea ventus veniens ab alia parte transit sic per terram. Verum est tamen quòd tunc fiunt maiores terræmotus, quando tota exhalatio includitur infra terram, & est tranquillitas supra terram. 3.

Secundò patet, quòd non sit signum conuertibile, quia sæpè fit tranquillitas non existente terræmotu: & hoc pro tanto, quia tranquillitas illa fit propter alias causas, quàm propter introitum exhalationis infra terram: quia propter consumptionem exhalationis à Sole, aut per conuersionem ipsius in vaporem & materiam aquæ; vel etiam alio modo: scilicet, quando exhalatio est supra terram, & quando est magnus ventus; & tunc frigiditas superueniens præuenit congelando, & constringendo poros terræ priusquam subintret exhalatio, & tunc existente gelu fiunt magni venti.

Sextum signum, est quidam sonus, ad modum mugitus, vel tubæ, auditus infra terram. Causa est, quia tunc exhalatio interiùs inclusa incipit fortificari, & percutitur ad latera terræ, quibus continetur, & ex illa percussione causatur sonus, qui multiplicatur ad auditum nostrum per partes subtiliores exhalationis exeuntis per poros terræ. *Sextum.*

Septimum signum, est quædam nubecula parua, longa, & alba, situata versùs Occasum. Causa est, quia tunc signum est, quòd non sunt venti superiùs, quibus distrahatur illa nubecula, & ideò permanet immobilis, & quieta. Et cùm etiam non sit ventus hìc * inferius, signum est quòd sola exhalatio sit inclusa infra terram: & hoc signum modicum præcedit terræmotum, & id idem est signum, vt dicit Aristoteles, serenitatis in mari. *Septimum.* ** al. superius, sed originale habet inferius.*

Octauum signum, est frigiditas aëris inconsueta ante ortum Solis sine vento. Causa est, quia exhalatio cùm de sui natura sit calida, reddit aërem calidiorem, cùm fuerit permixta aëri: & ideò deficiente exhalatione, redditur aër frigidior, & sic frigiditas illa est signum quòd exhalatio sit inclusa infra terram, & non permixta aëri super terram. Alia causa est, quia per talem frigiditatem inconsuetam, pori terræ clauduntur, & constringuntur, & prohibetur exitus exhalationis: modò exhalatio inclusa fortificatur per antiperistasin, & ipsa fortificata est causa terræmotus. Ista ergo sunt signa, quibus homo potest primò scire terræmotum esse futurum. Et hoc de primo. *Octauum.*

ARTICVLVS II.

Signa sequentia, & effectus consequentes terræmotum.

4. *Primus effectus sequens terræmotum.* QVantùm ad secundum, dicit Aristoteles, quòd primum signum, siue effectus concomitans terræmotum, est magnus sonus auditus in loco terræmotus: & quandoque sonus ille est maior, & quandoque minor, ad modum soni tubæ, vel mugitus animalium: & quandoque sonus ille est valdè terribilis. causa est, quia in terræmotu, terra dirumpitur ex impetu exhalationis impellentis sursùm, & ex tali fractione, & ex tali percussione ad latera concauitatis, causatur sonus: & diuersitas sonorum prouenit ex diuersitate exhalationis impellentis secundùm fortitudinem, & debilitatem, & ex diuersitate laterum concauitatis in figura, ad quam fit reflexio: nam quando exhalatio est multa, & fortis, & foramen exitus fit magnum, & amplum, tunc causatur sonus magnus, & terribilis. Sed quando locus exitus fuerit strictus ad modum meatus, vel tubæ, & exhalatio fuerit fortis impellendo, tunc auditur sonus altus, & acutus.

Secundus. Secundus effectus consequens terræmotum, est fractura terrarum, casus ciuitatum. vel subuersio, & ruina domorum. Causa est, quia propter fortitudinem exhalationis inclusæ, terra superstans nō sufficit resistere, & ideò diuiditur impetu exhalationis, & partes cadunt deorsùm in concauitatem, & similiter domus, vel ciuitas, si fuerint vicinæ loco exitus exhalationis.

Tertius. Tertius effectus, est generatio nouorum fontium, lacuum, & stagnorum. causa est, quia concauitas, in qua includebatur exhalatio, est valdè profunda, & decliuis, & ideò aquæ generatæ in locis superioribus circumstantibus decurrunt ad illam concauitatem, tanquam ad locum decliuiorem.

Quartus. Quartus effectus, est effusio maris super terram ad modum inundationis. causa est secundùm Aristotelem, quia exhalatio exiens de loco terræ, cùm fuerit multa, exit cum impetu magno, & accidit, quia obuiat exhalationi venienti in contrarium, quæ etiam est fortis, & impetuosa, & ex tali concursu ventorum contrariorum, qui sunt magnæ virtutis, eleuatur magna portio maris, & defertur vsque ad alia loca, vbi fit diffusio ipsius super terram, & quandoque submersio, & alia mala.

5. *Quintus.* Quintus effectus, est obscuratio Solis sine nube. Causa est, quia exhalatio ista exiens de loco terræmotus, ascendit superiùs cum quibusdam fumis spissis secum eleuatis, qui interponuntur inter visum nostrum; propter quam interpositionem Sol obscuratur, & quandoque stellæ de nocte.

Sextus. Sextus effectus, est generatio nouorum montium. & causa est, quia exhalationes eleuatæ secum deferunt multos pulueres, & partes terræ, & etiam lapides, & huiusmodi, quæ sunt in concauitate, quæ post exitum vniuntur ad inuicem, & cadunt in vnum locum, efficiendo montem.

Septimus. Septimus effectus, est diuisio terrarum, & aliquorum montium, qui priùs erant coniuncti. Sicut dicũt Authores, quòd Sicilia priùs erat continuata Italiæ, sed posteà per terræmotum, & mare separatæ sunt ab inuicem. Causa est, quia per terræmotum inter montes remanet quædam concauitas, quam propter decliuitatem subintrat aqua.

Octauus effectus, est aperitio nouarum Insularum, & hoc propter eandem causam. *Octauus.*

Nonus, sequitur incineratio, vel combustio locorum, vel ciuitatum. Causa est, quia quandoque exhalatio propter velocitatem motus, & impetum, quo exit de terra, incenditur, & inflammatur, & defertur vsque ad aliquas ciuitates, vel loca, quæ comburuntur ab exhalatione incensa. *Nonus.*

Decimus consequitur mortalitas, pestilentia & multitudo morborum, quandoque hominum, quandoque aliorum animalium. Causa est, quia exhalatio illa inficitur malis qualitatibus exeuntibus sub terra, à quibus alterabatur. Et quia exhalatio talis commiscetur aëri, quem inspirant animalia, ideò faciliter inficiuntur ab huiusmodi exhalatione. Vel potest dici, quòd huiusmodi pestilentia prouenit ex desiccatione aëris ab exhalatione eleuata de terræmotu, ad modum quo dicebatur de mortalitate consequente stellam comatam. Ista ergo sunt signa, & effectus consequentes terræmotum. *Decimus.*

Tunc de remediis contra terræmotum dicit Plinius, quòd melius est habitare in vallibus quàm in montibus, & tamen melius est habere domos subterrãneas, vel etiam bassas, quàm altas. Rationes sunt solutæ per dicta.



QVÆSTIO VIII.

Utrùm tonitruum sit extinctio ignis in nube?

ARGVITVR quòd sic. Quia sicut est de sono causato post impositionem ferri candentis in aquam, ita videtur esse de sono, qui est tonitruum: sed sonus talis fit ex extinctione, &c. Maior patet, quia isti duo videntur esse consimiles, nec differunt ab inuicem, nisi secundùm magnum, & paruum, intensum & remissum: & minor patet, quia sonus ille causatur ex extinctione ferri candentis in aqua, in quam ponitur. 1. *Arg. 1.*

Secundò, quia in generatione tonitrui ignis includitur in nube aquosa, vel saltem aliquid, quod est de natura illius: scilicet exhalatio calida & sicca: ergo in nube ex extinctione causatur sonus, sicut per similitudinem in aliis extinctionibus hîc inferiùs: ergo illle sonus videtur esse tonitruum, & per consequens generatur, &c. *Secundum.*

Tertiò arguitur per Aristotelem & Lincolniensem, *primo Posteriorum*, vbi definiunt tonitruum, dicentes, quòd *Tonitruum est extinctio ignis in nube.* *Tertium.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. 2.
In ista quæstione videndum est de materia, de forma, agente, fine, & effectibus tonitrui. Et sic prima conclusio, sit ista: quòd tonitruum generatur ex exhalatione calida & sicca. Probatur, primò, quia eadem videtur esse materia coruscationis & fulminis, & tonitrui: nam ista simul & semel fiunt in eadem nube, siue in eodem loco: *Materia tonitrui.*

sed materia coruscationis & fulminis est exhalatio: idem etiam tonitrui. Secundò, quia simul ascendunt vapores & exhalatio vsque ad mediam regionem aëris: ergo probabile est quòd in illa media regione exhalatio includatur infra vaporem: ergo in illo vapore fortificabitur exhalatio in virtute, & hoc per antiperistasim, eò quòd circumdata contrario: ergo ex illa fortificatione petit exitum à nube, propter sui leuitatem, & hoc non nisi percutiendo latera nubis: igitur ex tali percussione causabitur sonus, qui sonus vocatur *Tonitruum*, quia ex tali percussione generatur sonus, vt patet 2. *de Anima*. Tertiò, quia simile est de generatione soni facti quando flamma, vel ferrum extinguitur in aqua, & de sono facto in nubibus: modò sonus ille causatur ex quibusdam fumis leuibus, qui propter leuitatem appetunt ascendere à ferro per aquam: ita consimili modo sonus tonitrui causatur ex motu talis fumi, scilicet exhalationis per nubem, vel aërem ipsum diuidendo. Quartò, quia omnium impressionum quæ fiunt, materia est exhalatio, vel vapor: sed non apparet quomodo vapor potest esse materia talis soni: ergo non oportet quòd sit exhalatio.

3. *Modus generationis tonitrui.* Tunc igitur de modo generationis tonitrui ex exhalatione, sciendum, quòd tonitruum potest generari tripliciter: vno modo ex percussione exhalationis ad latera nubis, in qua includitur. Alio modo ex diruptione, vel fractione illius nubis per impetum exhalationis. Tertiò, per motum flammæ per aërem, ita quòd exhalatio sic inflammata & mouetur, & ex motu illius flammæ fit sonus, quem antiqui vocabant *Risum Vulcani*, quemadmodum videmus quòd flamma candelæ per aërem facit sonum. Si primo modo fiat tonitruum, hoc potest esse dupliciter, vno modo, quia exhalatio percutiens latera nubis, sit inflammata: & alio modo, quia non sit inflammata: & quocunque modo fiat sonus ille, est longus, magnus, & fortis, ad modum sonorum, qui fiunt ex rotis quadrigarum: & sic dicit Albertus. Si secundo modo, etiam potest esse, quia exhalatio sit inflammata, vel non: & siue sit, siue non, dum tamen nubes rumpantur per impetum exhalationis, fit vnus sonus magnus & fortis, non tamen longus, sicut si pannus rumperetur velociter secundùm longum: verbi gratia; in exemplo: nam cùm castaneæ fiunt benè calefactæ in igne, ita quòd fumi inclusi infra pellem fortificantur, & intenduntur, tunc petentes exitum, propter intensionem maiorem caloris, rumpunt pellem castaneæ; & fit magnus sonus secundùm quantitatem materiæ; quæ tamen est breuis. Ita consimiliter nubes aquosa est quasi pellis circumdans exhalationem, quæ fortificata concutit nubem & causat sonum, & quandoque disrumpit. Patet igitur ex istis, quòd efficiens tonitruum est exhalatio percutiens latera nubis, & flamma coruscationis mota per aërem, sed huiusmodi materia est nubes, ad quam percutitur, vel etiam exhalatio, vel aër, per quem mouetur.

4. *Forma tonitrui.* Sed forma tonitrui est sonus, quia à sono exhalato denominatur tonitruum, & aliunde non. Sed de diuersitate sonorum tonitrui dicit Aristoteles, quòd hoc proueniat ex diuersitate nubis, secundùm magnitudinem, vel paruitatem, seu densitatem, & raritatem: & secundùm difformitatem figuræ nubis in sua concauitate. Prouenit etiam ex disconformitate exhalationis secundùm fortitudinem & debilitatem impellendo: & ideò aliter causatur sonus quando nubes dirumpitur, quàm quando percutitur indirupta.

Tunc de causa finali: potest dici vno modo quòd tonitruum sit finaliter ad terrendum homines, & præ timore illius, magis sint moti ad cogitandum de Deo, & attribuendum sibi reuerentias. Aliter potest dici quòd tonitruum sit finaliter ad purgandum aërem, scilicet quia ex tremore consequente tonitruum, corrumpatur eius viscositas, & aliæ qualitates inficientes. Et ideò ponit Albertus quòd aliquando mortalitas cessabit per tonitruum. *Causa finalis.*

Tunc de effectibus tonitrui, dicitur communiter, quòd duo effectus ipsum consequuntur; vnus quando aër fortiter tremit, consequenter ad tonitruum, & ex isto tremore, siue illo fulmine, animalia prosternuntur & arbores, & huiusmodi effectus, qui fulmini attribuuntur. Alius effectus, quia quædam animalia efficiuntur surda, & quandoque homines per tonitruum. Causa est, quia ex tali forti tremore aëris dirumpitur quædam subtilis pellicula includens aërem connaturalem auri, quæ vocatur *Meninga*, & tunc euanescit aër, ad quem, siue apud quem debet fieri auditio. Ex quo patet quæ sunt causæ huiusmodi effectus fulminis & tonitrui. *Effectus.*

Sed dubitatur primò vtrùm exhalatio inclusa infra nubem occupet totum locum concauitatis nubis. Si non videtur quòd ibi sit vacuum: si sic, ergo non mouebitur concutiendo latera nubis. Ad istud respondetur, quòd in principio exhalatio, cui aër est commixtus, occupat totum locum nubis, sed posteà per circumstantiam nubis contrario exhalatio fugiendo condensatur, & aër sibi permixtus rarefit, & hoc per locum, à quo fugit exhalatio, & posteà exhalatio fortificata propter circumstantiam petit exitum à parte superiori, propter leuitatem eius, vbi nubes est spissior, & densior, & idem reflectitur à nube, quandoque deorsum, quandoque ad latus. 5. *Dubium 1.* *Responsio.*

Secundò dubitatur, quomodo nubes, cùm sit materia rara, & porosa ad modum fumi, vel caliginis, qualiter possit reflectere materiam ita impetuosam, vel etiam detinere, sicut est exhalatio calida, & sicca, cùm ipsa sit subtilis, vel valdè penetratiua propter sui leuitatem? Respondetur, quòd nubes, in qua fit tonitruum, non est ita rara sicut est fumus, vel caligo, sed benè densa est, & spissa, modicum differens à natura aquæ propter spissitudinem: cuius signum est, quòd nubes talis, in qua auditur tonitruum, semper est magna, & quandoque ex ipsa fiunt grandines. *Dubium 2.* *Responsio.*

Ex isto potest patere quare temporibus intermediis potiùs fit tonitruum, quàm hyeme, vel æstate. Causa est, quia hîc maior copia est exhalationis, & cum hoc, est sufficiens frigiditas mediæ regionis.

.. Et si dicas; videtur quòd semper tonitruum fieri debeat, vel vt in pluribus, quia exhalatio semper eleuatur cum vapore, in quo includitur. Respondetur, quòd hoc non sufficit, sicut dictum est; sed requiritur multitudo exhalationis, & cum hoc intensio frigiditatis circumstantis, & fortè quia multoties fit tonitruum, quando tamen non audimus propter paruitatem,

Tertiò, dubitatur, quare dicit Seneca quòd quandoque auditur tonitruum existente serenitate: ergo non requiritur nubes circumstans exhalationem? Respondetur, quòd si ita sit, quòd *Dubium 3.* *Solutio.*

tonitruum

tonitruum fiat existente serenitate, quòd tunc exhalatio includitur in aëre frigido mediæ regionis, & tunc consimilis effectus sequitur, sicut si includeretur in nube.

6. *Tonitruum non est extinctio ignis in nube.* Secundum hoc respondetur ad quæsitum, quòd tonitruum non sit extinctio ignis in nube. Probatur ex dictis: quia tonitruum est sonus factus ex motu exhalationis in nube, vel per nubem, vel per aërem. Secundò, si ita esset, sequeretur quòd priùs fieret coruscatio, quàm tonitruum: consequens est falsum, vt determinat Aristoteles *in isto secundo*, vbi vult quòd priùs fiat tonitruum quàm coruscatio, cùm priùs appareat coruscatio ex hoc, quia visus anticipat auditum. Et probatur consequentia, quia priùs mutatur ignis quàm extinguitur. Tertiò, quia vel ignis ille esset ibi generatus, vel aliunde veniret. Si ibidem generetur, non videtur quòd statim debeat ibi extingui: nec aliunde venit, vt probat Aristoteles in litera. Quartò, quia quandoque post tonitruum videmus ignem de nube exire & descendere ad terram, quod non esset, si esset extinctus in nube.

7. *Ad 1. argum. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, *simile est*, &c. Dico quòd simile est in hoc, quòd sonus, qui est tonitruum, causatur ex motu exhalationis in nube, vel per nubem, quemadmodum videmus quòd sonus in extinctione ignis causatur ex motu fumorum calidorum ipsius ignis per aquam, qui fumi sunt ad modum exhalationis. Sed dissimile est quòd in nube non extinguitur ignis, nec est ignis extinguendus quando fit tonitruum, sicut est quando ignis ponitur in aquam.

Ad 2. Ad secundam, dico quòd exhalatio illa non extinguitur in nube, sed frangit nubem, & tota simul exit descendendo deorsum.

Ad 3. fortè experimentaliter. Ad tertiam, dico quòd Aristoteles & Lincolniensis loquuntur exotericè, secundùm opiniones antiquorum.



QVÆSTIO IX.

Vtrùm coruscatio sit possibilis?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR quòd non. Nam si sic, tunc coruscatio fieret in nube: modò consequens est contra experientiam, quia sæpè fit coruscatio existente serenitate. Et similiter, cùm coruscatio sit quædam claritas, minùs debet apparere in locis densioribus vbi sunt nubes, quàm in rarioribus sine nube. Tenet consequentia per Aristotelem *in isto secundo*.

Secundum. Secundò, quia si coruscatio sit possibilis, tunc fieret ex eadem materia, ex qua fit tonitruum: modò consequens est falsum, quia citò disparet coruscatio, & tamen diu auditur tonitruum: quod non esset, si fieret ex eadem materia: & consequentia tenet per Aristotelem *in secundo huius*.

Tertium. Tertiò, quia aliquæ impressiones ignitæ non causant claritatem, nec possunt causare, quanta est claritas coruscationis; ergo nec etiam coruscatio. Consequentia tenet, quia omnium impressionum ignitarum, eadem est materia, & efficiens consimile, vt dictum fuit in primo libro. Patet autem de stellis cadentibus, & capris saltantibus, quæ non faciunt claritatem tantam.

Oppositum patet per Aristotelem *in isto secundo*: & patet per experientiam: & ista quæstio non est dubia: sed dubium est de causis, & modo generationis ipsius. Et ideo in ista quæstione videbitur primò, de causis, & modo generationis coruscationis. Secundò, videbitur de causis apparentibus, quæ contingunt circa coruscationes. Et tertiò breuiter de effectibus eius.

ARTICVLVS I.

De causis, & modo generationis coruscationis.

QVantùm ad primum, sciendum quòd infra nubem aquosam quandoque includuntur multæ exhalationes calidæ & siccæ, quodammodo tenaces & vnctuosæ, quæ intenduntur & fortificantur per antiperistasin, propter frigiditatem nubis circumstantis, quæ fortificatæ petunt exitum à nube, à qua propellunt quandoque deorsum, quandoque ad alias differentias positionis: & quia motus habet calefacere & inflammare, vt dictum fuit, ideò quandoque inflammantur exhalationes istæ à propulsu à nube, & apparent coruscationes, & tunc nubes diuiditur, & ex illa diuisione fit sonus, & apparet fulgor, & propter claritatem, & splendorem vocatur *coruscatio*, ita quòd eadem est materia, & propter sonum vocatur *tonitruum*. 2.

Secundò, sciendum quòd non solùm illæ exhalationes inflammantur per motu localem, sed quandoque igniuntur per solam fortificationem caloris à frigido circumstante.

Ex istis patet, quis sit modus generationis coruscationis, & quæ sunt causæ eius: nam causa coruscationis materialis, est exhalatio calida & sicca, aliqualiter vnctuosa. Sed causa efficiens remota est frigiditas nubis circumdantis exhalationem. Sed causa propinqua, & immediata eius, vel est motus inflammans propter velocitatem, vel calor fortificatus per antiperistasin. Sed causa eius formalis est splendor, vel claritas, quia à claritate exhalatio vocatur *coruscatio*, & aliter non. Et fortè causa finalis est salus quorundam viuentium hîc inferiùs; quia per talem inflammationem consumuntur multæ humiditates viscosæ, & infectuosæ aëris: quamuis etiam corrumpantur aliqua viuentia, vt postea dicetur. 3.

Tertiò, sciendum quòd quamuis tonitruum & coruscatio fiant ex eadem materia: tamen differunt, quia priùs causatur sonus ex illa materia quàm fiat coruscatio; scilicet ex eo quòd exhalatio priùs mouetur per nubem, quàm sufficiat nubem diuidere; & ex tali motu causatur sonus, & quandoque simul fiunt coruscatio & tonitruum, tamen partialiter. Verum tamen est, quòd quamuis priùs fiat tonitruum, priùs tamen apparet coruscatio. Cuius causa est, quia lumen multiplicat se per alterationem, & quodammodo subitò, & non temporaneè: sed sonus multiplicatur per motum localem, quia ad hoc quòd audiatur tonitruum, requiritur quòd sit quida- tremor aëris proueniens de nube ad aërem:r- semper motus localis requirit temporanc- cessionem. 4. *Tonitruum & coruscatio differunt.*

Quartò, sciendum de magnitudir nis, quia non solùm fit coruscatio pe

tionem materiæ, sed multæ partes eius fiunt per reflexionem luminis. Vbi sciendum, quòd corpora densiora magis nata sunt reflectere lumen quàm corpora rariora, & ideò nubes circumstantes materiam inflammatam resplendent, propter reflexionem luminis ad ipsas nubes, & ideò hîc apparet coruscatio maior, quàm si non esset nubes. Et sic patet quòd tempore nebuloso, & obscuro, maiores debent apparere coruscationes quàm tempore sereno, & lucido, propter duo. Primò, propter reflexionem maioris claritatis. Secundò, quia tempore obscuro, minùs obfuscatur claritas coruscationis, quàm tempore sereno, vel lucido. Ideò non solùm talis reflexio claritatis fit ad nubes, sed etiam ad aërem inspissatum, cui sunt multi vapores admixti; & propter hoc dicunt Perspectiui quòd crepuscula ante ortum & post occasum solùm fiunt propter reflexionem radiorum Solis existentis sub Horizonte ad aërem inspissatum propter vaporem admixtum. Patet ergo de natura & causis coruscationis, & quomodo generatur. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De causis apparentibus, quæ contingunt circa coruscationem.

6. QVantùm ad secundum, numeranda sunt accidentia, quæ contingunt circa coruscationes. Accidunt enim primò, quia coruscationes sæpiùs fiunt quàm tonitrua. Causa est ista, quia aliquando fit coruscatio ex fortibus causis, sicut ex multa exhalatione, & forti; à frigido circumstante multo, & satis intenso, quia hîc propter fortitudinem materiæ & agentis, non solùm coruscatio fit, imò & tonitruum; sed aliquando fit coruscatio ex leui materia, & absolutè debili; & tunc causæ non sufficiunt causare tonitruum, quamuis sufficiant causare coruscationem. Modò sæpiùs patet fieri coruscatio ex materia forti, vel ex materia leui, quàm tonitruum ex forti solùm.

Secundò accidit quòd coruscatio sæpiùs fit locis, & temporibus temperatis, quàm intemperatis: Causa est, quia ad generationem coruscationis requiritur competens multitudo exhalationis eleuatæ sursum, & cum hoc frigidum in medio interstitio satis intensum: modò ista fiunt meliùs tempore temperato vt Vere, vel Autumno, quàm in Hyeme, vel Æstate. Et consimiliter de locis, nam in frigidis prohibetur eleuatio exhalationis, propter constrictionem pororum terræ. Sed in æstate exhalatio consumitur, & etiam in locis excessiuè calidis. Et ideò dicit Plinius, quòd sæpiùs fiunt coruscationes in Italia, quàm in aliis partibus; eò quòd locus ille est temperatior.

7. Tertiò, accidit quòd plures fiunt coruscationes in extremitatibus nubium, quàm in medio nubis. Causa est ista, quia quandoque fit coruscatio per inclusionem exhalationis infra nubem, vt fuit dictum. Sed quandoque fit per motum exhalationis inter nubes, & hoc post diruptionem nubis spissæ & magnæ, in qua materia includebatur: modò coruscatio facta ex huiusmodi motu colorat extremitates nubium, inter quas mouetur: & quia sæpiùs fit ex tali motu quàm per inclusionem, ideò sæpiùs apparet coruscatio in extremitatibus nubium, quàm in medio.

Quartò, accidit quòd coruscationes apparentes in medio nubis sunt tortuosæ: ita quòd apertura illa, in qua apparet claritas, non est directa, sed torta. Causa est ista, quia coruscatio apparens in medio nubis fit per inclusionem exhalationis in nube, & ideò apparet per diuisionem nubis; & quia nubes est difformis in raritate, & densitate, ideò non diuiditur regulariter, sed difformiter, & tortuosè: modò secundùm figuram diuisionis nubis apparet figura coruscationis.

Quintò, accidit quòd audiuntur tonitrua quando apparet coruscatio in medio nubis, & non audiuntur quando apparent in extremitatibus. Causa est, quia quando apparet in medio nubis, tunc materia includitur in nube, per cuius motum infra nubem causatur sonus, & etiam per diruptionem nubis ex impetu exhalationis; sed cùm coruscatio apparet in extremitatibus nubium, tunc materia non includitur, nec fit sonus, nisi fuerit modicus, ad modum illius soni, qui fit ex ascensu flammæ. 8.

Sextò, accidit quòd magis fiunt coruscationes post transitum tempestatis, quàm durante tempestate. Causa est, quia humiditates aqueæ sunt depluтæ deorsum post tempestatem, & humiditates remanentes superiùs magis sunt digestæ per calorem, & aptiores sunt ad recipiendam inflammationem, quàm anteà.

Septimò accidit, sicut tactum fuit in argumentis, quòd quandoque apparent coruscationes sine nube. Causa est ista, quia quamuis in Horizonte nostro non sint aliquæ nubes: tamen in Horizonte satis propinquo, sunt nubes, in quibus fiunt coruscationes, & hîc claritas illius coruscationis reflectitur ad aërem inspissatum superiùs in Horizonte nostro. Et hoc de secundo.

ARTICVLVS III.

De effectibus coruscationis.

DE tertio, scilicet effectibus coruscationis: primò in generali consumitur humiditas vnctuosa aëris. Secundò, coruscatio interficit quasdam plantas & vegetabilia, consumendo flores, & fructus arborum, & plantarum, & hoc facit ipsos marcescere; & quandoque decolorando solùm. Tertiò decolorat vultum hominis. Et quartò nocet oculis; & omnia ista proueniunt ratione siccitatis, & malitiæ materiæ. Ex istis patet quæ sit natura coruscationis; quæ accidentia eius, quomodo generetur, & qui sint eius effectus. 9.

Ad rationes. Ad primam. *Tunc fieret in nube,* &c. Verum est, quandoque fit in nube, quandoque sine nube per reflexionem claritatis ad aërem inspissatum. *Ad argum. 1. principale.*

Et quando dicitur, *Minùs debet fieri,* &c. Dico quòd imò similiter debet apparere tempore nebuloso, quàm tempore claro, & sereno, propter causas priùs dictas: quemadmodum videmus quòd combustio domus à remotiori videtur, & magis incensa de nocte, quàm de die, & adhuc magis *Ad 2.*

magis de die, si tempus fuerit obscurum, quàm si fuerit clarum & serenum. Concedo tamen quòd sæpiùs fit coruscatio quàm tonitruum, eò quòd quandoque fit per inclusionem materiæ infra nubem, & quandoque per motum materiæ inter nubes: sed tonitruum solùm fit cùm materia includitur infra nubem. Similiter coruscatio citò disparet, cùm materia est rara, & faciliter consumitur vnctuositas per inflammationem.

Ad 3. Ad tertiam, *Aliæ impressiones*, &c. Negatur consequentia: primò, quia aliæ impressiones fiunt remotiùs à nobis, in superiori regione aëris; ideò dato quòd facerent tantam claritatem, non tamen apparet nobis propter distantiam. Secundò, possibile est quòd ibi non sit tanta abundantia materiæ, quanta est vbi apparet maior. Tertiò, quia coruscatio apparet maior quando fit per inflammationem, propter reflexionem claritatis ad nubem circumstantem. Et hæc sint dicta de secundo Libro.

Expliciunt quæstiones secundi libri Meteororum.



LIBER



LIBER TERTIVS METEORORVM.



QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Typhon, Ecnephias, & Incensio sint exhalationes siccæ?



1. *Arg. primū.* ARGVITVR quòd non: quia tunc descenderent de nube. Consequens est falsum, quia exhalatio sicca est, & per consequens habet ascendere sursum, potiùs quàm descendere deorsum; & patet consequentia per Aristotelem in principio tertij.

Secundum. Secundò, istæ impressiones quandoque existente serenitate apparent; igitur non est necessarium quòd descendant de nube, cuius tamen oppositum dicit Aristoteles. Antecedens patet ad experientiam, & etiam dicit Seneca *in naturalibus quæstionibus*.

Tertium. Tertiò, arguitur specialiter de Typhone, quia si exhalatio sicca esset Typhon, tunc illa moueretur circulariter; modò consequens est falsum, quia cùm Typhon sit quoddam mixtum imperfectum, oportet quòd moueatur secundùm naturam elementi prædominantis; modò cùm in ipso non prædominetur cælum, sequitur quòd ipsum non moueretur circulariter. Et patet conquentia, quia soli cælo inest motus circularis secundùm naturam, vt patet 1. *Cæli*.

Quartum. Quartò, Typhon ascendit à terra; igitur non descendit à nube. Tenet consequentia, quia isti sunt motus contrarij. Et antecedens apparet, quia in ascensu suo eleuat res iacentes super terram.

Quintum. Quintò, vel descenderet à nube naturaliter, vel violenter? si violenter, hoc maximè esset motu expulsionis à nube; modò hoc non potest esse, quia omne mouens simul est cum moto, 3. *Physicorum*: modò ibi non apparet mouens cum exhalatione: nec naturaliter, cùm sit de natura ignis.

Sextum. Sextò, non est verisimile, nec apparet quomodo tanta materia possit includi, quanta est moles, & magnitudo ipsius Ecnephiæ.

Oppositum. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto tertio.

In ista quæstione primò videndum est de Typhone. Secundò, de Ecnephia. Tertiò, de Incensione.

ARTICVLVS I.

De Typhone.

QVantùm ad primum sciendum est, quòd Typhon est ventus ille, qui directè descendit de nube circulariter vsque ad terram, super paruam portionem terræ, mediante quo eleuantur pulueres, & stramina; & quando est fortior, tunc eleuatur aliquod aliud magnum. 2. *Typhon quid.*

Secundò sciendum, quòd ventus iste generatur per hunc modum: quia in nube aquosa sufficienter frigida includitur exhalatio satis subtilis, quæ fortificata interiùs propter circumstantiam contrarij petit exitum de nube; & quia est materia leuis, ideò cum impetu ascendit ad partem superiorem nubis, à qua iteratò propellitur deorsum, & ex ista violentia propulsus diuidit nubem in parte inferiori, vbi est debilior, & in eodem impulsu descendit circulariter vsque ad terram, & iteratò reflectitur à terra. Ex quo patet quæ sunt causæ Typhonis, quia eius materia est exhalatio sicca, sed propulsus à nube est efficiens, & motus circularis est eius forma, à qua denominatur *Typhon*, & eius causa finalis fortè est purgatio aëris. *Quomodo generetur.* *Eius causa.*

Tunc igitur de differentia eius à fulmine, de quo priùs dicebatur, dico quòd differunt à parte materiæ, quia Typhon est ex materia grossiori, quàm sit fulmen, nam fulmen est magis penetratiuum. Secundò, differunt ex parte motus, quia fulmen mouetur deorsum, sine circulatione, Typhon autem mouetur circulariter. Tertiò, differunt ex parte qualitatum, quia materia Typhonis est sicca ad modum materiæ venti, & non inflammatur, sed materia fulminis est intensa, ideò secundùm Aristotelem non solùm fulmen percutit, sed cum hoc etiam adurit. 3. *Quomodo differat à fulmine.*

Contrà dubitatur primò, quia Typhon diuidit nubem in parte inferiori, eò quòd in illa parte est debilior. Contrà, primò, quia videmus quòd si aër includatur infra aquam, ita quòd maior spissitudo aquæ sit suprà aërem, quàm subtus, tum aër non petit exitum à parte inferiori, quamuis ibidem aqua sit debilior, sed propter leuitatem eius nititur ascendere in parte superiori, quamuis inferior sit debilior. *Obiectio prima.*

Secundò, quia ista pars nubis est fortior, & magis compacta vbi est frigiditas magis condensans aërem, vel vaporem, sed hoc est in parte inferiori, cùm sit remotior ab elementis calidis, & à cælo. *Secunda.*

Tertiò probatur quòd impossibile est fieri Typhonem, quia impossibile est exhalationem, quæ est *Tertia.*

est materia venti, ascendere vsque ad mediam regionem aëris; igitur impossibile est fieri Typhonem. Antecedens per Aristot. 2. *huius*, & propter hoc non flant venti in cacuminibus montium. Et probatur consequentia, quia Typhon non potest generari, nisi per inclusionem materiæ venti infra nubem in media regione aëris. Et continuatur consequentia, quia nunquam mouetur ventus circulariter, ideò omnis ventus est lateralis, vt patet *in 2. huius*, sed Typhon est quidam ventus, vt patet *in isto* 3. igitur, &c.

Quarta. Quartò, dubitatur de modo generationis, vnde generatur motus circularis illius Typhonis.

5. *Ad 1.* Ad ista, & ad primum dico, quòd non est simile de aëre ascendente per aquam, & de Typhone ascendente per nubem; nam aër petit exitum ab aqua solùm propter eius leuitatem existens in aqua, & non propter magnam contrarietatem, quam habet cum qualitatibus primis ad qualitates nubis.

Ad 2. Ad secundum, *in ista parte*, &c. Concedo quòd vbi est remissior frigiditas ibi est nubes tenuior, supposita æquè longa actione; modò in medio mediæ regionis est frigiditas intensior ibi, vel prope quam est superior pars nubis: sed in inferiori parte est pars nubis inferiùs, quæ est magis propinqua calori prouenienti ex refractionibus radiorum Solis. Et si dicas contrà, quòd possibile est partem nubis superiorem esse in superiori parte mediæ regionis, quæ est propinquior elementis calidis, & per consequens pars inferior nubis esset magis compacta. Dicitur quòd si quandoque ita sit quòd nubes vna cum exhalatione eleuetur vltra medium mediæ regionis, quòd tunc exhalatio diuidit nubem in parte superiori; sed hoc non experimur propter interpositionem nubis. Aliter, quòd nunquam nubes ascendit vltra medium mediæ regionis, saltem notabiliter, quia priùs condensaretur antequam ibi veniat; vel materia non est ita compacta quòd ad tantum sufficit eleuari.

6. *Ad 3.* Ad tertium, *exhalatio*, &c. Nego antecedens, imò exhalatio, quæ est materia ventorum, benè potest eleuari mixta cum vaporibus grossis ad mediam regionem aëris, & quamuis priùs fuerit debilis, tamen post congregata infra nubem intenditur, & efficitur magnæ virtutis ad impellendum, & mouendum, vt dictum fuit priùs.

Ad 4. Aliter etiam dicitur, quòd materia ex qua generatur Typhon, seu Ecnephias non est sicca ita purè, sicut est materia venti, sed est vnctuosa, vel saltem aliqualiter magis tenax; & ideò diutiùs retinet calorem eleuantem, & minùs potest repelli à frigiditate mediæ regionis, & ideò altiùs ascendit, ita quòd materia ista est quodammodo media inter materiam impressionum ignitarum, quæ generantur in alto, & materiam venti. Et per illud ad confirmationem.

Ad quartam dico quòd motus circularis Typhonis prouenit ex hoc, quòd ventus veniens de loco ampliori in locum magis angustum incedit non rectè, sed lateraliter, & quodammodo circumueniendo, vt patet vbi ventus intrat per portam, vel viam strictam in medio duorum murorum. Et hoc est, quia à lateribus strictioris loci ventus reflectitur ad latus, & alia pars insequitur, & sic fit ibi quædam gyratio; modò sic fit de exitu exhalationis de nube; quia concauitas nubis est ampla, & locus vbi est nubes diuisa satis angustus, in comparatione ad concauitatem.

Aliter dicunt alij, quòd Typhon venit motu directo ad terram, sine gyro, à qua reflectitur in seipsum; & sic ex transitu illorum ventorum contrariorum, vnus incedit ad terram, & reliquus reflectitur à terra, & sic causatur motus circularis.

Tunc de effectibus Typhonis. Vnde primus effectus istius est calefactio, quia per propulsum, & velocitatem motus, acquirit calorem. Secundò, Typhon alterat animalia, sicut homines ad infirmitates mediante illo calore, & etiam per alias qualitates. Tertiò, dat nocumentum oculis, & maculat faciem. Quartò, quandoque quando fuerit fortis eradicat arbores, quia per impetum suæ gyrationis circumdat ramos arborum, & postea per reflexionem à terra, quodammodo retorquendo arborem, ipsam extrahit, vel eradicat. Quintò, quandoque eleuat aliqua corpora, & violenter disportat de vno loco in alium sicut hominem, & quandoque eleuat nauem de mari, sicut dicit Seneca, & quandoque eleuat magnam partem aquæ, & multa alia. Et hoc de primo. 8. *Effectus Typhonis.*

ARTICVLVS II.

De Ecnephia.

QVantùm ad secundum, sciendum quòd *Ecnephias* dicitur iste magnus ventus, qui cum impetu magno simul descendit motu recto ad terram, & prosternit, seu percutit, quicquid sibi subest prope terram. Et generatur isto modo, quia infra nubem valde intensè frigidam includitur exhalatio multa terrestris ad modum, quo multus aër includitur intra vesicam, quæ exhalatio fortificata intus per antiperistasin petit exitum à nube, & tandem deferendo secum magnam partem nubis descendit cum impetu vsque ad terram, & hoc propulsa à parte superiori nubis. 9. *Ecnephias quid.* *Quomodo generetur.*

De differentiis eius ad Typhonem, primò enim Typhon est ex materia subtili, sed Ecnephias ex materia valde grossa. Secundò differunt, quia Typhon mouetur circulariter, & Ecnephias motu recto. Causa est, quia Ecnephias non exit de nube per locum angustum, sed amplum, secum deferendo inferiorem partem nubis. *Quomodo à Typhone differat.*

De effectibus eius dicit Aristoteles, quòd in descendente Ecnephia apparet magna obscuritas super terram, & hoc propter commixtionem multarum exhalationum aëri, quæ sunt valdè grossæ, & terrestres. Secundò, accidit post casum Ecnephiæ magna pluuia, & hoc propter partes nubis, quas secum attulit in descendendo. *Eius effectus.*

ARTICVLVS III.

De Incensione.

DE tertio, de Incensione sciendum est, quòd quandoque contingit quòd Typhon descendens deorsum, quandoque incenditur & inflammatur præ velocitate motus, & etiam præ intensione suæ qualitatis, & tunc materia illa inflammata vocatur *incensio*, & apparet quasi rota quadrigæ ignitæ circumuoluta. Quandoque etiã contingit quòd materia Ecnephiæ incendatur ex consi 10. *Incẽsio quid.*

consimili casu, & etiam illa vocatur *incensio*, & apparet quasi diluuium ignis, & per tales ciuitates comburuntur, & regiones, & hoc testantur multi auctores, & etiam videtur innuere Aristoteles *in libro suo de Mundo*. Patet igitur quomodo generatur,

II. *Ad argum. I. principale.* Ad rationes. Ad primam, *tunc, &c.* Concedo consequentiã & consequens, & ad probationem, concedo quòd est leuis, tamen violenter propellitur deorsum, quemadmodum quandoque constitutus inter digitos violenter propellitur sursum.

Ad 2. Ad secundam, *ista quandoque apparent in serenitate.* Multi negant illud, & nescio si sit expertum, tamen si ita sit, tunc exhalationes istæ eleuatæ superiùs intenduntur, & fortificantur à frigiditate mediæ regionis, & tandem fortificatæ consimiliter propelluntur, ac si includerentur in nube. Verum est tamen quòd si appareant existente serenitate, multò sunt remissiores & minùs impetuosi, quàm si venirent de nube.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc mouerentur circulariter*; concedo: & tunc quando dicitur, *est quoddam mixtum*, verum est quòd in motu suo naturali debet moueri per naturam elementi dominantis in eo, sed tamen motu violento, vt ex pulsu, vel aliquo huiusmodi, potest moueri circulariter.

Ad 4. Ad quartam, dictum est in positione, quòd hoc non fit per ascensum eius à terra, sed per eius reflexionem à terra.

Ad 5. Ad quintam, dico quòd violenter, & quando dicitur quòd omne mouens, &c. concedo, &c. Et ideo dico, quòd quale est mouens immediatum in motibus proiectorum, tale etiam esset mouens immediatum Typhonis, & Ecnephiæ, siue mouens ille sit impetus, influxus, siue mediũ.

Ad 6. Ad vltimam visum est qualiter benè potest congregari tanta multitudo exhalationis.



QVÆSTIO II.

Vtrùm fulmen sit ignis descendens de nube?

I. *Arg. primũ.* RGVITVR quòd non, primò, vel iste ignis esset generatus in nube, vel aliunde; non primo modo, quia aqua non est locus generationis ignis; plus quàm ignis est locus generationis aquæ; nec aliunde venit, quia non apparet vnde possit venire.

Secundum. Secundò, si sic, sequeretur quòd combureret omne illud super quod caderet. Consequens est contra experientiam, quia multoties interficit hominem sine combustione, vt patet ad experientiam. Et probatur consequentia, quia semper ignis natus est comburere.

Tertium. Tertiò, quia implicat falsum, quòd fulmen sit ignis, & quòd descendat de nube, quia omnis ignis est natus ascendere sursum.

Quartum. Quartò, quia vel fulmen generaretur indifferenter in quolibet loco & tempore, vel in aliquibus maius, & aliquibus minus: non primo modo, propter eandem causam, quæ dicebatur de Typhone, & aliis impressionibus; nec secundo modo, quia magis tunc fieret temporibus, & locis temperatis, quod est falsum, quia vbi est temperies non est sufficiens calor ad generationem ignis.

Quintum. Quintò, vel indifferenter quælibet res percutitur à fulmine, vel aliqua magis, & aliqua minùs; non secundo modo, quia fulmen videtur quodammodo fieri à casu; & ideò quantùm est ex parte sui, indifferenter percutit quodlibet; nec primo modo, quia vt in pluribus, dicitur quòd templa deorum potiùs percutiuntur fulminibus aliis rebus.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in isto 3.* *Oppositum.*

In ista quæstione primò videbitur de generatione fulminum, & de diuersitate. Secundò, videbitur de effectibus eius.

ARTICVLVS I.

De generatione fulminum.

QVantùm ad primum, sciendum, sicut dictum fuit priùs, quòd aliquando in nube includitur exhalatio calida & sicca, subtilis, dispersa per nubem, quæ propter contrarietatem eius cum nube, fortificatur; & inceditur; & eadem fortificata petit exitum, & in parte superiori frangit nubem, vbi est debilior; quâ fractâ, ex impetu motus inflammatur exhalatio, & tunc quandoque contingit quòd exhalatio dispergatur in altum, & latum, & tunc vocatur *fulguratio*: sed quandoque per impetum & impulsum venit vsque ad terram, vniendo se per viam strictam, & tunc vocatur *fulmen*; ex quo patet quòd fulmen & fulguratio dupliciter differunt; primò, quia fulguratio est ignis latè expansus; sed fulmen est ignis strictus, & violenter iactus deorsum. Secundò, quia maior virtus requiritur ad causalitatem fulminis, quàm ad causandam fulgurationem; nam fulguratio fit propter defectum impellentis materiam deorsum. 2. *Fulmen & fulguratio differunt.*

Secundò, sciendum quòd Aristoteles distinguit duplex fulmen, scilicet grossum; & subtile; sed alij ponunt triplex; nam aliquod est fulmen penetrans, sicut illud quod percutit super lignum, & non comburit, sed penetrat, & pertransit poros lignorum, & tale fulmen est valde subtile Aliud est fulmen discolorans, & tale est magis fortè, & conglobatum, & quodammodo viscosum. Sed tertium est adurens. 3.

Sed tertiò sciendum, quòd etiam differunt in aliis accidentibus, sicut in colore, aut motu; nam quoddam fulmen est albi coloris ad modum flammæ albæ; quoddam est rubeum; quoddam croceum; quoddam nigrum; & quoddam rubicundum Et diuersitas ista prouenit ex diuersitate materiæ fulminis, quemadmodũ diuersitas coloris flammæ ignis prouenit ex diuersitate materiæ. *Fulmina varia.*

Secundò differunt fulmina motu, nam contingit aliquod fulmen moueri transuersaliter, ad modum volatus auis. Aliud mouetur quasi directè deorsum, & quandoque attingit terram, & quandoque non. & dixi notabiliter *quasi deorsum*, quia omne fulmen, imò vniuersaliter omnis impressio ignita veniens de sursum, non descendit directè deorsum, sed quodam motu laterali, & transuersali.

Quartò sciendum, quòd non solùm fulmina differunt secundùm accidentia, sed etiam secundùm naturam: nam aliquod fulmen generatur in nube, vt modò tactum est; sed aliud generatur in terra, sicut quandoque visum fuit exire fulmen de monte Ætna, & tale fortè generatur ex quibusdam

quibusdam fontibus sulphuris, qui habent decursum sub terra.

Causa fulminis. Ex istis potest elici quæ sint causæ fulminis, nam causa materialis est exhalatio calida & sicca. Causa efficiens est frigiditas propellens deorsum, vel motus, aut calor inflammans exhalationem, sicut dicebatur de coruscatione. Patet igitur quo modo generatur fulmen, & quæ sunt differentiæ eius. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De effectibus fulminis.

4. *Fulminis effectus primus.* QVantùm ad secundum, scilicet de effectibus fulminis, est expertum quòd quandoque gladius est liquefactus inclusus in vagina, similiter pecunia liquefacta, quæ includitur in bursa, & ossa animalis sunt incuruata, vagina, corio, bursa, cute, carne, omninò illæsis. Causa est ista, quia fulmen percutiens propter sui subtilitatem, erat valdè penetratiuum, & ideò penetrauit poros corij, cutis, & carnis, vsquequo peruenerit ad aliquod durum, & resistens sibi, quod non poterat faciliter penetrare, & propter motum fulminis super illud resistens ipsum combussit, & incinerauit: quemadmodum videmus quòd digitus quiescens in flamma citò læditur, & comburitur, sed motus velociter per flammam non faciliter recipit impressionem. Et propter eandem causam dicunt aliqui, quòd quandoque fulmen adurit omnes carnes hominis, non tamen adurendo vestes, quia materia carnis, & pili, est grossior, & magis resistens, quàm sit lana, ex qua fiunt panni.

5. *Secundus.* Secundò contingit quòd fulmen quandoque non penetrat, nec adurit, sed dissipat, & frangit corpora solida vt ligna, & lapides, & huiusmodi, & tale vocatur fulmen dissipans. Causa est quia materia illa est fortis valdè, & viscosa, & ideò ictus eius, propter impulsum, est impetuosior, & fortior.

Alij dicunt quòd cum tali fulmine cadunt lapides, & metalla generata superiùs, à quibus fit huiusmodi dissipatio; & illud est benè possibile, non tamen semper est ita, quando fit dissipatio, ideò causa præcedens est verisimilior.

Tertius. Tertiò, contingit quòd aliquod fulmen totaliter adurit, & per hoc quandoque comburuntur domus; quandoque nemora; quandoque ciuitates.

Quartus. Quartò, aliquod fulmen colorat denigrando, & facit corpora tacta crocea, & quandoque nigra, quasi essent adusta, sicut patet quandoque de vultibus hominum, quorum colores mutantur de fulmine; & etiam quandoque patet de foliis vinearum, & hoc accidit propter leuitatem, & subtilitatem flammæ ipsius fulminis.

Quintus. Quintò, accidit post combustionem corporum à fulmine quidam odor sulphureus, & fœtidus, & hoc propter malitiam, & viscositatem ipsius materiæ, ex qua fiebat fulmen.

Sextus. Sextò, secundùm Aristotelem, nam magnus ventus concomitatur fulmen, & etiam magnus ventus ipsum præcedit. Causa est, quia ex impulsu exhalationis de nube aër mouetur interpositus exhalationi, & terræ; & iste aër motus mouet alium, & sic communiter vsque ad terram; modò aër taliter motus apparet quasi ventus. Alia causa est, quia quando generabatur fulmen magna pars exhalationis exit nubem priusquam inflammatur, & tunc illa exhalatio propulsa à frigiditate nubis, aut mediæ regionis aëris, causat ventum. 6.

Septimus. Septimò, fulmen est venenosum, & ideo animalia, & plantæ, quæ percutiuntur fulmine sunt periculosæ ad comedendum, & hoc prouenit ex malitia qualitatum materiæ, ex qua generatur fulmen.

Octauus. Octauò, accidit quòd quandoque dolium vini erit percussum fulmine, & totum vas erit combustum, & dissipatum, & tamen vinum remanebit, quasi congelatum, vel contentum vase. Causa est ista, quia virtute fulminis tota viscositas vini extrahitur ad superficiem, & ex ista viscositate fiebat superficies quædam circundans vinum ad modum pellis: & tali modo potest durare tribus diebus, & non amplius, & tale vinum etiam est valde venenosum, & periculosum, & ideò potantes de ipso statim morerentur.

Nonus. Nonò, contingit quòd si fulmen percutiat venenosum, remouet venenum, & amplius non erit venenosum; sed si percutiat aliquod sanum statim efficitur venenosum. Et huius est difficile assignare causam; tamen possibile est quòd idem simul faciat diuersos actus, siue effectus, propter diuersitatem dispositionum materiæ, quemadmodum videmus quòd aër sufflatus extinguit candelam accensam, & accendit extinctam.

7. *Decimus.* Decimò, est aliquod fulmen, quod statim interimit hominem, vbicunque contigerit ipsum, siue tetigerit ipsum in digito, siue in parte posteriori pedis, seu alibi. Causa est, quia sicut dictum est, fulmen est venenosum, & ideò vna parte percussa à fulmine, ista statim alterat aliam, & sic deinceps per totum corpus, quemadmodum est de morsu lupi, vel rabidi canis.

Vndecimus. Vndecimò, nullum aliud percussum fulmine euadit à morte, excepto solo homine, qui quandoque percussus à fulmine euadit; & hoc videtur, quia natura magis adhibet reuerentiam homini quàm aliis animalibus.

Duodecimus. Duodecimò, accidit quòd si dormiens percutiatur fulmine, inuenitur habere oculos apertos; sed si vigilans sit percussus, inuenitur habere oculos clausos. Causa est, quia dormiens propter subitam læsionem, quam sentit quodammodo expergiscitur, & aperit oculos, & priùs moritur, quàm possit iteratò claudere, sed è contrà est de vigilante.

Decimustertius. Decimotertiò, conceditur quod omnia percussa fulmine se ponunt contra ictum. Causa est, nam in inanimatis hoc fuit propter alterationem, sicut videmus quòd lignum appositum igni quodammodo eleuatur contra ignem, siue calorem; sed corpora animata anima sensitiua hoc faciunt propter subitam stupefactionem, quam habent ex læsione.

8. *Decimusquartus.* Decimoquartò, accidit quòd fœtus existens in vtero matris corrumpatur matre illæsa, & hoc est fortè propter teneritatem fœtus, & subtilitatem eius.

Decimusquintus. Decimoquintò, accidit quòd in corporibus intoxicatis veneno, & mortuis non innascitur vermis; sed tamen si moriantur fulmine infrà paucos dies generantur vermes in ipsis. Et hoc est mirabile, cùm dictum fuerit priùs quòd fulmen sit venenosum, & non potest dari alia causa, quàm dicendo quòd ista venena sunt diuersarum naturarum.

9. *Decimusfextus.* Decimosextò, accidit quòd quidam fuit interfectus fulmine tempore sereno: & causa potest assignari, quia exhalatio, quæ est materia fulminis, includitur in parte aëris valdè frigida: propter quam frigiditatem per antiperistasin exhalatio illa intendebatur in virtute, & fortificata propellebatur deorsum à frigiditate istius aëris, ita quòd aër frigidus gerebat ibi vicem nubis, sicut priùs dictum est de tonitruo causato in serenitate.

10. *Decimusseptimus.* Decimoseptimò, accidit quòd homines meliùs præseruantur à fulmine in locis subterraneis, & vbi est spissitudo muri lapidei super caput, quàm alibi; quia locus talis meliùs potest resistere ictui fulminis, ideò non potest deprimi, nisi ictus ille nimis impetuosus fuerit. Ideò antiqui Reges, & Principes volentes se præseruare à fulmine, cooperiebant domos suas, in quibus habitabant, de pellibus vitulorum marinorum, quia dicitur quòd illi vituli nunquam possunt percuti fulmine, & difficile est dare causam, nisi diceretur quòd huiusmodi vitulus haberet naturalem virtutem fugandi fulmen, sicut adamas habet virtutem attrahendi ferrum, & sicut est adamas, cuius vna pars nata est attrahere ferrum, & alia fugare.

Patet igitur ex istis quomodo generatur fulmen, qui sunt modi, & quot, & quot sunt effectus fulminis, & si sint aliqui alij, reducendi sunt ad causas eorum.

11. *Ad 1. argum. principale.* Per hoc ad rationes. Ad primam, dico quòd generatur in nube, vel saltem in exitu de nube, propter velocitatem impulsus: & quando dicitur *Aqua*, &c. dico quòd imò, infra terram potest generari ignis per antiperistasin, si sit materia ibi disposita ad generationem ignis. Similiter sicut aqua generatur infra locum valdè calidũ per antiperistasin, vt patet de generatione grandinis.

Ad 2. Ad secundam, *Tunc sequeretur*, &c. Negatur consequentia, quia quandoque non tantùm permanet super passum, quòd sufficiat ipsum comburere.

Ad 3. Ad tertiam, *Falsum implicatur*, &c. Dico quòd non, quia ignis benè potest violenter descendere, quemadmodum aqua, quæ est grauis, si comprimatur inter manus, violenter ascendit.

Ad 4. Ad quartam. *Vel generaretur*, &c. Dico quòd generaretur in media regione aëris; quandoque citra medium quandoque magis inferiùs: & magis sæpè fit in locis, & temporibus temperatis, quàm in aliis temporibus, & locis. Causa est, quia in locis excessiuè calidis, exhalatio, quæ est materia fulminis, consumitur; & in locis excessiuè frigidis propter constrictionem pororum non eleuatur, ideò in regionibus, & temporibus temperatis magis fit fulmen, quia tunc potest materia sufficienter eleuari; nec est aliquid consumens ipsam notabiliter. Similiter de loco patet, quia quandoque generatur sub terra, quandoque supra terram, vt dictum fuit.

Ad 5. Ad quintam, *vel quodlibet*, &c. Dicunt Authores quòd non quodlibet potest indifferenter percuti; imò aliqua sunt, quæ nullo modo percutiuntur, sicut arbores habentes poros clausos superius, secundùm Albertum, nec cortices lauri. Tertiò, nec aquila, & ideò ab antiquis aquila vocabatur *Armiger Iouis*. Quartò, nec quædam bellua marina, quæ vocatur *vitulus marinus*; & quando dicitur de templo, dico quòd à casu est quòd fulmen magis percutiat super templa, quàm super res alias. & etiam ex casu, quòd magis percutiat alios homines, quàm alios; & ideò illi non sunt reprobandi, quantùm ad animas eorum, qui percussi sunt fulmine, sicut aliqui crediderunt.



QVÆSTIO III.

Vtrùm visus refrangatur ab aëre, & ab aqua, & à corporibus densis?

ARGVITVR primò quòd non, quia visus frangitur ab aëre, & aqua, igitur non refrangitur. Tenet consequentia, quia illud quod refrangitur, conuertitur, vel reuertitur in eandem partem, à qua venit, sed quod frangitur transit vltrà. Antecedens patet ad experientiam, quia videtur baculus, cuius vna medietas est in aëre, & alia in aqua. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, aër & aqua non habent superficies densas; igitur ab ipsis non fit refractio. Tenet consequentia, quia videmus in aliis quòd non fit refractio, nisi à superficie densa, vt patet de speculis. Antecedens patet, quia aër & aqua sunt corpora diaphana. *Secundum.*

Tertiò, quia visus accipitur pro anima visiua, vel pro radio visuali; sed neutro modo refrangitur; igitur, &c. Maior nota est; & minor apparet de radio; talis enim non frangitur, cùm sit corpus: nec etiam visus, vt manifestum est. *Tertium.*

Quartò, sequeretur quòd visus fieret extrà mittendo; consequens falsum, *lib. de sensu, & sensato.* Probatur consequentia, quia radius non dicitur, nisi qui venit à visu. *Quartum.*

Quintò, alij sensus non refranguntur; igitur nec visus. *Quintum.*

Oppositum vult Aristoteles in isto tertio. *Opposit.*

Primò est dicendum de causis. Secundò de refractione. Tertiò de diuersitate refractionis.


ARTICVLVS I.

De causis refractionis visus.


DE primo, dico quòd Philosophus in proposito capit *visum* pro radio visuali, & non est differentia in proposito, vtrùm radius iste veniat ab obiecto, vel ab ipso visu; quia quocunque modo fiunt, imaginandi sunt consimiles radij; & anguli consimiles, ideò quoad propositum non fiet difficultas, vtrùm visus fiat intùs suscipiendo, aut extrà mittendo. 2. *Visus pro radio visuali capitur.*

Secundò sciendum, propter istum terminum *refrangere*, primò quòd *linea incidentiæ* dicitur linea, secundùm quam forma directè diffunditur per medium vnius diaphani, sicut si à luminoso *B* ad punctum *A* diffundatur forma, quæ est lumen, tunc linea *A B* dicitur linea incidentiæ; sed *refractio* dicitur incuruatio lineæ ad angulum, sicut, verbi gratiâ, si linea *A B* incuruetur ad visum *C*, & tunc totalis incuruatio *B* ad *C* vocatur *refractio*. Sed punctus refractionis est punctus medij diaphani, à quo linea incidentiæ incuruatur ad visum, sicut est punctus *A*. Sed *linea refracta* dicitur linea à puncto refractionis vsque ad visum directè extensa, sicut est linea *A C*. Sed *angulus incidentiæ* dicitur minor angulus, *Linea incidentiæ, quid? Refractio, quid? Punctus refractionis. Linea refracta. Angulus incidentiæ.*

lus, quem continet linea incidentiæ cum linea perpendiculari educta à pũcto refractionis super superficiē duo media diuidentem, vel etiam cum ipsa superficie. verbi gratia, sit perpendicularis ducta à puncto *A* super superficiem *D E*, quæ perpendicularis sit *F G*, dico quòd angulus *A B F*, est angulus incidentiæ, vel etiam angulus *B A D*; sed angulus refractionis dicitur minor



angulus, quem tenet *C* linea refracta cum eadem perpendiculari; vel angulus *C A E*. Sed linea reflexionis dicitur linea, secundùm quam forma reuertitur in eandem partem, à qua venit, propter soliditatem superficiei, aut speculi, quam transire non potest; vt si linea *A B* sit superficies speculi, tunc linea *C D*, dicetur linea incidentiæ, sed *D, E*, dicetur linea refractionis.



3. Item sciendum, quòd linearum incidentiæ, siue directi incessus, quædam incidunt perpendiculariter, quædam obliquè. Linea perpendiculariter incidens super aliquam superficiem, dicitur illa, quæ super illam superficiem causat vtrobique angulos rectos. Sed linea illa dicitur obliquè incidere, quæ incidit super aliquam superficiem ad angulos impares, & inæquales.

Et ex istis patet quòd quædam est visio facta per lineam rectam, sicut quando visibile directè opponitur visui, sine diuersitate mediorum in densitate, & raritate. Alia est visio per lineas refractas, sicut quando inter visum & visibile sunt media diuersarum diaphaneitatum: tunc enim radij, vel species venientes ab obiecto non incidunt directè ad visum, sed curuè faciendo angulum. Alia est visio facta per lineas reflexas, sicut per specula.

Istæ igitur definitiones sunt præmissæ, vt termini sint noti; si postea vtamur in assignatione causarum. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De refractione visus.

4. QVantùm ad secundum sit prima conclusio, quòd nullus radius visualis frangitur in medio vniformi. Probatur, quia tunc sequeretur quòd non fieret fractio ad angulum. Consequens est contra definitionem priùs positam, nam fractio est incuruatio lineæ ad angulum. Probatur consequentia, quia si medio vniformi radius refrágatur, fiet fractio secundùm circulum, quia qua ratione frangeretur ad vnam partem, eadem ratione ad aliam, & per consequens ad quamcunque, vel ad nullam, & habetur propositum. *Conclusio 1. Nullus radius visualis frangitur in medio vniformi.*

Secundò, si sic, sequeretur quòd nunquam possemus aliquam rem percipere in aëre, in loco in quo est, sed semper alibi, quàm est. Consequens falsum, quia tunc non possumus certificari de vno loco rei. Probatur consequentia, quia omnis res visa per lineam fractam videtur alibi quàm sit, vt patet ex Perspectiua.

Secunda conclusio est, quòd omnis radius, qui non est perpendicularis, incidens super superficiem diuidentem duo media diuersarum diaphaneitatum, sub qua sit aqua, & super quam sit aër, frangitur in illa superficie, nisi super ipsam sit perpendicularis. Probatur per experientiam primò, quia si capiatur vas habens latera eleuata, plenum aqua, tunc denarius positus in fundo aquę videtur ab aliqua distantia, à qua non posset videri, si vas esset plenum solùm aëre. Alio modo patet illud, si capiatur vas vitreum plenum aqua, & teneatur inter visum, & Solem manifestè apparebit fractio radiorum, qui incidunt obliquè, quia quandoque ex concursu eorum ad radium perpendicularem generatur ignis à parte ista, à qua est visus, vasis vitrei. 5. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio est, quòd nullus radius perpendicularis incidens ad superficiem inter duo media diuersarum diaphaneitatum diuidentem, frangitur in illa superficie. Probatur primò, quia postquàm est perpendicularis qua ratione frangeretur ad vnum, eadem ratione ad alium; igitur ad nullum. Secundò, quia denarius visus in fundo aquæ perpendiculariter, videtur in loco vbi est, ideò radius perpendicularis non frangitur. Tenet consequentia, quia si frangeretur, iam appareret alibi. Et antecedens apparet ad experientiam, & etiam per causam, quia tunc eadem est linea directa incessus à visu, & perpendicularis educta à re visa ad superficiem duo media diuidentem. 6. *Conclusio 3.*

Tertiò, quia linea perpendicularis aliter reflectitur ad superficiem speculi, quàm linea incidens obliquè; igitur à consimili linea perpendicularis habebit alium incessum, quando transit per media diuersarum diaphaneitatum, quàm linea cadens obliquè: & quia obliqua frangitur, sequitur quòd perpendicularis transibit irrefracta. Et antecedens apparet, quia in reflexione linea perpendicularis reflectitur ad seipsam, & linea obliqua non. Quartò, patet conclusio ad experientias priùs positas, quia per illas experientias experimur quòd radius perpendicularis transit irrefractus, & omnis alius à perpendiculari frangitur.

Sed contra ista obiicitur, quia si ita esset, sequeretur quòd radius fortior, & debilior ad æquales angulos frangerentur. Consequens falsum, quia eadem ratione duo radij æquales consimiliter frangerentur ad media differentia in raritate, & densitate, quod est contra experientiam, quia quantò diuersitas mediorum in raritate maior est, tantò maior est fractio: & quantò minor, tantò minor est fractio. Consequentia ista, quia eadem est proportio radij fortis ad debilem, sicut 7. *Obiectio.*

diuersitatis medij maioris in raritate, ad minorem diuersitatem. Et consequentia principalis probatur, capiendo duos radios, quorum vnus sit Lunæ, & alter Solis, vterque æqualiter distet à suo perpendiculari; tunc per præcedentia probabitur quòd ista duo refrangerentur ad æquales angulos.


Solutio. Ad istud dico, quòd radius fortior, & debilior, dum tamen æqualiter distent à suo perpendiculari, æqualiter franguntur ad angulos æquales, si incidunt in media vniformiter differentia in raritate, & densitate.

Quod probatur per experientiam, quia capiatur aliquod continuum, cuius vna pars sit magis lucida, & alia minùs, & ponatur in fundo aquæ, tunc illud adhuc apparet continuum, quod non tamen contingeret, si radius fortior & debilior frangeretur ad angulos inæquales. Nam radius, siue species partis lucidioris est fortior, ideò de tanto apparet discontinuitas, quantum anguli essent inæquales, ad quos fieret refractio, & secundùm hoc, soluendo rationem. dico quòd fortitudo, vel debilitas radij non sufficit ad magnitudinem, vel paruitatem refractionis, sed per se directio, vel obliquitas radij, vel etiam maior, & minor diaphaneitatis mediorum diuersitas. Hoc præmisso, dico ad rationem, concedo primum antecedens, & nego aliud consequens, ad quod deducitur; nec est similis proportio, quia fortitudo, vel debilitas radij nil facit, sed per se maior, vel minor diaphaneitatis obliquitas.

ARTICVLVS III.

De diuersitate refractionis visus.

8. *Conclusio 1.* QVantùm ad tertium ponuntur conclusiones. Prima est, quòd radius, vel species veniens de medio rariori, in quo est visus ad medium densius, in quo est res visa, frangitur declinando ab incessu recto ad perpendicularem ductam à puncto refractionis super superficiem duo media diuidentem;



verbi gratia, sit *A B* superficies diuidens aquam ab aëre, super quam incidat à visu *C*, radius *C D*, & sit res visa *E*. Dico quòd *E* videtur per lineam *C G E*; & ista declinat ab incessu, scilicet à linea *C G D*, ad perpendicularem *K H* ductam à puncto *G* super superficiem *A B*. Ista conclusio patet ad sensum in duobus experimentis priùs allegatis, nam ad sensum videtur quòd denarius *E*; videtur per lineam *C G E*; & quia *G D* est incessus rectus, & *G H* est perpendicularis super superficiem, patet quòd *G E* declinat ab incessu accedendo ad perpendicularem.


Secunda conclusio, quòd si fiat è conuerso, quòd secundùm medium sit rarius, tunc linea refrangitur non appropinquando ad perpendicularem, sed declinando à perpendiculari. verbi gratia in exemplo priùs dicto, ponatur quòd *E*, quod erat res visa, tunc sit visus, & quòd punctus *C* sit alter visus, tunc certum est quòd quilibet istorum oculorum *E C* reliquum videbit per eandem lineam; igitur visus *E* videt *C* per lineam *E G C*: imò declinat à perpendiculari, sicut patet inducendo incessum rectum ab *E G* vsque ad *M*. Ista etiam conclusio patet in experientiis priùs positis. 9. *Conclusio 2.*

Tertia conclusio, quòd omnis res visa per lineam fractam videtur in concursu lineæ directæ incidentis à visu, & lineæ perpendiculariter erectæ à re visa super superficiem duo media diuidentem. verbi gratia in exemplo priori visus *C* videt *E* in concursu lineæ directè incidentis à visu *C G D*, & lineæ perpendiculariter erectæ à visibili *E* ad superficiem *A B*, diuidentem aërem ab aqua sicut in puncto *D*. Istud probant Perspectiui per instrumenta, & patet ad experientiam in exemplis priùs allegatis; & è conuerso visus *E* videt visibile *C* in puncto, vbi concurrit radius incidens directè à visu *E* cú perpendiculari *B M* erecta à re visa *C*. Ex quo sequitur quòd *C* apparet remotiùs, quàm sit in rei veritate; sed *E* apparuit visui propinquiùs, quàm si videretur per vnum solum medium. *Conclusio 3.*

Secundò, sequitur quòd in loco, vel in situ rei visæ, vel in perceptione situs accidit deceptio propter fractionem. Patet, quia visibile *E* videtur in puncto, in quo non videretur, si solùm esset vnum medium vniforme. 10.


Tertiò sequitur quòd res, cuius vna pars est in aqua, & alia in aëre, apparebit fracta, sicut patet ad sensum de baculo. Causa est, quia pars existens in aqua videtur propinquior visui existenti in aëre, quàm sit in rei veritate, & alia pars existens in aëre videtur in loco suo; igitur totum continuum non potest apparere directè continuum, sed fractum; verbi gratia, sit baculus *C D*; cuius vna pars, scilicet *C F*, sit in aëre, & alia *F D* sit in aqua, & sit superficies diuidens aërem ab aqua *A F B*, dico quòd baculus non debet apparere secundùm lineam *C D* visui *G* existenti in aëre, sed secundùm lineam fractam *C F E*; eò quòd per primam conclusionem, radij, sub quibus videtur pars existens in aqua frangerentur versus visum declinando ab incessu recto, sed si visus *H* sit in aqua, tunc non apparebit baculus secundùm lineam *D C*, sed secundùm lineam declinantem à perpendiculari, quæ est *D F K*.

Quartò, sequitur quòd siue visus sit in aqua, siue in aëre, pars baculi existens in aëre, scilicet *F C* apparet longior quàm pars existens in aqua, scilicet *F D*, dato adhuc quòd vtraque pars sit medietas baculi. Probatur, quia visui *G* existenti 11.




ſtenti in aëre apparet extremum *D* in loco concurſus lineæ perpendiculariter erectæ à puncto *E*, cum linea directi inceſſus, & conſimiliter extremum *C*, ſicut poteſt inferri per vltimam concluſionem, & primo corollario.

12. Quintò, ſequitur quòd denarius viſus in fundo aquæ apparebit maior, quàm ſit in rei veritate, & etiam propinquior viſui, dato adhuc quòd perpendiculariter inſpicitur. Probatur, quia non omnes radij poſſunt eſſe perpendiculares, ſed de neceſſitate aliqui ſunt obliqui, qui per primam concluſionem, frangentur, declinando ad perpendicularem; igitur tunc denarius videbitur ſub maiori angulo, quàm ſi medio vniformi videretur. verbi gratia, denarius *A B* videbitur in medio vniformi à viſu *C* ſub angulo *B C A*.



Et quia eſt diuerſitas mediorum, &, ſecundùm quòd medium eſt denſius, oportet quòd radij frangantur à directo inceſſu, accedendo ad perpendicularem ductam per locum fractionis, ita quòd linea, ſub qua videtur extremum *B*, erit b *G C*. Et linea, ſub qua videtur extremum *A*, eſſet a *D C*: modò quia patet quòd angulus *G C D*, maior eſt angulo *B C A*, ſequitur quòd res *A B* apparebit maior, quàm videretur per medium vniforme. Sed quod etiam denarius *A B* appareat propinquior viſui. Probatur, quia extremum *B* apparet in concurſu lineæ incidentis à viſu *C* per punctum fractionis *G*, & lineæ perpendiculariter erectæ ab extremo *B*, & ſit punctus iſtius concurſus *N*: dein *A* videtur in puncto concurſus lineæ *C D* cum linea perpendiculari ab *A*, & eſt punctus in *M*. Ex quo patet quòd denarius *A B* nunc appareat in loco *M N*, & priùs apparebat in loco *A B*, quando erat medium



vnius diaphani, ſequitur quòd nunc appareat propinquior viſui, quàm priùs; ſed ſi è contrà viſus eſſet in aqua, & denarius in aëre, tunc appareret minor, & remotior à viſu.

Ex iſtis patet quare radius perpendicularis tranſit irrefractus, & omnis alter à perpendiculari frangitur in concurſu mediorum diuerſarum diaphaneitatum, & etiam patet qualiter radius diuerſimodè frangitur, eò quòd primum medium eſt rarius quàm ſecundum; patet etiam de cauſis quorundam apparentium, quæ ex dictis fractionibus eliciuntur.

Per hæc patent rationum ſolutiones.



QVÆSTIO IV.

Vtrùm omne corpus poſsit reflectere lumen?

ARGVITVR quòd ſic, nam omne denſum poteſt reflectere lumen; ſed omne corpus eſt aliqualiter denſum; igitur, &c. Maior patet, quia denſitas eſt impedimentum multiplicis virtutis, ſicut poſſet induci in multis. Et minor apparet, quia omne rarum eſt denſum, & è contrà; modò omne corpus eſt vel rarum, vel denſum. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, ſi non omne corpus reflecteret lumen, maximè eſſet ignis, vel talia corpora diaphana, modò iſta reflectunt; igitur, &c. Maior patet, quia minùs videtur de iſtis. & minor apparet de aëre per Ariſtotelem in iſto tertio, vbi probat quòd ad aërem non inſpiſſatum fiet reflexio per hoc, quòd Antiphon ſemper videbat imaginem ſuam ipſum præcedere. *Secundum.*

Tertiò, quia ſi non omne corpus reflecteret, ſit igitur ſuperficies aëris, vel alterius corporis, quam tu dicis non reflectere lumen, probo imò quòd reflectat, quia retrò iſtam partem, ſcilicet remotiùs *Tertium.*

tiùs ab agente minus eſt lumen, quàm ſi pars eſſet rarior; igitur propter denſitatem huius partis virtus reuertitur ad aliud, à quo nata erat, & non reuertitur per motum localem, ſed per alterationem ſe multiplicando; igitur ab ipſa ſuperficie virtus illa reflectebatur, quia talem multiplicationem vocamus reflexionem virtutis.

2. *Quartum.* Quartò, multiplicatio luminis, vel alterius actionis per medium, non eſt aliud quàm reflexio eius in quolibet puncto medij; igitur à quolibet corpore fit reflexio luminis ſiue alterius actionis agentis. Tenet conſequentia, & antecedens apparet, quia in quolibet puncto medij non eſt aliud quàm ſimilitudo, vel imago corporis luminoſi, modò talis imago non excuſatur niſi per reflexionem.

Quintum. Quintò, vbi eſt maior reflexio ibi apparet intenſius lumen; igitur cùm vbique ſit per medium aliquod lumen, vbique aliquid reflectitur, quamuis minus. Tenet conſequentia, poſtquam vbi maior eſt reflexio maior eſt claritas. Et antecedens apparet per experientiam, nam in medio denſo maior apparet luminoſitas, quàm in medio raro. Similiter ad terram, vel parietem, ad quem fit reflexio eſt maior claritas, quàm alibi in aëre.

Sextum. Sextò, arguitur quòd nullum corpus reflectat, quia tunc ſequeretur quòd radius luminis moueretur. Conſequens falſum, quia tunc accidens migraret à ſubiecto in ſubiectum. Et antecedens apparet, quia reflexio denotat motum localem.

3. *Oppoſitum.* Oppoſitum arguitur, quia ſic ſequeretur quòd nunquam fieret viſio per lineam rectam, ſine intuitum rectum. Conſequens eſt contra Perſpectiuos. Et patet conſequentia, quia omnis radius proueniens ad viſum eſſet reflexus. Secundò, quia quodlibet corpus repræſentat illud à quo diffunditur actio; igitur non quodlibet corpus reflectit actionem. Tenet conſequentia, quia videmus in ſpeculis, in quibus reflectitur multiplicatio luminis, aut ſpeciei, repræſentari illud, à quo fiebat diffuſio iſtius luminis, vel ſpeciei.

Sciendum primò, quòd quodlibet agens naturale diffundit vndique circa ſe ſuam actionem, ſicut imaginatur Lincolnienſis *in tractatu ſuo de refractione radiorum*, & etiam Commentator 2. *de Anima. cap. de ſono.* & ponit exemplum de circulis cauſatis à lapillo proiecto in aquam. Et agentium, quæ diffundunt ſuam virtutem: quædam nata ſunt plus extenſiuè multiplicare, quàm alia, adhuc tamen æquali reſiſtentia; ſicut caliditas nata eſt agere ad maiorem diſtantiam, quàm frigiditas cæteris paribus. Similiter ignis natus eſt per ſuum lumen remotiùs agere, & multiplicare ſuam virtutem, quàm per caliditatem.

4. *Agentia variè diffundũt virtutem.* Item, quædam ſunt agentia, quæ nata ſunt diffundere ſucceſſiuè, nec aliter poſſunt, ſicut caliditas, & frigiditas. Alia ſunt, quæ ſubitò quantùm eſt ex parte ſui, ſicut lumen ſenſus viſibilis, & huiuſmodi, quamuis talia ſucceſſiuè multiplicentur de facto, vel propter ſucceſſiuam remotionem obſtaculi, vel propter ſucceſſiuam generationem luminoſi, aut eius ſucceſſiuam appropinquationem, ſicut actio agentis diuerſificatur ſecundùm fortitudinem, & debilitatem, ſecundùm quòd eſt propinquior, vel remotior ab agente, & ſecundùm quòd fit in aliquod punctum per lineas perpendiculares, aut obliquas, vel ſecundùm quòd fit per pyramidem obtuſiorem, vel acutiorem, ſecundùm quòd declaratur in eodem tractatu.

Similiter diuerſificantur agentia, quia quædam ſunt, quorum virtutes ſufficiunt pertranſire quamlibet denſitatem, ſicut caliditas ſufficit alterare quodlibet denſum ſibi approximatum. Similiter aliqua agentia magis ſufficiunt, aliqua minùs, ſicut attractio adamantis diffunditur per medium denſius, quàm lumen natum ſit multiplicari.

Et ſi dicatur, quòd ſi omne agens ſic diffundit ſphæricè, quomodo ignis plus calefacit paſſum à parte ſuperiori, quàm approximatum ab inferiori, aut à latere? *Obiectio.*

Reſpondetur, quòd ſi ignis eſſet purus, ſicut & in ſua ſphæra, & eſſet in loco, vbi non inclinaretur magis ad vnam, quàm ad aliam partem, tunc æqualiter ageret, quantùm eſt ex parte ſui orbiculariter circa ſe, ſed quia ignis hîc inferiùs eſt in materia denſa, à qua fumi calidi, & inflammati eleuantur propter leuitatem, ideò per tales fumos, qui magis inclinantur ad ſurſum, quàm ad aliam partem calefacit corpus ſibi ſuprapoſitum plus quàm ad aliam partem. Patet igitur quomodo virtus agentis diffunditur, & qualiter diuerſimodè. *Reſponſio.*

Secundò ſciendum, quòd iſta multiplicatio virtutis impeditur quandoque, antequam perueniat ad tantam diſtantiam, ad quantam virtus ſufficit multiplicari. Ideò ad ſciendum quæ corpora impediunt, notandum quòd quædam ſunt corpora diaphana, & rara, ſicut aër, ignis, & cælum, quædam perſpicua, ſicut cryſtallus, & huiuſmodi; ſed & alia ſunt corpora denſa, & ſolida, ſicut ferrum, aurum, ſpecula, & huiuſmodi; modò quòd ab huiuſmodi corporibus denſis impediatur multiplicatio virtutis, non indiget probatione, quia hoc patet ad experientiam: & ſimiliter quòd corpora rara & diaphana reflectant, probant rationes ante oppoſitum, quibus tamen non credo. 6. *Corporum diuerſitas.*

Tertiò ſciendum, quòd talia corpora denſa, quæ reflectunt, ſunt in multiplici differentia; differunt enim primò colore, quia quædam ſunt colorata, ſicut aurum, ferrum, & huiuſmodi; & alia non, niſi modicum, ſicut ſpecula & huiuſmodi, & talia meliùs repræſentant lumen, vel colorem, quàm reflectunt.

Secundò, differunt in leuitate, & aſperitate, nam quædam ſpecula ſunt leuia, & alia aſpera, quæ ſcilicet habent vnam partem concauam, aliam conuexam, & multas diuerſitates ſecundùm ſupereminentiam, & concauitatem; & talia non reflectunt imaginem, niſi diſtortam, & in pluribus non repræſentant ſecundùm colorem, vel lumen ſolum, ſicut patet de pariete.


Differunt ſecundò ſpecula in figuris, nam quedam ſunt recta, quædam circularia; recta, ſicut ſpecula plana; circularia, ſicut ſpecula columnata, & pyramidalia; & ſpecula quædam ſunt concaua, quædam conuexa, quædam intus polita, quædam extrà. Item quædam ſunt ſpecula compoſita à viſu, ſicut patet ad experientiam in ſpeculo, nam res, ſeu imago rei iudicatur eſſe in termino linearum radialium, ac ſi pertranſiret ſpeculum. *Specula varia.*

Ex iſto patet quòd imago non ſolùm repræſentat obiectum, ſed etiam radium, ſiue longitudinem radij, cuius ipſa eſt terminus.

Et ſi quæras, quare tunc per illam imaginem non 8.

non video radium? Dico quòd pro tanto, quòd totus ille radius est similitudo alterius rei, scilicet oculi, & totum istud patet ex 67. conclusione primi Perspectiui. Hoc igitur habito, quòd longitudo radij apprehenditur à visu, quamuis radius reflectatur à speculo ad visum, tamen visus percipit longitudinem illius radij, quasi procederet in continuum, etiam directum sine reflexione.

9. *Conclusio 1.* Secundum hoc ponuntur conclusiones, & sit prima conclusio ista, in speculis planis res percipitur sub vera quantitate, & figura. Probatur, &



sit *A B* superficies speculi, & *D F* res visa, *E* visus, & pertrahantur incidentes *D A*, & *FB*, postea lineæ reflexæ *A E*, & *B E*, dein ducantur catheti à punctis *D*, *F* quæ sunt *D G*, *FH*, & pertrahatur linea *E A*, vsque ad punctum *G*, & *E B*, vsque ad punctũ *D H*, tunc probatur conclusio per tertiam suppositionem, res *D F* videtur in punctis *G H*, quia ibi concurrunt catheti, & radij visuales, & quia catheti sunt æquè distantes, sequitur quod imago habet eandem quantitatem, & eandem figuram in punctis *G H*, qualem habet *D F*. In speculo plano igitur *D F* videtur eiusdem quantitatis, & figuræ, vt est.

10. Ex conclusione sequitur quod ad hoc, quòd tota figura, vel tota quantitas alicuius rei repræsentetur in speculo, oportet quòd illud speculum sit æquale illi rei, aut maius eo. Probatur ex corollario quodam, posito priùs in præcedenti quæstione, quia si speculum esset minus, iam lineæ pertractæ à re visa nec essent perpendiculares, nec æquè distantes super superficiem speculi.

Secundò, sequitur quòd si res directè obiiciatur speculo plano apparet per se tanta, quanta appareret si res poneretur in loco speculi.

11. *Conclusio 2.* Secunda conclusio, quòd in speculis conuexis potest res apparere secundùm totam suam quantitatem, & figuram, quamuis sit minus ipsa re visa, verum est tamen quòd res non potest repræsentari secundùm totam eius quantitatem, & figuram in speculo conuexo quocunque minori. Probatur conclusio ex tertio corollario priùs posito; quia perpendiculares venientes ab extremitatibus rei visæ, vadunt continuè approximantes super superficiem conuexam, & super centrum eius. Ex quo sequitur quòd res apparet maior, si poneretur in loco speculi conuexi, quam appareret si videtur per illud speculum.

Conclusio 3. Tertia conclusio, quòd ad hoc quòd tota quantitas, & figura rei repræsententur in speculo concauo, requiritur quòd speculum sit maius quantitate rei visæ. Probatur ex secundo corollario præmisso, quia radij perpẽdiculares incidentes ad superficiem concauam, vadunt continuè elongando se vsque ad circumferentiam; modò si speculum esset minus, vel æquale rei visæ, non possunt procedere elongando ad superficiem speculi.

Ex istis potest inferri, quòd in speculis columnatibus planis apparet longitudo rei tanta, quanta esset per se, & latitudo sicut in speculis planis; & in columnatibus concauis apparet longitudo maior, & etiam latitudo, vt in conuexis minor.

Restat dicendum de differentiis aliis speculorum, & est quædam alia diuersitas; nam quædam 12.
specula sunt colorata; quædam non, aut modicum; & sit tunc prima conclusio, quòd si res speculata videatur reflexa speculo colorato, non solùm apparebit color rei speculatæ, sed color mixtus ex colore speculi, & colore rei speculatæ. Istud patet per experientiam. Et causa est, quia non solùm mouent visum rei radij speculatæ reflexi à speculo, sed res illa repræsentatur visui mixtim sub radiis speculi, & radiis rei speculatæ.

Secunda conclusio, quòd si inter rem visam, & speculum, vel etiam visum, sit diaphanum coloratum, res videbitur mixtim sub colore ipsius speculi, & sub colore medij diaphani. Patet ad experientiam, quia propter hoc paries albus, super quem incidit radius Solis, transiens per vitrum, apparet rubeus. Causa est eadem cum causa præcedente.

Sed contrà obiicitur, quia ponitur quòd speculum sit fortiter coloratum, vel luminosum, 13. *Obiectio.*
tunc sequitur quòd color rei speculatæ non mouebit visum reflexum ab illo speculo, quia colores directè fortiores sunt coloribus reflexis, & si sint fortiores, mouebunt, & debiliores non.

Respondetur vno modo quòd conclusiones *Responsio.*
intelliguntur, posito quòd speculum sit moderatè coloratum à lucido, & non nimis excessiuè, quia non aliter visui repræsentatur res speculata sub colore mixto ex colore speculi, & rei visæ.

Aliter dicitur, quòd quantumcunque fortis sit color, vel lux speculi, tamen speculum non mouebit per se secundùm colorem suum; sed secundùm colorem mixtum ex suo, & colore incidente super ipsum; & ideò lux fortis speculi quodammodo remittitur, & debilitatur propter incessum alterius coloris, siue fortior sit, siue debilior.

Propter quod sciendum, quòd lux, vel color 14. *Color vel lux debilitatur quatuor modis.*
quadrupliciter potest debilitari. Vno modo per commixtionem ad alium colorem, sicut iam tactum est. Alio modo per disgregationem, & ideò vnita fortior est luce dispersa; & propter hoc radij luminis vniti in speculo concauo ad vnum punctum faciunt combustionem. Tertio modo per reflexionem; quia in omnibus actionibus naturalibus conatus agentis debilitatur ex reflexione suæ virtutis. Quarto modo propter elongationem à suo fonte, siue à suo principio, sicut radius remotior à luminoso est debilior propinquo. Ex quibus apparet quòd forma reflexa debilior est forma incidente propter duo, scilicet propter reflexionem, & propter remotionem ab agente.

Tertia differentia speculorum est, quia quoddam est densum, & quoddam diaphanum, sicut 15. *Speculũ densum & diaphanum.*
vitrum, vel crystallus, & tunc de hoc sit conclusio,

ſio, quòd ſpeculum diaphanum, quod non eſt notabiliter denſum, non reflectit imaginem rei ſpeculatæ, niſi fuerit ſubductum, aliquo corpore denſiore obumbrante; verbi gratia, ſicut vitrum ſi ſubducatur plumbo, benè reflectit imaginem. Concluſio patet ad experientiam, & vitrum purum in aëre non reflectit imaginem. Secundò, quia in ſpeculis communibus, ſi plumbum, quod ſubducitur, eſſet abraſum non reflectitur imago rei viſæ; & cauſa eſt iſta, qui per tale corpus perſpicuum, ſi non fuerit retrò obumbrans, tranſit lux directè, quamuis aliqua lux reflectatur, & quia lux directa eſt fortior iſta luce reflexa, non magis apparet res, vel imago rei, ſecundùm lineam directam, quàm ſecundùm reflexam.

16. *Obiectio.* Sed contra iſtud obiicitur, quia homo videt imaginem ſuam in aqua, quæ tamen eſt corpus perſpicuum, & diaphanum; ſimiliter in vitro ſpiſſo, vel cryſtallo benè videmus imaginem, quæ tamen ſunt corpora perſpicua, & non denſa.

Solutio. Ad iſtud dicitur, quòd concluſio intelligitur de corporibus diaphanis, & perſpicuis paruæ ſpiſſitudinis ſecundùm profundum, quia ſi corpus diaphanum ſit magnæ profunditatis, ſicut aqua, tunc benè reflectitur, non tamen ab vna ſola ſuperficie aquæ, ſicut fit in corporibus politis, & denſis, ſed fit reflexio ſecundùm quamlibet partem in profundo, & ad quemlibet punctum eius.

Obiectio. Sed contrà, quia tunc conſimiliter diceremus quòd ab aëre rarò fuerit reflexio, quod tamen fuerat negatum in præcedenti concluſione. Probatur conſequentia, quia per reflexionem à quolibet puncto alicuius partis in fundo tandem remotæ apparet imago.

Reſponſio. Reſpondetur negando conſequentiam, quia in corporibus diaphanis ſolùm fit talis reflexio ſecundùm profundum, quando oculus eſt in medio alterius diaphaneitatis, ſcilicet rarioris, quàm ſit medium reflectens: cuius ſignum eſt, quia quando aër eſt inſpiſſatus ſuperiùs, tunc per talem reflectitur lux Solis, vel Lunæ in apparitione Halo, vel Iridis. Ex quo patet quòd ſi oculus eſſet in aqua, vbi apparet imago, ampliùs non apparet ſibi adhuc in quocunque ſitu poneretur oculus.

17. Quartò accidit diuerſitas in viſione per ſpecula ex ſitu rei viſæ, & etiam ex ſitu viſus, & ſecundùm hoc ponitur iſta concluſio, quòd in quolibet puncto ſpeculi apparet punctus rei obiectæ, dum inter ipſum & ſpeculum non eſt aliquod prohibens; & viſio talis non fit ab eodem ſitu; ſed à diuerſis ſitibus. Probatur, quia in quolibet puncto rei viſæ, in quemlibet punctum ſpeculi incidit radius directus, qui per primam ſuppoſitionem reflectitur ad angulum æqualem angulo, ſecundùm quem inceſſit; igitur ſi viſus ponatur in linea reflexionis, vbicunque fuerit, videbit illam imaginem in quocunque puncto ſpeculi, à quo fit reflexio. Ex quo ſequitur quòd in eodem loco, ſiue in eodem puncto ſpeculi, in quo videt oculus dexter, in eodem apparet oculus ſiniſter ab alio ſitu, ſcilicet à ſitu iſto, ad quem reflectitur radius proueniens ab oculo ſiniſtro ad illum punctum Secundò ſequitur, quòd ſi cuiuſlibet puncti obiecti imago ſit impreſſiuè in ſpeculo, tunc ſimul ſunt imago oculi dextri, & oculi ſiniſtri, imò ſimul ſunt imagines omnium partium obiecti.

Tunc pro ſecunda concluſione ponatur, quòd imago obiecti non eſt impreſſiuè in oculo. Probatur, quia in aliquibus corporibus apparet imago in profundo, in quibus tamen non poſſit aliquid imprimere, ſicut in auro, aut chalybe polito. Secundò, quia ſi imago eſſet impreſſa ſpeculo, ſequitur quòd à quocunque ſitu poſſit videri in eodem loco. Et probatur conſequentia, quia poſtquam eſt impreſſa ſpeculo poteſt vndique circa ſe diffundere ſuam ſimilitudinem, ſicut patet ex præcedenti, nam taliter diffundit ſuam virtutem omne agens naturale. Tertiò, quia turris exiſtens in ripa aquæ, tamen videtur profundari infra terram, quantum in aëre eleuatur ſuper terram, & tamen illa imago non poſſet imprimi tantùm in profundo terræ. 18. *Imago obiecti non eſt impreſſa in oculo.*

Quintò, eſt diuerſitas ſpeculorum in magnitudine, & paruitate, & ſic in aſperitate, & lenitate.

Secundùm hoc ponitur concluſio reſponſiua ad quæſitum, quòd quædam ſunt ſpecula reflectentia lucem, & figuram; quædam ſunt quæ non poſſunt reflectere figuram, quamuis benè lucem. Et hoc intelligitur de figura corporis, cuius lucem reflectunt. *Concluſio quæſtionis.*

Per hoc ſoluuntur rationes ad ante oppoſitum. Probatur concluſio primò ex parte paruitatis, & magnitudinis ſpeculorum, quia quædam ſpecula ſunt ita parua, quòd propter ſui paruitatem non ſufficiunt reflectere niſi partem modicam rei obiectæ, ſicut patet ad experientiam. Ex quo patet quòd ſi ſint multa talia ſpecula, mixta ſe inuicem, diſperſa hinc inde, tunc in multitudine ſpeculorum non reflectitur figura illius corporis, ſed color ſolùm. Et hoc eſt quod dicit Ariſtoteles *in iſto* 3. de guttis aquæ hinc inde diſperſis in nube, ad quam fit reflexio Iridis.

Secundò, probatur concluſio ex parte aſperitatis, & lenitatis, quia corpora aſpera non reflectunt ſic figuram ſecundùm lucem, aut colorem ſolum, ſicut dicebatur ſuper primum in quæſtione de Galaxia. Et patet ad experientiam; nam Luna propter eius difformitatem in raritate, & denſitate non reflectit figuram Solis, ſecundùm lucem eius. Conſimiliter eſt de pariete, ad quem fit reflexio luminis Solis. Et cauſa eſt, quia radij incidentes ad ſuperficiem aſperam incidunt vniformiter, & conſimiliter: ſed in reflectendo diuariantur ſuper aſperitatem ſuperficiei; ideò propter difformitatem diuariationis, non poteſt apparere figura, ſed lux, aut color ſolùm. 19.

Ex quo ſequitur quòd ſpecula benè reflectentia non ſolùm lucem, vel colorem, ſed cum hoc figuram, debent eſſe læuia, polita, & terſa; læuia, ita quòd in iis ſit continuitas ſiue poris ſenſibilibus; polita, ita quòd in eis ſit remotio ſuboſitatis ſcilicet, ſupereminentiarum, & concauitatum; ſed debent eſſe terſa, ita quòd non ſint ſparſa puluere, anhelitu, aut alio humore inficiente.

Patet igitur qualiter diuerſimodè fiunt reflexiones à ſpeculis diuerſis, tam ſecundùm lucem, & figuram quàm ſecundùm rarum, & denſum, & aliis diuerſitatibus. Et hoc de primo; & de ſecundo dicetur in alia quæſtione.

Rationes ad oppoſitum per iſta ſunt ſolutæ.

QVÆ



QVÆSTIO V.

Vtrùm in visione facta per specula accidat error?

1. *Arg. primũ.* ARGVITVR, quòd non, quia si esset error, ille maximè accideret in iudicio de quantitate rei visæ, sed hoc non potest accidere; igitur, &c. Maior patet per Perspectiuos. Et minor apparet, quia in speculis planis res apparet tanta, quanta est per se; nam linea recta inter extrema imaginis est æqualis per se lineæ rectæ inter extrema rei visæ, sicut patet in præcedenti quæstione.

Secundum. Secundò, quia in visione per reflexionem potest visus certificari per intuitum rectum; igitur in visione speculi minor accidit error. Tenet consequentia. Et antecedens apparet, quia quantitas rei non percipitur, non percipiendo certam proportionem ipsius ad quantitatem notam, & famosam; tunc igitur sit aliqua quantitas, quæ istam famosam excedit insensibiliter; isto casu posito, vera quantitas huius rei non potest percipi intuitu recto, quia semper iudicabitur æqualis quantitati famosæ, & tamen in rei veritate est maior. Sed si vtraque quantitas videretur per speculum concauum, cùm in illo res appareat maior, quàm sit, sequitur quòd excessus iste potest apparere sensibilis, & sic eius vera quantitas deprehenditur, & habetur intentum.

Tertium. Tertiò, visus non potest errare: igitur in visione per specula, &c. Tenet consequentia, & antecedens apparet, quia error solùm accidit in iudicio, modò sensus non habet iudicium, quia in hoc videtur sensus differre ab intellectu, vel è contrà.

Opposit. Oppositùm arguitur per experientiam.

2. Pro quæstione sciendum, quòd error in visione per reflexionem potest vno modo accidere propter illa, vel aliquod illorum, ex quorum intemperantia accidit error in omni visione. Alio modo potest specialiter accidere error propter reflexionem magis, quàm intuitum rectum.

Error in visione vnde accidat. De primo modo sit prima conclusio, quòd in omni visione facta per reflexionem accidit error propter intemperantiam octo circumstantiarum, quæ sunt distantia, situs, lux, diaphaneitas, soliditas, magnitudo obiecti, tempus, & sanitas visus. Probatur, quia intemperantia istarum impedit rectum iudicium visus, quando videt per intuitum rectum; igitur multò fortiùs, quando videt reflexè. Tenet consequentia, quia minùs videtur quòd impediret intuitum rectum, quàm reflexum. Secundò, potest probari per experientiam inducendo; nam propter nimiam distantiam Solis à speculo, non comprehenditur vera quantitas Solis. Similiter propter defectum diaphaneitatis medij, erramus quandoque de colore iudicando, quandoque de magnitudine, quandoque de figura. Ex quo patet quòd ad hoc quòd fiat rectum iudicium de re, quàm visus videt reflexè, requiritur temperantia illarum octo temperantiarum, scilicet respectu visibilis ad speculum, & speculi ad visum nostrum.

Alio modo accidit error propter reflexionem posito adhuc quòd illæ circumstantiæ sint temperatæ; & hoc potest accidere in quatuor: primò in colore, secundò in quantitate, tertiò in figura, & quartò in situ.

Secundùm hoc sit prima conclusio, quòd propter reflexionem accidit error in iudicando de colore. Probatur, quia per reflexionem res visæ apparent nigriores, & obscuriores, quàm sunt in rei veritate, vel quàm apparerent, si inspicerentur per intuitum rectum; igitur in iudicio de colore accidit error. Tenet consequentia, nam postquam visus iudicat rem esse minùs albam, & minùs lucidam quàm sit, errat in iudicando. Et antecedens apparet, quia radij visuales debilitantur propter reflexionem, & per consequens minùs mouent sensum visus, quàm si non essent reflexi. 3. *Conclusio 1. Error in iudicando de colore, vnde.*

Secundò, patet conclusio per experientiam, nam vbi medium est sensibiliter densius in vna parte, quàm in alia, incorporatur lux, & ad quandam partem reflectitur, propter quam reflexionem apparentem in densiori parte medij, apparent colores consimiles coloribus Iridis, qui tamen non sunt ibi in rei veritate, vt pòst videbitur.

Tertiò, patet conclusio, quando obiectum videbitur reflexè ad speculum coloratum, tunc enim apparet alterius coloris, quàm sit, vel quàm appareret, si videretur rectum.

Quartò patet, quando visibile videtur per medium coloratum, sicut quando Sol videtur per vitrum rubeum reflexè ad murum.

Sed dubitatur quod est illud, quod videtur in muro? Respondetur quòd paries videtur directè, sed lux & vitrum videtur ibi reflexè, quia species ipsorum ad parietem reflectuntur.

Secunda conclusio est, quòd propter reflexionem accidit error in iudicando de quantitate rei visæ; & hoc probatur ex præcedentibus, propter diuersitatem speculorum in figura. Itaque in speculis planis apparet res tanta, quanta est, supposito moderamine octo circumstantiarum, quæ priùs numerabantur, sed in speculis conuexis res apparet minor, & in concauis maior. 4. *Conclusio 2. Error in iudicando de quantitate rei visæ.*


Secundò, probatur propter diuersitatem speculorum eiusdem generis in magnitudine, & paruitate, nam in speculis conuexis maioribus apparent res maiores, quàm in minoribus; verbi gratia, posito quòd sint duo specula conuexa, vnum infra aliud super idem centrum, manifestum est quòd in circumferentia speculi maioris est maior distantia inter lineas ab extremitatibus rei visæ ad centrum speculorum directè pertractas, quàm sit inter easdem lineas in circumferentia speculi minoris; igitur res illa reflexa à superficie maioris apparebit maior, & reflexa à superficie minoris apparebit minor.

Tertia conclusio est, quòd propter reflexionem accidit error in iudicio de figura rei visæ. Probatur ex prædictis in præcedenti quæstione, nam in speculi columnantibus res apparet oblongæ figuræ; in speculis conuexis apparet sphæricæ figuræ; sed in speculis planis apparet res rectæ, vel curuæ figuræ. Et causa potest inuestigari, inuestigando loca imaginum partium rei erectæ, per suppositionem priùs positam, scilicet, quòd imago rei visæ apparet in concursu radij visualis cum catheto incidente. 5. *Conclusio 3. Error in figura.*

Quarta conclusio est ista, quòd propter reflexionem accidit error in situ rei visæ. Probatur, quia in speculis concauis quandoque apparet imago 6. *Conclusio 4. Error in situ.*

imago rei visæ vltra speculum, quandoque in speculo, quandoque inter speculum, & visum.

Similiter in speculis planis res apparet habere imagines euersas; ita quòd pars superior apparet inferior, & pars dextra apparet sinistra; & causa potest assignari ex prædicta suppositione; nam radius visibilis concurrit cum catheto partis inferioris rei visæ in loco superiori imaginis, & eodem modo de partibus dextra & sinistra, sicut patet infrà, vt sit superficies *A B*, res visa *D F*, & visus *E*, sint puncta reflexionis *A B*, & ducantur lineæ *D A*, *F B*, & lineæ *E A*, & *E B*; dein ducantur catheti super superficiem speculi à punctis *D*, *F* scilicet *D G*, & *F H*, & producantur radij visibiles, scilicet *E A*, & *E B* donec concurrant cum cathetis, ita quòd *E A* concurrat cum *D G* in puncto *G*; & *E B* cum *F H* in puncto *H*, tunc per suppositionem priùs positam imago puncti *D* apparebit in puncto *G*, & puncti *F*, in puncto *H*, & quia punctus *G*, superior est puncto *H*, sequitur quòd imago puncti *D*, apparebit superior quàm imago *F*. Eodem modo probatur quòd pars dextra apparebit esse sinistra.



7. Ex istis patet generaliter tangendo, in quibus accidit error propter reflexionem. & in aliquibus qualiter non; nam specialiter hæc tangere, & causas cuiuslibet pertractare, esset nimis diffusum; & propter hoc ego dimitto.

Ad 1. argum. principale. Ad rationes. Ad primam, *maximè accideret*, &c. Concedo, & quando dicitur de speculis planis, dico quòd quamuis in speculis planis res apparet tanta, quanta est, tamen in conuexis apparet minor, & in concauis maior; & ideò accidit error iudicando de quantitate.

Ad 2. Ad secundam, *quia semper specula*, &c. Dico quòd casu posito, si per speculum concauum deprehendatur excessus, adhuc est error in iudicio, quia excessus ille, imò & tota res visa, apparet maior, quàm sit in rei veritate. Vel possit dici quòd excessus talis insensibilis non possit deprehendi per vnum speculum concauum; igitur si ponerentur plura, sicut duo, ita quòd imago replicata in vno repræsentaretur in reliquo, adhuc fortè non possit deprehendi iste excessus; & si multiplicarentur plura specula duobus, vel pluribus, tunc non possit species multiplicari sine confusione.

Ad 3. Ad tertiam, *quia visus*, &c. Negatur antecedens. Ad probationem *non iudicat*, &c. Dico quòd imò, cùm iudicium suum non possit ad tot extendi, siue ad tot terminari, sicut iudicium intellectus. Vnde non solùm animalia apprehendunt, sed cum hoc componunt & diuidunt, at assentiunt, vel dissentiunt, quod non facerent sine iudicio.



QVÆSTIO VI.

Vtrùm in generatione Halo vapor inspissatus interponatur inter visum nostrum, & astra?



ARGVITVR quòd non, quia si sic, sequitur quòd Halo sit coloratus illo modo, quo Iris. Consequens contra experientiam, & probatur consequentia, quia colores Iridis causantur per reflexionem luminis ad vaporem inspissatum. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, sequeretur quòd Sol, vel aliud astrum, ita quòd sit Halo, appareret puniceum. Consequens est falsum, quia apparet fulgidum & album, & probatur consequentia, quia fulgidum visum per nigrum apparet puniceum. *Secundum.*

Tertiò, sequeretur quòd non possemus videre astrum, ita quòd sit Halo, consequens contra experientiam. Et probatur consequentia, quia vapor inspissatus est nubes, quæ prohibet visionem visibilis, inter quod & visum ponitur. *Tertium.*

Quartò, sequeretur quòd astrum circa quod sit Halo, appareret alibi, quàm si non sit Halo. Consequens falsum, quia si notetur locus astri, & postea notetur locus eius, cùm Halo defecerit, non inueniretur diuersitas, nisi quantùm astrum pertransit motu suo. Probatur consequentia, quia astrum illud per vaporem interpositum videtur per lineam fractam, & tale videtur alibi, quàm sit, vt patet ex priùs dictis. *Quartum.*

Quintò, sequeretur quòd grauius aëre superstaret aëreus: consequens falsum, quia semper grauius descendit in leuiorem. Et patet consequentia, quia vapor inspissatus grauior est aëre non inspissato, *Quintum.*

Sextò, sequeretur quòd Halo modico tempore duraret, quod est falsum. Et patet consequentia, quia vapor ille citò consumeretur à labore. *Sextum.*

Oppositum est apud Aristotelem *in hoc tertio.* *Oppositum.*

In ista quæstione videbitur de causis ipsius Halo, scilicet materiali, & efficiente, dein in alia quæstione videbitur de eius fine, & coloribus.

ARTICVLVS Vnicus.

De causis Halo.

QVantùm ad primum, sciendum quòd *Halo*, Græcè est idem quòd *corona*, vnde Halo est ille circulus clarus quandoque apparens circa lunam, quandoque circa alias magnas stellas, & quandoque circa candelam; qui circulus quandoque est completus, & quandoque interruptus, vel propter defectum materiæ, vel propter indispositionem eius, quæ indispositio prouenit ex nimis intensa densitate. 2. *Halo quid.*

Secundò sciendum, quòd in proposito non solùm

ſolùm accipimus *vaporem*, pro fumo eleuato ab aqua, vel corporibus aqueis, ſed etiam pro aëre inſpiſſato, aut pro exhalatione inſpiſſata, & indifferenter, pro quolibet corpore denſiore aëre interpoſito inter viſum noſtrum, & aſtrum, ad quod poteſt fieri refractio luminis.

3. *Concluſio 1.* Secundùm hoc ponuntur concluſiones. Prima eſt, quòd in generatione Halo, ſiue coronæ, vapor inſpiſſatus interponitur inter viſum noſtrum, & aſtrum. Probatur primò, quia vbi apparet Halo eſt maior claritas, & lumen ſenſibilius, quàm in aliis partibus medij; igitur ibi eſt maior denſitas, quàm alibi in medio. Antecedens patet ad experientiam, & probatur conſequentia ex Perſpectiuo, vbi ponitur quòd non aggregatis radiis corporis luminoſi in corpore non luminoſo, impoſſibile eſt lumen ſenſibilius apparere.

Secundò arguitur per ſignum Ariſtotelis, quia videmus quòd ſi Halo diminuatur, & euaneſcat, tunc ſignum eſt ſerenitatis; cauſa eſt, quia tunc vapor, qui eſt materia pluuiæ, conſumitur, & calor ſuper ipſum obtinet; ſed ſi nigrefiat, & condenſetur, tunc ſignum eſt pluuiæ; cauſa eſt, quia tunc ſignum eſt quòd materia inſpiſſat ſuperius, ſcilicet vapor, qui per impreſſionem conuertitur in aquam. Sed ſi Halo diſtrahatur, tunc ſignum eſt ventorum, quia ſignum eſt quòd materia ſuperiùs diſtrahitur per ventum, & vento exiſtente ſuperiùs, ſtatim fit inferiùs. Patet igitur quòd vapor inſpiſſatus ponitur inter viſum & aſtrum, circa quod apparet Halo.

4. *Concluſio 2.* Secunda concluſio eſt, Halo, ſiue corona fit effectiuè ex refractione luminis ad illum vaporem. Probatur, quia vbi apparet Halo, eſt maior claritas; igitur ibi luminare frangitur, vel reflectitur. Tenet conſequentia, quia maior claritas non poteſt apparere, niſi vbi denſitas eſt maior, ad quam radij congregantur, modò radius veniens à medio rariori ad denſius vel refrangitur, vel reflectitur; ſed de generatione Halo radius ille non reflectitur, quia tranſit vltrà, vt patet de figura Halo; igitur refrangitur, & per conſequens Halo fit ex refractione luminis effectiuè.

Secundò arguitur, quod non fiet per reflexionem radij ab iſto vapore ad viſum, quia ſi in loco vaporis poneretur aqua, radius luminis tranſiret fractus, & irreflexus; igitur de facto tranſit per vaporem, & ab ipſo non reflectitur, & per conſequens apparet, quia videns ad ſenſum quòd radius veniens ab oculo per aquam, frangitur, & tranſit irreflexus, ſicut patet de denario viſo in fundo aquæ. Tenet conſequentia, quia vapor iſte rarior eſt aqua, ideò minùs ſufficiens eſt radium reflectere, ſicut patet ex præcedentibus. Verum eſt tamen quoad ipſum vaporem ſit aliqualiter reflexio, quemadmodum radius luminis frangitur ad ſuperficiem aquæ, apparet ibi claritas aliqua ex lumine reflexo.

5. *Dubium.* Et ſi quæratur, quare in refractione, ſeu reflexione radij Solis ad vaporem non apparet imago Solis in vapore, quemadmodum apparet in aqua, cùm fit reflexio ad aquam?

Reſponſio. Dicitur quòd cauſa patet ex præcedentibus, nam aqua eſt leuis in ſuperficie, ſiue diuerſitate in raritate, & denſitate, ideò non ſolùm reflectit lucem, vel colorem; ſed cum hoc etiam figuram; ſed vapor eſt irregularis, vel difformis, ideò ad reflectendum eſt ſicut ſuperficies aſpera, propter quod ſolùm reflectit lucem, non figuram; patet igitur quòd vapor inſpiſſatus eſt materia Halo, ſeu fractio eius eſt cauſa efficiens.

Ex quo ſequitur quid ſit Halo, quia non eſt aliud, quàm circulus clarus apparens extra luminoſum ex refractione ſui luminis ad vaporem inſpiſſatum vſque ad viſum noſtrum.

Et ſi quæratur quid eſt illud quod videmus? 6. *Dubium 1.* Dicitur quòd videmus inſpiſſatum vaporem, & Solem, non tamen directè, ſed reflexè, ſicut dicebatur de rubedine parietis, ad quem reflectitur radius tranſiens per vitrum rubeum.

Sed contra iſtud arguitur primò, quia corona fit à corpore luminoſo toto medio exiſtenti vniformis inter viſum & luminoſum; igitur non requiritur vapor inſpiſſatus. Conſequentia eſt nota, & antecedens probatur ad experientiam, videmus enim de nocte coronam circa candelam, quando tamen totum medium eſt vniforme.

Secundò dubitatur, vtrùm fortitudo, vel debilitas viſus conferat ad hoc, quòd appareat Halo? *Dubium 2.* Videtur quòd non, quia tunc Halo fieret ex fractione radij egredientis ab oculo, & non ex refractione radij egredientis à luminoſo. Oppoſitum tamen videtur ad experientiam, videmus enim quando homo ſubitò expergeſit, coronam videt circa candelam, quam tamen non vident alij circumſtantes, & hoc non, niſi propter debilitatem ſui viſus ex fumis eleuatis ad caput.

Tertiò dubitatur, vtrùm ab omni corpore luminoſo poteſt indifferenter cauſari Halo, vel ab aliquo ſic, vel ab aliquo non? *Dubium 3.*

Quartò dubitatur de loco in quo fit. *Dubium 4.*

Ad primum iſtorum poteſt dici quòd Halo poteſt fieri à lumine candelæ in medio vniformi, & hoc propter debilitatem luminis candelæ, ſed à lumine aſtri non poteſt, quando fit inter medium denſius, ad quod fiat ſenſibilis refractio, & hoc, quia lux aſtri eſt fortior. 7. *Ad 1. dub.*

Sed contrà poſtquam medium eſt vniforme, qua ratione apparet Halo in vna parte medij inter viſum, & candelam, eadem ratione & in alia; igitur apparebit in quolibet, vel in nullo.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia lumen candelæ propter debilitatem non ſufficit cauſare coronam ſenſibilem ad quamlibet diſtantiam inter viſum, & candelam, nec etiam cauſabit coronam nimis propinquo loco intermedio.

Ad ſecundum poteſt concedi quòd fortitudo, vel debilitas confert ad viſionem Halo ratione alicuius cauſæ concomitantis debilitatem viſus, verbi gratia, ſi viſus ſit debilis, & ab ipſo euaporantur fumi vſque ad aërem, ad quos, cùm fuerint inſpiſſati, fieret refractio luminis, poſſibile eſt quòd tunc appareat Halo, & ita eſt de eo, qui nouiter expergeſit. *Ad 2.*

Ad tertium dicitur, quòd Halo non cauſatur ab omnibus ſtellis cæli, ſed aliquibus, & aliquibus non. Vnde dicunt Perſpectiui, quòd ſolùm fit Halo à Sole, & Luna, & à ſtellis primæ magnitudinis. Vbi ſciendum quòd Aſtrologi inter ſtellas cæli præter planetas notauerunt 16. maiores, & iſtæ vocantur ſtellæ primæ magnitudinis, quarum quælibet centum, & quindecim vicibus continet terram, & plus. Tunc dicunt Perſpectiui, quòd ſolùm ab iſtis, & à Sole, & Luna poteſt fieri corona. Tunc concedendum eſt quòd ab iſtis fiet corona, quod etiam ab aliis ſecundæ, & tertiæ magnitudinis, & planetis, qui non ſunt luminaria poſſit fieri corona, quamuis tamen remiſſior in claritate. *Ad 3.*

Ad 4. Ad quartum dico, quòd quamuis Halo appareat circa astrum, tamen fit satis propè nos in aëre, sed sic apparet nobis eò quòd non percipimus distantiam inter vaporem, & astrum.

Secundò, dico quòd Halo potest apparere in sursum vsque ad locum, ad quem maximè ascendunt nubes, vel exhalationes spissatæ.

Ex istis patet quæ sit natura Halo, & qualiter fit, & pòst videbitur de eius accidentibus.

8. Ad rationes. Ad primam, negatur consequentia, quia non est sufficienter spissus, nec causat diuersitatem colorum, sicut est nubes, ad quam per reflexionem apparent colores Iridis. *Ad 1 argum. principale.*

Ad 2. Ad secundā, *tunc astrū appareret*, &c. Negatur consequentia, quia vapor non est sufficienter niger. Et quandoque Luna apparet sub colore puniceo, quando scilicet vapor est inspissatus.

Ad 3. Ad tertiam, *tunc prohiberet*, &c. Negatur consequentia, quia vapor ille est latus, & rarus.

Ad 4. Ad quartam, *tunc non videremus astrum, vbi esset.* Negatur consequentia, quia radius perpendicularis transit irrefractus, ideò per illum potest fieri certificatio de loco, quemadmodum denarius visus in fundo aquæ videtur vbi est.

Ad 5. Ad quintam, *tunc aliquid grauius.* Et potest concedi quòd eius grauitas non est sufficiens, vt diuidat medium; quemadmodum lignum latum supernatat aquam, eò quòd aqua resistit suæ diuisioni.

Ad 6. Ad sextam, *tunc citò consumeretur*, &c. Negatur consequentia, quia non potest consumi, nisi actione caloris, vel per casus materiæ in pluuiam, modò neutrum istorum fit subitò, sed potest fieri tempore satis longo.



QVÆSTIO VII.

Vtrùm Halo debeat apparere secundùm circulum.

1. ARGVITVR quòd non, quia videmus, quòd aliquando apparet secundùm portionem circuli, quandoque secundùm figuram irregularem. *Arg. primū.*

Secundum. Secundò, Iris non apparet secundùm circulum; igitur nec Halo. Tenet consequentia, quia vtraque fit ex iisdem causis, scilicet ex refractione, vel reflexione luminis ad vaporem inspissatum; & antecedens probatum est in isto tertio, vbi probatum est quòd impossibile est Iridem apparere secundùm circulum completum.

Tertium. Tertiò, si esset figuræ circularis, hoc esset pro tanto, quòd causaretur à corpore sphærico. Consequens est falsum, quia quandoque circa candelam apparet Halo, quæ tamen non est corpus sphæricum. Similiter patet in figura Halo, quia lumen non imaginatur diffundi ab aliqua parte diuisibili, sed ab vno puncto solùm.

Quartum. Quartò, quia anguli, ad quos franguntur radij corporis luminosi ad superficiem vaporis sunt sibi inuicem dissimiles; igitur Halo non debet apparere secundùm circulum. Tenet consequentia, quia ex æqualitate angulorum fractionis arguitur circularis figuræ Halo. Antecedens probatur, quia ad superficiem vaporis non solùm veniunt radij à centro corporis luminosi, imò ab omni puncto corporis luminosi ad quodlibet punctum vaporis, à qua ad punctum potest protrahi linea recta; igitur si radij venientes ab vno puncto corporis luminosi refrangantur ad aliquos angulos dissimiles, & Halo non apparebit secundùm circulum.

Oppositum conceditur ab Aristotele in isto tertio. *Opposit.*

In ista quæstione primò videbitur de figura. Secundò, de aliis accidentibus eius, & mouebuntur dubia.

ARTICVLVS I.

De figura Halo.

QVantùm ad primum, præmittendæ sunt aliquæ suppositiones. Prima est definitio circuli, scilicet, quòd circulus est figura plana quibusdam lineis contenta, in cuius medio ponitur punctus, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam sunt sibi inuicem æquales. 2. *Circulus quid.*

Secundò supponitur ex tertio Euclidis, quòd si ab aliquo puncto inter circulum exeant ad circumferentiam plures, quàm tres lineæ rectæ sibi inuicem æquales, punctus ille esset centrum circuli.


Tertiò supponitur ex præcedenti quæstione, quòd in generatione Halo, vapor inspissatus interponitur inter visum nostrum, & astrum, ad quem vaporem fit refractio; aut reflectio luminis.

Quartò, quia radius perpendicularis veniens ab astro per vaporem ad visum nostrum transit irreflexus; patet ex præcedentibus quæstionibus.

Quintò, quòd in omni refractione, vel reflexione angulus incidentiæ est æqualis angulo refractionis, siue etiam reflexionis.

Sextò supponitur, quòd nulli radij extremi venientes ab astro concurrunt in centro eiusdem visus, nisi qui refrangantur ad angulos æquales. Patet ex præcedenti suppositione, quia aliter angulus incidentiæ esset inæqualis angulo reflexionis.

Istis suppositis, ponitur ista conclusio, quòd nisi proueniat ex defectu, vel irregularitate vaporis, semper Halo debet apparere secundùm circulum. Probatur per demonstrationem Aristotelis ex præcedentibus suppositionibus. Et sit *A*, visus *B*, astrum, & superficies *D*, *G*, *F*, & sit centrum vaporis, ad quem fit ibi refractio luminis *E*, tunc per vltimam suppositionem, nulli radij extremi concurrent in centrum visus *A*, nisi qui refranguntur ad angulos æquales; igitur radius *B F A*, & *B G A*, refranguntur ad angulos æquales, & per eandem suppositionem radius *B A*, transit irrefractus; igitur omnes anguli causati ex lineis incidentiæ, & radiis refractionis, vnà cum linea *A B*, sunt sibi inuicem æquales, quia semper duo latera vnius sunt æqualia duobus lateribus alterius, & reliqui anguli vnius reliquis alterius, & totus triangulus toti triangulo, igitur triangulus *B F A*, est æqualis *B G A*, & ita de aliis triangulis causatis ex radiis incidentiæ ad superficiem vaporis, cum radiis refractis sunt sibi inuicem æquales. Dein imaginentur triangulos causatos ex radiis refractis 3. *Conclusio 1.*



Concipiatur hac figura nõ circularis plana, ſed ſphærica.

ctis ad ſuperficiem vaporis, qui omnes ſunt ſibi inuicem æquales, ſcilicet *A G E*, *A F E*, & *A D E*, & *A C E*, quia duo latera vnius ſunt æqualia duobus lateribus alterius, vt putà latus *A G*, & latus *A E*, quod eſt commune omnibus, ſunt æqualia lateribus *A F*, & *A E*, & etiam latera *A D*, & *A E*, ſunt æqualia lateribus *A E*, & *A C*. Igitur per tertiam ſuppoſitionem primi baſes illorum triangulorum erunt ſibi inuicem æquales; igitur ſuperficies *D G D F*, erit circularis per definitionem circuli, & punctus *E*, eſſet centrum eius, quia ab ipſo ad circumferentiam omnes lineæ ductæ ſunt æquales. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

De accidentibus Halo.

4. *Accidentia Halo.* QVantùm ad ſecundum, ſciendum quòd quandoque in generatione Halo apparet circulus interruptus, & incompletus. Secundò accidit, quòd Halo magis fit in hyeme flante Euro, quàm aliis temporibus, circa candelam. Tertiò, quia ſæpiùs Halo apparet circa Lunam, quàm circa Solem. Et quartò, quia Halo Lunæ maior eſt, quàm Halo Solis. Quintò, in medio ipſius Halo eſt maior claritas, quæ videtur continuè verſus circumferentiam tendere ad obſcuritatem. Et ſextò accidit quandoque apparentia diuerſorũ colorũ, ſicut quòd alicubi apparet color puniceus, & aliter viridis, & ita diuerſimodè, ſicut in Iride.

5. *Cauſæ Halo.* Nunc igitur aſſignandæ ſunt cauſæ iſtorum. De primo, dico quòd interruptio circuli ipſius Halo prouenit quandoque ex defectu materiæ, ſicut quòd deficit ſpiſſitudo nubis in aliqua parte circumferentiæ ipſius coronæ, ſiue Halo, quia tunc radius luminoſus pertranſit ad viſum irreflexus; igitur per præcedentem quæſtionem non cauſabitur ibi maior claritas, quàm in aliis partibus medij. Secundò, prouenit interruptio circuli ex difformitate materiæ, quando ſcilicet vna pars vaporis eſt in tantùm denſa, quòd radius luminis non ſufficit pertranſire, ſed reflectitur in eandem partem, à qua venit. Cauſa autem eſt, quia in hyeme flante Euro aër eſt commixtus vaporibus, & inſpiſſatus, & ideò melius poteſt fieri fractio, aut reflexio luminis ad aërem. Cauſa huius eſt, quia Sol eſt maioris virtutis in calefaciendo, quàm Luna, & ideò præ intenſione caloris citò diſſoluit conſiſtentiam vaporis, ad quem debeat fieri reflexio, aut refractio luminis. Cauſa eſt, quia Luna eſt propinquior nobis, quàm ſit Sol, ideò lumen eius incidit ad vaporem ſecundùm angulos magis obtuſos in comparatione ad viſum noſtrum, ideò à Luna debet apparere Halo magis quàm à Sole.

Propter quintum, & ſextum, præmittendæ ſunt quædam ſuppoſitiones. Prima eſt, quòd Halo generatur ex commixtione lucis, cum opaco terreſtri; verbi gratia, nubes quandoque apparet rubea, quandoque alterius coloris, & tum in veritate, non eſt aliud, quàm lux, vel lumen ſic apparens propter opacum, ad quod refrangitur, vel reflectitur, aut etiam in quo incorporatur. 6.

Secunda ſuppoſitio, quòd ex diuerſitate lucis cum opaco, aut è contra, prouenit diuerſitas colorum. Patet per experientiam allegatam, quia per talium diuerſam commixtionem apparent diuerſimodè coloratæ.

Tertia eſt, quòd lux fortis cum opaco debili facit apparere albedinem. Patet, quia propter hoc apparet albedo in nubibus, & albedo flammæ ignis.

Quarta eſt, quòd propter debilitatem lucis in eodem denſo colores obſcurantur. Patet ex præcedenti, quia poſtquam opacitas eſt æqualis, & lumen remiſſius, oportet quòd color magis tendat ad rubedinem, & per conſequens fit obſcurior.

Quinta, quia omnium radiorum Solis incidentium ad aliquam ſuperficiem radius perpendicularis eſt fortiſſimus. Patet expertum, quia ille tranſit irrefractus.

Sexta, quia radius luminis, quantò eſt propinquior perpendiculari, tantò eſt fortior, & quantò remotior, tantò debilior, ita quòd remotioribus propinquiores ſunt fortiores.

Ex iſtis ſuppoſitionibus apparet quare in medio Halo apparet maior claritas, quia vapor ad quem fit refractio, eſt vniformis, vel ſaltem videtur quòd ibi non eſt difformitas quoad ſenſum, & in medio incidit radius perpendicularis, qui per quintam ſuppoſitionem, eſt fortior inter alios; igitur in medio apparebit maior claritas, quàm in aliis partibus, & quia radij à perpendiculari vadunt continuè debilitando per ſextam ſuppoſitionem, eò quòd colores cauſati ex commixtione illorum radiorum cum vapore apparent continuè remiſſiores, & per conſequens obſcuriores. Patet igitur quare Halo apparet clarior in medio, quàm in circumferentia. 7. *Cur in medio Halo maior claritas apparet.*

Sed tamen notandum eſt, quòd Ariſtoteles *in iſto tertio*, videtur innuere aliam cauſam, ſaltem quæ eſt iſta partialis, quare in medio apparet claritas intenſior, benè mouetur ex hoc, quia vnum contrarium iuxtapoſitum alteri, facit alterutrum apparere intenſius, ſicut albedo iuxtapoſita nigredini facit nigredinem intenſiorem, & è contra, quaſi neutra eſſet alteri iuxtapoſita. Et fortè non eſt alia cauſa, quàm conſideratio animæ. Nam anima ſimul comprehendit duo contraria, & propter repugnantiam ipſorum, facit diuerſitatem inter ea, & iudicat quodlibet eſſe intenſius. Et ideò dicitur in Perſpectiuo, quòd rerũm diſſimilium percipitur diuerſitas in inſtanti, ſimi

similium in tempore inest. Hoc supposito, patet quòd claritas in medio ipsius Halo iuxtaponitur nubi nigræ, quam vocat Aristoteles *Peripheriam nigram*, ideò illa claritas apparet intensior fortè quàm sit, vel quàm appareret, si non esset nigredo iuxtaposita.

8. Propter causam sexti, sciendum, quòd non solùm prouenit diuersitas colorū propter diuersitatem commixtionis lucis cum opaco, sed cum hoc, propter diuersitatem qualitatum ipsius opaci; verbi gratia, si opacum fuerit adustum, & lux incidens sit satis fortis, apparet albedo; sicut patet in carbonibus ignitis; & si opacum fuerit aquosum, tunc apparet viriditas; ita quòd propter commixtionem diuersam, vel iuxtapositionem adusti cum aquoso secundùm magis & minùs proueniunt diuersi colores, putà puniceus, & alij. Ex hoc patet causa, quare in Halo apparet talis diuersitas colorum, quia vni parti aquosæ vaporis iuxtaposita, & alia pars adusta, & secundùm hoc apparent diuersi colores.

9. *Dubium* 1. Circa ista, & præcedentia, dubitatur, quia non solùm ab vno puncto corporis luminosi proueniunt radij ad vaporem, sed à quolibet, à quo ad ipsum potest protrahi linea recta, de quibus tamen tu nullam facis mentionem.

Responsio. Ad istud dico quòd non obstat hoc contra prædicta, quia radij prouenientes ab aliis punctis, quàm ab vno, quo incidit perpendiculariter ad visum, vel sunt perpendiculares, vel obliqui; si perpendiculares, tunc demonstratiuè probabitur ex vltima definitione primi, quòd non concurrent in centrum visus; si autem fuerint obliqui incidentes; igitur frangentur ad angulos æquales, vel dissimiles angulis causatis ex radiis refractis ad visum, cum eadem superficie. Maior patet in figura priùs posita; & minor apparet, scilicet quòd propinquior est visuj, quia multò plus est de vapore ad Solem, quàm de visu nostro ad vaporem, & ideò angulus refractionis est minor, quàm si vapor esset æquè distans.

10. *Dubium* 2. Secundò arguitur ad illud, quòd radij refracti à vapore nunquam concurrunt in eundem visum; igitur iste circulus non causatur per modum assignatum. Tenet consequentia, quia concursus illorum radiorum ad visum præsupponitur in argumento prædicto de figura Halo. Sed probatur antecedens ex natura fractionis linearum assignata in præcedentibus quæstionibus, nam radius incidens per media diuersarum diaphaneitatum, quorum secundum est densius, primò frangitur ad perpendicularem ductam per locum fractionis. Sed quando secundum medium est subtilius, frangitur recedendo ab eodem; igitur quando radius Solis venit de aëre superiori ad vaporem roridum frangitur declinando ab incessu recto versus perpendicularem; igitur quando posteà procedit ad istud medium rarius, in quo nos sumus, declinabit à perpendiculari ducta per locum fractionis; igitur nunquam concurrit cum illa perpendiculari in centrum visus.

11. *Responsio.* Ad ista posset dici, quòd ad demonstrandum Halo esse figuræ circularis, non oportet præsupponere angulos incidentiæ esse æquales refractionis angulo, sed sufficit quòd omnes radij extremi venientes à Sole sunt sibi inuicem æquales; vel etiam omnes refracti à parte inferiori sunt sibi inuicem æquales. Et ideò fortè meliùs esset imaginari Halo fieri per alium modum, quàm per refractionem, qui fortè posteà tangetur.

Sed contrà esset dubium, si non fieret per refractionem quæro, quare Halo apparet secundùm tantum angulum per se, & non secundùm maiorem. Et de hoc dicetur quòd non potest dari alia causa, quàm quòd talis est natura angulorum, sicut posteà dicetur de angulo, sub quo apparet Iris.

Ad rationes. Ad primam, soluta est. *Ad* 1. *argum. principale.*

Ad secundam, de Iride non est simile. *Ad* 2.

Ad tertiam, dico quòd ista non est causa, sed æqualiter extremorum radiorum incidentium ad vaporem. *Ad* 3.

Ad quartam dictum est in corpore quæstionis. *Ad* 4.



QVÆSTIO VIII.

Vtrùm colores Iridis sint veri colores, vel solùm apparentes?



ARGVITVR quòd solùm sunt apparentes, quia si essent veri, sequeretur quòd in qualibet parte nubis, imò in qualibet parte Iridis vbilibet vnus color appareret alius, & de facto essent ibi. Consequens falsum, quia Iris repræsentatur nobis secundùm colores distinctos, & non secundùm colores confusos. Probatur consequentia, supponendo quòd nullus homo videt totalem Iridem, quàm videt alter, imò quilibet videt suam propriam Iridem, tunc supposito isto, patet quòd ibi apparet circumferentia superior Iridis vni homini, quæ apparet alicui alteri medium suæ Iridis, & alicui circumferentia infima suæ Iridis; igitur si illi sunt veri colores realiter existentes, sequitur quòd in eodem situ per se erunt omnes colores Iridis, & per illud arguitur quòd omnes essent in eadem parte nubis. 1. *Arg. primū.*

Secundò, sequitur quòd in aliquo tempore modico infiniti colores generentur, & infiniti corrumpantur, quorum tamen quilibet natus esset diu permanere. Consequens impossibile, quia color non corrumpitur, nisi consequente alteratione primatum qualitatum, quæ non possunt subitò inter se inuicem alterari. Et probatur consequentia, & ponatur quòd vnus oculus, cui apparet Iris, moueatur luminoso quiescente, vel quòd luminosum moueatur, vel etiam vapor, vel omnia simul, tunc sicut potest probari ex textu, continuè apparebit noua, & noua Iris; igitur continuè alter, & alter color, & quia motus est continuus, sequitur quòd continuè fiet talis generatio & corruptio colorum. *Secundum.*

Tertiò, ille est verus color realiter existens in subiecto, qui non solùm dependet à suo subiecto in *esse*, & conseruatur, imò cum hoc ab aliquo alio; sed color Iridis non solùm dependet à nube, in qua parte est subiectiuè; igitur, &c. Maior patet inducendo in omnibus coloribus. Et minor patet, quia colores illi dependent in conseruari à lumine corporis causantis Iridem, & sic non solùm dependet à subiecto. 2. *Tertium.*

Quartò, sequeretur quòd aliquod elementum simplex esset coloratum. Consequens est falsum, quia colores sunt qualitates, consequentes proportionem omnium primatum qualitatum, & hoc cum *Quartum.*

cum debita opacitate, vt patet *in libro de Sensu, & sensato.* Et probatur consequentia, quia nubes, in qua apparet Iris, est elementum simplex, vel saltem non differens ab elemento simplici, quod sufficeret ad qualitatem colorum.

Quintum. Quintò, per Aristotelem *in libro de Mundo*, vbi dicit quòd Iris est apparentia talis: modò si colores Iridis essent veri colores, non diceretur apparẽtia, sed patens existentia, & hoc idem dicit *in isto tertio*; apparet igitur talis.

3. *Oppositum.* Oppositum arguitur primò per Aristotelem, vbi dicit, quòd fulgidum visum per nigrum facit puniceum; modò non diceret, *facit*, nisi color puniceus realiter causaretur à fulgido, & nigro.

Secundò, in nube est color verè, & realiter existens; igitur & potest esse quilibet alter. Tenet consequentia, quia non apparet maior ratio de vno, quàm de alio. Antecedens apparet, quia realiter in nubibus est nigredo.

Tertiò, si ita esset, sequeretur quòd sensus deciperetur circa suum proprium obiectum. Consequens falsum, 2. *de Anima*. Et maximè non decipitur iudicando aliquid esse coloratum, album, viride, aut puniceum, quia visus iudicat colores Iridis esse veros colores, qui tamen sunt solùm apparentes.

In quæstione primò videndum est de causis apparentiæ coloris Iridis. Secundò, videbitur de dubiis.

ARTICVLVS I.

De causis apparentiæ coloris Iridis.

4. QVantùm ad primum, præmittendæ sunt suppositiones. Prima est, quòd radius luminis transiens per diaphanum spissum, & aliqualiter densatum, facit apparere colorem. Vnde corpora diaphana dicuntur, per quæ patet transitus luminis, sicut sunt aër, aqua, crystallus, vitrum, & huiusmodi. *Corpora diaphana quæ.* Probatur suppositio primò, quia Sol visus per fumum exeuntem de camino, apparet esse rubeus.

Secundò, quia Sol de manè visus per vapores grossos eleuatos à terra, apparet esse rubeus.

Tertiò, quia si Sol videatur per crystallum exactiorem apparent colores similes coloribus Iridis.

Quartò, quia si Sol videatur per vas sphæricum plenum aqua, tunc in vase illo apparent colores; & omnia illa signant quòd lumen visum per diaphanum spissum, vel aliqualiter densum, facit apparere colorem; & causa est, quia lumen cùm veniat de medio rariori ad medium densius frangitur, vt patet ex dictis: & ex tali fractione incorporatur lumen in diaphano spissiori, & tunc propter illam incorporationem, & propter opacitatem illius diaphani densi, secundùm colorem eius, qui est valde remissus, apparent tales colores.

Secunda suppositio, quòd si poneretur corpus reflectens, talis color appareret in corpore reflectente, qualis apparet in diaphano spisso, & per incorporationem luminis. Probatur per experientias, primò de vase vitreo sphærico, quia si retrò in vmbra eius obiiciatur manus, vel aliquod opacum reflectens, apparet color talis, qualis priùs apparebat per refractionem, & incorporationem luminis. Secundò, quia si ponatur vitrum plenum aqua supra mensam, & incidat radius luminis per vitrum, tunc ad manum, vel ad mensam in vmbra vitri apparet color.

Tertia suppositio, quia si retrò diaphanum spissum in vmbra ponatur corpus speculare politum, & regulare, tunc non reflectitur color indifferenter ad quemlibet situm, sed ad aliquem situm determinatè, & ad aliquem non. Proba- 5. tur per experientias. Primò, quia si capiatur vas vitreum sphæricum plenum aqua, per quod incidat radius luminis, & retrò in vmbra illius corporis ponatur reflectens asperum, & irregulare, sicut esset manus, vel lignum, tunc reflectitur aliqualiter color indifferenter ad omnem situm, sed si in loco manus, vel ligni ponatur aliud vas, continuè plenum aqua, tunc reflectitur lumen per se ad situm determinatum, & non ad quemlibet situm indifferenter; & tunc perquirit oculus hinc inde situs diuersos, donec inueniat situm, ad quem apparet reflexio talis. Et causa datur ex hoc, quòd semper angulus incidentiæ debet esse æqualis angulo reflexionis; nam lumen reflexum à speculo vniformiter non apparet ad aliquem situm, nisi ad quem radius veniens à luminoso reflectitur secundùm angulum æqualem angulo, secundùm quem incessit ad opacum reflectens.

Secundò, patet alia experientia, quia capiatur vitrum plenum aqua super mensam, per quod transeat radius luminis, si retrò in vmbra vitri ponatur speculum politum, & tersum, reflectitur color per se ad situm determinatum, & causa est eadem cum præcedenti.

Ex istis suppositionibus potest elici causa ap- 6. *Causa apparentia coloris Iridis.* parentiæ coloris Iridis, quia radius luminis veniens à Sole ad nubem incidit super aliquam guttam, quæ est diaphanum spissum, vel densum; igitur per primam suppositionem, in vmbra istius guttæ apparebit color; & per secundam suppositionem, si in vmbra illa ponatur corpus reflectens, reflectitur, & apparebit color consimilis colori, qui apparuisset in vmbra guttæ prioris sine reflexione; & quia de facto est ibi gutta aquæ, eò quòd guttæ sunt separatim sparsæ, quæ gutta est speculum regulare, & vniforme, sequitur per tertiam suppositionem, quòd color reflectitur, non ad quemlibet situm, sed ad aliquem situm determinatum, & aliquem non; & sicut arguitur de vna gutta, per quam incidit radius luminis, ita potest argui de alia quacumque.

Ex quo patet de apparentia colorum Iridis, & quare eiusdem partis nubis color non apparet indifferenter ad quemlibet situm. Et quòd ita sit probatur per quoddam signum, primò quòd si ex opposito Solis poneretur mons, aut caligo, aut nubes non conuersa in guttas, tunc non apparet Iris, sicut patet experientiâ. Aliud signum, quia quando apparet Iris statim pluit, quod non esset, nisi nubes illa fuisset conuersa in guttas. Tertiò, hoc idem, quando artificialiter fit Iris, nam Vicoton, quod est quidam torrens, decurrens per saxa dispergitur in guttas, ad quas apparent colores Iridis. Similiter autem in molendinis apparent huiusmodi colores, ex dispersione aquæ per guttas. Patet etiam per quoddam signum Philosophi. Et hoc de primo.

ARTICVLVS II.

Dubia circa prædicta.

7. QVantùm ad ſecundum, dubitatur de cauſa diuerſitatis iſtorum colorum. Secundò dubitatur, quid eſt illud quod videtur in apparentia. Tertiò dubitatur, vtrùm in qualibet parte nubis natus ſit apparere talis color, & quilibet illorum colorum, & ſi ſic, dubitatur quare repræſentantur ſecundùm ordinem viſui determinatum.

Ad 1. dub. Ad primum reſpondetur. Apparentia colorum Iridis non eſt aliud, quàm lux, vel lumen apparens per huiuſmodi diaphanum denſum, & ideò radius luminis veniens à Sole, tranſiens per partem guttulæ tenuiorem, facit apparere colorem magis clarum, ſcilicet puniceum; dein tranſiens per partem aliqualiter ſpiſſiorem facit apparere colorem viridem; & radius tranſiens per centrum guttulæ, vbi gutta eſt ſpiſſior, facit apparere colorem alurgum, qui eſt rubeus obſcurus, & ſicut dicitur de vna guttula, poteſt dici de qualibet.

Ad 2. Ad ſecundum dubium reſpondetur, ſicut dictum erat aliàs, quòd non eſt ibi aliquis color realiter exiſtens, qui videbatur, ſed lux Solis videtur ibi reflexè, & denſitas, ſiue ſpiſſitudo nubis, vnà cum lumine incorporato infra nubem, ita quòd iſta tria ſimul videntur, & per modum vnius viſibilis, quemadmodum dicebatur; & quando radius Solis tranſit per vitrum rubeum, ſi flectatur ad parietem, apparet rubedo in pariete, & illud quod videtur non eſt aliud quàm lux Solis ſimiliter reflexus, ſed color parietis apparet directè. Ex quo patet quòd in nube non eſt aliquis color realiter exiſtens, ſed per ſe lumen, quod diuerſimodè apparet, propter diuerſitatem diaphani ſpiſſi, per quod videtur, vel à quo reflectitur.

8. *Ad 3.* Ad tertium dubium, dico quòd in qualibet parte nubis nobis ſenſibili, natus eſt apparere quilibet color Iridis, quia ſunt guttæ ſeminatim ſparſæ, & lumen incidens, ſicut in alia. Ex quo patet opinionem Alberti eſſe falſam, qui imaginatur nubem, ad quam fit reflexio Iridis, eſſe concauam, cuius vna pars eſt magis rara, alia mediocris, & tertia denſa, & tunc apparet color puniceus, vbi nubes eſt rarior; alurgus vbi eſt denſior, & viridis vbi eſt mediocris, & iſtis imponebat nomina, & naturas elementorum.

Ad 4. De quartò, quare apparet ſecundùm ordinem determinatum, eſt valde difficile dare cauſam, & tamen poteſt dici, quòd vnus illorum colorum natus eſt apparere ſecundùm aliquem angulum, ſecundùm quem alter non eſt natus apparere, & ideò vnus apparet in vno ſitu determinato, & alter in alio, qui angulus cauſatur ex radio incidentiæ à Sole ad nubem, & à nube reflexa ad nubem.

Ad 5. Quintò, poteſt dubitari quare potiùs ex tranſitu luminis per diaphanum ſpiſſum apparent illi colores magis quàm alij?

Reſpondetur, quòd eſt de natura luminis quòd per tranſitum ſuum natum eſt cauſare illos colores magis, quàm alios; & hoc fortè, quia principaliores ſunt inter omnes colores medios, qui colores medij nati ſunt reſultare ex commixtione luminis cum diaphano ſpiſſo.

Per hoc ad rationes. Ante oppoſitum nil probat, vel potiùs oppoſitum. 9.

Ad primam, ad Ariſtotelem, *fulgidum facit*, id eſt, facit apparere. *Ad 1. argum. principale.*

Ad aliam, *ibi eſt aliquis color*, dicitur quòd ſi ibi eſt aliquis color, tamen eſt valde remiſſus, quia corpora diaphana, ſicut aër, aqua, & cryſtallus, non ſunt colorata, & ſi ſunt colorata, hoc eſt valde remiſsò. *Ad 2.*

Sed contrà, quia in nubibus apparet intenſa nigredo. Dico, quòd quamuis ſic apparet, tamen ibi non eſt nigredo, & apparentia illa prouenit ex defectu luminis, quod non ſufficit penetrare, quemadmodum aqua profunda apparet nigra. *Quare nubes apparet nigra.*

Ad tertiam, dicitur quòd deceptio prouenit, vel poteſt accidere benè de loco rei propter reflexionem, quia propter reflexionem res apparet alibi, quàm ſit, vt patet ex præcedentidus, & etiam ex ſpiſſitudine medij, quæ eſt quædam indiſpoſitio ad viſum, & ideò ibi non ſunt cauſæ, propter quas accidit ibi deceptio. *Ad 3.*



QVÆSTIO IX.

Vtrùm Iris debeat apparere ſecundùm circulum?

ARGVITVR quòd non, quia virgæ apparent ſecundùm oblongam figuram; igitur Iris debet apparere ſimiliter. Tenet conſequentia, quia vtraque fit ex reflexione luminis ad nubem. Antecedens patet per Ariſtotelem *in hoc tertio*. 1. *Arg. primũ.*

Secundò, vbique ad nubem fit reflexio radiorum luminis; igitur Iris debet apparere ſecundùm figuram nubis. Tenet conſequentia, poſtquam Iris nihil eſt aliud, quàm talis reflexio. Et antecedens apparet, quia quælibet pars nubis eſt præſens coram luminoſo, & per conſequens qua ratione fit reflexio ad vnam partem, eadem ratione ad aliam. *Secundum.*

Tertiò, quia Iris videtur à qualibet parte nubis; igitur Iris apparet ſecundùm figuram nubis, & nubes non eſt ſecundùm circulum; igitur non apparet Iris ſecundùm circulum. Antecedens probatur, nam vndique in nube videtur Iris ab aliquo, ſicut patet ex præcedenti quæſtione. *Tertium.*


Quartò, quia anguli reflexionis Iridis ſunt inæquales; igitur Iris non apparet ſecundùm circulum. Antecedens patet experientiâ, nam maior eſt angulus, ſub quo videtur color puniceus Iridis inferioris, quàm ſub quo videtur color viridis, vel alurgus. Et tenet conſequentia, quia omnes anguli cauſati ſuper circumferentiam eiuſdem circuli, aliis paribus, ab vno puncto ſunt ſibi inuicem æquales. *Quartum.*

Oppoſitum arguitur per Ariſtotelem *in iſto* 3. & patet ad experientiam. *Oppoſit.*

In quæſtione præcedenti viſum eſt de coloribus Iridis, de cauſa, & ordine colorum, nunc dicendum eſt de aliis accidentibus Iridis, ſcilicet de figura eius, de loco, & tempore, quibus apparet; de duplicatione Iridis, quare colores ipſarum apparent ex oppoſito ſituati. 2.

Prima

Conclusio 1. Iris debet apparere secundùm circulũ. Prima conclusio sit ista, quòd Iris debet apparere secundùm circulum, vel secundùm portionem circuli; probatur, quia si imaginatur linea procedens de Sole existente in Oriente, qui sit *H*, ad punctum inferiorem fractionis Iridis, quæ sit *M*. Et de *H* ad *K*, visum, ducatur linea *H K*, & de *K* ad *M*, ducatur linea, scilicet, quæ procedit de visu nostro ad punctum refractionis, siue



reflexionis; tunc dicitur sicut super textum, si triangulus *H M K* imaginatur circumduci, *K H*, remanente immobili, tunc à puncto *M* descibetur circumferentia circuli, & ista est circumferentia Iridis.

Secundò, quia omnes anguli causati ex reflexione radiorum incidentium à Sole ad superficiem Iridis, sunt sibi inuicem æquales; igitur Iris debet apparere secundùm portionem circuli.

Tertiò, quia omnes trianguli causati ex radiis incidentibus à Sole ad superficiem Iridis, & reflexis ad visum, cuiusmodi est triãgulus *H M K*, sunt sibi inuicem æquales, & consimiles; igitur omnes lineæ correspondentes lineæ *H M* sunt sibi inuicem etiam æquales, & omnes illæ procedunt ab eodem puncto; igitur per definitionem ipsius circuli, sequitur quòd illa circumferentia, ad quam terminantur, erit circularis, quare sequitur quòd debet apparere secundùm portionem circuli.

3. *Conclusio 2.* Secunda conclusio, quòd in horizonte plano impossibile est Iridem apparere secundùm portionem maiorem, quàm secundùm semicirculum. Probatur supponendo primò quòd Iris nunquam potest apparere nisi in lumine Solis, vel Lunæ, ita quòd vmbra, vel tenebra non apparebit, per experientiam. Secundò supponatur quòd polus & centrum Iridis sunt in eadem linea, quæ procedit à Sole ad visum, patet ex textu, & præcedentibus. Tunc probatur conclusio, quia si possit apparere secundùm portionem maiorem, sequitur quòd centrum Iridis esset eleuatum super horizontem; igitur per secundam suppositionem sequitur quòd Sol esset depressus sub horizonte; igitur per primam non apparebit Iris.

Ex conclusione sequitur quòd quantò Sol magis eleuatur super Horizontem, tantò Iris apparet secundùm minorem portionem circuli, nam aliter non semper centrum visus, & polus Iridis essent in eadem linea recta vnà cùm centro Solis.

Secundò, sequitur quòd tantùm possit Sol eleuari super horizontem, quòd nulla appareat Iris. Probatur, quia sicut patet ex Perspectiua, semidiameter Iridis est quadraginta duorum graduum in altitudine, & hoc, quantum ad occupationem graduum cæli; igitur Si sol esset eleuatus super horizontem per 42. gradus, sequitur quòd centrum Iridis, & totus diameter essent sub horizonte, quia diameter Iridis est per se 42. graduum, quæ portio diminuitur ad eleuationem Solis, & per consequens tunc non apparebit Iris.

Tertiò, sequitur quòd ex inuentione altitudinis Iridis per instrumentum potest inueniri altitudo Solis super horizontem, dato quòd Sol videatur. Probatur, quia altitudo Solis, & altitudo Iridis simul iunctæ sunt per se 42. graduum; igitur habito quòd Iris eleuatur 10. gradus, sequitur quòd per residuum eleuabitur Sol, sicut per 32. gradus.

Tertia conclusio est quòd in horizonte non plano possibile est Iridem apparere secundùm circulum completum; & secundùm portionem maiorem semicirculo. Probatur, quia si sit turris, vel mons, eleuata in altum, ita quòd existens super turrim, vel montem potest videre nubes sub se circa terram circumquaque, tunc sequitur quòd ad quamlibet partem circa montem fiet reflexio, ita quòd centrum Iridis sit in monte, tunc sequitur quòd vndique circa, apparebit circumferentia Iridis, & illo casu taliter possit situari Sol, quòd Iris possit apparere secundùm portionem modicum minorem circulo, & modicum maiorẽ semicirculo, & sic de diuersis portionibus. Ex quo sequitur, quòd si Sol taliter situaretur, quòd centrum Iridis esset eleuatum super montem, tunc tali existenti in monte apparebit Iris cum concauitate, & cum cornibus conuersis ad eum. Et hoc de figura Iridis. 4. *Conclusio 3.*


Quarta conclusio est de tempore apparitionis, quòd habitantibus sub æquinoctiali non potest apparere Iris aliquo die anni in meridie. Probatur, quia semper in meridie eleuatur Sol super horizontem per 42. gradus, & cùm nunquam eleuatio Iridis sit maior, vt patuit priùs; igitur semper illis sic habitantibus totus diameter Iridis esset sub horizonte. Ex isto sequitur quòd in æstate nobis habitantibus versùs Septentrionem nõ potest Iris apparere in hora meridionali. Probatur, quia tunc Sol eleuatur super horizontem plus quàm 42. gradus; igitur tota Iris esset oppressa sub horizonte. 5. *Conclusio 4. De tempore Iridis.*

Secundò, sequitur quòd in hyeme habitantibus in Septentrione, potest apparere Iris in qualibet hora diei, posito quòd cætera requisita concurrant. Probatur, quia tunc minùs eleuatur Sol, quàm per 42. gradus.

Tertiò, per quantum minùs eleuatur, per tantum minùs apparebit Iris eleuata super horizontem.

Quartò, quia semper in ortu, vel occasu Solis potest apparere Iris, si cætera concurrant. probatur sicut præcedens.

Quinta conclusio de loco apparitionis Iridis est ista, quòd nunquam potest Iris nobis apparere in meridie, siue versùs meridiem. Probatur, quia semper apparet Iris ex opposito Solis; modò meri 6. *Conclusio 5. De loco Iridis.*



meridies non opponitur Soli, nisi Sole eleuato ſuper horizontem, magis quàm ſit diameter. Ex quo ſequitur quòd in æſtate non poteſt apparere nobis Iris ad Septentrionem, ſed benè in hyeme. Patet igitur de loco; & tempore apparitionis Iridis, de duplicatione, quare apparent duæ Irides, & non plures.

Reſpondetur quòd non poteſt dari cauſa demonſtratiua, nec euidens; tamen imaginantur Perſpectiui quòd cauſa eſt illa, quia imaginetur eleuatio Iridis ſuper horizontē, vt in exēplo priùs poſito *K M*, linea quæ ſit 42. graduum, deīn ſignetur vnus punctus eleuationis per tres gradus qui ſit *P*; ita quòd linea *K P*, ſit 39. graduum, tunc dicunt quòd ſi per punctum *P* imaginaretur quidam circulus tranſire, ita quòd eſſet æquè diſtans inter duas Irides, ita quòd hinc inde à diuerſis partibus illius circuli æquè diſtantis per tres gradus appareret puniceus color vnius, & puniceus color alterius, & tunc modicum magis diſtando color alurgus. Ex quo ſequitur quòd non poſſunt eſſe plures Irides, quàm duæ, quia plures non poſſunt eſſe æquè diſtantes illi circulo. Secundò, patet quare Irides illæ habent colores è contrario poſitos, quia aliter color puniceus vnius, & color puniceus alterius non æquè diſtarent circulo dato.

Ad rationes, dicitur quòd ſolutæ ſunt ex præcedentibus.

Expliciunt quæſtionaria ſumma ſuper tres libros Meteororum, ſecundùm Scotum.

LIBER



LIBER QVARTVS METEORORVM.



QVÆSTIO PRIMA.

Utrùm putrefactio sit poßibilis, vel poßibile sit fieri putrefactionem?

1. *Arg. primũ.*  RGVITVR quòd non, quia corruptio caliditatis à caliditate non est possibilis; igitur nec putrefactio. Consequentia tenet per definitionem putrefactionis in litera, videlicet, *putrefactio est corruptio caliditatis in humiditate; propria corruptio à caliditate aliena.* Vnde sequitur ex definitione, quòd esset corruptio caliditatis à caliditate, & hoc est impossibile, vt probatur, quia caliditas corrumpens intrinseca & aliena, est intensior intrinseca caliditate, & propria, & tunc non corrumpit, sed intendit, vel est æqualis; & non fit actio, quia ab æqualitate non est actio; vel est remissior, & tunc non corrumpit, sed potiùs corrumpitur ab intrinseca caliditate, & propria.

Et si dicatur, sicut communiter dici solet, quòd caliditas aliena est diuersæ speciei ab intrinseca, quæ propria dicitur, ideò est sibi contraria; igitur non intendit, sed corrumpit.

Sed contrà, tunc oporteret quòd vni qualitati essent duæ qualitates æquè contrariæ, quod est contra 1.*Metaph.* & contra 1.*Cæli*, quia tantùm vnum vni contrariatur. Et sic similiter oporteret ponere 8.qualitates primas, & 12.combinantes, quod est contra 2,*de Generatione, cap.* 1.

Secunda probatio consequentiæ patet faciliter, quia sic dicuntur duæ qualitates primæ. Sic similiter duæ frigiditates, & non videtur.

2. Si dicatur similiter ad secundum argumentum, quod communiter dicitur, quòd per accidens corrumpetur caliditas propria à caliditate aliena, ex eo videtur quòd facit exhalare humidum proprium, & illud minùs subtiliat, sic quòd non potest propria caliditas ampliùs manere, quia sic in frigido tempore, quando aër est frigidior homine, non potest fieri putrefactio alicuius membri hominis, nisi totius corporis, nec, inquam, possit aliquod putrefieri, nisi fortè calore contento in ipso, vel in terra, quorum solùm docet experientia in cumulis, & aquis, circa crura captiuorũ. Cùm enim crura compeditorum circa loca arctiora compedis pannis humidis, vel aliis stillicidiis frigidis, & humidis humectantur, citò putrescunt. Etiam existentes frigidè in hyeme. Nec loquor de congelati ne membrorum, & mortificatione propter frigus; sed antequam sit tantum frigus, quod mortificare sufficiat, aut congelare. Consequentiæ istorũ patent in litera, quia si solùm per accidens, modo dicto; igitur quando est talis caliditas extrinseca, facilis exhalare humidum, nec subtilians, tunc non fieret effectus, putà putrefactio, quia deficiente causa deficiet & effectus. Confirmatur antecedens principale, quia si calor ageret in calorem, corrumpendo humiditatem, vel faciendo exhalare calorem, tunc remanens materia manet sicca, & in siccis optimè conseruatur calor, & non corrumpitur, nec putrefiunt sicca, & calida, sicut patet de igne, qui est calidissimus, & siccus, & imputrefactibilis, vt dicitur in litera.

3. *Secundum.* Secundò, ad aliud principale. Putrefactio nec est, nec potest esse actus speciei, vel generis mutationis; & non est, nec potest esse non mutatio; igitur non est possibilis. Consequentia tenet, quia quod non est alicuius speciei motus, & oportet esse motum à materia, non est possibile esse, sicut nil est animal, quod non est alicuius speciei animantis. Sed consequentia probatur, non enim est putrefactio motus localis, quia per istum impeditur putrere: sicut dicitur in litera. Et patet de aquis currentibus velociter, quæ tardiùs putrefiunt quiescentibus; vel nunquàm putrefiunt.

Nec est motus generationis, quia dicitur in litera, vt allegatum est priùs, quod est corruptio, & productio substantiæ, vel mutatio substantiarum, quarum non est putrefactio, aliàs omnis generatio esset putrefactio, & omne generatum putrefactum, vel putridum, quod nullus demonstret. Consequentia tenet, quia non magis vna generatio, quàm alia, & in naturali materia idem est vniuersaliter & particulariter referre, vt habet videri circa 2.*Perihermenias.*

4. Nec putrefactio est corruptio, quia similiter arguitur, sicut arguitur quòd non sit generatio, & ex alio latere, quia si corruptio vnius est generatio alterius, *ex* 1.*de Generatione*; igitur esset generatio, quod improbatum est. Et ex alio, quia si esset corruptio, tunc maximè esset corruptio caliditatis propriæ in humido proprio à caliditate aliena. Patet consequentia ex definitione eius. Falsitas consequentis patet, quia proprium dicitur inseparabile per Porphyrium, ergo si caliditatis propriæ; igitur caliditas propria est inseparabilis, & incorruptibilis. Et ex alio, quia si caliditas propria proprium humidum consumit, & in ipsum agit; igitur sibi contrariatur, quia actio omnis est inter dissimilia & disparata, videlicet inter formam, & materiam, *ex* 1.*de Generatione.* Ergo non conseruatur in proprio humido, nec destruitur ab alieno calido in ipso.

5. Nec videtur, si fortè dicas sicut medici solent

dicere de proportione humidi cum calido, &c. Et sic calidum habens humidum proportionatum in illo saltem diutiùs conseruatur, si non esset extrinsecum, quàm si adesset aliud calidum; sic dicendo oporteret concedere actionem caliditatis & humiditatis ad inuicem, & pariformiter omnium non contrariorū: & sic aër naturaliter destruet seipsum, si non esset aliud extrinsecum corrumpens, quia eius calor ageret in humiditatem, cuius oppositū est allegatum in 1. *de Generatione*, & contra experientiam, quia calor in humido cōseruatur, & vnitur, & è contrario humidum à calido augmentatur, sicut patet de vnctuosis, quòd plus humectantur in calore, quàm in frigore, quia illa non condensantur, vt sepum, oleum, cera, pix, & mel; igitur non agunt vnum in aliud corrūpendo ipsum. Et ex alio, si ageret in seipsum corrumpendo ipsum, tardiùs saltem sine extrinseco, tunc est aliqua proportio potentiæ caliditatis ad resistentiam humiditatis, & tunc habentia æqualem proportionem caliditatum super suas humiditates essent æquè durabilia, & fortia. Consequentia tenet, quia ex æqualibus proportionibus fiunt æquales, & æquè durantes actiones. Et consequens falsum, sicut diuersi diuersas habent periodos, licèt proportiones essent similes, & æquales calorum ad humiditates, & si sic, tunc modicus calor in multâ humiditate non esset durabilis æquè, vel duratior magno calore in modico humido, cuius oppositum patet in primis infantibus magnæ humiditatis, & modici caloris, & in adolescentibus modicæ humiditatis, & magnæ caliditatis, quia calor istorum est confortatus, vnde calor puerorum est duratior, quamuis minor, sic eius proportio ad humiditatem, sicut calor adultorum ad humiditatem ipsorum.

6. Hîc fortè dicitur, quòd duratior est calor paucus cum multo humido, quàm multus cum pauco, sicut videmus de modica flamma cum multo oleo diu durante, & de magna flamma cum modico humido parùm durante.

Sed contrà, tunc enim oporteret fieri actionē à proportione minoris inæqualitatis, vel æqualitatis, comparabilem actioni ex proportione maioris inæqualitatis. Hoc falsum est, & impossibile, vt patet; sed consequentia patet, quia magna humiditas cum pauco calore habet proportionem æqualitatis, vel est proportio minoris inæqualitatis caliditatis maximæ, ex quo calor est intrinsecus humido, & coëxtensus, & non sicut flamma olei in vnâ parte solum, quia ibi non fit actio totius caloris in totum humidum: sed aliter est in naturalibus, vbi calor totius in totum humidum agit, & toti coëxtenditur, & si ibi esset calor paucus, & humidum multum, tunc ex proportione maioris inæqualitatis caloris ad humidum, fit actio per se duratior actione caloris factâ in humidum modicum, & habetur propositum. Vel si dicas quòd est minoris inæqualitatis, vel æqualitatis. etiam per malum tibi, si non æqualitatis, videtur quòd oporteret dicere quòd calor sit semper maioris, vel minoris potentię, quàm humiditatis resistentia, quamdiu est actio caloris in humiditatem, sicut dicitur paucus in comparatione ad alium calorem, non in comparatione ad humiditatem suam.

7. Sed contrà, tunc non est simile de flamma lampadis modica, & multo oleo, & tamen extremum ponit Aristoteles *in libro de longitudine, & breuitate vitæ*, vt priùs assumptum est. Consequentia ista patet, quia in lampade dominatur oleum humidum sufficienter super calidum.

Item, calor quandoque superatur ab humido; igitur non est semper maioris potentiæ, quàm humiditas; & hoc durante actione istorum, non igitur duratior est paucus calor naturalis, & proprius cum humido multo, quàm magnus. Et confirmatur, quia aër habens magnam caliditatem, & siccitatem, est duratior, quàm habens paucum calorem, vel multum de humiditate. Etiam ignis sine humiditate durat semper, & diutiùs, quàm aër, ideò, non est verum quòd paucus calor, cum multo humido sit duratior quàm multus, &c. Sic patet quòd non est corruptio.

Non est augmentatio, nec diminutio, vt patet de se, quia non est nutrimentum; nec est alteratio aliqua, aliter non apponitur intrinsecum, quia generatio & corruptio non sunt alteratio; modò putrefactio est generatio, & corruptio, vt patet per dicta; ergo non est de aliqua specie mutationis, & hæc fuit prima pars antecedentis. Nec est non mutatio, quia non est substantia quiescens, vel qualitas quiescens, quia est actio quantitatum, talis, qualis diceretur.

Tertiò, ad principale, scil. putrefactio esset possibilis; ergo sub aliquo genere est possibilis, quod est contra principale dictū: ratione, quia quod est sub vno genere possibilis sub omni est possibilis; sed consequens falsum. Probatur, quia non ponitur aliquid sub gradu summo putrefactionis, quia nullus potest esse gradus summus putrefactionis, nec aliquis minimus, vel remississimus. Probo, quia quantumcunque est aliquid putrefactū, vel sub quocunque intenso gradu, sub maiori potest putrefieri & esse, quia actio caloris, & humiditatis, vel frigiditatis, & potentiæ actiuæ istarum, non terminantur ad maximum gradum, quem potest efficere: ergo nullus potest esse maximus gradus putrefactionis ab istis causis, nec aliis, quia aliæ non ponuntur causæ, vel si ponantur, dicitur similiter sicut de qualibet potentia actiua; aliter omnis alteratio, vel mutatio possibilis est. Consequentia prima patet, quia omnis alteratio possibilis, vel mutatio, est sub aliquo gradu possibili, & qua ratione datur sub vno gradu possibili, eadem ratione sub alio, quia omnes gradus sunt eiusdem speciei. 8. *Tertium.*

Sed fortè dices, quòd non potest esse summus gradus, sic quòd possit esse alius intensior, sed bene potest esse summus, quo nullus est intensior.

Sed contrà, vel igitur quod putrefit, à gradu putrefactionis est subitò summè putrefactum, exponendo etiam summè putrefactum, sicut iam summus gradus putrefactionis exponitur: & hoc non potest dici, quia tunc alteratio, vt putà talis putrefactio gradus summi fieret subitò, & per consequens motus est, quod est impossibile. Vel si dicatur quòd illud putrefit à gradu putrefactionis non subitò, sed secundùm successionem, & subitò est summè putrefactum, quod est diuisibile, & extensum, sicut & gradus summus quo putrefit. 9.

Sed contrà, tunc sequitur, cùm continuè putrefit illud, & magis putrescit, & est maximus gradus iste, quo putrefit, intenditur continuè, & nunquam esset summus, exponendo vt priùs, quia si aliquod moueretur continuè intendendo motum suum à certo gradu, & ad nullum certum gradum, staret per tempus inclinatiuè, hoc est, quo non intensiori gradu mouebitur, nisi dicatur

moueri

moueri per instans, quod est impossibile, & sic esset de illo, quod à gradu summo per tempus dicitur putrefacere, quia semper magis, & magis putrefit, quia motus disponitur ad putrefactionem, ita quòd nunquam intensiori gradu, nec etiam per tempus videtur à quo; quia hoc est impossibile, ex quo solum efficitur melius, & melius per dispositionem, oportet quòd non sit gradus summus putrefactionis, exponendo vt tu dixisti.

10. Et circa hoc quæri possit de summo putrefacto, & cuius dispositionis esset, vtrùm humidum, & siccum, calidum vel frigidum, & si melius, vel plus possit esse putridum, per quid. Et hoc transeo propter breuitatem.

Quartum. Quartò, ad illud, putrefactio est possibilis; igitur est corruptio. Consequentia tenet ex definitione, & ex consequente est corruptio; igitur putrefacta sunt corrupta, per locum à coniugatis. Consequens falsum, quia cancer, & anguilla viuunt putrida existentia, & non corrupta. Et consequens probatur esse falsum ex eo quòd putrefactio est generatio alius ex putrefactis, vt dicitur in litera; igitur non est corruptio, ex quo oppositi motus, vel mutationes; & cùm fiat putrefactio à caliditate, & caliditas sit causa generationis, igitur non corruptionis, quia non potest oppositum facere, ideò sequitur quòd non est corruptio.

11. *Quintum.* Quintò, si putrefactio esset possibilis, vel esset naturalis transmutatio, vel violenta; sed nec sic, nec sic; ergo. Consequentia patet de se, sed antecedens probatur, quia non naturalis; tum, quia est à principio extrinseco, videlicet à caliditate passo resistente omninò; tum, quia nulla corruptio talis est naturalis; tum etiam, quia putrefactibile naturaliter quiescit sub formâ suâ, & violentè mouetur perdendo naturam; tum etiam, quia putrefactio est contra naturam materiæ & formæ, & non appetitur naturaliter ab aliquo, quia quilibet nititur fugere corruptionem, & seruare seipsum. Et combustio non est naturalis; igitur nec putrefactio, cùm sint ad eundem terminum ambo, videlicet ad initium actionum. Et sic potest dici quòd sit violenta, quia oppositum dicit Aristoteles in literâ, capitulo 2. primi tractatus, conuenti quarti. vbi dicit: *Omnis enim secundùm naturam corruptio, ad hoc via est, putà senectus, & ananfis* * (id est, vetustas in plantis) *finis autem omnium aliorum, & horum putredo, nisi aliquid violentiâ corrumpatur, vt combustione*, &c.

* *ariditas.*

Similiter dicunt omnes Expositores, & putrefactio non est violenta, quia magis combustio esset violenta secundùm literam Aristotelis iam dictam: sed hoc falsum, quia combustio est velocior in fine, quàm in principio, vt patet.

Similiter intenditur naturaliter vt per se à natura, vel forma substantiali; igitur non est violenta. Iterum, quia combustio fit à principio intrinseco passo conferente vim, quia materia appetit formam ignis, & inclinatur ad habendam eam, & sic confert vim ad ipsam combustionem.

12. *Sextum.* Sextò, si sic, cùm omnis transmutatio possit habere impedimenta, & iuuamenta, sic fortè de putrefactione: sed hoc falsum. Consequentia patet, & falsitas probatur, quia si haberet impedimenta, maximè videntur illa, quæ Aristoteles enumerat in literâ, videlicet frigiditas, coagulatio, vel congelatio, feruor, vel excellens caliditas, & motus, vel fluxus, vel multitudo putrefactionis; sed hæc non sunt impedimenta; igitur nulla. Consequentia tenet per locum à maiori, *si illud quod magis*, &c. Sed probatur antecedens huius consequentiæ, nam primò frigiditas non impedit, quia frigiditas intrinseca causat putrefactionem, vt patet in literâ. Ambæ vtique causæ erunt putrefactionis, quia interior frigiditas est propriæ caliditatis, & alienæ corruptiua.

Et si diceres, vt dicit Aristoteles, frigiditas aliena, & extrinseca præseruat, sed non intrinseca. 13.

Contrà, quia videmus fructus arboris totius putrefieri, qui fuerint fortiter infrigidati frigiditate aëris continentis: ita frigiditas extrinseca iuuat ad putrefactionem, & non impedit eam.

Item, si frigiditas continentis conseruaret alia frumenta sata in terra, & corpora inhumata diutiùs ibi durarent, quàm in aëre. Probatur, quia ibi est maior frigiditas, quàm in aëre. Item, fœmina custodit diutiùs pomum in alto ad locum calidum, & siccum, & ibi non putrefit, sed putresceret in celato frigido.

Nec etiam congelatio impedit, quia corpora mortuorum sunt congelata, & humores in illis; & tamen ista citiùs quàm viuorum corpora non congelata, putrescunt; igitur congelatio, & coagulatio iuuant, & non impediunt putrefactionem. Et videmus fructus, vt poma, esse congelata, & posteà citiùs putrefieri, quàm si non essent congelata; igitur, &c. iuuat. Item, cùm congelatio sit causa quietis, igitur causæ iuuant putrefactionem, quia motus impedit, vt patet in litera iam priùs allegata. Quòd congelatio sit causa quietis, probatur, quia motus impedit congelationem, sed quies iuuat eam, vt patet de aqua fluente, & aqua stante. Similiter etiam quando aliquid est congelatum, oportet quiescere, & non fluere; igitur congelatio est causa quietis.

Nec etiam tertium, scilicet feruor, impedit, probatur; quia si congelatio putrifactibilis impedit, tunc feruor iuuat, quia contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ, vt dicitur *in 2. tractatu huius quarti*. Antecedens patet in litera ex allegatis. Et confirmatur ex eo quòd caliditas, vel feruor aperit poros putrefactibilis, & facit humidum exhalare; igitur iuuat putrefactionem, & non impedit, &c. Consequentia patet, quia putrefacta incinerantur tandem, vt dicitur in litera; ergo quod iuuat ad incinerationem, iuuat ad corruptionem, & non præseruat, nec impedit, quia est causa augmentationis caloris, quia calor est causa putrefactionis; igitur iuuat, & non impedit. Item, motus disgregat, & aperit poros putrefactibilis, & est causa putrefactionis; igitur non impedit. Antecedens probatur, quia motus calefacit, & sic disgregat, & aperit calore suo. 14.

Demùm probatur quòd multitudo putrefactibilium non impedit, quia iuuat, vnde dicitur quòd blada in magno cumulo putrescunt citiùs, quàm in paruo. & etiam confirmatur, quia modicum citò exsiccatur, sicut patet de vino dimisso in vase, sed multum stans ibidem pinguescit, & putrescit; igitur multitudo iuuat, & non impedit, imò potiùs paucitas impedit.

Ad

Tertium. Ad oppositum est Aristoteles per totum primum tractatum quarti huius, secundò, tertiò, quartò, definiens putrefactionem, quod non fecisset, si non esset possibilis, & similiter ostendunt proprietates, &c.

Diuisio quaestionis. In ista quaestione primò videndum est de quaesito, scilicet vtrùm possibilis sit, vel possit fieri. Secundò, videbitur quomodo fiat. Et tertiò de proprietatibus, accidentibus putrefactionis, & de causis earum. Et vltimò quae sit definitio, & descriptio eius. Et istis notis sufficiet fortè pro aliquali intellectu literae.

ARTICVLVS I.

An possit fieri putrefactio?

15. QVantùm ad primum, tractandae sunt aliae quaestiones hìc dimissae, scilicet, *Vtrùm sint quatuor qualitates primae? & Vtrùm ad istas qualitates primas aliae qualitates reducantur? & Vtrùm duae sint actiuae, & aliae solùm passiuae*; de illis communiter dicitur circa librum de generatione antecedente istum. Ideò ad maiorem intelligentiam huius libri supponitur, sicut supponit Aristoteles ex aliis, & breuiter tractat hìc recipiendo insistere, & loquor de stylo probabili, non tamen forti sicut in tertio, quia haec sunt probabilia, non demonstrabilia, nisi demonstrationibus naturalibus minùs certis, & quasi coniecturando causas ex effectibus, sicut dictum fuit in quaestione prima huius, qualem certitudinem haec scientia haberet.

Quantùm ad primum reputo titulum quaestionis satis esse expositum in exponendo quaestionem, quia cùm quaeritur vtrùm putrefactio sit possibilis, est tantum, quantum, vtrùm possibile sit fieri putrefactionem, vel esse, vel aliquod putrefieri, vel putrescere, ita quòd possibilis sit motus, quasi rerum similitudine ad motum putrefactionis dantis è contrario.

16. *An putrefactio sit possibilis?* Ad videndum igitur vtrùm sit possibile fieri putrefactionem, oportet videre si causae eius sint posibiles esse. Vnde Aristoteles imaginatus est aliqualiter remotas causas esse elementa quatuor, & caelum, & postea magis propinquas quatuor qualitates primas, sumendo numerum specierum non aequiualentium in significando; & istarum vltimarum duas imaginatur actiuas putrefactionis, & duas pasiuas, id est, quòd duae, scilicet caliditas & frigiditas, agant putrefactionem, & hoc simul, vel diuisim; & aliae duae sunt tanquam dispositiones, quas requirit materia, scilicet humiditas, & siccitas, vel simul, vel diuisim, ad hoc quòd posint pati putrefactionem, licèt tamen in se qualitates actiuae istae, scilicet humiditas, & siccitas, cùm substantia principaliter passa sit putrefactionem, vel alias operationes quaslibet, de quibus in hoc quarto dicit, ad quas sint ista disposita; quia caelum non habens istas, nec aliquam istarum, non potest pati putrefactionem, nec ignis habens solùm siccitatem sine humiditate, vt dicitur in litera.

17. Iuxta quod notandum est, vt opinor cum aliis, quòd nec solùm humidum manens cum pauca humiditate sine aliqua mixtione posit putrefieri, ideò nec aqua, nec terra, nec aër, nisi secundùm partes miscerentur cum siccitatibus, vel humiditatibus, possent putrefieri plus quàm ignis. Et sic loquitur Aristoteles de praemissis, quòd sic possunt loqui de aliis, vnde dicit in litera, *Quinimò logicaliter dicitur esse putrefactionem in ijs, quae secundùm partem corrumpuntur cum separentur à natura, propter quod putrescunt omnia excepto igne.* Vnde loquitur ibi de omnibus materiebus secundùm partem in corporibus, & mixtis, & non manentibus in summa simplicitate. Vnde apparet propinquisimam, vel proximam causam materialem putrefactionis esse quandam materiam permixtim habentem humiditatem cum siccitate, & hoc in aliqua proportione Geometrica determinata à natura, vt dicit quidam antiquus Expositor, Henricus nomine, in quaestionibus istius. Et similiter oportet imaginari vnam proportionem qualitatum aliarum primarum actiuarum, vel alterius saltem ad subiectum, sic mixtim habens istas dispositiones; & illis sic existentibus proportionatis debitè, fiet putrefactio, non aliàs; & ista demonstratiuè probari difficillimum est. Sed sustineri potest contra arguentes secundùm modum inferiùs dicendum *in secunda parte quaestionis.* Et quòd haec posibilia sint fieri patet, quia non implicat contradictionem, nec repugnat principiis naturalibus, sed quod videbitur in soluendo opposita. & isto modo expresè loquitur Aristoteles, licèt non demonstrauit *in 2. de Generatione*, de proportione qualitatum, & analogia non indiuisibili existente, sed in latitudine quadam.

Istis praemisis, potest esse conclusio responsalis ad quaesitum, haec: quòd putrefactio est posibilis, vel posibile fieri, vel esse putrefactionem, quia omnes causae eius propinquae, & remotae sunt posibiles fieri, & esse: igitur effectus, qui est putrefactio. Consequentia patet ex definitione causae. Antecedens patet ex dictis. Ex quo patet quòd posibile est quòd putrefactio sit de facto, & fuit, quia posibile est eius causâ esse, & fuisse de facto; igitur & effectum, &c. 18.

ARTICVLVS II.

Quomodo fiat putrefactio?

SEd ne redarguar in processu, dicendo putrefactionem esse posibilem, antequam exponatur quid nominis, oportet aduertere sequentia cum praecedentibus, & primò de secunda parte quaestionis est nunc dicendum, scilicet quomodo fiat. Circa hoc dicendum quòd imaginantur Doctores in artibus, & Practici in medicina, accommodantur ab illis, quòd sub aliquo existente humido proportionato cum sicco in aliqua determinata, vel determinabili proportione à natura, in tali caliditas quaedam existat, quę ad illud humidum, vel humiditatem secundùm *esse*, habet certam proportionem. Et similiter ad siccum, sic quòd sub certa latitudine humiditatis, & siccitatis potest caliditas certae latitudinis ad certum tempus conseruari in *esse*, & si vltra illam proportionem veniat humiditas nimis excellendo caliditatem, vel siccitatem, & sic caliditas vincitur, & extinguitur; & è contrà si caliditas nimis excedat latitudinem proportionis dabilis inter ea, tunc consumit humiditatem, & sic per consequens deficiente sibi materia, in qua conseruari deberet, perit, 19.

perit, & sic si siccitas sit nimia, consimile contingit, vel si frigiditas nimis destruat calorem, vel sibi non debitè, nec sufficienter resistat ad talem, vel talem operationem, putà vitalem, vel putrefactionem faciendam, tunc velocitatur actio caloris, & consumitur materia, & finitur calor, vel vita, vel alia operatio, quæ istam proportionem taliter, vel taliter habentibus quælibet ad suum *esse* requirunt ad *conseruari*, vel *produci*.

Et ideò oportet proportionem talem omnino esse eiusdem speciei specialissimæ, putà sesquialteram, vel semper punctuatur sesquitertia, vel æquale ad producibile, sicut ad concipiendum sub certo gradu opinionum, vel ad intendendum, sed sufficit quòd prope illam sit illa, quòd non nimium excedat talem proportionem, vt putà quòd sit proportio centupla, vbi priùs solùm sesquialtera, quia sic si poneretur quando licet existimationem variari nulla scientia, nec æstimatio possit fieri de istis. Et extremum huius ponitur in artibus ab Aristotele, sicut de flamma lampadis, quæ regulatur sub consimili gradu, & flamma æqualis non potest in solo aqueo conseruari, imò & *esse* secundum requirit humidum aërem, videlicet oleum, & ceram, vel consimile; sed tamen hoc siccum est quoddam proportionaliter se habens in aliqua proportione, vel dispositione certa ad humidum. Vt putà quòd sit in medio, vel habens partem eleuatam vltrà humidum, sicut est lychnus, vel filum, & quòd ad ipsum consimili proportione semper eleuetur humiditas, & in flamma generetur, & sic regulariter contineatur, sed non est ibi proportio caloris, scilicet totius flammæ ad totum humidum sine caliditate, vel cum caliditate sumendo ly *totum*, sed solùm ad partem ascendentem, & nutrientem flammam: & sic de sicco similiter, quantùm ad partem in qua flamma manet; sed talem proportionem oporteret in naturalibus imaginari per totum corpus, sicut de flamma, quia calor quorundam est per totum; & sicut humiditas, siccitas, & etiam frigiditas.

21. Sed dicum omnes oportere defectus esse sub *esse* remisso, & de facto sunt ista, sic simul & proportionem habentia; vnde dicitur, si lignum inflammatum totaliter cooperiretur oleo, vel subungeretur, tunc humiditas excederet caliditatem, & sic extingueret; & si lignum esset nimis siccum, & non intinctum oleo, nec actualiter haberet ipsum, tunc flamma deficeret. Similiter si flamma esset multa, & modicum de oleo, citò consumeretur illud modicum, iterum deficeret. Sic imaginandum est in proposito secundùm *esse*, si oleum esset nimis calefactum ab extrinseco, & rarefactum, sic quòd non esset actualiter frigidum, nec temperatum, tunc totum simul sine resistentia posset inflammari per modicam flammam inchoantem, sic accidit in frixatis ex oleo, & similibus; contingit enim totam patellam, & totum oleum inflammari, & citò consumi; ideò requiritur frigiditas resistens calido, & flammæ, ne totum simul inflammetur, & consumatur: & sic est imaginandum in corporibus aliis naturaliter esse frigiditatem, humiditatem, siccitatem, & caliditatem, & sic se habentes, quòd ex ordinatione earum cum certis & debitis circumstantiis, vel proportionibus possint tales, vel tales operationes exercere, & quando fit excessus causabitur aliud.

Sed vlteriùs oportet imaginari ad propositum, videlicet ad hoc quòd fiat putrefactio, quia quando calor extrinsecus, putà aëris, vel ignis, vel Solis, cum calore intrinseco agat in humidum proportionatum sicco, quod humidum rarefit, & exhalat, & siccitas remanet terminabilis, existens termino proprio; & sic quando in solo sicco potest calor remanens propter remotionem materiæ, in qua est humidum, tunc dicitur fieri putrefactio secundùm quod aliqui exponunt Aristotelem. 22.

Sed illud non sufficit, quia combusta non putrescunt, ideò oportet humidum naturale propter actionem caloris interioris, & exterioris, moueatur versùs partes exteriores, & ibi partim resideant, & congregentur dimissis interioribus siccis & frigidis, quia calor naturalis simul motus est ad exteriora cum materia sua, & sic remanens exteriùs est frigidum ex propria sua frigiditate magis augmentata ab exterioribus veniens, & fugiens caliditatem; sed tamen non est omnino statim putrefactio facta secundùm partem siccam siue materiæ in interioribus, sed retinens humiditatem, licèt non sufficientem, ad continuationem vitæ, vel operationis alterius, videlicet digestionis, & conseruationis in *esse* rei secundùm speciem priorem, & sic corrumpitur forma substantialis præcedens, & quasi fit aliqua proportio qualitatum, ad quam consequitur aliqua forma alterius speciej, tunc generatur alia forma vt putà cadaueris, secundùm diuersitatem proportionum qualitatum relictarum, fit diuersitas formarum generabilium ex putrefactis; & sic putrefactio eius quod corrumpitur, est dispositio consequentis, vel alteratio prima ad generationem alterius, & sic ad putrefactionem vnam completam plures concurrunt mutationes in principio motus alterationis, quo calidum interius calefaciens, videlicet exhalatio humidi, vel motus eius ad exteriora putrefactibilis.

Tertiò, exsiccatio, quæ est exhalatio frigida interioribus, & tunc corruptio substantialis formæ rei putrefactibilis, & postea generatio substantialis formæ alterius speciei. Nec cessat adhuc, saltem vt in pluribus, sed vlteriùs fit exsiccatio extremitatum putrefactibilis; & quasi resolutio ad elementa, videlicet aquam, terram, cineres, & aërem, videlicet vapores, quibus mediantibus fœtor in aëre multiplicatur, vel non sine eis. Et quia nunquam putrefactibiles magis ex dominio sunt ex istis tribus, in hæc tria post corruptionem caloris, qui est loco ignis, cessat putrefactio vltimatè, & hæ mutationes quandoque accelerantur, & in breui tempore fiunt, quandoque tardè, & accelerari possunt artis iuuamine, potentiis actiuis, & passiuis applicatis, & sic fit rarefactio putrefactibilis in principio, cùm calor augetur, & corruptio caloris proprij; & in fine circa corruptionem formæ substantialis fit condensatio corporis remanentis propter frigiditatem, & siccitatem, & istis omnibus factis tunc completa est corruptio. 23.

Et iste est motus, quem imaginantur
Authores quomodo fiat
putrefactio. Et hoc
de secùndo.

***

Articvlvs III.

De proprietatibus, & accidentibus putrefactionis, & de causis earum.

24. Sed nunc de tertio, videlicet proprietatibus, & accidentibus putrefactionis, & causis istarum. Vnde primò accidit calefactio putrefactibilis inordinata, vel innaturalis sibi, quod patet de se per experientiam. Et causa est, quia exterius calidum continens intendit calorem interiorem. Et secundò accidit humefactio putrefactibilis in superficiem: cuius causa est, quia humiditas intrinseca mouetur cum calore interiori ad extremitates, & sic ibi humectatur.

Tertiò accidit exsiccatio interioris, & infrigidatio. Cuius causa est, quia ex quo humiditas cum calore recessit, relinquitur siccitas in frigido, quia omnes humores frigidi frigidantes calorem, quæ nunc ad extrema conueniunt.

Quartò, quia infrigidatio est causa quare calor recedit esse in extremitatibus, & exhalat, & tunc frigus obtinet, & infrigidat.

Quintò, exsiccatio extremitatum, quia etiam humiditas sic exterius tracta consumitur faciliter, quia pauca.

Sextò condensatio, quia frigus cum siccitate condensatur; & sic videmus corpora hominum recenter mortua, naturaliter tamen esse materialia, & opaca.

25. Septimò, accidit exsiccatio adhuc maior & dissolutio partium ad inuicem. Causa est, quia humiditas tenet sicca simul in mixto, vt dicitur *in 2. de Generat.* & ita tota consumitur in putrefactis finaliter; igitur diuiduntur partes ab inuicem: & hoc videmus experientia, ideò non possunt corpora Sanctorum integra eleuari, sed ossa solùm; & ideò carnes aliorum, vel cadauera, quæ aliquantulum diu iacuerunt, facillimè franguntur; igitur accidit generatio aliorum quorundam ab ipsis putrefactis, sicut ex visceribus vaccarum mortuarum naturaliter accidit apes generari, & ex visceribus equorum vespas, vt dicit Commentator 2. *Metaph.* & ex cerebro hominum bufones, & ex carnibus alij vermiculi horrendi, & serpentes; & ex caseis putrefactis, si fuerint pingues, fiunt texmæ; ex vestibus tineæ si fiant ex lana, & sic ex materia putrefacta ex ventre hominis viui fiunt quandoque lumbrici, & quandoque alia animalia. Omnium harum generationum causæ sunt diuersæ proportiones qualitatum primarum, ad quas dum venerint putrefactibilia formæ talium animalium generantur, sicut ex mixtione farinæ sufficientis cum aqua fit pasta, vel pulmentum. Et istæ proportiones, quæ sunt, & quales ad plenum fortè ad hominibus nesciuntur, & si scirentur, & sciret quis reducere, vel deducere elementa ad tales proportiones per artem faceret talia animalia, sicut & natura; & ideò multi Alchimistę docent facere regulum, vel basiliscum in vitro per artem, similem illi, qui fit ex ouo galli per naturalem putrefactionem, licèt non tam venenosum.

26. Sed circa istud incidunt dubia, vel quodlibeta.

Dubium 1. Primò, quare ex animalibus putrefactis non generantur alia mixta, putà aurum, vel argentum, vel alia metalla, & hoc cùm plus conueniant metallum & cadauer mortuum, quàm mortuum & viuum?

Et similiter quare non generantur plantæ citiùs quàm animal? Dubium 2.

Et tertiò, quare non generatur vnum continuum ex humore vno continuo, sed plura? Dubium 3.

Et quartò, quare talia animalia in eodem genita habent modicam differentiam in specie, ita quòd videntur quasi eiusdem speciei omnia? Dubium 4.

Et quintò, quare sint tam diuersa in figura, vnum est longum, vt lumbricus, & postea sequitur vnum breue & latum, & post vnum gracile, & postea vnum grossum, & secundùm diuersitatem capitum multum differunt? Dubium 5.

Sextò, quare vt in pluribus ex animalibus putrefactis generatur animal volatile, vt vespę, apes, & non gressibile, cùm tum gressibile sit similius gressibili, quàm gressibile volatili, sicut equus vespis? Dubium 6.

Ad ista dubia potest dici secundùm intentionem Aristotelis, qui intendit completè tractare causam generationis animalium ex putrefactis, quando dicit quòd innascuntur enim animalia in putrefactis ex eo, quòd disgregans caliditas, cùm nata sit distare, facit disgregata, quia effectus est naturalis, & vult debitam mensuram requisitam ab illo, qui putrescit, & ex proportione eius cum humido requisitâ dimissâ, tunc est proportio istius caloris superflui remanens humidum, & ista est sufficiens ad generationem alicuius animalis mediante virtute cœlesti; & tunc quia natura semper facit quod melius est, ideò desistit ad putrefactionem, & generatur animal; & non amplius disgregat illud humidum, sicut priùs fecit, sed tunc congregat, & miscet humidum cum sicco, & sic recipit calor iste virtutem informantem, sicut virtus in semine, vel calor seminis, & sicut agit animal imperfectum magis frigidum benè ratione caloris facit humidum extrinsecum congregatiuum in pellem, & ad hoc iuuat frigidum exterius comprimens humidum, & tunc disgregando aliquid in humido subtiliori, ipsum digerit, & facit speciem animalis infra pellem, & sic non est contradictio in litera, disgregans constare facit. Et quia primò disgregat, postea constare facit, vel condensat, non simul, nec eodem modo. 27. Ad 1. & 2.

Quando quæritur, quare non alia mixta, vt aurum, vel lapides? Causa est, quia ex humido grossiori generantur metalla, quàm plantæ, & plantæ quàm animalia; & animalia imperfecta, quàm perfecta, & in corruptione aliorum remanet etiam humidum subtilius, quàm sit humidum, ex quo plantæ, & metalla; poterit tamen tandem contingere quòd generentur quædam plantæ imperfectæ in putrefactione aquæ stantis, quandoque in superficie contingit, sed tarò contingit hoc, sed sæpe animalia, nunquam metalla, nec lapides. Et non videtur verum quod dicitur, magis est simile aurum mortuo, &c. Etiam dico quòd non quantùm ad principium suæ generationis, licèt illud esse inanimato fuit magis simile, non tamen in aliis: & sic similiter esset difficilius fieri animal, quàm aurum, vel plantam, tamen ex materia taliter disposita faciliùs fit animal, quàm aurum, vel planta. sic patet etiam ad secundum. 28.

Ad tertium, dicitur quòd causa est diuisio humidi contenti à calore putrefaciente. Calor enim putrefaciens, qui est disgregans partem humidi ab 29. Ad 3.

ab alia, & secundùm diuersam formam sunt diuersa talia alia facta. Et consimilem causam dat Aristoteles *in libro de animalibus*, quare ex vno semine continuo vnius animalis plures fœtus generantur, vel educuntur. Et intendit quòd est decisio seminis per partes, & hoc per calorem, & si concurrant in aliqua parte, vel non totaliter diuidantur partes, erunt fœtus coniuncti.

Ad 4. Ad quartum, dico quòd causa similitudinis in specie est vniformitas, vel similitudo caloris vbique, & similitudo proportionum; ergo ex qualibet parte simili facta.

Ad 5. Ad quintum, dicitur quòd causa est diuersa dispositio materiæ, & complexio, & diuersitas primarum qualitatum, vnde in alia parte materia est magis commixta, seu calida, & sicca, propter calidum regens in longum, & siccum transit; fit igitur oblongum, & calidum, gracile. Et ex materia flammante frigida, & humida propter frigidum condensans, & humidum dilatans, generatur breue animal, & latum. Et ex materia melancholica propter frigidum condensans, & siccum constringens fit animal breue & gracile, & sic secundùm exigentiam materiæ, & locorum, & influentiarum, figurandi.

Ad 6. Ad sextum, *quare volatile*, dicitur quòd ideò, quia huiusmodi humiditas est subtilis valdè, & ratione sic est humidum seminale in volatilibus; igitur simile illi fit aliquod, putà volatile, sed euolantibus illis remanet materia grossior, quæ inerat.

30. Sed vlteriùs sunt alia accidentia, vnde igitur continuè accidit mutatio calorum putrefactibilium? nam aliqui homines viui coloris existentes rubicundi, & opimi, facta putrefactione pessimè colorantur. Causa est, quia humiditas accidens ad exteriora, malè disponitur per calorem, & humores colorati quandoque nigredine, si sit nimis fortis; quandoque glaucedine, si non non sit caliditas tanta, & sic de aliis.

Et hæc diuersitas magis apparet in hominibus, & animalibus habentibus cutem, non crinosam, quia crines equorum, vel mortuorum per putrefactionem non possunt colorari faciliter, quia nec humiditas venit ad ipsos crines, nec caliditas. Ideò accidit fœtor putrefactorum ferè omnium, exceptis paucis, musca, & vlceribus, cui contingit in putrefactione redolentia delectabilis, & de rosis, vel floribus, vel de speciebus Apothecarum. Vnde causa primò est de animalibus.

31. *Putrefacta animalia cur fœtent hominibus?* In huiusmodi putrefactis quare olent? quia caliditas putrefaciens causat quandam proportionem cum aliis qualitatibus disconuenientem, dissimilem, & odibilem naturæ humanæ; ideò fumi inde prouenientes olent in conspectu hominum, sed nescio si in conspectu aliorum animalium faciant, quia vultures, & aquilæ satis de fœtoribus cadauerum gaudent, & veniunt de remotis ad coquinam demum calore calefacientis. Sed in aliis, quia sunt proportiones similes, vel conuenientes naturæ humanæ, ideò redolent; ideò experimur quòd confortant vires naturales, & animales.

Quare corpora mortuorũ grauiora sũt corporibus viuorum. Vndecimò, accidit mutatio ponderis, vel grauitatis. Vnde communiter corpora mortuorum naturaliter sunt grauiora, quàm fuerint cùm vixerunt. Causa est, quia recedente calore, recedit & leuitas, vel illud, quo corpora se sustinebant resistendo grauitati. Similiter humiditas subtilis, & leuis exhalat, ideò remanet terrestre grossum, & compactum, quod est graue.

Duodecimò, accidit quòd quandoque putrefacta corpora animalium sunt venenosa, & plurium in comparatione ad hominem, exceptis esculis, quæ putrefacta magis delectant, & conueniunt. Causa primi est, vt enim dictum est in secundâ proprietate, omnia talia infrigidantur, & sunt naturaliter frigida; & infrigidantia, & contraria vitæ, quæ consistit in calore & humiditate, vt ipsa putrefacta frigida & sicca. Et hoc potest esse causa, quare genita animalia ex putrefactis sunt venenosa, saltem vt in pluribus, & lædunt, quia frigida & sicca comedentes inficiuntur. 32.

Decimotertiò, accidit quibusdam putrefactis luciditas, sic quòd lucent de nocte, sicut patet de quercu, & quibusdam piscibus marinis: & causa est iterum aliqua proportio qualitatum primarum, & vnà cum dispositione speciali à tota specie putrefactibilis ad causandam lucem, & tales virtutes à tota specie apparet in pluribus concurrere ad operationem, vel proprietates prædictas, & virtutes, vel influentias cœlestes.

Decimoquartò, accidit quòd quædam lucentia ante putrefactionem; sicut oculi catorum, & luporum, & canum, & nocturnarum bestiularum corpora, vel ventres non lucent amplius post mortem, & putrefactionem, quia similis est causa sicut iam in 13. proposito dicebatur.

Decimoquintò, accidit in quibusdam putrefactis viscositas, & nigra conglutinatio partium, sicut sæpè contingit de vino debili, quod propter corruptionem caloris, & euaporationem humidi subtilis efficitur ita viscosum, & miserrimum est homini, propter infrigidationem, & viscositatem est malè digestibile. Sed tamen illud videtur benè ad aliqua alia facienda, putà ad faciendum aquam vitæ, & vinum terminale, quod est satis charum, & ideò qui haberet mysteria posset malo vti benè, & vinitor non debet effundere. 33.

Ex his patet quòd omnis putrefactio, vel ferè omnis talis causat malum, licèt quandoque per accidens, & per adiutorium causat bonum. Et hæc sunt accidentia, & proprietates, contingentia putrefactioni, cum causis suis. Et secundùm hoc in quæstione ostendendum quòd accipitur pro nunc breuiter transcurrendo, & fortè aliàs aliqua alia addentur.

Sed quia iam visum est de malis quæ contingunt per putrefactionem, Aristoteles in litera loquitur de quibusdam impedimentis eius, ideò etiam de impedientibus putrefactionem, secundùm eius effectus, vel proprietates malas est dicendum. Vnde Aristoteles ponit quinque solùm impedimenta, vel remedia, quæ tacta sunt, scilicet frigiditas continentis impedit, quia videmus per experientiam quòd hyeme putrefactibilia putrescunt minùs quàm in æstate, & corpora mistorum in locis calidis citiùs putrescunt quàm in frigidis. Et causa huius est, quia frigiditas continentis restringit poros putrefactibilis, vt caliditas propria in eo diutiùs conseruatur. 34.

Secundum remedium impediens ipsam, est congelatio, vel coagulatio putrefactibilis. Probatur, quia congelationes quando sunt, tunc manet causa conseruationis congelati, quia quamdiu superficies, & consimilia congelata, tunc non potest caliditas, & humiditas propria exire, nec euaporare.

Tertium remedium est feruens caliditas, & humiditas actualis,& virtualis putrefacta. Causa est,quia feruens caliditas non permittit frigiditatem propriam superare caliditatem, & etiam non potest in feruenti caliditate humiditas se extrahere ad exteriora, nec calor similiter, quia nulla causa esset quare magis vno tempore, quàm alio, ex quo magis superesset calidum. Et dicunt Authores quòd feruens caliditas interius resistit exteriori caliditati,& non permittit educi humidum sibi proprium, & ideò imaginantur per caliditatem complexionalem propriam mixtam omnem resistentiam caliditatis extrinsecæ, vel exterioris, quæ non est complexionalis.

35. Quartum impedimentum est motus,& fluxus; mota enim & fluentia minimè putrescunt, quia per motum excitatur calor intrà in sua naturalitate,ita quòd diffundit se per partes mixti, & ita fortiùs resistit calori extrà nitenti per suam naturalem dispositionem. Et motus impedit humiditatem moueri ad exteriora. Tanta diuersitas, & varia causa fit saltem in fluentibus, quòd quandoque interiora fiunt exteriora.& è contrario.

Quintum impedimentum est multitudo: vnde multa in continuo non in distincto plus resistit, quàm in pauco, cæteris paribus. Magnitudo rei præseruat eam à putrefactione;igitur totum mare non putrescit,nisi diuideretur in partes, & similiter est de aliis.

36. Ista quinque quandoque dicuntur impedimenta putrefactionis,& per se impedientia ipsam; sic sunt istæ quinque. Igitur benè solebant expositores dare sufficientiam istorum impedimentorum, esse omne impediens contrarium; sic est frigiditas; & hoc dicunt impedimentum, resistendo, quia aut est extrà in continente putrefactibile,vel intra ipsum;si extrà,tunc est primum, quia tempore frigido minùs; si sit intra existens frigiditas,sic est impedimentum,sed quia coagulata frigida, vt metalla,non citò putrescunt, quia frigus coagulans contrahit poros comprimendo calidum intra se,vt non exeat. Sed si impediens, vel resistens,sit simile putrefacienti,sic est caliditas resistens caliditati exteriori; & hoc ideò,quia caliditas naturalis sub ratione quadam fortiùs impedit, & secundùm diuersitatem fortiùs contingunt. Alia causa;quia aut fortitudo est in illa caliditate propter eius acutiem ex naturali complexione rei,aut ex alio accidente extrinseco excitante ipsam, aut ex quantitate sui subiecti,quia in maiori corpore, cæteris paribus,est maior virtus. Si primo modo istorum,sic est tertium impedimentum, videlicet feruens caliditas rei à naturali complexione,sicut in pipere.Si verò secundo modo,tunc est quartum impedimentum, secundùm quod motum & fluens minimè putrescunt, quia motu excitato calor naturalis intrat; sed si tertio modo, tunc est quintum impedimentum, sed quia multum pauco minùs putrescit, & non est aliud medium reperibile expertæ rei.

37. *Balsamum, myrrha, & aloë impediunt putrefactionem.* Sed nota quòd tria sunt adhuc alia præter ista, quæ impediunt putrefactionem, vt balsamum, myrrha, & aloë; sed ista non per se impediunt, nec immediatè resistendo caliditati, vel putrefactioni, sed mediante quadam alia operatione. Ista enim vehementer exsiccant,sic quòd per exsiccationem contrahunt extremitates corporum, quibus applicantur, & claudunt poros eorum omnes,sic quòd humiditas,quæ est intra,non potest exire, ideò remanet, & non putrefit, & ideò talia corpora apparent sicca, irrugata, durata, & compacta, & sic hoc est per exsiccationem, & fortè à tota specie illarum rerum,modo quo discernunt medici tempore necessitatis. Sed si quæ alia sint præter influentias cœlestes in quibusdam locis terræ, vbi putrefactio nulla fit per virtutes lapidum speciales,& verborum,sicut narratur de corporibus excommunicatis,hæc non sunt secundùm naturam consuetam,sed saltem quoad vltimum supernaturaliter.

Sed adhuc est aliud remedium, vel impediens putrefactionem, vt salsata; videlicet sal, & condimenta sallita.Et hoc ad experientiam videmus, quia carnes sallitæ non putrescunt, quia sal est calidum & siccum, ideò ratione siccitatis consumit humiditatem in exterioribus, & poros condensat, & claudit, ne humiditas interior possit exire, & sic non putrescunt talia. Et consimilis causa est quare fumus iuuat diutiùs durare carnes salsatas priùs,quia vehementer exsiccat.Item, videmus aquam conseruari à putrefactione, si sit congelata,& posita in fimo profundo,sicut etiam videmus glacies in melle, pruina, vel terusa posita in melle, vel aceto, causat durare vltra tempus naturale suæ durationis,videlicet ad medium hyemis à medio æstatis,& pedes porcorum cocti, & compositum coctum durat per annum, & vltrà,posita in aqua salsa,vel acetosa. Etiam pisces quidam,qui vocantur *stipicia*,siue *salsa*, exsiccati,durant tamen per valde longa tempora,& non putrescunt. Item, ficus, & vuæ passæ,vel racemi. Et omnium istarum experientiarum causas reddere propinquissimas, & maximè superiores,longum esset,& difficillimum. 38. *Sal impedit putrefactionem.*

Sed ex prædictis habentur, vel haberi possunt generales causæ omnium istarum, & sufficit quantùm ad scientiam huius libri.

ARTICVLVS IV.

De definitione, & descriptione putrefactionis.

NVnc dicitur ad quartum, quæ sit definitio, vel descriptio putrefactionis, vnde potiùs danda est eiusdem descriptio,quàm definitio dicens quid rei, eò fortè quòd non vna res, nec plures res vnà verè, & propriè, & per se consistentes sunt putrefactio: nec enim calefactio Solis, nec caliditas, nec frigefactio, nec frigiditas, nec condensatio, nec densitas, nec rarefactio,nec etiam generatio substantialis,nec corruptio est putrefactio, sed sicut dictum est in secunda parte quæstionis, plurima requiruntur ad putrefactionem,puta plures mutationes, quarum nulla sola esset putrefactio,sed bene omnes simul aggregatæ cum ordine priùs dicto, & modò dicitur putrefactio, sicut ibi solet communiter dici de augmentatione propriè dicta, quòd non sit vnus solus motus,vel mutatio, sed plures,& adhuc magis diuersè dicitur putrefactio quàm augmentatio. 39.

Ex quibus patet ista conclusio prima,quòd putrefactionis non est danda definitio *quid rei*.Probatur, quia nil est definitio *quid rei* putrefactionis; igitur nulla est est definitio *quid rei*. Consequentia patet, & antecedens ex iam dictis. 40. *Putrefactionis non est definitio. Est descriptio.*

Secunda conclusio, putrefactionis est danda descri

descriptio, vel *quid nominis*. Hoc patet, quia explicari per orationem *quid*, & *qualiter*, hoc putrefactio signat; igitur, &c. Consequentia patet, Antecedens declaratur priùs.

Putrefactio quid?. Tertia conclusio, quòd potest describi sicut Aristoteles ipsam describit, sic, quòd *est corruptio caliditatis propriæ in humiditate propriâ à caliditate alienâ, vel frigiditate alienâ*. Et hæc descriptio patet ex prædictis. Sed nota, quòd fortè non est sufficiens descriptio, & conuertibiliter se habens cum descripto, quia multoties corrumpitur caliditas propria à caliditate aliena in humiditate suâ, siue putrefactione, sicut patet de flammâ lampadis, adueniente magno igne, & consumente aliquando totum, non tamen fit putrefactio. Ideò oportet multa apponi, videlicet quòd putrefactio est plures mutationes, inter quas est corruptio caliditatis propriæ in humiditate, & caliditate alienâ actiuè proueniens ex qualitatibus primis actiuis, & passiuis, nunquam à dispositionibus subiecti, à qualitatibus primis passiuis, vel primis æquiualentibus. Et est prima ad corruptionem formæ mixti in parte, & similiter ad generationem alterius mixti, & sequens etiam generationem mixti alterius elementi. Et sicut ex dictis priùs omnia simul comparando, potes accipere quid sit putrefactio, & quot mutationes, & quales simul aggregatæ debent dici putrefactio, & quales non. Potest etiam addi, quòd est corruptio naturalis, non violenta. Vnde Aristoteles opinatur combustionem esse violentam, & occisionem, & similia.

41. Sed dum aliquod procedit secundùm naturalem processum ad corruptionem, dicitur putrefactio naturalis. Vnde *naturaliter* dicitur vno modo, prout distinguitur contra voluntatem, vt inclinatio dicitur naturalis, sed persecutio volitionis dicitur violenta. Alio modo dicitur *naturale*, vt distinguitur contra *artificiale*, & sic dicimus plantas fieri naturaliter, sed arcas, vel domus, artificialiter.

Tertio modo dicitur *naturale*, vt distinguitur contrà *violentum*, sicut dicimus quòd motus grauis deorsum est naturalis, sed sursum est violentus; modò ad propositum, putrefactio est motus naturalis isto tertio modo. Vnde naturalis transpositio est, quæ fit à principio intrinseco passo conferente vim. Sed violenta, quæ fit à principio extrinseco passo non transeunte vim. Et ad propositum, putrefactio est motus naturalis, eò quòd passo confert vim, quia naturaliter ratione materiæ appetit formam aliquam, & per qualitates actiuas & passiuas est dispositum subiectum ad putrefactionem, licèt tamen ipsis resistat. Certum etiam est voluntarium, & artificiale, & licèt impropriè, esse naturale modis oppositis istis, & hoc de quarto est dicendum. In quintò sufficiunt.

42. Et ex istis omnibus patet responsio ad quæstionem, *Vtrùm putrefactio sit possibilis*, at dictum est im primâ parte quæstionis quòd sic. Sed aduertendum est hìc in hoc quarto articulo quæstionis, & primò, quòd in hoc quarto sumitur hoc nomen *putrefactio*, valdè strictè, quando dicitur quòd nil sit, vel aliquid potest esse putrefactio propriè loquendo, quod sit per se vnum, sed in primo sumitur largè, ac si diceremus quòd exercitus subiectorum, & actuum est possibilis, & sic putrefactio est possibilis, id est, cumulus, & aggregatio subiectorum, & accidentium, est possibilis, vel mutationum substantialium, & accidentalium secundùm ordinem quendam, & modum priùs dictum, est possibilis tantùm, cùm iste sit cumulus, vel est, vel si ens, tamen plura sunt; & respondetur quòd possibile est aliquid putrefieri, id est, subiectum, addendo tales mutationes substantiales, & accidentales secundùm ordinem, putrefactionem potest recipere.

Ad rationes principales. Ad primam, *quando corruptio caliditatis*, &c. Conceditur antecedens; si non sit aliquod mixtùm cum caliditate, in quod aliud mixtum agat, & sic ipsum disponat, vel distrahat, quòd amplius calor non potest permanere in subiecto. Modò sic contingit in subiecto, quia subiectum indisponitur, quia rarefit, & humidum, in quo conseruari debet, consumitur calore exteriori, & sic desinit calor, quia non habet subiectum. Et etiam benè potest concordari quòd caliditas, extrinseca, scilicet, & intrinseca sunt diuersæ speciei, capiendo intrinsecum pro potentiali, vel virtuali caliditate extrinsecè pro actuali; sicut caliditas quâ potest piper calefacere, specificè differt à caliditate ignis actuali. Nec sequitur quòd vni sint duæ contrariæ æquè, quia actualis virtuali caliditati non contrariatur, sicut frigiditati accidentali. Sed benè actualis alterat subiectum, & indisponit, ne detineat virtualem qualitatem formam mixti, vel elementi. Item, non sequitur quòd sint qualitates primò, quia formæ istæ actuarent virtuales qualitates, quæ sunt primæ in elementis, quia magis inseparabiles, & tam ex aliorum sensibilium, sicut patet de aqua calefacta, cuius frigiditas est deleta, sed remanet inseparabilis frigiditas virtualis, sicut imaginandum est de aliis qualitatibus. 43. *Ad argum. principale.*

Sed ad aliam improbationem de mixtione, quæ videtur fuisse contra istam rationem, cùm dicitur, *nec videtur*, &c. *quia in frigido tempore quando aër esset frigidior homine*, &c. dicitur quòd non sequitur. Et causa est, vt prima, non solùm imaginandum est caliditatem exteriorem medij continentis esse causam talis consumptionis immediatam, sed quandoque humores mali, & similiter calefacti, qui sunt sparsi per totum corpus, sunt causa eius consumptionis, & frigus aëris, vel medij continentis per antiperistasin cum adiutorio frigoris interioris, ita quòd inchoatiuè est ab exteriori calido, & illud calidum exterius quandoque est calidum innaturale humorum, qui non sunt pars compositi, qui dicuntur extra humidum radicale, in quo est naturalis calor: igitur in hyeme homines possunt infirmari, & putrefieri, dato quòd aër exterior sit frigidior; & similiter membra hominum, & cadauera mortuorum in terris posita; & sic similiter circa membra compeditorum, nam propter constrictionem circa loca compedum fit læsio vehemens, quare natura mittit de sanguine multum ad iuuandum partes læsas, & sic esset in locis illis calor maior, quàm natura membri requirit, & tunc frigus circumstans, & per humiditatem aquæ frigidæ, intenditur calor, & fit maior per antiperistasim, & ipsâ existente maiore consumit materiam naturalis caloris, & complexionis membri, & sic fit ibi statim putrefactio. Sed ad aliam confirmationem antecedentis, ad probandum dato quòd calor sit cum humido, & consumpto humido, adhuc melius debet manere. Cùm dicitur, si calor etiam remanens materia sicca maneret; sed in siccis aptissimè conseruatur calor. Dicitur quòd aliquis 44.

calor in aliquibus ſiccis optimè poteſt conſeruari, ſed non omnino in omni ſicco, nec in propoſito calor naturalis poteſt in ſicco reſeruari humido ſibi propoſito, quod requirit ad ſuum eſt conſumpto: vnde flamma manens aliquantulum diu, non poteſt in ſolis cineribus, ſine humido ſeruari, vt per experientiam videmus.

45. Ad 2. Ad ſecundam, *putrefactio non eſt*, &c. Dicitur negando conſequentiam, ſumendo largè hoc nomen *putrefactio*, ſecundùm quòd dictum eſt priùs, vt in ſecundo articulo viſum eſt, & in ipſo acceptum ſic eſt. Ad probationem, quia non alicuius ſpeciei motus, & oportet eſſe motum aliquem, non eſt poſſibile eſſe, ſicut vniuerſale eſt aliquid. Dicitur quòd non eſt poſſibile eſſe aliquod vnum, ſed poſſunt eſſe plures, vel plura, & poſſunt ſimul ſic vocari, & ſic eſt in propoſito, quòd plures mutationes diuerſorum generum dicuntur putrefactio.

Aliter poteſt dici, negando antecedens, quòd non ſit alicuius ſpeciei mutationis, quia eſt generatio, corruptio, & exſiccatio, & ſic de multis ſimul, licèt tamen propriè loquendo tot ſimul non ſint vna ſpecies motus.

Sed ad probationes antecedentis. Omnes probationes antecedentis vadunt ad hoc, quòd non ſit vna ſola ſpecies mutationis, ſed tamen probationes procedunt probando quòd non ſit partialiter generatio, ſic videtur quòd putrefactio requirit motum localem, & quòd requirat corruptionem. Et ideò oportet dicere ad probationes. vnde quando probatur quòd non eſt motus localis, quia iſta impedit. Dicitur quòd aliquis impedit, & alius iuuat, & non impedit; vnde motus localis totius putrefactionis fit, quòd partes ab inuicem ſeparentur, & non quieſcant ſimul continuè, nec illud agens in ipſam poſſit manere, ſed diuerſa talis impedit putrefactionem, vt allegatum eſt ex litera, vt dictum fuit de aquis concurrentibus; ſed motus localis humidi, vel humidorum interiorum ad exteriora propter actionem caliditatis extrinſecæ, iſte iuuat ad putrefactionem, & non impedit. Sed quòd neceſſarium tunc ſit dare maximum, qui iuuat putrefactionem, vel minimum localem motum, qui non iuuat, eſſet vna alia imperitis difficultas.

46. Ad aliam probationem, quòd nec ſit motus generationis, quia eſt corruptio. Dicitur quòd eſt generatio, quia requirit generationem vnius formæ, & eſt corruptio alterius præcedentis, vel requirit. Et quando dicitur, *eſt productio ſubſtantia*, &c. cùm dicitur, quòd *talis non ſit putrefactio, quia aliàs omninò generatio eſſet putrefactio*, &c. Negatur conſequentia. Et quando dicitur, *non magis vna, quàm alia.* Dicitur quòd imò, quia requirit plures generationes ſecundùm ordinem, quæ tamen genera non dicuntur putrefactio, & non omnis generatio eſt talis, nec cum tot, nec talibus mutationibus. Et cùm dicitur, *in naturali materia*; conceditur, & ſic tum videlicet vel non differt multum, quamuis ſi hæc generatio ſit putrefactio demonſtrata generatione cadaueris in corpore naturali hominis, quòd omnis generatio talis cum talibus mutationibus præcedentibus, & ſubſequentibus eſt, aliàs non; & ſic omne generatum tale eſt putrefactitium ex materia putrefacta. Ad probationem aliam, quòd non eſt corruptio, quia ſimiliter arguitur ſicut argutum eſt, & tunc ſimiliter ſoluitur.

47. Ad aliam confirmationem, quòd *corruptio vnius*, &c. Conceditur exponendo ſic; quòd corruptio præcedit generationem alterius. Ad aliam, *maximè eſſet corruptio caliditatis in humido proprio accedente alieno*, &c. conceditur. Ad improbationem, *quia proprium dicitur inſeparabile*, conceditur; igitur caliditas propriè ſumitur hîc pro naturali, & non pro propriè proprio, & ſi pro propriè proprio, tunc ſimul conſumitur humiditas, & caliditas, ſicut homo & riſibile, & non remanet vnum alio corrupto, & hoc in debita & naturali diſpoſitione. Ad aliam confirmationem, *qua eſt fortior caliditas proprij*, &c. *igitur ſi contrariatur*; negatur iſta conſequentia, quia multa ad inuicem agunt non contraria, & non omnino diſparata agunt. Vnde oportet imaginari quandam latitudinem caliditatis naturalis ad humidum naturale, vel habentem amicitiam, & naturalem inclinationem ratione, ſicut ferrum ſe habet ad magnetem, vel è contrario, ratione cuius humiditatis, & amicitiæ agunt ad inuicem, & durant per tempus. & quando dicitur quòd non corrumpitur ab aliena caliditate, quòd ſic oporteret concedere actionem caliditatis, & humiditatis ad inuicem. Conceditur illud ſecundùm modum iam dictum. Quando dicitur, *pari forma omnium non contrariarum*, &c. Negatur, quia non omnia habent talem occultam violentiam, vel conuenientiam, & inclinationem naturalem. Et quando dicitur, *tunc aër naturaliter ſeipſum deſtrueret.* Negatur conſequentia, & fortè cauſa eſt, quia talem virtutem naturalem ſibi ſuperadditam non habent, quare agant talem naturalem potentiam. Et benè volo quòd ſic dicere, eſt quaſi deuiare; ſed non benè apparet aliter eſſe dicendum, & ſufficit in naturalibus tantùm fides, quòd non poſſit nimis experto improbari. Et quando dicitur quòd *eſt contra experientiam, quia calor in humido conſeruatur.* Conceditur ad tempus, & non perpetuè. Et quando dicitur, *humidum à calido augetur.* Conceditur quantùm ad extenſionem ſubiecti, & ad tempus, & poſtea minuitur, & reſoluitur calore remanente.

Ad probationem aliam, ſi agit in quantum agit tam ſine extrinſeco, quàm ſine intrinſeco, 48. tunc eſt proportio potentiæ caliditatis, &c. conceditur. Ad improbationem, *tunc humana*, &c. Conceditur conſequentia, & conſequens. Ad improbationem falſitatis, quia ſpecies diuerſæ, quæ diuerſas habent periodos, diuerſas habent proportiones, & non ſecundùm eaſdem caloris ad humiditatem.

Et quando dicitur, *ſi ſic, tunc calor modicus in multa humiditate non eſt multum durabilis, vel duratior magno calore in modico humido.* Ad hoc dicitur quòd ſi cætera eſſent paria, ſic eſſet quòd calor modicus cum humido multo diutiùs duraret, quàm multus calor cum modico. Et quando dicitur quòd *modicus calor cum multa humiditate non eſſet duratior*, &c. Negatur conſequentia, ſi benè proportionetur, & applicetur calor humiditati. Et ſi probaſſes conſequentiam ex hoc, quòd proportio modici caloris ad multam humiditatem eſſet modica, &c. Conceditur, quia ex hoc ſequitur potiùs quòd ſit duratior, quàm ſit minùs durabilis propter debilitatem actionis, & tarditatem. Et quando dicitur contra illud, *quia tunc oporteret fieri actionem à proportione minoris inæqualitatis*, &c. Negatur conſequentia.

Ad probationem, *magna humiditas cum pauco* 49. *calore habet proportionem minoris inæqualitatis, vel*

vel aqualitatis calidi ad humidum; dicitur quòd non, sed semper est proportio maioris inæqualitatis, vt dictum est in arguendo, quia calor dicitur paucus in comparatione ad alium, non in comparatione ad resistentiam humiditatis. Et quando dicitur quòd *tunc non esset simile de flammâ lampadis modicâ, & oleo multo*; conceditur quòd non est omninò simile, quia diuersitas est in eo, quòd calor flammæ non agit in quantamcunque partem olei, nec quælibet pars olei resistit sibi, sed solùm in aliquam partem, super quam dominatur, & quæ resistit, &c.

Et quando dicitur *humidum olei sufficienter dominatur super caliditatẽ*. Dicitur quòd verũ esset, si totum proportionetur ad totum, modò sic non est. Et quando dicitur, *Calor quandoque sic superatur ab humido*, &c. Concedatur, & tunc ampliùs non fit actio caloris, licèt resistat ad tempus, vt citò desinat.

50. Ad aliam confirmationem, *Aër habens magnam caliditatem, & siccitatem est duratior*, &c. Dicitur quòd nõ, vbi humiditas superat aliquam caliditatem, & putrescere facit, & tunc non est duratior, sed durante calore, & non superato esset aër duratior cum humiditate, quàm sine illa, & maximè cum humiditate virtuali. Item, quando dicitur, *ignis sine omni humiditate durat semper*. Dicitur quòd nullus est talis ignis, & si aliquis durat diu, dicitur quòd est naturalis dispositio sua caloris actualis, & elementaris cum siccitate, & sine humiditate. Sed alius est calor mixtior virtualis, vt priùs dictum est. Et quando dicitur quòd *non sit augmentatio, nec diminutio, nec alteratio*, conceditur, licèt requirat ad *esse* suum alterationes plures, &c. Quando igitur dicitur quòd *non est aliqua species*, &c. Conceditur secundùm modũ priùs dictum in principio solutionis huius. Et quando dicitur, *nec est non mutatio*. Prima consequentia non videtur, quia sufficeret quòd essent plures mutationes, & non esset mutatio cum ex hoc, &c. Secunda non videtur, si ista non est mutatio, ponatur æquiualere huic affirmationi, est mutatio, quia certè ista est falsa propriè loquendo, vt ostensum est.

51. Ad 3. Ad tertiam rationem principalem, *si sit*, &c. *sub aliquo, igitur est possibilis*. Conceditur consequentia; & consequens. & quando dicitur, *eadem ratione sub vno, igitur*, &c. Conceditur. Et quando dicitur quòd *hoc est falsum, quia possit aliquod sub gradu summo putrefieri*; dicitur quòd imò, exponendo superlatiuum, quòd nullus eo sit maior, licèt multi æquales, sed negatiuè, non affirmatiuè. Et quando dicitur, *quantumcunque sit aliquod putrefactum sub maiori potest*, &c. Esto quòd hoc sit verum, ex hoc non sequitur quòd nullus sit summus, nec possit esse summus gradus putrefactionis. Et quando probatur quòd actio caloris & frigiditatis non terminatur ad maximum quod potest; dicitur quòd imò, cum certis circumstantiis limitatis; sed sine limitatione certarum circumstantiarum non terminatur ad maximum. Et ad improbationem, quando arguitur contra hoc quod dictum est; scil. quòd non est summus gradus, quo non potest esse intensior, licèt sit summus gradus, quo nullus est intensior; cùm arguitur sic: *affirmatiuè*, &c. admittatur.

52. Et quando dicitur, *Vel igitur illud quod putrescit à gradu putrefactionis, est subitò summè putrefactum*. Dicitur quòd gradus putrefactionis potest sumi, vel pro qualitate, & dispositione aggregata, quâ aliquod dicitur esse summè putrefactum; vel pro gradu actus, & actionis succedente imaginatione non existente. Iste qualitates, vel dispositiones requirit; & licèt eadem sit res, tamen aliter signatur per istos terminos *gradus*, *actus*, vel *actio*, & aliter per istos *gradus dispositionis acquiribilis*, vel *acquisita per actus*, *vel gradus actus*; & si aliter imaginetur gradum summum caliditatis, & aliter gradum inductionis gradus summi caliditatis, & aliter speciem intelligibilem, & aliter actum intelligendi. qui tamen est realiter idem in specie secundùm communiter loquentes. Tunc dicitur, si sumitur pro gradu primo modo, tunc dicitur quòd illud summè putrefactum non est subitò putrefactum, sed successiuè; licèt enim subitò, & in instanti habeat primum *esse* completum & perfectum secundùm totum, vel datam partem; non tamen ex hoc sequitur quòd motus fiat in instanti. Sed si sumitur gradus secundo modo, tunc dicitur quòd successiuè adhuc tam propter partes, quàm etiam propter partes actionis successiuæ, quæ in subiecto indiuisibili successiuè fieret.

Et quando dicitur contrà, *tunc cum continuè putrescit illud, magis, & magis gradus ille, quo putrescit intenditur continuè, & per consequens nunquam erat summus*, &c. Dicitur quòd non intenditur gradus secundo modo sumendo, licèt intendatur primo modo sumendo. nec diceretur intendi secundo modo, sic inæquali gradu alterationis continuè aliquid efficitur calidius, & calidius. Et quando dicitur quòd nunquam erat summus. Dicitur quòd continuè erat summus, sumendo secundo modo, & non est simile sicut dicitur ibi, si aliquod mouetur continuè intendendo motũ suũ, & quòd continuè intentiori gradu moueatur, sed illud æquè intento gradu alterationis. Sed cùm continuè qualitas, vel dispositio acquisita dicitur intensior, vt dicitur, sicut valdè tardè posset dici aliquod calefieri, licèt tamen istâ calefactione fieret maximè calidum, sicut verbi gratiâ, sit *D* aliquod calidum per totum vniuersaliter citra gradum summum, & calefiat à gradu *B* calefactionis, sic quòd infrà annum tali gradu fiat summum, tunc caliditas esset summa; sed calefactio non dicitur summa, vel non diceretur summus actus calefaciendi, quia intensior esset, quo in die aliquod esset calefactum in summo. Sic in proposito est imaginandum, licèt non omninò similiter, quia putrefactio non est vna mutatio sola, vt dictum est sæpè. 53.

Ad quartum principale. *Putrefactio est possibilis, igitur est corruptio*. Conceditur consequentia, & consequens, capiendo *corruptionem* largè pro destructione qualitatis, vel alterius dispositionis cuiuscunque plurium, & sic putrefacta possunt dici corrupta pari forma in qualitatibus solùm, sed non semper substantialiter; & sic contingit de cancris, & anguillis: & fortè quòd aliquæ partes talium putrescunt, & aliæ manent viuæ, in quibus cor, vel proportionabile loco cordis est, & vita. & quando dicitur quòd *consequens est falsum ex eo quòd est generatio, & sic non corruptio*. Dicitur quòd diuersimodè est generatio, & diuersimodè corruptio. Vnius corruptio est generatio alterius, & hoc satis est expositum priùs. 54. Ad 4.

Ad quintam, *si possibile*, &c. Dicitur quòd non est naturalis corruptio, vt priùs dictum fuit ante solutionem rationum. Ad improbationem, non est à principio intrinseco, sed extrinseco, quia in Ad 5.

omnibus

omnibus passis, siue dispositionibus confert vim, & iuuat agens, licèt aliquæ eius dispositiones resistant, aliquæ tamen non resistunt, sed iuuant, quia intenduntur, & perficiuntur, & sic ab illis aliquam appetunt naturaliter, licèt forma patiatur vim.

55. Et quando dicitur vlteriùs, *combustio non est naturalis, & sic nec putrefactio.* Negatur consequentia. Ad improbationem, *sunt ad eundem terminum,* dicitur quòd hoc est valdè difficile, quia putrefactio potest fieri, sicut dictum est, sed combustio nullatenus fit per extractionem humidi intrinseci, & per incinerationem partium interiorum, imò extremitates combustorum incinerantur, & humiditates ad inferiora repelluntur, & indurantur; sed aliter est de putrefactis. Et quando incidenter tangitur ibi quòd *combustio esset naturalis, & non violenta, quia velocior in fine quàm in principio.* Dicitur quòd hoc non est semper verum, nisi ratione accidentalium conditionum, videlicet si subiectum meliùs disponatur ad combustionem, aliàs non; sic potest quidam motus violentus in facto sic intendi. Et Aristoteles loquitur etiam de conditione illa motus naturalis quòd sit intensior in facto de motu locali naturali, & non de quolibet ad non gradum.

Et quando dicitur, *combustio fit à principio intrinseco passo conferente vim*; dicitur quòd ad hoc non sufficit sola inclinatio materiæ, sed requiruntur formæ, & inclinationes naturales, quantùm est ex parte subiecti combustibilis; & tales non sunt sicut in combustione, saltem non omnino similiter, sicut in putrefactione.

56. Ad 6. Ad sextam, *si putrefactio est possibilis, cùm omnis transpositio possibilis possit habere impedimenta, vel iuuamenta; sic foret de putrefactione, sed hoc falsum esset,* &c. Dicitur quòd imò, habet impedimenta multa, sicut dictum fuit priùs. Sed quando probatur, admittatur processus totus vsque dum dicitur; *frigiditas non impedit, quia frigiditas intrinseca causat putrefactionem,* &c. Ad modum tactum iudicandum ex litera Aristotelis. Sed cùm dicitur contra hoc, *quia videmus fructus arboris totius putrefieri, quando fuerit infrigidatio aëris circundantis, ibi illa frigiditas extrinseca iuuat.* Dicitur quòd benè iuuat quandiu est, & non condensauit, & alterauit, quia post istam condensationem, & alterationem citiùs putrescit, & est magis disposita ad alterationem, ideò iuuat, & impedit diuersimodè, tamen in diuersis temporibus.

Sed cùm dicitur, *si frigiditas continentis,* &c. *frumenta tunc sata in terra,* &c. Dicitur quòd illa diutiùs durarent, si sola esset frigiditas; sed quia sunt multa alia, videlicet calor intrinsecus, qui frigiditate extrinseca repercutitur, & humiditas istorum corporum facit magnas operationes, quas non facerent in aëre raro circumstante, ideò putrescunt in terris, & similiter superuenit pluuia, & multum operans, & aër in terra inclusus, & exhalationes causant putrefactionem talem in terra.

57. Ad aliud, cùm dicitur, *tunc fœmina in custodiendo diutiùs,* &c. Causa est, quia humiditas potest exhalare, & exire, & alius aër recens subintrare, ideò non putrescunt in alto. In basso, & suprà terram in solario, & in camera putrescunt propter oppositas etiam causas, & maximè propter siccitatem, quæ præseruat à putrefactione.

Ad aliud, quando dicitur quòd *nec congelatio quòd corpora mortuorum sunt coagulata, & humores in illis, & tamen,* &c. Dicitur quòd quandiu essent congelata propriè non putrefierent, sed non sunt congelata, licèt fuerint coagulata propter humores mixtos sanguine. Et satis differunt coagulatio, & congelatio, quia coagulatio potest fieri à calido, & congelatio solùm à frigido. Adhuc tamen coagulatio iuuat contra putrefactionem, quia condensat, & non permittit penetrare actionem caloris æquè faciliter sicut in principio, & sic humiditas non potest extrahi, & caliditas propria non tam citò consumi; sed tamen corpora mortuorum post modicam coagulationem frigiditate intrinseca agente, & calorem expellente cum humido, in quo facit exsiccationem in interioribus, & per consequens finaliter putrefactionem, & hoc in terra, propter exhalationes inclusas in terra aperientes poros corporum, & extrahentes humidum ad exteriora; & sic verum esset quòd si terra esset nimis frigida, & multæ exhalationes calidæ in concauitatibus terræ essent, corpora mortuorum diutiùs ibi durarent: & in aliis locis opposito modo se habentibus citò consumuntur, tamen sine combustione. Similiter dicitur de congelatione fructuum, sicut priùs de infrigidatione dicebatur.

Ad aliud, quando dicitur, *congelatio est causa quietis, igitur causa iuuans putrefactionem, quia motus impedit,* &c. Dicitur quòd congelatio aliqua est causa quietis alicuius ab aliqua specie motus, sed non est causa quietis simpliciter; quia quod congelatur alteratur semper, & sic condensatur, at motu locali, licèt non augeatur, nec extendatur. Etiam posset negari, quia est causa quietis, igitur est causa iuuans putrefactionem, & non impediens: quia quandoque res impedit putrefactionem, sic si mare maneat simul diuisim quiescens, non potest putrefieri totum; igitur impeditur quiete à putrefactione. Et quando dicitur vlteriùs, probando quòd *congelatio est causa quietis, quia motus impedit*; dicitur quòd motus aliquis impedit congelationem, sed alius iuuat. vnde si patiatur aqua calefacta per aërem frigidum, citiùs congelaretur, quàm si staret in loco vno, & sic quies illa aquæ stantis non iuuat, sed impedit congelationem, licèt alia ad hoc concurrant. Et quando dicitur, *cùm aliquod est congelatum, quiescit.* Licèt hoc verum sit de illo, quod de facto est congelatum, tamen in congelando non quiescit, sed mouetur; igitur non sequitur quòd congelatio (sumendo eam pro actu congelandi) sit causa quietis, saltem immediatè, licèt mediatè benè. 58.

Ad aliud, quando dicitur, *necnon tertium* (videlicet feruor) *impedit. Probatur, quia si congelatio putrefacientis impedit, & sic feruor iuuat.* Dicitur quòd congelatio, quæ prouenit ab extrinseco impedit; vt igitur feruor exterioris continentis iuuaret ad citiùs faciendum putrefactionem, si non esset combustio, sed feruor naturaliter inexistens ex complexione propria mixti putrefactibilis, iste iuuat contra putrefactionem, seu præseruat. Et hoc visum est priùs. Similiter dicitur ad secundum, quòd caliditas, & feruor, aperit poros putrefactibilis, & facit humidum exhalari; verum est de feruore extrinseco, non intrinseco. 59.

Ad tertium, *consumit humidum,* &c. Dicitur quòd non est de intrinseco, nisi secundùm suam naturalem periodum, aliàs conseruat, & præseruat, ne exterius agens consumat.

Ad

Ad quartum de motu, quòd non impediat, quia est causa augmentationis caloris; dicitur quòd auget calorem intrinsecum, extrinsecum non, quia extrinsecus causat (vt dictum est) putrefactionem.

60. Similiter ad quintum, *motus disgregat, & aperit, &c. igitur est causa*, &c. dicitur quòd non sequitur, quia si aperit, tamen cum hoc non confortat, & iuuat calorem, quia vnitus cùm humido per totum, & miscet sic quòd non tanta sit consumptio in vna parte, sicut fuisset, si simul mansisset calor in vno loco, ideò impedit; & tum verum est quòd possit motus tam excessiuus fieri, quòd ipse iuuaret, ratione talium dictorum, ideò aliquis iuuat, aliquis non.

Et ad aliud, quando dicitur quòd *multitudo non impedit, quia iuuat*; dicitur quòd non iuuat ipsa. Et quando dicitur, *blada in magno cumulo putrefiunt*; dicitur quòd hoc non est ratione magnitudinis, sed ratione illa, quòd sub aliis tecta concauitatibus, & exhalationibus repletis aërem putrefieri faciunt, & ratione istius postea putrescunt interiora blada, vel fragmentorum grana. Reseruatio aëris non fieret in concauitatibus, si pauca essent blada simul, ideò pauca non putrescunt; & ideò expedit quòd sæpè moueantur, & voluantur grana, & hoc sciunt coloni, & hoc faciunt ne putrescant. Et quando dicitur, *modica citò exsiccantur*, volo benè quòd aliquod modicum, sed non omne, & ideò non quælibet magnitudo, vel multitudo quantumcunque parua sufficit in qualibet specie ad putrefactionem suscipiendam, sed aliqua, & aliqua non, sic nec quælibet paucitas, nec quælibet multitudo quantumlibet parua sufficit ad extinguendum sicut cuiuslibet. & sufficienter de ista quæstione.



QVÆSTIO II.

Utrùm digestio sit perfectio causata ex proprio, & naturali calore ex opposito passiuo?

1. Arg. primũ. ARGVITVR quòd non, quia digestio est imperfectio causata ex proprio & naturali frigore in oppositis passis; igitur non est perfectio causata, &c. Consequẽtia tenet, quia nil est perfectio, & imperfectio, nec simul ex contrariis agentibus, quia idem subiectum non potest contrariis motibus moueri, videlicet calefieri, & frigefieri; perfici calore, & imperfici frigore. Sed antecedens probatur, quia digestio nõ est nisi mutatio imperfecta ante completum *esse* decoctionis, & talis imperfecta à proprio frigore, quia si nullum esset frigus, iam calor ageret sine resistentia successiuè, quod videtur contra illud quod dicitur 4. Physic. *successio in motu causatur à resistentia mobilis ad motorem.* Et confirmatur antecedens, quia digestio est motus, vel actio; sed omnis motus, vel actio est imperfectio, vel imperfecta mutatio; igitur omnis digestio est imperfectio. Minor probatur per definitionem motus, 3. Phys. quia *motus est actus in potentia*, scilicet est actus imperfectus.

2. Sed fortè dicitur hîc quòd motus digestionis, vel via ad digestionẽ, non est propriè digestio, nec perfectio, sed dispositio, quæ finaliter acquiritur, vel acquisita est per talem viam, vel motum digestionis.

Sed contrà, talis dispositio est imperfecta, quia est ad destructionem formæ substantialis ipsius sic dispositi; igitur est imperfectio, quia destructio. Consequentia videtur nota; & antecedens probatur; sicut enim est in artificialibus digestionibus, quòd elixatione facta elixatum est dispositum ad corruptionem formæ substantialis sui, quàm fuit antè; & similiter masticatione facta in ore, & digestione destructa in stomacho, naturaliter digestibile est magis propinquũ ad corruptionem formæ digestibilis, quàm antè, vel fortè iam corrũpit formam eius, & facit humorem imperfectiorem carnibus, de quibus intendit facere humorem. Probatur autẽ quòd humor sit imperfectior carnibus; quia ex humore intendit generare carnes perficiendo natura; igitur humor carnibus imperfectior est. Sed adhuc probatur antecedens principale, scil. quòd digestio fit ex frigore naturali, & proprio, quia digestio iuuatur à frigore alieno, & extrinseco; igitur est à frigore proprio. Consequentia tenet, quia contrariũ impedit contrarium, & non iuuat; sed simile iuuat simile, & intendit; igitur oportet quòd sumatur à frigore extrinseco, quod fiat, & contrà à frigore intrinseco. Sed antecedens huius consequentiæ patet, quia in hyeme, & regionibus frigidis sunt meliores digestiones, quàm in calidis locis, & tẽporibus, vt experimur.

Secundò, ad principale, digestio fit à caliditate aliena; igitur non existente propria caliditate ex opposito. Antecedens probatur, augmentabile, quod est extrinsecum cibo, non à caliditate cibi, dato quòd ibi sit cibus frigidus sine caliditate, & certa digestio fructuum, vel maturatio, fit à calore, qui extrinsecus sit, sicut patet de elixatis, & assatis, quæ omnia digesta sunt, & hoc caliditate aliena, & extrinseca, non propria sui. 3. *Secundum,*

Tertiò, digestio fit à calore artificiali; igitur non est à naturali. Consequentia tenet sicut priùs, cùm ex opposito distinguitur. Antecedens patet de elixatione, & assatione, quæ per artificialem calorem conuertitur. Similiter medici arte medicinæ iuuant, & intendunt calorem, quo fit digestio; igitur artificialiter. *Tertium.*

Quartò, digestio fit à calore innaturali; igitur, &c. Consequentia patet vt prædictæ. Antecedens patet, quia à calore balnei, vt patet in litera Arist. & tamen calor balnei est innaturale, vt patet. 4. *Quartum.*

Quintò, si sic sit, sequeretur quòd omnia digestibilia essent calidiora indigestis. Consequentia tenet, si sit à calore non erunt frigidiora, sed calidiora. falsitas consequentis patet de esculis, & multis aliis fructibus, qui ante digestionem completam sunt calidiores quàm post. Item, mustum est calidius vino digesto, & ideò per fumos suos citiùs inebriat, vt experimur, vt dicitur in litera. Item, stillæ & guttæ distillantes ab assatis crassis sunt frigidæ, & minùs calidæ quando assatura est in coctu, quàm in medio decoctionis, vel antè medium: vnde & coqui per nimis calidas stillas cognoscunt assationes esse factas; & patellæ, in quibus bulliuntur pisces, sunt minùs calidæ cùm iam pisces sunt cocti, quàm ante completam decoctionem, & sub vasis suis: & hæc non essent vera per experientiam, nisi fierent calidiora. Item, homines bibentes vina calidissima virtualiter, & actualiter faciunt ex iis per digestionem vrinam minùs calidam, imò & maximè, si multum bibant, vt patet per experientiam. *Quintum.*

Sextò, si sic, sequeretur quòd digesta essent leuiora, & minora, seu subtiliora, & rariora. Consequens 5. *Sextum.*

sequens est falsum, & contra experientiam, quia poma matura sunt maiora, & grossiora adhuc, quàm in principio ante digestionem erant. Et similiter Aristoteles dicit quòd ingrossantur digesta per digestionem. Consequentia tenet, quia calor naturalis debet consumere humidum, & sic fierent minora, & leuiora, vel minùs grauia, & rariora post ablationem materiæ, quàm fuit per digestionem.

Oppositum arguitur per Aristotelem *in lib.* 4. sic definientem *digestionem*, quòd *est perfectio à proprio, & naturali calido.*

Circa quæstionem, primò ponenda sunt notabilia, ex quibus secundò ponentur conclusiones ad quæsitum.

6. *Digestio quid.* Quantùm ad primum, notandum primò, quòd Aristoteles in litera intendit digestionem esse secundum opus post putrefactionem, & aliud opus primarum qualitatum, videlicet caliditatis, & frigiditatis, siccitatis, & humiditatis, tamen secundùm habitudinem certam determinatis, & existentibus simul.

Iuxta quod notandum, quòd vtor quandoque modo loquendi Aristotelis in litera, sumendo concretum pro abstracto, videlicet *calidum*, pro *caliditate*, & sic secundùm etiam quod litera tenet, & similiter feci in quæstione præcedenti.

Sed vlteriùs notandum, quòd vnaquæque res naturalis dicitur perfecta, sufficienter digesta, vel benè disposita, quando perfectè, & debitè potest in suam propriam operationem, quam intendit naturaliter, & finaliter quantumcunque. Et hoc contingit dupliciter, quia aut simpliciter, aut secundùm exigentiam finis, ad quem intendit; aut etiam secundùm tempus aliquod determinatum ex causa. Et hoc dicitur simpliciter perfectum, quando potest non respiciendo eius operationes omnes perfectè facere, & ad finem debitum operationis, & naturalem producere. Sed diceretur perfectus secundùm exigentiam finis, si finaliter intenderet ludere, & crescere. Sed secundùm exigentiam temporis diceretur perfectus, vt perfectus iuuenis, qui secundùm tempus iuuentutis benè se habet; perfectus secundùm tempus, qui secundùm tempus operum virilium benè se habet, & sic de aliis.

Similiter existimandum in aliis, nam aliquod dicitur perfectum, vt perfectè digesta res, cùm fit viridis, sicut succus viridis vitis, quando cupimus habere agrestam, sic quòd succus talis est benè digestus, ad hoc quòd sit agresta. Sed notandum quòd perfectè diceretur digestus, vt fiat vinum ex eo, non dicitur talis quando est mustum, sed postea in successione ampliori temporis post *esse* musti vltra digeritur, vel depuratur.

7. *Digestionis descriptio.* Sciendum quòd digestio vel potest capi pro dispositione, à qua prouenit operatio debita rei, vel simpliciter, vel secundùm tempus, vel alio modo, vt dictum est; vel pro via, vel pro mutatione ad talem operationem habendam, putà simpliciter perfectam, vel secundùm tempus. Si capiatur pro dispositione tali, & non pro via, potest describi, sic, quòd *digestio est dispositio qualitatiua propria, & intrinseca alicuius mixti, qua natum est debitè agere, vel pati secundùm finem intentum simpliciter, vel secundùm tempus.* Nam dicitur *qualitatiua dispositio*, quia licèt quandoque dispositio in figura rei, vel situ, vel qualitate iuuante ad perfectionem operis, vel passionis, tamen quia ab illis non prouenit operatio principalis secundùm finem intentum, ideò talia excluduntur per hoc, quod dicitur *qualitatiua*, & non quantitatiua, nec finalis. Sed dicitur *propria & extrinseca*, quia si aliquod esset dispositum aliena qualitate in modico tempore secundùm exigentiam operis, & finis intenti, adhuc illud non diceretur esse digestum: sicut ferrum igniretur per ignem citò ad finem, vt molliri possit, non tamen diceretur digestum, quia non esset hoc secundùm intrinsecam qualitatem. sed dicitur *alicuius misti*, quia digestio est dispositio complexionalis, vel composita ex quatuor primis qualitatibus actualiter, & virtualiter inexistentibus intensè, vel remissè, & ideò non inuenitur digestio propria in simplici elemento. & dicitur *secundùm quod mixtum innatum est agere, vel pati*, & per hoc excluduntur qualitates secundæ, à quibus principaliter non prouenit actio, vel passio. sed dicitur *secundùm finem intentum*, quia eadem res potest dici perfectè digesta ad vnum finem, quæ esset imperfectè digesta ad alium finem, vt dictum est. Et dicitur *simpliciter, vel secundùm tempus*, propter ea etiam quæ priùs dicta sunt; & sic patet quid per hoc nomen *digestio*.

Sed vlteriùs sciendum, quòd digestio pro via, 8.
& mutatione ad talem dispositionem iam descriptam, non est aliud, quàm quædam alteratio dispositiua ad talem perfectionem, vel dispositionem mixti iam dictam; & est talis digestio, alteratio, quæ dicitur, simul est calefactio, & exsiccatio, & etiam humectatio, licèt secundùm diuersas partes, & dispositiones digestionis, & remissio in frigiditate sit aliquod vnum, vel non in proposito sit vis, dummodò hæ mutationes simul aggregatæ tali vno nomine possunt appellari. Et similiter dicatur digestio primo modo dicta, quæ est aggregatio diuersarum qualitatum non componentium aliquod vnum, nisi fortè aggregatiuè, sicut albedo, dulcedo; & calor, vel frigiditas in lacte. Ex his patet quòd digestio non requirit acquisitionem nouæ formæ substantialis, & hoc ex quo solùm est dispositio qualitatiuè, vt videtur, vt aliqui inferunt.

Contra quod tamen obiicitur, quia Aristoteles *Obiectio.*
dicit *in litera*, vbi quæstio habet locum; quòd *finis digestionis est natura*, id est, forma substantialis, quia non materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, & inaugmentabilis. Secundò, quia per digestionem corrumpitur nutrimentum, quia semper generatio vnius est concomitabilis corruptioni alterius, ideò sequitur quòd digestio sit non sine forma substantiali.

Tertiò, quia aliter non distingueretur ab alteratione.

Ad hoc dicitur communiter quòd Aristoteles *Responsio.*
intendit quòd finis est natura; & per ly *natura*, intendit perfectionem essentialem, siue naturalem, ideò describendo digestionem dixit quòd *digestio est perfectio*, id est, dispositio perfecta qualitatiuè. Sed certè Aristoteles dicit expresse, *finis est in ijs, quæ in natura sunt, natura autem quam dicimus specie*, id est, formam & substantiam; non igitur valet ista expositio. Ideò aliter dicunt alij, *Ad digestionem multa concurrunt.*
qui ponunt, & benè, vt puto, quòd ad digestionem multi motus concurrunt, vel mutationes. Primò, motus localis, quo actiua applicantur passiuis. Secundò, motus alterationis, vel plures alterationes, quibus digerens assumat sibi digestibile, introducendo in ipso qualitates sibi conuenientes, & corrumpendo qualitates præexistentes.

tes. Et tertiò ex istis sæpè sequitur corruptio formæ digestibilis, & generatio formæ substantialis digesti. Et sic dubium est multis, quæ istarum mutationum dicatur digestio, etiam secundùm descriptionem prædictam remanentem.

10. Dicunt aliqui quòd sola alteratio cum generatione, & corruptione, propriè debet dici digestio. Sed fortè videtur quòd non benè dicunt, & propriè, quia certum est quòd fructus ante maturationem sunt minùs digesti, & digeruntur vsque ad maturationem; & tunc non dicuntur generari nouæ formæ substantiales, & corrumpi præcedentes, quia eadem ratione continuè in tali maturatione, secundùm quod magis & minùs ad talem maturationem appropinquant, continuè fierent substantiales nouæ generationes, quod est impossibile; nec oporteret in naturalibus, si pauciores possunt digestiones saluari, vt postmodum ostendam, & declarabo. Quomodo potest igitur dici quòd dispositio qualitatiua acquisita alteratione post motum localem actiuorum, & passiuorum ad se inuicem ita, &c. si non fieret forma substantialis noua, essent dicenda digestio, licèt illa digestio fiat vltimatè pro generatione formæ substantialis. Vnde sicut in artificialibus digestionibus, videlicet elixatione, vel decoctione, primus finis est vt sit vtile ad esum, & sorbitionem, vt dicit Philosophus; secundus finis, vt post esum aliqua digestione forma substantialis generetur illius nutribilis; sic imaginandum est in aliis naturalibus digestionibus, & sic omnis alteratio ordinatur finaliter ad generationem, vel corruptionem, quia dicitur 1. *de Generat.* si non est possibilis transmutatio in substantiis, nec est possibilis in accidentibus, vel qualitatibus, quia frustra esset: tamen ex hoc non oportet quòd alteratio sit generatio, nec digestio, quæ est quædam alteratio, vel plures alterationes: non est tamen generatio formaliter, nec corruptio. & sic dicitur ad literam Aristotelis, cùm dicitur, *finis autem,* &c. quòd verus est finis vltimatus digestionis, sed non oportet de fine propinquo, quia ad illum sufficit dispositio qualitatum, vt dictum est, & esse aptum nutritioni, & similibus operationibus, & passionibus.

11. *An digestio terminetur ad formam substantialẽ.* Ex istis dictis patet solutio quæstionis communiter hîc fieri consuetæ, videlicet, *vtrùm digestio terminetur ad formam substantialem?* Dicitur quòd sic vltimatè, si non sit impedimentum est finis extrinsecus generatus sic à remotis; sed esibile, & similia, sunt fines propinqui.

Ad secundam obiectionem, *per digestionem corrumpitur nutrimentum.* Conceditur vltimatè, sed non primò, quia primum disponitur, & digeritur, nec oportet propter quamcunque modicam alterationem corrumpi formam substantialem, & aliam generari.

Ad tertiam, quando obiicitur quòd *aliter non distingueretur ab alteratione.* Dico quòd imò est quædam species alterationis, & sicut species à genere distinguitur, sic minùs commune à magis communi non aliter benè distinguitur. Vnde conceditur benè, digestio est alteratio, ideò non differt ab alteratione; tamen propriè loquendo, non esset alteratio, sed alterationes non componentes vnum, & fortè nulla entitas esset digestio, sed plures entitates, vt in prima quæstione fuit dictum.

Ex prædictis etiam benè infertur, & conceditur, & sequitur quòd digestionum diuersitas sequitur diuersitatẽ proportionum primarum qualitatum. Et huius signum est, quia per digestionem variatur sapor, odor, & multa consimilia ipsius digesti.

Sed adhuc vlteriùs est notandum, quòd digestionum (sumendo vt priùs digestio descripta est) quædam fit in viuentibus, & alia in non viuentibus. In viuentibus alia fit in plantis, alia in animalibus, omnes tamen habent operationes sine congregatione, licèt in viuentibus cognoscibilibus fiunt. Adhuc in animalibus diuersæ sunt digestiones, quia quædam fit digestio seminis postquam generatur fœtus; aliæ sunt digestiones alimenti, & dicuntur ab aliquibus quatuor, & ab aliis tres solùm, qui conueniunt in his tribus, videlicet in digestione in stomacho, alia in hepate; tertia in membris. Quidam ponentes quartam dicunt esse in corde; & alij ponentes quintam, ponunt vnam primam in ore masticationem, quia masticato grano, non possit ampliùs fructus fieri, vt Physiologi fingunt scire formicas, & ad hoc diuisum granum custodire, vel diuidere. Alij custodito ipso dicunt quòd ipsæ non sunt specificè distinctæ digestiones, de quibus loquitur Aristoteles hîc: sed differunt benè secundùm magis, & minùs perfectum; & possunt diuersæ formæ substantiales in terminis huiusmodi diuersarum transmutationum, vel digestionum fieri, putà post digestionem in stomacho vna, & post digestionem in membris alia, iterum vna prioribus præcorruptis, & sic de aliis. 12. *Digestionum diuersitas.*

13. Sed adhuc digestionum viuentium in plantis solùm, alia fit in radice, attrahitur humidum cibale, & nutrimentum; alia in ligno, vel stipite, vel cortice; tertia in foliis, & fructuum in maturatione. Primæ duæ continuè fiunt æstate, & hyeme, licèt fortè in hyeme insensibiliter, sed duæ aliæ solùm fiunt in æstate, videlicet foliorum, & fructuum, & hoc videtur aliquarum plantarum determinatarum specierum, sed non omnium, quia laurus & palma, & similes, semper virescunt hyeme, & æstate, propter eorum calorem naturalem excellentem, aliæ producunt folia, vt pyrus, pomus, &c.

Ex his præmissis, quantùm ad primam partem, quamuis dubitandum est de secunda parte, in qua ponuntur conclusiones.

14. *Conclusio 1.* Prima conclusio, quòd digestio fit à calido merè intrinseco, & naturali. Probatur, quia talis calor est propinquum, & naturale instrumentum agentis, & ad intentionem eius intenditur, vel acceleratur digestio, & ad remissionem eius remittitur; igitur si ab illo, &c. Consequentia videtur nota ex hoc, quòd natura est principium motus, & quietis, & non sine instrumentis, quæ est agere, sic dicimus & causas esse. Sed antecedens patet pro prima parte, quia natura, quæ est forma digerentis, vel ageret sine calore, & semper agit cum illo; igitur est naturale instrumentum *quo,* sicut calor ignis. Secunda pars patet per experientiam, vnde habentes calorem naturalem citò consumunt esibilia, vel comestibilia, & multa citò consumunt; & habentes calorem hebetem, vel modicum, tardè consumunt, licèt etiam parum; igitur ad intentionem intenditur: & ex quæstione patet quòd si calor intrinsecus nullus sit, nulla esset digestio; & ideò simpliciter aqua est indigestibilis, & similia simpliciter; hoc dico digestione sui, sed per agens aliud commixtum aliis non esset, quin esset digestibilis.

15. *Conclusio 2. Subiectū digestionis.* Secunda conclusio, quæ ponitur communiter ab aliis, est, quòd subiectum digestionis, vel digestibile, est humidum commixtum sicco. Probatur, quia calor naturalis digerendo consumit humidum superfluum, & consolidat illud, quod remanet; igitur oportet esse humidum & siccum, vel commixtum aliis, aliter non possit fieri. Consequentia patet ex iam dictis. Sed antecedens patet, quia sic videmus digesta consolidari, & humiditatem consumi per experientiam in animalibus. Et probatur ex alio conclusio, quia subiectum digestionis est illud, in quod agit calor naturalis, & in quo seruatur; sed hoc non est frigidum, nec solum humidum; igitur est humidum cum sicco. Consequentia patet de se; & antecedens pro prima parte patet: sed pro secunda parte probatur, quia frigidum est contrarium, & in illo calidum non conseruatur, sed corrumpitur; nec solum humidum, quia tunc simplex aqua esset digestibilis, quod patet ex prædictis esse falsum. Consequentia illa tenet, quia solum humidum cum siccitate, & sic illa duo, videlicet humidum & siccum debitè proportionata reputat Aristoteles opposita priuatiua caloris agentis, & naturalis.

16. Ex istis dictis, & conclusionibus, patet quòd digestio est perfectio causata effectiuè, vel actiuè à proprio, & naturali calore, vel caliditate in oppositis passiuis, vel ex oppositis, videlicet humido proportionato sicco; & ex hoc patet responsio quæstionis in forma, quia concedenda est quæstio, & est vera.

Sed notandum quòd oportet in digestione imaginari vnam habitudinem inter humiditatem, & caliditatem, sicut in præcedenti quæstione dictum est de putrefactione, & fortè qualis sit illa, & quanta videtur dupla; igitur latet nos homines, & quomodo hæc habitudo sit hîc, & non sit in aëre, quia est calidus, & humidus, multum difficile est ista videre, & considerare, non tamen & sustinendo contra redargutionem primò, & tamen fortè quòd sufficit medicis, & naturali Philosopho in tali materia.

Item notandum, quòd istæ conclusiones ponendæ sunt & intelligendæ de digestionibus animalium, & non inanimatorum, & partibus suis intrinsecis, vel ipsa integrantibus, licèt non *Conclusio 3.* oportet de aliis; vnde ponitur ab aliis hæc conclusio, quòd in non viuentibus non omnis digestio est à proprio, & naturali calido. Probatur, quia assatio, & elixatio fiunt non à calido proprio & naturali, sed extrinseco cibo; tamen benè requiritur naturalis calor, scilicet cibi; sed iste non sufficeret ad digerendam digestionem, quia vtile fieret animali ad transeundum in substantiam animalis.

17. *Conclusio 4.* Quarta conclusio est, quòd in viuentibus calor extrinsecus iuuat quandoque digestionem. Patet, quia quod est simile intendit simile; igitur extrinsecus calor intrinsecum intendit; igitur iuuat. Et hoc etiam innuit Aristoteles in litera, vbi quæstio habet locum, dicens balnea iuuare digestionem; posset autem esse immoderatus, quia humidum, in quo naturalis calor resoluetur, vel extraheretur cum calore, & sic digestionem peiorem, vel minorem faceret infrà.

Conclusio 5. Quinta conclusio est, quòd etiam frigus extrinsecum quandoque iuuat per antiperistasin. Patet hoc, quia in regionibus frigidis, & locis, & temporibus, fiunt meliores citiùs, & fortiores digestiones, quàm in locis oppositis manentibus; igitur extrinsecum frigus loci iuuat. Et dico per antiperistasin, quando circumstans frigus claudit poros corporis habentis calorem digerentem, & sic pellit calorem intrà, & ipso infrà propulso, quia virtus vnita fortiùs agit, iuuatur digestio. Sed frigus extrinsecum nimis excellens posset totum corrumpere, & non iuuare, imò inducere mortem, sicut multis accidit super mare Septentrionale, & Orientale in hyeme mori propter frigus.

Sexta conclusio, quòd in viuentibus propria frigiditas semper impedit, & similiter in non viuentibus. Probatur, quia propria caliditas agit, & iuuat, per primam conclusionem; igitur propria frigiditas impedit, quia contrariorum contrariæ sunt causæ, vt dicitur hîc in litera in libro quarto, & docet experientia. 18. *Conclusio 6.*

Septima conclusio, in non viuentibus aliena frigiditas semper impedit digestionem, quia in non viuentibus, aliena caliditas est ratio digestionis; igitur aliena frigiditas impedit causam per rationem contrariorum, quia contrariorum contrariæ sunt causæ, & effectus. Et intelligatur illa conclusio sic, si aliena caliditas semper sit præsens, vel etiam quantumcunque est præsens, impedit; & sic similiter de aliis dictis quæstionibus, quia certè scio benè quòd nulla aliena caliditas semper est, nec semper impedit. Probatio etiam conclusionis huius, & præcedentis patet. *Conclusio 7.*

Patet etiam quòd propria frigiditas impedit in non viuentibus digestionem, & sic aliena, & fortè plus gradu, quo potest esse quòd in viuentibus digestio cibi, putà in stomacho, non est effectiuè à calore cibi, & principaliter, sed à calore extrinseco cibi, licèt intrinseco animali, vel viuentibus, cùm calor cibi benè iuuat ad digestionem. Probatur, quia cibus digeritur à calore naturali animalis, vel viuentis, & non proprio calore animalis digerit seipsum, & sic similiter dicatur de humore vlteriùs progrediente post digestionem stomachi ad hepar, quod digeritur extrinseco, videlicet calore hepatis, & similiter de aliis.

Ex quibus omnibus dictis potest apparere, quàm vicinè sequitur digestio, & putrefactio, quia vix digestio cibi in animali potest fieri completè, nisi præcedat putrefactio. Quod probatur, eò quòd putrefactio est, vt dictum est in præcedenti quæstione, corruptio caliditatis propriæ in humiditate propria à caliditate aliena, sic est quando cibus digeritur, tunc est propria caliditas cibi cum humido suo per caliditatem digerentis, quæ cibo est extrinseca, extracta, & ideò fiunt tales mutationes, quando videlicet superfluentes remanentes, & expulsæ putridæ sunt, vel putrefactæ; sed tamen benè potest fieri putrefactio sine digestione, licèt non è contrà in pluribus. Et maximè loquor de naturalibus digestionibus, & non de artificialibus, sicut sunt elixatio, & assatio, quia digestiones illæ non sunt putrefactiones, licèt participant de modo putrefactionis in eò quòd calor proprius in humido proprio extrahitur ab alieno, sed ita velociter fit hæc abstractio humidi, quòd quasi est violenta mutatio, & ideò à putrefactione impeditur, ne sit putrefactio perfecta. Hæc dicuntur opinando tamen fortè ad oppositum. 19. *Digestio & putrefactio se vicinè sequuntur.*

Ex

20. Ex his patet hos esse, & fuisse processus Aristotelis, qui putrefactionem tanquam communiorem præmisit ante digestionem, seu priùs de ipsa determinauit. Patet etiam excellentia,& vtilitas primarum qualitatum in mundo, quia valent omni auro; quia sine auro,& argento possumus viuere, & esse animalia,& homines,conseruari viuentia sine digestione, & putrefactione, quæ fiunt primis qualitatibus,nequaquam. Vnde si nulla caliditas esset per mentem, omnia mouentia viuentia per elementa destruerentur; sed tamen aurum, & quælibet alia substantia esset melior in se, licèt non vtilior calore; similiter sic de frigore, humiditate, & siccitate dicatur,licèt non æqualiter. Et hoc Aristoteles aduertens *in lib.* 4. omnes operationes possibiles fieri in mundo isto corporali enumerauit, & ostendit vtilitates primarum qualitatum generaliter, & vniuersaliter, subtilissimè pertractando, quantum sufficit naturali Philosopho vniuersaliter loquenti.

21. Ex præmissis etiam potest intelligi descriptio digestionis prædicta, & Aristoteles in litera, quia digestio, sumendo eam pro dispositione per actum acquisita, vel per actionem, est dispositio qualitatiua, vel quantitatiua propria,non propria & inseparabilis,sed separabilis, & propria dispositio digesta,non digerentis,licèt causata sit à dispositione qualitatiua agentis, & à propria agenti, & digerenti; & sic vna dispositio est intrinseca agenti,& alia intrinseca digesto, & secundùm dispositionem propriam agentis potest in ipsum agere, & secundùm dispositionem propriam patientis potest ipsum passiuum pati, vel resistere ad hanc dispositionem, vel digestionem, vel sequentes humiditas. Et hæc omnia referuntur ad finem intentum, vel intentos fines simpliciter, vel secundùm tempus. Et hæc dispositio, vt loquitur Aristoteles, perfectio est tam vtilis,quòd sine ipsa facta non possunt fieri generationes animalium per propagationem, nec fructuum, nec plantarum, nec peruacuabilia essent viuentia, hæc corruptibilia sine ipsa; sic quòd si cessarent digestiones omnes per mensem,nec possent homines, nec animalia esse, nec viuere in mundo, nisi per Deum miraculosè; & sic fieret bona pax, vel nulla esset generatio hominum in mundo. Et de his omnibus vtilibus Philosophus considerauit, præcipuè de quibus rustici non curabant, nec adhuc aduertunt.

22. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes principales. Ad primam, *digestio est imperfectio*, &c. Negatur antecedens, si sumatur pro dispositione completa, & acquisita per digestionem, sicut dictum fuit ibidem; sed si sumatur pro via, vel dispositione incompleta, quæ non fit perfectè ad finem, tum est imperfectio, quia licèt sit incompleta,tamen sufficit quòd possit compleri finaliter, & sic est perfectio, id est,actus, vel actio perficiens, & perficientis, & non imperfectus, nisi diuersimodè comparando, videlicet quantum dicitur incompleta actio dicetur imperfectio, vel impropriè. In quantùm verò consideratur vt perficiens, dicetur perfectio,& hoc non mirum. Et quando dicitur quòd digestio fit à frigore; negatur quòd à frigore intrinseco digestio fiat, sed si frigiditas resistit,tunc non actiuè, sed vt potentia passiua concurrit. Et calor sine resistentia frigoris saltem possit agere successiuè per successiuam, & diuersam applicationem, & propter simplicitatem potentiæ non potentis finis agere,& propter generationem successiuam caloris potest successiuè causare calorem alium, vel operationem aliam successiuè, & sic sine resistentia frigiditatis, licèt resistentia sit aliunde, videlicet in motu locali applicationis in motu generationis caloris. Etiam nec propter hoc sine frigiditate subitò agit calor naturalis, vt patet ex iam dictis.

Vlteriùs cùm dicitur quòd *digestio est quædam imperfectio,eò quòd est ad destructionem formæ substantialis.* Dicitur quòd digestio dicitur perfectio ratione finis propinqui, ad quem ordinatur, videlicet vt digestum sit esibile,& sorbibile in artificialibus, vel vt nutrimentum in naturalibus sit magis aptum ad nutritionem, quia est perfectiùs dispositum ipsum digestibile, ad hoc quòd nutriat,quod erat ante digestionem,& ideò dicitur perfectio. Et si postea ad hoc dicatur quòd forma substantialis digesti faciliùs corrumpitur, non est vis, quia frequenter, vel vt in pluribus melior, & perfectior generatur, saltem in omnibus animalibus, & viuentibus, in quibus corrupta forma digestibilis generatur anima, vel pars eius, vel informatur post digestionem, & ita est nobilior: nam anima, vel forma substantialis, quæ non fuit anima, ideò finaliter vadit ad perfectionem, & diceretur perfectio ex fine remota aliqualiter. Sed si non comederetur aliquod viuum nobilius, fortior est forma, & corrumpetur imperfectior. Et ideò tali casu sufficeret quod dictum est, quòd dicatur perfecta, quia per digestionem disponitur melius ad *esse* nutrimenti. 23.

Sed adhuc aliter probatur illud antecedens, quia digestio iuuatur à frigore alieno, & extrinseco,&c. Negatur consequentia,& ratio est,quia non iuuatur à frigore illo extrinseco,nisi propter hoc, quòd calor naturalis cum humido, in quo conseruatur frigus fugiens extrinsecum, vnitur interius, & animis fortiùs digeritur cibus,quod tamen est intrinsecùm calore naturali, & sic iuuatur, & non aliter; igitur non sequitur quòd frigore efficiatur digestio, tanquam agente immediatè,& digerente intrinseco, vt patet. 24.

Ad probationem consequentiæ, *contrarium impedit contrarium,& non iuuat,* verum est si cætera sint paria; sed quandoque contrarium iuuat contrarium, & quandoque impedit, & quandoque impedit simul, & iuuat in comparatione ad diuersa tempora, nam impedit in extremitate actionum calefaciendi ipsum frigidum, & iuuat eam in profundo,& hoc postquam depulit ipsam ab extremo, & ideò raro tempore, & hoc etiam non est intentio agentis frigidi, videlicet iuuare calorem, sed intentio est destruere, & aliud fugiens destructionem vnitur alteri,& sic agit,non quòd frigus velit ipsum intendere, vel intendit, sed quia intendit corrumpere,& sic ex fuga iuuatur,& hoc est per ipsum, licèt occasio sit à frigore; & sic similiter concedi potest quòd frigus non intendit aliquo modo calorem,nec iuuat digestionem; sed calor fugiens frigus,& se vniens intendit calorem, & iuuat digestionem, & iste non est frigus,sed calor.

Et ex istis intelligantur conclusiones prædictæ,quando dictum est quòd frigus extrinsecum iuuat,*conclusione quinta*, & non directè iuuat,sed vt dictum est.

Ad secundam, *Digestio fit à caliditate alienâ nullâ existente propriâ caliditate.* Dicitur ad antecedens 25. *Ad 2.*

tecedens quòd digestio fit à propria caliditate digestibilis, licèt propria caliditas digestibilis iuuat quandoque, & quandoque propria caliditate digestibilis per consumptionem frigoris, & per abundantiam humiditatis, & siccitatis fit citiùs digestio, sed verum aliquando, sicut quidam expositor, vt suprà..

Quidam expositor Henricus dicit quòd duplex est digestio, quædam à calore exteriori, quædam ab interiori. Et caliditas primo modo, &c. contingit, quia vel calor naturalis est & exterior, sicut Sol in maturatione fructuum; vel artificialis sicut in assatione; sed digestio à calore naturali intrinseco est de calore intrinseco digestibilium effectiuè, & fit extrinseco calore circumscripto, & de tali dicit Aristotelem principaliter intendere, & talis conuenit cum mixto secundùm quòd mixtum in generatione, vel ante generationem sui. Et exemplificat diffusè de semine humano, & consimilibus, quæ dimitto.

Sed si hæc sit intentio Aristotelis, vt probabile est, & verisimile, etiam & iste diceret consequenter quòd fit ex calore intrinseco principaliter, & iuuaretur ab extrinseco, & tunc nullâ existente caliditate extrinseca negaret fieri posse digestionem, vel antecedens; aliter responsio rationis secundæ, saltem de digestione naturali à calido intrinseco, non valeret. Sed de digestis calido naturali, & extrinseco, non diceret fortè, vt dictum est, siue in artificialibus, siue in naturalibus; sed certè indigestio est cibi in stomacho, non benè intelligo quando calor intrinsecus cibum digerat, & ideò quilibet eligat sibi, quod meliùs sibi placet.

26. Ad tertiam. *Digestio fit à calore artificiali.* Conceditur de aliqua digestione, & non de omni, & sic vna fit ab artifiaiali, & alia non; & etiam licèt alia artificialis sit talis, tamen non fit sine naturali calore; & si quis strictè loqui cuperet, omnis calor est calor naturalis, & non artificialis, sic quòd non naturalis.

Ad 3.

Ad 4. Ad quartam, *Aliqua digestio*, &c. Dicitur quòd per illam potest accelerati, sed naturalis calor efficit principaliter, & sic similiter de calore balnei, qui iuuat digestionem, non cùm oportet, sed istam, quæ fit in membris, & non illam, quæ fit in stomacho, vel in hepate, quia hepate, vel stomacho distrahitur calor ad exteriora membra, sicut in balneis impediret digestionem propter absentia principalis digerentis.

27. Ad quintam, *Si sic, sequeretur quòd omnia digesta essent calidiora.* Conceditur consequentia, & consequens, cæteris paribus, si sint in via, vel in medio digestionis, & non incipit alia mutatio, quæ non est digestio. Ad probationem falsitatis, *quia escula*, &c. dicitur quòd illa putrescunt, & incipit aliqua mutatio, quæ non est digestio, & adhuc non est probatum quòd escula si sint mollita sunt minùs calida, quàm antè; verum est tamen quòd si essent perfecta, debent esse minùs calida, vt dictum est in præcedenti quæstione. Sed fortè calidum extrinsecum, quo escula putrescunt, & alio modo alterant magis calefaciendo, ad faciendum calidum exhalare, & sic finaliter fierent magis frigida putrefactione totaliter completa vsque ad exsiccationem, similiter dicatur de aliis fructibus.

Ad 5.

Ad aliam confirmationem de musto, quod est calidius ante digestionem, quàm quando est vinum factum; dicitur quòd hoc est ratione caliditatis extrinsecæ, & innaturalis, scilicet ex parte Solis, & ex parte indigerentis, & ratione commutationis multæ; tamen dicitur quòd calefacta dum segregantur, & euaporant subtilia aliqua aëre mixta, rediuiuo tamen vino, & deueniente ad naturam propriam determinatam, & specificam vini, illud vinum est calidius digestum, quàm indigestum, si aliqua mutatio corrumpens possit aduenire, quia vinum accelerarct, & fieret frigidius. Et de istis fortè meliùs dicetur inferiùs, & specialiùs.

Ad aliud, *stilla de assatis*, dicitur quòd hoc contingit ideò, quia frequenter ignis in fine est remissior, & illæ stillæ veniunt de profundo assaturæ in finem, ad quod profundum non potuit priùs venire actio caloris, nec tamen intenta actio, ideò duæ stillæ quando totum factum est, quæ veniunt vltimò sunt frigidæ, vel remissè calidæ, sed isto non obstante assatura sic assata est calidior naturaliter, & virtualiter, quàm ante assationem, & ideò coqui experti per hoc cognoscunt assaturam esse certam, quia ad interiora venit decoctio. 28.

Ad aliud de patellis, in quibus pisces bullierunt; dicitur quòd cæteris paribus, in fine actio caloris penetrauit pisces, & profundum eorum, ideò tunc non reflectitur calor, nec remanet in extremitate patellæ inferiùs, sicut priùs ante decoctionem; igitur coqui possunt tangere manu, fundum bassini, vel patellæ, & inuenient minùs calidum quàm ante, & hoc est signum quòd totaliter pisces penetrauit, ideò sunt cocti, ideò certum est quòd cum istis stat, quòd calidiores sunt pisces cocti, quàm non cocti, & ex istis patet solutio problematum Aristotelis.

Ad aliam experientiam, Homines bibentes vina calida actualiter, & virtualiter faciunt per digestionem vrinam, & humores frigidiores. Dicitur quòd hoc contingit fortè ex eo, quòd in digestione talis vini fit corruptio, vel putrefactio aliqualis, & etiam separatio multorum. vnde separatur plures vapores, & fumi à vino, vnde spiritus calidiores vino generantur, & de residuo per longam transmutationem, & corruptionem fit vrina, quæ potest esse frigidior, vel minùs calida vino bibito, & actualiter, & virtualiter; sed si naturali digestione vinum sine corruptione partium aërearum, & resolutione causata digeritur, fieret calidius, & non minùs calidum. 29.

Ad sextam, sequeretur quòd digesta essent leuiora, & etiam minora, Conceditur consequentia in quibusdam digestionibus, sed non in omnibus. Vnde cibus & potus simul in stomacho sumptus est grossior quàm humor per digestionem sumptus in stomacho, vel à stomacho recedens ad hepar, sed posteà ille humor est subtilior, quàm finaliter fiat per digestionem tertiam; & sic similiter imaginandum est in aliis digestionibus. Ad 6.

Ad improbationem consequentiæ, quæ probat quòd in omnibus vniuersaliter sic deberet fieri quòd sint subtiliora digesta, quia calor resoluit, & consumit humidum; dicitur quòd quandoque est sic, sed quia quiescet, &c. humidum terminatum sicco, & è contrario, ideò ingrossat finaliter, vt meliùs & specialiùs pòst videbitur in aliis quæstionibus.

Et sic dictum est generaliter ad quæstionem istam, quid sit dicendum ad istas quæstiones communiter fieri consuetas, quid sit digestio definitione? Et vtrùm mutatio? & si mutatio, quæ, 30.

vel

vel sub quo genere mutationis? Et vtrùm balnea iuuent ad digestionem, & quam? Et vtrùm digestio terminetur semper ad formam substantialem, vel aliqua non? & quis finis sit digestionis, & quomodo se habet ad putrefactionem? & patent solutiones problematum, videlicet quare in locis, & temporibus frigidis meliores fiant frequenter digestiones? Et quid calor innaturalis, vel superfluis efficiat in digestionem? Et quòd aliquid valet ad accelerationem, & quandoque exsiccationem, & quandoque consumptionem, saltem apparent, & propter quod stillæ assatæ iam coctæ, vel prope decoctionem, sunt frigidiores, vel minùs calidæ stillis prope principium decoctionis; & propter quid patellæ inferiùs tepescunt, vt coqui manu tangere possint in fine decoctionis, & propter quid aliqua digesta ingrossantur, alia verò subtiliantur non assatura, & decocta est gracilior, vel subtilior, & minor quàm fuit antè, & poma sunt maiora digesta, & matura, quàm antè dum sunt cruda, & indigesta, & horum causæ generales ex dictis in quæstione elici posse videntur.



QVÆSTIO III.

Vtrùm sint tres species digestionum?

1. *Arg. primũ.* ET arguitur primò quòd non, quia omnis digestio omni digestioni est eiusdẽ speciei specialissimę; igitur non tantùm sunt tres species digestionis. Consequentia patet, quia tunc esset solùm vna. Sed antecedens probatur, quia digestiones non differunt, nisi secundùm magis & minùs, quæ non diuersificant speciem. Probatur, nam si pasta, vel consimile, humiditatem habens, nimiùm decoquitur, & continuè humiditas consumatur vsque ad exsiccationem, & assationem, & primò fit bullitio, vel elixatio, & continuè manet mutatio, & fiat pòst assatio, est vna species continua, & non differunt nisi secundùm magis & minus, quia priùs fuit magis humida mutatio, & postea minùs sicca, & posteà magis; & ideò minùs calidè, in fine magis, & sic non videtur hîc differentia, nisi secundùm magis & minùs, & similiter est in omnibus, vt patet consideranti; igitur, &c. Confirmatur, quia in assatione, quæ esset quasi species distincta ab elixatione, si differret specie, & esset plures species simul, sic elixatio. Probatio, quia partes interiores in humido alieno partium extraneæ decoquuntur; igitur elixantur. Consequentia patet, & antecedens, quia humidum extranearum partium fugiens contrarium calidum exsiccans congreditur versus interiora, & ita decoquuntur cum calore. Hoc signum est, quod ponit Aristoteles in litera, quòd assata sunt humidiora in terminis elixatis, & sic probatur per oppositum, quasi quòd elixatio esset assatio partium interiorum.

2. *Secundum.* Secundò ad illud, quia vel essent tantùm tres in genere, specie, vel numero: sed nullo modo; igitur, &c. Maior patet ex sufficienti distinctione; & minor probatur, nòn in numero, quia sunt aliæ species digestionis in homine, aliæ in asino, & sic de similibus. Probatur de terminis specie differentibus, quia digestio terminatur ad formam substantialem, & plures quàm tres sunt formæ substantiales distinctæ, acquisitæ per digestionem; & cùm digestio sit quædam transmutatio, & transmutatione diuersificantur ad diuersitatem terminorum, ad quos tendunt; igitur erunt plures quàm tres digestiones specificè distinctæ. Nec sunt tantùm tres in genere eadem ratione, quia formæ, quæ per digestionem acquiruntur differentes genere, sunt plures quàm tres.

Tertiò, agens in digestione est vnum tantùm; ergo materia vna tantùm, ideò digestio esset vna tantùm in specie. Consequentia patet, quia si agens esset vnum, & materia vna, quod factum est esset vnum, vt dicitur 7. *Metaph.* secundùm Commentatorem. Antecedens patet, quia agens in digestione est caliditas, & passum est humidum proportionatum sicco. *Tertium.*

Quartò, duæ species digestionis sunt in artificialibus, scilicet *hepsesis*, & *optesis*; erunt igitur duæ ad minùs in naturalibus, & per consequens erunt quatuor. 3. *Quartum.*

Quintò, mutatio fructuum, & nascendorum est quædam digestio: non aliqua istarum trium; igitur, &c. *Quintum.*

Sextò, vel caliditas agit cum humiditate, & sic est optesis, vel agit cum siccitate, & sic est hepsesis, quia non potest dici quòd caliditas per se agat sine humiditate, & sine siccitate, quia non potest inueniri caliditas, quin sit vel cum humiditate, vel siccitate. *Sextum.*

Septimò, si etiam diuersificarentur propter diuersitatem subiectorum, vel agentium, vel propter diuersitatem terminorum, ad quos tendunt. Si primo modo, cùm subiecta sint plura quàm tria specie, sunt species digestionis plures quàm tres specificè distinctæ. Secundo modo, cùm agens sit solùm vnum in specie, scilicet caliditas, esset vna species digestionis diuersificatæ. Tertio modo, cùm termini sint plures quàm tres specificè distincti, quia terminus digestionis est sanguis, alterius est forma asini, alterius forma plantæ, & sic de multis differentibus specie. *Septimum.*

In oppositum est Philosophus *quarto huius.* *Oppositum.*

In quæstione illa, Logicales distinctiones, & rationes de termino exclusiuo addito termino numerali, debet videri circa libros Logicales, & circa Porphyrium, vtrùm tantùm 5. sint Vniuersalia, & non oportet hîc talia recitare, sed posset hîc concedi quòd tantùm vna est species digestionis, quia omnis species digestionis est vna; igitur, &c. ab vniuersali ad suam exclusiuam de terminis transpositis tantùm vna est species. 4.

Sed tunc si *tantum* excludat maiorem numerum, quæstio habet alibi videri, sed causa breuitatis dimittatur hîc, quia imperitis est huic scientiæ. Etiam intellectu quodam potest esse vera, falsa tamen est secundùm quòd verba sonant, quando quæritur, *Vtrùm tantùm sint tres species digestionis?* id est, vtrùm tantùm sint, &c. sic quòd nihil aliud in mundo sit, nec aliqua ab istis, quod non sit illa, vel aliquod istorum, vel alia istarum specierum. Sed iste intellectus est falsus; sed ad istum intellectum intelligatur titulus, *Vtrùm tantùm tres sunt species*, & vtrùm tertia species digestionis sit aliqua trium enumeratarum ab Aristotele, vel nunquam sit aliqua, quæ nulla istarum sit. Ad istam intentionem solet quæstio moueri.

Hìc

Hîc benè præmittenda sunt aliqua, & dein ponantur conclusiones.

5. *Digestionis tres species.* Primò notandum est, quòd omnes Philosophi naturales, & medici ponunt tres digestionis species; sed in modo procedendi sunt diuersi isti. Vnde aliqui probant quòd omnis digestio sit à calido, tunc vel caliditas agit secundùm se, & est *pepansis*, vel cum humiditate, & tunc *optesis*, vel cum siccitate, & est *hepsesis*. Modò quidam arguentes contra hoc, quia digestio est quædam transmutatio, & transmutationes non sunt, nec capiunt diuersitatem à diuersitate agentis, sed à diuersitate termini *ad quem*. Alij probant aliter, quia digestio fit à calido, tunc vel fit à calido naturali intrinseco, vel extrinseco; si primo modo, sic est *pepansis*; si secundo modo, vel calor agit cum humiditate, & est *hepsesis*, vel cum siccitate, & est *optesis*.

Contrà istud potest argui, sicut arguitur contra præcedentem modum probandi. Secundò, sicut calor extrinsecus potest agere cum humiditate, & siccitate, ita intrinsecus, & sic erunt quatuor.

Vlteriùs notandum, quòd similis digestio fit in vno animali, & in alio differentibus in specie, & ideò omnes similes digestiones Philosophi posuerunt vnam esse speciem digestionis.

6. Vlteriùs nota, quòd quamuis digestio sit quædam transmutatio, & transmutationes diuersificantur secundùm diuersitatem formarum, ad quas intendit; tamen in proposito si loquimur de istarum diuersitate, esset dicendum quòd tot sunt species digestionis, quot formæ specificæ distinctæ acquirunt per digestiones; sed isto modo non intendimus hîc, sed magis ipsa diuersificare, secundùm diuersitatem modi agendi.

Pepansis quid? Pericarpium. Vlteriùs nota, quòd *pepansis* est digestio alimenti in pericarpiis. Sed quid per *pericarpium* debemus intelligere? Dicunt aliqui quòd *pericarpium* est locus receptionis seminis, quia sicut dicunt quidam, *pepansis* est digestio humidi seminalis, sed Philosophus scribit quòd *pepansis* est perfectio, & posteà perfectum vocat illud, quod potest generare sibi simile. Modò constat quòd *pepansis* non est digestio in loco generationis digestionis seminis, quousque illud quod digeritur, potest generare sibi simile. Vbi dicitur quòd Philosophus vocat perfectum, quando est totaliter organizatum vsque ad completam maturationem in vtero.

Tamen adhuc dubitatur, quia ita benè fit *pepansis* in plantis, sicut in animali, vel sicut in aliis, ideò per *pericarpium*, non solùm debemus intelligere locum receptionis seminis in animali, cùm extendendo nomen tam ad plantas, quàm animalia, diceremus quòd digestio illa, qua aliquod mixtum digeritur à principio suæ generationis, quousque sit completa generatio est *pepansis*; & per *pericarpium* locum, in quo illud mixtum generetur; & per oppositum diceremus, quòd *omotes* est indigestio alimenti in pericarpiis, & propter istam indigestionem fiunt abortus in nascentibus.

7. *Optesis quid?* Nota secundò quòd *optesis* propriè loquendo, est digestio artificialis, & est idem quòd elixatio, & definitur sic, *Optesis est digestio à caliditate humidâ, & alienâ.* *Molynsis.* Et *molynsis*, quæ est indigestio sibi opposita, definitur sic: *Molynsis est indigestio propter defectum caliditatis humidæ alienæ.*

Item nota, quòd *optesis* est digestio vtilis, & illud quod assatio, & definitur sic; *Optesis est digestio à caliditate, siccâ, & alienâ.*

Stateusis. Est stateusis quæ est indigestio sibi opposita, definitur sic; *Stateusis est indigestio propter defectum caliditatis siccæ, & alienæ.* Et digestionibus naturalibus correspondentibus istis non habemus nomina imposita, ideò quamlibet digestionem, quæ fit à caliditate agentis cum humido vocamus *optesin*. siue in naturalibus, siue in artificialibus; & illam, quæ fit à caliditate agente cum siccitate vocamus *hepsesin*, vel aliter istæ species digestionis possunt diuersificari solùm in animali. Et eas sic diuersificantes dicunt quòd à principio generationis animalis vsque ad plenam ætatem sunt tres species digestionis. Primò, qua digeritur humidum seminale à calore naturali, & ista digestio vocatur *pepansis*, & durat à principio generationis animalis, quousque animal sit perfectum in sua specie. Posteà digeritur humidum cibale, quamdiu est in augmento, & in statu, & ista digestio vocatur *optesis*; & animalis durantis vsque ad finem fit tertia digestio; vel quàdo animal incipit diminui vsque ad finem per tertiam digestionem, quæ vocatur *hepsesis*. Vel diuersificemus sic eas in digestionibus instrumenti, quia prima digestio, quæ fit in stomacho potest vocari *pepansis*, & sic per pericarpium intelligimus locum receptionis nutrimenti. Et secunda digestio, quæ fit in hepate, quia ibidem quod digeritur est magis humidum, & vocatur *hepsesis*. Et tertia digestio, quæ fit in corde, vel in aliis membris, quæ fit à calido fortiori, & agente cum maiori siccitate, vocatur optesis, & proportionabiliter diceremus in plantis.

Vlteriùs notandum, quòd licèt isto modo distinguantur ab aliquibus hæ species digestionis, 8. *Distinctio specierum digestionis.* tamen aliter distinguunt alij; & dicunt quòd oportet penes agentia distingui istas mutationes, eò quòd finis, vel termini, *ad quos* sunt minùs nobis noti, & agentia sunt magis nota nobis, ideò ab agentibus distinguantur. Et sic exponitur auctoritas Aristotelis in quinto Physic. quòd *motus est idem in termino* ad quem, *& ab illo capit distinctionem*: verum est vbi motus sit terminus *ad quem*, & notior agente, non oportet.

Sed breuiter, illud non multum valet, quia siue res sint nobis notæ, siue non, distinctio rerum, & diuersitas est penes essentias earum diuersas ipsis intrinsecas, & non penes extrinseca, sicut sunt efficientia, vel agentia; sed benè ex diuersitate agentium possumus considerare diuersos esse effectus ex diuersis materiis factas, & sic agentia iuuant. Vnde dicunt alij tunc, quòd omnis digestio fit à calido naturali, & intrinseco, vt dicit definitio digestionis; igitur vel illud calidum est aëreum, & habetur prima digestionis species, scilicet *pepansis*, quæ est idem quod *maturatio*. Si autem illud calidum sit aqueum, tunc est secunda species, scilicet *hepsesis* quod est idem quod *elixatio*. Sed si calidum agens fuerit igneum, tunc dicitur *optesis*, quod idem est quod *assatio*. Et si quæratur quare non sit quarta species à calido terreo? dicunt quòd causa est, quia terra non calefacit nisi ab igne, ideò calidum terreum idem esset cum igneo.

Verum cùm etiam dicunt, quòd omnis digestio fit à calido intrinseco, potest tamen compleri 9. à calido extrinseco, sicut patet de maturatione fructuum; sed isti, qui specialiter loquuntur de *pepansi*, dicunt quòd non inuenitur propriè, nisi in seminibus,

feminibus; ideò dicit Aristoteles, quòd est digestio facta in pericarpiis, in vasibus seminum, & non in feminibus est quædam virtus actualis, quâ agens cum causis principalibus concurrentibus ad generationem illius, quod producitur ex semine generat sibi simile. Et istud, vt videtur, voluntas est Philosophi, qui dicit quòd *tunc completa est pepansis, quando semen aptum est facere, tale, quale ipsum est.* Et hanc digestionẽ consequitur effectuum consolidatio, & grauedo, secundùm quod digeritur, & maioratio, sicut patet inductione de seminibus, videlicet in siliquis, frumento, de amygdalis, & de aliis seminibus: quorum causa est, quia calor naturalis cum adiutorio caloris extrinseci euaporat humidum phlegmaticum, quod est superfluum, & ideò illud quod remanet est graue, & consolidatum.

10. *Obiectio.* Sed si obiicitur, quia vidimus poma matura esse molliora, quàm poma indigesta; & vlcera matura molliora, vt apostemata, sicut dicitur in hoc libro, & experientia docet.

Responsio. Respondetur quòd poma non sunt semina ad modum matricis, & ideò semina inclusa in pomis patiuntur *pepansim*, sed non poma, sed aliam digestionem; sed de apostematibus, & vlceribus diceretur quòd non patiuntur propriè digestionem, quæ est *pepansis*, sed aliam; vt dicunt, quòd cùm apostema fuerit mollificatum, consumitur, & comminuitur humidum superfluum; & tunc dispositio sequens tendens ad perfectionem mixti, potest dici *pepansis*, & fortè apostema vadit ad putrefactionem magis propriè, quàm ad digestionem, quia digestio est ad generationem formæ substantialis nouæ, maturatio apostematis non, sed ad corruptionem.

11. *De hepsesi.* Sed tunc de *hepsesi*, quæ est similis elixationi, sciendum quòd talis fit à calore, agente humido in multum humidum, & fit finaliter ad esum, & potum, vt dicit Aristoteles, & effectus ipsum consequens est desiccatio illius, quod patitur talem digestionem. Cuius causa est, quia calidum cum humido subintrans poros corporis, resoluit, & extrahit humidum superfluum, quod continetur in partibus interioribus illius corporis, quo resoluto totum corpus remanet siccius. Verum est tamen quòd talia apparent magis humida propter frigiditatem extraneam, & imbibitam.

12. *De optesi.* Dicendum est iam de *optesi*, quæ est quasi assatio, sciendum quòd propriè non inuenitur nisi in artificialibus: ideò dicit quòd difficile est benè assare, tamen inuenitur in naturalibus, vt pòst dicetur. Et talis fit à calido sicco, & talem digestionem patitur panis in furno; & effectus consequens est humectatio corporis digesti in partibus interioribus, & desiccatio partibus exterioribus, nisi digestio illa fuerit diu continuata, quia si sic, tunc fiet adustum causa humiditatis interioribus, & facit crustam in superficie, per quam prohibetur exitus humiditatis interioris.

Sed alij addunt quòd in corporibus animatis, sicut in animalibus, & hoc secundùm diuersitatem ætatis, ita quòd in pueritia est *pepansis*, in iuuentute *optesis*, posteà, quando humidum superfluum est consumptum, est *hepsesis*, quia tunc calor est acutus, pungens ad modum ignis.

Secundò, reperiuntur in nutritionibus animati: vnde primò in animalibus fiunt duæ præparationes nutrimenti, alia in ore, alia in stomacho; dein fit prima digestio in hepate, quæ est *pepansis*; secunda in corde, quæ est *hepsesis*; tertia in membris, quæ est *optesis.* Alij dicunt quòd prima fit *pepansis* in stomacho *hepsesis* in hepate, *optesis* in corde, quia cor est calidissimum ad modum ignis.

Tertiò, reperiuntur istæ digestiones in nascentiis, sicut in seminibus, vt dictum est, & fortè in lapidibus, & metallis. Et non valet si obiicitur, quia non sunt animata, nec nutriuntur; igitur non digeruntur; quia non sequitur quòd in generatione istorum est primò consolidatio; igitur est *pepansis*, & aliæ digestiones, vel alij effectus aliarum digestionum correspondent sicco in generationibus, & digestionibus animalium. 13.

Hæc recito secundùm dicta aliorum naturalium Philosophorum concordantium dicta sua dictis Aristotelis, & experientiis. Sed certum est quòd vna deriuatio, vel coniecturatio, fundat totum quod dicitur, præter valde pauca, & hoc debet sufficere in naturalibus, & maximè in hac materia. Sed adhuc aliter, & magis particulariter, & vtiliter pro medicis, vt Henricus expositor quidam hic antiquus, quia primò ponit extremum de omnibus istis digestionibus tale, nam in generatione à principio vsque in finem corruptionis inclusiuè, sunt multæ digestiones considerandæ primò in generatione, quia calidum seminale habet in se virtutem cœlestem complexionis corporis, à quo decisum est, virtutem formatiuam ex virtute formæ, à qua deciditur, quæ virtus est decisa per totum semen, per spiritus triplicem virtutem habentes vitalem, naturalem, animalem; & tunc huiusmodi calidum seminis mediantibus istis virtutibus, digerit humidum seminale, & maturat, & informat, & organizat, & ad complementum figuræ, & quantitatis generandi attrahit humidum menstruum intrinsecum, & complet digestionem in humido seminali, quousque potest ex ipso facere tale animatum in actu, quale est ipsum à quo est decisum semen; & sic calor digerit terminando humidum cum sicco miscendo.

Et hæc digestio est prima, quæ vocatur *pepansis*, quia completa forma rei in *esse* producitur per generationem. & hoc intendit Aristoteles cùm dicit, *completa est, cum in fructifero semina possunt facere alterum tale, quale est ipsum*, scilicet quod semen fecit, & hoc ex semine per calorem degerentem in ipso; & sic huiusmodi digestio ducit rem ad complementum in forma, & specie, & antecedit *esse*; sed hac digestione terminata generatiuum adhuc fluit in humiditatibus superfluis, in quibus calor naturalis incipit digerere digestionem. Secunda humidum superfluum consumendo, & digerendo, & completur illa digestio, quando humiditas superflua per calidum digerens potest exhalari, & consumi, & vocatur *hepsesis*, quia fit in organis naturalibus per modum elixationis; completa autem hac digestione, humido superfluo consumpto, & terminante ipsum aliter viget calor in sicco, & generatiuum exsiccatur, & viget, calor in sicco est magis terminans humidum mixtum cum sicco suo; vnde secundùm ipsum fortificatur generatiuum in suo *esse* formatiuo. Et hæc est tertia digestio, quæ dicitur *optesis*, & fit in organis naturalibus per modum assationis, & completur ista digestio cùm calor naturalis, secundùm vltimum virtutis, terminat humidum radicale consumendo cum sicco; ipsa autem completa, cùm 14.

calidum incipiat fortiter consumere humidum radicale, cùm calor non possit esse otiosus consumendo humidum, necesse est ipsum deficere, & tunc incipit innalescere frigidum in sicco, & tunc accidit indigestio, quæ opponitur *optesi*, quæ dicitur *stateusis*: sed propriè non sibi opponitur, quia quando calor non est tantus, & digestio est debilior, illa mutatio vocatur tunc indigestio, quia non ad finem venit; & si remissior mutatio dicatur opposita intensiori, sic hîc dici potest oppositio, non aliter.

15. Sed de illo, quod conualescente per *stateusin* frigido in sicco debilitato calore naturali, & non possit sufficienter humidum nutrimentale digerere, & aliter vnire membris, incipit superabundare humidum superfluum indigestum, & incipit indigestio opposita *optesi*, scilicet *molynsis*, per frigidum conualescens in humido. Frigido autem conualescente sicut quasi extinctio caloris calidi fortiter vadit ad extinctionem sui in humido, ita quòd completa ista indigestione, necesse est calidum deficere; & hoc contingit in ætate senectutis, & sic senectus est quasi lucerna parata ad extinctionem à calore naturali, ratione qua naturalis est calor, quia primò fuerat continens, & constare facilis, fit disgregans ducens à forma, & specie putrefactionis, & incipit tunc indigestio, quæ dicitur *omotes*, opposita *pepansi*, tamen sub ratione, qua innaturale, ducens à specie. Et secundùm hunc ordinem in generatione hominis sunt quasi tres digestiones, quarum prima *pepansis*, & præcedit *esse* rei in generatione sui. Secunda est in prima ætate rei, quæ dicitur *hepsesis*, à calore vigente in humido. Tertia in secunda ætate, quæ dicitur *optesis*, à calore vigente in sicco, & tunc sequuntur tres indigestiones, ordine tamen contrario, quia post *optesin*, sequitur indigestio sibi opposita, quæ est *stateusis*, à calore deficiente in sicco frigido conualescente, & hoc in ætate tertia; & inde sequitur *molynsis* opposita *optesi*, à calore deficiente in humido in quarta ætate. in qua per indigestionem corrumpitur calor, sub qua naturalis sibi conueniens dicitur, & sic mutabilis, vel tunc corruptione rei post vltimam eius ætatem, similiter indigestio opposita *pepansi*, quæ dicitur *omotes*, à calore naturali, inquantùm mutabili ducendo rem ad finalem corruptionem.

16. *Quatuor ætates.* Et in pari processu distinguuntur quatuor ætates, videlicet pueritia, iuuentus, senectus, & senium, quarum prima est calida & humida, in qua viget digestio à calore in humido, quæ dicitur *hepsesis*.

Secunda dicitur calida & sicca, in qua viget digestio à calore in sicco, quæ dicitur *optesis*.

Tertia dicitur esse frigida & sicca, in qua viget indigestio à calore deficiente in sicco, frigido conualescente, quæ dicitur *stateusis*.

Quarta frigida, & humida, in qua viget indigestio à calido deficiente in humido, quæ dicitur *molynsis*, sic quòd iuxta duas vltimas digestiones sumuntur ætates, & sic penes primam digestionem nulla distinguitur, nec sumitur ætas. Et consimiliter dicit imaginandum esse in omnibus generatis per naturam, animalibus, plantis, mineralibus, & partibus eorum.

17. Et hæc sunt dicta in generali de istis tribus speciebus digestionis simul. Sed in speciali de prima specie, videlicet *pepansi*, quæ habet fieri propriè, vel mediatè, & propriè multiplicatur in diuersis, & similiter mediatè; vnde si *pepansis* propriè fiat, aut igitur est ducens ad formam animati, aut ad formam inanimati; si primo modo, sic est digestio seminis in generatione plantæ, aut spermatis in generatione hominis: & hoc tangitur in litera, cùm dicitur quòd *pepansis completur, cùm in fructu seminali valuerunt perficere*, scilicet ex seipsis per calorem digerentem *alterum tale, quale ipsum est*, scilicet, quod semen protulit, vt de semine patris puerum. Si verò inanimati sicut in generatione animalium, cuius non tangit exemplum in litera. Si verò sit *pepansis* mediatè, vel minùs propriè, aut tunc fit in naturalibus, aut innaturalibus, videlicet in artificialibus. Si in artificialibus, sic est digestio lateris, qui in calore ignis circumstantis in proprio calore digeritur complendo formam lateris, de cuius indigestione Aristoteles ponit exemplum in *omote*, apposito *pepansi*.

Si verò fiat in naturalibus, aut igitur nati animati tertio modo, aut in se, aut in alio. Si verò in 18.
se, sic est digestio humoris in planta, vt fiat semen ad generationem plantæ, vel sperma ad generationem animalis. Si in alio, aut igitur est vnitum alteri secundùm substantiam, aut non. Si primo modo, aut est separabile, aut non; si separabile, sic est digestio humoris in plãtis, vt fiant flores, & folia, & fructus. Si inseparabile, sic est digestio humorũ, vt fiat membrum, vel pars eius, vt ramus, vel cortex in plantis; caro, vel os in animalibus. Si verò non sit vnitum, tunc est indigestio in animalibus & plantis, quia digestum digestione vltimata natum est ipsis vnitis secundùm substantiam in ipsis animari tale, &c. quod est in proxima digestione, vt alij vniantur, sumendo in ipso formam animati, aut in dispositione remota.

Primo modo est illa digestio in substantia 19.
membrorum, vt ex cambio fit glutinum in fine tertiæ digestionis, quæ in membris fit, sed secundo modo in remota antè digeritur digestione prima; & sic est digestio cibi in stomacho in humorem cifanarium; aut digestione secunda; & sic in hepate digeruntur hi cifanarij humores, & principales, qui sunt sanguis, phlegma, cholera, melancholia; aut digestione tertia vt fiat ros in orificiis venarum, aut ex rore, vt fiat cambium in spongio siccalibus membrorum. Si verò sit digestio *pepansis* in naturalibus non natis animati, aut igitur digeritur aliquid, ne grauet naturam in eodem secundùm numerum, aut igitur vt obseruet eum in eodem secundùm speciem.

Secundo modo est digestio sanguinis menstrui in mamillis ad generationem lactis; si propter conseruationem fœtus; si primo modo, cùm omne tale digeratur, vt à natura expellatur; aut igitur quia superfluum; aut igitur inobediens. Si secundo modo, sic est digestio humoris corrupti in sanguineis, & nascentiis, & humoribus corruptis vniuersaliter, vt fiat sanies; & similiter lacrymæ, circa oculos, vt fiat lippitudo: si quia superfluum, aut quia superfluum in prima digestione; & sic est digestio fæcum, vel merdæ in intestinis; aut quia in secunda digestione, & sic est digestio vrinæ in renibus, & vesica, aut in tertia digestione, & sic est digestio roris, cambij, & glutini. Si primo modo, si est digestio sudoris, & est digestio hypostasis, siue residentiæ apparentis in vrina.

Istis

20. Istis omnibus modis, alia maturantur in humore seminali ad generationem formæ alicuius mixti, & hoc ab actione caloris simplicis; aliter inquantum naturalis, & proportionalis rei producendæ. Et sic omnibus istis modis potest fieri digestio, quæ est *pepansis*, & digestiones aliæ duæ, scilicet *hepsesis* & *optesis*, quia in digestione cuiuslibet mixti priùs oportet misceri humidum cum sicco in calore naturali, inquantùm naturalis, ad generationem formæ mixti, dein resudat humidum superfluum à calore naturali vacanti in humido, dein resudat humidum spirituale à calore naturali vigenti in sicco; & illis tot & eisdem modis possunt distingui *hepsesis*, & *optesis*, sed adhuc habentes modos proprios propter *pepansim*, de quibus dictum est.

21. *Hepsesis quid?*

Nunc igitur specialiter de *hepsesis* (quæ dicitur secunda species digestionis, de qua in literâ dicitur.) definitione dicendum quòd *hepsesis est digestio ad totum à calore humido.* Et dicitur *ad totum*, sicut *pepansis* est ad totum generandum, sic hæc est ad totum vlterius producendum ad perfectionem, postquam constitutum est per generationem, *pepansin*, & tum digestio potest dici ad aquam, tanquam ad subiectum, super quod cadit actus digerendi, aut tanquam ad terminum, qui debet induci per digestionem; modo primo hepsesis est ad totum, sed *pepansis* diceretur benè secundo modo, tanquam ad terminum ad totum generandum; sed *hepsesis* dicitur ad totum complementum, quia vltimò complet, & perficit in benè *esse* suo. & quod dicitur *à calore humido*, intelligitur quòd calor digerens, & hepsesis dicitur natans in humido, ità quòd ista prædicatio, *calor est humidus*, est aliqualiter extranea, & per accidens, sicut diceretur albedo dulcis in lacte, & quia calor & humiditas sunt in eodem subiecto, ideò sic dicitur *à calore humido.* & quod dicitur in deficienti, quod inhæret, vt habeatur differentia materialis hepsesis ad alias digestiones, vt distendendo tres digestiones penes materiam dicatur, *pepansis* est digestione humidi indefiniti, quia prima digestione consumitur humidum penes indefinitum. Sed secunda, vel *hepsesis* dicitur indefiniti, quia inhæret in humido, quia cùm digestum est per *pepansim* adhuc genitum abundat in humido, & tunc *hepsesis* est sequens digesti post *pepansim* ad istius humidi elixationem; & *optesis* consequitur *hepsesin*: completo humido superfluo elixato, nil restat, nisi humidum induratum, & sic *hepsesis* dicitur in deficienti humido; non est enim propriè humidum solum, sed indeterminatum, & mixtum sicco aliqualiter; ideò dicitur in defectu, & illud humidum est causa materialis in hepsesi, & calor causa efficiens.

22. Sed de istis modis specialibus *optesis*, & differentiis eius dicitur, quòd *optesis* aut fit propriè, aut mediatè; si propriè, sic solum habet fieri in naturalibus per calidum intrà natans in humido interiori, & abstergendo in humidum superfluum indigestum per *pepansim*, & sic tot modis, quot habet fieri *pepansis* propriè dicta; si in digestione mineralium, plantarum, & animalium in ipsis abstergendo humidum superfluum, postquam inducta est forma per *pepansim.* Si verò fiat *optesis*, vel metaphora dicitur in naturalibus, aut artificialibus: si in naturalibus, aut igitur digeritur in seipso, aut in alio; si in alio, sic est digestio alimenti secundùm vnamquamque speciem digestionis, humidum superfluum abstergendo post inductionem in alimento, cùm est inducta forma sanguinis per *pepansin*, oportet quòd sequestretur humiditas superflua per *hepsesin*: & similiter in carne, & in aliis, & sic non solùm ratione tali, vt digerendo sanguinem per calorem proprium, ne in specie sanguinis compleatur quoad benè esse, sed in ratione, qua nutrimentum omne digeritur à calore corporis natante in humido. Si verò dicatur in seipso, est digestio musti in vinum à calore proprio ad intentionem caloris exterioris digerente, vt humidum subtile in vinum euaporet, & grossum non benè comestibile cum sicco inferiùs resideat.

23. Si verò in artificialibus, aut igitur humore proprio elixato, aut alieno; si cum alieno, sic est elixatio carnis in olla cum aquis. Si in humido, aut igitur per segregationem partium mixti, quæ sunt naturæ etheomageniæ in ipso; secundo modo est digestio lactis, cùm in ipsa virtute caloris natantis in humido proprio segregentur semina cocta. Primo modo contingit dupliciter, quia aut fit sequestratione puri ab impuro; aut superflui non benè commixti. Primo modo est digestio auri, argenti, & cupri per decoctionem eorum in proprio humore, cùm liquefiunt nimium subtile, vt effumanti de fæculento terreo in scoriam residentem, sic enim aurum liquefactum cum latere terreo, & sale in proprio humore depuratur, & decoquitur; & similiter argentum cum arena, aut sabulo. Secundo modo est digestio ligni viridis in humore proprio humido superfluo distillante, & hoc de *optesi* in speciali.

24. Sed de *optesi* in speciali non dicit Aristoteles quòd est digestio à calore sicco alieno, & hoc quia calidum digerens in *optesi* agit suo acumine ad modum caloris ignei, non tamen excedendo proportionem.per quam dicitur naturalis; & ideò notandum, quòd calor potest dici siccus simpliciter, & absolutè, aut in comparatione ad alium calorem. Primo modo dictum est, quòd nullus calor digerens est calor siccus; talis enim purè siccus non est naturalis, sed igneus.

Calor dicitur siccus simpliciter.

Secundo modo intelligitur calor siccus, non quia igneus simpliciter in sicco, imò viget in humido, & conseruatur, & habet *esse*, sed quia humidum superfluum est completè abstersum respectu caloris digerentis in *pepansi*, & *hepsesi*; sic digerens humido superfluo non absterso respectu caloris digerentis in *optesi* est abstersum humidum, & tunc remouet calidum naturale cum modico humido, & sicco, & fortiter commiscet, & facit extensum, & dicitur à caliditate aliena propter hoc quod debet degeri per istam digestionem. Et aliqui dicunt quòd fingunt digestionem, quæ habet fieri in artificialibus, aut nisi manifestiùs hæc sunt, & contingunt, quàm in naturali digestione; & hoc verum est, licèt ad vtrumque possit applicari, & satis patet ex prædictis, in quibus, & quando specialiter habet fieri, & in artificialibus, sic sunt assationes carnium ad ignem.

25. Mouet tamen quidam quæstionem, quare quærentibus vitam diuturnam, vel aliquid tale, magis conueniunt assata quàm elixata, de quibus pòst dicetur. Et tangit Aristoteles de elixatis, quòd humidiora sunt intrà, quàm extrà, de quorum causis dicetur pòst. & hæc omnia recitata ex dictis aliorum sunt quoad multa probabilia, &

verè ſimpliciter narrabilia, & fortè in hac materia non plus poteſt fieri, niſi certior euidentia oſtendibilis haberi, ideò credendum eſt authoribus, vbi nimis non apparet contrarium manifeſtè.

Concluſio 1. Sed quia ex his dicendum eſt ad quæſtionem, poteſt eſſe concluſio iſta, quòd tantùm tres ſunt ſpecies digeſtionis, id eſt, tres termini ſpecificè diſtincti, ideò æquiualentes in ſignificando, quibus reputatur omnis digeſtio. Hoc patet ex prædictis, quia omnis digeſtio fit altero trium modorum dictorum; igitur omnis ſpecies digeſtionis eſt altera trium; & ſumatur, *tantùm*, hîc, vt excludat maiorem numerum, & non aliqualitatem ſolùm.

Aliter poteſt probari quòd tres ſunt ſpecies, & non plures quàm tres; igitur tantùm tres. Conſequentia patet ab expoſitoribus ad expoſitum; & antecedens eſt declaratum ex modis diuerſis iam recitatis.

Concluſio 2. Secunda concluſio, infinitæ ſunt, vel poſſunt eſſe digeſtiones ſolùm numero diſtinctæ, & ſub qualibet iſtarum ſpecierum infinitæ digeſtiones numero diſtinctæ poſſunt reperiri. Probatur ſatis ex prædictis, quia infinitis modis contingit variari *heptesin*, vel *pepanſin*. Et ex his patet quid ſit dicendum ad quæſtionem, *Vtrùm ſint tantùm tres ſpecies digeſtionis*; dicendum quòd ſic, ſecundùm intentum datum; & ſic conceditur quæſtio, vel pars affirmatiua quæſtionis.

26. *Ad argum. 1. principale.* Ad rationes ad oppoſitum. Ad primam, *Omnis digeſtio*, &c. Negatur antecedens. Ad probationem, *non differunt niſi ſecundùm magis & minùs*, &c. Ad probationem, *quia ſi paſſiua, vel conſimile*; dicitur quòd ſecundùm diuerſam proportionem primarum qualitatum ſunt diuerſæ formæ mixtorum, & mixta: ſic etiam ſecundùm diuerſam proportionem primarum qualitatum ſunt diuerſæ ſpecies digeſtorum, & digeſtionis; & quia non manet continuè vna proportio, ideò continuè fit variatio. Vnde oportet imaginari vnam latitudinem proportionum qualitatum, cum quibus omnibus ſtat digeſtio, quæ vocatur *pepanſis*; poſtea alia, cum quibus omnibus ſtat alia, & ſic fit alteratio continua, non obſtante hoc ſecundùm diuerſam proportionem fiunt diuerſæ ſpecies. Ad confirmationem antecedentis, ſi differunt ſpecificè aſſatio, & elixatio, aliter ſimul ſimpliciter; negatur ſecundùm idem, & reſpectu eiuſdem, & in eodem tempore, ſed ſecundùm diuerſas partes non eſſet inconueniens, & ſic procedit ratio, ſi aliquid valet.

Ad 2. Ad ſecundam, *vel ſpecies*, &c. dicitur quòd ſpecies. Ad probationem, *aliæ ſpecies ſunt in aſino*, &c. Negatur, quia non ſumitur diſtinctio ſpeciei; ſed diſtinctio finium, vel terminorum, ad quos tendunt, ſed ſecundùm diuerſitatem agentium, vel modorum agendi, ſecundùm modos prædictos.

Ad 3. Ad tertiam, etiam conceditur, ſed propter alia agentia benè diuerſificantur in modo agendi, &c. & etiam eſt dubium, vtrùm omnes caliditates ſint eiuſdem ſpeciei.

Ad aliam, *duæ ſunt ſpecies*, &c Conceditur, *& ſic erunt duæ in naturalibus*, Dico quòd imò, ſunt duæ in naturalibus, ſed de eis non habemus nomina impoſita.

Ad aliam, *maturatio fructuum*, &c. dicitur quòd ſecunda digeſtio reducitur ad *optesin*.

Ad aliam, *ſicut calor agit cauſa ſuccedente*, dicitur quòd illa cauſa non eſt totalis cauſa diuerſitatis.

Ad vltimam, *vel eſſent tantùm tres propter diuerſitatem ſubſtantiarum*. Negatur minor, quia illis modis non capimus diuerſitatem, ſed potiùs propter diuerſitatem in modo agendi.



QVÆSTIO IV.

Vtrùm digeſtio ſanguinis, & naſcentia à calore naturali ſit pepanſis?

ARGVITVR quòd non, quia ſanguis non digeritur in pericarpiis; igitur non eſt *pepanſis*. Conſequentia tenet, quia *pepanſis* fit in pericarpiis, vt dicit litera, & dictum eſt in prædicta quæſtione; ſed aliò patet quòd non omnia loca ſanguinis vaſa ſunt ſeminum, nec pericarpia. 1. *Arg. primū.*

Secundò, digeſtio ſanguinis eſt corruptio eius, & putrefactio: igitur non eſt *pepanſis*. Conſequentia tenet, quia illæ ſunt oppoſitæ transmutationes, digeſtio, & putrefactio. Antecedens probatur, quia ſanguis eſt optimus humor, & optimæ digeſtionis, ſi tunc aliquid ſibi addatur, aliter accenditur, comburitur, & inflammatur, vt ſit putrefactio, & non vltra digeritur; ſed potiùs corrumpitur, & putreſcit. *Secundum.*

Tertiò, digeſtio ſanguinis eſt alteratio, vel motus ad ſanguinem acquirendum, vel deſtruendum; ſi primum, tunc non *pepanſis*, quia non dicitur digeſtio formæ, vel digeſtio rei acquirendæ, ſed potiùs rei exiſtentis. Si ſecundo ad deſtruendū ſanguinem, iam non eſt digeſtio ſanguinis, ſed corruptio eius, quæ non dicitur digeſtio. *Tertium.*

Dein arguitur de naſcentiis, quòd digeſtio eorum non ſit *pepanſis*, quia putreſcunt, & ad *eſſe* putrefactum tanquam ad finem tendunt; igitur non ſunt *pepanſin* paſſæ, nec digeruntur *pepanſi*. Sed conſequentia patet, vt præcedens. Antecedens patet, quia ſiue ſumantur *naſcentiæ* pro fructibus, conſtat quòd putreſcunt finaliter in arboribus; ſiue ſumantur pro apoſtematibus, aut vlceribus, iſta enim vſque ad ſaniem deueniunt finaliter, & ſic putreſcunt, &c. igitur iſta non eſt *pepanſis*, quæ eſt digeſtio. *Quartum.*

Oppoſitum dicit litera. *Et autem aliter phlegmaticis quid & naſcentiarum, & ſanguinis.* Alia litera habet, *& flegminibus.* Et talis eſt *pepanſis*, quæ à naturali eſt digeſtio. Et etiam exemplificat de naſcentiis, cum conſtantia fuerit facta, qualis & lacryma cum facta fuerit limus, & omnis talis tranſmutatio eſt *pepanſis*, vt dicit. Ex quo patet veritas quæſtionis, quia in quæſtionibus præcedentibus dictum eſt de digeſtionibus in generali, nunc in ſpeciali dicendum eſt de quibuſdam ſpecialibus, de quibus Ariſtoteles exemplificat, & primò de illis ibi quærit, & conuenienter de aliis dictis eius. Vnde quantùm ad primum dicendum eſt ſicut priùs dictum eſt de generatione animalium in putrefactis, quia calor in animalibus poteſt dici naturalis duobus modis. Vno modo reſpectu alicuius generandi ex illo humore, cuius eſt. Alio modo, quia eſt naturalis ipſi cuius eſt ille humor. Vel dicitur ille humor. 2. *Oppoſit.*

mor. Primo modo dicendum est quòd *pepansis* in sanguinibus, & nascentiis in generando saniem, siue putrefactionem ipsorum humorum à calore naturali; calor enim in animali ad congregationem apostematis, est mutabilis, & improportionalis membro, vel membris, à quo, vel à quibus illæ impelluntur. Vnde ratione, qua calor in humido talem humorem ab ipso humore, per hoc quod agit in eleuando in communi, quia omne apostema, saltem exteriùs apparens, in communi erigitur per naturam, & attestatur super hoc, quòd talis calor vtitur ad ducendum humidum à membro, vel ad euolandum cum ipso, sicut agit calor in putrefactis, quod non esset, nisi esset innaturalis.

3. Sumendo igitur *sanguines* pro humoribus sanguineis expulsis per naturam, & nascentiis, & apostematibus, & humoribus illis, qui existunt per naturam, sumatur digestio illorum pro generatione, vel dispositione ad generationem saniei; & similiter per calorem decoquentem, ista dispositio est digestio, quæ est *pepansis*; & hæc sit prima conclusio. Probatur, quia omnis digestio ad generationem alicuius à calore naturali facta, dicitur *pepansis* respectu istius humidi. Consequentia, & antecedens patent ex prædictis quæstionibus; sed si sumantur talia pro superfluitatibus eductis per calorem naturalem corrumpentem dispositionem, qua ille humor erat naturalis humori continuum, tunc similiter talis actio, vel dispositio non est *pepansis*, vel sic considerata non dicitur *pepansis*, sed potius dicitur esse quædam putrefactio. Hoc patet, quia naturalis corruptio est putrefactio, hoc est naturalis corruptio; igitur, &c. Consequentia, & antecedens tenent ex prædictis.

Ad rationes principales. Ad primam, *sanguis non digeritur in pericarpijs*. Negatur. Ad probationem, *non omnia loca sanguinis*, &c. Dico quòd imò sunt vasa seminum, saltem generandorum in illis locis, & ipsis, vt sanguis in mamilla, si in calore superfluo congeritur, & decoquitur, & putrescat, & sanies generetur, maxilla in pericarpium generationis saniei, & locus seminis. Vnde fit sanies, vel humor, siue sit sanguis purus iste humor, siue alius humor. 4. *Ad argum. 1. principale.*

Ad aliam, *Digestio sanguinis est corruptio eius*, dicitur quòd digestio sanguinis, licèt sit corruptio sanguinis, potest tamen hoc esse digestio, & *pepansis* ad generationem alterius, sicut putrefactio bouis, est *pepansis* ad generationem apum. *Ad 2.*

Aliqua videntur adhuc deesse.

FINIS.



INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Tractatu continentur.

Prior numerus ad paginam, posterior ad numeros marginales remittit.

quomodo

 Fontium

Mare

FINIS.

ERRATA.

Pag.24.col.2.lin.23.l.*calefactione.*
Pag.61.§.*Tertio* l.2.leg.*salsum.*
Pag.68.col.2.lin.51.l.*ecnephias.*

B
765
D7
1639a
t.3

Duns, Joannes
Johannes Duns Scotus

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY